BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
22 R
M 13

14 - 14 - K. 6.

ANTONII BERNARdi Mirandulani, epiſcopi Caſertani,

DISPVTATIONES.

IN QVIBVS PRIMVM EX PROFESSO Monomachia (quam Singulare certamen Latini, recentiores Duellum uocant) philoſophicis rationibus aſtruitur, & mox diuina authoritate labefactata penitùs euertitur: omnes quoq; iniuriarum ſpecies declarantur, easq; conciliandi & è medio tollendi certiſsimæ rationes traduntur. Deinde uerò omnes utriuſque Philoſophiæ, tam contemplatiuæ quàm actiuæ, Loci obſcuriores, & ambiguæ Quæſtiones, (præſertim de Animæ immortalitate, & Aſtrologiæ iudiciariæ diuinationibus) Ariſtotelica methodo luculentiſsimè examinantur & explicantur.

Ad ampliſsimum uirum ALEXANDRVM FARNESIVM Cardinalem, S. R. E. Uicecancellarium.

Acceſsit locuples rerum & uerborum toto Opere memorabilium, INDEX.

Collegij Neophyt. Rom.

Basil[illegible] PER HENRICV[illegible] [illegible] NICO[illegible] Bryling.
[illegible] 1562.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
COLLEG NEOPHYT ROM

ALEXANDRO FARNESIO CAR-
DINALI AMPLISSIMO, S. SEDIS
Apoſtolicæ Vicecancellario,

*ANTONIVS BERNARDVS MI-
RANDVLANVS, EPISCOPVS CA-
ſertanus, S. P. D.*

SVPERIORIBVS ANNIS, VT nouit Illuſtriſsima & reuerendiſs. D. T. ſcripſi quinque libros De honore, in quibus præter cætera, de ſingulari certamine ex moralis philoſophiæ ratione præceptiſque agebatur. Hos libros, quemadmodum eadem D.T. compertum habet, quum editurus eſſem, tradidi deſcribendos Ioanni Baptiſtæ Poſſeuino auditori meo, quem tu etiã meis uerbis adductus, qui eum tibi cõmendaueram, pro tua ſumma liberalitate, atq; in omnes ſtudioſos, qualẽ ille ſe oſtenderat, propenſa uolũtate in familiam tuam receperas. Is uerò nihil minus laborans, quàm ut gratũ ſe præberet, planeq; ſeipſum ignorans, eos libros mihi ſurreptos, ſibi arrogare impudẽtiſsimè eſt auſus. Et quanquã re cognita, iuſſu Illuſtriſs. & reuerendiſs. Cardinalis Hippolyti Eſtenſis, apud quem me etiam autore & adiutore ille tum erat, mihi redditũ fuit exemplar id, quo uſuri erant ad eos libros imprimendos Typographi, ipſius Poſſeuini manu deſcriptum, in quo is planè confitebatur, meos eſſe eos libros: tamen penes illum remanſit primũ exemplar, in quo ego mea manu, cum ipſum relegerẽ, multa, ut fit, addideram, demerã, mutaueram: idq; poſt Poſſeuini mortem, eius frater in lucem edidit. Sed cum in ijs ego libris, diſputans de ſingulari certamine, ut initiò dixi, ſecundum moralẽ philoſophiã, ſtatuiſſem poſſe id permitti inſtitutis & legib. ciuitatis eius quæ ciuilem omnino gubernandi rationem ſequeretur: quia intellexi fuiſſe nonnullos, qui hoc ita acciperent à me dictum, perinde quaſi etiam ex ſanctiſsimæ religionis noſtræ diſciplina illud concedi arbitrarer: mihi faciendum exiſtimaui, ut ad hanc opinionem tollendã, etſi ex ijs quæ De honore ſcripſi, ſatis illa quidem refelleretur: clarius tamẽ & explicatius demonſtrarem ipſius religionis noſtræ fundamentis, tantum abeſſe ut ſingulare certamen ullo modo conſiſtat, ut

penitùs labefactetur & euertatur. Et quoniam extiterunt etiam quidam, qui non dubitarũt aſſerere, illud ex morali philoſophia permitti non poſſe, & quæ ipſe de eo ſcripſiſſem in libris De honore, ea & ueritati & Ariſtoteli repugnare: ego tum ueri defendendi cauſa, tum etiã ut eos ipſos libros à me eſſe cõſcriptos intelligerent, non tam quidem qui nunc uiuũt, quàm poſteri, (neminem enim eſſe arbitror, qui Poſſeuinum paulùm modò nouerit, qui neſciat illum fuiſſe ſimplicem grammaticum, atq; ita philoſophiæ prorſus ignarum, ut ne ſyllogiſmos quidem ſciret in tribus figuris rectè conficere: de quo homine etiam in ſexto libro datus eſt nobis plura dicendi locus) his de cauſis aggreſſus ſum nonnullis eorum, qui contrà libros De honore, id eſt cõtra me ſcripſerunt, reſpondere, & declarare quæ à nobis de honore in eis ipſis libris diſputata ſunt, ea & cum ueritate ſecundum humanæ philoſophiæ principia, & cum ipſo Ariſtotele maximè conſentire. Hanc uerò nactus occaſionẽ, docui ex Ariſtotelis ſententia, omnia iniuriarũ & offenſionũ genera: rationẽq; tradidi, qua ſine armis honeſtè componi, tolliq; poſsint omnes, quæcunque oriantur ex illis contentiones: obiterq; præter alia multa conatus ſum, immortalitatẽ animi ex Ariſtotelis ſententia demonſtrare, & Aſtrologiæ diuinationi omnem propè auctoritatem detrahere. Quæ quidem etſi intelligebam ſuo magis loco alibi tractari poſſe, tamen hic ſum complexus omnia: neque in aliud tempus differenda putaui, propter infirmitatem ualetudinis meæ, quæ (ut nouit etiam Illuſtriſsima D. T.) ſtudiorum laboribus atq; uigilijs ita iam cõflictata eſt, ad idq; redacta, ut ne unũ quidem menſem me uicturum ſperare poſſe uidear. In his porrò tractandis rebus, ſi fortè uidebor nimis multa Ariſtotelis loca citaſſe, ipſaq; eius uerba nimis religioſe, ne ſyllaba quidẽ mutata, protuliſſe, id ob eam rem feci, ut commodo lectoris conſulerem, omnia ei ante oculos ponens, ne quis ipſi relinqueretur quærendi labor. Quanquam illud etiam Illuſtriſsimã D. T. non latet, eius generis eſſe quæ ſcribit Ariſtoteles: eoq; modo ſcripta eſſe, ut ad hęc intelligenda, ipſa eius loca, uerbaq; inter ſe omnia diligenter conferri atq; ponderari oporteat. Ex ijs enim quæ apertè contraria, atq; inter ſe pugnãtia uidentur, ſi ita comparentur & examinẽtur, elucet facilè, & apparet quid ille ſenſerit: longeq; fallitur, ſiquis aliter ſe eius ſententiã percepturum confidat.

Id quod

id quod ſatis perſpicuè ex his noſtris libris intelligi poſſe arbitramur: quos iam quum editurus eſſem, ſub Illuſtriſsimæ & reuerendiſſ. D. T. nomine exire uolui, ut cum tu unus maximè omnium meorum commodorum, omniſq; honoris & dignitatis autor ſemper & adiutor extiteris, hos habeas, qualeſcunq; ſint, grati ac memoris animi mei teſtes: atque ut, ſi quid ij utilitatis ſint allaturi, id tibi, qui etiam tua nos autoritate, quam plurimi facimus, ad hæc ſcribenda impuliſti, acceptum referatur. quem quidem ut Deus optimus maximus ad honorem ſuum, & ad communem utilitatem quàm diutiſsimè ſeruet incolumem, precor.

IN LIBROS EVERSIONIS SINGVLARIS CERTAMINIS, RERVM ATQVE VERBORVM *locupletiſſimus* INDEX.

ABſtinentia & continentia an ſint uirtutes 182 & *ſequentia* 185
abſtracta à materia à quonam conſiderentur diſputatio 341. & *ſequentia*
abſtracta à materia non moueri, quomodo cognoſcamus 381
abſtracta an agant gratia alicuius 332
abſtracta à nobis poſſunt cognoſci 637
abſtracta natura ſunt 329. & *ſequentia*
abſtracta quomodo cauſa finali deſtituantur 331. & 332
abſtracta quomodo ſubiectum ſint in metaphyſicis 342
abſtracta uerè nihil extra ſe intelligunt 241
qui Abſtulit per uim alteri aliquid, quamuis deprecetur ueniā nec tamen interim reſtituat res ablatas, ueniam non meretur 99
actio iuſta & iniuſta uel propriè uel impropriè ſumitur 63
actiones quænam honorem mereantur
actionum libertas aſtruitur 424. & *ſequentia*
acerbus quis dicatur 116
adminiculans alicui, quomodo eidem utile ſit 161
Adminiculantia propriè dicta 161
adulter modo intemperans modo iniuſtus eſt 62
adulterium ex amore ad quam ſpeciem ἀκρασίας referri debeat 99
adulterium quis committere poteſt & tamen non eſſe adulter 63
Aeneas Turnum ſupplicem iratus iniuſtè peremit 19. & 78
æquitas corrigit legem 66
æquiuoci diuiſio qualis ab Ariſtotele ſæpe fiat 7
æquum & iuſtum differunt 66
æquus uir quis 66
affectus mouere an & quando liceat 281
Alchimiſtica ars uera quidē, tamē inutilis 339
Alexandri opinio de ſecundo Metaphiſicorum reyeitur 316. & *ſequentia*
amare & amicum eſſe differūt 198
[illegible] *quid* 187
amicitia uirtus ne ſit an affectus 197. & *ſequentia*
amicum eſſe & amare differunt 198
amiſſum iuſtè, non eſt amplius eius qui amiſit 90
amor ſui honeſto metiendus eſt 10
Anima an ſit actus corporis, & quomodo 232
anima in homine duplex 665
anima utrum ſpermati inſit 596. & *ſequentia*
anima ab homine generatur 385
anima ex mixtione elementorum non poſſet fieri perfectiſſima 545
anima compoſita eſt, quia habet materiam & formā 611. & 245.
anima eſt in loco per accidens 255. & 544
anima quomodo corpori adſit 380
anima ē incerta corporis parte 255
anima quomodo nullā cum aliqua re ſimilitudinem habeat 674
anima non patitur à paßionibus corporis & *ſequentia*
anima ſequitur corporis temperaturam 251. & *à corpore patitur. ibidem.* & 386. & *ſequentia*
anima corporis merito quomodo moueri aut in loco eſſe queat 537. & 538
anima mouetur 255. 331. & 544
anima non mouetur 579. & 379
anima ſenſitiua ne an intellectiua prius homini adiungatur 567
anima ſenſitiua interna triplex 433
anima rationalis ſiue intellectiua. Vide intellectus & mens
anima intellectiua quando corpus ingrediatur 570
anima ſpeculatiua quomodo à conſultatiua et practica differat 435
anima rationalis principium eſt motus 318
anima rationalis non eſt natura 326
animæ conſideratio ad philoſophiam naturalem pertinet 326. & *ſequentia. item* 372. & 379
animæ conſideratio non eſt neutra 661. & *ſequentia*
animæ definitio apud Ariſtotelem nō eſt uniuoca, ſed æquiuoca 604
animæ definitio apud Ariſtotelem cœleſtia corpora non comprehendit 654
animæ diuiſio 433
animæ excellentia unde proueniat & cognoſcatur 316
animi immortalitas duobus potiſſimum argumentis ex Ariſtotele nititur 229. & *alij quoq; loci ex eodem referuntur* 230. & *ſequentia.* & *folio* 239
animi immortalitas ex quo cognoſcatur 628
animi immortalitas impugnatur 249. & *ſequentia*
animæ immortalitas cōtra Pomponatiū defenditur 618. & *ſequentia*
animi libertas aſtruitur 424. & *ſequentia*
animi libertas in qua parte ſit 432. & *ſequentia*
animæ partes 421. & *quæ ſit libertatis compos ibidem*
animæ partes, materia & forma 611
animæ quædam partes ſunt ſeparabiles 604
animæ potentiæ quomodo diſtinguantur 585
animæ non cognoſcentis ſiue irrationalis partes 437
animæ rationalis diuiſio 434
animæ rationalis poteſtas 460
animæ ſubſtantiam in libris de Anima Ariſtotelis inquirit 615. & *ſequentia*
animam intellectiuam cur ſemper à ſenſitiua ſepararit Ariſtoteles 233
animas duas eſſe in homine reipſa diſtinctas probatur 551
animal pluribus modis generari poteſt 309
animalia ex putredine non generari 303. & *ſequentia*
ἀντίστροφος quid Ariſtoteli in Rhetoricis ſignificet 142. & *ſequentia*
ἀντίστροφος interdum contrarietatem, interdum ſimilitudinem ſignificat 146

Appetitus

Appetitus pars animi quomodo dicatur 437
Arbiter iudici præfertur 120
Ariſt. cur naturales tantum res & cauſas inquirat 520
Ariſtot. cur obſcure ſcripſerit 96
Ariſtoteles cur rationibus probabilibus ſæpe utatur 328. & ubi illis utatur ibidem. & 332
Ariſtoteles etſi in quibuſdam errasse uideatur iudicium tamen eſt ſuſpendendum propter artifitium ἀκρίβειαν 97
Ariſtoteles in rhetoricis etſi non exacte omnia, uere tamen tradit 115
Ariſtoteles in problematibus probabiliter & ex communi hominum opinione ferè loquitur 568
Ariſtoteles ex animi ſui ſententia loquitur, quãdo eorum quæ dicit rationes ſubiungit 115
Ariſtoteles multa naturaliter aſſerit, quæ ipſe non credit 677. & 681
Ariſtoteles nihil ſine grauiſsima ratione dicit 97
Ariſtoteles non uerba, ſed opiniones antiquorum reprehendit 97
Ariſtoteles nonnunquam ex uulgi opinione loquitur 115
Ariſt. probabiliter argumẽt. 481
Ariſtoteles prouidẽtiam Dei quomodo aſtruat 480
Ariſtot. quomodo intelligẽdus 97
Ariſtoteles rhetoricam perfectè tradidit 95
Ariſtoteles ſententiam ſuam de Anima liberè protulit 248
Ariſtoteles ſæpe abutitur nominibus & librorum inſcriptionibus 356. & 157
Ariſtoteles ſæpe tractat aliqua fuſius in aliena facultate quàm in propria 353
Ariſtotelis authoritas cur tanti ab authore fiat 95
Ariſtotelis de cognitione diuina opinio 473. & 475
Ariſtotelis Ethicorum præſtantia & utilitas 179
Ariſtotelis excellentia 95
Ariſtotelis in docendo candor 95
in Ariſtotelis libris multa ſunt ab interpretibus addita 214
Ariſtotelis obſcuritas quomodo euincenda 97
Ariſtoteli ſimiles cur nulli naſcantur 526
Ariſtotelis tertius de Anima non eſt medius inter naturalẽ & primam philoſophiam 592
in Ariſt. explicãdo ſæpe uis uerbis inferenda, ne ueritas labefactetur 148
Ars citharistica qualis ſit uirtus 181. & ſequentia
ars communiter ſumitur 184
ars non poteſt idem quod natura præſtare 337. quod poſſit 339
ars ſumitur dupliciter, tum pro habitu factiuo cũ ratione uera, tũ pro certa uia et modo docẽdi 151
artes mechanicæ ſub Politica ſunt 165
artes mechanicæ aliquam liberalium conſtãtur & ex ſenſu ortum habent 141. & 142
artes operatiuæ quomodo acquirantur 181
artes quæ circa orationẽ uerſantur logicæ dicuntur, & quæ ſint 276
artium principia quomodo habeantur 201. & 202
artificiale in rhetorica dupliciter dicitur 279
Aſſueſcere rebus, ut res uariæ ſunt, ita non unius eſt generis 199
aſſuetudo & experientia differunt 200
Aſtrologia aſtruitur 395. & ſeq.
aſtrologia impugnatur 390
aſtrologia ex hominum authoritate conuellitur 528
aſtrologia interdũ prædicere poteſt de iis quæ ſunt ualde ſubiecta alterationibus cœli 418. & 419
aſtrologia naturali philoſophiæ cõiuncta eſt, eiusq; utilitas, etiam ſublata prædictione 416
aſtrologiæ diuinatricis aſſertio 396. & ſeq. illiusq; improbatio 400. & ſequentia
aſtrologiam defendentes rationes euertuntur 413. & ſequentia
Auerroes contra Pomponatium defenditur 637
auerrois expoſitio in 3. de Anima 4. improbatur 220. & ſequentia
auerrois expoſitio in primũ cœli, textu primo, confutatur 289
auerrois interpretatio locorũ Ariſtot. de Metaphyſici contemplatione reprehenditur 307. & 309 & ſequentia
aues quæ prænoſcũt tẽpeſtates 512
Auicenna cõtra Auerroem defenditur 338. & 340
Auicennæ opinio de ortu hominis è terra reprehenditur 504
Authoris aduerſa ualetudo 166
Authoribus errores imputãdi non ſunt, priusquã ultimam manum libris ſuis impoſuerint 98
Bellum uniuerſale non tam honoris quàm cupiditatis imperij cauſa à regibus ſuſcipitur 28
belli finis eſt nõ uictoria ſimpliciter, ſed fœlicitas 12. & 13
Bonum dupliciter 425
bonum duplex, aliud à prudente, aliud à ſtulto eligitur 104
bonũ quod omnia appetunt 484
boni definitio probabilis 484
bona quomodo ad diuerſas pertineant ſcientias 352
bonus aliquis ex doctrina propriè fieri nequit 175
bonus unusquisq; primo aſpectu cur exiſtimetur 136
boni reddimur ex tribus 177
bonis omnibus præterquã uirtute, iniuſtè uti poſſumus 136
Bruta cur uniuerſalia non intelligant 641
boues humana uoce loquuti 512

C

Cædes cur uerbis non uideantur placari poſſe 87
cædes uerbis placandæ ſunt 87
cædib. aliquãdo ignoſcendũ eſt 82
Caloris generatio 174. et ſequẽtia
carnis mollities ingenij uigorem cur indicet 423
cauſæ ut cauſæ declarãtur in Metaphyſicis 318
à cauſa prima pendent omnia 422
certamẽ ſingulare uide Monomachia
Cicero reprehenditur, qui uerbum αὐτόματον apud Ariſt. uertit, ex altera parte reſpondẽs 142. & ſeq. cũ argumẽtis aduerſariorũ 144
coactè agere quid 55
cœleſte corpus quomodo à Methaphyſico conſideretur 322
cœleſtis motus utilitas 406
cœleſtes orbes quomodo moueantur 383. & ſequentia
cœleſtia corpora nõ propter nos ſunt ordinata 479
cœlum æternum quomodo dicatur principium motus habere 244
cœlum conducit ad omnes alterationes, non ſolum tamen 415
cœlum & natura quomodo à prima cauſa pendeant 422

à cœlo multarũ rerum cauſa eſt 521
cœlum nequit omnino mutare cauſas particulares 391
cœlum non efficit elementa 402
cœlum nulla alia habet inſtrumenta, præter lumen 411
cœlum prodigeorũ cauſa eſſe nequit 501. & ſequentia
cœlum quomodo concurrat ad generationem & conſeruationem omnium 405
cœlum quomodo generet tres primas qualitates, præter caliditatem 410. & ſequentia
cœlum quomodo moueatur 517
cœlum quomodo ſit cauſa generationis & corruptionis 416
cœlum quomodo ſit in loco 518
cœli influentia tollitur 413
cœli inſtrumentũ, quo agit in hæc inferiora 405. & ſequentia
cœli motũ inferiora omnia ſequũtur 397. & ſequentia
extra cœlum nihil 381
à cœlo quomodo omnia inferiora gubernentur 411
ex cœlo omnia habent uiuere & eſſe 417
Cognitio multarum rerum utrum arguat præſtantiam 477
cognitionis principia 141
coitus quomodo impediatur 514
cometarum ſignificatio [illegible]
commune poteſt eſſe pars ſubſtantiæ 575
compoſitio duplex ſpiritualis & corporea 245
concedenda multa ſunt propter prauitatem hominum 132
conceptus quomodo & quando animetur 596
concupiſcentia quid 439
concupiſcentia ſit ne appetitus irrationalis 438
concupiſcentia alia cum electione, alia ſine 63
concupiſcentia & ira cur non dicantur ab Ariſt. communes ſenſui & appetitui 441
cõſtantia an ſit uirtus moralis 185. & ſequentia maximè 189
continentia quid 194
continentia & cõſtantia quomodo differant 194
continentia & abſtinentia an ſint uirtutes 182. & ſequentia 185
continẽtia & temperatia quomodo circa idem uerſentur 192
contingentia an in rebus reperiatur 464
contingẽtia rerum quomodo cum Dei ſcientia ſtare poßit 477
contingentis diuiſio ab Ariſt. aſſignata 70
contumelia deſpicientia & incommodatio differunt 69
contumelia duplex eſt 68
cõtumelia multas habet partes 74
contumelia ἀδοξίας ſpecies eſt 63
contumelia affectus, amittit honorem 114
contumelia. Vide iniuria
Cor cuius animæ ſedes ſit 543
corpus ſenſu eget 385
corporis bona nõ pendere à cœlo 420
corporis uitia interdum uolẽtibus nobis accidere 429
corpore motu quomodo omnia moueantur 517
Dæmones nunquam poſuit Ariſt. 518. & ſequentia
definitio dupliciter ſumitur 270
definitio quomodo per ſenſum haberi poßit 212
definitio quomodo ſit principium demõſtratiõis 210. dupliciter 211
definitiones an ſuppoſitiones ſint 207
deſcriptio quomodo explicet ipſum quid eſt 217
deſpicientia, cõtumelia & incommodatio differunt 69
deſpiciẽtia eſt ſpecies ἀδοξίας 67
detractio 102
Deus afflictis iniuria & innocẽtibus fert opem 46. & 47
Deus cauſa eſt uniuerſalis omniũ, & uim gerit cauſæ finalis 494. & 497
Deus naturalibus rationibus nequit cognoſci 481
Deus producit res, nõ ut illas cognoſcens, ſed ut ſeipſum cognoſcens 478
Deus quomodo ignorans dicatur 477
Deus quomodo omnia cognoſcat 464. et ſequentia maximè 472. & 498
Deus quomodo ſit ens 299
Dei cognitio unde orta 486
Dei operatio 497
Dei poteſtas bifariam à nobis conſiderari poteſt 263
Dei prouidẽtia an naturalibus rationibus aſtrui queat 477
Deus inferiorũ curã gerere credi Ariſt. ſed ratione naturali aliter demonſtrat 477
Deum nihil extra ſe cognoſcere 465. & ſequentia
Deum cognoſcere etiã ea quæ extra ipſum ſunt 459
Dialectica & Rhetorica ad artem redigi poſſunt 150
dialectica & rhetorica nec artes, nec ſciẽtiæ ſunt, ſed facultates inueniẽdi cõmunia probabilia 149
dialectica nõ ſubijcitur Politico 37
dialectica per accidens eſt utilis ad ſcientiam & ueritatem 164
dialectica quodnam adiumentum afferat 161. & 162
dialecticæ & rhetoricæ affinitas 37. & 142
dialecticæ utilitas, ut ad contraria poßit argumentari 163
diſtribuens plura ſibi quàm alijs iniuria afficit ciuitatem 61
diſtribuens plura alijs quã ſibi, ſeipſum non afficit iniuria 61
diuinitas non niſi æternis conuenit 602
docti homines cur interdum ſint praui 627
doctrina cur experientia & tempore indigeat 170
doctrina quomodo faciat ad felicitatem 178
dolor & uoluptas cauſæ ſunt prauitatis 637
in dubijs rebus paruis apparentijs fidem habere oportet 263
duellum. Vide Monomachia
duellum inter duos propriè, inter plures impropriè 26
duelli etymon 2
εὐφυΐα, ingenium 448
Electio quid 439
electio & iudicium quomodo differant 442
electio ſpontanea eſt, non tamen libera 458
elementa à cœlo nõ ſunt facta 402
elemẽta eſſe ꝑpetua 403. & 404
elementa naturaliter habent qualitates contrarias 403
elementa quomodo à natura augeantur 404
elemẽta quomodo dicãtur ab Ariſtot. generari ex materia 404
eligere & opinari differunt 458
elocutio & actio an pertineant propriè ad rhetoricam 278. & 284
elocutio & actio ad Hiſtrionicam propriè

propriè pertinet 284. et ſequētia
elocutionis præcepta cur ab Ariſt. tradantur 282
ens non eſt uniuocum neque uere genus 298
Ens quomodo dicatur compoſitum 299.
Ens quomodo habeat cauſas 299
Entis diuiſio 268
Entia omnia an ab una aliqua ſcientia conſiderari poßint 273. & ſequentia
Entia omnia quomodo ſub eandē ſcientiam cadant 269
Enthymema & ſyllogiſmus ex iiſdem fiunt 154
Erroribus inuitis non uenia tantum danda, ſed etiam miſerēdum eſt 82
Eſſe aliquid an ſola prima philoſophia probet 673
Ethica eſt politica 357.
Ethica problemata dicuntur generaliter ea que diriguntur ad opus 157
Ethici libri cur ſint ſcripti 174
Ethicorum librorū inſcriptio 357
Ethicorum librorum utilitas & præſtantia 179
Experientia & aſſuetudo differūt 200
Experientiæ nō debent repugnare philoſophi 527
Extrema dicūtur prima principia 563

F

Facta uerbis deleri poſſunt 115. & 116
Facultas communis quæ 160
Fama bona non niſi ex uirtute 109
Famam lædens, lædit honorē 109
Felicitas ſumnum eſt naturæ bonum 76
Felicitas eſt operatio, non habitus 687
Felicitas non oritur à cœlo 392
Felicitatis definitio examinatur 681. & ſequentia
Fidem facere dupliciter dicitur 280
Filius an honeſtè contra patrē pugnare poßit 5
Filius quantum & quouſque ſit patri obligatus 6
Filius nō niſi honeſti cauſa poteſt patrem abdicare 7
Finalis cauſa quomodo abſtractis detrahat 332
propter Finem multa aguntur naturaliter, que tamen finem non cognoſcunt 242
Fœmina quomodo monſtrum ſit & non ſit monſtrum 409
fœminæ generatio eſt preter naturam 409
Fœminę debiliores uiris, ut ſe cautius cuſtodiant 118
Fœtus in utero quando animetur 196. & ſequentia
forma dicitur principium materiæ 611
forma omnes indiget corpore 631
forma nō ſemper nobilior eſt omni materia 675
formæ corporum inferorum ſubſtātiales an in uirtute cœleſtium corporum contineantur 406
fortitudinis finis honeſtas 2. & 3
fortunæ bona non pendent à cœlo 420
Furtum eſt cum electione 62. non omne tamen 63
furtum ex neceßitate ad quā ſpeciē ἀδικίας referri debeat 99
furtum propriè & impropriè ſumitur 63
Gallorū reges ſcrofulas curāt 509
generationis cauſæ cœleſtes 374
geomantiæ uanitas 389
gladiatorū certamina improbantur 19
gloria & honor differunt 41
gloria etiam abſq; uirtute eſſe poteſt 43
gloria etiam à prauis deferri poteſt 44
gloriæ definitio & natura 42
gratiarū tēplum ad bonū tantum, non etiam ad malum reddendum cur ſit poſitum 121
Habitus actiui & factiui in quo conueniant 184
habitus actiui omnes ſunt uirtutes intellectiuæ 183
habitus inter ſe ſunt diſtincti 436
habitus mentis duplices 155
habitus practici cauſas etiam neceſſarias conſiderant 436
habitus qui uirtutes ſunt propriè 195
habitus uitioſi aliqui non afferunt opprobrium 195
Homero plura in Achille irato licēt, quā Virgilio in pio Aenea 19
homo cur peccare poßit 65
homo diuerſis principijs ſingulare & uniuerſale percipit 557
homo duas habet formas ſubſtantiales ſiue animas 551
homo ex putredine oriri nequit 503. & ſequentia
homo finis omniū 494. & 497
homo habet duas formas 566
homo non generat intellectum ſed animam 385
homo omnium creaturarum nobiliſſimus 494
homo quatenus ſit homo 547
hominis definitio examinatur 571. & ſequentia
in hominis definitione uera differentia 628
hominem duas habere formas non eſt abſurdum 570
homines an ſpōte malū faciāt 487
homines facile decipiuntur 491
homines iidem numero reuerti nequeunt 517
homines in belluas mutati 515
homines irrationales unde 625
homines quāuis ex quatuor qualitatibus componantur, nō tamen omnino ſequuntur cœli alterationes 419
hominum cædes non niſi honeſti cauſa permittitur 12
honeſtas fortitudinis finis 2
honeſtas utilitati præferenda 10
honeſtum à natura eſt 5
honeſtū & honor quatenus conuertantur 9
honeſtum patriæ & parentibus præferendum 8
honeſti cauſa pugnandum eſſe 4
honeſti finis non eſt honor 9
honor ablatus non poteſt reſtitui per id, ut quis ſe totum offenſi poteſtati committat 89
honor conſeruat naturam humanam 84
honor de quo in monomachia pugnatur, quis ſit 49
honor & gloria differunt 41
honor & honeſtū quomodo conuertantur 9
honor & laus differunt 40. & 41
honor humanæ fœlicitatis uinculum 87
honor iis actionibus quæ ab electione proueniunt conuenit 40
honor non eſt finis honeſti, ſed comes 9
honor non niſi cum uirtute eſſe poteſt 8
honor plurima bona cōplectitur 8
honor omnia bona externa ſuperat 87
honor q̃d ab hominib. requirat 90

bonor quo-

honor quomodo acquiratur 27
honor per uindictā acquiritur 120
honor quando ex uulnere amittatur 90. & 91
honor uirtutis præmium 26. et 40
honoris definitio bona 40
honoris definitio praua 39
honore carens, bellua eſt 4
honores ſæpe indignis conferuntur 42
Horatius ex Ariſtotelis Poetica artem ſuam conſcripſit 96
ὕβρις 68
Ideæ non ſunt idem in ſubſtantia, quod Deus 468
ignis ſub Luna ſpecie idem eſt, non numero 56
ignis motus ſub luna eſt uiolentus 56
ignorans agens ſpōte & per ignorationem num aliquando ſit dignus uenia 54
ignorans quomodo inuitè non per ignorationem agere proſsit 54
ignorantem & per ignorationem agere differunt 450. & 451
ignorātes qui praua agunt, ſint ne puniendi 462
ignoratio cauſa eſt appetentiæ, non tamen libertatem tollit 450
ignoratio rei uniuerſalis & ſingularis 51
ignoratio & ignorantia differunt 52
per ignorationem agere dupliciter ſumitur 5. & 52
per ignorationem uniuerſalem agens, ſpōte ne an inuitus agat, & an uenia ſit dignus 52
ignoſcere ſupplici naturale eſt, nō ignoſcere, ferinum 78
non ignoſcere aliquādo humanum eſt, non tamen Chriſtianum 80
Impaſsibile Ariſtoteli eſt incorruptibile 228
impoſsibilitas ſenſus & intellectus differt 667. (67
incommodatio eſt ſpecies ὀλιγωρίας
incommodatio diſpicientia & contumelia differunt 69
incontinentia quid 194
incontinētia cōtra Socratē ex Ariſtot. defenditur 451. & ſequētia
incontinens facit quod non putat eſſe faciendū, nō tamē facit contra iudicium intellectus 459
incontinens ſcipſum ſponte lædit, nō tamen ſponte ſeipſum iniuria afficit 59
indiuiduorum eiuſdem ſpeciei multiplicatio cur à natura ſit inſtituta 256. & 257
ingenium & electio quomodo differant 442
iniuria ad philoſophum ethicum pertinet 54
iniuria eſt ὀλιγωρία 72
iniuria legibus prior eſt 35
iniuria iuuenum & ſenum 73
iniuria omnis eſt cum electione 57
iniuria omnis eſt cū detrimēto 57
iniuria omnis honore tolli poteſt 85
iniuria quæ nullo alio pacto componi poteſt, per monomachiam dirigitur 98
iniuria ſemper eſt malum 59
iniuriæ ſpecies falſæ 101
iniuriæ per inſidias an ſimilis uindicta competat 100
iniuriā comitatur contēptus 67
iniuriam inferens lucratur honorem alterius 106
ad iniuriam requiſitæ conditiones 74
iniuria affectus magis lætatur quàm afficiens, quia magis lucratur 106
iniuria affectus plus gloriæ & honeſti cōſequitur quā afficiēs 106
iniuria affectus quamuis plus lucretur quam afficiens, cur iraſci debeat & uindictam ſumere 107
iniuria affectus quomodo amittat & acquirat honorem 107
iniuria afficere eſt contra leges agere 34
iniuria afficere propriè et impropriè ſumitur 63
iniuria affici & ſponte lædi differunt 59
iniuria afficere quàm affici peius eſt 103
qui iniuria affici quā afficere mauult, ſibijpſi nō facit iniuriā 105
iniuria affici idem eſt quod negligi 72
iniuria affici minus malum per ſe eſt quàm afficere, per accidens uero maius eſſe poteſt 104
iniuria afficiens interdum non eſt iniuſtus 61
iniuria interdū nō afficitur aliquis quamuis iniuſta patiatur 59
iniuria nemo ſeipſum poteſt afficere 59. & 60
iniuria nemo uolens afficitur 57
iniuriæ illatæ à potentiore quibus uerbis ſatis fiat 90
iniuriæ etiam ueræ uerbis diſſolui poſſunt 84
iniuriæ non ueræ uerbis diſſolui poſſunt 83
iniuriæ non ueræ ſemper eſt ignoſcendum 81
iniuriæ ueræ quando non ſit danda uenia 80
iniuriæ quædam à magiſtratu tolli nequeunt: in quibus ad duellum prouocare licet 114
iniuriæ quædam per amicos & propinquos uindicari poſsūt 99
iniuriæ quando ſint uindicādæ, & quando non, atq; in uniuerſum quomodo ſint tollendæ 92
iniuriarum diuiſio 92
iniurijs morte non debet ſatisfieri 85
qui iniurijs nō ueris ignoſcere nolunt, ex hominū ſocietate ſunt tollendi 83
pro iniurijs occultis certandum eſt 126
iniurijs ſatis facere, totū ſe in poteſtatē offenſi tradēdo, iniuſtū eſt et humanæ ſocietati pniciosū 88
inniurias quādo perſequi aut remittere oporteat 76
iniurias ulciſci occultè non eſt ulciſci 79
inniurias ueras uerbis potius quā ut alterius poteſtati ſe quis cōmittat, tolli poſſe 88. & ſequentia
iniuriari quid 50
Iniuſta pati aliquis ſponte poteſt; nec tamen idem ſponte iniuria afficitur 59
iniuſta pati & iniuria affici differunt 59
inſectorum nonnulla coire 334
inſidiæ prudentia carent 27
inſidiæ uiro forti nō cōueniūt 100
inſidians agit ignorans, at non per ignorationem 459
inſidiatores ignorātes agunt; non tamen per ignorationem 65
intellecta non ſunt æterna 547
intellectio quomodo fiat 612. 625
intellectionis uarij modi, ut etiam intelligentiæ uariæ 241
intellectus. uide anima intellectiua
intellectus & mens idem 602
intellectus uarijs modis ſumitur 564
intellectus ab alijs animæ partibus ſeparatur 235
intellectus abſtracta intelligere poteſt

poteſt 637.et 638
intellectus abſtractus à materialib. rebus perficitur 541
intellectus à corpore ſeparatus eſt, et non ſeparatus 369.et 544
intellectus an unus ſit numero, an numeratus ad numerationem ſingulorũ hominũ 546.& ſequẽt.
intellectus agẽs à poßibili re & ratione diuerſus eſt:eo tamen poßibilis indiget 246
intellectus agens eſt à materia ſeparabilis 240
intellectus agens & paßibilis ſimul ſunt tempore 266
intellectus agens imaginarius impugnatur 615
intellectus agens lumini et artificij aßimilatur 612
intellectus agẽs non cognoſcit poſſibilem 245
intellectus agens non recipit et intelligit omnia 609
intellectus agens pars eſt animæ rationalis 611
intellectus agens quis 237.& ſeq.
intellectus agens quomodo ſeſe habeat ad poßibilem 613
intellectus agens quomodo dicatur facere intellectionem 612
intellectus cum mortalibus cur verſetur 641
intellectus cur egeat phãtaſia 654. & ſequentia
intellectus eſt cũ phantaſmate 620
intellectus eſt impaßibilis & incorruptibilis 228
intellectus eſt in corde primo 256
intellectus eſt materialis, & nõ materialis 669.& ſequentia
intellectus eſt perfectior quàm materia cœli 676
intellectus eſt principiũ motus 328
intellectus eſt ſubſtantia ſingularũ, quãuis unus ſit in numero omnib. hominib.non tamen ſimiliter 575
intellectus eſt unicus 622
intellectus & ſenſus re & ratione differunt 605 & 606. & 650
intellectus extrinſecus aduenĩẽs nõ mouetur 573
ingeniũ idẽ eſt quod iudiciũ 442
intellectus idẽ numero contradictoria ſimul nõ intelligit 576
intellectus immaterialis eſt, quãuis à formis materialibus perficiatur 542
intellectus indiget efficiente, quod faciat ipſum recipere formas & quodnam illud ſit 237
intellectus medius eſt inter corruptibilia & incorruptibilia 640
intellectus moto corpore non mouetur 537
intellectus multa precipere nequit 381
intellectus nequit retinere ſpecies 639
intellectus nihil niſi extra ſe intelligit 669
intellectus non corrumpiter 580
intellectus non educitur ex potentia materiæ 371. (567
intellectus nõ eſt accidens hominis
intellectus non eſt in corde 545
intellectus non eſt materialis 565
intellectus nõ eſt mixtus cum corpore 227
intellectus nõ eſt mixtus cũ ſpeciebus, ſed ſuſceptiuus ſpecierũ 226
intellectus niſi eſſet immortalis, nõ egeremus intellectu agente 236
intellectus non eſt numeratus 647
intellectus non eſt ſine phantaſia 369
intellectus non generatur ab hominem 385
intellectus indiget corpore tanquã ſubiecto & obiecto 631
intellectus non interit diſſoluta magnitudine 570
intellectus nõ indiget organo 231
intellectus non mouetur 235
intellectus non patitur à paßionibus corporis 532. & 608
intellectus non poteſt eſſe ſine ſenſitiuo, & tamen ſeparatur à ſenſitiuo 605
intellectus non poteſt ſingularia intelligere 552. & ſequentia
intellectus non recipit indiuiſibilia id quid intelligit 753
intellectus non ſemper intelligit idem 547
intellectus non ſequitur ætatem hominis 565.566.8. & ſequẽtia
intellectus noſter à cœlo pendet 399. & 528
intellectus noſter cur uniuerſalia intelligat 641
intellectus noſter lunæ comparatur 636
intellectus noſter nullã habet cognitionem à natura 500
intellectus nullam habet operationem dependentẽ à corpore 619
intellectus nunquam ſimpliciter ſeparatur à corpore, ſed ab hoc, uel ab illo 632
intellectus per ſe in corpus accedit 649.
intellectus per ſe nec laceratur nec læditur 543
intellectus phantaſiam pro memoria habet 640
intellectus paßibilis eſt phantaſia 266
intellectus poßibilis æternus eſt, & tamẽ indiget intellectu agente 539
intellectus poßibilis à materia eſt ſeparabilis 240
intellectus poßibilis cum materia prima comparatio 658
intellectus poßibilis eſt etiam ſpeculatiuus 585
intellectus poßibilis eſt immortalis & notior agente 655. & ſeq.
intellectus poßibilis non corrũpitur 234
intellectus poßibilis non eſt mixtus corpori 643
intellectus poßibilis quomodo dicatur immixtus ab Ariſt. 60
intellectus poßibilis quomodo ſemper intelligat 266
intellectus poßibilis non eſt ignobilior omnibus formis 5.675
intellectus practicis principium eſt & finis rerum agibilium 566
intellectus quamuis temperamentum ex ſanguine habet, æternus tamen eſt 542
intellectus quando deficere incipiat 666
iniuriæ, quas priuati condonant, à magiſtratu non ſemper remittendæ ſunt 99
intellectus quomodo ab intelligibili patiatur 235
intellectus quomodo dicatur immixtus ab Ariſt. 220. et ſequẽtia maximè 224
intellectus quomodo pendeat à ſuo organo 619. & 629
intellectus quomodo à corpore pendeat, ſubiectiuè an obiectiuè 632
intellectus quomodo à corpore ſeparetur 620. & ſeq. 644. 652
intellectus quomodo à corpore ſeparetur: contra Simonem Porteum 584. & ſequentia
intellectus quomodo non habeat organum 633
intellectus quomodo recipiat ſpecies 548

intellectus

intellectus quomodo ſit impaßibilis 223
intellectus quomodo ſit in quantitate 651.& 652
intellectus quomodo utraq; extrema apprehendere dicatur 561
intellectus recipit omnia, id eſt, uera ſimul & falſa 224
intellectus ſemper intelligit 655. & 656
intellectus ſeparatur à ſenſu 621
intellectus ſi generabilis eſſet & corruptibilis, non eſſet tantæ perfectionis 544
intellectus ſimplex eſt 235
intellectus ſine phantaſmate intelligere nequit 549
intellectus quomodo fiat ſingula. 550
intellectus ſpeculatur phantaſmata 635.& 639
intellectus uiget & deficit ratione corporis 667
intellectus ut intellectus eſt actus corporis organici 644.& ſeq.
intellectus ut intellectus non eſt abſtractus à materia 634
intellectus agentis æternitas quomodo aſtruatur 587
intellectus agentis effectus 240
intellectus agentis natura ex poßibili demonſtrat 655.& ſeq. 650
intellectus cognitio ſemper eſt eodem modo, & ex toto ſubijcitur tempori 636
intellectus differentiæ 239
intellectus & ſenſus impaßibilitas differunt 234
intellectus intellectio differt ab intellectione intelligentiarum 629 & 630
intellectus materia æterna eſt 544
intellectus ſubſtantia ab Ariſtotele in.3.de anima inquiritur 616
intellectus ſubſtantia ex ipſo intelligere cognoſcitur 633. 653
intellectus unitas aſtruitur 642
intellectus unitatem ratione naturali Ariſtot. probauit, multiplicationem tamen credidit 677
probatur quibuſdam argumētis
intellectus uocabulo ſæpe phātaſia comprehenditur 564
intellectum agentem dari Phiſicus probat 672.& 673
intellectum eſſe immortalem 367. & ſequentia
intellectum intelligere ſingularia probatur 559.nō intelligere 560
intellectum non eſſe unum numero in omnibus hominibus 258
intellectum nulla pars corporis continet 584
intellectū unum eſſe aſtruitur 265. & ſequentia
intelligens & intellectum in abſtractis à materia idem ſunt 241
intelligentē oportet ſpeculari phantaſmata 635.& 639
intelligētia nulla abſq; corpore 632
intelligentiam eſſe naturam probatur 330 & ſequentia
intelligētiæ dāt eſſe orbibus, orbes tamen ſuos & motus non intelligunt 242
intelligentiæ inferiores non poßūt intelligere ſuperiores 241.et ſeq.
intelligentiæ inferiores quomodo imitentur ſupremam 243
intelligentiæ nihil extra ſe intelligunt 668
intelligentiæ non mouentur 381 & ſequentia
intelligentiæ non ſunt propter noſtram cognitionem 618
intelligentiæ non ſunt eiuſdem rationis in ſpecie 540
intelligentiæ quatenus intelligētiæ, ſunt animæ [illegible]
intelligentiæ quomodo intelligant 629
intelligere & ſentire differunt 233
intelligere eſt pati 223
intemperans non ſemper eſt iniuſtus 61
intemperantes duplices ſunt 61
intēperantia dupliciter ſumitur 62
intemperantia eſt ſine electione, interdum cum electione 62
inuentio artium 522.& ſequentia
inuentio doctrinam præſupponit, et eſt quodammodo doctrina 180
inuenire difficilius eſt quam diſcere 171
inuitum quid 50
inuitum quomodo latius pateat eo quod eſt per ignorationem agere 51
inuita omnia ſint ne uenia digna 52.et 53
Ioannis Baptiſtæ Poßeuini audacia 121
Ioannis Pici mirandulani de generatione qualitatum elementarum in mundo inferiori, opinio improbatur 406.& ſequentia
ira quid 45
ira quomodo naturaliter aliquādo remittatur 77
ira ſit ne ſemper abſque electione 54
iræ cauſa eſt neglectus 72
iratus per accidens tantum iniuria afficit 65
iratus ſi aliquem interficiat, quando ſit uenia dignus 54
irati interdum non ſunt iniuſti 61
ad iudicem ire non eſt ulciſci iniurias 114.et 116
ad iudicem quando ſit eundum in rebus dubijs 119
ad iudicem qui proficiſcitur, ſe uictum eſſe declarat 120
iudicium et electio quomodo differant 442
iuſiurando quando ſit locus 20
iuſticiæ potior habēda ratio quàm parentum aut patriæ 4
iuſtum et æquum differunt 66
iuſtum dupliciter dicitur. 66
iuſtum legale non ubique idem 137
iuſtum naturale ubique idem 137
iuſta quis pati interdum ab iniuſto poteſt 59

K

κακία quid 188
κακία dupliciter ſumitur 195

L

Leſio à maiore aut occulta ui illata ſit ne iniuria, et quomodo reconcilietur 100
leſus à maiori uel occulte, quomodo honorem amittat uel non amittat 108
letitia maxima eſt bona conſcientia 107
lex quomodo iuſta dicatur 34
leges iuſtæ ſunt per accidens 66.
leges non omnia comprehendunt 44
leges per accidēs tātum ſunt neceſſariæ 36
leges per ſe ſunt faciles, culpa hominum redduntur difficiliores 65
leges quomodo ſeruant politica 165
leges ſunt propter uirtutes, non econtra 66
legiſlatores ethnicos eſſe philoſophos oportet 96

legiſtæ nō ſemper conſulunt bonori priuatorum, ſed magis ciuitatum 113
liberales quamuis plura alijs quàm ſibi ipſis tribuant, non tamen ſe ipſos iniuria afficiunt 61
libertas ab ignoratione ueri boni non tollitur 450
libertas humanarum actionum aſtruitur 424. & ſequentia. in qua parte animæ poſita ſit 432. & ſequentiā
libertas noſtra in intellectu tota conſiſtit 444. & ſequentia
libertas noſtra quomodo cum ſcientia Dei ſtare poßit 476
libertatem in uoluntate eſſe aſtruentia argumenta 447. et ſequentia tolluntur 457. & ſequentia
libellos famoſos emittēs non timet libri huius ſcopus 695 (109
libri, de bonore, contra authoris uoluntatem euulgati 123
librorum inſcriptio à uarijs accidentibus ſumi poteſt 356
logica cur inuenta 159
logica facultas quæ uulgo appellatur, diuerſa eſt à rationibus quas Ariſtoteles appellat logicas 160
logica non eſt contemplatiua 108
logica quomodo dicatur eſſe habitus factiuus & ars 158
logica quomodo dicatur inuenta eſſe alterius gratia 157.158
logicæ proprius finis 159
logicæ ſubiectū quomodo ſit oratio ſimpliciter 286. & 287
logicæ ſubijciūtur omnes artes quæ circa orationem uerſantur 276
logicæ dici poßūt omnes artes quæ circa orationem uerſantur 276
logicæ rationes ab Ariſtot. appellantur communes 160
logicas uocat Ariſtot. omnes ſcientias præter mathematicas 163
logica problemata adminiculantia ſunt 153. & 159
loqui nemo poteſt ea lingua quam non didicit 507. & ſequentia
Luna calefacit 576
luna in coitu quomodo dicatur frigefacere 408
Magica uerba, eorumq; effectus 516
Magicæ artes 516
Magiſtratus interdum condonare debet iniurias 118
Magiſtratus nō poteſt in omnibus æquitatem exigere 119
Magnanimi eſt ulciſci, nec ire ad iudicem 116
magnanimitas & magnificentia uirtutes ſunt non principes, & quomodo ex illis laudemur 197
magnetis uis 516
malus omnis an ſit ignorans 46
Marſi à uenenis ſunt tuti 509
materia continua eſt 555
materia dupliciter ſumitur, ut materia eſt & ut potentia eſt 500. & 555
materia quomodo à metaphyſico inueſtigetur 300
materia prima eſt ſeparabilis et nō ſeparabilis à forma 569
materia prima per ſignū naturale demonſtrari nequit 312
materia ut materia declaratur in metaphyſicis 315
mathematica à metaphyſica differt 366
mathematica an ſit pars philoſophiæ 564
mathematica quomodo principia ſua non quærat, ſed ſupponat 215
mathematica principiā inductione fiant an experientia 168. & ſeq.
mathematicæ ſcientiæ experientia egent & tempore 169
mathematicæ quomodo dicantur faciles & difficiles 170
mathematicarum appellatione uaria conprehendit Ariſtot. 157
Melancholici ingenioſi 674
mendacium maius eſt malum inſidijs 28
mens. uide intellectus
mens & intellectus idem 602
mens cur dicatur intellectus 615
mens extrinſecus accedit & immortalis eſt 599. et ſequētia. & 648
mens quando accedat & quomodo 597. & 599
mens diuina eſt 602
mens quomodo dicatur tardior fieri 650
Mens non ſequitur temperamentū corporis 423
mens ſub definitione animæ apud Ariſtot. continetur 604. et ſeq.
mentis habituū diuiſio 155. & 164
mentiri eſt inſidiari 28
metaphyſica à mathematicis diſtinguitur 366 à phyſicis 325
metaphyſica contemplatur materiā in potentia, & formam generabilē & ex iiſdem compoſita 523
metaphyſica poteſt dici phyſica 553. & 355
metaphyſica quas res conſideret 521
metaphyſica quomodo inquirat cauſas entis 298. & ſequentia
metaphiſica ſequitur libros phyſicorum, præcedit philoſophiam naturalem 555
metaphyſicæ etymon 353
metaphyſicæ demonſtrationes non ſunt naturales 319
metaphyſicæ & phyſicæ conſiderationis quæ 294
metaphiſica principia notiora ſunt mathematicis 219
metaphyſica principia quomodo cōmunia, atque etiam naturalia principia euadant et dicātur 358
metaphyſicorum liber ſecundus ab Alexādro immeritò reijcitur 316
metaphyſicus an omnia entia contempletur 273. & ſequentia
metaphyſicus quomodo abſtractà conſideret 542
metaphyſicus quomodo principia ſua probare poßit 559
Miracula ex Ariſtot. tollūtur 493
Monomachia æquitati non ſcriptæ non aduerſatur 44
monomachia aſtruitur 127.150.155
monomachia à legibus ſcriptis non probibetur 43
monomachia ex iniuria, quam magiſtratus cōponere nequit 98
monomachia honeſti tantum cauſa uel primò uel ſecūdariò ſuſcipi 31
monomachia honeſta etiam contra patriā & patrem interdū ſuſcipi poteſt 3
monomachia ita admitti debet, ut etiam tormenta & quæſtiones 131
monomachia idonea eſt probatio innocentiæ & ueritatis 46
monomachia ijs iniurijs debetur, quæ à legibus & magiſtratu tolli nequeunt 114
monomachia imparibus armis reprehenditur 139
monomachia impugnatur 689. & ſequentia
monomachia innocētiæ et ueritatis teſtādæ cauſa cōceditur 20 et 26
monomachia inſidijs præferēda 111
monomachia interdum iuſta ſicut & bellum iuſtum 120
monomachia interdum utilis eſt rei publicicæ 17
monomachia inter duos reges à Martino pontifice permiſſa 134
monomachia inter eos tantum,

qui digni ſunt honore, concedi debet. 45
monomachia Italorũ certa ſit lege 20
monomachia naturali lumine conceditur, diuino reprobatur 689
monomachia non in omnibus cum iudicio forenſi conuenit 134
monomachia non niſi diuina autoritate euerti poteſt 2
monomachia per ſe mala, interdum tamen concedenda 16
monomachia permittitur ab Ariſtotele 132
monomachia propter iram eſt beluina 32
monomachia propter prauitatem hominum interdũ cõcedenda 118
monomachia quamuis non in omnibus iniurijs locum habeat, non tamen in uniuerſum tollenda 151
monomachia quibus iniurijs ulſciſcendis competat 80
monomachia ratione non conſuetudine nititur 44
monomachia quomodo uoluntaria 22 & 23
monomachia roboris oſtentandi, aut iræ cauſa, reprehenditur 19
monomachia uerbis diſſolui poteſt, ſi alter ſe minorẽ fateatur 86
monomachia ueteribus quoque in uſu fuit 22
monomachia tranquillitatis communis cauſa permittenda 152
monomachiæ an unum ſit genus 1. & ſequentia
monomachiæ diſputatio non pertinet ad iureconſultos 49
monomachiæ diſputationem ad Ethicum philoſophum pertinere 33. & ſequentia
monomachiæ etymon 20. & 21
monomachiæ inepta definitio 52
monomachiæ iudices, Deus & ueritas 136. & 47
monomachiæ leges quomodo certæ & incertæ 38
monomachiæ unicus finis honor cauſa honeſti 12
monomachiæ nõ ſunt plures fines neque genera 11. & 17
ad monomachiam ineptus, æquo animo iniuriam ferens, honore dignus eſt 98. & 99
ad Monomachiam circunſtantiæ externæ conferunt 30
monomachiam quamuis nouum inuentum eſſe permittendam 32
monomachiã euertentia argumenta confutatur 135
in Monomachia cur iniuſti ut plurimum ſuccumbant 47
in Monomachia cur interdũ iuſtos occumbat 48
in Monomachia non idem ſemper eſt prouocator & actor 136
in Monomachia prouocatio fit ad iudicium Dei 129
in Monomachia reo datur armorũ electio, actori autem locus 136
in Monomachia Deus iuſto auxiliatur 47.
in Monomachia requiritur æqualitas 90
in Monomachia ſemel uictus, poteſt iterum prouocare, alia tamen de cauſa 113
monomachiæ honeſti cauſa ſuſcipi debent 4. & 5
monomachiæ legitimæ 12
monomachiæ non alium habent finem quàm honeſtum. 14
mores dictus an per ſe fidem faciãt 281. & 283
mores dupliciter ſumuntur, & qui ſint à cœlo 421
mors quomodo finis ſit 543. & 678
mortui ad uitam reuocari naturaliter nequeunt 510. & ſequentia
mortui quomodo cognoſcãt uel nõ cognoſcant 79
mortuis an aliquid accidat bonum uel malum 678. & 679
motus ad rei naturalis eſſẽtiam nil confert 524
motus non ad ſolum philoſophum naturalem pertinet 515
de Motu liber, pertinet ad Metaphyſicum 322
μελαγχολία quid 188
Mulierem lædere nec uirile nec honeſtum 93
mundus etſi non ſit factus, ita tamẽ ſe habet ac ſi factus eſſet 479
mundi æternitas non eſt problema neutrum 662
muſica quomodo dicatur ars ab Ariſtotele 184

N

Natura ad Metaphyſicum pertinet 316
natura & cœlũ quomodo à prima cauſa pendeant 422
natura quæ nam ſit, quæ nobis dat aptitudinem ad uirtutes 178
natura quomodo nil prius nec poſterius facere dicatur niſi uſu exigente 569 (479
natura uniuerſalis mundi opifex
naturæ conſideratio duplex 263
naturæ plus debemus quàm patriæ aut patri 5
inter Naturale et præter naturam non datur medium 584
naturales res per motũ definiri nequeunt 524
Neglectus idem eſt quod ὀλιγωρία 70
neglectus actiuus & paſſiuus 71.
Eſt præterea tertium genus ibid.
negligere uidetur eſſe iniuria afficere 71
negligi idem eſt quod iniuria affici 72
Nomen idem diuerſa in diuerſis locis ſignificare poteſt 146

O

Obliuione negans depoſitum, non eſt iniuſtus 65
Officij prætermiſſio ab honore excidit 83
ὀλιγωρία quid 67. eiusq́; ſpecies ibid.
ὀλιγωρία omnis eſt iniuria 72
Opinari et eligere differũt 458
opinio et perſuaſio idem ſunt 254
opinionis certitudo 162
opiniones eædem an iterentur 521. et ſequentia
opiniones uulgatæ non uerè, ſed probabiliter tãtum demonſtrant 432. et ſequentia
Oracula an à cœlo 488. et 489
oracula improbantur 517
oratio enunciatiua etiam ad Rhetoricam pertinet 286
oratio imperatiua et optatiua ad Hiſtrionicã pertinent 285. et 286
oratio in genere Logicæ eſt materia ſubiecta 288
orationis diuiſio 274
orationes omnes ab una eademq́; arte an cõſiderantur 275. et ſequent.
orationes omnes in genere ad Metaphyſicum pertinent 275
orationes in ſpecie ſuis proprijs explicantur artibus 276
Oſtentorum uanitas 518

P

Parentes quomodo et quando eoſdẽ honores cum dijs mereãtur 7
par pari quomodo reddẽdũ ſit 116
par pari reddere cõſeruat ciuitates 117.

par pari reddendum, quando honeſte poteſt 100
paſsiones naturales & non naturales quæ 53
pater quauis de cauſa filium abdicare poteſt 7
pater quando interfici & non interfici poßit 7
patris authoritas erga filium 7
pati dupliciter 235.223
Pauli tertij pontificis ſtudium ulciſcendi 124
pax inter eos qui de iniuria diſceptant, quomodo & quibus conditionibus componi debeat. 75
Peccata omnia ab ignorātibus non per ignorationē cōmittuntur 93
peccata quænā ſint uenia digna 75
peccata quomodo ſint uoluntaria 462.& 463
perſectum ab imperfectiori perfici poteſt 542
perſuaſio & opinio idem ſunt 154
perſuaſionum tria genera 278. & 279
Phantaſia cur animæ rationali ſit coniuncta 567
phantaſia dicitur intellectus paßibilis 266.et 267
phantaſia duplex 433
phantaſia hominem à ſpecie brutorum differri facit 567.et 569
phantaſia interdum uocatur intellectus 564
pharmaca electiuè trahentia humores quomodo agant 412
Pharmacorum uirtus non ſequitur temperamentum hominis 515
Philoponi interpretatio reprehenditur 266
philoſophia cum theologia non eſt commiſcenda 261.& ſequentia
philoſophia non eſt reijcienda 264
philoſophia ſcientia eſt generalis omnia complectens 272
philoſophia triplex 273
philoſophia practica ex contemplatiua oritur 140
philoſophia prima. uide Metaphy(ſica
philoſophiæ diuiſio 140
philoſophiæ tot partes quot ſubſtantiæ 363
philoſophiæ theoricæ ſubiectū 288
philoſophia naturalis duplex 365
philoſophia naturalis à cœlo incipit 289
philoſophia naturalis cur dicatur phyſica 356
philoſophia naturalis ex fine eſt cōtemplatiua 436.& ſequentia
philoſophia naturalis quid conſideret, autoritate Ariſt. 306
philoſophia naturalis ſubſtantias abſtractas non cōtemplatur 306. & ſequentia 313
philoſophiæ naturalis ſubiectū cur ſemper per motum Ariſt. deſcripſerit 343
philoſophiæ naturalis ſubiectū per motum deſcribitur 373
philoſophus naturalis de intellectu agente agit 592
philoſophus naturalis etiam ſimpliciter abſtracta à materia et animam intellectiuam conſiderat 325.& ſequentia
philoſophus naturalis quid & quatenus conſideret 345
philoſophi experientiæ non debēt repugnare 527
philoſophi opera dei uia ordinaria facta conſiderant 263
phyſicæ & metaphyſicæ conſiderationes quæ 294
phyſicus ſupponit ipſum ſi eſt, quid eſt inquirit 213
phyſicorum liber eſt pars metaphyſicæ 291.& 345. contrariæ rationes tolluntur 346
phyſicorum librum non eſſe partē Metaphyſices 301.& 302. confutatio argumentorū in ſequentia
phyſicorum librorum Ariſt. ſubiectum 289.290.& ſequent.
phyſicorum libros nō eſſe partem naturalis phyloſophiæ 302 et ſeq.
phyſicorum proœmium excuſatur 347.& 348.
phyſionomia aſtruitur 386.et 388. & 531.
Piſces prænoſcunt tempeſtates 512
Platonis reminiſcētia impugnatur 219. & ſequentia (79
Pœna duplex, animi & corporis
pœnæ & uindictæ differentia 45. 79. 115
pœna maxima eſt, fateri ore ſuos errores 79
Poëtæ deorū ſunt interpretes 500
poētarū furor unde 499.& ſeq.
politica quæ 357
politica quas facultates cōprehendat 164.& 165
polities quomodo ſit honoratißima, non etiam uilißima 165
politica utitur artibus mechanicis 163 (legalis 165
politicæ cur non ſubiecta dicatur
politicæ fines diuerſi 13
politicæ principia duobus modis conſiderantur 201
politicæ principia experiētia ne an aſſuefactione habeantur 201
politicorum librorū inſcriptio 357
Pomponatius autoris noſtri præceptor 618
Pomponatij crudelitas 499
Pomponatij de prodigijs & miraculis opinio 494
Petri Pōponatij opinio de mortalitate animæ impugnatur 618. & ſequentia (496
Pōponatij ſuppoſitiones euertūtur
Pomponatij liber de incantationibus cōfutatur 495. & ſequentia
pontifices ulciſci poſſe 124
potentia ordinata & abſoluta 263. & 264
poteſtas duplex 459
poteſtas rationalis animæ 459
poteſtati alterius cur ſe quis totum committat 89
poteſtati alterius ſe totū cōmittēs, plurimum eius uirtuti fidit 88
poteſtati alterius ſe totū committere, inhoneſtum eſt 88
poteſtati cuius ſe totum quis dedit, ei non licet illum lædere 89
Prauitas ſitne intellectus an electionis 463
principem non licet interficere 138
principij ſyllogiſtici diuiſio 213
principia cognoſcēdi et eſſendi 216
principia cognoſcendi nō poſſunt demonſtrari, ſed confirmari poſſunt 216
principia cognitionum à ſenſu oriuntur, uario tamen modo 368
principia duobus modis cōſiderantur 201
principia intellectus practici 565
principia metaphyſica à ſolo metaphyſico conſiderantur 304
principia metaphyſica notiora ſunt mathematicis 219
contra principia negantes quomodo & quando artifex diſputare queat 359
principia prima dicuntur extrema termini primi 363
principia propria difficillima ſunt intellectu 161.162
principia, quæ ab artib. quærūtur, quæ nam ſint 213
principiorum cōmunium uſus 162
probabile & perſuaſib. idē ſunt 153
problemata adminiculantia 155.158

problemata adminiculantia quomodo ſint utilia 260
problemata logica quæ 155
problemata neutra poſſunt quoq; demonſtrationes habere 663
problematum differentiæ 155
prodigia ab intelligentijs fieri Pomponatius aſſerit 495
prodigia & oſtenta concedit Ariſtoteles 489
prodigiorum quedã exempla. 489 confutatio 491. & ſequentia
prodigiorum uanitas ex Ariſtotele tollitur 491 (118
prouocatio inter pares eſſe debet
prudentia dupliciter ſumitur 27
prudentia non eſt ſcientia 563
prudẽtia quomodo dicatur eſſe ſingularium & uniuerſalium 559. 560 (560
prudentia quomodo ſit recta ratio
prudentes unde fiant 626
puer cur ethices auditor eſſe nequeat 199
puer quomodo expers dicatur actionum 199
pueri cur mathematici fieri poßint non autem phyſici 202. nec metaphyſici 219
pugna omnis, tã uniuerſalis quàm ſingularis mala eſt 16
pugnæ uniuerſalis & ſingularis fines & conditiones 14. & 29
pugnare ne contemnatur, eſt pugnare propter honorem 12
pugnare pro patria, pro amicis eſt honeſtum 9. & 10
ex putredine orta, an diuerſam ſpeciem generent 333. & ſequentia
Pyrrhus iratus Priamum interficere decorè à Vergilio introducitur 98

Q

Quæſtio quælibet, ad quam facultatem pertineat, ante omnia inquirendum eſt 33
qualitates, frigida, ſicca & humida per ſe, an per accidens ſint in uniuerſo 406
qualitates quatuor quomodo à cœlo fiant 420
qualitates quatuor ſequuntur cœli alterationes 419
qualitates quomodo à cœlo producantur 406
qualitatum elementorum proportio ad inferiora iſta generetio, natura et eſſẽtia, an per ſe an per accidẽs ſint in uniuerſo 410. et ſeq.
quantitas à metaphyſico cõſideratur 366
quantitas quomodo ad metaphyſicum pertineat 273
quid eſt cur per primam tantum figuram poßimus indagare 231
quid eſt, dupliciter ſumitur ab Ariſtole 216
quid eſt & ſi eſt, declarare, eiuſdem ne ſit facultatis 213
quid eſt quomodo per ſenſum haberi poßit aut nequeat 212

R

Ratio dupliciter 441
cum ratione eſſe, & in ratione perſiſtere differunt 192
reconſiliatio inter eos quorum alter alterum ui maiore uel occulta læſerit, & quibus uerbis fieri poſſit 100
reconſiliatione hominum quid ſpectandum 81
in Recõſiliatione uerba libera eſſe debent 91
in Recõciliationib. alia uerba ueris alia non ueris iniurijs conueniũt 88
in reconciliationibus honoris maior ratio doloris, uel damni habenda eſt 87
regum officium 82
reipublicæ tranquillitas ab omnib. procuranda 99
religionis etiam falſæ utilitas 486
repaſtio pythagorica improbatur 116
res corruptibiles & incorruptib. non ſunt unius ſcientiæ 563
res una & eadem poßit ne in diuerſis eſſe ſcientijs 351
rhetor an & quando poßit mouere affectus 281
rhetorica an ad logicam pertineat 277. & ſequentia
rhetorica cur ars ab Ariſtotele dicatur 149
rhetorica & dialectica facultates ſunt inueniendi communia probabilia 149
rhetorica & dialectica nec artes ſunt nec ſcientiæ 152
rhetorica & dialectica non habent fines diuerſos 154
rhetorica non eſt alteri ſcientiæ ſubalternata 164
rhetorica non eſt contraria dialecticæ 146
rhetorica quomodo pars eſſe dicatur dialecticæ 143
rhetorica quomodo ſit honoratiſſima 151
rhetorica ſciẽtia dicitur impropriè ab Ariſtotele 152
rhetorica ſubijcitur politicæ 37
rhetorica uarias res continet, & ideo ars eſt artificioſißima 98
rhetoricæ & dialecticæ affinitas 37. & 142
rhetoricæ & dialecticæ differentia ſumitur ratione politicæ, cui rhethorica eſt adiuncta 158
rhetoricæ & dialecticæ eãdem eſſe materiam ſubiectam 153
rhetoricæ finis eſt opinio 154
rhetoricæ ordo & methodus, ſine ars 151
rhetoricam & dialecticam habitus eſſe intellectus, differentes tamen ab arte, à ſcientia, & à prudentia 155
robuſtus robuſtum prouocare poteſt 118

S

Sapientia ſumitur pro prudentia 626
ſapientes unde fiant 615. & ſeq.
ſcientia dupliciter 365
ſcientia diuiditur in generalem & particularem 269. & ſequentia
ſcientia alia eſt intellectiua. alia particeps intellectus 217
ſcientia generalis dicenda eſt philoſophia 272
ſcientiæ & artes unde ſumant ipſum quid eſt 205. & ſequentia
ſcientiæ omnes ex ſenſu ortum habent 140. & 166. & ſequentia authoritatibus Ariſtotelis
ſcientiæ omnes, præter mathematicas cur ab Ariſtotele dicantur logicæ 163
ſcientiæ omnes ſua principia quærunt, duplicici tamen ratione 216
ſcientiæ quomodo ipſum quid eſt accipiant, & ex hoc demonſtrãt per ſe accidentia ſui generis 216
ſcientiæ ſex modis diuidi poſſunt 565
ſcientiæ ſingulæ quid contemplentur 268. & ſequentia
ſcientiæ ſuis quæque limitibus continentur 142
ſcientiæ uel mathematicæ id eſt demonſtratiuæ, uel logicæ id eſt probabiles 163
ſcientiam cur Ariſtot. in tres partes diuiſerit 272
ſemen utrũ contineat animam 596

&

& ſequentia (uſurpat 415
ſemper pro ut plurimum, Ariſtot.
ſenſus ab intellectu ſeparatur 621
ſenſus communis 433
ſenſus & intellectus reipſa differũt 630
ſenſus quomodo à corpore pẽleat ſubiectiuè an obiectiuè 632
ſenſus quomodo non patiatur 608
ſenſus retinet ſpecies, et ſic aliquandiu poteſt abſque obiecto ſentire 636
ſenſus & intellectus impaßibilitas differunt 234
ſenſus uniuerſalis eſt 556
ſentire & intelligere differunt 233
Seruus percutiens aliquem iuſſu domini, quamuis iniuſtè agat, non tamen iniuria afficit 65
Sibyllæ an diuino afflatu ſint uaticinatæ 488
Simonis Portij argumenta improbantur de intellectu 541
Simonis Portij argumenta contra mentis immortalitatem refellantur 578
ſingularia à quanã parte hominis apprehendantur 563
Sol dum intendit calefacere, quomodo reliquas qualitates producat 408
Sol quomodo calefaciat 374. et ſequentia
ſol quomodo cauſa ſit generationis 374. & ſequentia
ſolis intelligentia nõ mouetur 380
per Solis motum Ariſtoteles intelligit lumen 378
ſomnia an à cœlo ueniant 487
ſomnia non mitti à Deo 481
ſpontaneum quid 56
ſpontaneum interdum eſt abſq; electione 56
Subalternari, et alteram ſub altera eſſe differunt 164
ſubſtantia quomodo ab accidenti ſeparetur 170
ſubſtantia quomodo habeat cauſas 299
ſubſtantiæ diuiſio defenditur 360
ſubſtantiæ diuiſio in corruptibilem aſtruitur 361
ſubſtantiæ in phyſicis & in metaphyſicis ab Ariſtot. conſideratæ eædem 29. & 293
ſubſtantiæ tres 363
ſubſtantiarum abſtractarum conſideratio ad metaphyſicum pertinet 311
ſupplicẽ interficere inhumanũ 94
Syllogiſmus et enthymema ex iiſdẽ fiunt 154
ſyllogiſmi dialectici & rhetorici quomodo fiant ex cõmunib. 659

T

Temperantia & continentia quomodo circa idẽ uerſantur, et differant 192. & 193
tempus ad metaphyſicũ et philoſophum naturalem pertinet 351
termini primi 363
terram grauem eſſe quomodo probet Ariſt. 674
themiſtius locum Ariſt. de definitione, quomodo principium ſyllogiſmi euadat, interpretari non potuit 211
theologia cum philoſophia commiſceri non debet 261. & ſeq.
theologo lectio Ariſtotelis neceſſaria eſt 96
theologi ſummã Dei poteſtatẽ & non ordinariã conſideratur 263
D. Thomas reprehenditur 109
quem timemus, illum nõ afficimus iniuria 109
timor maior eſt in eo qui procul à periculo conſtitutus timet, quàm qui prope 86
tolerare ea que non lædunt honorem, eſt magnanimi ea quæ lædunt, ſeruilis 114
topici libri ſunt logici 360
Turnus Drancẽ apud Vergilium non ulciſcitur, ut imparem 92
turpia in duplice ſunt genere 57
tyrannũ occidere perſe eſt malum 110
tyranni imperio coacti parẽtes, an digni ſint uituperio, aut uenia 56

V

Varrus et Tucca Vergilij emendatores 93
uaticinia improbantur 517
ueneficia concedit Ariſt. 489
uerba cuilibet iniuriæ ſatisfacere poſſunt 85
uerba illa, cum aliquis eſt in alterius poteſtate, minus ualent quàm cum eſt liber, ad ſatisfaciendum iniuriæ 91
uerba in recõciliationibus diligenter ſunt perpendenda 87
uerba quæ magis ſatis faciant iniuriæ 91
uerba ſatisfacere poſſunt uerberibus uulneribus ac cædibus 82
uerbera ut uerbera non ſemper iniuria afficiunt 82
uerbera contumeliæ ſunt 102
Vergilius Aeneæ ſuo multa præter decorum tribuit 19
Vergilius cum Pyrrhũ iratum introducit Priamum interficere, non peccat 98
Vergilius decore Turnum introducit quamuis Dranci infeſtum pœnas tamen ab illo, utpote imbelli ſumere nolentem 93
Vergilius in Aeneæ perſona 2. Aeneid. decorum nõ obſeruat, cum introducit Aeneam cogitantem interficere Helenam: eoq; in loco ſibiipſi contraria dicit 93
uergilij error. Aeneid. 12. indecore pium ſuum Aeneã introducit doloris et iræ impotẽtia Turnonitam adimere 19. & 78. & 94
Vergilij errores quomodo excuſari poßint 98
Vergilij locus, Dolus an uirtus quis in hoſte requiratur explicatur 100
ueritas ex duello probatur ſæpe 112
ueritatis inueſtigandæ uarij modi 261
ueritatis uis 47
uictoria de minori, non meretur laudem 93
uictoria uera 85
Venetæ reipublicæ laus 119
uindicta aperta eſſe debetur non occulta 79
uindicta de mortuis aut mortuorũ propinquis nulla poteſt ſumi 79
uindicta duplex, alia in animo, alia in corpore 79. & 86
uindicta eſt iniuria affecti, non magiſtratus 117
uindicta eſt remittenda 690
uindicta iuſta eſt 117
uindicta maxima ſumitur de eo qui fatetur ſe iniuſtè feciſſe, quamuis nulla pœna affligatur 79
uindicta naturaliter interdum remittenda eſt 77
uindicta non niſi læſione aut iniuria intercedente admittitur 78
uindicta per inſidias fieri non debet 100
uindicta uera 85
uindicta uera à uirtute proficitur non à magiſtratu 120
uindicta uera ea eſt que naturaliter appetitur 120
uindicta uirtute propria ſumenda 117

per

per Vindictam ille qui Leſus eſt id quid ſibi ablatũ fuit recuperat 75
uindictam non appetens, ſtultus eſt 118
uindictam ſumere licet 689. et ſeq.
uindictam ut quis ab alio ſumat, opus eſt ut ab illo cognoſcatur 79
in Vindicta quomodo par pari redatur 86
uiolentum quid 55
uiolentum præter uoluntatem et rationem patientis accidit 55
uiri fortiores fœminis, ut poßint ulciſci 118
uirtus & uitium præcedũt leges 35
uirtus ex quibus habitibus fiat propriè 195
uirtus habitus eſt ſecundum rectam rationem id eſt prudentiam 561
uirtus heroica quæ 197
uirtus moralis cur non dicatur intellectiua 200
uirtus moralis experientia & longo tempore cur indigeat 199
uirtus naturalis 627
uirtus omnis perficit 683
uirtus ex aſſuetudine quomodo habeatur 177
uirtus quomodo ex doctrina habeatur 176
uirtutis diuiſio uera defenditur 185
uirtutis nullus alius finis quàm honeſtum 3. & 4
uirtutis perfectam cognitionẽ quis aſſequi poteſt, neque tamen non habere uirtutem 176
uirtus perfectio melius ab anima immortali quàm mortali cognoſcitur 661
uirtute præditus non rectè dicitur, qui eas tantum cognoſcit 174
uirtutes aliæ cur experientia, aliæ aſſuetudine fieri dicantur 200
uirtutes dupliciter dicũtur, & quænam ſint à cœlo 421
uirtutes et uitia in noſtra noſtra nõ eſſe poteſtate, quomodo aſtruatur 450
uirtutes intellectiuæ nõ omnes fiũt aſſuetudine 180
uirtutes morales non inſunt nobis natura 225
uirtutes morales quomodo in nobis fiant 173. & ſequentia
uirtutes morales ſemper iunctã habent prudentiam 27
Virtutes non acquirũtur ex doctrina, ſed illarum cognitio 179
uirtutes principes & non principes 196
uirtutes eſſe in noſtra poteſtate 424
uirtutum moralium & intellectualium differentiæ 180
ad Virtutes acquirendas aptitudo duplex 177
uita perfecta quæ apud Ariſtotelem 684. & ſequentia
uitæ periodus ſingulis à natura datus 415
uitia eſſe in noſtra poteſtate 429. et ſequentia
uitiorum cauſſa eſt dolor & uoluptas 627
Vlciſci quid 115
ulciſci licet per ſe, non per magiſtratum 116
ulciſci magis humanum eſt quàm placari 118
Vlyſſes ut de Cyclope ueram ultionem ſumeret, poſtquam effugiſſet, rediјt, & ei indicauit, ſe eſſe illum οὖτιν, qui ei oculũ eruiſſet 79
uniuerſale & ſingulare ab homine diuerſis principijs percipitur 557
uniuerſale fit à ſingularibus 556
uniuerſalia formæ dicuntur 558
uoluntas ad irrationalem animam pertinet 442
uoluntas bifariam ſumitur 425
uoluntas quid 419
uoluntas noſtra nõ eſt libera 444. & ſequentia
uoluntas uult ea quæ fieri poſſunt, non tamen libera eſt 458
uoluntatem cur Ariſt. non dixerit eſſe communem intellectui & appetitui 440
uoluntarium omne eſt abſque ui 24
uoluptas & dolor cauſæ ſunt prauitatis 627
Vulneratus à pari & æquali in omnibus amittit honorem 91

Z

Zimarra reprehenditur 322

FINIS.

ANTONII BERNARDI MIRANDVLANI EPISCOPI CASERTANI, EVERSIONIS SINGVLARIS CERTAMINIS LIBER PRIMVS.

SECTIO PRIMA.

PROPOSITVM NOBIS EST, SINGVLARE certamen, quantum quidem poterimus, fundamentis ſanctiſsimæ religionis noſtræ innitentes, euertere, ac penitus ex animis hominum extirpare, (utpote quod ab homine qui Chriſti ſeruatoris noſtri religionem & pietatem profitetur, abhorreat.) Sed quià editus eſt liber quidam, inſcriptus Contra uſum duelli, in quo multa etiam diſputantur contra libros noſtros De honore, ubi agitur de ſingulari certamine; qui libri ſub nomine Ioannis Baptiſtæ Poſſeuini falſò in lucem prodierunt: etſi nõ lateat nos illud Ariſtotelis, τὸ γὰρ τοῦ τυχόντος ἐναντία ταῖς δόξαις ἀποφηναμένου φροντίζειν εὔηθές ἐστιν: tamen faciendum nobis primùm uidetur, ut ea refellere conemur, quæ contra libros noſtros De honore ſcripta ſunt: ut, qui tantũmodò uerborum faciem intuentes, interius autem non expendentes reconditam rerum ueritatem, putauerunt eius libri quem diximus, auctorem, Ariſtotelis ſententiam, ueritatemq́ ipſam omnino aſſequutum eſſe, facilè intelligant, non ſolùm noſtra quæ is refellit Peripateticorum doctrinæ prorſus conſentire, ſed etiam tantum abeſſe ut ille (qui quidem magnum ſe adiumentum ſuo hoc libro generi humano attuliſſe putauit) ex doctrina Ariſtotelis, & ex philoſophia morali ſingulare certamẽ euerterit, ut id etiam ex ipſiuſmet uerbis dari ac permitti in omnibus ferè cauſis perſpicuè appareat. Atq; ita planè intelligetur, fieri non poſſe ut ſingulare certamen euertatur, niſi ex fundamentis ſanctiſsimæ religionis noſtræ. Quæ quidem res potiſſimùm nos impulit, ut ad hæc ſcribenda aggrederemur. Hoc igitur (niſi fallimur) cum ita futurum ſit contra id quod ſibi iſte propoſuerat, magis probandũ mihi quidem uidetur eius conſilium, uoluntasq́, quàm eo ipſe laudandus, quòd quæ uellet præſtiterit.

Sed primùm loquamur generaliter, ponentes id quod ipſe fatetur totius ſuæ cauſæ fundamẽtum eſſe, uidelicet ipſius ſingularis certaminis plura eſſe genera. Verùm antequam ueniamus ad ipſius uerba, uideamus quàm facilè hoc eius fundamentum peruertamus: accipientes ex eis quæ ipſe conceſsit & dixit, arma, quibus eius impetus aduerſus noſtrum librum labefactetur atq; frangatur. Sed quia nos, qui de opinione Ariſtotelis diſſerimus, huius controuerſiæ iudicem Ariſtotelem conſtituimus: afferemus in omnibus uerba ipſius Ariſtotelis, ponentes ea ante oculos, ut homines qui non certis quibuſdam, deſtinatisq́ ſententijs addicti conſecratiq́ ſunt, ſed ueritatem amplecti deſiderant, facilè intelligant quàm iniuſtè, quàm etiam contra hominum utilitatem, iſte in me quaſi grauiſsimum aliquod facinus admiſiſſem, inuaſerit. Sed iam ad rem ueniamus.

Omnia ſingularia certamina, quæ ex fundamentis naturæ, non ex ſancta noſtra religione permitti poſſunt, ſunt unius generis, uel ſpeciei (ut iſte loquitur:) ergo fundamentum eius à ueritate abhorret, quòd ſcilicet ſint plura genera: & quòd ob hanc cauſam unum genus fuerit permiſſum, & aliud nõ permiſſum. Ex quo poſtmodum emanat, me in libro De honore non eſſe lapſum, quia ignorauerim nomen & notionem, uimq́ & originem ſingularis certaminis, cum dixerim eius nomen apud Græcos fuiſſe Monomachiam, apud Romanos Singulare certamen: quia non fuerunt generalia nomina (ut ipſe dicit) ſed ſolùm nomina unius ſpeciei uel generis.

Conſequentia perſpicua eſt: id uerò quod antecedit, probemus in hunc modum. Illa certamina quorum eſt idem finis, eſſe etiam eiuſdem generis uel ſpeciei neceſſe eſt. hoc enim loco pro eodem ſumuntur genus & ſpecies.

Propoſitio iſta conceſſa eſt ab ipſo, etenim à diſtinctione finium ſumpſit diſtin-

ctionem illorum certaminum: ut ex fine, qui erat honor, concluſit unum genus cer-
a De anima. taminis. Sed probemus ipſam ex Ariſtotele. etenim ipſe inquit: Quoniam autem à
text. 49. fine appellari omnia iuſtum eſt. Item inquit: Determinatur enim & definitur u-
3. Ethic. 7 numquodque fine. Siquidem & ſuperabundantia ut nominetur ad finem, & excellen
tia uirtutum oportet. Si ergo unumquodque determinatur & definitur fine: ſingu-
laria ergo certamina determinabuntur & definientur fine. Ergo ſi finis erit unus,
una erit ſpecies ſingularis certaminis: ſi plures, ergo plures ſpecies.

De cœlo & mundo, tex. 106. 1. Oeconom. c. 5. Item Ariſtoteles hæc ſcripta reliquit: Cuius enim cauſa unumquodque eſt, & factũ eſt, ipſum eſt illius ſubſtãtia. Quæ ergo certamina habent eundẽ finẽ, ut ſint etiam eiuſdem ſpeciei neceſſe eſt: etenim ſunt eiuſdẽ ſubſtantiæ & formæ, neceſſeque eſt ut materia tantùm differant. Sed omnia illa ſingularia certamina quæ ipſe conceſſit ex fundamentis naturæ, & illud etiam genus quod nos conceſsimus in libris De honore, ſunt certamina ſingularia, quorum eſt idem finis: ut igitur ſint eiuſdem generis uel ſpeciei, neceſſe eſt.

Minor probatur ſic: Illa quorum honeſtum eſt finis, ſunt eiuſdem finis. Propoſitio iſta perſpicua eſt. Sed omnium illorum quæ ipſe conceſsit (ut pugnare pro patria, pro coniuge, pro regnis) honeſtum eſt finis: ergo habent eundem finem. Sed oſtendamus poſterioris huius ſyllogiſmi minorem. Si enim honeſtum non eſſet eorum finis, non eſſent concedenda à Republica bene inſtituta: quandoquidem Reſpublica bene inſtituta nunquã concedit inhoneſta, alioquin nõ eſſet bene inſtituta.

1. Rhet. 9. Item inquit Ariſtoteles: Et ſimpliciter bona ſunt honeſta, & quæcunque pro patria facit, perdens ſua. Qui ergo facit pro patria, facit propter honeſtatem. Item, Viri fortis finis eſt honeſtum. Qui pugnant pro patria, pro coniugibus, pro filijs, pro regno, ſunt uiri fortes: ergo eorum qui pugnant pro patria, pro coniugibus, pro filijs, pro regnis, eſt finis honeſtum.

3. Ethic. 10. Maior etſi perſpicua ex ſe eſt, declaratur tamen ab Ariſtotele his uerbis, quæ ſuprà etiam citauimus ad aliud probandum: Finis enim, inquit, omnis actionis eſt ſecundum habitum: & uiro forti fortitudo eſt honeſta, & talis eſt finis: determinatur & definitur unumquodque fine. Honeſti enim gratia fortis ſuſtinet & agit ea, quę ſunt ſecundum fortitudinem. Ergo uiri fortis eſt finis honeſtum.

Deinde paulo pòſt inquit: Oportet autem non propter neceſsitatem fortem eſſe, ſed quia honeſtum eſt.

Item paulo pòſt inquit: Fortes enim agunt propter honeſtũ, ira aũt adiuuat ipſos.

1. Rhet. 9. Item inquit: Quæcunque ſunt opera fortitudinis, ſunt honeſta & iuſta: & opera iuſtè facta, ſupple ſunt honeſta.

SECTIO SECVNDA.

Confirmatur ratione: Si finis uiri fortis non eſſet honeſtum, qui pugnarent ut fugerent pœnas conſtitutas à legibus, & qui pugnarent ut fugerent opprobria & conſequerentur honores, & qui pugnarent coacti, & qui experientia confiſi, & qui per iram, & qui pugnarent per confidentiam, & qui per ignorationem: qui inquam pugnarent per ea quæ dicta ſunt, eſſent uerè fortes. Conſequens eſt falſum, ergo antecedens. Conſequentia enim perſpicua eſt: quandoquidẽ Ariſtoteles probauit ipſos non eſſe uerè fortes, quia eorum finis non erat honeſtum. neceſsitas igitur cogit, ut eorum finis ſit honeſtum, alioquin nihil diceret Ariſtoteles. Etenim ſi fieri poſſet, ut alius ipſorum eſſet finis quàm honeſtum, poſſent etiam eſſe uerè fortes. quod cum à ſententia Ariſtotelis, & ab ipſa ueritate abhorreat, quin id etiam unde fluxit, falſum ſit, negari non poteſt.

Minor uerò etſi ui ſua ſatis eſt clara, oſtẽdi tamen poteſt maioris declarationis cauſa: quia qui pugnant pro patria, &c. ſi non ſunt fortes, ergo neceſſe eſt ut ſint audaces, uel timidi. Si hoc, ergo nihil ipſis eſt concedendum. eſſent enim uitijs prædití.

1. Rhet. 9. Item. Nulla laus eſt ipſis tribuenda: etenim laus propriè eſt uirtutum. neque honor:
4. Ethic. 9. honor enim (ut declaratũ eſt in libro De honore) eſt ſignũ beneficentiæ per electionẽ propter honeſtũ: & eſt præmium uirtutis, & rerũ honeſtarũ, ut infrà etiã dicetur.
3. Ethic. 9. Item, Honor eſt à uirtute, quia eſt propter appetitum honeſti. Item, Victoria
1. Rhet. 9. (inquit Ariſtoteles) & honor ſunt honeſtorũ: demõſtrant enim excellẽtiam uirtutis.

Præterea

Præterea dixit, prauos non eſſe dignos honore, ſed tantum bonos. Si ergo non 4. Ethic. 9.
eſſent fortes, eſſent praui, & nullo eſſent honore digni, & nihil ipſis eſſet conceden-
dum. Sed ipſe conceſsit, eſſe laude & honore dignos: ut igitur ſint uiri fortes (quæ e-
rat minor propoſitio) neceſſe eſt. Ex quo poſtmodum ſequitur concluſio, ut eorum
qui pro patria pugnant, & pro alijs rebus quas dixit iſte homo, finis ſit honeſtum.
Ex quo præterea emanat, ut propter honorem certent. honeſta enim ſunt honorabi
lia: & reciprocantur inter ſe, ut qui pugnant propter honeſtum, pugnent propter
honorem uerum: & qui pugnant propter honorem uerum, pugnent propter hone-
ſtum. Honor enim eſt honeſtorum præmium.

Ex quo poſtea ſequitur, illa certamina quæ ſunt propter cauſam publicam, & quę
ſunt propter honorem, pro innocentia, pro ueritate, eſſe unius generis uel ſpeciei:
quandoquidem omnia ſunt propter honeſtum. Vnde liquet, uniuerſum huius uiri
librum, in quo profitetur eas ſe rationes inueniſſe quæ omnino ſingulare certamen
euerterent, labefactatum atq; conuulſum iacere. Sublatis enim fundamentis, domũ
ſublatum eſſe, nemini eſt dubium.

SECTIO TERTIA.

QVòd ſi dicat, Quæ fiunt pro cauſa publica, ea homines facere non propter ho
neſtum, ſed propter pœnas, uel ut fugiant opprobria, uel ut ſibi impertiantur
honores, & ponantur ſtatuæ: non propter honorem, quatenus honor eſt honeſtus,
ſed propter illam neſcio quam ſpeciem ac faciem honoris: & quòd fiant propter glo
riam, uel propter regna, ac propter coniuges, non quatenus honeſta ſunt, ſed quate
nus ſunt utilia & iucunda: atq; huiuſmodi eſſe conceſſa & permiſſa: Si inquam ita di-
cat, in dubium uenire non poteſt quin ſtatim efficiatur, eos qui ea conceſſerunt, per-
peram conceſsiſſe. quippe qui conceſſerunt inhoneſta, quæ uiris probis per ipſum
etiam non ſunt concedenda. quòd ſi concedenda ſint, magis erunt concedenda quę
ſunt propter honorem, quatenus honor eſt honeſtorum: honeſta enim inhoneſtis,
& utilia inutilibus & iucundis ſunt præſtantiora. nam de inhoneſtis & alijs non eſt
dubium. Neceſſaria enim & utilia ſunt gratia honeſtorum, & de quo minus uidetur 1. Polit.
ineſſe, & ineſt. ergo, de quo magis. Homo igitur iſte putat ea eſſe permittenda, quæ
non ſunt propter honeſtum: & quæ ſunt propter honeſtum, non eſſe permittenda:
quo quidem nihil uidetur abſurdius dici poſſe.

Præterea ſi non ſunt propter honeſtum, ergo non erunt legitima: quod enim eſt 5. Ethic. 1.
legitimum, eſt iuſtum: quod iuſtum, eſt honeſtum. Sed ex eis quæ dicit ipſe, ſunt 1. Rhet. 9.
legitima: ergo neceſſe eſt ut ſint honeſta. Sed dixerit non eſſe honeſta, ergo ſuam ip-
ſe ſententiam cõuellit: & ſi ſunt honeſta, ergo nõ ſunt plura genera ſingularis certami
nis. Quocunq; igitur ſe uerterit homo iſte, ut eius fundamentũ corruat neceſſe eſt.

Præterea faciamus, pugnare pro patria non eſſe pugnare pro honore ſuo, & pro
innocentia ſua, ut ipſe apertè fatetur, & ſequitur ex eius dictis. quod etſi perſpicuè
falſum eſt: oſtendamus tamẽ, ſi eſt permittenda pugna pro patria, eſſe magis permit
tendam propter honorem, in quibuſdam cauſis: non ut collocentur nobis ſtatuæ, &
tribuãtur aliæ partes honoris, ſed quatenus honor eſt honeſtorũ. etenim huc ſpecta
ui ego, in libro De honore, cũ pugnã conceſsi pro honore. & argumentandũ eſt ſic.

Pro illis rebus unde efficitur ut homines euertiſſe omnes uirtutes, omnia iuſta hu
mana & diuina, omnia honeſta uideantur, uſque adeò ut appareat nihil eos à bel-
luis differre, eſſeq; prorſus rationis expertes, debet homo magis pugnare ſingulari
certamine, quàm pro illis quæ omnino huiuſcemodi uim non habent. Maior hæc
perſpicua eſt. etenim eſt magis honeſtum: ita ut melius ſit mori, quàm talem exiſti-
mari. Sed accuſari quenquam de interfectione amicorum per inſidias, de prodi-
tione patriæ, de uenditione eorum qui in ſe maxima beneficia contulerint, propter
lucrum: de interfectione parentum, fratrum, propinquorum, ut maiores conſeque-
retur diuitias: de ſpoliatione templorum ſacrorum: de maxima blaſphemia aduer-
ſus ipſum IESVM CHRISTVM redemptorem noſtrum, per contumeliam,
& eius neglectum, & aduerſus eius matrem, & in eius ſanctos: de hęreſi, de impieta-
te, & (ut uno uerbo dicam) de omni extrema prauitate.

Accuſari inquam de iſtis, eſt accuſari de ijs rebus, quarũ ea uis eſt, ut homo euer-

tiſſe omnes uirtutes, omnia iuſta humana & diuina, omnia honeſta uideatur, ita ut nihil obſtet quin animal irrationale & bellua exiſtimetur. Quare hoc magis impellere hominem debet ad ſingulare certamen, quàm cætera, quæ omnino ipſum non reddunt talem. Minor propoſitio eſt clara. Etenim qui talis eſt, irrationale animal eſt. Si enim eſſet rationale, ea non faceret, quæ rationi omnino aduerſantur. ex quo ſequitur, belluam eſſe.

Sed non pugnare pro patria, pro coniuge, pro regno, eſt de illis quæ non omnino hominem reddunt talem. Illa enim quæ poſſunt eſſe ſine prauitate, minus indicant homines euertiſſe uirtutes omnes, omnem iuſticiam, & cætera quæ dicta ſunt. Non pugnare autem pro patria, pro uxore, pro regno, poteſt eſſe ſine prauitate, uidelicet uel propter negligentiam, uel propter timiditatem, uel propter deceptionē. Illa uerò quæ dicta ſunt, non poſſunt eſſe ſine maxima prauitate: ergo minus indicant homines euertiſſe omnes uirtutes, & omnia iura humana & diuina, & cætera: ergo minus eſt pro patria, pro uxore, pro regno, quàm pro illis quæ dicta ſunt, pugnandum ſingulari certamine. Sed pugnare pro illis, eſt pugnare ut honeſti hominis ſtatus retineatur, & quatenus honor eſt honeſtorum. Ergo magis concedenda eſt pugna quæ eſt propter honorem uerè ac propriè acceptum, quàm pro patria. Et hoc eſt quod dixi in libro De honore, Honorem eſſe patriæ & omnibus alijs rebus anteponendum. etenim fieri non poteſt, ut ille qui ſit ſine honore, uerè poſsit homo uocari. Et diximus uerum eſſe, ciuem non eſſe ſuipſius, ſed patriæ, cum eſt honore dignus. Sed cum eſt ſine honore, non eſt pars patriæ: non enim eſt capax fœlicitatis.

Dixi etiam, filium poſſe pugnare cum patre, cum pater falſo criminatus fuerit, filium ea flagitia commiſiſſe quæ dicta ſunt. Et ſicut patri magiſtratum gerenti licet interficere filium peccantem contra magiſtratum & leges, alioquin non exiſtimaretur homo iuſtus, ac uiciſsim filio patrem: ita licebit etiam filio interficere patrem ſingulari certamine, propter eandem cauſam, nempe iuſticiam, uel propter honeſtatem, ne ſcilicet exiſtimetur (ut dictum eſt) homo omnis uirtutis, honeſtatis atque humanitatis expers. Melius enim fuiſſet ipſi filio, nunquam à patre fuiſſe generatum hominem, quàm poſtquam erat factus homo, ab illo belluam fieri, & priuari ab ipſo ſocietate humana. Quandoquidem qui eſt ſine honore, eſt ſine uirtute: qui eſt ſine uirtute, eſt ſine fœlicitate: qui autem eſt talis, non eſt pars ciuitatis: & qui non eſt pars ciuitatis, non eſt pars ſocietatis humanæ: ergo eſt bellua. Atque hæc quidem etſi illis qui haud ſatis attentè res conſiderant, uidentur à natura humana abhorrere: tamen his qui rectè conſiderant, & ad communem utilitatem omnia referunt, humaniſsima & honeſtiſsima uidebuntur. (7. Polit.)

Quòd autem illa quæ ſunt, uel poſſunt eſſe ſine prauitate, minus indicent homines euertiſſe omnes uirtutes, & omnia honeſta: colligi poteſt ex multis locis Ariſtotelis, ſed præcipuè ex illo ubi ait: Maius malum eſt iniuria afficere, quàm affici: quia iniuria afficere eſt, cum prauitate: iniuria autem affici, eſt ſine prauitate. per ſe igitur eſt minus malum iniuria affici, quàm afficere: per accidens autem è contrario. (5. Ethic. cap. ult.)

Perſpicuum igitur eſt, quòd quæ ſunt ſine prauitate, minus indicant homines euertiſſe omnes uirtutes, & cætera: ſunt enim minora mala. Illa uerò indicabunt magis, quæ ſunt maiora mala, ut ſunt ea quæ dicta ſunt, quia ſunt cum prauitate maxima.

SECTIO QVARTA.

ITem probemus, quòd magis eſt pugnandum ut homines oſtendant ſe honeſtos, & non dignos ut deſpiciantur, quàm propter iram, quàm prò patria, etiamſi diſcrepant. & arguamus ſic:

Illis qui maiora beneficia conferunt, plus debent homines, quàm eis qui minora. hæc quidem propoſitio ita perſpicua eſt, ut ridiculus ſit qui uelit eam probare. Sed natura confert maiora beneficia in homines, quàm patria: ergo homines plus debent naturæ, quàm patriæ. Minor declaratur. Etenim dare animam & corpus hominibus, & breuiter totam ſubſtantiam, eſt maius beneficium, quàm dare accidentia.

Sed natura

Sed natura dat animam & corpus hominibus, & patria dat accidens: dat enim ſo
lùm locum. quæ propoſitio eſt perſpicua: à natura enim uniuerſali eſt anima & cor-
pus principaliter, quæ ſunt naturæ particulares: ergo plus debent homines naturæ,
quàm patriæ. ergo ſi licebit pugnare pro patria, propter beneficium quod in nos illa
contulit, ne ingrati uideamur: multo magis licebit pugnare pro natura, quæ maiora
in nos contulit beneficia, ne magis uideamur ingrati.

Sed qui pugnat pro eo quod eſt à natura, pugnat pro natura: ſicut qui pugnat pro
eo quod eſt patriæ, pugnat pro patria: qui pugnat pro eo quod eſt honeſtum, pu-
gnat pro eo quod eſt à natura. Etenim honeſtum eſt à natura, alioquin non eſſet ſim
pliciter bonum: neq; daretur ratio, quare mores Barbarorum ſint moribus Græco-
rum deteriores. Sed qui pugnat ut ſe oſtendat honeſtum uirum, & non eſſe di-
gnum qui deſpiciatur, aut iniuria aſficiatur, pugnat pro eo quod eſt honeſtum: ete-
nim pugnat pro eo quod eſt ſibi datum à natura, ut dictum eſt ſuprà. Ergo qui pu-
gnat proprer hanc cauſam, pugnat pro natura. Ergo ſequitur, ut pugnare ob eam rē
ut quis ſe oſtendat honeſtum uirum, & non dignum ut deſpiciatur, ſit magis hone-
ſtum, quàm pugnare pro patria. Imò non eſt honeſtum pro patria pugnare, neq; tur
pe non pugnare, niſi quia homines debent patriæ propter beneficia quæ in ipſos cō
tulit: & turpe eſt non tueri eos, à quibus beneficia acceperis. Idem de patre, quia etſi
pater concurrat ad ſubſtantiam, concurrit tamē non ut principalis cauſa, ſed ut qua-
ſi naturæ inſtrumentum. imperfectiora enim ad perfectiora comparata, uidentur ha
bere talem proportionem. Ex quo fluit, nos magis debere naturæ, quàm patri. Ete-
nim quin cauſa magis principalis præſtantior ſit cauſa inſtrumentali, uenire in du-
bium non poteſt. Si ergo fuit permiſſum pugnare pro patria, pro patre: ſequitur ut
magis ſit permittendum, pugnare ut ſe quis oſtendat honeſtum uirum, & non di-
gnum ut deſpiciatur, & iniuria aſficiatur. Perperam ergo ab iſto dictum eſt, qui ne
gauit eiuſmodi ſingulare certamen eſſe permiſſum. Sed hæc inter ſe quàm pugnent,
non uidit ipſe.

Ex quibus ſequitur quod ſuprà dictum eſt, fieri poſſe ut liceat etiam contra pa-
triam, contra patrem pugnare, cum ſcilicet ab ijs aliquis talibus iniurijs afficiatur,
quæ oſtendunt omnino eum eſſe belluam, & reliqua quę dicta ſunt. plus enim quiſ-
que debet naturæ, quàm patriæ & parentibus.

Sed ſtatim diceret aliquis: Hoc quod concluſiſti, uidelicet fieri poſſe ut in aliquo
caſu liceat pugnare cum patre, uidetur apertiſsimè euertere ea quæ dicit Ariſtote-
les, 2. Rhetor. cap. 23. & quæ 8. Ethicor. cap. ultimo, ad hunc modum: Quod enim fie- 2.Rhet.23.
ri poteſt amicitia quærit, non quod ſecundum dignitatem. non enim eſt in omni- 8.Ethic.cap.
bus, quemadmodum in honoribus erga Deos & parentes: nemo enim pro dignita ult.
te reddere poteſt. Sed qui pro uiribus colit, probus uidetur eſſe. atq; iccirco non li- “
cere filio patrem abdicare, patri autem filium licere uideretur: reddere enim opor- “
ſtet, qui debet. at quicquid fecerit filius, nihil dignum collatis beneficijs fecit: quare “
emper debet. quibus autem debetur, dimittendi facultas: igitur patri quoq; erit. “

Dico ergo, concluſionem illam omnino euertere hæc uerba Ariſtotelis: propte-
rea, quòd ſi nemo poteſt patri honores pro dignitate reddere: item, ſi quidquid fece
rit filius, nihil dignum collatis beneficijs facit: & ſi ſemper debet patri, ergo nunquā
poterit pugnare cum eo: quia ſi ſic, poterit etiam honores ei pro dignitate reddere,
& poterit efficere aliquid dignum collatis beneficijs, & non ſemper debebit patri:
etenim pater aliquando ei debebit. non enim liceret prouocare patrem ad pugnam,
niſi pater deberet filio. Ergo licebit filio abdicare patrem: quibus enim debetur, ijs
dimittendi facultas eſt. Sed omnia iſta euertunt uerba & ſententiam Ariſtotelis: er-
go perperam concluſa ſunt ex eius ſententia.

Item, Honores ſunt exhibēdi ab ipſis filijs, parentibus, quales Dijs. hoc enim de- 9.Ethic.1.&
clarauit in hoc textu, & in primo & in ſecundo capitulo noni libri. Ergo ſicut nun-
quam licet pugnare cum Dijs, neq; illos maledictis proſequi: ita neq; licebit un-
quam filio pugnare cum patre, neq; eum maledictis proſequi. Concluſio ergo tua
(dicet aliquis) & à ueritate, & à ſententia Ariſtotelis abhorret.

Ad hanc obiectionem reſpondeo, concluſionem noſtram inniti optimè (niſi fal-
limur) ratione ipſa, ueritatiq; ac ſententiæ Ariſtotelis conſentire, ex naturæ funda-

mentis loquendo. Ad uerba autem Ariſtotelis allata dico, intelligenda eſſe, cum pater fungitur officio patris, & cum pater eſt uir probus: tunc enim illi non poſſunt reddi honores pro dignitate. & quicquid fecerit filius, nihil dignum collatis beneficijs facit, & ſemper filius debet patri. Sed ſi pater non fungatur officio patris, ſicut multi reperti ſunt: etſi pater non ſit uir probus, ſicut poſitum eſt hoc loco (diximus enim filium per ſe pugnare cum patre, cum falſò pater criminatus fuerit filium ea flagitia commiſiſſe, quæ dicta ſunt.) Si igitur pater ſit homo prauus, (cuius quidem rei tanta uis eſt, ut neque etiam fieri poſsit ut prauus amet ſeipſum, quemadmodum dixit Ariſtoteles nono Ethic.) & ſi pater aduerſetur Dijs, ita ut ſit impius: tantum abeſſe dicimus, ut tunc filius debeat patri, ut pater plurimum debeat ipſi filio. affectus eſt enim filius à patre maximis iniurijs, quibus maiores fieri nõ poſſunt: & qui afficit aliquem iniuria, ei debet: ut diximus in libro De honore, & dicemus. etenim in hoc caſu pater erga filium non fungitur officio patris, atque ita non eſt amplius pater, niſi æquiuocè, ſicut manus inciſa dicitur manus æquiuocè. Hoc uiſus eſt oſtendiſſe Ariſtoteles primo Politic. cap. ſecundo, ijs uerbis: Et prior ſanè natura ciuitas, quàm domus, quatenus quiſque noſtrûm eſt. neceſſarium enim eſt, totum eſſe prius naturâ parte. etenim ſublato toto, non erit pes, neque manus, niſi æquiuocè: quemadmodum ſi quis dicat lapideam, corrupta enim erit: omnia enim opere determinantur, & potentia. quare non amplius ſunt dicenda talia.

9. Ethic.

1. Poli. 1.

4. Meteor. ult. Eandem ſententiam ſcriptam reliquit in quarto Meteororum, text. ultimo. & ſecundo de Generatione animalium, cap. primo. ubi ait: Non eſt enim facies niſi animam habeat, neq; caro, ſed corrupta æquiuocè dicitur facies, aut caro, perinde quaſi lapidea, aut lignea facta.

2 de Gener. anim. 1.

2. De cœl. text. 17.

Idem ſecundo de Cœlo, text. decimoſeptimo inquit: Vnumquodque enim eſt, quorum eſt opus, gratia operis. ſublatis ergo operibus à patre, ut non ſit pater amplius neceſſe eſt. quare ſi quis cum eo à quo eſt genitus, qui non functus ſit officio & opere genitoris, pugnauerit, non dicetur propriè pugnare cum patre, ſed uelut cum cadauere ipſius patris, & cum eo qui ante fuit pater, ſed tempore pugnæ non eſt amplius pater: ſicut manus inciſa non eſt amplius manus Socratis, ſed fuit: non enim poteſt iam fungi manus Socratis munere. Quare nemo admiratione affici debet, ſi dicatur licere alicui qui olim fuit filius, pugnare cum eo qui olim fuit pater: quia tempore pugnæ in caſibus dictis, neque ille eſt filius, neque iſte pater. Abſurdum enim non eſt, aliquem iniuria affectum pugnare cum eo qui ipſum iniuria affecerit. Neque talis pater eſt uir probus, ergo debet filio: & filius poteſt quærere ab eo quod ſibi debetur. quod quidem eſt tanti momenti, ut tollat omnia beneficia ab ipſo patre in filium collata. Quare fieri poteſt, ut filius ſuam honeſtatem repetat à patre: & cum non poſsit alia uia, poterit armis ipſam repetere. non enim poteſt cuiquam relinqui. Siquidem homines poſſunt omnia, quatenus homines ſunt, alicui tradere, præter honeſtatem: qua nimirum alteri tradita, non amplius ſunt homines, ſed belluæ. neque etiam fieri poteſt ut filio eum patre tali ſit amicitia, neque ei filius auxilium ferat, propterea quòd eodem loco paulo pòſt dicit Ariſtoteles: Adde quòd nemo fortaſſe unquam ſuccenſurus uideretur, niſi prauitate exuperet. nam præter naturalem amicitiam, ſubſidium non detrectare humanum eſt. ei uerò fugiendum eſt, aut non ſtudendum opem ferre, ſi ſit prauus.

Ex quibus uerbis patet, negare auxilium non eſſe humanum: tamen prauo eſſe denegandum. ita etiam patri denegare auxilium, non eſt humanum: ſi tamen eſt prauus, denegandum erit eadem ratione.

9. Ethic. 3. Quod confirmatur ex nono Ethic. cap. tertio, ubi Ariſtoteles ita ſcriptum reliquit: Siquidem non omne quoduis eſt amabile, ſed quod bonum eſt: neque prauus eſt amandus, neque oportet ipſum amare, quia non oportet eſſe amatorem prauorum.

Si ergo pater eſt prauus, non eſt amandus, neque honore afficiendus: ergo non eſt uerum ſimpliciter, quòd honores pro dignitate non poſsint reddi à filio patri, & quòd filius ſemper debeat patri, nec poſsit abdicare ipſum. Ergo intelligendus eſt Ariſtoteles, cum patres non ſunt praui: quia ſi ſint praui, ſecus eſſe admonet idem Ariſtoteles quinto Ethic. cap. octauo. Propoſitionem autem illam Ariſtotelis

5. Ethic. 8.

telis uiciſsim inſeruire oportere ei qui nobis gratificatus eſt, ex qua habetur retri-
buenda eſſe omnia patri, non eſſe ſimpliciter intelligendam, declarauit ipſemet A- 9. Ethic. 3.
riſtoteles nono Ethic. cap. tertio, ijs uerbis: Quod enim dictum eſt uniuerſaliter, "
debitum reddendum eſſe: ſed ſi datio excedat honeſtate uel neceſsitate, ad hæc de- "
clinandum eſt. Si dare alteri, excedat reddere illud debitum honeſtate uel neceſsita-
te, ad hanc honeſtatem uel neceſsitatem declinare debemus. Sed dare alteri uiro pro
bo honores, excedit honeſtate, reddere debitum patri prauo: declinandum igitur eſt
ad honeſtatem illam, & relinquendus eſt pater. Neceſſe eſt igitur, ut uerba Ariſtote
lis quæ citauimus, intelligantur ſub aliqua conditione, non ſimpliciter: ergo neceſſe
eſt ut intelligantur, patre non exiſtente prauo.

Sed urgebit aliquis, dicens interpretationem iſtam non conſentire Ariſtoteli:
propterea quòd dixit Ariſtoteles nono Ethic. cap. tertio, licere patri abdicare filium, 9. Ethic. 3.
cum pater tamen non faceret hoc, niſi filius eſſet prauus: ſi ergo pater poteſt abdica-
re filium ſi ſit prauus, eodemq́ modo filius patrem: ergo nihil intererit inter patrem
& filium, quatenus ad hoc attinet: quia filius poteſt abdicare patrem ſi ſit prauus, &
pater filium, quod tamen negauit Ariſtoteles.

Dico, filium non poſſe abdicare patrem niſi ſit prauus, ſed patrem poſſe abdica-
re filium etiam ſi non ſit prauus. & hoc intellexit Ariſtotelès. Ad eius autem uerba
dico, ipſum non aſſerere, patrem non poſſe abdicare filium, niſi ſit prauus: quia ſim-
pliciter poteſt ipſum abdicare. quod non accidit filio, ratione habita ad patrem. Sed
uoluiſſe dicere, nullum patrem ſolere abdicare filium, niſi filius prauitate exupe-
ret: ſimpliciter autem poſſe. Etenim aliud eſt poſſe aliquid effici, aliud eſt quod
efficiatur.

Quod uerò addit Ariſtoteles, de honoribus parentibus exhibendis: concedi-
mus, parentibus reddendos eſſe ſimiles honores, atque ipſi Deo: negamus tamen
hoc ſemper uerum eſſe. etenim Dij non poſſunt eſſe, neque fieri, praui: poſſunt au-
tem parentes. Quare nunquam poteſt fieri, ut ipſi Deo non debeamus reddere prò
uiribus honores: fieri tamen poteſt ob eam cauſam quam diximus, ut interdum pa-
rentibus non reddendi ſint à nobis pro uiribus honores. Propoſitio autem intelli-
gitur, ſi parentes ſunt uiri probi, ut dictum eſt. Si enim non ſunt probi, & nos hone-
ſtate priuant, tantum abeſt ut teneamus eis reddere pro uiribus honores, ut poſsi-
mus eos ulciſci: cum uidelicet ſunt etiam hæretici, cum aduerſantur Dijs, & huiuſ-
modi. quæ opinio ſi ab eis fortè qui ad pauca ſpectant, ab humanitate aliena eſſe, at-
que impia iudicetur, quin eis tamen qui res attentius conſiderant, maximè pia eſſe,
& naturæ ipſi conſentire uideatur, non dubitamus. Nullum enim beneficium eſt
ita magnum, quod priuatio honoris, id eſt honeſtatis non aboleat.

Sed adhuc inſtabit aliquis dicens: fieri non poſſe ut quiſquam ulla cauſa poſsit in-
duci ad interficiendum patrem, ex illis Ariſtotelis uerbis, in tertio Ethic. cap. ſecun-
do: Quòd quædam ſunt, ad quæ fortaſſe nemo cogi poteſt, ſed potius mori: pro- 3. Ethic. 1.
pterea quòd ea quæ impulerant Alcmeonem ad interficiendam matrem, erant ri- "
dicula. Si ergo interfectio matris eſt unum ex illis ad quæ nemo cogi poteſt, ſed po "
tius eſt moriendum: ergo multo magis interfectio patris erit unum ex illis.

Reſpondeo illud idem quod ſuprà dixi: interfectionem patris eſſe unum ex illis
ad quæ nemo cogi poteſt, ſed potius extrema quæque pati ac mori conuenit, cum
ſcilicet pater uir eſt probus, non impius, cum non iniuria affecerit filium in eis quæ
ad ipſius honorem honeſtatemq́ pertinent. quòd ſi huiuſmodi fuerit pater, ut ſit im
probus & impius, ut religioni aduerſetur, ut filium aliquando priuauerit omni ho-
nore atq́ honeſtate, eo modo quo poſitum eſt dico fieri poſſe, ut filius cum eo ſingu
lari certamine pugnet, ob eas quas diximus, & dicemus cauſas.

Exemplum autem Alcmeonis nihil infringere ſententiam noſtram, patet: prò-
pterea quòd ea quæ ipſum impulerunt ad interficiendam matrem, non erant tanti
momenti, ut ad tam nefandum, tamq́ deteſtabile facinus committendum, aliquem
inducere poſſent. Quare dixit Ariſtoteles, eſſe ridicula. quòd ſi fuiſſent grauiſsima,
& maximi momenti, non negaſſet fortaſſe Ariſtoteles, quin potuiſſent inducere Al-
cmeonem ad matrem interficiendã: modò fieri poſsit ut detur cauſa aliqua, propter

quam fœmina poſsit à uiro interfici.qua de re in tertio libro De honore longum habuimus ſermonem.Etenim illo uerbo,Ridicula,indicare nobis uidetur Ariſtoteles, ſi non fuiſſent ridicula, potuiſſe honeſtè Alcmeonem impellere ad matrem interficiendam, & ita cædem matris potuiſſe fieri. quòd ſi non poſſet, non eſſet quatenus mater, ſed quatenus fœmina. & ita uerba illa Ariſtotelis non uidentur ſententiæ noſtræ repugnare,quæ ſententia uidetur etiam poſſe ſtabiliri ad hunc modum:

Illud quod maiorem utilitatem humano generi affert, eſt præferendum illis quæ minorem utilitatem afferunt. Propoſitio iſta perſpicua eſt. Sed ratio honoris maiorem utilitatem humano generi affert, quàm ratio patriæ & parentum & filiorum: ergo ratio honoris eſt præferenda rationi patriæ, parentum & filiorum. Minor propoſitio declarari hoc modo mihi uidetur:

Illud quod abducit magis genus humanum ab omni ſcelere, & ab omni prauitate,affert ipſi maiorem utilitatem,quàm illud quod non ita abducit: quandoquidem nihil utilius poſsit humano generi accidere, quàm ſi abducatur ab omni ſcelere & prauitate: etenim prauitas & ſcelera ab illo beatitudinem auferunt. Sed ratio honoris magis abducit genus humanum ab omni ſcelere, & ab omni prauitate, quàm ratio parentum, patriæ & filiorum. Ergo ratio honoris maiorem ipſi humano generi utilitatem affert, quàm ratio patriæ, parentum & filiorum. Minor propoſitio probatur.

Ratio uirtutum abducit humanum genus ab omni ſcelere, & ab omni prauitate: ubi enim ſunt uirtutes, ibi non poteſt eſſe locus ulli ſceleri, neq; prauitati. Ratio honoris magis pertinet ad rationem uirtutum, quàm ratio patriæ.parentum & filiorum. Ergo ratio honoris magis abducit genus humanum ab omni ſcelere & prauitate,quàm ratio patriæ,parentum & filiorum,& huiuſmodi aliorum.

Illa ratio, quæ nullo modo poteſt haberi, niſi habeatur ratio omnium uirtutum, dicitur habere maiorem rationem uirtutum: quàm illa quæ poteſt haberi, etiamſi non habeatur ratio omnium uirtutum. Sed ratio honoris eiuſmodi eſt,ut nullo modo poſsit haberi,niſi habeatur ratio omnium uirtutum. Non enim poteſt haberi honor rectè ſine uirtutibus: eſt enim præmium actionum quæ oriuntur ex uirtutibus, ut diximus. Ratio uerò parentum & patriæ,& filiorum,poteſt haberi,quamuis non habeatur ratio omnium uirtutum: quia qui rationem habet patriæ, & parentum, & filiorum,ita ut pugnet pro ipſis, poteſt in alijs negligere uirtutes, & poteſt eſſe iniuſtus, iracundus, intemperans, & breuiter in ſe admittere omnia alia flagitia: quales multi reperti ſunt,inter quos fuit Hannibal Carthaginenſis.Ergo ratio honoris dicitur habere maiorem rationem omnium uirtutum, quàm ratio parentum, patriæ, & filiorum.

Item, Bonum maius & perfectius eſt magis expetendum, quàm minus bonum & imperfectius. Hæc propoſitio ita clara eſt,ut ridiculum ſit uelle ipſam probare. Ratio honoris eſt bonum maius & perfectius.quàm ratio patriæ,parentum & filiorum:ergo eſt magis expetenda. Probatur minor.

1.Ethic.2. Bonum communius eſt maius bonum, & perfectius. hoc declarauit Ariſtoteles „ ijs uerbis:Nam ſi etiam uni homini,& ciuitati bonum idem ſit, bonum tamen ciuitatis & acquirere & conſeruare maius quid ac diuinius uidetur.Ac contentus quidem „ eſſe etiam unuſquiſq; poteſt,ſi uni ſoli: pulchrius tamen ac diuinius,ſi genti ac ciuitatibus bonum efficiatur.

Ratio honoris eſt bonum communius,quàm ratio patriæ, parentum & filiorum: ergo ratio honoris eſt maius bonum,ac perfectius.

Confirmatur minor:Illud bonum quod complectitur plura bona, dicitur communius. Ratio honoris complectitur plura bona, quàm ratio patriæ,parentum & filiorum:ergo ratio honoris eſt bonum communius.

Minor declaratur. Illud quod complectitur aliquod bonum,& præter illud aliquid etiam aliud, dicitur complecti plura bona. Ratio honoris dicitur complecti rationem patriæ,parentum & filiorum,& etiam aliquid aliud:ergo ratio honoris dicitur complecti plura bona.

Minor, Quòd ſcilicet ratio honoris continet rationem patriæ, &c. perſpicua eſt: quia qui non haberet rationem patriæ, & filiorum & parentum, non haberet

ra tionem

rationem honoris. Qui ergo habet rationē honoris, neceſſe eſt ut habeat rationem patriæ, parentum & filiorum, & præterea multorum aliorum bonorum, nempe omnium honeſtorum.

In dubium igitur uenire non poteſt, ex eis quæ dicta ſunt, quin ratio honoris ſit præferenda rationi patriæ, parentum & filiorum, & ut uno uerbo dicam, rationi omnium bonorum humanorum. & hoc eſt quod nos uolebamus.

Item, Qui pugnat pro patria, pugnat pro honeſto: ergo qui pugnat pro patria, pugnat pro honore: ut erit etiam manifeſtum ex eis quæ dicentur. Etenim honor eſt præmium honeſtorum, & honeſta ſunt honorabilia. Præterea cum dicimus homines pugnare pro honore, intelligimus non quòd pugnent ut ſibi erigantur ſtatuæ, & huiuſmodi, non enim hoc deceret: ſed pro honeſtate. & quia honor eſt præmium honeſtorum, homines que appetunt honores, ut uideantur boni, & uirtutibus præditi: ideo dicimus homines pugnare pro ſuo honore, cum pugnant pro ſua honeſtate. Et hoc eſt quod uoluimus in libro De honore, ut diximus ſuprà. Etenim uerum eſt, omnes qui pugnant pro honeſtate, pugnare pro honore: quia honeſtatem ſequitur honor. non tamen econtrariò reciprocat, ut omnes qui pugnant pro honore, pugnent pro honeſtate. nam aliqui poſſent pugnare, ut ſibi erigerentur ſtatuæ, ut ipſorum memoria celebraretur carminibus, & ſine carminibus, ut in theatris & in foro primæ ſedes ſibi exhiberentur, ut ſibi ædificarentur ſepulchra ſublimia, & ut ſibi etiam traderentur alimenta publica: quod eſſet pugnare pro honore. Etenim omnes iſtæ ſunt partes honoris, & tamen non eſſet pugnare pro honeſtate. Ergo fieri poteſt, ut aliquis pugnet pro honore, qui non pugnet pro honeſtate. Quòd autem illi qui pugnant pro ijs rebus quæ commemoratæ ſunt, non pugnent pro honeſtate, perſpici liquidò poteſt, tum quia niſi ſperarent ea ſe quæ dicta ſunt conſequuturos, non pugnarent: tum etiam, quia qui ita pugnarent, uerè dicerentur fortes. Quod quidem ſententiam Ariſtotelis non ſolùm labefactaret atque infirmaret, uerùm etiam penitus conuelleret, quam is tertio Ethic. cap. decimo ſcriptam reliquit his uerbis:

1.Ethic.6. & 8.Ethic.6. — *3.Ethic.10.*

Dicuntur autem & alteræ (uidelicet fortitudinis ſpecies) ſecundum quinque modos. Primùm quidem politicæ, etenim maximè uidetur. nam uidentur ſuſtinere pericula ciues propter pœnas quæ ſunt ex legibus, & opprobria, & propter honores: & propter hoc fortiores uidentur, apud quos timidi ſunt inhonorati, & fortes honorati. Tales autem facit Homerus, ut Diomedem & Hectorem.

Ex ſententia igitur Ariſtotelis, qui pugnant propter honorem, ut nos nunc diximus, non pugnant propter honeſtatem: quia ſi pugnarent propter honeſtatem, iſta ſpecies fortitudinis, uidelicet pugnare pro honore, eſſet idem quod prima ſpecies, quod tamen apertè repugnat Ariſtoteli. Licet enim honor ſit præmium uirtutis & honeſtorum, non tamen honeſtum eſt pugnare ut conſequamur honores, eo modo quo diximus in libro De honore. non enim uerè eſt honor. Nos tamen in eo libro intelleximus eſſe pugnandum pro honore, id eſt pro honeſtate noſtra conſeruanda & acquirenda, quam conſequitur honor: non ut nobis erigantur ſtatuæ & cætera huiuſmodi, ſed ut ne uideamur præter naturam affecti. quam honeſtatem appellauimus honorem, quia honor eſt præmium illius. & hoc perſpicitur ex multis locis eius libri. Etenim quos illic diximus pugnare debere ſingulari certamine, non id ab illis faciendum eſſe iudicauimus ob hanc rem, ut ſibi erigerentur ſtatuæ, utque conſequerentur alia huiuſmodi: ſed ne uiderentur iniuſti, perfidi, ac præter naturam erga honeſtatem & uirtutem affecti. Quare perſpicuum eſt, iſtum qui contrà dixit, non ſatis rectè percepiſſe ſententiam noſtram.

Quòd autem, qui pugnat pro patria, pugnet pro honeſto, apertè declaratur ab Ariſtotele, nono Ethic. cap. nono, ubi ait: Verum autem eſt quod dicitur de uiro probo, ipſum facere multa cauſa amicorum, & pro patria, etſi eſſet moriturus. Etenim abijciet & pecunias, & honores, & omnino omnia illa bona pro quibus fiunt pugnæ inter homines, ſibi uendicans honeſtum. *9.Ethic.9.*

Confirmatur:

Confirmatur: Etiam qui pugnant pro amicis, pugnant pro honeſto: ergo qui pugnant pro patre, pro coniuge, & pro patria, pugnant pro honeſto. Patet conſequentia: quia eadem eſt ratio. Amicis enim omnia debemus, ut declaratur octauo & nono Ethic. Id uerò quod antecedit, colligitur ex uerbis Ariſtotelis 1. Rhet. 3. inquit enim: Eodem modo & qui laudant, aut uituperant, non animaduertunt utrum » utilia geſsit, an contrà: ſed ſæpius etiam laudi dant, quoniam ut præclara gereret par » ui propriam duxit utilitatem. Laudant enim Achillem, quòd Patrocli ſodalis ultio» nem ſuſceperit, cum ſciret oportere ipſum mori, cum liceret ei uiuere. Huic enim ta» lis mors erat honeſta, uiuere uerò utile. Pugnare ergo pro amico eſt honeſtū. Quod erat id quod antecedit.

1. & 9. Ethic. 1. Rhet. 3.

SECTIO QVINTA.

ITem, Licet in rebus honeſtis magis amare ſeipſum, quàm alium: ergo magis licet pugnare pro ſeipſo, quàm pro patria, & quàm pro patre. Ergo ſi conceditur pugna pro patria, magis concedi debet pro ſuaipſius honeſtate: ergo pro ſuoipſius honore.

9. Ethic. 9. Id quod antecedit, patet ex Ariſtotele, ubi dicit: Etenim non in omnibus laudabi» libus, uir probus apparet ſibijpſi attribuere honeſtum. Sic igitur oportet eſſe amato» rem ſuijpſius: ut autem multi, non oportet.

Item illorum pugnæ, de quibus ego loquutus ſum in libro De honore, præmium erat honor, ex ſententia ipſius autoris qui contrà ſcripſit. Ergo pugna illa erat honeſta. Probatur conſequentia, quia Ariſtoteles dixit: Et in quibus honor eſt præ» mium, ſunt honeſta.

1. Rhet. 9.

Item, iſte auctor concedit, licere pugnare, & interficere alterum, ut ſeruetur uita: ergo multo magis, ut defendatur honeſtas.

7. Polit. 14. Probatur conſequentia his Ariſtotelis uerbis: Quoniam honeſta ſunt præferenda utilibus. Sunt enim cauſa honeſtorum, ergo honoris: quia honeſta ſunt honorabilia. honor enim eſt præmium honeſtorū. Antecedens aūt eſt conceſſum ab omnib.

Item, Illi ſui prouocatores, quos cōceſsit potuiſſe pugnare pro utilitate patriæ, nō pugnarunt pro utilitate patriæ: ergo perperam conceſsit, potuiſſe pugnare. Cum autem illa ſingularia certamina permiſerit, multo magis permittere debuit ea quę fierent propter honorem defendendum, quatenus eſt honeſtus. Ergo illa quæ reijcit ſingularia certamina, magis erant permittēda: quòd ſi permiſſa nō fuiſſent, hòc propterea non cōtigiſſet, quia ex natura ipſa non debuiſſent permitti, ſed culpa & ignoratione illorum qui eius rei poteſtatem habebant. Et hoc eſt ſatis mihi pro libro De honore, ipſa per ſe uidelicet fuiſſe permittenda.

Quòd aūt nullā certamina illa utilitatē patrię attulerint, perſpicuū eſt. nō enim erant ex pacto, & nō apparuit aliquā utilitatē ob eorū uictoriam eſſe patriæ allatam.

Item, Illi non pugnarunt propter honeſtū, ergo non pugnarunt propter patriam. Antecedens patet ex eis quæ ipſe conceſsit, quippe qui negat fuiſſe illis finem honeſtum. Conſequentia perſpicua eſt. Etenim ſi pugnaſſent pro utilitate patriæ, pugnaſſent propter honeſtum: & hoc perſpicuum eſt. Ergo non pugnarunt pro utilitate publica. Ergo per ipſum quidem non erant concedenda: ſed concedit, ergo perperam. Si autem pugnarunt propter honeſtum, ergo eorum erat idem finis. Ergo non ſunt multa genera ſingularis certaminis.

Præterea illi pugnarunt, ſicut pugnarunt Diomedes & Hector: hoc enim perſpicuum eſt. Sed Diomedes & Hector nō pugnarūt propter patriā: ergo neq; etiā illi.

3. Ethic. 11. Antecedens oſtendit Ariſtoteles, ubi ait, Homerum induxiſſe Diomedem & Hectorem nō pugnaſſe propter honeſtum: ſequitur enim, quòd neq; propter patriam pugnauerint, ſed ut fugerent opprobria, & conſequerentur honorem: ergo non pugnarunt pro patria: ergo certamina illa non erant pro cauſa publica. Sed ipſe dixit fuiſſe pro cauſa publica: igitur ſuam ipſe euertit ſententiam.

Item permiſit illa certamina, quæ non erant permittenda: ergo grauior eſt cauſa, quare debeant permitti ea quæ ſuſcipiuntur honeſti gratia. Similitudo etiam horum certaminum perſpicua eſt: quia illi de quibus loquitur, erant hoſtes, ſicut erant Diomedes & Hector.

Item,

Item, Si pugnarent pro patria, ergo uel propter honeſtum, uel ut fugerent pœnas à legibus conſtitutas, uel ut fugerent opprobria, uel propter honorem. Non pugnarunt propter honeſtum, ut patet ex uerbis ipſius: ergo propter aliud quippiam eorum quæ dicta ſunt. Hoc enim declarat Ariſtoteles in prima ſpecie fortitudinis non ueræ, cuius uerba ſuprà etiam poſuimus: Prima autem, inquit, eſt politica. maxime enim uidentur ſuſtinere pericula ciues, propter pœnas quæ ſunt ex legibus, & propter opprobria, & propter honorem. Sed non ſuſtinuerunt illi pericula propter pœnas, quia non coacti: ergo propter opprobria, & propter honorem. Ergo honor tantùm fuit illorũ finis. Ergo non eſt niſi una ſpecies certaminis, quæ eſt propter honorem. Ergo ſuam ipſe ſententiam euertit, confirmans noſtram in libro De honore, quam tamen refellere totis uiribus, toto (ut aiunt) pectore contendit. 3.Ethic.11.

SECTIO SEXTA.

ITem, Qui pugnãt propter patriam, propter patrem, filios & uxores, pugnãt propter ſe: quia ſcilicet turpe eſt ſibi non pugnare pro his, & honeſtum pugnare. Ergo magis pugnant propter ſeipſos: quia propter quod unumquodq; eſt, & illud magis. Antecedens patet ex ſe: ergo habent eundem finem, quem illi qui pugnant pro honore ſuo. Ergo non ſunt plura & diuerſa genera horum certaminum, contra opinionem iſtius hominis. 2.Rhet.2. 1.Poſt.2.

Item, Si Achillis certamen, & reliquorum de quibus iſte mentionem fecit, eſt per impetum iræ, & propter odium inſitum: ergo omnia quæ commemorauit certamina, ſunt unius ſpeciei certaminis, illius uidelicet quod eſt propter iram & odium.

Probatur cõſequentia ipſiuſmet uerbis. inquit enim: Illa quę erant ex cauſa publica, & ex utilitate communi, ſcilicet cum ex hoſtibus duo uel plures, ex prouocatione, uel improuiſo concurrerent, aut etiã ex pacto ſingulariter pugnant, ſunt illius generis quod eſt per exaggerationem iræ & odij. Ergo omnia illa certamina ſunt propter exaggerationem iræ: ergo omnia ſunt unius generis: ergo pugnantia loquitur, Etenim poſuit hæc certamina genere diuerſa.

Item, Si certamen Hectoris & Achillis eſſet propter iram & inſitum odium, ergo non eſſet propter patriam. Probatur conſequentia: Quia qui pugnant propter patriam, uel publicam cauſam, pugnant (ex ſententia Ariſtotelis adducta) propter honeſtum, uel propter honorem, & ut fugiant opprobria. Sed pugnare propter honorem, non eſt pugnare propter iram, ex ſententia etiam Ariſtotelis, qui hæc duo diſiunxit. Pugnare enim propter honorem, poſuit in prima ſpecie fortitudinis non ueræ: pugnare uerò propter iram, in tertia ſpecie eiuſdem fortitudinis. Ergo qui pugnant propter iram, non pugnant propter patriam, uel cauſam publicam. Sed Hector & Achilles pugnarũt propter patriam & cauſam publicam, ut perſpicuum eſt. Neceſſe eſt igitur, uel illos non pugnaſſe propter iram: uel pugnare propter iram, & pugnare pro patria, eſſe idem genus pugnæ. quæ cum ab iſto poſita ſint genere diuerſa, ſequitur ut ſuam ipſemet ſententiam euertat.

Confirmatur: Quia certamen Hectoris & Diomedis ſuſceptum fuit propter patriam, & cauſam publicam: ergo Achillis & Hectoris certamen, itemq; reliquorum certamina quos iſte induxit pugnare pro communi utilitate & patria, omnia ſunt unius generis. Etenim non eſt ratio, quare certamen Diomedis & Hectoris ſit unius ſpeciei: & certamen Achillis & Hectoris & reliquorum certamina quos iſte dixit pro communi utilitate, ſint alterius ſpeciei uel generis: cum perſpicuè pateat, omnia eſſe pro cauſa publica: ergo in eodem genere certaminis: ergo non ſunt diuerſa ſpecie certamina. Atq; ita quidem miſer iſte homo patitur telis uulnera facta ſuis.

Item, Pugnarunt propter iram Hector & Achilles, ex ſententia iſtius: ergo propter apparentem, & non conuenientem neglectum.

Probatur conſequentia uerbis Ariſtotelis, qui iram ſic definit: Ira enim eſt appetitus cum triſticia uindictæ apparentis, propter apparentem neglectum eorum quę attinent ad ſeipſum, uel ad aliquem ipſius non conuenientem. Quòd ſi ira eſt propter apparentem neglectum, & non conuenientem: ergo hoc certamen propter irã ſuſceptum, eſt par illi quod poſui in libro De honore: ubi dixi, ſicut etiam iſte interpretatur, Actori eſſe propoſitum oſtendere, ſe eſſe uirum honeſtũ, & dignũ qui neq; 2.Rhet.2.

deſpiciatur,

,, deſpiciatur, neq; iniuria afficiatur. Volui ergo, quòd actor pugnet propter negle-
ctum. ergo hoc certamen erit idem, atq; illud quod iſte dicit eſſe propter iram. At i-
pſe hoc negauit: ex ſuis igitur uerbis ſententiam ſuam conuellit.

Item, certamen Hectoris & Achillis ſuſceptum fuit propter contemptum, ut di-
2. Rhet. cap. 2. ctum eſt; ergo propter honorem, ut infrà oſtendetur, etiam magis. nam qui non eſt
dignus aliquo bono uel malo, non habet aliquem honorem: qui contemnitur, non
eſt dignus aliquo bono uel malo: ergo qui contemnitur, non habet aliquem hono-
rem. Ergo qui pugnat ne contemnatur, pugnat propter honorem. qui enim non eſt
contemnendus, eſt dignus aliqua re: ergo dignus aliquo honore.

SECTIO SEPTIMA.

ITem, certamina quæ conueniunt magis belluis quàm hominibus, non ſunt per-
mittenda. hæc perſpicua eſt. Certamen ſingulare propter iram conuenit belluis
3. Ethic. cap. 11. magis quàm hominibus, ſicut declarat Ariſtoteles in multis locis: ergo non eſt per-
mittendum. Quod ſi permiſſum eſt, permiſſum eſt id quod permitti non debuit:
ergo perperam factum eſt. Sin autem permittendum fuit, multo magis erant per-
mittenda certamina ea quæ conueniunt magis hominibus, quatenus homines ſunt.
At huiuſmodi erant illa, quæ ego conceſſi in libro De honore: ergo magis erant
permittenda. Quòd ſi per iſtum permiſſa non fuerunt, & peiora fuerunt permiſſa,
dubium non eſt quin cogatur fateri, perperam ac barbarè & ignoranter, & ab alijs
qui ea permiſerint, etiam ab ipſo factum eſſe.

Quòd autem certamina illa quæ ego conceſſi in libro De honore, conueniant
magis hominibus, probatur. Etenim negari non poteſt, quin hominibus magis
conueniat pugnare, ut oſtendant ſe eſſe uiros probos, fortes, ſtrenuos, ueridicos, nõ
inſidiatores, non fures, non ſacrilegos, non adulteros, non proditores: alioquin non
eſſent affecti ſecundum naturam, imò in eam eſſent ingrati: neq; imitarentur Deum
opt. max. qui eſt omnium finis optimus: & facerẽt contra id, ad quod nati ſunt. nam
1. Rhet. 1 & ad uirtutem, & ad ueritatem ſunt nati. Negari igitur non poteſt, quin homini-
2. Ethic. 2 bus magis conueniat pugnare propter illa quæ dicta ſunt, quàm per iram, quæ com
munis eſt cum brutis. Sed noſtri libri certamina ſunt propter illa quę dicta ſunt, non
propter iram: ergo magis conueniunt hominibus: ergo, ut dixi, magis erant admit-
tenda. Perperam ergo ſunt ab iſto prohibita, & ab alijs qui permiſerunt peiora.

Præterea argumentemur etiam alio modo. Permitti non poteſt ulla hominum
cædes, niſi propter iuſtum & honeſtum: ergo certamina quæ rectè permiſſa ſunt, ha
bent finem honeſtum. Probatur antecedens: Quia ſi quiſpiam permitteret aliquã
cædem hominum ſine iuſtitia & honeſtate, eſſet uir ſanguinolentus, & omnino pra
10. Ethic. 9. uus, ut dixit Ariſtoteles.

Item, non licet ex ſententia Ariſtotelis uti armis aduerſus homines qui ſunt nati
ad parendum, & nolunt parêre, niſi quia talis pugna eſt iuſta natura. Ergo non po-
teſt permitti cędes hominũ quæ fit ex pugna, niſi ſit iuſta, & per cõſequens honeſta.

Quòd item rei bellicæ finis ſit iuſtum & honeſtum, declarauit Ariſtoteles ijs uer-
1. Polit. 4. bis: Acquiſitiua uerò alia ab his duobus eſt, ut iuſta bellica quædam exiſtens, uel
uenatoria. Licet igitur pugnare & uenari, quia iuſta ſunt.

10. Ethic. 9. Item ſcriptum reliquit: Ex actionibus quæ ſunt ſecundum uirtutes, bellicæ & po-
,, liticæ pulchritudine & magnitudine excellunt. Ergo finis harum actionum eſt
honeſtas. Probatur conſequentia: quia ponit, illas fieri ex uirtute: uirtutes enim
ſunt honeſtæ. Ergo bellicæ finis non eſt uictoria ſimpliciter.

7. Polit. 2. Item ait: Manifeſtum igitur quod ponendum eſt, omnes curas quæ ſunt circa
,, bellum, eſſe honeſtas, non ut finis omnium ſupremus, ſed illius gratia eſſe has. & ita
,, perſpicuum eſt, quòd finis ſupremus etiam belli, eſt felicitas. Et paulo pòſt: Ter-
,, tium quod oportet eſſe in ciuitate, ſunt arma, ad cogendum eos qui nolunt parêre,
,, & ad eos etiam (hoc enim ſubaudiri debet) qui uelint exterius inferre iniuriam.
7. Polit. 14. Item: Amplius autem non oportet exiſtimare ciuitatem eſſe felicem, & legumlato-
,, rem laudare, quia exercuerit ciues imperare uicinis: quia hæc magnum habent no-
,, cumentum. Ibidem paulo pòſt: Exercitationem rerum bellicarum non huius gra-
,, tia oportet curare, ut in ſeruitutem indignos redigant: ſed ut primùm ipſi non ſer-
uiant

uiant alijs: deinde ut quærant imperium cauſa utilitatis eorum qui parent, ſed non ut “
dominentur omnibus: tertio loco, ut dominentur illis qui nati ſunt ad ſeruiendum. “
Item, Bellum autem cogit homines eſſe iuſtos & temperantes: eius ergo finis eſt “
iuſtum & honeſtum, alioquin non efficeret hæc. “
Ex quibus omnibus conſpicuum eſt, finem omnis pugnæ eſſe iuſtum & honeſtũ:
quia quæ non ſunt iuſta & honeſta, non conceduntur. Et ideo cum dicit Ariſtote-
les, uictoriam eſſe finem artis imperatoriæ: debet intelligi quòd ita dicat, uel ex com
muni modo loquendi ipſorum hominum (quemadmodum fecit etiam, cum dixit, di
uitias eſſe finem œconomicæ) uel ut loquatur de uictoria honeſta & iuſta, ſicut ipſe
uiſus eſt ſeipſum declaraſſe ijs uerbis: Victoria et honor ſunt honeſta, eligibilia enim *1. Rhet. 9.*
ſunt: etſi ſunt infructuoſa, & demonſtrant excellentiam uirtutis. Non enim eſſent “
eligibilia infructuoſa, niſi eſſent honeſta, imò eſſent reijcienda, alioquin euerteren-
tur omnes quæ allatæ ſunt Ariſtotelis auctoritates: quia liceret etiam pugnare, ut ſu
peraremus eos qui non ſunt digni ut pareant. Neq; huic rei obſtat quòd aliquis dice
re poſſet, iuſtum & honeſtum eſſe finem generalem imperatoriæ facultatis: ſed uicto
riam eſſe proprium finem. Quia ex eis quæ dicta ſunt perſpicuè liquet, hanc faculta-
tem fuiſſe inuentam ob cauſas dictas, quæ ſunt honeſtæ, ut etiam eſt pax. Finis enim
(quemadmodum dictum eſt ſæpenumero) pax quidem belli, ocium autem negocij. *7. Polit. 15.*
quæ pax eſt idem quod felicitas, quæ eſt honeſtiſsima. Iſta ergo uictoria quæritur
propter pacem: alioquin omnia bella eſſent concedẽda, ut dominaremur omnibus:
quod quidem eſſet Ariſtotelem penitus labefactare atq; euertere. Et licet honeſtũ
& felicitas finis ſit politicæ, tamen nõ eſt abſurdum, quòd idem ſit finis plurium, ſed
modo diuerſo: ut felicitas & honeſtum eſt finis politicæ per ſe, facultatis tamẽ impe
ratoriæ per accidens, poſita uidelicet prauitate & ignoratione hominum. Ipſa enim
facultas imperatoria non habet per ſe finem: quia quod ad ipſam quidem attinet, eſ-
ſet omnino reijcienda.
Item conceditur propter ipſam politicam: inſeruit enim politicæ, & eſt neceſſaria
per accidens. Eligibilius enim eſſet, neq; ciuitatem neq; homines indigere ipſa. *7. Polit. 13.*
qui enim eligit hanc facultatem, eligit malum: ſed habet honeſtum ex neceſsitate. “
Et propter iſtam cauſam fortaſsè dixit Ariſtoteles: Videmus enim honoratiſsimas *1. Ethic. 2.*
facultates ſub hac politica eſse, Rhetoricam, Oeconomiam, & facultatem impera- “
toriam. quoniàm omnium iſtorum finis erat honeſtum, ſine medio aliquo modo: “
quod non conueniebat alijs facultatibus, quæ docent operari. Tendunt ergo om “
nes iſtæ ad eundem finem, ſed non eodem modo (ut diximus) neq; per idẽ medium.
Sunt enim propter hominum prauitatem & ignorationem: per ſe uerò ipſa politica
reſpicit honeſtum & felicitatem. Sed de his plura etiam in ſequentibus.
Item, Si finis facultatis imperatoriæ non eſset honeſtum, non eſset honeſtiſsima.
Sed illam poſuit Ariſtoteles eſse honoratiſsimam: ergo neceſse eſt ut eius finis ſit
honeſtum. honor enim eſt præmium uirtutis, & rerum honeſtarum.
Item, Eſt laude digna, ergo honeſta. Probatur conſequentia ex uerbis Ariſto- *1. Rhet. 9.*
telis: Si autem hoc, inquit, eſt honeſtum, neceſsarium eſt uirtutem eſse honeſtam: “
cum ſit bonum, laudabile eſt. Confirmatur: Finis generis demonſtratiui eſt hone- “
ſtum, ergo neceſse eſt quæ laudantur eſse honeſta.
Item, Eius præmium eſt honor, ergo eſt maximè honeſta. ait enim Ariſtoteles: *1. Rhet. 9.*
Quibus præmium eſt honor, ſunt honeſta. Quòd ſi nunquam permittitur pugna, “
niſi ſit honeſta: ergo nunquam debet concedi ſingulare certamen, niſi ſit honeſtum:
eſt enim pugna. ergo non ſunt permittenda ea ſingularia certamina, quorum hone-
ſta non eſt cauſa. At eiuſmodi fuerunt per iſtum conceſsa, ergo perperam factum.
Ergo multo magis erunt permittenda, quæ ſunt propter honeſtum. Sed ea certami-
na, de quibus ego loquutus ſum in libro De honore, ſunt propter honeſtum: ergo e-
rant magis permittenda. Malè igitur fecit iſte qui reiecit honeſta, & permiſit inhone
ſta. Quod autem Ariſtoteles uoluerit omnia certamina ad honeſtatem referri, ui-
detur ipſe etiam declaraſse nono Ethicorum, his uerbis: Omnibus autem certami- *9. Ethic. 9.*
nibus ad honeſtatem tendentibus, & ad agendum honeſtiſsima, communiter om- “
nia aderunt ea quæ decent, ſingulariter autem unicuiq; maxima bona: ſiquidem ta- “
lis uirtus eſt. Quæ igitur non tendunt ad honeſtatem certamina, non aderant eis

illa quæ decent:ergo non erunt permittenda. Et quamuis in pugna uniuerſali concedi uideantur alterutri parti quædam meliores conditiones, quàm in ſingulari certamine:ex hoc tamen ſequi non poteſt,pugnæ regum (quam pro hoc loco nuncupauimus uniuerſalem)non eſſe finem honeſtum.Etenim hoc neceſſarium eſt,alioquin non eſſet ferenda. Habet enim utraq; pugna eundem finem ultimum, quod eſt honeſtum. Ratio autem quare in pugna uniuerſali concedantur meliores alterutri parti conditiones,quàm in ſingulari,hæc eſſe uidetur:quòd in ſingulari agitur de honeſtate unius hominis cum altero.quam honeſtatem quemadmodum oportet unumquenq; habere uirtute propria, ita oportet ut acquirat,& acquiſitam defendat uirtute propria: quod non accideret, ſi alterutri parti concederentur meliores conditiones. Verùm in pugna uniuerſali plerunq; certatur non de uirtute regum propria, ſed de regnis,& de maiori potentia.quæ regna honeſtum eſt defendere quàm optimis fieri poteſt conditionibus, & hoc honeſto meliores quidem alterutri parti conditiones permittuntur.Quòd ſi de uirtute propria ipſorum regum certaretur,neceſſariæ eſſent etiam pares conditiones, alioquin reges non dicerentur propriam exiſtimationem uerè tueri. Quare meliores illæ conditiones, quæ permittuntur in pugna uniuerſali,nihil nos(ut ego quidem arbitror)impediunt,quo minus rectè ponamus, ipſius pugnæ uniuerſalis finem eſſe honeſtum. Neq; huic noſtræ ſententiæ aduerſari uidentur ea quæ primo Politicorum ad hunc modum ſcripta reliquit Ari-
1.Poli.7. ſtoteles: Fortitudinis autem non eſt pecunias parare,ſed fiduciam animi.neq; rei mi-
,, litaris,aut medicinæ:ſed huius quidem uictoriam, illius uerò ſanitatem. Quoniam
,, perſpicuum eſt (niſi uelimus tãtum philoſophum,tam diuinum hominem,in re tam aperta & manifeſta,& in tam paucis uerbis,pugnare cum ſuaipſius ſententia: quod quidem eſſet abſurdiſsimum)neceſſariò intelligendum eſſe,ut ſuprà etiam diximus, ipſum uel de uictoria honeſta, uel ex communi modo loquendi hominum eſſe lo-
1.Ethic.1. quutum:ſicut fecerat in primo Ethic. præſertim cum in loco citato primi Politic.ni-
1.Polit.7. hil intereſſet,utrum hoc an illo modo loqueretur.Satis enim ipſi erat eo loco oſtendere, parare pecunias non eſſe finem fortitudinis, neq; rei militaris, neq; medicinæ: id quod aſſequebatur, attribuendo illis artibus alium finem. Quam quidem ſententiam(ni fallor)uidetur indicare, cum in eiſdem uerbis uidetur ponere, fiduciam eſſe finem fortitudinis:cum tamen luce clarius ex eius uerbis ſuperius colligatur, honeſtum quod planè ſeiungitur à fiducia animi, eſſe ipſius fortitudinis finem.Accipienda ſunt igitur uerba Ariſtotelis in eam quam diximus ſententiam. Sic enim inter ſe omnia cohærebunt. Nihil igitur opinioni noſtræ illa (ut ego quidem arbitror) aduerſantur.

Facilè iam intelligi poteſt ex ijs quæ dicta ſunt, iſtum hominem, cui propoſitum fuit ſingulare certamen labefactare, ac penitus ex animis hominum euellere,ea poſuiſſe,quæ contrà potius oſtendant,illud nunc etiam dari atq; permitti,ſicut antiquitùs factum eſt:ut ex eis quæ ſequentur erit perſpicuum. Quod poſtea cum longè lateq; fluxiſſet,permanauit etiam uſq; ad hęc tempora.Et ſic patet, rectè dictum eſſe à nobis in libro De honore,ſingulare certamen fuiſſe uſitatum antiquis temporibus, & certas ob cauſas debere permitti ciuiliter, non tamen ex præceptis ſanctiſsimæ religionis noſtrę.quandoquidem ex illis perſpicuè liquet,illud omnino eſſe reijciendum,tollendum,ac penitus extirpandum: ut oſtendemus in ſequentibus.
Sed iam ueniamus ad uerba iſtius auctoris, atq; ſingula quantum opus fuerit ad ueritatem ſententiæ noſtræ demonſtrandam examinemus,atq; perpendamus.

FINIS PRIMI LIBRI EVERSIONIS
Singularis certaminis.

LIBER SECVNDVS.

SECTIO PRIMA.

SVPEREST, ut dicamus de certamine quod ſæpius ex prouocatione fieri contingit: unde uictoribus magna laus acquiri ſolet, & reliqua. *Auctor libri contra uſum duelli.*

EX ijs exemplis quæ auctor iſte hoc in loco protulit, perſpicue patet, ſingulare certamen, quod ipſe tamen euertere ſtudet, permiſſum antiquitùs fuiſſe, atque hominibus laudem & honorem attuliſſe. idcꝫ ſequi ex eis quæ à nobis iam dicta ſunt, & ex eis quæ dicentur, nemini (modò ſit ſanus) obſcurum eſſe arbitror. ANT. BER.

Super eiuſmodi pugna hęc ferè obſeruari, prouocatores utplurimùm fuiſſe ex barbaris, & reliqua. *Auctor.*

Si ſunt barbari iſti prouocatores (ut aſſeris) & minus uigent in militari diſciplina: ergo legitima non ſunt eorum certamina. quia quæ fiunt à barbaris, & ab eis qui in diſciplina militari minus uigent, non ſunt rationabilia, & bonis moribus carent, ut patet: aliter enim non eſſent barbari & imperiti. ergo, ut dixi, non ſunt legitima eorum certamina. quia quæ uerè ſunt legitima, ſunt rationabilia & iuſta, & ab eis qui ſunt periti proficiſcuntur: ergo non ſunt toleranda. Sed infrà dicis eſſe toleranda & admittenda: ergo tecum pugnas, tuam ipſius ſententiam euertis: quippe qui dicis & fieri à barbaris, & eſſe legitima, ideocꝫ admittenda. Sed de his inferius quoque uerba faciemus. ANT. BER.

SECTIO SECVNDA.

Prouocatores nunquam in certamen prodijſſe, niſi prius ducem percunctarentur, reliqua. *Auctor.*

HOc nihil facit ad rem. Sæpe etiam tẽporibus noſtris idem factum eſt. Sed ſiue fiat ex conſenſu, ſiue non fiat, hoc ego non curo in libro De honore. Satis eſt mihi, non fuiſſe inuentum Longobardorum, ſed populorum quorum habemus memoriam antiquiorem, ut dixi in libro De honore. ANT. BER. *5. lib. De hono.*

SECTIO TERTIA.

Qua in re uideo peccauiſſe Procopium, qui ſcripſit à Doca, è Gothorum exercitu, & quæ ſequuntur. *Auctor.*

ISta etiam ad rem non pertinent. Tua controuerſia eſt, non dari ſingulare certamẽ: quo autem modo id fieret, alia eſt quæſtio, nec eſt propria eius loci in quo uerſamur. Ego enim in libro De honore declaraui, quibus in cauſis hoc poſſet fieri ſine conſenſu, & in quibus non. Multa deinde narrat, ut oſtendat ſe multa legiſſe, licet parum faciant ad rem. Ex quibus etiam ſequitur dari ſingulare certamen, quod uult ipſe tollere: complura enim affert exempla, quæ indicant uiros etiam maximos certaſſe ſingulari certamine ſine aliqua cauſa. Itacꝫ multo magis periculum eſt, (ut ex eis quæ dicentur erit perſpicuum) hunc hominem non intelligere quam rationem inſtituerit, & quid ſcribendũ ſibi propoſuerit, quàm nos rẽ ipſam, eiuſcꝫ nomẽ ignorare. ANT. BER.

SECTIO QVARTA.

Sed ut euidentior ſit eorum quæ dicentur demonſtratio, ante omnia ponenda ſunt, &c. *Auctor.*

HOc facit, quia definitionem illam poſteriorem non intellexit, utpotè qui ea quæ ſunt propria definitionum ignorauerit. illam enim iudicauit poſtea plures errores in ſe cõtinere, propterea quod minus eam intelligebat. quamobrem protulit, quicquid ſibi in buccam uenit. ANT. BER.

SECTIO QVINTA.

Non dubito multos eſſe deriſuros me, atcꝫ hunc meum laborem, qui rem adeò ueteri conſuetudine uſurpatam, & reliqua. *Auctor.*

ANT. BER. Honeſta ſanè ac maximè pia oratio: ſed quæ in hunc locum nullo pacto conueniat. Non enim opus eſt hic concionari, ſed probare. tamen quid dicat uideamus. Vir iſte Chriſti ſeruatoris noſtri præceptis, ac ſacrorum theologorum monitis, iuris ciuilis & canonicis ſanctionibus improbari hanc immanitatem aſſerit: idq; omnium & antiquarum, & quæ nunc ſunt bene inſtitutarum gentium, apud quas illa nunquam permiſſa fuit, exemplis cõprobatum eſſe. Sed tamen ipſe infinitis penè exemplis oſtendit, hanc quam ipſe appellat immanitatem, permiſſam fuiſſe, & iuſtè permiſſam. Quis ergo ſe contineret, quin ingenium huius hominis atq; naturam inſectaretur? qui quidem iam confugere non poteſt ad id præſidium, quo temerè confiſus eſt, quod uidelicet ſint diuerſa ſingularis certaminis genera: hoc enim illi prorſus ereptum eſt, ex ijs quę in ſuperiore libro dicta ſunt. Quis porrò non uidet, peiorẽ immanitatem eſſe, bellum quod fit inter reges, quandoquidem ex eo ſequantur plura incommoda atq; detrimenta, ueluti rapinæ, hominum cædes, ſtupra uirginum & mulierum, urbium deniq; incendia & euerſiones: & tamen uult iſte, hoc bellum legibus tum diuinis tum humanis eſſe permiſſum, ac permitti debere? Qui quidem error ita perſpicuus eſt, ut ex maxima debilitate eius uirtutis animi quæ ratiocinatur & diſcurrit, ortum habere neceſſe ſit. Quòd ſi eius rei hanc cauſam afferat, ut reges non poſsint cogi à magiſtratibus? diximus etiam nos in libro De honore, ſingulare certamen permitti debere, cum ſinguli homines non poſsint cogi à magiſtratibus, ut fit in multis cauſis, quas in eis quæ ſequentur commemorabimus: & tamen iſte ſic inuehitur in me, ut qui primam tantùm uerborum eius quaſi faciem intueatur, ipſum pium, me impium facilè iudicet. Sed qui interius ſententiam perſcrutantur, non dubito quin intelligant, in eo me maximè pium fuiſſe, ac maximo erga genus humanum ſtudio & amore affectum: quippe qui laboraui multos annos, ut homines hac in re, ſi non omnibus incommodis (quod quidem effici à nemine poteſt, niſi à Deo opt. max.) ſaltem à plurib. quibus maximè affligebantur, quantũ in me eſſet liberarẽ.

Quis autem ignorat ſingulare certamen malum eſse? quis ignorat hominum cædes malas eſse? quis ignorat cruciatus quibus torquẽtur homines, malos eſse? Quis meretrices eſse in ciuitatibus, ignorat malum eſse? ſunt enim electiones mali: ac melius eſset homines & ciuitates his non indigere. Qui uerò neſcit omnia iſta aliquando eſse permittenda, ſicut permittuntur ob eam cauſam ut maiora uitentur mala: eum quidem ita ſtupidum eſse oportet, ut cum ipſo minimè ſit diſputandum. Etenim is uentriculos cerebri uel cordis contra naturam inuerſos habeat neceſse eſt, cum intelligere non poſsit ea etiam quæ omnibus ſunt perſpicua: & ideo non tali auxilio nec defenſoribus iſtis tempus eget; oporteret enim eum qui ſingulare certamen uult euertere, ut hominum naturam & prauitatẽ prius è medio tolleret. Quod cum humana ui fieri non poſse planè conſtet, ut permittatur etiam ſingulare certamen in aliquibus cauſis neceſse eſt, ſicut permittitur etiam bellum inter reges: cuius rei perſpicuè cauſa eſt hominum prauitas. quamdiu igitur hæc erit, tamdiu ſit ac permittatur & bellum generale & ſingulare neceſse eſt. nam cum homines utplurimùm quando poſsunt, iniuria alios afficiant, quemadmodum inquit Ariſtoteles; [2.Rhet.5.] nec poſsit hoc per leges, neque per magiſtratus prohiberi: neceſsitas cogit, ut adhibeantur iſta remedia. aliter enim non poſsunt homines beatitudinem, ad quam ſunt nati, ullo modo conſequi: quinimò in maximis & aſsiduis uitæ perturbationib. uerſarentur. Quæ cum non uiderit homo iſte, mirum non eſt, ſi in nos uerbis parum honeſtis inuectus fuerit. Sed ueniam ipſi facilè damus, quem intelligimus non ex animi prauitate peccaſse: ſed quia putauit ſe hominum utilitati conſulere, me autem rem inanem atq; inutilem docuiſse.

Nos uerò in contrariam ſententiam adduxerunt rationes, quas & in libro De honore & hic attulimus, ex Peripateticorum doctrina. Sed de his infrà etiam agemus.

Probauit præterea iſte ſuis exemplis contrarium, atq; ipſe aſserit. ea enim attulit exempla, in quibus ſingulare certamen permiſsum fuit. Falſum eſt etiam, ut oſtendimus, & oſtendemus, quòd à morali philoſophia abhorreat ſingulare certamen. A' religione quidem abhorrere, conceſsimus in libro De honore.

Quod uerò ait, detrahere honori ſingulare certamen, & non conſeruare illũ: hoc erat probandum rationibus, non concionibus. Nemo autem ſequutus eſt in hac re

leges Longobardorum, & Federici: quia non tulerũt ueras leges huiuſmodi pugnæ. Addit iſte multa præterea, quæ quia nihil ad rem, mitto facio.

Quòd uerò ſubiungit, alios erraſſe ob ignorationem rei quam tractabant, uidentur hæc illi uerba excidiſſe, non conſideranti id quod erat conſiderandum: uidelicet omnium pugnarum eundem neceſſariò eſſe finem, & ita non plura eſſe genera ſingularis certaminis. nihil enim refert de nomine, cum de re agatur, nominetur quomodocunq; placet, modò ſit pugna inter duos. Sed tamen oſtenſum eſt ſuprà, eum falſam de hac re accepiſſe opinionem, & ſibi finxiſſe hæc ſomnia. Profitetur enim ſe ſcribere contra uſum duelli, & tamen in multis cauſis concedit ipſum. Hoc idem ego etiam feci: atqui in aliquib. cauſis illud permitterem, in aliquib. non permitterem.

Præterea ſi per te licet duos propter utilitatem publicam pugnare ex pacto, ſicut pugnarunt Aeneas & Turnus: ergo licebit duos pugnare propter honorem.

Probatur conſequentia: quia hæc etiam eſt utilitas publica. etenim niſi aliquando pugnarent duo ſingulari certamine, fratres & affines perſequerentur iniurias eorum uſq; ad necem, ut conſtat ex eo quod ſit quotidie: & ita uniuerſa ciuitas (ſicut multis locis accidit) uexaretur, quod illi maximum detrimentum, atq; adeò exitium afferret. Ergo utile eſt aliquando reipublicæ, ut pugnent duo inter ſe ex pacto. Licet enim priuata ſit cauſa, ipſam tamen conſequitur utilitas publica.

Quæ uerò dicis de Athenæo, ſunt nugæ. nam Athenæus dicit ſe ſcripſiſſe in aliȷs libris, homines claros & duces primarios iuſtè ad hoc ſingulare certamen ſe contuliſſe: & hoc illi quidem faciebant, cum ſe mutuò ad pugnam prouocauiſſent.

SECTIO SEXTA.

Vt autem omnia ſint clariora, pono plura ſingularis certaminis eſſe genera: totidem ſcilicet quot ſunt cauſæ, & quæ ſequuntur. *Auctor.*

SI totidem ſunt genera ſingularis certaminis, quot ſunt cauſæ: hæc uerò (ut patet) ſunt infinitæ: ergo infinita erunt ſingularis certaminis genera, per te. Quod cum à ueritate alienum ſit: ut id quoq; unde fluxit, alienum ſit à ueritate, neceſſe eſt. Ego autem in libro De honore non conceſsi totum hoc genus duelli, quod tu concedis. Falſum item uidetur, & à ueritate alienum, quòd exempla quæ attuliſti ſingularis certaminis, fuerint pro utilitate publica. Quæ enim eſt iſta utilitas, quòd ſe interficiant præter aliquam utilitatem exercitus? nulla certè, præſertim cum apertè uideantur mutuò ſe ad pugnam prouocare ſine cauſa. Sunt ergo Barbari, & ferè ſine militari diſciplina, ex eis quæ à te dicta ſunt. Ergo eiuſmodi certamina non ſunt legitimè ſuſcepta, quia non ſunt ſuſcepta ab hominibus militaris diſciplinæ, & honeſtorum morum peritis: ſunt enim Barbari. Sed tu infrà, & nunc, admittis ea. ſic enim ais: De primis tribus generibus, cum inter hoſtes fiant, nemo unquã dubitauit quin legitima ſint: & quòd licet uti inſidȷs & aſtutȷs. Ergo admittis ea quæ non ſunt admittenda, & quæ nullam reipublicæ utilitatem afferunt. Bone Deus, iſte homo nõ concedit ſingulare certamen ob tuendam ſuam exiſtimationem, in rebus etiam magni momenti: & concedit certamina illa gladiatorum, quibus nihil fieri poterat immanius, nihil magis ferinum: quorum ego certaminum nullam mentionem feci in libro De honore, quia nihil deteſtabilius excogitari potuiſſe mihi uidebatur. *ANT. BER.*

Addis, priuatam cauſam eſſe multiplicem: quaſi publica cauſa non ſit multiplex. Quam uerò pugnam ob inanem gloriam concedis, & uirtutis militaris oſtentandæ gratia, illa à me non conceditur: ſicut etiam non conceditur pugna propter odium, quia non eſt propter honeſtum. ex ipſa tamen ſequitur, ut multo magis ſit concedendum ſingulare certamen propter honeſtum: quod eſt id quod nos uolumus. Præterea abſurdum eſt quod ais, neminem dubitaſſe quin tria illa genera, quæ enumeraſti, eſſent legitima: quia ea quæ non ſunt iuſta & honeſta, non poſſunt eſſe legitima: illa uerò omnia certamina, licet ſint inter hoſtes, tamen non ſunt iuſta & honeſta. quia poſſunt aliqui ex pacto pugnare, & ex improuiſo concurſu, & ob gloriam & odium uanum: & ita non ob iuſtum & honeſtum, ut eſt in exemplis à te ipſo citatis. Vt ea igitur non ſint legitima certamina, neceſſe eſt. Euertis ergo tuam ipſius ſententiam, & in hac re, & in eo quòd dicis licere in eis uti inſidȷs: cum in ſequentibus

improbes eos qui in huiuſmodi certaminibus utuntur inſidijs. Et cum inter inſidias eſſe poſsint mendacia ac fractio fidei, quæro à te, quæ ſit cauſa, quare liceat uti inſidijs, & non liceat dicere mendacia?

Addis præterea, me lapſum fuiſſe, propterea quòd perperam putauerim hominũ certamina eſſe iudicanda & dirigenda ad regulam mei duelli. Ego uerò putaui rectè: tu perperam putas me lapſum eſſe. Etenim regula mei duelli ducitur ex natura honeſtatis & uirtutis, ad quæ dirigenda ſunt omnia certamina quæ iuſtè permitti poſſunt, & ex quibus iudicantur quæ non ſunt permittenda, ſed abijcienda: ut ſunt ea certamina quorum exempla tu poſuiſti. Sed ignoſcendum eſt tibi, propterea quòd fortaſſe ignoras regulas & artificia quibus traduntur artes & ſcientiæ & facultates, quæ artificioſè docentur. Illa porrò tua certamina non ſunt ex honeſtate & uirtute: ergo uituperanda atq; reijcienda, contrà quàm ipſe affirmas.

Præterea ſi conceditur ſingulare certamen ex prouocatione unius qui ſit in exercitu Imperatoris, & alterius qui ſit in exercitu regis: ergo magis debet cōcedi ex cauſa iniuriæ illatæ homini honorato. quia ibi nulla eſt cauſa particularis cur illi duo debeant inter ſe pugnare: hic uerò maxima & neceſſaria eſt.

Neq; eſt pactum inter duces belli, quare illi debeant ſua ſponte ac uoluntate pugnare, ſed unus prouocat alterum. Vult iſte duellum tollere, utpote qui præclarè nouit quid'nam ſit: & conſtituit ipſum: & magis quidem conſtituit, quàm ego in libro De honore. non enim poſui ipſe hoc genus duelli.

Item. Illi quorum exempla iſte protulit, non ſunt uerè hoſtes, neq; pugnant propter ſe, ſed propter ſuos reges. Ergo non poteſt concedi eiuſmodi certamen.

Item, Duellum quod poſui ego in libro De honore, eſt inter inimicos: quia eſt inter eos quorum alter læſerit alterum, de illius honeſtate detrahens: qua iniuria, ſicut patet, nulla eſt aptior ad impellendos homines ut inimicitias ſuſcipiant. Ergo debet concedi eiuſmodi duellum, quia eſt inter inimicos, & cauſam iuſtam habet. ita enim ponimus. Preterea ſi homines non laborant poſtquam ſuſceptum eſt bellum iuſtè, utrum per inſidias an apertè gerãt: ergo magis eſt concedendum certamen illud quod uirtute propria tranſigitur: eſt enim magis propinquum uirtuti, imò eſt ex uirtute. Et ideo tu lapſus es, non ego: quippe qui concedis duellum quod omnino aduerſatur uirtuti, & ipſi honori. non enim eſſe poteſt cum uirtute uitium, neque cum honore.

Præterea ſi Nicolaus papa, ut ais, nominis æquiuocatione fuit deceptus: ergo redarguis pontificem, & concedis duellum à pontifice prohibitum: ergo concedis id quod prohibent Canones. ergo es dignus illa pœna & illis nominibus, quorum inferius dicis dignos eſſe illos qui conſtituunt duellum, quod prohibent Canones. Etenim quid ſunt Canones niſi decreta pontificum? & ſi licet tibi infringere huiuſmodi Canones: quare, ſi alij uellent, non poſſent? Sed dic quæ eſt iſta æquiuocatio, qua pontifex ille deceptus fuit? non'ne ſciebat, quòd erant ſingularia certamina inter hoſtes, propter utilitatem publicam ſuſcepta: quale fuit certamẽ Dauidis cum Goliatho? & tamen prohibuit ipſa. quæ, ſi tu non uis rectè eſſe prohibita, licebit etiam nobis dicere, quòd illa quæ ſunt prohibita ab alijs pontificibus, non ſunt rectè prohibita. Si dicas in hoc deceptum fuiſſe Nicolaum pontificem: ego dicam, & alios pontifices eſſe deceptos: & ſic nihil firmi habebis ex Decretis pontificum, quo poſſis ſingularia certamina euertere. Eadem enim eſt ratio omnium pontificum, quatenus pontifices ſunt: & qui hoc non credit, eſt pœna dignus. Cui rei cum tu nolueris fidem adhibere, neceſſe eſt opinor, ut iudiceris in errorem peſsimum & dignum pœna incidiſſe.

Præterea quis non iſtius uicem doleat, qui concedit legem de gladiatoribus, propter delectationem, quæ erat immaniſsima & maximè impia: & nō uult concedere ut uir bonus pugnet ob tuendam exiſtimationem & honeſtatem ſuam, cuius ratio (ut oſtendimus) patriæ et parentibus anteponenda eſt. Nihil enim abſurdius excogitari poteſt. Adde, quòd certamina illa gladiatorum nihil habent commune cum duello, de quo loquutus ſum in libro De honore. Sunt enim peſsima, & maximè deteſtabilia: neque ego unquam illa conceſsiſſem.

SECTIO

SECTIO SEPTIMA.

Ad oſtentationem roboris certant quidam, gloriæ nimium appetentes: ebrij, ut puto, facti fabuloſis eorum, quos uulgus Equites errantes appellat, &c.

Autor.

ANT. BER.

Eiuſmodi ſingularia certamina ad oſtentationem roboris & gloriæ, planè ſunt à me reiecta in libro De honore. Sed quærimus à te, nũquid concedas hoc genus ſingularis certaminis, an non cõcedas? Si concedis, ergo concedis duellũ factũ ab ebrijs quod nõ poteſt eſſe legitimũ, neq; ulla ratione munitũ. Ergo debes multo magis cõcedere legitimũ, quod fit ob tuendũ honorẽ & exiſtimationẽ ſuam & ad probandũ ſe eſſe uirũ bonũ, non proditorẽ & fraudulentũ. Si non concedis, neq; etiam debes cõcedere ſingulare certamẽ militũ, qui inter ſe prouocãt ſine permiſſu & utilitate ducis exercitus: quia, ut patet, nõ faciũt hoc niſi ad oſtentationẽ roboris, appetẽtes gloriã. nõ enim id eis imperatur à duce: neq; ex facto illo ſequitur ulla utilitas, etiã ſi alter ſpolietur armis. Sed cũ hoc cõceſſeris, ſequitur ut tuã ipſe ſentẽtiam euertas.

Ridiculũ præterea eſt quod dicis, àlicubi ſemper eſſe iuſta bella: quaſi multa huiuſmodi extiterint, aut ſint temporib. noſtris, præſertim inter Chriſtianos. Quę aũt narras de ſingulari certamine Sordelli & Emanuelis Hiſpalẽſis inter ſe. ita quidem ſunt præter rem, ut ad oſtentationẽ ea cõmemoraſſe apertè uidearis. in dubium enim uenire non poteſt quin eiuſmodi certamen planè reijciendum ſit, ac tollendum.

Præterea illud genus certaminis quod eſt ab ira, uel eſt ab ea rationabiliter orta, uel non. Si ab ira rationabiliter orta: ergo iſta ira erit propter apparentem neglectũ eorũ quæ pertinent ad ipſum, uel ad aliquã ipſius rem non conuenienter: ergo propter honorẽ. Etenim qui honore atq; honeſtate ſpoliatur, hoc modo negligitur: ut declarauit Ariſtoteles. Ergo per te non diſtinguitur ab illa ſpecie duelli quam ponis ultimam, & quam redarguis: ergo tecum ipſe pugnas, ac tuam ipſius ſententiam refellis. Sin autem eſt ab ira non rationabiliter exorta tum permittis duellũ quod nõ eſt rationabile. ergo redarguendus es, qui cõcedis illud quod non eſt legitimum: ut multo peior exiſtas, quàm nos in libro De honore, qui hoc nõ conceſsimus. Qualis porrò iudicandus eſt homo iſte, qui non rationibus mouetur, ſed auctoritate ſolùm ut faciunt idiotę: accuſat enim me, qui reprehenderim Virgilium in re tam aperta & manifeſta. Etenim quis neget, modò ſit ſanus, uerè illum reprehenſum eſſe, qui Aeneam, quem pietate inſignem & magnanimum uirum ubiq; induxit, ſcribat interfeciſſe Turnum per iram & dolorem, conſpecto Palantis baltheo: cum is quidem iam uulneribus confectus, ſeq; uictum confitens, inſpectantibus omnib. & audientibus, Lauiniamq; remittens, uitam ſuppliciter deprecaretur: id enim ab omni humanitate & uirtute prorſus abhorret. itaq; ne alij pugnantes exemplo tanti uiri, interficerent confitentes ſe uictos, quia mihi ſemper propoſitum fuit ſeruare homines, eorumq; utilitati conſulere, quantum fieri poſſet (neq; enim ſatis pius mihi uiderer, niſi id pro uiribus præſtarem) idcirco non dubitaui in libro De honore ipſum Virgilium redarguere. qui etſi erat uir doctrina præſtantiſsimus, non tamen ſequitur, eum non potuiſſe errare. nam ne Ariſtoteles quidem Homerum ab eo uendicat, ut errare non poſſet: —*à quo ceu fonte perenni, Vatum Pierijs ora rigantur aquis.* Et non ſolùm Ariſtoteles, ſed etiam Horatius dixit, —*quandoq; bonus dormitat Homerus.*

2. Rhet. 10.

Redargutio Virgilij 6. in ſequentibus.

Horat. in Arte poetica.

Refelli igitur Virgilium propter hanc cauſam, & propter ueritatem quam in primis ſequi omnes debent. non enim uiris fortibus & pijs conceditur, ut per iram ea faciant quæ non ſunt facienda. Potuit autem Homerus Achillem inducere ea facientem, quæ non potuit Virgilius Aeneam. Homero enim erat propoſitum dicere Achillis iram: irati autem homines multa poſſunt facere, quæ non poſſunt pij & magnanimi. Itaq; plus hoc loco ponderis ipſa ueritas & utilitas publica, quàm poetę licet maximi autoritas, habere debuit: quę cũ eſſet cõtra ueritatẽ, tũ uerò plurimũ poſſet obeſſe hominib. ſicut etiã reuera obfuit: plures enim ꝓpoſito eiuſmodi exẽplo interficerẽt ui. q; interficiuntur. Atq; ego ſanè in libro De honore magis pius & humanus iudicatus ſum, q; tu: qui propter autoritatẽ unius hominis, negas morẽ omnib. pernicioſiſsimũ, ac lõgè peſsimũ non eſſe reprehendendũ. Sed de hac re infrà etiam

pluribus agemus. Quid uerò, quòd putas duellum propter coniuges & regna ſuſceptum, nõ eſſe ſuſceptum propter iniurias? hoc quidem (pace tua dixerim) quid aliud eſt, quàm ignorare propriam uocem? Nam rapere uxorem et regnum alterius, non'ne eſt contra æquum & iuſtum, & ſic iniuria? Er propter quid aliud pugnatur ob has cauſas, niſi quia qui his modis læditur, iniuria, & quidem maxima afficitur?

Præterea hoc duellum pro coniuge, pro regno ſuſceptum, conceditur à me in libris De honore. Ergo tu non redarguis duellum, de quo ego ſum loquutus: quod tamen tibi propoſitum eſſe profiteris.

SECTIO OCTAVA.

Auctor. Quæ uerò pro innocentiæ experimento, ſeu uniuſcuiuſq; ueritatis in iudicio manifeſtandæ gratia per iudices concedebãtur duella, & reliqua.

ANT. BER. Tantum uerò abeſt, cum deſunt legitimæ probationes, ut pro innocẽtia in rebus magni momenti, & pro tuenda exiſtimatione ſua pugnare, ſit ex more Barbarorum, ut hoc experiendi genere ſublato, nullus omnino iuſticiæ locus relinquatur. Quomodo enim conſequetur quod ſuum eſt, ille qui iniuria erit affectus? nam huic magiſtratus quidem & leges, deficientibus legitimis probationibus, nihil auxilij poterũt afferre. Neq; uerò iuſiurandum in rebus magni momenti uidetur eſſe alicuius ponderis. etenim quibus in rebus quis audet iuſticiam & æquitatem euertere, & ita ſanctiſsimi Dei opt. numen offendere: uerisimile eſt multo magis auſurum periurare.

Iccirco ego in libris De honore oſtendi, eos qui ob certas cauſas naturaliter prohibent iſta duella, etiam cum pro innocentia, pro honore ſuſcipiuntur, eſſe cauſam maximorum malorum: eosq; non intelligere quid expediat ciuitatibus, & quid non expediat.

Præterea ex eius dictis redarguitur lex Frontonis, eiusq; ratio. Falſiſsimum etiam unum addis, quia nullus purgationem alicuius delicti non pertinere ad honorem: quo quid abſurdius? Nam pugnare ut ſe quis aliquo ſcelere purget, eiusq; ſuſpicione planè liberetur, eſt maximè pugnare pro honore: eſt enim pro honeſtate, cui debetur honor. Quòd uerò ais, duellum quod fit in Italia, fieri extra iudicium, & ſine certa iudiciorum lege: dicimus, fieri ita ut exigit eius natura. Etenim ſi aliter fieret, non eſſet duellum: ſicut non eſſet homo, qui non eſſet factus ita ut exigit natura hominis. Falſum tamen eſt, quòd fiat ſine certa lege: cum perſpicuè pateat, id fieri ex definitione honoris & ipſiuſmet duelli, quæ ſunt principia certa, unde ducuntur regulæ totius ſingularis certaminis: ſicut ex definitione ſcientiæ & demonſtrationis ducuntur regulæ, quæ docent conficere demonſtrationes. Similitudo manifeſta eſt. ſunt enim iſtę definitiones in ſua quoq; doctrina, principia cognoſcendi: quę ſumuntur ex communi more loquendi hominum, & non ex demonſtratione.

Ex his facilè intelligi poteſt, quàm iſte non ſcrutetur interiores & reconditas literas: qui tantam præ ſe fert ignorationem omnis artificij, quo traduntur artes.

Subiungit aliud, quod maximè ridiculum eſt. Facit enim illud ſingulare certamen quod ſuſcipitur tuendi honoris & ignominiæ propulſandæ cauſa, aliud genus ab eo quod ſuſcipitur pro innocentia & ueritate. quaſi nocentem eſſe, ac mentiri, nihil pertineat ad honorem, neque afferat ullam infamiam. Quis eſt autem, modò ſit ſanus, qui dubitet, quin ſit expers honoris homo nocens, & qui mentitur? Ergo qui pugnabit ut oſtendat ſe non eſſe nocentem, neq; mentiri, pugnabit ut tueatur ſuum honorem, & ſuam honeſtatem, & ut propulſet infamiam. Ergo non ſunt hæc genera diuerſa. itaq; non ſolùm pugnãtia, ſed (quod multo peius eſt) negãtia loquutus es.

Præterea concedo, nomen certaminis inter duos fuiſſe apud Græcos monomachiam, apud Romanos ſingulare certamen: at nego, eos qui de eo hucuſque ſcripſerunt, uim & originem eius ignorauiſſe. Illud quidem uerisimè affirmare poſſe uideor, te ignoraſſe, omnia quæ dicis, alios neſciuiſſe: quia niſi ita eſſet, non incidiſſes in tot turbulentiſsimos & manifeſtiſsimos errores. Oportuit enim te probare, quod erat totius opinionis tuæ fundamentũ: plura eſſe genera ſingularis certaminis, eius uidelicet quod honeſtè permitti nõ poteſt. Quod cũ non feceris, imò illud ipſe tuiſmet uerbis planè euerteris, ſicut ex eis quæ dicta ſunt perſpici liquidò poteſt: ſequitur, ut

tur ut maximè reprehendendus ſis,qui alijs id obijcis, quod tibi maximè uitium eſt.

Præterea ſi apud Græcos generale fuit monomachiæ nomen, ut ipſe aſſeris, quò uidelicet omnis generis ſingularia certamina ſignificabantur: & ſi id quod pro honore tuendo ſuſcipitur, eſt unum genus per ſe:ergo potuit illo nomine, ſicut alia, ſignificari. quod tamen negas ipſe.

Præterea non repugnat ſpeciei, ut appelletur nomine generis: quod tu etiam inferius aſſeris. Ergo potuerunt Græci appellare hoc genus certaminis inter duos Monomachiam, Latini ſingulare certamen, etſi eſſet ſpecies diuerſa ab alijs. Probatur: quia Reſpub. ex ſententia Ariſtotelis eſt nomen generale omnium rerumpublicarũ, & nomen unius ſpeciei: ita iuſticia eſt nomen generale omnis uirtutis, & proprium unius cuiuſdam uirtutis, quæ iuſticia dicitur. non ergo fuit abſurdum, hoc certamen de quo nos in libris De honore ex tua ſententia uerba fecimus, nominare ſingulare certamen: neq; fuit abſurdum dicere, apud Græcos appellatũ eſſe Monomachiam, & apud Latinos ſingulare certamen.

Præterea quæro à te, docte uir, ut tibi uideris, & ut ego quoq; ſentio, ſi tuæ artis cancellis te contineas: ueruntamen quæro à te, quo nomine quòd minus latè pateat quàm Monomachia, aut quàm ſingulare certamen, nuncupata ſit pugna inter duos, à Græcis & à Latinis? omnem enim eiuſmodi pugnam uocarunt Græci Monomachiam, Latini ſingulare certamen: neq; alio uocabulo appellatum inuenies. Quo enim tandem alio nuncupata fuit nomine Achillis & Hectoris pugna? Ergo non fuit apud utroſque aliud nomen talis pugnæ quod minus latè pateat, quàm Monomachia, & ſingulare certamen. Ergo non ſunt hæc nomina generalia, quæ complexu ſuo contineant & cohibeant plures ſpecies; ſed ſolùm plura ſingularia, ut ſpecies ſpecialiſsimæ, ut homo & aſinus. Ita ſingulare certamen continebit certamen Hectoris & Diomedis, Aeneæ & Turni. quæ differunt numero & materia tantùm, non ſpecie & forma, ſicut Socrates & Plato: quæ ſunt indiuidua unius ſpeciei, ſunt ſolùm materia & numero differentia, non forma, ex cuius formæ diuerſitate res omnes ſpecie ſeiunguntur. Sunt ergo Monomachia, & ſingulare certamen, nomina unius ſpeciei: non prædicantur enim niſi de pluribus differentibus numero per materiam. Ergo perperam aſſeris, ea apud Græcos & Latinos eſſe generalia nomina, & non magis unius quàm alterius generis: cum liquidò pateat, eſſe nomina unius ſpeciei. non enim ſunt unius cuiuſdam certaminis uocabula: quia nulla ars (ut inquit Ariſtoteles) conſiderat ſingularia: ut medicina, quid Socrati aut Calliæ ſalubre ſit: ſed quid talibus aut talibus ad curam artificioſum eſt. Singularia enim infinita ſunt, & ſcientia nequeunt contineri. Non potuerunt ergo Latini appellare omnia illa certamina quæ enumeraſti, niſi ſingularia certamina: quia nõ poſſumus proficiſci in infinitum. Opus enim eſſet inuenire infinita nomina: quod cum fieri non poſsit ex ſententia Ariſtotelis, ut falſam de hac re acceperis opinionem neceſſe eſt; ſi tot oporteret eſſe nomina, quot ſunt pugnæ inter duos. Rhet. 2.

Item, Græci nuncuparunt Monomachiam ex eo, quòd unus ſolus cum ſolo pugnaret: & Latini ſingulare certamen, quia unus cum uno pugnaret. Ergo nos rectè diximus, ſingulare certamen quod poſuimus, appellari poſſe Monomachiam Græcis, Latinis ſingulare certamen: eſt enim ſolùm inter duos, à quorum numero impoſita ſunt hæc nomina. Ergo potuerunt etiam ob eandem cauſam Itali nominare pugnam eiuſmodi Duellum, à numero duali Grecorum, quod ſolùm dicitur de duobus. Vel ſi non uis hinc eſſe dictum, dicemus placuiſſe ijs qui illud ita primùm nominarunt, imponere hoc nomen, quia nomina ſignificant ad placitum.

Quis igitur, bone uir, error fuit, ſi Italis placuit imponere eiuſmodi pugnę hoc nomen, Duellum? hoc uerò negare, quid aliud eſt, niſi ignorare naturam & uim nominum, & ipſi Ariſtoteli repugnare?

SECTIO NONA.

Reſtat ultima ſpecies huius immanitatis, quod Duellum dicitur, & in Italia nunc eſt in uſu, &c. Auctor.

Conſenſerunt enim Itali, ut pugna quæ eſt inter duos, nuncupetur Duellum, in quorum ANT. BER.

in quorum poteſtate erat hoc facere: quod quidem eſt cõmune omnib. linguis. Nomina enim (ut ait Ariſtoteles) non ſignificant naturaliter, ſed ſecundum hominum conſenſum. Quare igitur ſic exclamas, & projcis ampullas & ſeſquipedalia uerba, & ita amplificando rem aſſeris, eos qui hucuſq; de illo ſcripſerunt, ignorauiſſe eius nomen & notionem, uimq; & originem: cum perſpicuè oſtendas te ignorare uim & naturam ipſorum nominum, præſertim eorum quibus nunc uſus es?

1. Periher. 1.

Quòd uerò ſubiungis, non reperiri apud Græcos aut Romanos, aut Carthaginẽſes aut Perſas, aut Hebræos, aut demum aliquam bene conſtitutam Rempublicam, huiuſmodi pugnæ genus unquam fuiſſe permiſſum aut cognitum: incognitę autem rei non potuiſſe apud illos eſſe nomen proprium: dicimus, euerti iſta quæ nunc dicis, ab ijs quæ ante dixiſti. Etenim per te fuit conceſsum, pugnare propter regna, coniuges & patriam. Ergo fuit conceſsum illud certamen quod ego poſui in libris De honore: quia conceſsi, propter regna, propter coniuges, & propter patriam poſse homines pugnare ſingulari certamine, imò aliquando debere. Non ergo deſtruis certamen omnino, quod ponitur à me. perperam ergo locutus es.

Item, Qui pugnant pro coniugibus, pro regnis, pro patria, pugnant ut officio ſuo fungantur: ergo, ut non deſint honori ſuo. Si enim illam pugnam refugerent, quam ſuſcipere debent, honorem ſuum projcerent. Itaq; ſi à Græcis conceſsa fuit pugna pro patria, fuit conceſsa pro honore: quod tamen negauit iſte. Sed eſto, ut conceſſum non fuerit apud Græcos, pugnare pro ſua exiſtimatione tuenda: ergo perperã ab ipſis factum eſt, qui, ut tu aſſeruiſti, conceſſerunt duos pugnare inter ſe ſine cauſa. Multo enim magis debuiſsent permittere eam pugnam, quæ maximè neceſsaria eſt, quæq; fit honoris & honeſtatis cauſa. Eſto etiam, ut nunquam permiſsum fuerit pugnare pro honore, ac ne excogitatũ quidem: tamen non ſequitur, ut iuſtè nũc concedi nõ poſsit in aliquibus cauſis. Temporibus enim noſtris multa reperta ſunt & bona & honeſta, ac multæ artes, quæ neq; inuentæ fuerunt, neq; excogitatę ab antiquis. Si antiqui excogitauerunt peiora certaminum genera, non uideo unde efficias ut ſequatur, nos etiam nõ debuiſse excogitare hoc genus, quod eſt pro tuenda exiſtimatione, qua homini nullum eſt maius bonum ex eis quę extra nos ſunt. quod ſi tollendum ſit, quia id antiqui non cognouerunt: non uideo ſanè cur non tollendæ ſint etiam omnes artes, & omnia illa quæ habemus bona, ab antiquis non excogitata & inuenta: nec cur liceat hominibus nouas artes & bona excogitare & inuenire: quod eſt abſurdiſsimum. Sed non uidit iſte homo, quot humano generi incommoda ſequantur ex ſuis dictis: propterea ita loquutus eſt.

Item ex eo quòd diſtinguis pugnam pro honore ſuſceptam, à pugna quæ fit propter iniurias: ſequitur, non lædi honorem per iniurias: quia ſi læderetur honor per iniurias, non eſſent illæ pugnæ diſtinctæ. Sed hoc eſt abſurdiſsimum: quia per iniurias maximè læditur honor. Ergo te ipſum euertis. Eſt etiam ſalſum, me in libro De honore uelle credere, Duellum eſſe tantum honoris tuendi, ignominięq; propulſandę cauſa, quia poſui in definitione Duelli hæc uerba: A prouare che l'è huomo honorato, è non degno di eſſere ſprezzato, ne ingiuriato. Dico, ſi eſſent diſtincta. Ergo fruſtra ſeiungis hoc ultimum à genere, in quo ſunt Aeneas & Turnus: quod tamen cum diſtinxeris, ut tuam ſententiam euertas neceſſe eſt.

SECTIO DECIMA.

Auctor.

Dicit primùm, eſſe certamen uoluntarium, ut ipſe Auctor explicat, ad differentiam eorum quæ fiunt neceſsitate. perinde ac ſi dixiſſet, ad differentiam gladiatorij, &c.

ANT. BER.

CVius patientiæ eſſet, ferre hominem in tot erroribus, quibus paſsim quaſi laqueis quibuſdam miſerè illigatur, exultantẽ? Etenim quaſi me irridens, quòd poſuerim uoluntarium in definitione duelli, ut id ſeiungerem ab eis pugnis quas homines ineunt coacti, hunc errorem ait pertranſiri potuiſſe: niſi ego moralem philoſophiam profeſſus, omnia ad eius perpẽdiculum exigere uoluiſſem. Sed uideamus, uerè ne, an imperitè loquutus ſit. Et primò, cui dubium eſse poteſt (modò ſit ſanus) quin ea quæ attinent ad mores, redigi debeant ad perpendiculum moralis philoſophiæ?

phię? nulli certè, præterquam iſti homini: qui omnino hæc dicens, deprehenditur in ſumma ignoratione ipſius moralis philoſophiæ. hæc enim docet uirtutes & uitia, ex quibus hominum mores boni uel mali perpenduntur.

Præterea argumentemur ſic aduerſus ea quæ addit: Quod ducitur hac opinione, & cætera: ut adducamus illum in ea quæ ſententiam ſuam (ut ſæpe accidit) euertant abſurda. Si nullus ſponte, niſi ſit ebrius uel fatuus, deſcendit in ſingulare certamen: ergo Aeneas & Turnus, & Hector & Diomedes, & breuiter omnes qui pro patria pugnarunt, & pro quacunque re honeſta, non pugnaſſent ſponte.

Probatur conſequentia: Quia ſi ſponte deſcendiſſent, ex tua ſententia fuiſſent ebrij & fatui. Conſequens à ueritate abhorret: ergo & antecedens. Quòd autem conſequens ſit falſum, probatur: Quia non eſſent laude digni, & honore. ebrij enim & fatui, ex ſuis actionibus nullum conſequi debent honorem: non enim habent honeſtum finem, cum agant ignorantes. Sed tu in ſuperioribus conceſsiſti, hos qui pugnant pro patria, eſſe laude dignos. Ergo tuam ipſius ſententiam euertis: quod eſt quidem turpiſsimum, ſed tibi maximè uſitatum.

Item, Si qui pugnant pro conſeruatione honoris, & propter cupiditatem propulſandæ ignominiæ, non pugnant ſponte, ſed coacti: quia illa cupiditas quaſi domina, imponit ipſis neceſsitatem pugnandi, non minus quàm olim gladiatoribus laniſtæ: ergo qui pugnant propter conſeruationem honoris, patrię, & propter cupiditatem propulſandæ ignominiæ à patria, non pugnant ſponte, ſed coacti.

Probatur cõſequentia: Quia illa cupiditas tuendi patriam, neceſsitatem illis afferre uidetur pugnandi, non minus quàm olim gladiatoribus laniſtæ. Similitudo ita perſpicua eſt, ut negari ab homine ſano non poſsit: non enim ſine appetitu & cupiditate poſſunt moueri ad ſingulare certamen, neque ad aliquid aliud efficiendum. Intellectus enim & appetitus ſunt principia motus. Fuit igitur in illis tãta uis cupiditatis tuendi patriam, ut ea impulſi deſcenderint in ſingulare certamẽ. Ergo coacti deſcenderunt, & inuiti. Ergo non fuerunt digni honore, ſed uituperatione: quia honor & laus ſunt eorũ quę ſponte fiunt, ut declarauit Ariſtoteles. Sed tu conceſsiſti, fuiſſe 3.Ethic.1. honore dignos: ergo cadis in foueam quã ipſemet effeciſti. Euertis enim ſententiam tuam: neque uerò hanc ſolùm, ſed omnium philoſophorum, & omnium prudentium. hi enim cuncti in eam opinionẽ uenerunt, ut exiſtimarent, omnes qui pro patria pugnant, eſſe laudibus & honore dignos: ita ut multis etiam publicè poſitæ fuerint ſtatuæ & trophea.

Item, Nemo in exercitu ſponte deſcenderet ad expugnationem urbis, niſi eſſet ebrius & fatuus. Probatur conſequentia: quia ſi ille qui deſcenderit ſponte in ſingulare certamen te auctore, ſit fatuus uel ebrius: hoc non poteſt euenire, niſi q[illegible]ẽ derit ad maximum uitæ periculum, ad quod ſponte proficiſci eſt contra nat[illegible] affectionem: naturaliter enim ita ſumus affecti, ut quãtum poſſumus, mortem & eius pericula fugiamus. Ergo neceſſe eſt ut ebrij ſint & fatui, qui ſpõte currunt ad mortis pericula. Ergo non minus eſſent ebrij qui deſcendunt ſponte ad expugnationem urbis, utpote qui ſubeunt maximum uitæ diſcrimen propter tormenta bellica, & alia multa. Sed conſequens eſt falſum: quia plurimi ſponte deſcendunt ad eiuſmodi expugnationem, & non ſunt ebrij, neque fatui, ex ijs etiam quæ tu conceſsiſti. Ergo ſingulis uerbis ita tuam ſententiam conuellis, ut turpe ſit tecum diſputare.

Præterea non minus erras, c[illegible]cis uolunta[illegible]i, quàm ſi diceres hominem mortuum. Sed dicere hominem [illegible]um, eſt implicatio contradictionis: quia qui eſt mortuus, non poteſt eſſe ho[illegible] implicas contradictionem, dicendo uoluntarium ui. Probatur: Etenim non [illegible]s uis perimit uoluntarium, quàm mortuum homo. Siquidem qui agit uoluntarie, non cogitur, ut patet: non enim ageret uoluntariè. Sed qui agit ui, cogitur: ergo qui agit ui, non agit uoluntariè.

Probatur minor ex definitione uiolenti. Quippe quod eſt illud, cuius principium 3.Ethic.1. extrinſecus eiuſmodi eſt, ut ei neque qui agit, neque qui patitur, quippiam conferat. Cogitur ergo, qui agit ui: quia non confert aliquid ad illam actionem, & extrinſecus mouetur. Perimit ergo hoc uerbum Vi, uoluntarium, ſi ei addatur. Qui igitur dicit uoluntarium ui, implicat contradictionem: quod eſt maximè abſurdum. Tu ita dixiſti, ergo ut turpiter in id abſurdum incideris neceſſe eſt.

Item, Non dicitur congruè uoluntarium ui: quia quod eſt ui, non poteſt eſſe uoluntarium. Licet autem dicere inuitum ui: quia inuita dicuntur illa, quæ fiunt uel per 1. Rhet. 10. uiolentiam, uel per ignorationem, ut infrà dicetur. Confirmatur hoc ex Ariſtotele, qui poſuit agere per uiolentiam, inter eas actiones quæ non fiunt per nos: & per uoluntatē agere, inter eas quæ fiunt per nos. Ergo ea quæ agimus per uoluntatem, poſſunt à nobis agi, & non agi: alioquin non eſſent in nobis. ergo non ſunt uiolenta. Implicatio igitur contradictionis eſt, dicere uoluntarium ui. Quod autē ita ſit, ut di- 1. Rhet. 12. ximus, oſtēdunt hæc etiam Ariſtotelis uerba: Quæ igitur agunt, alia omnes propter ſeipſos agunt, alia nōn propter ſeipſos. Et iſtorū alia caſu, alia neceſsitate. Harum etiam quædam ui, quędam natura. Quare quæcunq; non propter ſeipſos faciunt, aut caſu, aut natura, aut ui faciunt. Quæcunq; autem propter ſeipſos, quorum ſcilicet ipſi cauſa ſunt, alia propter conſuetudinem agunt, alia propter appetitum: & horum quædam appetitu rationali, quædam irrationali. Nam uoluntas, appetitus eſt boni cum ratione: nemo enim aliquid uult, niſi cum bonum eſſe putauerit. Appetitiones uerò irrationabiles, ira & cupiditas. Quare quęcunq; homines agunt, ſeptem eos de cauſis agere oportet: fortuna, ui, natura, conſuetudine, ira, cupiditate, ratione.

Præterea, ſi omnia quæ ſponte fiunt ab hominibus, ſunt bona, uel ſpeciem boni gerunt, uel iucunda ſunt, uel iucundis ſimilia, ut inquit Ariſtoteles: omnia quæ fiunt 1. Rhet. 10. ab hominibus, erunt neceſſaria. Probatur conſequentia: quia omnes impelluntur neceſſariò ab appetitu illius boni, uel ueri, uel apparētis, quod cuiq; ſe offert: & ſic nihil erit uoluntarium. Sed Ariſtoteles ait, ſpontanea & uoluntaria, ut hoc loco accipiamus pro eiſdem ergo contra ueritatem, & contra teipſum loqueris.

Quid uerò? quòd iſte non uidetur intelligere primam propoſitionem primi Ethicorum: cuius tamen libri doctrinam ita profitetur, ita ſe tenere iactat, ut neminem putet illam propoſitionem intellexiſſe, quæ eſt, Omnis ars, omnis methodus, ſimiliter autem actio & electio, bonum quoddam appetere uidetur. Ex eius enim dictis ſequitur, ut omnes iſtæ actiones fiant coactæ: ſiquidem appetitus ille & cupiditas illius finis & boni, afferret cuiq; neceſsitatem agendi: quo quid poteſt eſſe abſurdius? Hoc enim nihil aliud eſt, quàm euertere uniuerſam humanam philoſophiam: quandoquidem opus non eſſet docere quid ſit felicitas, ut (quemadmodum inquit Ariſtoteles) cognoſcentes ipſam maximè, ſicut ſagittarij ſcopum, aſſequi ipſam poſſimus. non eſſent enim in poteſtate noſtra actiones, ſed ita agere cogeremur. quo quidem poſito, nihil referret, cognoſceremus ipſam felicitatem, nec ne: ageremus enim ea, quæ cogeremur.

1. Polit. 1. Quod etiam confirmant uerba illa Ariſtotelis: Eius enim cauſa quod uidetur bonum, omnia agunt omnes. Omnia igitur eſſent coacta: non ergo eſſet opus docere, dirigere noſtras actiones, quippe quæ eſſent coactæ: nec poſſet uerè laudari quiſ- 3. Ethic. 1. quam, uel uituperari, quandoquidem (ut declarauit Ariſtoteles) laus & uituperium reperiantur tantùm in ſpontaneis actionibus. quód ſi nullæ eſſent, ergo non reperiretur laus & uituperium. Ex quo quidem ſequi euerſionem uniuerſæ doctrinæ Ethicorum ita perſpicuum eſt, ut ridiculum eſſet uelle id probare. Videas ergo, bone uir, in quos errores, quàm manifeſtos, quàm turbulentos, imprudenter incideris: & quæ humano generi incommoda, ſi homines tuam ſequerentur doctrinam, attuliſſes. Auferretur enim prudentia humana, quæ dirigit actiones noſtras: & breuiter, uniuerſa moralis philoſophia. Euerteretur etiam ſanctiſsima religio Chriſti ſeruatoris noſtri. nam ſi omnes noſtræ actiones, quæ [illegible]riò appetunt aliquem finem, eſſent coactæ, nullus planè eſſet locus præmi[illegible] pœnæ: qua quidem opinione quid exitioſius, quid deteſtabilius, magisq; fugi[illegible]n fieri poteſt?

4. Ethic. 11. Eſt item contra ſententiam Ariſtotelis, qui dixit, eos qui pugnarent propter honorem, non pugnare coactos: & diſtinxit iſtos ab eis qui cogebantur à duce, ut ab Hectore, & huiuſmodi, pugnare. Et ita patet, hunc hominem qui adeò profitetur ſe loqui ſecundum philoſophiam & Ariſtotelem, in re apertiſsima euertere uniuerſam Ariſtotelis doctrinam, ipſamq; philoſophiam.

Præterea, Si qui agunt aliquid propter appetitum, etiam rationalem (ut ſunt qui propter honorem agunt) coacti agerent: ſequeretur, ut agentes aliquid honeſtè, nō dic[illegible]r agere ſponte.

Probatur

Probatur conſequentia: quia ageremus impulſi ab illa cupiditate agendi honeſta: & ita non eſſemus boni ſpontè, ſed neceſſariò. cogeremur enim ab honeſtis, ſi uellemus eſſe boni. neq; item eſſemus honorati ſpontè, quia ex eo quod moueremur ab honore, qui eſt extrà, uis nobis afferretur. Itaq; omnia quæ fierent à nobis, eſſent uiolenta. & neceſſariò fierẽt: quod eſt falſum, & contra uniuerſam philoſophiam moralem. Etenim licet moueamur extrinſecus, tamen ſponte mouemur: & ita quæ fiunt à nobis, non ſunt neceſſaria, neq; uiolenta, ſed ſpontanea ſimpliciter: & ſi dicuntur neceſſaria, dicuntur ex ſuppoſitione. Neq; uerò illud de proiectione mercium in mare, propter ſalutem uitæ, & de iuſſu tyranni, eſt ſimile: & de honeſtis & honoribus, à quibus mouemur: quia electio uolens ſequi honeſta, & uirtutes, & honorem, eſt in poteſtate noſtra. & hæc ſunt ſpontanea ſimpliciter, neq; ineſt aliqua neceſsitas, de quibus omnibus infrà copioſè agemus.

At non ſunt in poteſtate noſtra tempeſtas maris, & iuſſa tyranni: & ideo dicuntur hæc mixta, nempe inuita ſimpliciter, & ſpontanea non ſimpliciter. magis tamen ſpõtanea ſunt, quia principium eſt in nobis. uerùm eligere honeſta, eſt omnino in poteſtate noſtra. Quod decepit hunc autorem. nam pugna propter honorem, non eſt præter appetitum & rationem eorum qui uolunt pugnare. non ergo adhibetur ulla uis, ut patet ex Ariſtotele.

Item ſequeretur ex dictis iſtius, ut omnia quæ fierent propter iucunda & triſtia, eſſent uiolenta, quia in his etiam mouemur extrinſecus: & cum homines faciant omnia propter iucunda & triſtia, efficeretur contra Ariſtotelis ſententiam, ut omnia eſſent uiolenta. omnia enim fiunt propter appetitũ alicuius rei, quæ eſt extrà: quandoquidem intellectus & appetitus ſunt principia motus. id quod Ariſtoteles apertè uidetur oſtendere ijs uerbis: Si autem aliquis diceret iucunda & triſtia uiolenta eſſe, quia cogunt cum ſint extrà, omnia utiq; ſic eſſent uiolenta: quia horum gratia omnia omnes faciunt uiolenter & inuiti moleſtè: ob iucũdum uerò cum uoluptate. Sed ridiculum eſt ſanè, in externa potius cauſam referre, quàm in ſeipſum, quòd huiuſmodi rebus facilè capiatur: & honeſta ſibi, turpia iucundis aſcribere. Videtur autem uiolentum id eſſe, cuius principium extrinſecus eſt, nihilq; ad id confert qui cogitur. Ea igitur quæ fiunt propter iucunda & triſtia, licet moueant cum ſint extrà, tamen ſunt ſpontanea, & non inuita: & per id quod neceſſariò ſequitur, non ſunt uiolenta. itaq; neceſſe eſt, ut ea quæ fiunt propter honorem, ut honeſtum eſt, ſint ſpontanea, & non inuita: licet honor moueat cum extrà ſit: & per id quod neceſſariò ſequitur, non ſint uiolenta. etenim paſſum in ijs confert uim. Sunt igitur non uiolenta: quia uiolentum eſt id, cuius principium extrinſecus eſt, nihilq; ad id confert qui cogitur. qui autem mouetur à iucundis & triſtibus, & ab honeſtis, ad hunc motum illum conferre aliquid perſpicuè patet. quocirca motui illi, de quo nunc loquimur, cum non conueniat definitio uiolenti, cogimur fateri (niſi uelimus in actionibus humanis neceſsitatẽ ponere, & Ariſtotelis ſententiam euertere) & dicere, ea quæ fiunt propter honorem non eſſe uiolenta & inuita, ſed uoluntaria & ſpontanea. Accepimus enim in libro De honore, uoluntarium, ut erat, idem quod ſpontaneum.

1.Rhet.10.

3.Ethic.1.

Quòd uerò addis: Quamobrem rectius feciſſe, ac melius in ea parte rem expreſſiſſe uidetur Ioannes à Signano Iureconſultus, quia nõ ſimpliciter uoluntariam, ſed deliberatam pugnam appellauit. non conſideraſti bone uir, ſi habita deliberatione pugna ſuſcipitur, hanc eſſe ex ijs quæ ſunt in noſtra poteſtate. Deliberatio enim, eſt conſultatio. & ſi ita eſt, ergo eſt ſpontanea: ergo non fit ui neceſſaria, ſicut habetur ex Ariſtotele multis in locis: ergo tuo te ipſum gladio miſerè iugulas. laudas enim quod redargueras, & ita affirmas & negas idem: quo quid poteſt eſſe abſurdius?

SECTIO VNDECIMA.

Rectè autem à me fatuos ebrioſq; appellatos eſſe hos, qui nulla ui ac neceſsitate coacti, in eiuſmodi certamen præcipites feruntur, &c. Auctor.

Iſta omnia quæ narras, cum ſint uetera ſingularis certaminis exempla, planè efficitur per te, ut conceſſum fuerit antiquitùs ſingulare certamen. id uerò nullam ob cauſam rectius potuit concedi, quàm ob tuendum honorem. Siue autem fuerint ANT. BER.

belluæ ſiue non, nihil ad nos. Satis eſt nobis, permiſſum olim fuiſſe ſingulare certamen. id enim eſt quod tu ipſe negaſti. atq; ita confirmatur, quod & ſuprà demonſtrauimus ex tuis uerbis ſequi, omnino dari duellum. Homines enim Itali certamen inter duos propriè nuncuparunt duellum: qua uoce & nos qui eorum lingua utimur, ſine aliquo flagitio non ſolùm uti potuimus, uerùm etiam debuimus.

Quod ſubiungis: Hoc autem quod ſentimus, &c. id planè tuam labefactat ſententiam. nam uel prouocatores ſuccumbunt utplurimùm, quia nulla cogenre cauſa prouocant: uel quia debiles prouocant fortiſsimos. Si ſuccumbunt, quia nulla cogente cauſa prouocant: ergo ſingulare certamen erit idonea probatio. ſequitur enim per te, ut iniuria afficientes plerunq; ſuccumbant. etenim iniuſtè & ſine cauſa prouocãt. 2.Rhet.2. quia ſi iuſta de cauſa prouocarent, non iniuria, ut dixit Ariſtoteles, afficerent, ſed ulciſcerentur. Succumbunt ergo per te utplurimùm, qui iniuria afficiunt: ergo ſingulare certamen erit idonea probatio. In actionibus enim humanis probationes idoneæ ſunt, quæ utplurimùm uim habent. At hoc pugnat cum eis quæ à te dicẽtur infrà. Ergo propriam uocem (ut de Anaxagora inquit Ariſtoteles) ignoras. Sin autem prouocatores ſuccumbunt, quia debiles prouocant fortiſsimos: ergo fruſtra dixiſti, Quòd quemadmodum ſtultè, & nulla cogente cauſa ad prouocandum impellũtur, ita ſtolidè certant, & utplurimùm ſuccumbunt. quia hæc non eſt cauſa cur uincãtur: ſed illa, quia debiles prouocant fortes. Si uerò dicas, te iſtis uerbis, quòd interea dictum ſit de illis qui ad oſtendendam uirtutem fortiſsimos prouocant, non intelligere quòd debiles prouocent fortiſsimos (quod tamen indicãt uerba ipſa, ſi rectè perpendantur) ſed quòd fortiſsimi prouocent fortiſsimos: tunc iſta uerba erunt ſuperuacanea. Etenim cauſa cur ſuccumbant prouocatores, erit, quòd nulla cogente cauſa prouocant: nihil attinet excipere, quòd intelligatur de fortiſsimis, qui ad oſtendendam uirtutem fortiſsimos prouocant: quia hoc nullam affert cauſam, quare ſuccumbant. non enim maior eſt ratio, quòd unus ex fortiſsimis ſuccumbat magis quàm alter: ſed efficitur ſemper ut ſuccumbant, quia ſine cauſa prouocant. ergo ſequitur, ut ſingulare certamen ſit idoneum & ſufficiens probatio, ut diximus. Quicquid igitur dixeris, ut euertas tuam ſententiam neceſſe eſt.

SECTIO DVODECIMA.

Auctor. Sequuntur in definitione uerba hęc, Inter duos homines: exponit ipſe, ut excludantur certamina plurium, &c.

ANT. BER. Oſtendis, nihil te illud conſideraſſe, quòd ibi diximus: nempe hanc definitionẽ acceptam eſſe ex communi more loquendi hominum, & eſſe principium cognoſcendi, in illis libris De honore, cuius principij nulla redditur neq; reddi poteſt 1.Poſt.2. ratio. ſicut fecit Ariſtoteles in primo Poſteriorum, accipiendo definitionem ipſius ſcire: & etiamſi acciperet ex etymologia uocabuli, hoc non eſſet abſurdum. Etenim potuit accipi à Græcis, qui habent numerum ſingularẽ, qui dicitur de uno ſolo: dualem, qui dicitur de duobus ſolùm: pluralem, qui dicitur de plurib. ſolùm. Potuit igitur duellum (ut dictum eſt ſuprà) ita nuncupare à numero duali, qui ſolùm dicitur de duobus. At quomodocunq; ſit, ſufficit me uoluiſſe per duellum definire pugnam illam quæ eſt tantùm inter duos: & hoc eſt proprium. Quòd ſi dicatur etiam de ea pugna quæ eſt inter plures, illud eſt proximo loco, & impropriè.

8.Ethic. Item potui uti uocabulo duelli per ſimilitudinem, exemplo ipſius Ariſtotelis, qui ait, amicitiam bonorum dici propriè amicitiam: eas uerò quæ ſunt propter iucunditatem & utilitatem, dici per ſimilitudinem. & ſic nihil contra nos.

SECTIO DECIMATERTIA.

Auctor. Illa etiam paulo pòſt ſequuntur, per uirtutem propriam, & reliqua.

ANT. BER. His uerbis planè demonſtras, te neſcire, neq; attendiſſe quæ eo loco dicantur à nobis: quod tamen in primis erat faciendum, cum tibi propoſitum eſſet illa refutare. Neq; reſpondes rationi quam nos attulimus: uidelicet ſi honot ſit præmium uirtutis propriè, neceſſe eſſe, ut qui uult acquirere honorem, acquirat uirtute propria: alioquin daretur præmium alij rei quàm propriæ uirtuti. Itaque non poteſt acquiri

quiri inſidijs, quia ex uirtute non proficiſcuntur: neq; aliena uirtute, quia propriè nō exhibentur honores alicui, ob ea quæ alius quis per uirtutē egerit. neq; enim rationi conſentaneum fuiſſet, ut Mar. Tullio tribuerentur honores, qui Pompeio & Cæſari delati fuerunt, ob eam uirtutem quam ſuis uterq; præclarè geſtis rebus oſtenderat.

Item, Si honor eſt (ut ſuprà diximus) præmium uirtutis propriè, in dubium uenire non poteſt, quin actionibus quæ fiunt caſu & fortuitò, nullus ſit honor tribuendus. non enim ſunt ex uirtute. neq; ijs etiam quæ meliori conditione geruntur: ob eandē cauſam. alterum ergo duorum euenire neceſſe eſt: uel ut honor non ſit præmium uirtutis, & operum quæ ex uirtute proficiſcuntur, quod quidem planè eſt contra Ariſtotelis ſententiam: uel ut rectè poſitum ſit in definitione duelli, quòd tanquam per medium acquiritur honor per propriam uirtutem, ad rejciendum ac penitus exterminandum ea quæ diximus. Si honor is eſt, quem definiuit Ariſtoteles: tu ergo aberras à uero, non ego aberraui.

Præterea ex quo tandem Ariſtotelis loco, cuius doctrinam in iſto tuo libro maximè profiteris, collegiſti, agere per prudentiam (quæ quidē uera ſit prudentia & propriè accepta) eſſe agere per inſidias? quemadmodum ſequitur ex tuis dictis. Ex nullo certè: quia Ariſtoteles apertè demonſtrauit, prudentiam non eſſe ſine uirtutibus moralibus, neq; uirtutes morales ſine prudentia. ait enim: Manifeſtum igitur ex dictis, non eſſe poſsibile, bonum eſſe propriè ſine prudentia, neq; prudentia ſine uirtute morali. Ibidem paulo pòſt: Simul enim cum prudentia unà exiſtente, omnes uirtutes morales inexiſtunt. Neque obſtat, quòd ſecundo Rhetor. uiſus ſit ſeparare prudentiam à uirtute morali, cum dixit: Tria ſunt quæ præter demonſtrationem fidem faciunt, prudentia, uirtus, beneuolētia. Nam qui dicunt aut conſulunt, uel propter hæc omnia, uel propter aliquid horum fallunt. aut enim propter ſtulticiam non rectè opinantur: aut rectè ſentientes, propter improbitatem non dicunt ut ſentiunt: aut quamuis rectè ſentiant, uirtuoſiq; ſint, tamen cum beneuoli non ſint, facilè creduntur non optimè conſulere.

6.Ethic.18. 2.Rhet.

Hic locus nequaquam non obſtat, quominus prudentia propriè ſit cōiuncta ſemper cum uirtutibus moralibus. Hic enim Ariſtoteles non accepit nomen prudētiæ propriè, ſed ex communi modo loquendi hominum, qui eos qui bene res quæ ipſis conducunt adminiſtrant, licet ſint praui, nuncupat prudentes, non quòd reuera ita ſit. Et quòd hoc nomen prudentiæ cum ſeparatur à uirtute, ſumatur (ut dixi) ex communi modo loquēdi hominum, uiſus eſt Ariſtoteles indicaſſe ſexto Ethic. cap. nono, cum loqueretur de prudentibus: Quærunt enim (innuit) bonum ipſis, & putant hoc facere oportere. atqui ex hac opinione deductum eſt quod dicitur circa prudentes. Prudentes ergo dicuntur, qui quærunt bonum ipſis: & putant hoc facere oportere: ob hoc enim dicti ſunt prudentes. Sed quia redarguit hanc opinionem Ariſtoteles, dicens: Atqui fortaſſe ea quæ ſunt ipſius, non eſt ſcire ſine œconomia, & ſine politia: ſignum eſt, illos non eſſe uerè prudentes, licet ſic fuerint dicti, quia ſunt ſine œconomia & politia, id eſt ſine uirtute.

6.Ethic.9.

Eodem modo accepit Ariſtoteles nomen prudentię, primo Politicorum, ut in ſequentibus fuſius declarauimus, cum inquit: Homo autem arma habens naſcitur prudentia & uirtute, quibus poteſt maximè uti in contraria. Sed in ſexto Ethic. loco citato, locutus eſt de uera prudentia, de qua etiam intellexit decimo Ethic. cap. nono, ubi hæc ſcripta reliquit: Coniungitur autem & prudentia uirtuti moris, & ipſa prudentiæ, & ea quæ ſequuntur. de qua re uberius in eis quę ſequuntur, uerba faciemus. Neceſſariò igitur ſequitur, ut qui agit per prudentiam, non agat per inſidias: & qui agit per inſidias, non agat per prudentiam. niſi agere per inſidias, ſit agere per uirtutes. Sed cum ex eis quæ dixiſti, ipſe fatearis, agere per prudentiam eſſe agere per inſidias, non ſolùm pugnantia, uerùm etiam negātia aſſeras, tuamq; ſententiam euertas neceſſe eſt: quod eſt omnium abſurdiſsimum.

1.Polit.2. 6.Ethic.18. 10.Ethic.9.

Præterea quis negauit uirtutes animi eſſe magis proprias homini, quàm corporis? Quòd ſi legiſſes ea quæ dixi in libro quinto De honore, non hæc mihi tam apertè falſa obieciſſes. Deinde aliena ſunt ea quæ dicis de uirtutibus animi. Sed eſto ut non ſint aliena: an in pugna non requiritur cum fortitudine animi etiam robur corporis?

3. Rhet. 12. Item, quæ ſubiungis, euertunt ſententiam Ariſtotelis. ego enim loquutus ſum de uiris fortibus. Vult autem Ariſtoteles, non eſſe uiri fortis pugnare meliori conditione, neq; armatum cum inerme, & huiuſmodi alia. Quod cum ita ſit, ergo tu pugnas non mecum, ſed cum ipſo Ariſtotele.

Item, Si Alexander & Cæſar potuiſſent uincere ſola ipſorum uirtute, ſine inſidijs & huiuſmodi, proculdubio hoc maluiſſent. Etenim maluiſſent ea quæ maior laus & honor ſequitur. quod tu cũ neges, intelligi perſpicuè poteſt, quàm longè à uero aberres.

Quòd autem uictoriam quæ parta ſit ſola uirtute, ſequatur maior honor & laus, ita patet, ut in dubium uenire niſi ſtolido non poſsit.

Neq; hoc etiam prætereundum uidetur, quòd ais, non licere mendacium dicere, licere autem inſidijs uti. Illud enim quid eſt aliud, niſi uti inſidijs? Etenim deceptiones ſunt inſidiæ, dicere mendacium eſt decipere: ergo dicere mendacium, eſt inſidiari. Itaq; ſi licet per te uti inſidijs, licebit etiam mendacium dicere. Sunt enim hæ inſidiæ. quod cum negas, tecum ipſe pugnes neceſſe eſt.

Adde etiam, quòd ſunt minora mala quàm inſidiæ, mendacia: ſi non ſunt inſidiæ. poſſunt enim dici ſine hominum cæde, & urbium euerſionibus.

Præterea hoc eſt non intelligere ea quæ dixi in libro De honore, quòd ſcilicet bellum uniuerſale plerũq; non geritur ab Imperatoribus, ut tueantur honorem ſuum, pertinentem ad proprios mores, & fortitudinem animi & corporis, ut poſitum eſt in ſuperioribus: ſed ut tueantur ſua regna, uel acquirant aliena, & ideo poſſunt uti militibus.

Etenim ſatis eſt ipſis, quo ad illam ſpeciem honoris attinet, ſi ſtantes etiam domi conſequantur quod cupiunt. Si autem ageretur de proprio ipſorum honore, nihil probarent per ſuos milites, neq; poſſent illũ tueri, niſi propria uirtute. At ſinguli homines qui pugnant de proprio honore, contendentes (uerbi gratia) ſe non eſſe ignauos, neque proditores, non uideo quomodo id poſsint oſtendere, niſi oſtendant æquo marte. aliter enim uictoria ſemper attribueretur meliori conditioni, qua alter uſus fuiſſet.

Præterea non ſoluiſti rationem qua meam ſententiam probaui, cum dicerem honorem eſſe præmium uirtutis. uirtute igitur eſſe tuendum, non inſidijs. Quod etiam ſi exempla abs te prolata oſtenderent aliter aliquando factũ eſſe, nihil ad nos: quippe qui profeſsi ſumus ſequi Ariſtotelem, & rationem. qui enim aliter fecerunt, eos feciſſe contra rationem oſtenſum eſt. Perperam igitur fecerunt Athenienſes, licet etiam illi pugnaſſent pro regno, non pro honore: quòd ſi pro honore pugnarent, multo peius etiam feciſſent.

SECTIO DECIMAQVARTA.

Auctor. Nemo etiam negabit, quin & in hoc genere ualeat argumentum, ſumptum à bello uniuerſali ad certamen ſingulare, & reliqua.

ANT. BER. Iſtis uerbis planè demonſtras, ignorare te quæ antè dixeris Nam ſi bellum uniuerſale ſit iuſtum, & ſingulare certamen ſit pars illius: neceſſariò efficitur, ut etiam ſingulare certamẽ ſit iuſtum, ex eis quæ conceſsiſti. Etenim conceſsiſti, licuiſſe militi cum eſſet in exercitu, ſingulari certamine prouocare aliquẽ hoſtium, etiam ſine cauſa. Ergo id fuit ſuperuacaneum quod addidiſti: poſito quod utrunq; ſit iuſtum. quia ex eis quæ dixiſti, non requiritur niſi ut bellum uniuerſale ſit iuſtum.

Præterea dicas mihi, quid ſciunt milites an bella ſint iuſta, ut liceat eis pugnare in acie, & non liceat pugnare pro tuenda ſua exiſtimatione, quam ſciunt ueram eſſe?

Equidem ſatis mirari nõ poſſum, unde hic autor in iſtas opiniones inciderit. Nulli enim (modò ſit ſanus) dubium eſſe poteſt, maiori ex parte milites ignorare bella iuſta ne ſint, an iniuſta. itaq; qui uerſantur in hac ignoratione, non uideo quomodo in exercitu etiam poſsint rectè pugnare. Non enim tradenda fuit regula illa ab iſto, ut diceret, inter hos huiuſmodi pugnam eſſe poſſe, ſi nunquã licet pugnare niſi iuſtè.

Quòd autem dicis, ualere argumentum ab uniuerſali ad ſingulare certamen, cum ſingulare eſt pars uniuerſalis: nihil ad rem noſtram. non enim uidêris percepiſſe argumenti noſtri uim: quæ ut appareat, dicimus nos negaſſe ualere argumentum ab

uniuerſali ad ſingulare, quantū ad omnes conditiones. rurſus affirmaſſe ualere quod ad illud attinet, ut ſit iuſtum & tolerandū, hoc modo: Ea quæ ſunt iuſta, ſunt permittenda: bellum uniuerſale, id eſt quod fit ab aliquo rege uel ab aliqua republica, ut defendat ſua regna, uel recuperet ſibi ablata per uim, aut per inſidias, eſt iuſtū: ergo permittendum. Probatur minor: Quia iuſtū unumquenq; eſt tueri ſua regna, & recuperare ea quæ ſunt ipſi per uim uel per inſidias erepta. Ergo iuſtū eſt huiuſmodi bellum gerere: non enim poteſt alter rex cogi per magiſtratum, aut legibus.

Præterea arguitur ſic: Ea quæ ſunt iuſta, ſunt permittenda: aliquod ſingulare certamen eſt iuſtum: ergo permittendum. Probatur minor: Quia iuſtum eſt, ſingulos defendere quod ſuum eſt, ut domum, ut honorem: item ablatum recuperare. non enim maior eſt ratio, cur liceat regi quàm ſingulis. Ergo iuſtum eſt, ſingulos interdum pugnare, cum non poſsint alia uia conſequi quod ſuum eſt: ut exempli gratia, cum aduerſarius non poteſt cogi à magiſtratu, uel quia fugit, uel quia deſunt teſtes & idoneæ probationes, uel quia magiſtratus non habet poteſtatem eius rei de qua diſceptatur, ut ſi quis alteri obiecerit ignauiam & timiditatem. non enim poteſt magiſtratus hominem ignauum & timidum reddere fortē & ſtrenuum. Si dicas, debere eum qui ſit iniuria affectus, ferre æquo animo, & non pugnare, quia hoc eſt eligibilius: ego etiam dicam, melius eſſe regi, ut ferat æquo animo ſibi illatas iniurias, & ut relinquat regnum, nec pugnet, præſertim cum non poſsit pugnare niſi maximo cum periculo ruinæ & euerſionis ciuitatum & prouinciarum. Si dicas, oportere reges facere bellum, quia nihil ipſis relinqueretur: dicam, etiam oportere ſingulos pugnare aliquando: aliter enim fierent præda Myſorum, ut inquit Ariſtoteles. Idq; eo magis conuenit eos facere, quod accidit ut pugnent pro honore ſuo, qui ad mores ipſorum & ad uirtutes pertinet. Similitudo igitur ſingularis certaminis ad uniuerſale procedit hoc modo, non quantum ad omnes cōditiones. Etenim aliud eſt pugnare pro honore proprio ſimpliciter, aliud eſt pugnare pro honore quòd ad maiorem potentiam ſpectat, ut in primo libro diximus: quia reges utplurimùm certant de honore maioris potentiæ regni, maiorum diuitiarum, & plurium ſubditorum. Vulgò enim dicuntur maiores reges illi, qui alijs in his rebus præſtant: non pugnant de uirtute propria ipſorum. nam ſi hoc facerent, non poſſent tot copijs militum uti: quia uirtus militum non arguit uirtutem propriam regis. Et ideo multa conueniunt ipſis pugnātibus pro ijs quæ diximus: quæ non conuenirent, ſi pugnarent pro uirtute propria. Quod ipſe cum ignoraueris, manifeſtè apparet te non intellexiſſe uim noſtri argumenti, & ita fruſtra protuliſſe uerba illa. 1. Rhet. 11.

Si etiam diceremus perperam factum eſſe ab Athenienſibus, & ab Alexandro, & à reliquis quos commemoraſti, cum inſidijs uſi ſunt in bello: non modò id non eſſet contra rationem, ſed maximè cum ratione conſentiret. quia uti inſidijs eſt contra fortitudinem: ergo contra uirtutem, ergo perperam factum. Id quod antecedit, colligitur ex Ariſtotele, in ſecundo modo fortitudinis non ueræ. Ex quibus patet, nihil poſſe magis à uirtute abhorrere, quàm id quod ſentit iſte homo. 3. Ethic. 11.

Quòd uerò ſubdis, Si uelles ſequi me, fore ut incideres in magnas tricas: hoc euenit, quia non conſideraſti ea quæ à nobis dicta ſunt. Sed ſat fuit tibi, poſſe dicere, te mihi repugnaſſe: an uerò rectè, nec ne, nihil prorſus curaſti. Nam declarauimus rationibus firmis (ut opinamur) quando eſſet reſtituendus gladius, & quando non: quibus rationibus nihil reſpondiſti. Omitto etiam, quòd ea quæ attuliſti exempla, nihil pertinent ad illud ſingulare certamen de quo nos locuti ſumus, neq; ullam uim habent ad labefactandum illud. Longè enim diuerſa eſt ratio: ut perſpicuum eſt ex eis quæ diximus. Fruſtra igitur laboraſti, & nihil potuiſſet afferri quod magis opinioni tuæ repugnaret. Etenim quid poteſt eſſe tam apertum, tam perſpicuum, quàm quod uerba tua concedunt ſingulare certamen, contrà quàm tibi fuit propoſitum?

Illud autem, quòd rem facerent infinitam & inextricabilem, ſic uideris protuliſſe: quia non intellexiſti quæ à me dicta ſunt. Declaraui enim gladium oportere aliquando reddi, certis tamen rationibus, quas tu non diſſoluiſti.

Nihil præterea eſt magis alienum ab eis quę ſcripſimus in libris De honore, quàm quod ais me dixiſſe, aliquem uulneratum uirtute aduerſarij, uel debilitatū, ad æqua-

litatem eſſe redigendam. Dixi enim prorſus contrarium in quinto libro: ex quo quidem facilè intelligi poteſt, te non modò non conſideraſſe, ſed ne legiſſe quidem illũ librum. Quid uerò poteſt eſſe iniquius, magiſq; reprehendendum, quàm uelle ea impugnare, quæ non uideris aut intellexeris? Sed id non laboramus nunc: ſatis eſt nobis, poſſe eſſe in hoc rationem diuerſitatis.

SECTIO DECIMAQVINTA.

Auctor. Refutatur opinio iſta eiuſdem Liuij exemplo alio: qui, Conſertis (inquit) manibus duo Romani, ſuper alium alius, & cætera quæ ſequuntur.

ANT. BER. Equidem non poſſum non tuam uicem dolere, qui tantum operæ fruſtra conſumas. iſta enim quæ profers, planè ſunt à re noſtra aliena. neque enim illi dimicabant ob proprium honorem, ut oſtenderent ſe uiros honore dignos. Quanquam etiam dedecori eſt, tres pugnare aduerſus unum: quod ſi factum eſt, peſsimè factum fuit, & peſsima eſt conſuetudo. aduerſatur enim uirtuti, quicquid dicant nonnulli.

Quòd uerò addis, Exploſis puerilibus iſtis erga aduerſarium liberalitatibus, rectior eſt ſententia, &c. perſpicuum eſt, tantum abeſſe ut illa ſint puerilia, ut nihil homo prudens dicere poſsit rectius. Imò puer eſt habendus, qui contrarium aſſerit. Nã ſi ea quæ aduerſantur uirtuti, minimè ſunt ab aliquo proferenda: planè ſequitur, ut iſta non ſint rectè à te dicta.

Quòd autem aduerſentur uirtuti, ita perſpicuum eſt, ut ridiculum futurum ſit id uelle oſtẽdere. Quis enim dicat puerilia eſſe ea, quæ exigit fortitudo? Quid enim eſt deteſtabilius, & quod humano generi plus obſit, quàm laudare inſidias, eaſq; opinari magis eſſe extollendas, quàm agere per uirtutem? Iſta ſanè opinio (mea quidẽ ſententia) prorſus refutãda eſt, omniq; cõtentione uelis (ut ita dicam) remiſq; fugienda.

Ridicula prętereà eſt tua iſta æqualitas quam exigis, & ais dari non poſſe. Si enim legiſſes ea quæ de hac ipſa re ſcripſimus, ipſaq; conſideraſſes, facilè cognouiſſes quomodo detur æqualitas, inter eos qui hoc genere certaminis coguntur dimicare, & quomodo non detur. Nam præter cætera quæ eo loco hac de re egimus, illud etiam oſtendimus, ſi qui ita ſint impares, ut alter præ debilitate non poſsit uti gladio, neceſſe non eſſe illi pugnare: quinimo perperam eum facere, ſi gerat gladium quo non poſsit uti. Si igitur legiſſes (ut dixi) & conſideraſſes quæ illic à me dicta ſunt, intellexiſſes quomodo detur iſta æqualitas, & quomodo non detur: nec me ita temerè reprehenderes, in quo tu maximè reprehendendus es. neque enim effugere potes, quin in maximum uel turpiſsimum negligentiæ, uel certè periniquæ calumniæ crimen incurras.

SECTIO DECIMASEXTA.

Auctor. Sequuntur hæc in definitione uerba: In loco ab externa ui tuto, & impedimentis uacuo, & reliqua.

ANT. BER. Falſum eſt, quòd illa quæ diximus, non declarent ſubſtantiam duelli, eo modo quo habet. quia ſi remoueantur iſta, non erit illud duellum de quo egimus, & de quo nunc loquuntur homines: neq; ſanè cum ratione conſentit, ut in plures dies hoc certamen prorogetur. Nam cum ſpacium unius diei ſatis ſit, in quo fiat uel centum millia hominum prælium: honeſtum uidetur fuiſſe propter multos ſumptus, & propter multa alia incommoda quæ ſequerentur, conſtitui ſpacium unius diei: præſertim ſi certaretur honeſtè, quemadmodum oſtendimus certari debere.

Miſſum etiam facio, me loquutum eſſe de duello, ut nunc loquuntur homines. Illa enim ſingularia certamina, quæ fiunt ſine illis conditionibus, non appellantur ſingularia certamina propriè. Corruptus eſt autem hoc loco Textus libri De honore, ubi dicitur: Alteri uerò propoſitum eſt probare. debet enim reponi, Alteri propoſitum eſt ſuſtinere: quia probare, non attinet ad rem, ut ex folio trecenteſimo decimoquinto intelligitur.

SECTIO

SECTIO DECIMASEPTIMA.

Hactenus probauiſſe mihi uideor nonnulla ex propoſitis, iſtos uidelicet ſcriptores neſciuiſſe quid eſſet propriè duellum, & quæ ſequuntur. *Auctor.*

TAntum uerò abeſt ut hactenus probaueris nonnulla ex propoſitis, atque illud perſpicuè nos, qui de hac re ſcripſimus, neſciuiſſe quid eſſet propriè duellum, de quo ſcribebamus, eiusq; proprium nomen ignorauiſſe, ac multo magis originem & initium: ut omnino perſpicuum ſit, te neſciuiſſe quid eſſet propriè duellum, de quo egimus. Etenim egimus de illo duello, de quo nunc loquuntur homines, quibus placuit, illud certamen quo ſolus cum ſolo dimicat, appellare duellum. etenim nomina ſunt ad placitũ. Omitto etiam, quòd potuerunt illud uocare à duali numero Græcorum (ut dictum eſt) & ita eſſet magis proprium quàm ſingulare certamen, & monomachia. Quocirca inanis prorſus atq; ridicula putanda eſt oratio tua, qui non conſideraueris ſatis nobis eſſe, antiquitùs fuiſſe certamẽ inter duos, quod certamen Græci monomachiam, & Romani ſingulare certamen uocauerint. Quid ergo prohibuit, quòd neq; Itali hoc ipſum certamen, etiamſi fieret alio modo & ex alijs cauſis, non poſſent appellare duellum. Affer cauſam bone uir, quæſo. Quid tantum exclamas, nos ignorauiſse quid eſset propriè duellum? De quo loquimur? Cur etiam tot maledictis nos tam acerbè quaſi iaculis quibuſdam figere conatus es? Quid autem feciſses, ſi ratio tecum & uerba Ariſtotelis eſsent? Dabis igitur mihi ueniam, ſi te repungam laceſsitus. non enim idcirco putandus ſum te iniuria afficere ex Ariſtotelis ſententia, cuius hæc uerba ſunt: οἱ γὰρ ἀντιποιοῦντες οὐχ ὑβρίζουσιν, ἀλλὰ τιμωροῦνται. *2. Rhet. 2.*

Poſtea digrederis multum præter rem, & multa uerba facis de origine huius malæ conſuetudinis: ſed hoc eſt hallucinari & inania dicere, cum antiquiſsimus fuerit iſte pugnandi mos & cõſuetudo, & non ſine ratione, ex eis etiam quę tu ipſe dixiſti.

SECTIO DECIMAOCTAVA.

Definitionem antiquam ponam: nõ erit alienum ab inſtituto, ſi meam de hac immanitate opinionem aurea ſententia, &c. *Auctor.*

ANT. BER.

QUantum extra cauſam labores, afferẽdo etiam (ut ipſe ais) Ioannis Gerſonis ſententiam, iudicare poterit, qui noſtros libros De honore legerit: in quib. duella reijciuntur à nobis, & admittuntur ſolùm ea quæ fiunt ob honeſtatẽ & ob iuſticiam, ut expreſsum eſt in definitione noſtri duelli. Quia qui uult oſtendere ſe uirum uerè honore dignum, oſtendit ſe eſse uirum bonum & honeſtum: & non dicuntur homines pugnare pro uero, niſi quia pugnant propter honeſtatem. etenim ſi aliter pugnarent, non eſsent uerè fortes, ut declarat Ariſtoteles. Et ſi pugnatur pro diuitijs & coniugibus & alijs rebus, pugnatur: quatenus ille, cui ſurripiuntur diuitiæ, & huiuſmodi negligitur. non enim aliqua re dignus eſset, & ita nullo honore dignus: quod Ariſtoteles oſtendit ex ſententia Homeri his uerbis: διὸ λέγει ὀργιζόμενος ὁ ἀχιλλεύς, ἠτίμησεν· ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας αὐτὸς ἀπούρας, καὶ ὡς εἴ τιν᾽ ἀτίμητον μετανάστην, ὡς διὰ ταῦτα ὀργιζόμενος. Qui ergo pugnat ob aliam cauſam quàm ob iuſticiam & honeſtatem, non legitimè pugnat. non enim homines ſunt interficiendi ob diuitias, & ob alia quæ non ſunt honeſta.

3. Ethic. 10. *2. Rhet. 2.*

Quid uerò quòd affers ſententiam Ioannis Gerſonis, quæ apertè euertit tuam? nam uel Ioannes Gerſo improbat illa ſingularia certamina, quæ ob cupiditatem opum & ambitionem glorię fiunt, uel non improbat. Si non improbat, nihil ab eo adiuuaris, quippe qui profiteris euertere hanc (ut tu appellas) immanitatem. Sin autem improbat, tuam ſententiam improbat: quippe qui in ſuperioribus conceſsiſti ſingularia certamina propter opes, & propter regna, & propter gloriam, & ex prouocatione, nulla etiam cogente cauſa.

Præterea Ioannes quomodo hæc improbat, ſi oſtendit multos conſequi ſuum finem, ut illi qui cupiditate opum & ambitione adducti ſingulari certamine certant: non ergo, ex eius ſententia, fruſtra certant.

Item, ſi non ualeret, quia nõnulli non ſint aſsequuti ſuum finem propter illam audaciã: ergo nunquam eſset pugnandum pro patria, pro coniuge, & huiuſmodi, quia multi non ſint ſuum finem aſsequuti: & ita ſentẽtia Ioannis nullo modo opinionem tuam confirmat. Quocunq; igitur te uerteris, ut iaceat tua ſententia neceſſe eſt.

Verba etiam Ciceronis labefactant & frangunt tuam opinionem. nam ſi in uitio eſt pugna ſine iuſticia, ergo in uitio fuit tua illa pugna quæ fuit ſine cauſa: fuit enim ſine iuſticia, ut patet. Sed tu in ſuperioribus aſſeruiſti, ſæpenumero permiſſum fuiſſe certamen ſine cauſa: ergo ſine iuſticia. ergo perperam fuit permiſſum, contrà quàm dixiſti. ergo tuam ipſius ſententiam conuellis.

SECTIO DECIMANONA.

Auctor. Ex his omnibus hæc mihi uidetur effici poſſe apta definitio: Duellum eſt ſingulare certamen, quod homines quidam, & quæ ſequuntur.

ANT. BER. ISta definitio duelli, quam tradis, habet plura peccata quàm uerba. Primò non definis illud duellum, quod impugnare conatus es. Etenim definis illud quod à nobis excluditur in libris De honore, quòd ſcilicet non eſt propter honeſtum: & ſic fruſtra illud definis. neq; aliquis eſt qui concedat, Duellum à te definitum. non enim eſt ad rem, ſed finxiſti tibi hanc definitionem. Falſum enim eſt, illos qui pugnant ſingulari illo certamine quod poſitum eſt à nobis, fuiſſe contemptores legum; quia non pugnant, niſi cum leges & magiſtratus non poſſunt iniurias ad ius æquum exigere. Falſum eſt etiam, quòd fieri debeat propter alium finem quàm propter honorem, ut indicat honeſtatem. Nam qui aliter pugnant, ex eis quæ in eiſdem libris diximus, reijciuntur ab honore. Quòd ſi tibi in animo fixeris, omnes quicunq; pugnant ſingulari certamine, pugnare propter falſam gloriam, aut pecuniarum, aut affectatæ uindictę uel æmulationis cauſa, & ideo reijcienda eſſe ſingularia certamina: ergo tua etiam ſunt reijcienda.

Nam ego dicam, eos quorum tu exempla protuliſti, non pugnare patriæ conſeruandæ cauſa, neq; coniugum: ſed reuera pecuniarum, aut falſæ gloriæ, aut affectatæ uindictæ, aut æmulationis cauſa. Nihil enim poteſt prohibere, quin ego hac ratione tua etiam ſingularia certamina euertam, ſi tu uis iſta, quæ ego permiſi euertere. Etenim quæcunq; tu in medium attuleris aduerſus noſtra, quin eadem aduerſus tua ipſe quoq; afferre poſsim, nemo quidem (qui ſanus ſit) dubitare poteſt.

Illa autem uerba quæ adiungis, Miſsis ultrò citroq; libellis: ſunt ſuperuacanea. inferuntur enim ex illa definitione quam nos tradidimus: ex qua ſequitur, etiam oportere illum qui prouocat, poſtmodum indicare propoſitum ſuum reo, alioquin non aſſequeretur id quod intendit.

Illa uerò (Armis à prouocato electis) non modò ſunt ſuperuacanea, quia poteſt eſſe duellum etiamſi eligantur arma à quocunq;: ſed ea à uero etiam abhorrent. quia primò uocatus, aliquando fit actor: ut patet ex libris De honore. Itaque cum tibi propoſitum fuerit, tua iſta definitione noſtram euertere, uidere licet, ut in foueam quam ipſe feciſti, miſerè incideris. tantum enim abeſt, ut id quod uolebas aſſequutus ſis, ut ex tuis ipſis uerbis, cum noſtra definitio firma maneat, nihilq; labefactetur, tua planè corruat atq; iaceat.

FINIS SECVNDI LIBRI EVERSIONIS
Singularis certaminis.

LIBER

LIBER TERTIVS.

SECTIO PRIMA.

QVærit auctor libri De honore, quod alij quoq; quæſiuerunt prius, ad quem præcipere & diſputare de duello, &c. *Author.*

QVàm facilè confutauerit ea quæ eo loco diximus, uidelicet honorem pertinere ad politicam quæ eſt de moribus, quia is in ea definitur, itemq́ iniurias: illis erit perſpicuum, qui ea ipſa cõſiderauerint, quæ hac de re ſcripſimus. Ex eis uerò quæ nunc dicentur, nõ minus perſpici poterit, quàm is rectè loquutus ſit, cum dixerit, ad hæc confutanda ſibi uideri non multis opus eſſe, tum quia quæſtio eſt quodammodo puerilis, non tanti certè momenti quanti ego puto: tum quia nititur fundamentis & poſitionibus manifeſtè falſis. Sed primùm oſtendamus, ipſum pueriliter eſſe loquutum, atq; imprudenter. igitur ſic argumentor: ANT. BER.

Scire an aliquid attineat ad aliquam facultatem, eſt tanti momenti, ut nulla de eo doctrina rectè tradi poſsit, niſi hoc ſit conſpicuum. Ergo qui hanc quæſtionem ſibi diſſoluendam proponit, non pueriliter agit: imò ex arte atq; prudentiſsimè.

Conſequentia perſpicua eſt. Antecedens, etſi ipſum per ſe patet, tamen ita probemus. Si uelimus diſcere aliquid quomodo ignorantes, ad quã facultatem pertineat, ſciemus quò nobis ſit eundum. fieri enim poſſet, ut quærentes ſcire quo pacto optima ualetudo conciliaretur, iremus ad ſutores & ad alios artifices qui non eſſent medici. cupientes etiam diſcere aliquid quod attineret ad Arithmeticam, iremus ad Geometriam, uel ad Philoſophiam naturalem. Sed cum hæc ſint abſurda (omnia enim confunderentur, & nihil aliud eſſet quàm miſcere quadrata rotundis) quin ſit etiam abſurdum id unde emanant, in dubium ſanè uenire non poteſt.

Præterea, Si proponere ad quam facultatem pertineat aliquid, & hoc diſſoluere, ſit ponere quæſtionem puerilem & nullius momenti: omnino Ariſtoteles eſt puer: quippe qui in principio Ethicorum, cum oſtẽdiſſet in actionibus humanis dari ſummum bonum, tum eius cognitionem eſſe maximi momenti ad uitam noſtram, dixit, conandum eſſe ut intelligeretur quod eſſet iſtud ſummum bonum, & ex omnibus ſcientijs uel facultatib. cuius præcipuè eſſet eius definitionem tradere: & laborauit maximè in eo, ut oſtenderet ipſum ad facultatem ciuilem pertinere. Præterea in libris Phyſic. & Metaphyſic. declarauit, quæ attinerent ad primam philoſophiam, & ad naturalem, & ad mathematicam: & alibi etiam dixit, ſcientiam de natura eſſe circa corpora & magnitudines. Puer eſt ergo Ariſtoteles, qui propoſuit has quæſtiones, & diſſoluit: multisq; præterea in locis, licet eas non propoſuiſſet, tamen declarauit, propterea quòd iudicaret illas eſſe ad cognoſcendum neceſſarias & magni momenti. Sed qui dicit Ariſtotelem in rebus humanis eſſe puerum, non minore pœna mulctandus uidetur eſſe, neq; minus ferè exterminandus, quàm ſi in dubium uocaret utrum oporteat Deos uereri, & parentes amare, nec'ne: ſenſu quidem prorſus carere iudicandus eſt, perinde ac ſi dubitaret alba'ne ſit nix, nec ne. Quàm igitur nihil iſte homo cogitat, quàm nihil uidet, qui ea dicit, ex quibus tam abſurda & ab omni ratione aliena, atq; adeò pœnis coercenda apertè ſequantur? 1. Cœli tex. 1.

Item, Qui diſſoluit quæſtionem dubiam quæ errores obijcit hominibus, non pueriliter agit. Qui diſſoluit, ad quem artificem attineat uerba facere de ſingulari certamine, diſſoluit eiuſmodi quæſtionem: ergo qui diſſoluit hoc, non pueriliter agit.

Maior propoſitio clara eſt. Minor etiam perſpicua, quia ad hoc uſq; tempus legum profeſſores putarunt attinere hoc ad ipſos ſuo nomine ac ſuo iure, non ob eam cauſam quòd moralis philoſophi perſonam induerint: & tu, qui uidiſti rationes contrà à nobis allatas, nec diſſoluiſti, permanes adhuc in errore: qui quidem error tantam uim apud te habuit, ut eo adductus poſueris falcem in meſſem alienã: quia profiteris tractare cauſas ex legibus, & putas te agendo de iſtis, agere perſonam legumlatorum, præſertim cum negas hæc pertinere ad philoſophum moralem. Ponis ergo iſta ut diuerſa à legib. quas profiteris. & cum attineant ad moralẽ philoſophiam, cum diſputas de ijs (totius rei ueritatem in præſentia omittemus, quã pluribus declarauimus in libro De honore) ponis ex tua ipſius ſententia falcem in meſſem alienam.

Quòd

Quòd uerò fundamenta & poſitiones noſtræ non ſint falſæ, ſed maximè ueræ fir-
męq́ ex Peripatetica doctrina, quam nunc profitemur: ex eis quę dicentur facilè in-
telligere poterunt, qui modò aliquam harum rerum intelligentiam conſequuti ſunt.
Etſi ridiculum eſt, uelle tueri nos ea quæ ſcripſimus in libris De honore, aduerſus hu
iuſmodi hominem, qui ex eis quæ dicit in hoc loco, apertè oſtendit, ſe illa aut non le-
giſſe, aut certè non intellexiſſe. Ex quo planè apparet, illum uel non ſeriò aduerſus
nos diſputaſſe, ſed ingenij oſtentandi gratia, ut oſtenderet ſe etiam ſcire perturbare
ueritatem: uel certandi gratia. aliter enim profectò neq́ incidiſſet in iſtos turbulen-
tiſsimos errores, & diluiſſet rationes noſtras, quod non fecit: uel certè tacuiſſet. ſed
ad propoſitum.

Ego dixi, libros Ethicorum docere quomodo efficiatur ciuitas felix perfectè: & il
lam doctrinam eſſe politicam uerè ac ſufficientem per ſe: & politicam de magiſtrati-
bus & legibus eſſe neceſſariam per accidens: poſita uidelicet ignoratione & impro-
bitate hominum. Multa præterea dixi hac ipſa de re, quæ iſte non uidetur conſide-
raſſe: ad quæ reijcio lectorem. Ex ijs efficitur, ut ſuperuacanea omnino ſint quæ di-
cit de legibus. Sed hoc parum eſt. ſequitur enim ex eis quæ dicit, ut contra ipſius ſen
tentiam, doctrina libri Ethicorum ſit domina & princeps, & architectonica, utpotè
in qua declaretur ſummum hominis bonum. Sequitur etiam, illum non intellexiſ-
ſe ea quæ diximus in libris De honore: ubi oſtendimus, quòd omnia illa quæ dicta
ſunt de politica, quæ eſt architectonica, conueniunt politicæ de moribus, & non de
legibus: idq́ probauimus. & ita apparet, citatum fuiſſe ab iſto eum locum qui facit
contra ipſum. Non uidit etiam iſte homo quod ego declaraui, iniuriari eſſe, læde-
5.Ethic.9. re contra leges: quia eſt contra proportionem & æquum, ut inquit Ariſtoteles: defi-
niriq́ ab ipſo Ariſtotele, iniuriari eſſe contra leges: quoniam leges tendunt ad æqui
tatem, & ad iuſtum. neq́ enim ſunt iuſtæ niſi per accidens, id eſt quatenus ducunt ad
5.Ethic.15. iuſticiam. & ſunt magis manifeſtæ, quàm iuſtæ, ut Ariſtoteles declarauit. Dicere
autem, quòd quædam iniuriæ pertinent ad leges, quę uidelicet ſunt contra proprias
leges, aliæ non: eſt ignorare, quòd ad quam facultatem pertinet genus, ad eandem
pertinent & ſpecies? Quòd ſi iniuriari pertinet ad Ethicam, ergo & eius ſpecies. Eſt
etiam ignorare quòd ad eandem facultatem pertinent uitia, ad quam pertinet uir-
tus. ſunt enim oppoſita, & uitia ſunt praui mores. Poſſemus demonſtrare multa alia
abſurda, ſed hæc erunt ſatis.

Qui autem uult uidere errores huius hominis, uideat diligēter noſtros libros De
honore: & tunc intelliget, quàm prudenter iſte ediderit in lucē hunc ſuum libellum.
1.Rhet.10. Præterea, quomodo noluit Ariſtoteles moralem philoſophiam habere etiam co-
gnitionem iniuriarum perfectam, quia dixit, iniuriari eſſe lædere contra leges: cum
1.Rhet.4. ipſemet alio loco dixerit, Rhetoricam eſſe compoſitam ex parte reſolutiua, & ex ea
politica quę eſt circa mores? Ex his enim uerbis planè ſequitur, ea quę ibi tractat, per
tinere ad politicam de moribus. tractat autem de iniurijs. ergo de his tractat ut mo-
ralis philoſophus: & cum perfectè tractet, patet eum uelle ut moralis habeat perfe-
ctam ipſarum cognitionem.

1.Rhet.10.et13. Item perſpicuum eſt, diuiſionem legum quam tradidit Ariſtoteles, & quæ citatur
5.Ethic.11. ab iſto, eſſe eandem re quæ eſt diuiſio iuſti politici, quam poſuit idem Ariſtoteles. iu
ſtum enim generaliter quin attineat ad moralem, negari non poteſt. & ita cognoſci-
tur, quòd leges poſitæ in illa definitione ſunt pro iuſto politico: & ſic nihil contra
nos. Mirum aūt uidetur eſſe, iſtū accepiſſe definitionē iniuriæ, ut ſuam ſtabiliret ſen
tētiam: & nō refelliſſe expoſitionē eam quā ego tradidi huic definitioni, quā contra
me ipſum attulerā. Sed argumētari pergamus, oſtēdentes iniurias attinere ad mo-
ralē philoſophū: & fieri nō poſſe, ut per leges uerè definiantur, hoc modo: Cogno
ſcere ſpeciem illā iuſticiæ particularis, quæ uerſatur circa cōmercia clādeſtina & uio-
lēter facta, attinet ad politicā de morib. ergo ad eandē attinet, cognoſcere huiuſmo-
5.Ethic.5. di cōmercia. Conſequētia liquet ex uerbis Ariſtotelis, ubi dixit hāc iuſticiā uerſari
in huiuſmodi cōmercijs. ſine ipſis ergo nō poteſt cognoſci iuſticia illa: quādoquidē
nihil aliud eſt ꝙ correctio cōmerciorū, ſiue ſint ſpōtanea ſiue inuita. In his eīm eſt ha-
bere plus & minus. Sed cōmercia huiuſmodi ſunt iniuriæ: ergo ad eandē politicam
5.Ethic.5. attinet cognoſcere iniurias. Antecedens patet ex uerbis Ariſtotelis: quoniam fur-

tum,

tum, adulterium, ueneficium, lenocinium, ſeruorum ſeductio, doloſè perpetratum homicidium, falſa teſtificatio, quæ ſunt commercia clandeſtina, ſi fiant cum electione, ut dicemus, ſunt propriæ iniuriæ.

Item, Flagellatio, uincula, mors, rapina, mutilatio, conuiciatio, contumelię illatio, quæ ſunt commercia uiolenta, ſunt iniuriæ: attinent ergo ad politicam de moribus. igitur falſum eſt, quòd cognoſcere quid ſit iniuriari, & quæ ſint iniuriæ, attineat ad politicam de legibus.

Item, Si aliquæ iniuriæ attinent ad politicam de moribus: ergo omnes. ſunt enim eiuſdem rationis.

Item, Iniuſticia attinet ad eam facultatem, ad quam attinet iuſticia: ſunt enim oppoſita. Sed iuſticia attinet ad moralem facultatem: etenim eſt una ex uirtutibus moralibus. ergo iniuſticia attinebit ad eandem. Sed iniuriæ ſunt iniuſticiæ: ſunt enim læſiones contra proportionem & æquum. ergo iniuriæ attinent ad facultatem de moribus: non ergo ad eam quæ eſt de legibus. Ex quo efficitur, ut ſi iniuriæ definiantur per leges, definiantur ex poſterioribus: quia cum priores ſint legibus, neceſſe eſt ut poſsint eſſe ſine legibus. Id autē quod eſt prius naturà, poſſe reperiri ſine eo quod eſt poſterius, ita perſpicuum eſt, ut nulla oſtenſione indigere uideatur.

Confirmatur autem, iniurias naturà leges antecedere, hoc modo: Virtus eſt prior legibus, ergo & uitium: ſunt enim oppoſita, & ſimul natura. Sed iniurię ſunt uitia, ergo ſunt priores legibus: ergo non poſſunt rectè definiri per leges. Quod enim eſt prius, ut definiatur uerè per poſterius, fieri non poteſt. Nā quod natura eſt prius, poteſt exiſtere non exiſtente poſteriori: habebit ergo ſuam ſubſtantiam ſine poſteriori. ergo poterit definiri ſine poſteriori. Quòd ſi per poſterius definietur, illa non erit eius uera definitio. etenim definitio uera eſt ex priorib. Ergo ſi iniuriæ definiantur per leges, illa definitio erit ex poſterioribus: non ergo ualet. In definitione ipſius iniuriari ponuntur leges: ergo leges ſunt priores. etenim illa non erit uera definitio, ſed deſcriptio. Et hoc conceditur uerè: ſed nihil faciet aduerſus noſtram ſententiam.

Item, Felicitas eſt legibus prior, ergo & uirtus. etenim uirtus neceſſariò ponitur in definitione felicitatis: eſt enim felicitas, operatio ſecundum uirtutem. Quod antecedit, perſpicuum eſt ex multis Ariſtotelis locis, ſed maximè ex procemio Politicorum, in quo probauit, ciuitatem appetere ſummum bonum: etenim ſecundum id quod exigit ſummum bonum, traduntur magiſtratus & leges. alioquin Procemium illud in eo loco non eſſet ad rem. 1.Polit.1.

Confirmatur etiam, uirtutem & uitium priora eſſe legibus, his uerbis Ariſtotelis: 3.Polit.6.
De uirtute & uitio politici conſiderant, quicunque curant de bonarū legum ſanctio- "
ne: quale manifeſtum opus eſſe, ciuitatem quæ uerè nominata eſt ciuitas, non cauſa "
ſermonis, curam habere de uirtute & uitio. Vitium igitur & uirtus ſunt præſuppo "
ſita (ut ita dicamus) ab eo qui bonas leges uult ferre: ergo priora ſunt uitium & uirtus, quàm leges. ergo neutrum ipſorum poteſt uerè per leges definiri. Ratio etiam hoc apertè indicat: quia neque ulli magiſtratus, neque ullæ leges meliores eſſe probari poſſunt, niſi quatenus magis abducunt homines à uitijs, & melius perducunt ad uirtutes, & ita ad felicitatem.

Item, Felicitas eſt principium omnium quæ continentur in philoſophia humana: ergo eſt prior omnibus. Conſequentia perſpicua eſt principium enim eſt eis quę oriuntur ex ipſo prius: ergo quantum eſt ex ſe, poteſt eſſe ſine alijs. Quòd autem felicitas ſit principium, declarauit Ariſtoteles: ergo etiam uirtutes & uitia ſunt priora legibus. non poſſunt igitur uerè per leges definiri. 1.Ethic.16.

Præterea declarauit ſeipſum Ariſtoteles, cum dixit, Iniuria affici eſt pati iniuſta à uolentibus: & non dixit, eſſe pati contra leges à uolentibus: nobis uolens innuere, ſi dixerat prius eſſe pati contra leges, hoc ſe dixiſſe, quia erat cōtra iuſticiam, quatenus uidelicet leges ducunt homines ad iuſticiam. 1.Rhet.13.

Confirmatur item uerbis Ariſtotelis, quòd leges ſint poſteriores uirtutibus, & 5.Ethic.1.
quòd dicantur iuſtæ, quia ſunt effectiuæ & cōſeruatiuæ felicitatis: Vno enim, inquit, "
modo iuſta dicimus ea quæ efficiunt & cōſeruant felicitatē & partes ipſius in ciuili "
ſocietate. Præſcribit autem lex facere opera fortis, ut non relinquere ordinem, neque "
fugere, neque deijcere arma: & ea quæ ſunt tēperati, ut non adulterari, nō contumelia "
afficere;

afficere: & ea quæ ſunt manſueti, ut non uerberare neq; conuiciari. Similiter autem ſecundum alias uirtutes & uitia, hæc quidem iubens, hæc autem prohibens. rectè au tem, quę recta eſt poſita: peior autem, quæ inconſultò poſita eſt. Sunt ergo leges po ſteriores uirtutibus & uitijs, ſiquidem debent iubere ea quæ faciunt ad uirtutem, & prohibere quæ ad uitia. Itaq; neceſsitas cogit, ut qui ferre uolunt leges, prius co- gnoſcant uirtutes & uitia: alioquin non poſſent rectè eas ferre.

5. Ethic. 5. Hoc idem oſtendit locus ille Ariſtotelis: Ferè enim multa ex legibus ſunt ordina- „ ta ab uniuerſa uirtute. Etenim ſecundum unamquamq; uirtutem iubet uiuere, & ſe- „ cundum unumquodq; uitium prohibet lex. effectiua enim uniuerſæ uirtutis ſunt o- „ mnia illa iura quæ ad publicam pertinent diſciplinam. Ex quibus omnibus perſpi cuè patet, neceſſarium eſſe ut legiſlator cognoſcat prius uirtutes & uitia, ſi laturus ſit leges quæ præſcribant uiuere ex uirtute. & prohibeat uitia. Ergo neceſſe eſt, ut idem prius cognoſcat iniurias antequam leges ferat de ipſis. Sed non poteſt cognoſcere uerè uirtutes & uitia, niſi cognoſcat eorũ definitiones & ſubſtantias, ut perſpicuum eſt. ergo neq; poterit cognoſcere iniurias, niſi cognoſcat earum definitiones. Ergo definitio iniuriæ non poteſt tradi per leges uerè, quia iniuriæ antecedunt leges in i- pſo eſſe. Ergo ſi ſunt per leges definitæ, ſunt ex poſterioribus. Ergo neceſſe eſt ut Po litica de moribus habeat perfectam cognitionem iniuriarum ſine legibus: ergo euer ſa eſt ſententia huius boni uiri.

Item, De iniurijs agitur in libris Ethicorum uel ergo poterant perfectè intelligi ſi- ne legibus, uel nõ. Si non, perperam fecit Ariſtoteles, qui prius de eis egit, cum non poſſent intelligi ſine legibus, de quibus agit poſtea. Fruſtra igitur laborauit, & præ- ter rerum ordinem, nulla neceſsitate coactus. Si uerò poterant perfectè intelligi ſine legibus: ergo poterant definiri ſine legibus.

Probatur conſequentia: Quia ſi non potuiſſent definiri ſine legibus, non potuiſ- ſent perfectè intelligi ſine legibus. non enim fieri poteſt ut aliquid perfectè cogno- ſcatur, niſi ex cognitione eius ſubſtantiæ, & ex definitione: ut conſpicuum eſt, & ha-

1. Phyſ. tex. 1. betur ex Ariſtotele, qui dixit: Ignorato motu, neceſſe eſt ignorare naturam: quando- quidem motus fuerat poſitus in ea definitione, quam poterat habere natura.

In dubium igitur uenire non poteſt quin leges poſitæ in definitione ipſius iniu- riari, ſint poſitæ ut aliquid poſterius. quia & notiores erant, non ut aliquid quod e- ius naturam uerè declaret. Quod cum ita ſit, neminem non intelligere arbitror, il- lud ſequi, rectè dictum fuiſſe à nobis in libris De honore, iniuriari attinere ad eam fa cultatem quæ eſt de moribus.

Item, Nullæ ſunt iniuriæ, neq; poſſunt aliquæ excogitari, de quibus per ſe non e-

5. Ethic. gerit Ariſtoteles in Ethicis: ergo ſuperuacaneum eſt de eiſdem per ſe agere in alio lo co, cum ſatis iam de ipſis dictum ſit. Quòd ſi in alijs locis agatur, neceſſariò dicendũ eſt agi ex ſuppoſitione. Si ergo in libris de legibus tractetur de iniurijs, erit per acci- dens, & ex ſuppoſitione. Non enim in duobus locis per ſe primò ſine errore poteſt agi de aliqua re. Igitur falſum eſt, quòd cognoſcere quid ſit iniuriari, & quæ ſint iniu- riæ, attineat per ſe primò ad Politicam de legibus: quod eſt id quod nos aſſerimus.

5. Ethic. 9. Antecedens patet: quia omnes iniuriæ ſunt iniuſticiæ. & Ariſtoteles proponit, ſe uelle uerba facere de iuſticia & iniuſticia, ergo de iniurijs per ſe: quòd ſi non loquere tur de omnibus iniurijs, mancus eſſet Ariſtoteles, & diminutus. conſequens eſt fal- ſum, ergo & id unde fluxit.

Præterea homines dicuntur ſimpliciter boni & mali uirtutibus moralibus, & ui- tijs: itemq; felices, atque felicitatis expertes: ergo ad hoc ut ſint boni uel mali per ſe

1. Ethic. in fin. ſimpliciter, non indigent legibus. Antecedens colligitur ex multis Ariſtotelis lo-

6. Ethic. in fin. cis, ſed præſertim ex libris Ethicorum. Conſequentia etiam per ſe liquet: quia ſi in- digeremus legibus ad hoc, ut diceremur ſimpliciter boni uel mali, non diceremur

in Poetica. ſimpliciter tales ex uirtutibus & uitijs. Sed hoc eſt contra Ariſtotelem & ueritatem: ergo & id unde manauit. Ergo leges non ſunt per ſe neceſſariæ ad id quod diximus: ergo per accidens, quatenus ſcilicet iubent homines uiuere ex uirtutibus, ut declara

10. Ethic. 2. uit Ariſtoteles. Ergo non debent poni per ſe in definitione neq; uitiorum neq; uir- tutum: quia quod eſt per accidens, non declarat ſubſtantiam eius quod eſt per ſe.

Ex his omnibus perſpicuum eſſe arbitror, tãtum abeſse ut quæſtionem puerilem

poſuerim,

poſuerim, & parui momēti, innitarq́ꝫ fundamentis manifeſtè falſis, ut nihil magis ex
arte facere potuerimus, nihilq́ꝫ uerius, & quod magis Peripateticæ doctrinæ con-
ſentiat aſſerere. ex quibus fundamentis ſequitur demum, rectè à nobis dictum eſſe,
cognitionem ſingularis certaminis, quod propter honorem & honeſtatē tuendam
fit, non poſſe ad alium artificem attinere, quàm ad philoſophum moralem: quando-
quidem fieri non poſsit, ut quiſquam cognoſcat honore ne aliquis an uituperio di-
gnus ſit, niſi ex cognitione uirtutum & honoris: item an ſit iniuria affectus, & hono
re priuatus, niſi cognitum habeat quid ſit ipſum iniuriari. ſicut fieri non poteſt, ut co-
gnoſcatur quēpiam perfectè eſſe hominem, niſi ex cognitione definitionis hominis.

Quod confirmat Ariſtoteles ijs uerbis: Propter hoc opus eſt de his determinare, 1. Rhet. 10.
quid furtum, quid iniuria, quid contumelia, quid adulterium, ut ſiue eſſe, ſiue non eſ- “
ſe iuſtum uelimus oſtendere, facere queamus. nam de omnibus his quæſtio eſt, utrū “
iniuſtus ſit, uel improbus, uel non. Fieri igitur ex Ariſtotelis ſententia non poteſt, “
ut cognoſcamus aliquem eſſe adulterum, uel furem, uel iniuria alterum affeciſſe, niſi
ex horum definitionibus: quod eſt id, quod uolumus nos. non ergo finximus nobis
hanc opinionem, cum perſpicuè oriatur ex uerbis Ariſtotelis. Quis enim potuiſ-
ſet inficiari, honorem qui eſt præmium uirtutum: & iniuriari, quod eſt uti prauis mo
ribus, attinere ad eam philoſophiæ partem quæ de moribus agit: nemo certè (ut opi
nor) qui Ariſtotelis doctrinam uel primis labijs attigerit.

Illud præterea falſum eſt, Ariſtotelem poſuiſſe, Dialecticam ſubiectam eſse Poli-
ticæ: cum non enumerauerit niſi rem militarem, œconomicam, rhetoricam, ut dixi-
mus in primo libro. Quòd autem Rhetorica ſit politicæ ſubiecta, non eſt id ea ratio-
ne, quòd eadem eſt in ſubſtantia, quæ Dialectica: ſed eſt ratione illius partis quæ eſt
ciuilis, ut dicemus. ait enim Ariſtoteles primo Rhet. cap. quarto, loco ſuperius cita- 1. Rhet. 4.
to, ipſam Rhetoricam eſse compoſitam ex reſolutiua ſcientia, & ex ea ciuili quæ eſt
de moribus. & in principio ſecundi capitis intulit, ipſam eſse propaginem Dialecti- 1. Rhet. 2.
cæ, & eius negocij quod circa affectiones eſt, quod æquum eſt appellare ciuilem uel
politicam. Ratione igitur huius partis quæ tractat de moribus & uirtutibus & affe-
ctibus, dicitur eſſe ſubiecta politicæ: non ratione locorum communium perſuaſibi-
lium, uel probabilium. Quod enim ad eos attinet, non eſt alicuius certi ac definiti ge
neris. & hoc modo eſt eadem in ſubſtantia, quæ Dialectica. etenim ambæ ſunt facul-
tates quędam inueniendi ſermones, id eſt inueniendi uel conſiderandi probabilia &
perſuaſibilia. idem enim ſunt re, quæ uerſantur circa unumquodq́ꝫ genus. ex quo ſe-
quitur, neutrum ipſarum uerſari circa aliquod definitū & determinatum genus, ſed
de quocunq́ꝫ genere propoſito ex communibus probabilibus uerba facere.

Cum ergo Rhetorica hac ratione, quæ eſt eius ſubſtantia, non poſsit eſſe ſubiecta
ciuili, quæ eſt eadem in ſubſtantia, quæ Dialectica, eſt enim communis omnium: ra-
tio exigere poſtulareq́ꝫ uidetur, ut neq́ꝫ etiam Dialectica ſit ipſi ciuili ſubiecta, quip-
pe quæ eſt eadem in ſubſtantia quæ Rhetorica. Sed cum Ariſtoteles dicit Rhetori-
cā ſubiectā eſſe ciuili, neceſſe eſt ut intelligatur de ea parte cui eſt applicata, quę qui-
dem eſt materia ciuilis, ratione cuius ipſa ſeiungitur à Dialectica. Dialectica enim ſo
los locos communes ſeparatim, & non ut ſunt alicui determinatæ materiæ applicati,
niſi tantum quatuor generibus problematum, quæ ſunt generaliſsima, contempla-
tur. Ipſa uerò Rhetorica eoſdem quidem locos communes complectitur, at non ſim
pliciter, neq́ꝫ etiam ut applicati ſunt quatuor illis generibus problematum, ſed ut ma
teriæ ciuili accommodantur, cuius quidem accommodationis ratione à Dialectica
ſeparatur: & hinc ſanè oriri differentias omnes, quas ponit Ariſtoteles inter Diale-
cticam & Rhetoricam, omnibus qui diligenter uerba Ariſtotelis conſiderabunt (ut
opinor) erit perſpicuum: quoniam definitiones illarum quæ explicant quid utraque
uerè ſit, ſunt eædem. extrinſecus ergo aduenit eis, quod differant. Nos tamen totam
hanc rem, in eis quæ ſequuntur demonſtrare conabimur: ad quem locum me reijcio.

Falſa eſt igitur opinio tua, qui putaſti Ariſtotelem enumeraſſe Dialecticam inter
eas honoratiſsimas facultates, quas poſuit ciuili facultati ſubiectas: quia hoc non fe-
cit Ariſtoteles, ſed ſolùm enumerauit Rhetoricam, rem militarem, & œconomicam:
neq́ꝫ inter has nominauit Dialecticā, tū propter rationē dictam, tum quia ipſa nō eſt
honoratiſsima: neq́ꝫ eſt enim contēplatiua, neq́ꝫ de diuinis rebus & honore dignis.

Item, non eſt ars neq; ſcientia, quia nõ eſt de rebus certis & determinatis: ſed eſt, ut diximus, facultas inueniendi probabilia in unaquaq; re, ſicut declarauit Ariſtoteles: ex quibus patet, te longè eſſe deceptum. (1. Rhet. 4.)

SECTIO SECVNDA.

Auctor. Cauſa uerò, quamobrẽ ſub incertis adhuc regulis uariata eſt, ſemperq; uariabitur, tum erit duelli conſuetudo, &c.

ANT. BER. FAlſam te de hac re, & contra Ariſtotelis doctrinam, accepiſſe opinionem conſtat: quandoquidem perſpicuum ſit, ipſam duelli conſuetudinem non carere omnino ratione, ut diximus. Etenim ratio regularum eius ducitur ex definitione honoris & iniuriarum, quę definitiones ſunt firmæ & ſtabiles per ſe. Quòd ſi uarientur interdum & errent, hoc eſt ratione materierum, & per accidens.

Præterea ſi ex hoc quòd uarientur & errent aliquando, id eſt, non ſemper euenit id quod ſtatuunt, uis effici, ut abolendę ſint: non uideo cur etiam leges tuæ non ſint abolendæ, quandoquidẽ ipſis ita accidat. quod indicauit Ariſtoteles ijs uerbis: (5. Ethic. 15.)
„ Cuius rei cauſa eſt, quod lex in uniuerſum omnis ſtatuit, nec fieri poteſt ut rectè de qui-
„ buſdã in uniuerſum definiatur. in quibus enim neceſſe eſt ut in uniuerſum dicatur, re-
„ ctè aũt id nõ poteſt: lex ſumit quod utplurimùm fit, nõ ignorãs ſanè quod peccatur,
„ & nihilominus rectè ſe habet: quippe cũ peccatũ in lege minimè ſit, neq; in legislato-
„ re, ſed in rei ipſius natura cõſiſtat. ſtatim enim rerũ agendarũ materia huiuſmodi eſt.

Si ergo quia errẽt & ſint uarię, regulę ſingularis certaminis ſunt abolẽdæ: leges etiã quæ errãt & peccãt, ut ſint abolẽdæ neceſſe eſt. Ita e͂m ſunt firmæ definitiones honoris & iniuriarũ, & per id quod ſequitur, regulę quę ex eis oriũtur, ſicut ipſarũ legũ.

Euerteretur etiam, præter leges, ob eandem cauſam Medicina, ars nauigãdi, & (ut uno uerbo dicam) omnes habitus actiui & factiui: quãdoquidem in dubium uenire non poſsit, quin eiſdem peccatum accidat. neſcio igitur quid ſibi uelit iſte Auctor, niſi euertere omnes artes & facultates.

Quòd poſtea ſubiungis, hãc eſſe cauſam, quamobrẽ incertæ ſint & uariæ ſemper de duello Iuriſconſultorũ ſententiæ: miror equidẽ te (qui quotidie experiris ꝙ uariæ ſint Iuriſconſultorũ ſentẽtiæ in eis cauſis quæ ciuiliter tractãtur, nullamq; ferè eſſe ciuilẽ cauſam quæ nõ ſpecioſis, ut ipſe loqueris, & coloratis argumẽtis inuolui poſsit & implicari, ſicut fit) nõ uidere, ex tuis uerbis apertiſsimè ſequi, leges eſſe abolẽdas omnino. malè enim tecũ hucuſq; fortaſſe actũ eſſet, agereturq; nũc, qui cauſas tractando uitã traducis. ſi non eſſent uariæ Iuriſconſultorũ ſentẽtiæ, ſi cauſæ ciuiles nõ haberẽt iſta ſpecioſa & colorata argumẽta, quib. inuoluerẽtur & implicarẽtur. Examina idipſum, & cõſidera unde ueniãt tibi alimẽta, quib. teipſum & familiã tuã nutris. inuenies e͂m ita eſſe omnino ut dicimus: nec te aliũde magis ꝙ hinc facultates cõparaſſe.

Falſum pręterea eſt quod dicis, ſumi omnia ex cõſuetudine nõ ſcripta. hęc e͂m ſumpta ſunt ex definitionib. honoris & iniuriarũ, & aliarũ huiuſmodi rerũ: atq; ita quidẽ ſunt firma & ſtabilia, ſicut regulę quę tradũtur ab Ariſtotele ex definitionib. ſyllogiſmi & demõſtrationis. (1. Prior & Poſter.) Perperã igitur dixiſti, hoc nihil eſſe aliud ꝙ unũquenq; ex ꝓprio ſenſu atq; arbitrio ꝓnũciare. & q͞a ante nos nõ fuerũt traditę huiuſmodi regulę, q͞d ego intellexerim: idcirco ea ipſa adducti charitate qua humanũ genus ꝓſeq͞mur, eas tradere aggreſsi ſumus, cum ſciremus minus malũ ex ſentẽtia Ariſtotelis, boni rationẽ habere. Quod te quidẽ non cõſideraſſe q͞ nihil ꝓrſus cõſideras, minimè miror.

Præterea, Si quia difficile eſt cognoſcere æquum & iniquum, quod ſæpenumero amor & odium, multaq; alia impediunt, ob id tollenda ſit doctrina de duello: ergo etiam tolletur doctrina de legibus. Etenim intelligere æqua & iuſta, de quibus ciuilis cõſiderat, eſt difficillimum, ut inquit Ariſtoteles: & ſunt illa quidem ita uaria, ut non uideantur eſſe naturà, ſed ex lege. (5. Ethic. 15. 1. Ethic. 2.)

Itẽ, Amor & odiũ, & ꝓprium cõmodum plus poſſunt in iudicijs quæ fiunt per leges, quàm in iſtis de honore: uel certè tantundẽ. Ergo ſi ob talem difficultatem opus ſit conuelli doctrinã de duello, ut conuellatur etiam doctrina de legibus neceſſe eſt.

Quòd autem amor & odium, & proprium commodum, tantam uim habeãt in iudicijs quæ fiunt per leges: præterquã quod eſt omnibus perſpicuum, oſtendit etiam Ariſtoteles multis locis. (1. Rhet. 1. 2. Rhet. 2.)

Præterea

Præterea difficultas rei nõ arguit, quòd fieri nõ poſsit. Ex ijs igitur, quæ dicta ſunt apparet, dum iſte uult euertere duellum, qua ratione conatur eius doctrinam labefactare, hac ipſa leges ſuas prorſus tollere.

Sed argum ẽtemur etiã alio modo: Sic cõſuetudo eundi ad arbitrũ nõ eſt tollenda, propterea quòd de naturali æquitate uariꝫ ſint hominũ ſentẽtiꝫ: ergo nõ erit etiã tollendũ ſingulare certamẽ ob eam cauſam, quia de ipſo uariꝫ ſint hominum ſententiæ.

Illud præterea perperam intuliſti, quia uariæ ſint de eo hominum ſententiæ, ſine ratione eſſe ſingulare certamen. nam in iudicijs mercatorum (ut ipſe etiam aſſeris) uariæ ſunt ſententiæ: & tamẽ non uacant ratione per te, qui dixiſti eos uti æquitate ſua naturali, cuius principia ſunt certa, quæ eſt ratio ipſorum. Nihil eſt igitur quod dixiſti. nam ſi eſt tollendum ſingulare certamen ob uarias de ipſo ſententias: tollendum eſt etiam proficiſci ad arbitrum. at conſequens euertit ſententiam Ariſtotelis, & ipſam ueritatem: ergo & id unde emanat.

Ita autem eſſe, planè oſtendunt hꝫc uerba Ariſtotelis: Et in arbitrium magis quàm in forum deſcendere æquum eſt. nam arbiter ad æquum & bonum, iudex ad legem ſpectat: & hac de cauſa arbiter eligitur, ut æquum & bonum præualcat. 1. Rhet. 13. “ ”

Conſequentia perſpicua eſt ex eis quæ ipſe aſſeruiſti. non igitur eſt abolendũ ſingulare certamen, ob rationes à te dictas: neq; inferendum, ipſum inniti falſis principijs, ex tuiſmet uerbis. tuo ergo (ut aiunt) gladio iugularis.

Item, Si principia naturalis æquitatis ſunt certa (ut dicis) ergo certa ſunt principia ſingularis certaminis: etenim ſunt ab honeſto & honore, ut eſt honeſtum. honeſtum autem naturale nihil aliud eſt quàm æquũ: honeſtas enim eſt æquitas. quia æquum nihil aliud eſt quàm bonum: quod cum ſit per ſe eligibile, eſt etiam laudabile: quia quod eſt iuſtum præter legem ſcriptam, cum ſit per ſe eligibile, laudabile eſt: & id cũ bonum ſit, iucundum eſt, utpotè bonum honeſtum. non igitur principia ſingularis certaminis ſunt falſa, ex tuis ipſius uerbis. Tuam igitur conuellis ſententiam.

Miſſum etiam facio, quòd ſecundũ hanc tuam opinionem tollerentur etiam ſcientiæ, propterea quia uariæ ſunt in ipſis doctiſsimorum ac ſapientiſsimorum hominũ opiniones ac ſententiæ. omnes item artes, & breuiter omnes actiones humanæ, in dubium uenirent: quꝫ ſunt maximè abſurda. Si autem tam manifeſti errores, multiq; alij in quos incidiſti, cum oriantur apertè tanquam è radice quadam, ex ignoratione moralis philoſophiæ, facilè declarant quàm probè teneas eius ſcientiam: quam tamẽ quaſi ſummus ſis philoſophus, ita profiteris.

SECTIO TERTIA.

Duellum autem non eſſe inſtrumentum, ſiue medium, aptum ad recuperandum, conſeruandum'ue honorem, & reliqua. *Auctor.*

HOc loco Auctor iſte definiens honorem eſſe præmium beneficentiæ, iudicio ſtudioq; delatum, uidetur uoluiſſe explicare utrãq; honoris definitionem, quã tradit Ariſtoteles & in eo cum dixit, honorem eſſe præmium uirtutis: & in Rhet. cũ ait eſſe ſignũ benefactiuæ opinionis. Sed interpretans uerbũ Opinionis, iudiciũ ciuium: planè euertit ipſum textũ Ariſtotelis. quia Opinionis, neceſſariò conſtruitur cũ Benefactiuæ: aliter em̃ nõ cohæreret cõſtructio. & cũ Benefactiuæ apertè referat̃ ad eũ qui honoratur, neceſsitas cogit, ut Opinionis referat̃ ad eundẽ. nõ igit̃ poteſt referri ad honorãtẽ. Ergo malè iſte (ut dictũ eſt) interpretat̃ Opinionis iudiciũ ciuiũ. ANT. BER.

Præterea ſequeretur, ut iſta definitio eſſet mãca: quia falſum eſt, honorẽ eſſe præmium omnis beneficẽtiæ. neq; enim eſt prꝫmiũ beneficẽtiæ quæ proficiſcitur à caſu: neq; eius quæ fit per ignorationẽ, aut per uim. ideo nõ poteſt explicari ſic. Sed quia neceſſe eſt, ut is qui benefacit, ſpõte ſua uolẽſq; benefaciat, & eligat benefacere: ſicut iniuria non eſt iniuria, niſi ab eo qui ſpõtꝫ agit & per electionẽ, in qua electione (ut multis in locis ſcriptũ reliquit Ariſtoteles) cõſiſtit prauitas & probitas (qua de re infrà etiam dicemus) oportet, ſi beneficentia futura ſit honore digna, ut ea quis utatur per electionem. Itaq; uerbum (Opinionis) ſic uidetur explicatũ, ut referatur ad eum qui honore afficitur: ſenſuſq; ſit totius definitionis, honorem eſſe ſignum beneficentiæ factæ per opinionem benignè faciendi, non per uim, non per ignorationem, nõn 5. Ethic. 14. 1. Rhet. 15.

à caſu. Quod igitur dicit Ariſtoteles, ſignum benefactiuæ opinionis, ſignificat quòd aliquis benefecerit opinione benefaciendi: quod in idem recidit, ac ſi diceret, quod benefecerit electione.

Qui ſenſus etiam uidetur colligi poſſe ex eis quæ dixit Ariſtoteles ĳs planè uer-
1. Rhet. 9. bis: Verùm quoniam laus ex operationib. eſt, hominiſq; uirtute præditi proprium
„ per electionem agere, ita dicendum, ut oſtendatur per electionẽ ipſum geſsiſſe quæ
„ geſſerit: ad quam rem confert, ut ſæpius feciſſe demonſtretur. quare quæ caſu & for-
„ tuna facta ſunt, conſilio & iudicio aſcribenda ſunt.

Perſpicuum igitur eſt, neq; laudem neq; honorem tribuendum eſſe actionibus ullis, niſi profectæ ſint ab electione: aliter enim non eſſent ex uirtute. Eſt igitur rationi conſentaneum, uoluiſſe Ariſtotelem dicere, honorem eſſe ſignum, quòd is qui honoratur benefecerit opinione benefaciendi. Ex quo ſequitur, ut benefecerit electione. quia licet electio & opinio aliquo modo differant: tamen qui facit aliquid opinione benefaciendi, quod perinde ualet ac ſi diceretur, cogitatione benefaciẽdi, electione benefeciſſe apparet, non caſu: neq; etiam per uim, aut per ignorationem. quia quæ fiunt hoc modo, non laudantur neq; honorantur. Deinde quia non omnis qui benefacit electione, eſt dignus honore (multi enim praui, ut tyranni, eligunt multa aliquãdo in aliquem conferre beneficia, & tamen ex Ariſtotelis ſententia non ſunt honore digni, quia ſolus bonus eſt dignus honore) neceſsitas cogit ut addatur in definitione honoris, propter honeſtum uel uirtutem. Itaq; dicemus, honorem eſſe ſignum beneficentiæ per electionem, & propter honeſtum. Quòd item uiſus eſt Ari-
2. Rhet. 11. ſtoteles indicare, cum dixit: Honorant enim benefacientes, & bonos. quaſi diceret, qui faciunt propter uirtutes & honeſtatem: alioquin non eſſent benefactores boni. Addidit ergo Bonos, quia nõ omnibus benignè facientibus eſt tribuendus honos: ſicut neq; etiam omnibus qui benignè fecerunt, refertur gratia. ut colligitur ex illis
2. Rhet. 7. Ariſtotelis uerbis: Patet etiam (inquit) hinc, quibus locis tollere gratiam poſsimus,
„ ac non gratificatos oſtendere. nam aut quoniam ſui cauſa faciunt, aut fecerunt quod
„ gratia non erat, aut quia accidit per fortunam ut facerent, aut quoniam coacti fece-
„ runt, aut quoniam reddiderunt, non dederunt: ſiue ſciuerunt, ſiue non. Vtroq; enim
„ modo quid pro quo: quare nec ſine ulla erit gratia.

Ob eaſdem igitur cauſas, ob quas non refertur gratia benignè facientibus, conſentit rationi, ut non attribuatur honor, qui dicitur eſſe præmium operationum quæ ex
2. Ethic. 4. uirtute proficiſcuntur. Quæ operationes, ut inquit Ariſtoteles, non ſi aliquo mo-
„ do ipſe ſeſe habeant, continuò iuſtè & temperanter aguntur: ſed ſi etiam qui agit, a-
„ liquo modo affectus agat. primùm quidem, ſi ſciens: deinde, ſi eligẽs: atq; ſi eligens,
„ propter ipſa. tertiò, ſi ſtabili atq; immutabili affectu præditus agat.

Si ergo ad id, ut operationes quæ dicuntur fieri ex uirtute, uerè ex uirtute ſint factæ, requirantur hæc quæ dicta ſunt: nec poſsint honorari niſi operationes illæ quæ oriuntur ex uirtute: neceſsitas cogit, ut quæ debent honorari, ſint factæ à ſcientibus & eligentibus per ſe, & ab eis qui immutabiliter ſe habent. Itaq; ratio poſtulat, ut in
4. Ethic. 3. definitione honoris indicentur hæc. Quod etiam uiſus eſt Ariſtoteles declarare,
„ cum dixit: Et quod eſt præmium in honeſtiſsimis, quale eſt honor. perinde eſt enim ac ſi dixiſſet, quod eſt præmium uirtutis. Et ita patet, hanc honoris definitionem, uidelicet quòd eſt præmium uirtutis, oſtendere ipſum Ariſtotelem uoluiſſe honorem
8. Ethic. 10. eſſe præmium actionum honeſtarum, quia uirtutes ſunt honeſtæ. Quod item colli-
„ gitur ex eiuſdem uerbis, ubi ait: Ipſius enim uirtutis & beneficentiæ honor eſt præ-
„ mium. Et ſic autem ſeſe habere hoc, appatet in ipſis rebus publicis. non enim hono-
„ ratur, qui nullum bonum ſuppeditat communi. Commune autem dicitur is, qui com
„ muni beneficio afficit: honor autem commune eſt, igitur honos præmium honeſtorum operum: quia eſt ſignum ipſorum. Propriè enim honor non eſt pręmium uirtutis, ſed laus. Dicitur autem præmium uirtutis, quia eſt pręmium, id eſt ſignum operum quæ proficiſcuntur ex uirtute: quæ item ſunt honeſta, ut declarauimus in libro primo De honore, ad quem reĳcimus lectorem. Si ergo intelligeretur definitio honoris, ut uidetur intelligere iſte Auctor: ex ea cognoſci non poſſet, qui nam eſſent honore digni.

Conſequentia ex eis quæ dicta ſunt patet: quia ſi honor definiretur tantummodo

eſſe præ-

eſſe præmium beneficentiæ, cum non omnis qui benignè facit, ſit honore dignus: da-
rentur præmia multis qui minimè eſſent digni: ergo definitio honoris non eſſet re-
ctè poſita. neq; enim aliquis cognoſceretur ex ipſa, eſſe honore dignus: quod ipſum
tamē oportet eam maximè præſtare. Nam ſicut non poſſumus cognoſcere aliquem
eſſe uerè & perfectè hominem, niſi ex definitione perfecta hominis: ita nulla alia uia
poſſumus cognoſcere aliquem eſſe honore dignum, niſi ex perfecta definitione ho-
noris. Non haberemus igitur rectam uiam cognoſcendi, quibus nam eſſent uerè ex-
hibendi honores. Quod cum à ueritate abhorreat, perſpicuum eſt, ab eadem ab-
horrere id etiam unde illud oritur.

Præterea hæc definitio, Honor eſt præmium uirtutis, non poteſt illud præſtare, ut
intelligamus qui uerè ſint honore digni: quia nō declarat quid ſit honor ꝓpriè. Ergo
nō poſſumus cognoſcere id quod uolumus addiſcere ex definitione honoris. Pro-
batur antecedens: quia uirtus propriè & per ſe nō honoratur, ſed laudatur: opera aũt
ſunt illa quæ honorant: ergo nō propriè & ꝑ ſe uirtus ponitur in definitiōe honoris.

Cōfirmatur quod antecedit, ex uerbis Ariſtotelis: quippe qui probauit felicitatē 1.Ethic.12.
non laudari, ſed honorari propriè. contrà uerò, ipſam uirtutem non honorari, ſed lau
dari. Cum ergo oporteat politicam habere regulam, qua internoſcere poſsit qui ſint
honore afficiendi, & qui non ſint (aliter enim reſpublica non bene adminiſtraretur)
& cum eam non poſsit habere niſi ex definitione honoris, ut dictum eſt: neceſſe eſt
ut ipſa declaret hoc. ergo oportet ut explicet, qui uerè & propriè ſint honorandi at ij
ſunt, qui beneficia conferunt, opinione ducti, & non caſu, neq; per uim, neque per i-
gnorationem: & ita per electionem. ergo conſentit rationi, ut uox illa Opinionis in-
dicet nobis id quod diximus. Perperam ergo Auctor iſte eam interpretatus eſt.

Item ex Ariſtotelis ſententia, honor non poteſt rectè exhiberi niſi bonis: boni ue-
rò non ſunt niſi qui operātur ex uirtute: uirtus non poteſt eſſe ſine electione, ut per-
ſpicuum eſt ex eius definitione. ergo non poteſt honor exhiberi, niſi illis qui operan
tur per electionem. Itaq; neceſſariò uerbum Opinionis, debet explicare id quod per
ſe facit homines dignos honore: alioquin definitio illa eſſet imperfecta.

Item, Inter gloriam & honorem intereſt, ex ſententia Ariſtotelis. ergo perperam
homo iſte interpretatur hanc definitionem honoris, accipiendo pro honore munda
nam gloriam, quæ bona exiſtimatio eſt, & à nonnullis bona fama appellatur. Còn
ſequentia patet: quia eorum quæ penitus ſunt diuerſa, unum non poteſt ſubſtãtiam
alterius declarare, ut cuiuis perſpicuũ eſt. Antecedēs probatͬ illis Ariſtotelis uerbis. 1.Rhet.5.
„Gloria eſt, exiſtimari ab hominib. ſtudioſũ eſſe, uel tale aliquid habere: quod oēs ap-
„petũt, uel multi, uel boni, uel prudētes: honor uerò eſt ſignũ benefactiuæ opinionis.

Traduntur enim ab Ariſtotele definitiones gloriæ & honoris ſeiunctæ & ſepara-
tæ: ergo ſequitur omnino ut ſint res diuerſæ. Etenim eorum quæ ſunt eadem, eaſdem
eſſe definitiones, ipſaq; ſimul definiri, neminem latère arbitror.

Præterea iſtæ definitiones uel ſignificant eandem rem, uel non. Si non ſignifi-
cant eandem rem, ergo ſunt diuerſæ. Si ſignificant eandem rem, ergo perperam fue-
rũt ſeorſum poſitæ. id enim ratione uacaret, & intellectui tenebras offunderet: quip
pe quòd oſtenderet gloriam & honorem, cum unum poſt alterum definitum ſit, eſ-
ſe diuerſa, ſicut ſunt diuerſæ aliæ partes felicitatis. Huc accedit etiam, quòd utrun-
que Ariſtoteles ſeorſum enumerauit, enumerãs alias beatitudinis partes: quod qui-
dem præter rationem feciſſet, ſi eſſent eadem.

Item, Exiſtimari ab omnibus eſſe ſtudioſum, & aliquid habere quod appetunt ho
mines, uel plurimi, uel boni, uel prudētes, non eſt honorari: neq; ſic exiſtimare de a-
liquo, eſt ei honorem exhibere. ergo non poſſunt eſſe idem. Conſequentia patet.
Antecedens probatur: quia fieri poteſt ut aliquis ſit uirtutibus præditus, uel habeat
aliquid quod appetant omnes, ut ſanitatem & diuitias, & uoluptatem, uel plurimi,
uel prudentes: & tamen ei nihil exhibeatur eorum per quæ dicitur aliquis honore af
fici (exempli cauſa) neq; dentur munera, neq; ponantur ſtatuæ, neq; præbeantur ali-
menta publicè, neq; aſsurgatur, neq; cedatur locus, & alia huiuſmodi multa. Non er-
go is erit honoratus, quia nullũ ei datũ eſt ſignũ beneficētiæ ab electione profectæ
propter honeſtum, & tamen non carebit gloria. ergo honor & gloria ſeiunguntur.

Quòd autem fieri poſsit, ut aliquis exiſtimetur habere aliquid eiuſmodi: quod di-

ximus: & tamen non honoretur, neq; ei rribuatur ſignum beneficentiæ ipſius, p ei ſpicuum eſt: utinam non ita ſæpe cõſpiceretur temporib. noſtris. Quàm multi enim reperiuntur, qui ab omnibus, uel certè à bonis & prudentibus exiſtimantur eſſe uirtutibus prædìti, & tamen nulla ipſorum habetur ratio, neq; aliquid eis tribuitur quod ſit eorũ beneficentiæ ſignum, imò iacent cõtempti dereliƈtiq;, & ferè fame pereunt. Quid uerò quod frequenter contrà accidere uidemus, ut iſta ſigna quæ appellantur honores, deferantur eis qui non ſolùm habentur imperiti, nullaq; uirtute prędìti, ſed ijs ſunt flagitijs atq; ſcelerib: cooperti, quæ omnes, uel plures, uel boni maximè deteſtantur & fugiunt: propter quę tantum quidem abeſt ut ullis ſint honoribus afficiendi, ut digni maximè exiſtant qui ex ciuitatibus & ex hominum ſocietate ejciantur & exterminentur, atq; adeò uita ipſa acerbiſsimis ſupplicijs priuentur. Ex quo potiſsimùm oritur omnis ferè humanæ uitæ perturbatio & calamitas: nihilq; hominũ generi peius ac pernicioſius accidere poteſt, quàm ſi nullis afficiantur uirtutes præmijs, nullis flagitia pœnis mulƈtentur. Hoc enim quid aliud eſt, niſi uirtutem ipſam, ſine qua natura humana non modò ſummum bonum conſequi, ſed uix conſiſtere poteſt, tanquam ſolem è mundo tollere: uitiaq;, ex quibus pernicies hominũ proficiſcitur, alere, tueri, & in cœlum uſq; (ſi ita dicere fas eſt efferre: qua quidem re nulla fœdior, nulla ab omni humanitate alienior eſſe poteſt. Qui igitur honoribus prauos homines extollunr, bonos uerò humi iacentes relinquunt, quantum noceant humano generi, nimis perſpicuum eſt. priuant enim ipſum ſuo fine, id eſt ipſa beatitudine: ſimileſq; illorum ſunt qui in argento uel auro adulterino & falſo notam ſeirſormam alicuius boni principis imprimũt, qua decepti homines, dum nummos adulterinos pro bonis æſtimant atq; accipiunt, multis magniſq; damnis afficiuntur. Idem faciunt, qui prauis hominibus ea tribuunt ſigna, quæ bonis ſolent dari. his enim ornatos pleriq; cernentes improbos homines, quos ipſi minimè norunt quales ſint, dum his fidem tanquam bonis habent, ſuaq; credunt omnia, facilè in fraudem deducuntur: ex quo ſanè plurima & maxima generi humano incõmoda oriuntur. Ac multo quidem grauius hi peccant, quàm illi, ob eam cauſam quam attigit Ariſtoteles nono

9.Ethic.3. Ethic. cap. 3. ubi ait: Cum igitur, qui ſeipſum decipit, credens propter mores ama-
,, ri, nihil tale ipſo agente, ſeipſum accuſare debet. Si uerò alterius ſimulatione decipi-
,, tur, iuſtum eſt eum accuſare qui ſimularat, & magis ꝙ qui falſificant nummos, quæq;
,, circa nobiliorem rem adhibita eſt fraus. Hoc igitur maiore ſunt uituperatione digni, qui falſæ dignitatis inſignibus ornant improbos, quàm qui in auro, argento 'ue adulterino notam alicuius boni principis imprimunt, quo ipſi nobiliore in re fraudem adhibent.

Itaq; quæ ſupplicia irrogari ſolent eis qui nummos adulterant, cur non his etiam qui prauos honorant, eadem ac tanto maiora irrogentur, quo maiora illi quidem incõmmoda hominibus afferunt, non uideo.

Præterea multi praui ſunt, qui gloria floreant ob diuitias, aut nobilitatem, aut corporis robur, quæ numerãtur in ijs quæ omnes appetunt, uel plures, uel boni, uel pru-
4.Ethic.9. dentes: & ramen ex Ariſtotelis ſentẽtia non debetur eis uerè honor. Ergo honor & gloria ſunt ſeiunƈta. alioquin unum non poſſet eſſe ſirie altero.

Quòd uerò ſubiungit iſte Auƈtor, effici ut is honos eaq; bona fama, nõ alia ratione ꝙ ueræ uirtutis ope acquiri & conſeruari poſsit: primò euertit ſententiam ſuam. quippe qui antè conceſsit, poſſe inſidijs aequiri, conſeruari, & recuperari. conceſsit enim, laudi eſſe, ſi hoſtes per inſidias uincantur, honorq; ea uia pariatur, uel tecuperetur, uel conſeruetur. quòd ſi inſidijs hoc licet, ergo alia ratione quàm ope uirtutis: nam inſidiæ uirtuti perſpicuè repugnant. Deinde falſum eſt, gloriam quam iſte bonam famam nuncupat, non poſſe acquiri & conſeruari niſi ueræ uirtutis ope. Nam definit Ariſtoteles dupliciter gloriam: & quòd ſit, ab omnibus ſtudioſum, id eſt uirtute prędìtum exiſtimari (quo quidem modo ſi accipiatur, non poteſt acquiri neque conſeruari ſine uirtute) & quòd ſit, putari habere aliquid tale quod appetũt omnes, uel plurimi. at eiuſmodi ſunt diuitiæ, nobilitas, fortitudo corporis. appetuntur enim, ut alibi declarauit Ariſtoteles, ab omnibus, uel à pluribus. Ergo qui putatur habere aliquid horũ, ut uel affluat diuitijs, uel nobilitate, uel robore corporis plurimùm polleat, is habet gloriam. at hoc poteſt contingere, ut patet, ſine ope uirtutis: ergo acqui

ri poteſt

ri poteſt gloria, & conſeruari ſine ope uirtutis. ergo Ariſtoteli & ueritati repugnat, quod iſte dixit.

Præterea, Si nihil poſſet afferre gloriam niſi ſola uirtus, fruſtra ac perperam ſubiunxiſſet Ariſtoteles alteram definitionē gloriæ: uidelicet quòd gloria ſit, exiſtimari habere aliquid quod omnes appetunr, uel plurimi. eſſet enim falſa & ſuperuacanea, ſiquidem gloria contingeret tantùm ratione uirtutis. at hoc abhorret à ueritate & ratione: ergo & id unde manauit.

Itē, Aliqui poſſunt honore affici, & expertes eſſe glorię: ergo honor & gloria ſeiunguntur. Conſequentia manifeſta eſt. Antecedens probatur: quia fieri poteſt ut alicui deferantur ſigna beneficentię per electionem propter honeſtum, ut primus in conſeſſu locus, ut dona, & huiuſmodi: & tamen non exiſtimetur ab omnibus eſſe uirture præditus, uel habere aliquid quod omnes uel plures appetunr: quia ſit parum notus. hic ergo erit honoratus, & tamen ſine gloria, ſicut dictum eſt. Rurſus fieri poſſe, ut contingat alicui gloria ſine honore. Quàm igitur falſa ſit hac de re opinio ipſius Auctoris, facile eſt ex eis quæ dicta ſunt intelligere.

Quę deinde ſequuntur, in eodem errore uerſantur: ita ut illud uerè de iſto dici poſſit, paucis uerbis multa peccata contineri: ſitq; liber eius planè abijciendus, quippe qui totus eſt confertus erroribus.

SECTIO QVARTA.

His poſitis, ſi duellum non eſt uirtus, neq; opus uirtutis: conſequens eſt, & efficitur, quod mihi propoſitum fuit, & reliqua. *Auctor.*

QVæ hic dicis, ſunt illa quidem homine Chriſtiano digna: ſed nihil ad humanā philoſophiam, cuius nos fundamentis hoc loco nitimur, pertinentia. nā quod in libris De honore diximus, in duello exerceri opera fortitudinis, & ideo per ipſum acquiri poſſe honorem, tanquam per medium exercēdi opera uirtutis: hoc diximus non loquentes ex diuinarum legum præceptis, ſed ex humanæ philoſophiæ principijs, atq; ex Ariſtotelis ſententia. id quod in illis ipſis libris ſæpe teſtati ſumus. *ANT. BER.* *Lib. 1. cap. 5.*

Quòd uerò addis de legibus, negamus duellum prohiberi ab illis: ſiquidem per leges humanas intelligantur eæ quæ ortum habent à natura. Imò ego declaraui, illud eſſe aliquando iuſtum naturà, ſicut bellum uniuerſale: & bonum in comparatione, licet per ſe & ex ſua ui eſſet malum, ſicut bellum ipſum uniuerſale. ſunt enim hæc, & dicuntur ex bona ſuppoſitione, poſita ſcilicet prauitate hominum: cum tamen electio eorum ſit mala ſimpliciter & abſolutè. ſicut cruciatus quibus torquentur homines à magiſtratibus ſunt boni ex ſuppoſitione, licet electio eorum ſit electio mali abſolutè, ut declarauit Ariſtoteles, quem locum attigimus etiam in ſuperioribus. *7. Polit. 13.*

De legibus ſcriptis dico, quas ob cauſas conceditur bellum uniuerſale, ob eaſdem & plures etiam poſſe concedi bellum ſingulare. Quòd ſi afferantur aliquę leges, quę prohibeant, dicimus illas non eſſe rectè poſitas, ut ſunt multæ aliæ in alijs etiā rebus.

Item negaui duellum perturbare omnem tranquillitatem, & continere in ſe omnia uitia, ſi rectè adhibeatur: imò eſſe concedendum aliquando, ob eas cauſas quas eo loco commemoraui. idq; etiam ratione probaui.

Quod deinde ais, iſtos contemptores legum eſſe tanquam Gigantes illos, Cyclopes, & Leſtrygones; id uerò ſecundum humanę philoſophię principia ueritati repughat: eſtq; hominis planè uerba fundentis, non probātis. quod maximè abhorret ab eo qui ſibi proponat aliquid labefactare, ac penitus infringere. Nos autem negamus duellum prohiberi legibus humanis: intelligendo per leges humanas, eas quæ naturali philoſophiæ nitūtur. quo nomine nunc appello moralem, propterea quòd utitur naturalis philoſophiæ fundamentis. Prohiberi uerò ex ſacris libris, & ex legib. Canonicis, planè concedimus.

Item, ſi iſti aduerſentur (quod tamen non datur) legibus humanis ſcriptis, non aduerſantur ijs quæ ſcriptæ non ſunt, & æquitati, quę eſt legibus ſcriptis longè pręſtantior. nam æquitas (ut inquit Ariſtoteles 5. Ethicor. cap. 15.) ſemper manet, & nunquam mutatur: lex autem ſcripta ſæpenumero mutatur. Non aduerſari autem iſtos æquitati, præter ea quæ dicta ſunt, probatur etiam hac ratione: quia æquum eſt unumquenq; tueri parētes, liberos, amicos, patriam, & ſeipſum, ſuaſq; res, quomodo *5. Ethic. 15.*

 poteſt,

poteſt, elaborareq; ut ea quæ ſibi iniquè ablata ſint recuperet. quòd ſi aliena uirtute & ope aſſequi non poſsit, id conari enitiq; uirtute propria. quod quidem (niſi fallor) eiuſmodi eſt, ut nihil magis æquitati conuenire poſſe uideatur.

Negaui etiam, duellum niti conſuetudine, ſi rectè adhibeatur, ſed ipſa ratione. abutieo tamen homines propter ignorationem: ſicut abutuntur etiam bonis omnibus, præter uirtutes, ut ſanitate, robore, diuitijs, & ciuili poteſtate. Quòd ſi nō eſt expreſſum legibus, nihil refert. multa ſunt enim bona, non expreſſa per leges: quo magis ipſa æquitate indigemus. & ſi etiam antiquitùs nulla fuiſſet eius conſuetudo, non tamen idcirco putandum eſt alienum eſſe à naturali ratione, ut adhibeatur in aliquib. cauſis: quia minus malum obtinet rationem boni, ſicut multis in locis ſcriptum reliquit Ariſtoteles.

Accedit etiam, quòd latæ non ſunt omnes leges quæ poſſunt ferri: quinimò multæ ferentur, quę iam latis repugnabunt, ut quotidie accidere uidemus. nihil ergo eſt, quod iſte Auctor docet. Nam conceſsimus, ſingulare certamē eſſe per ſe malum, ſed ex ſuppoſitione bonum: ſicut cruciatus, ex Ariſtotelis ſententia, ſunt per ſe mali, boni tamen ex ſuppoſitione, poſita prauitate hominum. Bellum etiam uniuerſale (ut toties diximus) eſt per ſe malum, bonum tamen ex ſuppoſitione. Auctoritatem Rhotaris nos paruipendimus. Quam uerò ille rationē affert, quòd ſumus incerti de iudicio Dei: ſeq; multos audiuiſſe per pugnam ſine iuſta cauſa, ſuam cauſam perdere: eadem ratione tolleretur etiam bellum uniuerſale. quia multos per bellū ſine iuſta cauſa, ſuam cauſam perdere uidemus quotidie, & ſumus incerti de iudicio Dei: euerterentur quoq; eadem ratione leges. hæc igitur ab iſto inaniter dici & credi uidentur.

Federici etiam Imperatoris dictum eadem cōſequuntur abſurda, quæ Rhotarim, & maiora etiam. Nam ſi, quia (ut dicit ipſe) non tam erat uera probatio, quàm quædam diuinatio dici poteſt, quæ naturæ non conſonaret, à iure communi deuiat æquitatibus, rationibus non cōſentit, & à tramite rationis cuiuslibet alienat. Ergo in nullis cauſis huiuſmodi probatio erat concedenda. Conſequentia perſpicua eſt: quia ex eius ſententia non eſt uera probatio, ſed diuinatio, repugnans æquitati. ex qua efficitur, ut nihil auxilietur cauſis. Quòd ſi hac ille ratione impulſus eſt ad prohibendū duellum in pluribus cauſis, cur non in omnibus prohibuerit non uideo: cum ſemper maneat eadem ratio. neq; enim poteſt cōfugere ad grauiores cauſas propterea, quia quanto ſunt grauiores, tanto minus debet in his concedi tam leuis & incerta probatio. Grauiores enim, & quę ſunt maioris momenti, quin firmiores etiam & certiores deſiderent probationes, in dubium uenire non poteſt.

Præterea cauſæ illæ in quibus erat locus ſingulari certamini, ex ſententia Federici, ſunt eædem in quibus nos idem conceſsimus: non ergo in omnib. aduciſatur nobis.

Item Federicus Imperator dixit, per te monomachiam uulgariter appellari duellum. Ergo cum nos idem aſſeruimus, non ita grauiter peccauimus, ut tu nobis obiecisti. Etenim ante nos fuit ſic nuncupata, & ab Imperatore: cuius auctoritatem, ut opinionem tuam confirmares, attuliſti.

Præterea in ſuperioribus & in hoc loco confundis honorem & gloriam: cum tamen ab Ariſtotele diſtinguantur, ut demonſtrauimus. Falſum eſt etiam, quòd nō
1.Rhet.5. poſsit eſſe niſi inter bonos, & à bonis: quia poteſt eſſe ab omnibus, ut oſtēdit Ariſtoteles, definiens gloriam eſſe (ut ſuprà dictum eſt) cum quis à cunctis exiſtimatur uirtute præditus: aut id habere putatur quod omnes, uel plures, uel boni, uel prudentes expetunt. Poteſt igitur eſſe ab omnibus, & ſic à prauis etiam, gloria.

Etenim praui ſunt inter omnes, uel plures: quod oſtendit Ariſtoteles, ſubiungēs: Vel boni, uel prudētes: poſtquam dixiſſet Omnes. Gloria ergo, & bona fama, & honor, quæ apud te perperam idem ſignificant, erit etiam à prauis. falſa ergo ſunt quæ aſſeris. & ſi etiam eſſent uera, non eſſent ad propoſitum.

Itē. Honor poteſt alicui contingere à prauis: ergo & bona fama. eſt enim per te bona fama idē quod honor. Antecedēs probat̃: quia poſſunt deferri à prauis ſacrificia, decantationes in metris, & ſine metris, templa, primæ ſedes, ſepulchra, imagines, publici uictus, eleuationes, & inclinationes, & alia: ergo honores.

1.Rhet.5. Hæc em̄ eſſe partes honoris, declarauit Ariſtoteles. Quòd aūt iſta poſsint adhiberi à prauis etiā ipſi Deo, ita in prōptu eſt, ut nulla demōſtratione indigere uideatur.

Quæ

Quæ igitur hoc loco dixiſti, ab Ariſtotelis ſentẽtia & ab ipſa ueritate penitus abhorrent, ſicut multa etiam eorum quę ſubiungis: quę quoniam ſatis ex ijs quę dicta ſunt, refutata uidentur, ne nimij ſimus, miſſa facimus.

SECTIO QVINTA.

Huius autem cognitionis cauſa res uidetur paulo altius repetẽda, idq́ in primis conſiderandum, & reliqua. *Auctor.*

SI iſte homo non eſſet ſolitus tueri lites & cauſas, non eſſet fortaſſe mirum, ſi hęc diceret. *ANT. BER.* Sed cum in iſtis ſit exercitatiſsimus, mirum eſt profectò illum hæc dicere. Etenim non deberet ignorare, ſi ſæpenumero conſtaret iudici, aliquem tenere rem alienam, non fore opus lite: ſed ſæpe litigari, quia eorum qui inter ſe diſceptant, uterque exiſtimetur iuſtus: & tamẽ neceſſe eſt ut alter ſit iniuſtus, ſiquidem rem alienam detinet, uel ſtudet occupare. Hoc igitur dixi in libris De honore, quod iſte non conſiderauit, non poſſe duellum concedi, niſi inter eos qui exiſtimentur honorati, & digni honore.

Quòd ſi conſtaret alterum eſſe improbum ac turpem hominem, iurè poſſe recuſari ſingulare certamen cum ipſo. itaq; ueniri ad duellum, ut ambo exiſtimentur probi & fortes, ignoreturq́ uter ipſorum ſit improbus & ignauus, & cognoſcatur ueritas. nam & qui iniuriam alteri infert, non concedit ſemper ſe feciſſe iniuriam, ſed prouocatum fuiſſe, & ſimilia: nihil eſt ergo quod dicit Auctor iſte.

Falſum eſt etiam, iram eſſe libidinem puniendi. eſt enim libido ulciſcendi, quandoquidem declarauit Ariſtoteles, intereſſe inter pœnam & uindictam. pœnam enim eſſe cauſam eius qui patitur, uindictam uerò eſſe cauſam facientis, ut expleatur. *1.Rhet.13* Quod item declarat definitio iræ, ab ipſo tradita. nam definitur eſſe appetitus uindictæ, & non pœnæ. *2.Rhet.2* Sed iſte ignorare uidetur quid dicat. Loquitur enim temerè, nulla adhibita uerborum Ariſtotelis conſideratione. Etenim ſępenumero ſumit aliquis pœnam de aliquo, & tamen non ulciſcitur. Sicut accidit Vlyſsi, cum effodit oculum Cyclopi, neſcienti fuiſſe Vlyſſem. hic pœna affecit Vlyſſes Cyclopem, & tamen non eſt ultus. itaq; pòſt reuerſus indicauit Cyclopi, ſe fuiſſe Vlyſſem: & tunc ultus eſſe dicitur, ut oſtendemus.

Item, Sæpe eſt uindicta ſine pœna: quia ſæpe expletur animus irati, cum tamen non ſumat pœnam de eo qui iniuriam ſibi intulit. aliquando uerbis aut huiuſmodi leui quapiam ratione contentus quieſcit, ut dicemus. id quod quotidie uidemus euenire. Etſi hoc non ita eſſet, fieri non poſſet ut uindicta eſſet ſine pœna. quod tamen eſt cõtra Ariſtotelem, quippe qui ita ſcriptum reliquit: Infeſtos autem eos dicimus, *4.Ethic.* qui & ob ea quæ non debent, & magis item quàm debent, & alicui ſuccenſent, & placari ſine ultione, uel etiam pœna, uel punitione non poſſunt. Ex quibus uerbis planè intelligitur, poſſe ultionem ex ſententia Ariſtotelis eſſe ſine pœna. & ita patet, iſtum perperam obijcere nobis, quòd prætermiſerimus dicere iram eſſe libidinem puniendi eius qui iniuria læſiſſe uideatur. neque rectè dicitur, falſa prætermitti, quæ ſunt euitanda tanquam Syrtes.

Item, Si legiſſet quæ in libris De honore diximus, non ignoraret homines ulciſci ut expleantur, ſicut dixit Ariſtoteles. & iſtam expletionem eſſe recuperationem eius quod perdiderant, id eſt honoris.

Itẽ, Qui recuperat quod perdiderat, uindictã ſumit. qui ulciſcitur, recuperat quod perdiderat: ergo uindictam ſumit. Minorem propoſitionem declarauit Ariſtoteles, loco ſuperius citato. *2.Rhet.* qui enim (inquit) reddunt par pari, non cõtumelia afficiunt, ſed ulciſcuntur. recuperant ergo quod perdiderant, ſi bene conſideretur.

Item, Vindicta eſt, ut expleatur qui iniuria affectus eſt: ergo adhibetur ob expletionem: ergo ob alium finem. ergo falſum eſt, finem eius qui iniuriam paſſus eſt, eſſe tantùm ipſam ultionem: quia eſt expletio ex ſententia Ariſtotelis, ad quam expletionem ordinatur ultio: & iſta expletio, ſi bene conſideretur, nihil aliud eſt quàm recuperatio honoris. alioquin non acquieſceret ille, cui ablatus fuiſſet honor. neſcit ergo quid dicat iſte Auctor.

Item, Appetere uindictam propter contemptum & paruipenſionem, eſt appete-

re illam

re illam propter honorem: quia qui negligitur, honore priuatur, ut patet ex ipſo Ariſtotele.

Quòd uerò ſubiungit, Si demus, & concedamus, honorem uindicatione conſeruari, &c. falſum eſt, quia ſi aliquis de timiditate & ignauia accuſatus fuerit, magiſtratus & leges non poterunt eum tueri quin habeatur ignauus & timidus, & huiuſmodi, ut dictum eſt ſuprà, & dicetur infra.

Item, ſi accuſatus fuerit ut proditor, & non poſsit probare oppoſitum, nihil iuuabit magiſtratus & leges: non ergo illa uindicatio meliori conditione fit per leges & magiſtratus, quàm per duellum, ut iſte aſſerit.

SECTIO SEXTA.

Auctor. Id uerò per duellum non declaratur, cum in auditorum ſpectatorumq́ arbitrio maneat, eum'ne cui crimina inferebantur, &c.

ANT. BER. HOc etiam abhorret à ueritate: quia, ut cernitur plerunq;, alter eorum qui pugnant ſingulari certamine, ſuperatur: isq; ſæpius ut pugna, ita ipſa cauſa inferior habetur. Ergo ex ſingulari certamine declaratur, utrius cauſa iuſtior ſit. Probatur antecedens ex eo quod dictum eſt in libris De honore, ualere ob eam rem duellum, quia (ut dixit Ariſtoteles) Deus exiſtimatur opem ferre iniuria affectis. Qui ergo uicerit, creditur habuiſſe optimam cauſam: & ſic ualet duellũ. & ualet ob eam rationem quam protulit iſte auctor ſuprà, cum diceret, perſpicuum eſſe prouocatores ipſos, quemadmodum ſtultè & nulla cogente cauſa ad prouocandum impelluntur, ita etiam ſtolidè certare, & utplurimùm ſuccumbere. Ex ipſius ergo ſententia, qui affecerint alios iniuria, utplurimùm ſuccumbent, quia ſunt prouocatores: & ſic duellum erit idonea probatio, quippe quod utplurimùm probat. Quòd uerò probationes illæ quę utplurimùm probant, ſatis idoneæ ſint, ex hoc intelligi poteſt, quia ſi nõ eiſſent idoneæ, neq; pertinerent ad artes, euerteretur ferè prima Philoſophia, Philoſophia naturalis, Medicina, Aſtrologia, Nautica, Agricultura, & breuiter omnes huiuſmodi facultates, quæ non ſunt mathematicæ ueræ: quia quæ tractantur ab iſtis, eueniunt ut in pluribus, & non ſemper.

Ex quibus conſpicuum eſt, duelli uictoria ſtatui & concludi rem ita eſſe, uel non eſſe. Illæ uerò duæ cauſæ quas affert, cur duellum id præſtare non poſsit, refelluntur facillimè, non ſolùm ex eis quæ paulo antè diximus, ſed etiam ex ſuiſmet ipſius uerbis. tanta enim uis eſt ac ſplendor ueritatis, ut nullis falſi quaſi inuolucris tegi & obſcurari poſsit, utplurimùm liceat.

SECTIO SEPTIMA.

Auctor. Hic uerò ſtatim mihi opponitur ex Ariſtotele illa opinio, qua exiſtimatur, Deum affectis iniuria opem ferre, &c.

ANT. BER. BOne Deus, quis non uehementius exclamet aduerſus iſtum Auctorẽ, qui Chriſti pietatem profitetur: & tamen eò impietatis uenit, ut auſus ſit aſſerere, illud quod ex communi hominum conſenſu ſcriptum reliquit Ariſtoteles, Deum affectis iniuria opem ferre, falſum eſſe? Quid enim poteſt excogitari, quod maiora incommoda pariat, quod magis homines inducat in pernicioſos errores, quàm ſi non credatur Deum opitulari iuſtitiæ? O' ſententiam maximè deteſtabilem atq; pernicioſam. tollit enim diuinam prouidentiam & pietatem: euertit communem omnium nationum, omnium religionum opinionem. Etenim omnes paſsim dicunt, Deum hũc uel illum defendiſſe, præter hominum etiam expectationẽ, quia erat innocẽs, eumq; uiciſſe propterea quòd eſſet iniuria affectus. Quòd ſi iſta fides ex hominum animis euelleretur, quæ tandem ſpes reliqua eſſet illis qui iniuſtè opprimerentur? Conſidera bone uir, conſidera, quod tibi uerbum exciderit: & quanta humano generi incommoda iſtæc tua opinio inueheret, ſi in animis hominum hæreret. Ex tuo igitur illã animo extirpa, adhibitaq; pœnitentia teipſum concepta impietate libera. *1.Rhet.5.*

An uerò id auſus eſt falſum aſſerere, quòd nõ modò nos qui Chriſti ſeruatoris noſtri pietatem profitemur, & quorum mentes ad uirtutem cognoſcendam lumine ſancti Spi-

cti Spiritus illuſtratæ ſunt,ueriſsimum eſſe confirmamus:ſed etiam illi qui ſolùm naturam ducem ſequuti ſunt in rebus inueſtigandis & cognoſcendis,pro confeſſo omnibus & comperto protulerunt?

Cæterùm dicat mihi cauſam iſte Auctor,quare qui prouocant ſine cauſa,utplurimùm in duello ſuccumbant:& ego rurſus reddam ipſi cauſam eius quod quærit.

Item,Vt concedam ambos Deum offendere:tamen dico,magis diuinum numen offendere illum qui iniuria afficit,quàm qui afficitur.Etenim is prouocatur & impellitur ad irā naturaliter:itaq; cōpertū eſt,Deum ut in pluribus iniuria affectis opitulari.

Item,Liceret idem dicere de Imperatorib.& regib.ac multo quidem magis quàm de priuatis hominibus. Etenim quomodo pleriq; eorum iuſti & boni appellari poſſunt? qui(ut alia flagitia & ſcelera omittamus)naturâ ſuperbi,& morib.efferati (tuis enim hoc loco utar uerbis)nec ullo tenentur famę pudore,nec legibus obtemperār, nec iuſticiam ſequuntur:ad quas ſe aptare & conformare nec poſſunt nec uolunt,ſed ipſas ſibi leges ipſamq; iuſticiam famulari debere arbitrantur, nihilq; præter animi ſui libidinem,uel(ut uerius dicam)præcipitem quendam furorem ſibi exequendum arbitrantur,ita ut rectè dixiſſe uideatur Comicus:Homine imperito nihil quicquam iniuſtius eſt, qui nihil rectum putat niſi quod ipſe facit. Quòd ſi hæc poſſunt dici de regibus,ut perſpicuum eſt (quoniam ſi uellent ad iura & leges confugere,non opus eſſet ut tot bellis orbem terrarum infeſtum haberent, miſereq; & crudeliter uexarent)& tamen tu concedis,poſſe illos armis diſceptare & bellum gerere,Deumq; opitulari iniuria affectis:nō uideo cur neges ipſum opitulari priuatis, eisq; qui infra reges conſtituti ſunt,cum iniuria afficiuntur. Sed nimirum tibi,modò dicas aliquid, nihil curæ eſt quò tua uerba pertineant,& quid incommodi ipſa conſequatur.

Deinde quod ſubiungis, Deum quidem ſolere opitulari iniuria læſis, non tamen omnibus,ſed iuſtis,qui in eius præſidio ſpem ponūt:quid aliud quæſo nos dicimus? affirmamus enim, Deum maiori ex parte iniuria affectis opitulari, quibus ſcilicet omnis ſpes in eo poſita eſt Itaq; nihil hoc contra nos.

Item poteſt reddi alia cauſa,eaq; naturalis,cur qui iniuſtè pugnant, plerunq; ſuperantur. Hæc autem eſt, quia qui falſum dicunt & iniuſtè agunt, ſunt præter naturam affecti.Etenim homines nati ſunt ad ueritatem,& ut in pluribus aſſequuntur eam,ut inquit Ariſtoteles. Nati ſunt etiam & facti ad iuſticiam:itaq; ubi agnoſcunt ſe operatos eſſe præter naturam,repentè triſticia quadam afficiuntur, atq; animum contra hunt,ut qui ſe ab officio ſuo defeciſſe intelligunt.Ex quo ſtatim ſequitur iudicij mentisq; perturbatio,ita ut non queant planè ſtatuere,quam in pugnando rationem inſiſtant,quid caueant,quid tentent,quoq; id modo moliantur,ipſaq; fortitudinis opera exercere:ſicuti feciſſent,niſi mœrore illo & animi contractione deprimerentur. 1.Rhet.11

Adde,quòd uires etiam corporis debilitantur. & quia hæc utplurimùm contingunt,non eſt mirum, ſi in duello hi plerunque ſuperentur. Maxima enim eſt ueritatis uis. id'que conſpicitur ferè ſemper in eis, qui ob alicuius facinoris ſuſpicionem in carcerem coniecti ſunt. nam plerique, quamuis ſciant ſe morte afficiendos fore, ſi confeſsi fuerint:tamen neſcio quo modo, nullis etiam adhibitis cruciatibus, ipſi ſeſe perdunt,& ueritatem indicant:quæ ſæpe etiam ex ipſorum uultu apparet,ſeq; prorſus oſtendit.ita repugnat naturæ humanæ falſitas. Deus ergo & ueritas,exiſtimantur eſſe communi omnium ſententia ueri iudices ſingularis certaminis. Quòd ſi ex eo quod iſte Auctor dicit, euerteretur ſingulare certamen, euerteretur uniuerſale etiam: quod ipſe tamen concedit. Etenim uidemus ſæpe eos ſuperari qui pugnant pro iuſticia: ut mundus ferè totus ſuperatus fuit à Romanis, à Cæſare, ab Alexandro,cuius tamen magna pars eorum cupiditate & libidine infeſta iniuſtè uexabatur.

Quid uerò? non uidemus etiam ſæpe accidere, ut hi qui ad magiſtratus & ad leges confugiunt,cum habeant iuſtā cauſam,tamen ab ipſa cadunt? Etenim reperiuntur iudices, qui uel propter ignorationem, uel amorem,uel odium, uel propter priuatam utilitatem praue ſententias ferant, & contra iuſticiam. Sępe etiam amittitur cauſa iuſta ob culpam & prauitatem,uel negligentiam patronorum. Atq; ego quidē audiui multos, cū quererentur ſe iſto ipſo homine uel patrono uel diſceptatore cauſa cecidiſſe,ſiue id eius negligētia, ſiue alia culpa euenerit: qui tamen ipſe nō diceret alienum eſſe,patrocinium à ſe peti,ſi quis ius expetiti uelit. Nō uidet igitur fortaſſe,

rationē

ratione illa quam attulit contra duellum, euerti munus ipſum quod profitetur, & per quod factus eſt diues. Quòd ſi ijs qui iure diſceptant, hæc eius ratio probaretur, malè profectò ſecum actum eſſet, & ageretur. Cruciatus etiam qui adhibentur à magiſtratibus, eſſent repudiandi: propterea quia (præter id quod dixit Ariſtoteles pri-
1.Rhet.cap.ul. mo Rhet.cap. ult. ut dicemus etiam in ſequentibus) experientia comprobatum eſt, multos fuiſſe ſuſpenſos, qui poſtea reperti ſunt innocentes. Si ex hoc igitur quòd in duello uicti ſunt nonnulli, qui habebant cauſam iuſtam, tolleretur duellum, tollenda eſſet etiam medicina: quia ſæpe ægrotus perditur à medicis, liceretq; dicere medicinam non eſſe rectam rationem ſanandi.

Item tollenda Rhetorica, quia nec ſemper perſuadet, & ſæpenumerò malum. Omnia deniq; humana eſſent tollenda, quia nihil eſt quod neceſſariò fiat, & ſemper. Sed cōſequens eſt falſum: ergo id unde emanat, falſum eſſe neceſſe eſt. Ea uerò eſt huius boni, docti, pij uiri ſententia: ergo ipſa quoq; abhorret à ueritate.

Præterea, ſatis nobis eſt ſi opinentur homines, Deum iniuria affectis opitulari, propter rationes dictas. Hoc idem licet dicere de bello uniuerſali. in ipſo enim ſuperatur aliquando qui habet cauſam iuſtam: & tamē impium eſt negare, Deum opem ferre iuſtis. Deniq; quomodocunq; ſit, ſaltem exiſtimauit hoc Ariſtoteles naturaliter dari, ex cuius ſententia me loqui apertè profeſſus ſum in libris De honore. Etenim dixi, duellum repugnare religioni noſtræ. Sed iſte Auctor immiſcet quadrata rotundis. Dixit enim, ſe uelle loqui ex Ariſtotelis ſententia: & poſtmodum definit omnia ſecundum religionem. & ſic modò ait, modò negat, ita ut turpe ſit cum ipſo hanc diſputationem inire.

SECTIO OCTAVA.

Auctor. His rationibus, alijſq; ſimilib. quas (ut ſunt uiri perſpicaces) non ignorant pleriq; ex his qui duello patrocinantur, & quæ ſequuntur.

ANT. BER. AD ea quæ in hac ſectione dicit Auctor iſte, ita reſpondemus: nos quidem in libris De honore, à ueritate ipſa inductos aſſeruiſſe, ſingulare certamen eſſe malum per ſe, ſicut etiam bellum uniuerſale: tamen eſſe aliquando bonū ex ſuppoſitione, propter hominum prauitatem: nec magis aduerſari legibus, quę ſint rectè poſitę, quàm bellum uniuerſale: imò tanto minus, quanto eſt minus malum. minora enim quàm bellum uniuerſale, generi humano afferre incommoda. Idcirco multis omiſſis quæ iſte attigit, conſideremus, an rectè diſſoluerit eas rationes, quibus nos ducti in hanc opinionem uenimus, ut exiſtimaremus, ſingulare certamen aliquando propter hominum prauitatem à ciuitatibus ex natura ipſa & ciuili tantum ratione conſtitutis, permitti debere. In primis autem dicimus, hunc Auctorem non intellexiſſe rationem eam, qua ego argumentatus ſum hoc modo: Aliquando eſt iuſtum bellum uniuerſale, ut cum neceſſe eſt cuipiam tueri ſeipſum, & res ſuas, ne eripiantur, uel recuperare ereptas, neq; id aliter conſequi poteſt niſi bello: ergo ſingulare certamen erit iuſtum ob eaſdem cauſas. Etenim ſicut ſe habet bellū uniuerſale ad cauſas uniuerſales, ita ſingulare ad ſingulares: ſed cauſæ uniuerſales efficiunt bellum uniuerſale iuſtum: ergo & cauſæ ſingulares efficiunt ſingulare iuſtum. Hoc eſt quod ego uolui dicere, ſi bene cōſiderentur uerba mea. Non igitur uideo, quæ ratio eum impulerit ut diceret, hoc intelligi de ſingulari, quòd ſit pars uniuerſalis: quia ſiue ſit pars, ſiue non ſit, nihil refert ad argumentum. Oportuit enim aliter reſpondere, uidelicet illas ſingulares cauſas non facere iuſtū ſingulare certamen, ſicut uniuerſales cauſę faciunt iuſtum bellum uniuerſale. Si ita reſpondiſſet ad rei propoſitæ rationem, aptè dixiſſet, licet non uerè: quia illæ cauſæ ſi bene conſiderentur, concludunt ſingulare certamen eſſe iuſtum: & fortaſſe melius concludūt, quàm cauſæ uniuerſales de bello uniuerſali. Sed de hoc ſatis dictum eſt, ad reliqua deinceps ueniamus.

SECTIO NONA.

Auctor. Sed antequam hoc præſtem, opportunum eſſe uidetur ut inquiramus, quid'nam ſit, quam'ue originem, &c.

Longa hic digreſsione inquit iſte, quid'nam ſit, quam'ue originem & rationem habeat

habeat equeſtris honor ille.ſed quoniam omnia ſunt inania,neq; ad illum honorem pertinent,de quo ego loquutus ſum in libris De honore, qui honor natus eſt cũ hominibus,ideo omittenda eſſe duxi.

Lib. De honore.

Deinde ſubiungit hæc uerba:Cum eam eſſe ueritatis uim animaduerterem,ut plerunq; etiam inuitos ad ſe exprimendam & proferendam impellat. quæ quidem tantum abeſt ut ſententiam meam oppugnent, ut etiam adiuuent. nam ſi eſt tanta uis ueritatis(ut ipſe aſſerit)non eſt mirum ſi uincantur ij qui mendacium dicentes fallũt, quemadmodum ſuprà diximus. Deinde pergit afferre multa uſq; ad illum locum: Sequitur ut antequam propoſita aggrediamur.quæ ad honorem noſtrũm nihil attinent, quippe qui eſt ille qui ex fundamentis naturæ originem traxit. itaque ea miſſa faciamus.

Præterea, Perperam enim factum eſt ex lege naturæ. nam multa abſurda ſequuntur hæc quæ dicis, quòd mihi non licuit perſequi iniurias priuatas:neq;(ut diximus) loqueris de eo honore, de quo loquutus ſum. ſiquidem eſt indicium operum ex uirtutibus ortorum, quæ uirtutes ortum habuerunt cum hominibus. Quòd ſi dicatur, quòd ſit Cauallareſcus, dicant quomodo uelint: ſatis uanè & impropriè dicent. Honor uerò de quo pugnatur in duello,eſt honor qui conuenit ſolùm illis qui profitentur artem militarem:& non ſunt improbi homines,ſaltem quo ad ſpeciem.

SECTIO DECIMA.

Sequitur, ut antequam propoſita argumenta confutare aggrediar, errorem coarguam & detegam,& quæ ſequuntur.

Auctor.

QVòd uerò dicis, Error nimirum cõmunis,in quem ferè omnes inducũtur,qui res quas ignorant tractare temerè atq; illotis (quod aiunt)manib.aggrediuntur:non uides tuo te laqueo illigari ac teneri, quippe qui res quas ignoras, tractare temerè atq; illotis manibus es aggreſſus.Parcas mihi rogo,ſi in te ea reijcio tota,quę in me conieciſti: idq; iniuſtè fortaſſe. Nam cum hæc pertineant ad politicam de moribus,ut luce clarius nos demonſtraſſe arbitramur, quid tibi rei eſt cum illa? qui perpetua opera cauſas modò huc,modò illuc,per totam urbem uagando tractas?

ANT. BER.

Accedit etiam,quòd nihil omnino ſcribis (ut ex eis quæ diximus, & dicemus,intelligi poteſt) quod non oſtendat te penitus illius ignarum eſſe. neq; enim in tot manifeſtos errores incidiſſes, neq; hanc diſputationem in qua immiſces quadrata rotundis,aggreſſus eſſes. Nos autem, quoniam imperiti ſumus legum quas tu profiteris(non enim pudet me fateri,ineſcire quod neſcio:quia ſunt penè infinita quæ diſcenda ſunt)non auſi ſumus etiam loqui de ipſis temerè: imò eas exploſimus ex noſtris libris De honore, oſtendentes ex ſententia Ariſtotelis, ad ipſas per ſe non attinere harum rerum diſputationem & cognitionẽ,ſed ad philoſophiam moralem:unde efficiebatur,hæc ad nullam aliam facultatẽ (quæcunq; eſſet illa) ſpectare. Vtrum ergo ignoraremus leges, nec ne,non referebat ad rem noſtram. Honor enim & uirtutes & uitia(ut ex ſe perſpicuum eſt,& oſtenſum eſt in ſuperioribus) ſunt priora legibus:ergo de ipſis agi poteſt ſine legibus.Quòd ſi in his ſit eorum mẽtio,eſt ex poſterioribus,& ob eas cauſas quas ſuprà attulimus. Non ſunt ergo contra nos iſta tua uerba,imò pro nobis maximè faciunt:quia tantum abfuit ut his de rebus loqueremur ex legibus,ut ab eis abſtinendum eſſe penitus iudicauerimus. iſtis igitur uerbis quaſi tuo teipſum gladio iugulas.

FINIS LIBRI TERTII EVERSIONIS
Singularis certaminis.

LIBER QVARTVS.

SECTIO PRIMA.

Auctor. SEd interim quærendum uidetur, quot modis honos, tum eius qui infert iniuriam, tum eius qui iniuriam accipit, & reliqua.

ANT. BER. QVoniam exiſtimamus ipſarum iniuriarum cognitionem eſſe maximæ utilitatis generi humano, faciendum nobis uidetur, poſtquam incidimus in hunc locum, ut quid ſit iniuriari, definitione explanemus, ipſiusq; definitionis declarationem ex Ariſtotelis ſententia ponamus. Etenim ea explicata atq; euoluta, facile erit intelligentia conſequi, qui ſint illi qui fuerint iniuria affecti, & qui non. ex qua poſtmodum re non erit difficile ſumere medicamenta, quibus iniuriæ tollantur. Etenim cognitis morbis à medicis peritis, maiori ex parte eos tolli facile conſtat: quod quidem nos maximè optamus, cum nihil hominibus utilius excogitari aut tradi poſſe, nobis iampridē perſuaſum habeamus. quæ una omnium maximè cauſa ad hunc nos laborem ſuſcipiendum impulit, fecitq; ut non dubitaremus intermittere explanationes duas, quas in libros Ethicorum conſcribebamus: quas niſi infirmitas ualetudinis noſtræ, qua mirum in modum uexamur, impedimento erit, ſperamus fore ut non multo pòſt tempore in lucem edamus. Ex ijs autem explicationibus quas nunc in medium afferre conabimur, illud quoq; erit perſpicuum, hunc hominem haud minus longè receſsiſſe à ſententia Ariſtotelis, quam mirum in modum ſe profiteri aſſerit, quàm cœlum à terra diſtat: quod eſt quod nunc in primis agimus. Sed ueniamus ad rem.

Iniuriari eſt, ſponte & cum electione, non laceſsitum, detrimentum alicui inferre, per ſe, uel per alium, præter eius uoluntatem, & præter proportionem & æquum: uel præter leges, uel præter uirtutes & honeſtatem: quia leges ſunt ex uirtutibus & ex æquitate. Sed ut melius definitio hæc percipiatur, operæ precium eſt ut declaremus ſingulas eius particulas: primùm autem quid ſit inuitè & ſpontè agere. *a.Rhet.10.*

Inuita dicuntur, quæcunq; per uim fiunt, uel per ignorationem, non quamlibet tamen: ut neq; per ignorationem eius quod confert, neq; rei uniuerſalis. Et hoc intelligi debet maiori ex parte, & cum ipſa uniuerſalis, & quæ confert, non eſt nimis difficilis ad cognoſcendum: ſed per ignorationem ſingulorum quæ uerſantur in actionib. & cum pœnitentia & dolore, cum ij qui agunt, non ſunt cauſa illius ignorationis. id quod euenire uidetur utplurimùm: quia minus eſt in poteſtate noſtra ignoratio ſingulorum, quàm rei uniuerſalis, & eius quod confert. magis enim ſingula ſubijciuntur fortunæ & caſui. Quòd ſi qui agunt eſſent cauſa illius ignorationis, non dicerentur inuitè egiſſe: ſicut non dicuntur etiam illi qui agunt per ignorationem eius quod confert, & rei uniuerſalis, quoniam ipſi ſunt cauſa huius ignorationis. Qui igitur agunt per ignorationem ſingulorum, dicuntur abſolutè agere inuitè: quia plerunq; agunt per illā ignorationē, cuius ipſi nō ſunt cauſa. Illi uero qui agunt per ignorationē eius quod confert, & rei uniuerſalis, dicuntur agere non inuitè, propterea quòd maiori ex parte ipſi ſunt cauſa huiuſce ignorationis: & quæ cōferunt, itemq; res uniuerſales maiori ex parte non ſunt difficiles ad intelligendum: ſed ignoratio ſingulorum quæ uerſantur in actionibus, eſt ignoratio ipſius agentis, uel actionis quæ agitur: eſt etiam ignoratio temporis & loci, uel circa quam materiam, uel in quo, & quo ſcilicet inſtrumento, & cuius gratia, & quomodo ſcilicet fiat actio: ut ſenſim'ne an uehementer, id eſt parum uel minus. Accedit etiam, ut qui ita agit, poſt actionē doleat ac pœniteat. Fieri autē non poteſt, inquit Ariſtoteles, ut quiſpiam ignoret ſimul omnia quæ dicta ſunt, niſi ſit inſanus. Etenim nullus poteſt perſonā agentis ignorare, quādoquidem neceſſe eſſet ut idem ſeipſum ignoraret: quod planè à ratione abhorrere perſpicuum eſt.

Dictum eſt, per ignorationem: quia qui agit, ſi ſciret, non ageret inuitus, neq; per omnem ignorationem: quia ſi quis ageret per ignorationem eius quod confert ſibiipſi, non ageret inuitus. Quod probatur: Illa ignoratio quæ eſt cum electione, non eſt cauſa inuiti, ſed prauitatis. Hæc perſpicua eſt: quia quod ſit cum electione, ſit ſponte,

fit ſponte, ut dixit Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 5. Sed ignoratio eius quod confert, eſt maiori ex parte cum electione: ergo hæc ignoratio non eſt cauſa inuiti, ſed prauitatis. 3. Ethic. 5. Minor declaratur. Id quod eſt in poteſtate noſtra ſcire, & non ſcire, dicitur fieri cum electione, etiamſi non ſciatur. Sed ignorare quod nobis confert, eſt in noſtra poteſtate: habemus enim intellectum, quo id cognoſcere poſsimus, & non ſubijcitur unquã fortunæ. Ergo ignorare quod nobis confert, fit electione noſtra: ergo fit prauitate: ergo ignoratio eius quod confert, eſt cauſa prauitatis, non inuiti.

Dictum eſt etiam, neque rei uniuerſalis ignorationẽ eſſe cauſam ut quis inuitus agat aliquid. quod ſic probatur: Illa ob quæ uituperamur, non ſunt inuita. Sed ob illa mala quæ agimus per ignorationem rei uniuerſalis, maiori ex parte uituperamur: quis enim in uituperationem non incurrat, ſi ignorat nullum adulterium eſſe committendum, nullum hominem occidendum? certè nemo: minus enim ſubijciuntur hæc fortunæ. Ergo illa quæ agimus per ignorationem rei uniuerſalis, non ſunt inuita: ſed illa quæ agimus per ignorationem ſingulorum quæ ſunt in actionibus: quoniam talis ignorationis, qui agit, non eſt omnino cauſa. Fieri enim poteſt, ut aliquis ignoret quam actionem agat: ut ſi arcana enunciaret, quæ neſciret eſſe arcana. ignoraret enim quid faceret. & ſimiliter in quo loco: ut ſi læderet in eo loco, quem neſciret eſſe locum principis, uel interdictum à principe.

Item, Circa quid agat: ut ſi interficeret filium uel amicum, putans eum eſſe unũ ex hoſtib. & in quo tempore: ut ſi neſciat an dies feſtus ſit, nec ne. & quo: ut ſi haſta quã putaret cuſpide carere, percuteret aliquem, ita ut ipſum uulneraret. & cuius cauſa: ut ſi aliquis medicus ſecaret uenam alicui, ut ei ſalutem daret, & ille moreretur. non enim hoc conſilio medicus uenam illius ſecauit.

Itẽ, Modum: ut ſi crederet aliquem ſenſim percutere, & tamen uehementer percuteret, ita ut uulneraret. Si igitur quiſpiam lædat aliquem, ignorans unum aliquid eorum quæ dicta ſunt, dicitur lædere inuitus, & maximè ſi ignorat ea quæ prima & maxima ſunt. Prima autem dicit eſſe Ariſtoteles, circa quid: id eſt circa quam materiam, & cuius gratia.

Additum eſt, Ut poſt actionem doleat & pœniteat: quia niſi non ſequatur hoc, non poſſumus dicere illum neque ſponte egiſſe, quia neſciebat quę debuerat ſcire: neque inuitus, quia non doluit.

Sed ſtatim dicet aliquis: Si iſte quem nõ pœnituit actionis ſuæ, poſtquam ſciuit, non dicitur ſponte agere, quia non ſciebat quæ oportuit: neque inuite, quia non pœnituit, neque ullo dolore eſt affectus: quomodo igitur appellabitur iſte ſic agens, uel iſta actio? Reſpondet Ariſtoteles, quòd eorum qui agunt per ignorationem, alter eſt cũ pœnitẽtia, & iſte inuitus egiſſe dicitur: alter ſine pœnitẽtia, qui nõ ſpõte dicit̃ egiſſe. & ita uidetur innuere, inter agere ſponte & inuitè medium eſſe, non ſponte agere. 3. Ethic. 5.

SECTIO SECUNDA.

Sed ſtatim urgeret aliquis acriter, dicens Ariſtotelem pugnantia loquutum eſſe. Nam cum inquit, Videntur autem inuita eſſe quæ fiunt admota ui, uel per ignorationem: apertè uidetur diuidere Inuitum in id quod fit per uim, & in id quod fit per ignorationem: & ita latius uidetur patere inuitum, quàm id quod per ignorationẽ fit, præſertim per ignorationẽ ſingulorũ quę ſunt in actionib. de quibus ſuprà loquuti ſumus. Sed in uerbis quæ citaſti, uidetur diuidere id quod fit per ignorationem etiam ſingulorum quæ ſunt in actionibus, in inuitum, & in non ſpontaneum: & ita latius uidetur patere, fieri per ignorationem ſingulorum quæ ſunt in actionibus, quàm inuitum: & ſic pugnare omnino uidentur iſta.

Huic quæſtioni, quæ exercuit multorum doctiſsimorum hominũ ingenia, reſpõderem rationibus dictis impulſus: Neceſſe eſſe ut Ariſtoteles ad bonũ redigatur ſenſum. alioquin ſequeretur, eum non ſolùm pugnantia, uerùm etiam (quod multo turpius eſt) negantia dixiſſe. Itaque dicerem, agere per ignorationem ſingulorũ quæ ſunt in actionibus, latius patere quàm inuitum, ſi eius ratio atque ſententia latiſsimè accipiatur: ſin autem contrahatur, minus patere. Et quoniam hoc uiderat Ariſtoteles, non eo fuiſſe conſilio ut diuideret quod fit etiam per ignorationem ſingulorum quę ſunt in actionibus, in inuitum, & non ſpontaneum: quoniam hanc diuiſionem ſe-

quuta eſſent ea quæ dicta ſunt abſurda. Sed ne aliquis errore caperetur, credens omnia quæ fiunt per ignorationem dictam, dici poſſe inuita: diuiſiſſe quod fit per ignorationem, non in inuitum & non ſpontaneum, ſed in id quod poſt actionem eſt cum pœnitentia, & in id quod nō eſt cum pœnitentia: dixiſſeq́; illud quod erat cum pœnitentia, uidetur dici inuitum: ut ſignificaret, inuitum eſſe diuiſum in id ſolùm quod fieret per ignorationem cum pœnitentia, non abſolutè in id quod fit per omnem ignorationem. Illud uerò quod erat ſine pœnitentia, quoniam diuerſum erat ab eo quod fieret cum pœnitentia, cum proprium nomen deſideraretur per negationem, ſpeciei oppoſitæ ipſi inuito, non ſpontaneum uocaſſe, quod nomen eſt ueluti genus ad inuitum: etenim continet id quod fit per ignorationem cum pœnitentia, quod quidem eſt inuitum: & quod fit ſine pœnitentia, quod nuncupatum eſt nō ſpontaneum nomine generis, ut ſæpe accidit. ſicut de proprio, quod diuiſum fuit in

1. Top. 3. definitionem & proprium: primo Topicorum. & hoc, ut dictum eſt, ob carentiam nominis. Nec obſtant illa uerba Ariſtotelis: Quoniam autem differt, melius eſt habere nomen proprium. noluit enim ſignificare, hoc nomen, Non ſpontaneum, eſſe proprium nomen eius quod fit per ignorationem ſine pœnitentia: eſt enim, ut diximus, nomen commune. Sed uoluit, quòd illa actio reſpectu inuiti diceretur habere ſuum nomen proprium, non abſolutè. Ariſtoteles enim dicens, Omne quod fit per ignorationem, eſſe non ſpontaneum: & diuidens quod fit per ignorationem, in id quod fit cum pœnitentia, & ſine: & appellans quod fit cum pœnitentia, inuitum ſolùm: nobis apertè ſignificauit, non ſpontaneum eſſe uelut genus inuiti, & eius quod fit ſine pœnitentia, quod nuncupauit non ſpontaneum. Sed quia hæc, opinor, ſimul quaſi uiſus eſt declarare, ſignificationem nobis uidetur dediſſe, ſe eam quam diximus diuiſionem feciſſe: quam tamen non potuiſſe ab eo fieri, perſpicuè (ut arbitror) oſtendunt rationes allatæ, ex quibus uidetur ſequi, dari aliquam actionem quæ non eſt ſpontanea neq; inuita.

Sed quæreret aliqs adhuc, Ad utrū magis accedat illa actio, & an ſit uenia digna?

Dicerem, ipſam magis accedere ad ſpontaneum: quia cum non doleat poſt actionem, & non pœniteat: uidetur indicare ille qui egit, etiamſi nō ignoraſſet, facturum fuiſſe quod fecit, alioquin eum pœniteret. quod cum ſecus ſit, efficitur illud quod diximus: proptereaq́; non iudicamus hunc dignum uenia, ſed maxima uituperatione, atq; adeò pœna.

SECTIO TERTIA.

Sed item rogaret aliquis, quid dicendum ſit de illis actionibus quę fiunt per ignorationem eius quod confert, & rei uniuerſalis: utrum hæ ſpontaneæ dici poſſint, an inuitæ, & utrum ſint uenia dignæ?

Huic quęſtioni reſpondēdo dicerem, iſtas actiones redigi debere ad ſpontaneas, propterea quòd (ut dictū eſt) fiunt cum electione: ergo cum cognitione. Quòd autem fiant cum electione, declarauimus ſuperius ex ſententia Ariſtotelis. Quòd uerò

1. Rhet. 10. id quod fit cum electione, fiat cum cognitione, oſtendit Ariſtoteles ijs uerbis: „ Quæ igitur ſponte facimus, non omnia eligimus: quæ autem eligimus, omnia cognoſci„ mus. Quòd ſi quis ignorat, ſponte ignorat, & cum electione: igitur ſpontanea ſunt huiuſmodi actiones, ob idq; non ſunt dignæ uenia.

Inſtaret & urgeret etiā aliquis, Nunquid omnia quę fiunt inuitè, ſint digna uenia? Sed antequam huic quæſtioni occurramus, uidetur neceſſarium ut dicamus, diuerſum omnino eſſe aliquem agere per ignorationem, & agere exiſtentem ignorantē: ut ebrius qui percutit aliquē, & iratus, iſti ſunt homines inſani, non percuſſerunt per ignorationem (etenim ſciebant, antequam in illis affectionib. commoti tenerentur, neminem eſſe percutiendum) ſed egerunt per ebrietatem, & per iram, non ſcientes: tamen quia tum cum his animi turbulentis motibus agitarentur, præcipitesq́; & tanquam cæci ferrentur, non cognouerunt quid agerent: ideo dicimus, quòd percuſſerunt ignorantes. quod quidem eam habet ſentētiam, ut intelligatur (ſicuti dicemus in ſequētibus) quòd tempore illius actionis non cognoſcebant: & ita ſunt ignorantes pro illo tempore. Sic igitur uidetur res ſeſe habere, ut omnis qui agit per ignorationem, agat ignorans etiam: non tamen omnis qui agit ignorans, agat etiam per ignorationem. & iſti ebrij agunt neſcientes: quia ſi ſcirent, non agerent. Ex quo dicitur,

dicitur, quòd omnis prauus agit ignorans ea quæ debet facere, & à quibus debet
abſtinere: & propter talem errorem, ſcilicet quia ignorant, fiunt iniuſti, & omni-
no praui. & hoc, quia tunc temporis moti aliquo affectu, neſciunt eſſe abſtinen-
dum ab aliquibus quæ non ſunt honeſta. His explicatis ex Ariſtotelis ſententia, 3.Ethic.5.
reſpondemus, quòd illa praua quæ committunt homines non ſolùm ignorantes, “
uerùm etiam per ignorationem, ſunt uenia digna, dummodo ipſi non fuerint cauſa “
illius ignorationis, quæ eſt ſingulorum quæ in actionibus uerſantur ignoratio. Sed
quæcunque faciunt non per ignorationem, ſed ignorantes, ob paſsionem neque na
turalem, neque humanam, non ſunt uenia digna, inquit Ariſtoteles quinto Ethico- 5.Ethic.14.
rum, cap. decimoquarto. Et ita uidetur perſpicuum, quòd non omnia quæ fiunt inui
tè, ſunt uenia digna. 4.Ethic.4.

Sed ſtatim inſtaret aliquis dicens, Ariſtotelem dixiſſe, quòd cum aliquis agit quip
piam ignorans ſingula in quibus & circa quæ ſunt actiones, tunc tribuitur miſericor
dia & uenia.

Cui quæſtioni ita reſpondendum uidetur, quòd qui agunt aliquid inuitè ignoran
tes, non per ignorationem propter paſsionem naturalem & humanam, ſingula in
quibus ſunt actiones, ſunt digni uenia. Sed ſi agerent ignorantes propter paſsionem
non naturalem, & non humanam, non eſſent digni uenia. & neceſsitas quidem uide
tur cogere, ut dicamus Ariſtotelem loco citato intellexiſſe hoc modo.

Sed quæret quiſpiam, Quæ eſt iſta paſsio naturalis & humana, & quæ non natu-
ralis & non humana?

Huic reſpondemus, paſsiones naturales eſſe, famem & ſitim, & breuiter illa ſi-
ne quibus non poſſunt ſingula conſeruare indiuiduum: humanas autem, amorem
& miſericordiam, & alias huiuſmodi. Itaque ſi quis ob id tantum furetur, ne fa-
me pereat, uenia uidetur eſſe dignus. Si etiam quiſpiam ob amorem & miſericor-
diam filiorum, contra leges aliquid committerer, uidetur eſſe dignus uenia. Ari-
ſtoteles etiam hæc ſcripta reliquit: Quoniam uoluptatum aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ 7.Ethic.6.
eligibiles per ſe, & habentes exceſſum: neceſſariæ autem ſunt corporales. dico au- “
tem tales eas, quæ ſunt circa nutrimentum & uſum Venereorum: & ex corporali- “
bus eas, circa quas poſuimus intemperantiam & temperanriam: non neceſsarias au “
tem, ſed per ſe eligibiles dico, ut uictoriam, honorem, diuitias, & talia huiuſmodi ex “
bonis & ſuauibus.

SECTIO QVARTA.

SEd diceret quiſpiam, Ariſtoteles dicit: Quando autem ſciens, & non antè con 5.Ethic.14.
ſuluerit, iniuria afficit: ut quæcunque per iram, & alias paſsiones, quæcunque “
ſint neceſſariæ, uel naturales, contingunt hominibus. Quibus uerbis uidetur in- “
nuere, intereſſe inter paſsiones neceſſarias & naturales: quod tamen uidetur à ueri-
tate abeſſe: propterea quòd appetitus qui eſt circa nutrimentũ, & res uenereas, quas
poſuimus ſub uoluptatibus neceſſarijs, ſunt appetitus naturales.

Huic quæſtioni reſponderem, non intereſſe inter has uoluptates & paſsiones, ut
rectè concluſit ratio: neq; Ariſtotelem loquutum eſſe diſiunctiuè, quod ſentiret in-
tereſſe inter illas: ſed uoluiſſe dicere, affectiones quę neceſſarię dicuntur, ſiue natura-
les: quaſi diceret, quomodocunq; appellarentur nihil referre.

Sed adhuc urgeret aliquis, Quare illi qui hoc modo prauè agunt ſcientes, li-
cet non conſuluerint, ſint uenia digni: ita enim multi improbè agentes eſſent ue-
nia digni, ut intemperantes & incontinentes, & huiuſmodi: quod non uidetur con-
ſentire rationi.

Ad hanc obiectionem dicerem, eos non omnino eſſe uenia dignos, maximè cum
ipſi fuerint cauſa illius appetentiæ: ſed facta comparatione cum illis qui agunt praua
ob uoluptates non neceſſarias, eſſe magis uenia dignos: quia difficilius eſt reſiſtere
neceſſarijs, quàm non neceſſarijs. Ego quidem puto ita eſſe dicendum, ſaluo tamen
ſemper meliori iudicio.

Sed præter hæc quæreret adhuc quiſpiam, Quomodo ſit uerum quod dixit Ari-
ſtoteles, quòd aliqui poſſunt agere aliqua praua inuitè ignorantes, & non per igno-

rationem? quoniam iſta uidentur fieri ſponte. ſponte enim praui agunt ignorantes, & non per ignorationem.

Dicerem, poſſe aliquos inuitè agere ignorantes, & non per ignorationem: ut ſi aliquis læderet aliquem, iaciendo aliquod telum per aliquẽ locum, in quo ſolitus eſſet aliquis tranſire, quod ille ſciret: & dum iaceret, nõ uideret illum (ageret enim iſte ignorans quòd ille eo in loco eſſet) & tamen non ageret per ignorationem: ſciebat enim ipſum ſolere illàc trãſire, & debebat huius rei reminiſci. Lædit autem inuitè, tum quia ignorauit eum eſſe ibi eo tẽpore, tum quia pœnituit ipſum. & ſic patet, aliquos poſſe agere inuitè & ignorantes, & non per ignorationem. Atq; ita exiſtimandum eſt de illis malis quæ fiunt ſponte.

Item rogaret aliquis, ſicut conſtat aliqua prauè fieri & inuitè quæ digna ſint uenia, nunquid etiam fiant aliqua ſponte ignorantibus, & per ignorationem, quæ ſint digna uenia?

3.Ethic.4. Ariſtoteles uidetur dicere, quòd non. Dicerem tamen ita eſſe, dummodo ille qui agit, non fuerit cauſa illius ignorationis. Quod etiam uiſus eſt declarare
3.Ethic.8. Ariſtoteles, ubi ait: Puniunt enim & ulciſcuntur facientes mala, quicunque non
,, uiolentia, uel per ignorationem, cuius ipſi non fuerint cauſa. Et paulo pòſt:
,, Etenim in ipſo non ignotare puniunt, ſi uideatur eſſe cauſa ignorantiæ. ut ebrij du-
,, plici pœna afficiuntur: principium enim erat in ipſo. erat enim dominus illius e-
,, brietatis: hæc enim erat cauſa ignorationis. & ignorantes aliquid eorum quæ ſunt
,, in legibus, quæ oportebat ipſos ſcire, & non erant difficilia, puniunt. Ex quibus
uerbis patet, idem etiam eſſe dicendum de his qui agunt inuitè ignorantes, & per ignorationem: oportere uidelicet ipſos non fuiſſe cauſam illius ignorationis, ſi uenia digni futuri ſint.

Ad uerba autem Ariſtotelis, quibus contrarium aſſerere uidetur, dicerem ipſum intellexiſſe, cum ſic agentes agunt ignorantes & per ignorationem, cuius ipſi ſine cauſa. Eodem enim modo dicendum uidetur de illis qui ſponte male agunt, ſicut de his qui inuitè. Sed quid dicendum eſt de his qui per iram interficiunt aliquos laceſsiti? agunt enim ignorantes, non per ignorationem. nunquid ij ſunt uenia digni? uidetur enim quòd ſic: quia ipſi non ſunt cauſa, quare ignorantes agant, ſed qui
5.Ethic.14. prouocauit. id quod penè uiſus eſt Ariſtoteles aſſerere, ubi inquit: Quapropter quę
,, ex ira fiunt, non ex prouidentia iudicantur. non enim incipit, qui ira aliquid facit, ſed
,, qui facit iraſci.

Reſpondeo, alios eſſe dignos uenia, alios non item. reperiuntur enim multi qui ita ſunt proni ad iram, ut ex quibuſcunque etiam leuibus cauſis exardeſcant: ita ut non dubitarent uel ipſos parentes interficere, ſi facultas daretur: & mundum euertere, ſi manibus eum tenerent. Iſti qui ſunt ita iracundi, non ſunt digni uenia ſi quod facinus cõmittant, licet prouocentur, præſertim ex leui cauſa. erat enim in poteſtate ipſorum non iraſci, idque eos decebat, quia leuis eſſet cauſa. Qui uerò aliquid mali committunt impulſi iuſta ira, ut ſi alicui interfectus eſſet frater uel pater: arbitramur hos eſſe uenia dignos. Non tamen, ſi interficiant hominem, debent omnino carere pœna: quoniam id agunt ignorantes quidem, at non per ignorationem, & ſic ſponte. In eorum enim poteſtate erat, non ignorare, & non facere illud. itaque debent puniri: non enim eo iure ſunt ut poſsint occidere, qui alterum occiderit. Tamen mitius agendum eſt aduerſus eos qui iuſta ira ſunt laceſsiti, quàm aduerſus eos qui non iuſta ira ſunt prouocati: omninoq; mitius eſt agendũ aduerſus eos qui quomodocunq; impulſi ab ira deliquerunt, quàm aduerſus eos qui nulla ira, & cum electione eodem maleficio, uel etiam minore ſe aſtrinxerunt.

Cæterùm quæreret item aliquis, Nunquid omnia quæ fiunt ab ira, fiant ſine electione? Videtur enim quòd non, propterea quòd aliquis continere poteſt iram per multum temporis ſpacium, & eligere poſtmodum uindictam ſumere, cum ei occaſio oblata erit: ut dixit Homerus facere reges. Multi enim ſunt ita acerbi, ut magno
4.Ethic.14. negocio placentur, & diu iraſcantur, neque infenſum animum gerere deſinunt, ni-
2.Rhet.2. ſi poſteaquam par pari reddiderunt. atque iſti quidem non uidentur uindictam ſu-
mere ſine electione.
,,

Ex alia

Ex alia parte uidetur Ariſtoteles ſibijpſi repugnantia ſcripſiſſe, cum dicit: Quando enim præter rationem nocumentum fit, infortunium: quando autem non præter rationem, ſed ſine prauitate, peccatum. Peccat enim, quando in ipſo fuerit principium prauitatis: ut habet unus textus, qui uidetur probandus. uel Cauſæ, ut habet alius textus. Infortunatè agit, quando principium eſt extrà. Quando autem ſciens quidem, ſed non antè fuerit conſulens, iniuria: ut ſunt, quæcunque ab ira & ob alias paſsiones, & cætera quæ ſequuntur, quæ citata ſunt ſuprà. Quibus uerbis apertè innuere uidetur, ea quæ fiunt ab ira, fieri ſine electione: fiunt enim, ex eius ſententia, ſine conſultatione. 5.Ethic.14.

Huic quæſtioni reſpondentes dicimus, fieri poſſe, ut aliqua quæ fiunt ab ira, fiant ab electione: tamen quoniam ut in pluribus non fiunt ab electione, ideo Ariſtotelem protuliſſe uerba illa quæ citauimus: quæ ſi intelligantur quomodo diximus, inter ſe non pugnant. Etenim quinto Politicorum uidetur oſtendiſſe cauſam, quare iratus maiori ex parte non agat cum electione: Ira enim, inquit, cum dolore adeſt, uel iuſticia, quare non facile eſt ratiocinari. Ex quo ſequitur, non facile eſſe iratis uti ratiocitionane. ergo non facile eſt uti electione. electio enim non poteſt eſſe ſine ratiocinatione & diſcurſu: ex quo efficitur, ut maiori ex parte irati non utantur electione. Quod uidetur etiam ipſe indicaſſe, cum paulo pòſt in eodem loco addidit: Nocentes autem in talibus, ſcilicet quæ per iram fiunt, & per affectus dictos, iniuria quidem afficiunt, & ſunt iniuriæ, nondum tamen ſunt iniuſti & praui. etenim nocumentum non eſt propter prauitatem. quando autem ex electione, iniuſtus & prauus. 5.Polit.10.

Quibus uerbis ſatis apertè innuit, quòd talia quæ fiunt ab ira, & ab affectibus dictis, poſsint fieri ab electione. loquitur enim (ut patet) de eis quæ fiunt per iram, & per alios huiuſmodi affectus.

Confirmatur: quia iraſci poteſt fieri ex uirtute. ut conſtat ex quarto Ethicorum, duodecimo cap. Ergo poteſt eſſe ex electione. Perſpicua eſt conſequentia ex definitione uirtutis. 4.Ethic.12.

Iam uerò poſt explicationem inuiti, conſequens eſt, ut declarauimus, uiolentum. Violentum igitur eſt id, cuius principium extrinſecum huiuſcemodi eſt, ut in id neque qui agit, neque qui petitur, quippiam operæ conferat: id eſt, nihil adnitente & adiuuante illo cui uis infertur. quemadmodum ſi uentus aliquò nos, aut homines qui poteſtatem habeant, detulerint. 3.Ethic.1.

Qui ergo patitur aliquid, aut agit, impulſus à principio aliquo extrinſecus exiſtente, cui principio nihil inſeruiat patiens uel agens, dicitur paſſus eſſe & egiſſe ui coactus.

SECTIO QVINTA.

SEd diceret aliquis, Non'ne fieri poſſet, ut aliquis pateretur ab aliquo principio extrinſecus exiſtente, uel quippiam ageret, & nihil ipſe adniteretur, & tamen non diceretur uiolentia egiſſe? ut, exempli cauſa, ſi cui manus ab aliquo attolleretur, nihil'que ad id ipſe ſtudij conferret, imò ne puniretur omnes uires adhiberet, quo minus ſibi manus attolleretur: & tamen non nollet, eum qui manum ipſius attolleret, percutere aliquem: iſte non uidetur uiolentia egiſſe, uel paſſus eſſe, quoniam libenter paſſus eſt, idque ei uoluptati eſt.

Item, Si aliquæ uirgines ſtuprarentur, ut fit aliqua urbe capta, quæ cum nihil ipſæ huiuſmodi actionem adiuuarent, manibus earum & pedibus reuinctis, tamen non ſolùm æquo animo id ferrent, uerùm etiam & lætarentur: iſta paſsio non uideretur poſſe dici uiolenta. propterea quòd etſi uis inferatur ipſi corpori, non infertur animo. etenim ſi licuiſſet illis, nec parentes, uel fratres, aut etiam dedecus & infamiam timuiſsent, ſponte ſtupratæ fuiſsent.

Ad hanc quæſtionem tollendam fortaſse dici poſset, addendam eſse in definitione hanc particulam, Et præter uoluntatē eius qui patitur, ac rationē. ut ſi aliquis iudicaret ſibi fieri nocumentū ab aliquo principio extrinſecus exiſtēte. Quā quidē expli

1.Rhet.11. cationem uiſus eſt Ariſtoteles indicare ijs uerbis: Violenta autem, quęcunq; præter ,, cupiditatem & rationem per ipſos agentes fiunt.

Ex his quæ dicta ſunt, uidetur perſpicuè patere, motum ignis circularē, qui eſt ſub luna, eſſe uiolentum: propterea quod fit per uim extrinſecus illatam, quæ à cœlo proficiſcitur, ipſo igne qui mouetur nihil adiuuante: mouetur enim illo motu præter eius appetitum naturalem. Siquidem cum eſt extra locum ſuum, moueturſurſum rectà: cum autem eſt in proprio loco, quieſceret, niſi externa ui moueretur. neque eſt perpetuus ille motus, ita ut ſemper moueatur idem ignis numero: ſed idem in ſpecie, quicquid dicant interpretes nonnulli. Sed de hac re ſatis diſputauimus in 2.Lib.De hon. ſecundo libro De honore. Et hoc uiſus eſt oſtendere Ariſtoteles ſecundo Me-2.Meteor.1. teororum, cap. primo, ubi ait: Nos autem dicimus, principium ſumentes idem quod ,, & prius: quoniam enim poſitum eſt, duplicem eſſe exhalationem, hanc quidem ,, humidam, hanc uerò ſiccam: palàm quòd hanc putandum principium eſſe talium, ,, & utique & de quo prius dubitaſſe neceſſarium, utrum & mare ſemper permanet ,, earundem exiſtens partium numero aut ſpecie & quantitate, permutatis ſemper ,, partibus: quemadmodum aer & potabilis aqua, & ignis. ſemper enim aliud & aliud ,, fit horum unumquodque. ſpecies autem multitudinis uniuſcuiuſque horum manet ,, fluentium aquarum & flammæ fluxus. Perſpicuum igitur eſt, Ariſtotelem uoluiſſe, quòd non ſit idem numero ignis æterno tempore.

3.Ethic.1. His explicatis, iam declaremus quid ſit ſpontaneum. Dicimus igitur, ſpontanea 5.Ethic.13. ea propriè eſſe, quorumcunq; principium actionis eſt in eo quod agit, ſciens per ſe, non ſecundum accidens, omnia illa in quibus ſunt actiones, de quibus ſermo habitus eſt ſuprà, & appetens ſine pœnitentia & dolore. Etenim ſi quiſpiam agat aliquid quod erat in poteſtate ſua non agere, cognoſcens ſeipſum, & actionem quam agit, & materiam circa quam agit, & inſtrumentum quo agit, & finem cuius gratia, & modum quo fiat actio, in dubium uenire non poteſt, quin iſte ſponte talem actionem egiſſe dicatur.

Dictum autem eſt, Quorum principium eſt in eo quod agit: quia ſi non eſſet in ipſo, ſed in alio, non diceretur ſponte egiſſe: ſciens uerò, quia ſi non ſciret, non poſſet dici ſponte illam actionem effeciſſe. Per ſe, propter eos quibus contingit facere quippiam aliud ab eo quod ipſis erat propoſitum, & propter eos qui in tempeſtate eijciunt merces in mare, & propter eos qui ob timorem maiorum malorum parent tyrannis iubentibus aliquid turpe, denunciantibus'que niſi id quod iubent exequantur, futurum eſſe ut eorum parentes uel filios interficiant. Iſta enim non ſunt ſimpliciter ſpontanea, ſed potius mixta ex ſpontaneo & inuito: uidentur tamen magis ſpontanea quàm inuita, quia ſunt eligibilia cum aguntur, licet per accidens eligantur. minus enim malum boni rationem habet, ut ſæpe diximus: & principium talium actionum eſt in eo qui agit. Etenim poterat agere & non agere. ſunt enim non per ſe ſpontanea, ſimpliciter autem fortaſſe inuita: quoniam nullus eligeret per ſe facere aliquid tale. Non tamen putandum eſt, omnia quæ fiunt ſponte, 5.Ethic.13. fieri cum electione. Etenim quinto Ethicorum Ariſtoteles ita ſcriptum reliquit: ,, Eorum autem quæ ſunt ſpontanea, alia quidem eligentes facimus, alia autem non ,, eligentes. Eligentes autem, quæcunque conſulimus: ſine electione uerò ſunt, quæ- ,, cunque fiunt ſine conſultatione. Iſta tamen quæ non eligimus, ſpontanea ſimpliciter ſunt.

Sed rogaret aliquis, Nunquid ij qui iuſsis alicuius tyranni parentes, faciunt aliquid turpe, ſint digni laude an uituperatione? & utrum, ſi cui iniuriam inferant, ſint digni uenia? an ille qui iniuria afficitur, debeat huius iniuriæ uindictam ſumere?

Huic quęſtioni reſpondentes ex ſententia Ariſtotelis dicimus, eos qui ſic agunt, aliquando eſſe dignos laude, aliquando uituperatione. Exempli gratia: ſi quis tyrannus iuberet aliquem nobilem uirum & probum, ueſtitu muliebri in publicum prodire, minans niſi id faciat, ſe eius patriam euerſurū, & parentes ac filios interfecturū: hic uir bonus tyrāno obtēperans, erit dignus laude. Seruare eē patriā, parētes & filios, eſt ex reb. maximis & honeſtiſsimis. Poteſt igiť parēre in huiuſmodi rebus, ut efficiat

res illas maximas & honeſtiſsimas. Si uerò parêret tyranno minanti,ſi id non face
ret,ſe coacturum ipſum ut ſolueret centum aureos,eſſet uituperatione dignus:quo-
niam illud turpe admitteret,parui damni uitandi cauſa.

Item, Si iuſſu tyranni probo uiro iniuriam , aut mulieri pudicæ probrum inferret,
ut leue aliquod damnum effluerct,culpa ſic teneretur,ut nullum ſibi ueniæ locum re
linqueret:isq́ cui illata fuiſſet iniuria,cogitare poſſet de uindicta ſumēda, propterea
quòd ille maiorem minimarum rerum quæ recuperari poſſent rationem duxiſſet,
quàm honoris uiri probi,probæq́ mulieris,qui recuperari non poſſet. & ſic rem tur-
pem egiſſet ob nullum honeſtum,uel ob mediocre etiam malum.

Sunt etiam quæ laudari non debent,ſunt tamē uenia digna:ut ſi quiſpiam aliquid
turpe ageret,propter ea quæ naturam humanam ſuperarent,& nemo poſſet ſuſtine-
re;non enim eſſet is dignus laude,uenia tamen eſſet dignus.

SECTIO SEXTA.

SEd quæreret aliquis, utrum omnia turpia poſsint admitti propter cauſam dictā?
Reſpondit Ariſtoteles:eſſe aliqua ita turpia, ut nemo poſsit cogi illa facere, ſed 3.Ethic.2.
potius mori debeat.Ex quo reprehendit Alcmeonem, qui (ut tradit Euripides) in-
terfecit matrem,hortante & impellente Amphorate patre.

Additum eſt,Appetens. propterea quòd inquit Ariſtoteles quinto Ethicorum: 5.Ethic.13.
Neq́ uiolētia. quemadmodum ſi quis accipiens manum ipſius, uerberaret alterum, “
non ſponte autem:non enim in ipſo.contigit enim,uerberatum patrem eſſe. “

Deinde, Sine pœnitentia & dolore:quia ſi actionem pœnitentia & dolor conſe-
queretur, non egiſſet ſponte aliquis: licet non egiſſet inuitè,quia ſciebat.inuitum e-
nim erat cum pœnitentia & dolore:ergo oportet ut ſpontaneum ſit ſine pœnitentia
& dolore.

His explicatis,habemus iam quid ſit Spontaneum,quod eſt poſitum in definitio-
ne Iniuriari:& quid ſit inuitum,eiusq́ ſpecies.ſub quas uidentur cadere ea mala quę
fiunt à Fortuna:fiunt enim per ignorationem,cuius ille qui agit non eſt cauſa:ſunt e-
nim extra ea quæ pertinent ad ipſum.

Sequitur iam, ut ad explicationem reliquarum particularum, quæ ſunt poſitæ in
definitione ipſius Iniuriari,accedamus.

Dictum eſt,Cum electione:quia niſi adhiberetur electio,nō eſſet iniuriari,ex Ari 5.Ethic.15.
ſtotelis ſententia,qui ait: Si autem ex electione nocebit, iniuria afficit:& qui iniuſtè “
agit,ſecundum has iniurias iniuſtus eſt,quando præter proportionem & æquum e- “
gerit. Et in text. ſuprà citatis oſtendit,non eſſe propriè iniuriam niſi proficiſcatur
ab electione. inquit enim, quòd cum aliquis lædit alterum contra proportionem 5.Ethic.16.
& æquum,uel(ut clarius loquamur)contra leges, non laceſsitus,ſponte dicitur iniu
riari. Ergo ſi eſſet laceſsitus, non diceretur iniuriari: alioquin ſupcruacanea eſſet illa
uox,Non laceſsitus. Vnde paulo pòſt,quaſi uellet corroborare id quod diximus,u-
ſus eſt ijs uerbis:Quòd qui iniuriam facit,ſponte facit,& electione: etſi prior,quia la 5.Ethic.16.
ceſsitus non facit iniuriam. Ex quibus omnino ſequitur,omnem iniuriam eſſe cum “
electione. Additum eſt, detrimentum inferre: quia qui non infert detrimentum,
non afficit iniuria.Quod detrimentū intelligitur,ſi quis noceat,ſi triſticiam inferat,ſi
impediat propter contumeliam & incommodationem:quę ſunt etiam(ut dicemus)
ſpecies iniuriæ.Et iſta detrimēta poſſunt inferri per ſe,uel per alium:propter eos qui
iubent ſeruos aliquem percutere, uel alio modo auctores ſunt lædendi alicuius. Et
quoniam non omne nocumentum per ſe uel per alium illatum, iniuria afficit, expli-
catum eſt quid 'nam ſit tale nocumētum,illis uerbis:Pręter proportionem uidelicet
arithmeticam,& ipſam ęquitatē, ut dixit Ariſtoteles. tale enim nocumentū eſt præ- 5.Ethic.9.
ter iuſticiam,præſertim correctiuam:uel præter leges,ut inquit idem Ariſtoteles,in- 1.Rhet.10.
telligens per leges iuſtum naturale & legitimum. Vel,ut omnia uno uerbo comple- & 13.
ctamur,pręter uirtutes & æquitatem. Non igitur omne nocumentum afficit iniuria,
ſed ſolùm id quod ita ſe habet,ut diximus.

Poſtremò additum eſt,Et præter uoluntatem eius qui læditur,quoniam fieri non
poteſt ut aliquis uolens iniuria afficiatur. Inquit enim Ariſtoteles: Læditur quiſ- 5.Ethic.19.
piam ſponte, & iniuſta patitur: ſed iniuria afficitur nemo ſponte, nemo enim uult: “

Nam

,, Nam paulo antè innuerat, nihil eſt quod dicatur, Iſte patitur iniuſta, ergo afficitur in-
,, iuria: non enim (inquit) eſt idem iniuſta agere, & iniuria afficere: neq; iniuſta pati. &
,, iniuria affici. Similiter autem circa id quod eſt iuſta agere, & iuſta pati. Fieri enim nō
,, poteſt ut quiſpiam iniuria afficiatur, niſi adſit is qui iniuriam afferat: uel iuſta patia-
,, tur, niſi præſtò ſit qui iuſtè agat.

Cæterùm quoniam ea quæ dicta ſunt nō uidentur carere difficultare, ut liquidius ipſorum ueritas perſpici poſsit, cogimur in medium afferre nonnulla quæ uidentur ea ipſa impugnare atq; euertere.

SECTIO SEPTIMA.

5.Ethic.14. ET primò quęreret aliquis. Quomodo fieri poſsit ut aliquis patiatur iniuſta ab aliquo, & iniuria non afficiatur? non enim hoc uidetur fieri poſſe.

Item, Quomodo aliquis iuſta pati poſsit, & non ab eo qui iuſtè egerit? hoc enim etiam non uidetur fieri poſſe.

Amplius, Quomodo fieri poſsit, ut aliquis ſponte lædatur ab aliquo, & iniuſta patiatur, & tamen ſponte non afficiatur iniuria? nihil enim inter hæc uidetur intereſſe: quoniam qui ſponte læditur, uidetur etiam ſponte iniuria affici.

Item quæritur, Vtrum idem poſsit iniuria afficere ſeipſum? uidetur enim poſſe. & hoc etiam comprobat communis hominū loquendi conſuetudo, qui cum laborāt ut aliquod bonum cōſequantur, dicunt nolle ſibijpſis iniuriam afferre. ſignum ergo eſt, quòd idem poſsit ſeipſum iniuria afficere.

Item, Incontinentes lædunt ſeipſos, & iniuriam ſibijpſis afferunt, & hoc eſt perſpicuum: ergo idem poteſt ſeipſum iniuria afficere.

5.Ethic.15. Item, Qui diſtribuit plus alijs, ſeipſum defraudans, ſibi iniuriam facit: ſicut faciunt modeſti.

5.Ethic.14. Item, Abſurdum eſt quòd aliquis quempiam iniuria afficiat, & non ſit iniuſtus: ſicut dicit Ariſtoteles, eſſe illos qui agunt per iram, & per paſsiones neceſſarias, uel naturales. quoniam hæc uidentur fieri non poſſe. Etenim illi qui agunt per illas paſsiones neceſſarias, ſunt intemperantes: ergo iniuſti & praui.

5.Ethic.8. Item contrarium uidetur aſſeruiſſe Ariſtoteles, ubi ait: Abſurdum eſt iniurias fa-
,, cientem hominē, aut intēperanter agentem, nolle ſe iniuſtū aut intemperantē eſſe.

Si ergo hæc uera ſunt, neceſsitas cogere uidetur, ut qui per iram & affectus dictos iniuriam facit, ſit iniuſtus: & ita apertè Ariſtoteles uidetur cum ſua ipſius ſententia pugnare.

Item pugnantia uidetur loqui Ariſtoteles, cum dicit, iratum poſſe iniuria afficere. dixerat enim, laceſsitum non iniuriam facere: & iratum eſſe laceſsitum (non enim incipit, qui agit per iram, inquit: ſed qui idipſum commouet iraſci, ut inferius dicetur) ergo iratus iniuria afficere nō poteſt, contraq; dicit Ariſtoteles. Ideo quæritur, quænam ſit uerborum eius ſententia?

5.Ethic.14. Amplius dicit Ariſtoteles, quòd qui facit inſidias, non ignorat. Quod euertere ui-
3.Ethic.5. detur illud quod ſuprà citauimus, uidelicet omnem prauum ignorare principia rectè agēdi: & propter huiuſmodi errorem, prauos & iniuſtos omnino fieri homines: cum autem qui facit inſidias prauum eſſe, in dubium uenire non poteſt.

5.Ethic.14. Item quæritur, Si aliquis negaret depoſitum per obliuionem, nunquid diceretur iniuſtus & prauus? non enim uidetur eſſe, quia agit ignorans & per ignorationem. Rurſus uidetur, quia non agit quod iuſtè agere deberet: et ſi agit per ignorationem, ipſe uidetur eſſe cauſa illius ignorationis. deberet enim reminiſci eorum quæ pertinent ad iuſticiam, & ad honorem ſuum.

5.Ethic.15. Amplius (inquit Ariſtoteles) Si ſeruus iubente domino aliquem percuteret, non iniuria percuſſum afficere, ſed iniuſta facere. Id uerò abſurdum uidetur, propterea quòd ſeruus ſponte lædit illum. erat enim in poteſtate ipſius, non lędere contra proportionem & æquum, & præter uoluntatem eius qui percutitur: ergo uidetur iniuria eum afficere.

Item aliquis rogaret, Quid interſit inter æquum & iuſtum?

Hæ ſunt quæſtiones, quæ uidentur conſequi ea quæ concluſa ſunt. quas quidem diſſoluere oportet, ſi firmam ac certam, & non errantem & uagam uolumus harum rerum cognitionem habere.

SECTIO

SECTIO OCTAVA.

PRimæ autem queſtioni ita reſpondendum eſſe uidetur: Fieri poſſe ut aliquis iniuſta patiatur, & non afficiatur iniuria. Latius enim patet iniuſta pati, quàm iniuria affici: quoniam alicui poſſunt infligi uulnera, & iſte patitur iniuſta: non enim iuſtum eſt, ut alicui inferantur uulnera. tamen poſſunt ea uulnera inferri ab aliquo qui non ſponte intulerit: uel ſi ſponte, non cum electione: & ſi cum electione, laceſsitus, & huiuſmodi. Ita iſte paſſus erit iniuſta, & tamen non erit iniuria affectus: quoniam non reperitur iniuria affeciſſe illum is qui uulnerauit. Quod intelligitur ex definitione quæ de iniuriando tradita eſt. Similiter fieri poteſt, ut aliquis iuſta ab aliquo patiatur, & non ab eo qui iuſtè egerit. etenim accidere poteſt, ut quiſpiam puniatur à iudice propter ſcelera ab ipſo perpetrata contra leges: & tamen iudex eum non puniret propter illa ſcelera, & rem iuſtam faceret: ſed ut gratiam iniret à principe, uel odij aut lucri cauſa. Sic iſte paſſus erit iuſta, non tamen à iuſtè agente: quia iuſtè agens eſt, qui ſponte, & propter honeſtatem agit. ab eo autem qui dictus eſt, res iuſta agitur, ſed ipſe non agit iuſtè. ſicut qui reddit depoſitum inuitus & propter timorem, agit rem iuſtam, quia depoſiti redditio eſt iuſta: non tamen ipſe agit iuſtè, quia non a- 5.Ethic.131. git ſponte. & accidit ut iuſtum ſit quod agit: dicitur enim agere rem iuſtam per accidens. ſicut ille qui non reddit, quia non poſsit reddere propter aliquam iuſtam cauſam, iniuſta facit, ſed per accidens. Fieri igitur poteſt, ut aliquis iuſta patiatur ab eo qui non iuſtè agit: iuſtè enim agere eſt, ſponte ſcientem & eligentem agere.

Ad illud quod ſubſequebatur, fieri non poſſe ut aliquis ſponte ab aliquo lædatur, iniuſtaq́ patiatur, & non idem afficiatur iniuria ſponte: non enim uideri intereſſe inter ſponte lædi, & ſponte iniuria affici. ſiquidem poteſt aliquis lædere ſponte, & cum electione. Reſponderem, fieri poſſe ut quiſpiam ſponte lædatur, non tamen ſponte iniuria afficiatur. hoc enim intelligitur ex definitione ipſius iniuriari, quod eſt lædere præter uoluntatem eius qui læditur. quòd ſi læditur, non præter ipſius uoluntatem, ſed ſponte non afficitur iniuriâ.

Sed ſtatim rogaret aliquis, quare in definitione ipſius iniuriari requiritur, ut præter uoluntatem eius qui patitur fiat actio, & non requiritur in læſione: non enim apparet cauſa huius diuerſitatis.

Dicerem, intereſſe inter ſponte lædi, & iniuria affici. quia iniuria affici eſt ſemper malum: eſt enim ſemper cum prauitate, & eſt manifeſtè malum. Nam dixit Ariſtoteles, iniuriam eſſe cum prauitate ſimpliciter uel propriè. neque aliquis decipi poteſt, 5.Ethic.101 audiens iniuriam, quin iudicet illam eſſe malum. & ideo nullus poteſt uelle iniuria affici, quia nullus poteſt uelle malum ut malum. Sed non omnis læſio, cum auditur, manifeſtè cognoſcitur eſſe malum, & cum prauitate. etenim multæ ſunt læſiones, quæ propoſita ſpe maioris boni eliguntur.

His ad hunc modum explicatis, uidetur perſpicuum eſſe, quare in definitione ipſius iniuriari requiratur, ut fiat læſio præter uoluntatem eius qui læditur: quia iniuria 5.Ethic.15. eſt malum manifeſtum, quod nullus poteſt uelle. Ex quo etiam ſequitur, nullum ſibijpſi poſſe iniuriam afferre, licet poſsit ſibijpſi ſponte nocumentũ inferre. Quòd uerò addebatur, hoc eſſe ſecundum communem modum loquendi ipſorum hominum: dicimus, hoc loco ſumi iniuriam pro nocumento. uolunt enim homines ſignificare, nolle ſibijpſi nocumentum afferre.

Ad id quod ſequebatur, uidelicet incontinentes lædere ſeipſos, & iniuriam ſibijpſis afferre, & hoc eſſe perſpicuum. Reſponderem ex Ariſtotele, ut mihi uidetur, 5.Ethic.15. incontinentem lædere ſeipſum ſponte: non tamen ob id ſequi, ut ſponte ſeipſum iniuria afficiat: propterea quòd in definitione ipſius iniuriari eſt, ut prçter ſuam uoluntatem lædatur is qui iniuria afficitur. Itaq; ex eo quòd ſe quiſpiam lædat ſponte, non efficiut ſpõte etiam iniuria ſeipſum afficiat. Nullus enim (ut inquit Ariſtoteles) uult 5.Ethic.15. iniuria affici, quia nullus uult quod non putat eſſe bonum. iniuria autem affici (ob eam quam diximus cauſam) non poteſt exiſtimari bonum: ergo iniuria affici non poteſt ſponte expeti. Incontinens ergo licet ſeipſum ſponte lædat, non tamen ſponte ſibi iniuriam afferre poteſt.

SECTIO NONA.

5.Ethic.15. Sed ſtatim rogaret etiam aliquis, quid'nã uoluerit dicere Ariſtoteles illis uerbis: „ Nocumentum autem aliquis ſponte accipit, & iniuſtè patitur: iniuria autem affi- „ citur nemo ſponte: nemo enim uult. ſed neq; incontinens, ſed præter uoluntatem a- „ git: nullus enim uult, quod non putat eſſe bonum: ſed incontinens, quod non putat „ oportere agere, agit. Etenim iſtis uerbis non ſolùm pugnantia, uerùm etiam negã tia dicere uidetur. Nã primùm dicit, quòd neq; incontinens uult iniuria affici. Deinde ſubiungit, quòd præter uoluntatem agit. nocet igitur ſibijpſi præter uoluntatem. incontinenter enim agit præter uoluntatem: ergo iniuria afficit ſeipſum, quoniam lædit ſeipſum præter uoluntatem ſuam. Verba igitur iſta uidẽtur ſatis obſcura.

Item ſubdit: Nullus enim uult, quod non putat eſſe bonum. Quæ uerba uidentur indicare cauſam, quare nullus ſponte iniuria poſsit affici non enim poſſunt oſtendere, quòd incontinens agat præter uoluntatem: quia ſi ageret præter uoluntatem, ageret coactè, & non ſponte: & non eſſet dignus uituperatione, & non eſſet incontinẽs: non enim uideret meliora, & ſequeretur peiora: non enim poteſt ſponte ſequi, niſi quod uult ſequi. neq; obſtat quòd uoluntas ſit appetitus rationalis: quia non dicitur rationalis, quia ſemper uelit illud quod eſt cum ratione recta: quia uult aliquando quod eſt malum, ſub ſpecie tamen boni, & quod fieri nequit, ut immortalitatem. Sed dicitur rationalis appetitus, quia ſequitur propriè animam rationalem: non ergo uidetur fieri poſſe, ut concedamus, incontinentem agere incontinenter præter ipſius uoluntatem, propter rationem dictam: etenim non poſſemus etiam euitare, quin ſeipſum iniuria afficere poſſet.

Deinde ſubdit: Incontinens, quod non putat oportere agere, agit. Quæ uerba uidentur euertere, quod paulo antè dixerat. nam ex hoc ſequi perſpicuè liquet, ipſum incontinentem uelle, quod non putet eſſe bonum. Si enim agit quod non putat agẽdum, ergo uult quod non putat eſſe bonum. non enim agere poſſet, niſi uoluiſſet. Ex quo ſequitur etiam euerſio illius quod dictum eſt, quòd non poſsit ſponte iniuria affici.

Ad has difficultates tollendas fortaſſe dicendum eſt, locum oportere legi in hunc modum: Iniuria autem afficitur nullus ſponte, nullus enim uult: ſed neque incontinens præter uoluntatem agit. ita ut abijciatur ſecunda coniunctio aduerſatiua, Sed. Et tunc non ſequeretur id quod diximus abſurdum. Sed ſi alicui hoc durum uideretur, & noller textum mutari, neceſsitas cogit ut repetãmus illam negationem Non, hoc modo: Sed neq; incontinens, ſupple uult iniuria affici. Et quia aliquis potuiſſet dicere, ipſum præter uoluntatem agere incontinenter, & ita lædere ſeipſum: atq; ita ſequebatur ex definitione ipſius iniuriari, ut ſeipſum iniuria afficeret: ſed ſupple, neq; agit præter uoluntatem incontinenter, ſed ſponte & uoluntariè. Et reddit rationem ſicut diximus, quare neque incontinens uelit iniuria affici: Quoniam nullus uult quod non putat eſſe bonum. Niſi enim ita explicetur, alterũ duorũ euenire neceſſe eſt: uel ut ſuperuacuè in definitione ipſius iniurię ponatur (& pręter eius uoluntatem) uel ut idem poſsit ſeipſum iniuria afficere. quæ cum abſurda ſint, illud ex quo emanant, abſurdum eſſe neceſſe eſt. Igitur ſcriptura conſtituenda & interpretanda eſt, uti diximus: ſicq; intelligemus, ipſum non ſolùm negantia, ſed repugnantia quidem loquutum fuiſſe: minus enim abſurdum magis eſt eligendum. Vel dicendum eſt, παρὰ eo loco accipi ut ſignificet idem quod κατὰ, id eſt ſecundum & iuxta uoluntatem: hoc enim non eſt abſurdum, ſed ſæpe hac particula utuntur Græci in hac ſignificatione.

Quòd autem dixit, Incontinentem agere quod non putat oportere agi: uidetur poſitum, ut oſtendat ipſum incontinentem agere incontinenter, & non præter ipſius uoluntatem: ſed ſponte, & ita lædere ſeipſum ſponte.

Cum uerò dicebatur, hoc dicto euerti illud quod paulo antè dixerat, nullum uelle quod non putat eſſe bonum: hoc negatur. neq; ſequitur ut uelit quod non putat eſſe bonum. Etenim pro eo tempore uult quod putat eſſe bonum, licet decipiatur: & dicitur facere quod non putat eſſe bonum: quia in habitu hoc putabat, ſed non actu.

Lib. De bono. Sed de ijs in ſecundo libro noſtro De honore multa uerba fecimus, & in eis quæ ſequentur

quentur, pluribus agemus. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, incontinentes non ſeipſos iniuria afficere.

Ad id uerò quod acrius intendebatur, diſtribuentem plus alteri quàm ſibi, eius boni quod ipſi conueniebat ſeipſum iniuria afficere, ſicut modeſti homines facere conſueuerunt. Reſpondet Ariſtoteles, quòd fortaſſe iſti homines modeſti ſimpliciter *5.Ethic.15.*
non diſtribuunt in hac diuiſione bonorum alijs, pluſquàm ſibijpſis: quoniam adiungunt ſibijpſis plus alterius boni, uidelicet honoris uel honeſti. Quibus uerbis uidetẽ declarare, quod dixerat: Proijciet pecunias, & honores, & cætera quæ ſequũtur. *8.Ethic.9.*

Et ſoluit etiam hoc argumentum ex definitione ipſius iniuriari: quoniam hoc nõ fit ab ipſo præter eius uoluntatem: ergo non iniuria afficitur, ſed ſolùm nocumẽtum ſibijpſi affert in illa re.

Sed diceret quiſpiam, Non'ne qui plus accipit quàm ſibi cõueniebat, eſt iniuſtus? & iniuria dicitur afficere eum qui ipſi ita diſtribuit? non enim deberet accipere id quod ſibi non conuenit: & priuat eum qui diſtribuit, bono illo quod ei cõueniebat.

Dicerem iſtum eſſe iniuſtum. accipit enim quod non debet accipere: & ſponte accipit, iniuſtus ergo. non tamen iniuria afficit eum qui ipſi plus dedit, ſiquidem ſponte dedit. Id quod perſpicuum eſt ex definitione ipſius iniuriari, quæ tradita fuit.

SECTIO DECIMA.

QVòd ſi aliquis diceret, Quem igitur iniuria afficit, qui plus accipit quàm ſibi conuenit? nocet enim præter leges & æquitatem.

Dicerem, ipſam ciuitatem. non enim expedit ad conſeruationem ciuitatis, ut aliquis accipiat quod non debet accipere: & qui tribuit, lædit ipſe etiam ciuitatem, ut ſeipſum aliquo modo, ſed tamen non ſeipſum iniuria afficit.

Ad id uerò quod maximè urgere uidebatur, quomodo fieri poſsit, ut quiſpiam aliquem iniuria afficiat, & tamen non dicatur iniuſtus, ut qui agunt per iram & paſsiones naturales. Dicerem hoc euenire, quando nocumentum non eſt cum prauitate. Tunc autem non eſt cum prauitate, quando non eſt cum electione: & ideo illi qui faciunt quippiam per iram, & paſsiones neceſſarias & naturales, ut in pluribus non
uidentur facere per electionem. Canes enim, inquit Ariſtoteles, antequam conſiderent ſi eſt amicus, ſolùm ſtrepitum faciunt & latrant. Sic ira, propter caliditatem & celeritatem naturæ, audiens quidem, præceptum autem non audiens, impetũ facit, uel properat ad uindictam. *7.Ethic.8.*

Ex quibus uerbis ſequi uidetur, iratum non agere per electionem. id quod alibi
planè dixit Ariſtoteles: & ideo non cum prauitate. Itaq; non dicuntur iniuſti, qui ſic *5.Ethic.14.*
per iram agunt: quoniam omnis qui dicitur iniuſtus, dicitur quia agit cum prauitate, quia cum electione.

Et hoc uiſus eſt declarare Ariſtoteles ijs uerbis: Etenim ſi coeat cũ muliere ſciens, *5.Ethic.9.*
ſed non per principium electionis, ſed per paſsionem, iniuria quidem afficit, iniuſtus autem non eſt: ut neque fur, furatus eſt tamen: neque adulter, adulterium tamen commiſit.

Ad id quod ſubiungebatur, quòd erant intemperantes, ergo iniuſti & praui: Dicendum uidetur, quòd intemperantes poſſunt conſiderari bifariam: uno modo cum electione, alio modo ſine electione. Si cum electione, praui ſunt: ſi ſine electione, nõ ſunt praui, neq; iniuſti.

Quòd autem non ſint iniuſti, & ſint intemperantes, oſtendit Ariſtoteles, cum in- *5.Ethic.4.*
quit: Amplius, ſi cauſa lucri hic adulterium committat & accipiat: hic autem det, & damnum patiatur, propter concupiſcentiam: hic ipſe quidem intemperans uideretur eſſe, magis quàm pluris uſurpatur: ille autem iniuſtus, intemperans autem non: quia manifeſtum eſt quòd propter lucrum facit.

Patet ergo, quòd qui per paſsionem adulterium facit, eſt intemperans, & non eſt iniuſtus, uidelicet iniuſticia particulari.

Sed ſtatim dubitaret aliquis circa ea uerba quę nunc citata ſunt, quomodo ſit uerum, quòd ſi aliquis adulterium committat cauſa lucri, non dicatur intemperãs, cum paulo pòſt dixerit: Amplius circa omnes alias iniurias fit relatio ad quandam prauitatem ſemper: ut ſi adulterium commiſit, ad intemperantiam. Qui ergo propter

lucrum cum uxore alterius rem habet, adulterium committit. Ergo ex uerbis Ariſtotelis ſequitur, ut dicatur intemperans: ergo perperā dictum fuit ſuperius cōtrarium.

Dicerem, oportere ad hæc uerba Ariſtotelis intelligenda, ut alias ſemper, ſummā rationem adhibere. Nam qui adulterium committit propter cupiditatem, eius factū refertur ad intemperantiam. & hoc dixit Ariſtoteles, propterea quòd homines ut in pluribus, adulterium committunt ob intemperantiam: qui autem ad lucrum, ad iniuſticiam.

Quòd autem neceſſarium ſit dari intemperantiam ſine electione, declarant loci quos citauimus, in quibus Ariſtoteles uoluit, aliquem adulterium poſſe committere per paſsionem, non per electionem: quem tamen appellat intemperantem.

1.Rhet.13. Quòd detur etiam cum electione, oſtendunt ea quæ alibi ſcripta reliquit Ariſto-
,, teles (quæ etiam in ſuperioribus attulimus in medium, ob aliam occaſionem:) Ete-
,, nim in electione eſt prauitas, & iniuria afficere: talia autem nomina ſignificant ele-
,, ctionem, ut contumelia & furtum. Si ergo furtum poteſt eſſe cum electione, & ſine:
,, ergo etiam adulterium.

7.Ethic.4. Quod Ariſtoteles etiam ſeptimo Ethic. cap. quarto uidetur indicaſſe, cum dixit:
,, Non enim circa omnia ſimpliciter eſt incontinens, ſed circa quæ intemperans. Neq;
,, ex eo quia ſimpliciter ad hæc ſe habeat: nam idem eſſet quod intemperans. Sed quia
,, certo modo ſe habet, ille quidem ducitur electione, putans ſemper oportere ſequi
,, præſentem uoluptatem: hic autem non putat quidem oportere, attamen ſequitur.

7.Ethic.6. Eandem ſententiam confirmauit in eodem libro, cap. ſexto. loquens enim de in-
,, temperantia & incontinentia: Sunt autem, inquit, circa eadem, ſed nō ſimiliter ſunt:
,, ſed hi quidem eligunt, hi uerò non eligunt. intelligens de incontinentibus.

Perſpicuè igitur patet ex uerbis Ariſtotelis, intemperantiam eſſe & ſine electione, & cum electione. Sed dicimus, eam quæ eſt ſine electione, non eſſe propriè intemperantiam, ſed dici intemperātiam per ſimilitudinem: quia eſt circa ea circa quæ uerſatur intemperantia propriè: quæ quidem eſt ſemper cum electione, quia eſt uitium. Et in hoc (ut dicemus) maximè diſtinguitur intemperantia ab ipſa innocentia, ut oſtendunt etiam uerba Ariſtotelis, proximè ex ſeptimo Ethic. allata. Sed de ijs in eis quæ ſequentur, pluribus agemus. Vnde illi qui committunt adulterium per paſsiones naturales, & non cum electione, propriè non dicuntur praui, quia propriè non ſunt intemperantes, ſed per quandam ſimilitudinem. Si enim agerent per concupiſcentiam, & eligentes, proprie dicerentur intemperantes, & propriè praui & iniuſti. Sed magis poſſunt dici peccantes, quàm intemperantes, qui agunt per cōcupiſcentiam, ſine electione: & ſi peccarent, putantes antequam peccarent illa mala non eſſe facienda, & tamen illa perpetrarent, poſſent fortaſſe dici incontinentes, ut perſpicuum erit.

SECTIO VNDECIMA.

SEd adhuc urgeret aliquis, Si furtū eſt cum electione, ergo qui furatus erit ex neceſsitate, erit fur: etenim in electiōe eſt prauitas, & iniuria afficere, ſicut dictū eſt.

1.Rhet.13. Quòd autem furtum ſit cum electione, patet ex uerbis Ariſtotelis paulo antè cita-
,, tis: Etenim, inquit, iſta nomina ſignificant electionem, ut contumelia & furtum.

Item, Si ille qui adulteratur, uel furatur, uel per iram lædit, uel per paſsiones neceſſarias & naturales, iniuria afficit, ergo agit per electionem: quia iniuriari definitum eſt, ſponte & cum electione nocumentum afferre. Quòd ſi eſt cum electione, ergo cum prauitate: ergo tolluntur illa quæ ſuprà dicta ſunt, quòd ſcilicet qui committit adulterium & furtum, iniuria afficit, non tamen eſt iniuſtus, neq; adulter, neq; fur. Et quòd qui agunt per iram, & per paſsiones neceſſarias & naturales, faciunt quidem iniuriam, non tamen ſint iniuſti, neq; mali: non enim per prauitatem eſt nocumentū, ut oſtenſum eſt ex uerbis Ariſtotelis ſuprà.

Item rogaret aliquis, Quodnam erit illud adulterium & furtum, ex quibus homines poterunt nuncupari praui, ſi ſecundum ea quæ fiunt eo modo quo dictum eſt, non poſsit aliquis dici iniuſtus & prauus?

Item, Si tales non eſſent praui, ergo non eſſent neq; pœna neq; uituperatione digni: quia hæc ſolùm praui & iniuſti mereri exiſtimantur,

Ad iſta

Ad iſta quæ quidem uidentur habere in ſe maximas difficultates, ita ut exercere
poſsint etiam ingenia doctiſsimorum hominum, ita nos diceremus: & primùm,
Non omne furtum eſſe cum electione: propterea quòd illud quod fit per paſsiones
neceſſarias, poteſt eſſe aliquando ſine electione: ut ſi quis furetur ut uiuat, cum reue-
ra aliter uitam tueri non poſſet: tunc enim tale furtum poteſt eſſe ſine electione. ex
quo ſequitur, nõ omne furtum eſſe cum electione. ſed bene uerum eſt, quòd id quod
eſt ſine electione, non eſt propriè furtum: dicitur tamen furtum per ſimilitudinem
ex communiori uocabulo.

Ad probationem, quæ ex uerbis Ariſtotelis adhibebatur: Ideo dixiſſe Ariſtotelẽ,
illa nomina ſignificare electionem, quia ſua ui & natura ſunt cum electione: commu
niori tamen uocabulo accepta, poſſunt eſſe ſine electione.

In eandem ſententiam uidentur accipienda eſſe uerba illa Ariſtotelis. Non omnis 5. Ethic. 6.
autem actio, neq; omnis affectus ſuſcipit mediocritatem. quędam enim ſunt, quę ſta ««
tim cum nominata ſunt, comprehenſa ſunt cum prauitate: ut maleuolentia, impuden ««
tia, & inuidia: & in actionibus, adulterium, furtum, cædes. ««

Hoc autem ita eſſe, indicat Ariſtoteles in ijs locis quos ſuprà citauimus, ubi aper- 5. Ethic. 9.
tiſsimè demonſtrat, fieri poſſe ut aliquis committat adulterium, non tamen adulter
ſit: & aliquis furetur, & tamen non ſit fur: propterea quòd nõ agant per principium
electionis. Non omne igitur furtũ per ſe eſt cũ electione, neq; omne adulterium: ſed
omne furtũ & omne adulterium propriè acceptum, eſt cum electione. ex quo patet,
non ſequi ut qui furatus ſit, neceſſario ſit fur. Et ita uidetur dicendum eſſe de concu-
piſcentia, quòd aliqua eſt ſine electione (ut dictum eſt) quod quidem eſt, ut in pluri-
bus: & hoc minori ex parte. & aliqua cum electione, quia eſt cum prauitate, ut indi-
cauit Ariſtoteles, cum inquit: Sunt autem aduerſa fortuna, quæcunq; præter rationẽ 1. Rhet. 12.
fiunt, & non ex prauitate: iniuria autem, cum non præter opinionem, ex prauitate. ««
nam quæ cupiditate fiunt, & prauitate fiunt. Etenim ſi omnis concupiſcentia eſ- ««
ſet cum prauitate, euerteretur illud Ariſtotelis, quod ſuprà citatum eſt: quòd qui a-
gunt per iram & paſsiones naturales & neceſſarias, iniuria afficiant: & tamen non
ſint iniuſti & praui: quia non inferant detrimentum per prauitatem, ſed per concu-
piſcentiam. neceſsitas enim cogeret, ſi detrimentum inferrent per prauitatem, ut eſ-
ſent iniuſti & praui. Ita igitur dicendum eſt de concupiſcentia, ſicut de furto & adul-
terio: & hoc modo uerba Ariſtotelis aptiſsimè inter ſe cohærebunt, quæ aliter maxi-
mè pugnarent.

Ad alteram quæſtionem propoſitam dicerem, coactus ipſa ratione quę allata eſt:
eam fuiſſe Ariſtotelis ſententiam, ut intelligeret eos qui adulterantur & furantur, &
tamen non ſunt adulteri, neq; iniuſti, & qui agunt per iram & per paſsiones natura-
les, lædendo iniuria afficere, non propriè quidem & per ſe, ſed per accidẽs: quia hæc
ſcilicet ſunt talia quæ poſſunt eſſe iniuriæ, non quòd propriè ſint, ſed per ſimilitudi-
nem. nam ſi propriè & per ſe eſſent iniuriæ, non uideo quomodo euitare poſſemus,
quin ſequeretur, eas ipſas actiones eſſe cum electione, cum neceſſariò (ut oſtenſum
eſt) in definitionem ipſius iniuriari cadat electio. eodem enim ferè modo hic res ui-
detur ſeſe habere, ſicut de eo qui reddit depoſitum inuitus, qui dicitur iuſtè agere per
accidens, & non per ſe: & de eo qui non reddit coactus, quem dixit Ariſtoteles ſe- 5. Ethic. 14.
cundum accidens iniuria afficere. ſic etiam uidentur intelligenda uerba illa Ariſtote
lis ſeptimo Ethic. cap. duodecimo: Et incontinentes iniuſti non ſunt, iniuria tamen 7. Ethic. 12.
afficiunt, uel iniuſta faciunt.

Item dicemus, quòd tales iniuria afficiunt non per ſe, ſed per accidens: quia illorũ 5. Ethic. 15.
actio uim habet iniuriæ per ſimilitudinem, tamen quia eſt ſine iniuriante, non poteſt
dici propriè iniuria.

Dicitur aũt iniuria, quia eſt talis læſio, quali uterentur ij qui uolunt iniuriam face-
re. Hæc etiam ſunt perſpicua ex eis quæ declarauit Ariſtoteles ſecundo Ethic. cap. 2. Ethic. 4.
quarto, ad hunc modum: Dubitaret utiq; aliquis, quomodo dicimus quòd oportet ««
iuſta agentes iuſtos fieri, & temperata temperantes. etenim ſi agunt iuſta & tempe- ««
rata, ſunt iam iuſti & temperantes, &c. ««

His poſitis, cum interiecíſſet quædam, addidit ut ſolueret hanc dubitationem,
hæc uerba: Etenim res iuſtæ & temperatæ dicuntur, quando fuerint tales, quales iu-

ſtus & temperatus ageret. iuſtus autem & temperatus non hęc agens, ſed ſic agens ut iuſti & temperantes agerent. Rectè igitur dicitur, quòd ex agendo iuſta, iuſtus fiat: ex agendo temperata, temperatus. Ex quibus patet, eum appellare actiones iuſtas & temperatas, non eas quæ uerè ſunt iuſtæ & temperatæ, quas faciunt homines poſtquam effecti ſunt iuſti & temperantes: ſed eas quę ſunt tales, quales agerent iuſti & temperantes. Iuſti autem & temperantes agunt iuſtas & temperatas actiones, cum agunt ſcientes & eligentes, propter illas: etſi firmiter & immutabiliter ſe habentes agant. Sicut ergo illæ actiones, ex quibus homines fiunt iuſti & temperantes, dicuntur iuſtæ & temperatæ, licet reuera non ſint, ſed ita dicuntur, quia ſunt tales, quales agerent iuſti & temperantes: ita iſtæ dicuntur iniuriæ, quia tales ſunt, quales agerent iniurioſi homines, non quòd reuera ſint iniuriæ. Quam i-

6. Ethic. 16. tem reſponſionem confirmare uidetur Ariſtoteles, ſexto Ethic. cap. decimoſexto, „ cum inquit: At uerò de eo, quòd ex prudentia ad agenda uel honeſta uel iuſta, nihi- „ lo aptiores ſint homines, paulo altius incipiendum eſt, hoc ſumpto initio: quemad- „ modum iuſta agentes nonnullos nondum eſſe iuſtos dicimus, ut eos qui ea quæ le- „ gibus præcipiuntur, uel inuiti faciunt, uel ex ignoratione, uel ob aliquid aliud, & nō „ ob ipſa, cum tamen ea agant quæ oportet, quæq; bonum uirū decet: ita licet ut quo- „ dammodo ſe habēs quiſpiam ſingula agat, ut bonus ſit, id eſt ex electione: & eorum „ ipſorum quæ aguntur cauſa patet. Igitur Ariſtotelem conſtat appellare iuſta, quæ per ſe non ſunt iuſta, ſed per accidens: quia uidelicet ſunt talia, qualia iuſti agerent, ita in propoſito noſtro de iniuria.

1. Rhet. 13. In eandem ſententiam uidentur interpretanda eſſe illa etiam uerba Ariſtotelis: „ Qui enim adulterium committit, uel uerberat, iniuria afficit quendam determina- „ tum: qui uerò non militat, commune. Si ergo iſta ſint ſine electione, non ſunt ueræ iniuriæ: ſin autem cum electione, ſunt ueræ iniuriæ. Quòd autem ſint ſine iniuriante, ex eo poteſt colligi, quòd Ariſtoteles dixit eſſe ſine electione.

SECTIO DVODECIMA.

SEd adhuc urgeret aliquis ex illis uerbis Ariſtotelis: Etenim qui adulterium committit, & uerberat, iniuria afficit aliquem determinatum: qui autem non militat, commune dicens hoc loco eum uelle, quòd qui committit adulterium, reuera iniuria afficiat: ſicut ille qui uerberat, dicitur reuera iniuria afficere.

Cui obiectioni reſpondeo: Ariſtotelem intellexiſſe de adulterio quod eſt cum electione, & etiam de eo qui uerberat non abſolutè. idq; eſſe uerum, patet ex eis quæ

1. Rhet. 13. eodem in loco ſubiungit: Non enim, inquit, ſi uerberauit omnino contumelia af- „ ficit. ſed ſi cauſa huius rei fuit, uel ut illius honorem infringeret, uel ut animo ſuo uolu- „ ptatem quæreret. neq; omnino ſi clàm accepit, ſtatim furatus eſt: ſed ſi furatus eſt ut „ alteri damnum, & ſibi utilitatem páreret.

Nam ſi illud uerum eſt, eum qui uerberauit non continuò iniuria uel contumelia afficere: ſed tum deniq; ſi uel alteri dedecus, uel ſibi delectationem quæſierit: neceſſe eſt ut intelligamus, cum dixit, Qui adulterium committit, & uerberat, iniuria afficere, eum loqui de his qui faciunt hæc cum electione, non abſolutè.

Neceſsitas item cogit, ut intelligamus uerba illa Ariſtotelis (quòd uidelicet abſurdum erat iniurias facientem hominem, aut intemperanter agentem, nolle ſe iniuſtum & intemperantem eſſe) de eo qui propriè & per ſe iniuriam facit: alioquin euerteretur eiuſdem ſententia, ſæpe iam repetita. Oportet enim (ut ſæpe diximus) conferre inter ſe uerba Ariſtotelis, ſi eorum ueram intelligentiam cōſequi uolumus, eaq; in eum ſenſum accipere, qui Ariſtotelem ſibi ipſi ubiq; conſentientem faciat.

Ad id uerò quod ſubſequebatur, quod nam eſſet illud furtum & adulterium, ex quibus homines poſſent nuncupari praui & iniuſti? Dicerem, ea eſſe quæ fiunt cū electione, ut ex uerbis Ariſtotelis declarauimus, paulo antè citatis.

Ad aliam deinceps quæſtionem, quæ maximè urgere uidebatur: Dicerem, eos quos diximus, nō eſſe prauos, neq; iniuſtos: hoc enim planè affirmat Ariſtoteles. negamus tamē, quin ſint aliqua uituperatione & pœna etiā digni, propterea quòd nō ſolùm praui & iniuſti, uerùm etiam illi qui peccant ira aperte contra leges, ſunt & uituperatione & pœna digni, licet non tanta (ut dictum eſt ſuprà) quanta illi qui peccant,

cant, cum electione & prauitate. Ita diſſolutæ iam uidentur eſſe quæſtiones poſtremo loco propoſitæ. Reſtat, ut ad principales reuertamur.

Harum prima uidebatur oſtendere, Ariſtotelem loquutum eſſe pugnantia, propterea quòd dixerat, iratum poſſe aliquem iniuria afficere: cum dixiſſet alibi, laceſſitum non iniuriam facere, & iratum eſſe laceſſitum.

Cui planè quæſtioni reſpondentes dicimus, iratum non propriè & per ſe afficere iniuria, ſed per accidens. & ſic cõcedimus, laceſſitum poſſe iniuria afficere per accidens, non per ſe. & hoc modo intelligendo, ut cogere uidetur neceſsitas, non ſequuntur ea abſurda quæ dicta ſunt.

Ad aliam quæſtionem quæ ſubſequebatur, de ijs qui faciunt inſidias, reſpondemus, eos quidem non ignorare, quia non agunt per ignorationem: agere tamen ignorantes. & hoc modo nihil dici contrarium ei propoſitioni, qua traditur, omnem prauum ignorare principia rectè agendi: & propter huiuſmodi errorem, prauos & iniuſtos fieri homines, nullumq; abſurdum ex uerbis Ariſtotelis ſequi arbitramur. 3.Ethic.14. " "

Ad illud autem quod deinceps quærebatur: Si aliquis negaret depoſitũ per obliuionem, nunquid diceretur iniuſtus & prauus: uidetur reſpondere Ariſtoteles: Si faciunt aliquid non rectè homines per obliuionem, nõ eſſe prauos, propterea quòd agunt ignorantes & per ignorationem. 3.Ethic.14.

Sed addendum eſt, Modò ipſi non ſint cauſa eiuſmodi ignorationis, ob ipſorum negligentiam. aliter enim omnia quæ fiunt, per ignorationẽ eſſent excuſanda. quod quidem falſum eſſe, ex uerbis Ariſtotelis oſtenſum eſt ſuprà. 3.Ethic.5.

Hoc autem addito, non ſequitur id quod aſſerebat quæſtio propoſita. non enim ſemper poſſunt homines recordari eorum quæ attinent ad iuſticiam, & ad honorẽ ipſorum: propterea quòd ſunt compoſiti ex materia & forma, & ideo poſſunt peccare: ſola enim illa carent peccato & errore, quæ à materia ſunt omnino ſeiuncta & ſeparata.

Ad id quod ſubſequebatur, dicimus uerum eſſe ex ſententia Ariſtotelis: ſeruum percutientem aliquem iuſſu domini ſui, qui eum cogere poſsit, non afficere illum iniuria, rem tamen iniuſtam efficere: & ita concedimus, eum lædere ſponte. Etenim principium mouendi partes organicas in talibus actionibus, erat in ipſo: quorum autem in ipſo eſt principium, in eodem & facere & non facere eſſe, in dubium uenire non poteſt. Spontanea autem talia, inquit Ariſtoteles. Concedimus ergò, quòd lædit ſponte, & præter uoluntatem illius qui læditur, & præter æquum: negamus tamen ſequi, ut iniuria eum afficiat, propterea quòd lædit præter electionem ſuam. Dictum eſt autem, fieri non poſſe ut iniuriari ſit ſine electione. 5.Ethic.15. 3.Ethic.1.

SECTIO DECIMATERTIA.

QVòd ſi quiſpiam rogaret, à quo afficiatur iniuria, ſi non à ſeruo: uidetur enim iniuria affici, quia percutitur ab eo qui ſponte agit, & uituperatur. Dicerem, ab ipſo domino. & ideo in definitione ipſius iniuriari additum rectè eſt: Nocumentum afferre per ſe, uel per alium.

Ex quibus ſequitur, nos rectè dixiſſe in quinto libro De honore, eos qui hoc modo contumelia ſunt affecti, tamen uindictam ſumere ab ipſo domino: oſtendimusq; quo'nam modo in ea re ſeſe homines gerere oporteat. 5.Lib.De hon.

Nec obſtant ea quæ ſuprà diximus, de eis qui iuſſu tyranni inferunt uiro probo, uel pudicæ mulieri maximum aliquod dedecus, ut euitent paruum damnum: quòd ſcilicet uir ille probus poſſet aliquo modo cogitare de uindicta ſumenda ab eo ipſo qui læſit, quando illi neſcio quæ leuis cauſa potior fuerit quàm honor uiri probi, ut uideatur quodammodo eum negligere. nam ibi non loquuti ſumus de ſeruis, ſed de eis qui ſunt ciues. Principaliter tamen iniuria afficit tyrannus: quem ſi poſſet ulciſci qui læſus eſt, honeſtius faceret.

Ad id uerò quod poſtea de legibus ſubiungebatur, dicimus: leges ſua quidem ſponte non eſſe ualde difficiles: natura enim ipſa debent eſſe perſpicuæ, quippe quas oportet ab omnibus percipi poſſe: tamen culpa hominum redduntur ſępe difficiles. Sed qualeſcunque ſint, ratione tamen habita ad iuſta, ſunt faciliores. ob eas quas Ariſtoteles attulit cauſas: quarum mentionem facere hoc in loco non eſt neceſſarium. 5.Ethic.15.

ceſſarium. Inter ipſas tamen leges aliæ alijs ſunt faciliores. Et hoc eſt quod dixit A-riſtoteles loco citato: Quæ etiam dicuntur iuſtæ per accidens, & non per ſe: propterea quòd non ſunt iuſtæ, niſi quatenus iubent uiuere ſecũdum uirtutes & iuſticiam, ut dictum eſt etiam ſuprà. (5. Ethic. 8.)

(5. Ethic. 15.) Quòd autem non ſint iuſtæ per ſe, uidetur oſtendiſſe Ariſtoteles ijs planè uerbis: „ Similiter autem & cognoſcere iuſta & iniuſta, nihil putant eſſe ſapiens: quoniam de „ quibus leges dicunt, non eſt difficile intelligere. Sed hæc, inquit, non ſunt iuſta ni-„ ſi ſecundum accidens. Sed quomodo agamus, & quomodo diſtribuantur iuſta, eſt „ plus difficile quàm ſcire ea quæ faciunt ad ſanitatem. Patet igitur, leges non eſſe iu-ſtas, niſi per accidens.

(1. Rhet. 10.) Ex quibus dictis perſpicuum eſt, quare Ariſtoteles definiens iniuriari, in eius definitione poſuerit leges, & non uirtutes: quia uidelicet leges uirtutibus ſint notiores.

Perſpicuum item eſt, leges eſſe propter uirtutes, non contrà: ſunt enim iuſtę leges per accidens, non per ſe.

Ad id quod poſtremò quærebatur, quid intereſſet inter æquum, quod appellat (5. Ethic. 15.) Ariſtoteles ἐπιεικὲς, & iuſtum: reſpondere uidetur ipſe Ariſtoteles, hoc intereſſe, quòd æquum eſt iuſtum non legitimum, ſed quòd ipſas leges corrigit. Itaque dupliciter dicitur iuſtum: & quod eſt ſecundum leges, & quod non eſt ſecundum leges, ſed ipſas corrigit, quod propriè æquum uocatur. & hoc quidem eſſe neceſſarium o-(ibid.) ſtendit Ariſtoteles: propterea quòd neceſsitas cogit, ut leges ferantur generales. ſingularia enim infinita ſunt, & non pertinent ad artem. Quæ generalitas cum non ſemper uera ſit, quia rerum agibilium materia uaria eſt, & mutabilis, & infinita: non poteſt ſemper ſuo complexu coercere & continere omnia. Oportet igitur ut ſit aliquid quo corrigatur lex illa uniuerſalis. & hoc eſt æquum de quo loquimur: quam correctionem adhiberet legislator, ſi adeſſet. Cum igitur lex iubet quippiam uniuerſaliter, & aliquid accidat præter illud uniuerſale, tunc (inquit Ariſtoteles) rectè ſe habet, ſi ea parte qua deficit legislator, ſimpliciter dicens, corrigat quod deficit. Iſte enim error (inquit idem Ariſtoteles) non in lege, neque in legislatore, ſed in natura ipſius eſt rei. etenim materia agibilium talis eſt.

Natura igitur ipſius æqui eſt talis, ut legem corrigat ea parte qua deficit ipſa lex. Cauſa autem cur deficiat, eſt: quia eſt uniuerſalis. Omnia autem lege comprehendi non poſſunt. Ideo dicebat Ariſtoteles, opus eſſe decreto: quoniam eius quod eſt in-(5. Ethic. 18.) determinatum, regulam eſſe indeterminatam neceſſe eſt. Aequum ergo non eſt iuſtum ſecundum leges, ſed melius hoc ipſo iuſto: uideturque eſſe iuſtum naturale, non ſcriptum.

Hinc perſpicuum eſt, qui ſit æquus uir: quòd uidelicet eſt ille, qui (ut ait Ariſtoteles) eligit hæc, & horum eſt actiuus, & non exactè iuſtum exercet in peius, ſed diminuit. & ſi ſit habens legem auxiliatricem, & habitus eſt ipſa æquitas, iuſticia quędam exiſtens, & non diuerſus habitus.

Ex quibus uerbis uidetur colligendum illud dictum uulgatiſsimum, Nimium ius eſſe nimiam crucem: & quòd æquitas eſt iuſticia, nempe illa quæ non eſt comprehenſa lege, uel explicata, licet ſit idem habitus: naturales enim ſunt. Ete-(ibid.) nim dixit Ariſtoteles: Aequum eſt, præter legem ſcriptam iuſtum.

FINIS LIBRI QVARTI EVERSIONIS
Singularis certaminis.

LIBER QVINTVS.

SECTIO PRIMA.

HIs explicatis, ad maiorem declarationem eorum quæ dicta ſunt, & dicenda reſtant, dicamus. Quòd ſi iniuriari propriè ſit id quod diximus, neceſsitas cogit, ut qui iniuriatur aliquem, ὀλιγωρῇ, id eſt paruipendat eum. Etenim opinatur eum non eſſe dignum aliqua re, neq; bona neq; mala. non enim iniuria ipſum afficeret, ſi timeret ne ſibi malum aliquod eſſet ob illam iniuriam allaturus: neq; ſi ſperaret aliquod bonum ex ipſo conſequi poſſe. Mala enim & bona, quæq; ad illa tendunt, ſunt digna aliqua conſideratione & ſtudio: nihiliq; pendimus quæ aut nulla ſunt, aut minima. Qui ergo unum aliquem, uel ciuitatem iniuria afficit, non exiſtimat eum uel eam dignam aliqua re bona uel mala: id eſt, afferre ſibi poſſe neque bonum neque malum, quod ſit alicuius momenti. Itaque paruipendit talem: quia Oligoria ſiue paruipenſio eſt actio opinionis circa eum, qui uidetur non dignus aliqua re uel bona uel mala. quę definitio uidetur ſic interpretanda, ut intelligatur quòd ſit actio, quæ uidetur indicare eum qui paruipendit aliquem, opinari paruipenſum eſſe nullius precij & momenti. Dat enim ſignum quòd nihili ipſum facit, quomodocunque paruipendat: quandoquidem aliter non paruipenderet illum. Mala enim & bona, quæq; ad illa tendunt, ſunt digna conſideratione & ſtudio. nihili uerò pēdimus, quę aut nulla ſunt, aut minima, ut diximus. Quod niſi iſta ratio concluderet, iniuriari eſſe paruipendere: non probaret etiam, incommodationem eſſe paruipenſionem. Item, omnis iniuria aut eſt neglectus, aut incommodatio aut cōtumelia, ut patet: ſed iſtæ ſunt paruipenſiones: ergo omnis iniuria eſt paruipenſio. Huius autem oligoriæ, id eſt paruipenſionis, ex uerbis Ariſtotelis, ſunt tres ſpecies: quæ ut melius intelligantur, explicabimus ſingula uerba Ariſtotelis: non enim ſatis clarè loquutus eſſe uidetur. Sunt igitur καταφρόνησις, id eſt deſpicientia: ἐπηρεασμός, id eſt incommodatio: & ὕβρις, id eſt contumelia. quas omnes ſpecies probat Ariſtoteles eſſe oligorias, id eſt paruipenſiones. Et primò de deſpicientia ſiue de neglectu, hoc modo: Qui putat aliquem nulla re dignum, paruipendit eum: qui negligit aliquem, putat eum nulla re dignum: non enim negligeret, ſed uel ab eo timeret (ut dictum eſt) uel ſperaret, ſi exiſtimaret eum alicuius momenti. Ergo qui negligit aliquem, paruipendit eum. Ponit Ariſtoteles propoſitiones in textu.

Deinde probat, quòd incommodatio ſit oligoria, id eſt paruipenſio. & primùm ponit definitionem incommodationis: Incommodatio eſt, inquit, impedimentum uoluntatis alicuius, non ut aliquid fiat ſibi, ſed ut non fiat illi. Et uidetur argumentari ſic: Ille qui impedit uoluntatem alicuius, non quo ſibijpſi aliquid boni cōtingat, ſed ut ne illi, paruipendit eum. Innuit hanc maiorem, cum dicit: Quoniam non ut ipſi aliquid, paruipendit. Qui incommodat, impedit uoluntatem alicuius, non ut ſibi aliquid boni contingat, ſed ne illi. hæc babetur ex definitione incommodationis, quæ eſt in textu. Ergo qui incommodat, paruipendit.

Ponit concluſionem. Probat maiorem, cum dicit: Qui non putat aliquem poſſe ſibi afferre aliquod bonum uel malum, paruipendit ipſum. Hæc enim eſt definitio paruipenſionis. Qui impedit uoluntatem alicuius, non ut ipſe conſequatur aliquid, ſed ut ne ille, putat eum ſibi non poſſe afferre aliquod bonum uel malum. Ergo qui ſic impedit uoluntatem alicuius, paruipendit ipſum. Innuit partem minoris, cum inquit: Opinatur enim non poſſe nocere, ille ſcilicet qui impedit hoc modo. Et probat: Quia ſi opinaretur poſſe nocere, timeret. qui uerò timet, non paruipendit: & qui non paruipendit aliquem, non impedit illum. Deinde cum inquit in textu: Nec in re alicuius momenti prodeſſe poſſe: probat alteram partem minoris, quòd ille ſcilicet qui impedit, putat eum non poſſe afferre ſibi aliquod bonum, quod ſit alicuius momenti probat inquam eodem modo ex oppoſito prædicati ad oppoſitum ſubiecti, eamq; ſic innuit: Quia ſi putaret ipſum poſſe ſibi aliquod bonum afferre, daret operam ut eſſet ſibi amicus, & tunc non impediret ipſum. Quia ſcilicet amici non impediunt uoluntatem amicorum, maximè ſine cauſa. Sed quia impedit, ſignū eſt quòd non putat ipſum poſſe afferre ſibi aliquod bonum: quæ erat altera pars mi-

noris propoſitionis. Hanc enim rationem ego puto eſſe redigendam ad formam ſyl
logiſticam, eo modo quo dixi.

Probat deinde quòd ὕβρις, id eſt contumelia, eſt paruipenſio, & inquit: Quòd qui
„ contumelia afficit, paruipendit. Ex quo ſequitur, ut contumelia ſit paruipenſio. Sed
„ in primis ponit definitionem ipſius contumeliæ hoc modo: Contumelia eſt, lędere,
„ id eſt in lædendo & triſticia afficiendo in ijs rebus, in quibus eſt turpitudo patienti,
non ut aliud quoddam ſibi fiat, quàm quod factum eſt, ſed ut lætetur ipſe. Non
probat autem hoc, tum quia ex ſe perſpicuum erat, tum quia ex eis quæ iam dixiſſet,
& quæ dicturus eſſet, intelligi facile poterat, contumeliam eſſe paruipenſionem.

Deinde reſpondere mihi uidetur tacitæ obiectioni, quæ naſci potuiſſet aduerſus
definitionem ipſius contumeliæ: quòd uidelicet qui reddunt par pari, dicuntur affi-
cere contumelia: & tamen quærunt ut aliquid ſibi fiat amplius, quàm quòd factum
eſt: quęrunt enim uindictam. & ſic contumelia non eſt id quod dictum eſt.

Huic inquam tacitæ obiectioni reſpondet Ariſtoteles dicens, falſum eſſe, eos qui
par pari reddant, contumelia afficere: ulciſci enim. hoc autem non eſſe contumelia
afficere: nihil ergo contra definitionem ipſius contumeliæ.

Et quia in ea poſuerat, Vt lætetur: aliquis etiam poſſet quærere, quare id accidat?
Reſpondet, cauſam huius uoluptatis eſſe, quòd arbitrãtur homines ſe excellere præ
illis quos contumelia afficiunt. Quare iuuenes, inquit, & diuites contumelioſi ma-
gnopere ſunt: putant enim ſe contumelijs conſequi, ut excellere uideantur.

Propterea, quia propter illa uerba poſita in definitione contumeliæ, Vt nihil ſibi
fiat ſed ut lętetur: non uidebatur eſſe contumelia, ſi quis læderet alieni honoris uio-
landi cauſa, non ut lætaretur ſolùm: dicit Ariſtoteles, quòd honoris uiolatio eſt ip-
ſius contumelię: id eſt, refertur ad ipſam, & eſt cõtumelia. Prius autem probat, quòd
qui uiolat alienum honorem, is paruifacit, & argumẽtatur ſic: Qui non putat aliquẽ
dignum aliqua re, neq; bona neq; mala, paruipendit ipſum. Qui honorem uiolat
alicuius, putat ipſum non dignum aliqua re, neq; bona neq; mala. & hanc intellexit
„ Ariſtoteles. cũ dixit: Qui nullius rei ſit dignus, nullum habet honorem, & ita ſit inho
noratus. Quę cõuertitur in hanc: Qui nullum habet honorem, eſt dignus nullius
neq; boni neq; mali: ergo qui honorem uiolat alicuius, paruipendit ipſum.

Sed quia talis paruipenſio fit lędendo, & dolorem afferendo, ut uioletur honos:
qui hoc facit, non ſolùm paruipendit ſimpliciter, ſed paruipendit illa paruipenſione
quę eſt contumelia. Hoc enim modo uidetur interpretandus Ariſtoteles. non enim
ualeret: Qui honorem uiolat, paruipendit: ergo honoris uiolatio eſt cõtumelia pec-
caret enim per fallaciam conſequẽtis. ut, Eſt animal, ergo homo. Sed ſi dicamus, Eſt
animal, & eſt rationale, ergo eſt homo: ualere, in dubium uenire non poteſt.

Quòd autem honoris uiolatio referatur ad paruipenſionem, & per conſequens
ad contumeliam, eo quo diximus modo: oſtendit Ariſtoteles, teſtimonio Achillis,
„ qui iratus quòd Agamemnon ſibi puellam ſuam abſtuliſſet, dixit: Inhonorauit autẽ
„ me capiens meam puellam: habet munus, & me priuauit, ut quendam nullius hono-
„ ris exulem: ſic propter hęc iratus fuit. Ex quibus uerbis facile eſt coniectura con-
ſequi, duas eſſe ipſius contumelię ſpecies: unam, ut is qui contumelia afficit, lętetur
ſolùm, & nihil aliud ſibi fiat: alteram, ut honorem uiolet alicuius, quò aliquid etiam
ſibi fiat, pręter id quod factum ſit. alioquin non aptè conueniret exemplum Achil-
lis: quia Agamemnon lęſit Achillem in ea re, in qua erat turpe ei pati, & dolorem ip-
ſi attulit, ut ſibi aliquid fieret amplius quàm quod factũ erat. quia illud ſpectauit, ut
haberet puellam: quam non habebat, uiolando ipſius Achillis honorem.

1. Rhet. 11. Hoc item colligi poteſt ex eo loco Ariſtotelis, quem ſuprà citauimus: Non enim
„ ſi uerberauit, omnino contumelia affecit: ſed, ſupple Si uerberauit eo conſilio, ut ali-
„ cuius honorem diminueret, uel ut ipſe gauderet.

5. Ethic. 5. Quod etiam uiſus eſt innuere in quinto Ethicorum, cap. quinto, cũ inquit: Item
„ flagellatio, uincula, mors, rapina, iniuriatio, conuiciatio, contumelię illatio. ibi enim
ſeparauit contumeliam à rapina, & à reliquis quæ etiam ſunt contumeliæ: ſunt e-
nim inhonorationes, ut dictum eſt. Sed fortaſſe Ariſtoteles uidens homines con-
tumeliam frequentius facere, non ut aliquid ſibi fiat amplius quàm quod factum
ſit, ſed ut lętentur, cum definiuiſſet primùm illam eo modo quo diximus, ne

aliquis

aliquis poſtea putaret ſolam illam eſſe contumeliam, ſubiunxit. Honoris uiolationē eſſe etiam contumeliam. Contumelia igitur in generali erit paruipenſio cum læſione, & cum illatione doloris in his rebus, in quibus eum qui patitur dedecoris macula ſequitur. Et ita perſpicuum eſt, latius patêre oligoriam ſiue paruipenſionem, quàm contumeliam. Addit enim contumelia ipſi paruipenſioni læſionem & dolorē in his rebus, in quibus eſt dedecus ipſi patienti. Paruipēſio autem uidetur poſſe eſſe ſine ijs, ut ſi quis obliuiſcatur nomen alicuius.

Ex dictis etiam hoc loco ab Ariſtotele perſpicuè patet, eos à quibus auferentur regna, diuitiæ, res ſuæ, coniuges, dedecore affici: & qui pugnant propter has res, pugnare propter honorem. Quod euertit illud quod dixit iſte Auctor, & confirmat id quod nos diximus: imò uerò non licet aliter pro ijs rebus pugnare, niſi ob honorem: quia ſcilicet honeſtum eſt tueri honorem ſuum.

Perſpicuum etiam uidetur eſſe, quid interſit inter contumeliam & incommodationem. Nam incommodatio nihil ſibi quærit, aliqua autem contumelia ſibi aliquid quærit.

Item, Incommodatio non eſt ut lætetur qui incommodat, neq; ut honorem alterius uiolet: ſed ſolùm, ut ne ille cui incommodat, conſequatur id quod concupiſcit.

Item, ei cui incommodat, incommodatio non uidetur eſſe dedecori, contumelia autem dedecori eſt ei cui infertur.

Perſpicuum eſt etiam quid interſit inter contumeliam, & incommodationem. & neglectum: quia in neglectu non quæritur, ut ille qui negligitur, non conſequatur quod concupiſcit, neq; ut inhonoretur, neq; ut lætetur is qui negligit: ſed ſatis eſt ſi deſpiciatur, & nullius momenti exiſtimetur. Quod fit aliquando, cum alicuius nulla habetur ratio in ijs rebus, in quibus ſuorū æqualium habetur maxima: & cum ij qui ſoliti ſunt honorari, non amplius honorantur.

SECTIO SECVNDA.

Sed non facile eſt uidere quid interſit inter oligoriam ſiue paruipenſionem, & neglectum. Primùm enim uerba Ariſtotelis quæ citata ſunt, apertè uidentur ſignificare, quid inter neglectum & paruipenſionem interſit: quòd uidelicet paruipenſio eſt genus, & neglectus eſt ſpecies. Dixit enim tres eſſe ſpecies oligorię, ſiue paruipēſionis: quarū primā poſuit neglectū, alterā incōmodationem, tertiam contumeliam. 2.Rhet.2.

Hoc idem uidetur aſſerere, cum inter cauſas quę rerumpub. efficiunt mutationes, poſuit contumeliam, neglectum, & oligoriam, id eſt paruipenſionem. Neceſſe eſt igitur eas inter ſe differre: alioquin ſuperuacaneè & præter rationem eas Ariſtoteles ut diuerſas poſuiſſet. 5.Polit.3.

Rurſus nihil uidetur intereſſe ob eam rationem qua uſus eſt Ariſtoteles, ad demōſtrandum, neglectum eſſe oligoriam ſiue paruipenſionem. argumentatus eſt enim ad hunc modum: Qui putat aliquē dignū nulla re, bona uel mala, paruipendit eum. Qui negligit aliquem, putat eum non dignum aliqua re, bona uel mala: quia niſi ita ſentiret, uel ab eo timeret, uel ſperaret. Ergo qui negligit aliquem, paruipendit eum. Neglectus ergo eſt paruipenſio.

Ex hac ratione perſpicuè patet, neglectum eſſe paruipenſionem, uiciſſimq; paruipēſionem eſſe neglectum, cuius quidē rationis omnes propoſitiones ſunt in textu.

Item, cum una ſit utriuſq; definitio, neminē latêre poteſt, idem etiam eſſe utrunq;.

Eſt autem in textu: Negligunt ea quæ putant eſſe digna nullius. Neglectus ergo eſt actio opinionis circa id quod apparet dignum nullius: quæ quidem eſt definitio paruipenſionis. Nihil ergo intereſt inter neglectum & paruipenſionem.

Hoc ipſum confirmant multa, ob quæ Ariſtoteles dixit homines iraſci. quę quidē non referūtur ad contumeliam, neq; ad incōmodationem: ſed nullo diſcrimine modò ad paruipenſionē, modò ad neglectū ſiue deſpicientiam. neq; addūt aliquid per quod neglectus minus latè pateat, q̄ paruipenſio, ſicut incommodatio & contumelia: reſtringunt enim paruipenſionē. Non poteſt igitur neglectus eſſe ſpecies paruipēſionis. cum uerò ipſe neglectus ſit paruipenſio, ut ſit idem quod illa neceſſe eſt.

Quòd aūt illa propter quæ dixit Ariſtoteles homines iraſci, tū propter paruipenſionem, tum propter neglectum, nihil addant ipſi neglectui, quo minus latè pateat

quàm paruipenſio: intelligere licet inſpicienti ſingula. Primùm ergo dicit Ariſto-
2. Rhet. 2. teles, quòd homines iraſcuntur illis qui improbè loquuntur: & illis etiam qui negligunt ea quibus ipſi maximè ſtudent. Hoc autem nihil aliud eſt quàm paruipendere, ſiue negligere.

Item illis qui ſoliti ſunt eos honorare, & non amplius honorant. Hoc item nihil aliud eſt quàm paruipendere ſeu negligere. nihil enim auferunt, qui deſinunt honorare: negligunt tantùm, & paruipendunt. non ergo intereſt inter neglectum & paruipenſionem.

Item illi qui nullius momenti ſunt, ſi paruipendant: & iſti etiam negligunt.

Item illis qui non reddunt par pari, neq; reddunt æqualia: & his qui contraria efficiunt ipſis, ſi ſint minores. quos item * aut uideri negligere, & his qui nullius momẽti ſunt, ſi paruipendant.

Item amicis ſi non benedicant, uel non benefaciant, etſi non intelligant eos indigere. Paruipenſionis enim ſignum dicit eſſe, ignorare indigentiam amicorum: quia quæ curamus, hæc nos non latent. quòd ſi non curamus hæc, ergo negligimus: ergo idem eſt neglectus quod paruipenſio.

Item illis qui lætantur noſtris infortunijs: nam hoc eſt ſignum uel maleuolentiæ, uel paruipenſionis. & hoc etiam eſt negligere.

Itẽ eis qui nõ curãt ſi triſticia afficiant. Ideo inquit: Iraſcitur illis qui mala nũciant.

Item eis qui audiunt, uel oculis mala eorum cernunt: quippe qui paruipendentibus, aut inimicis ſimiles uideantur.

Item illis qui ſe paruipendant apud eos à quibus honorari cupiunt, & apud quos ſuſpiciuntur, aut à quibus ſuſpici uolunt, aut quos uerentur, uti his, uel apud eos ſi quis paruipendat, magis iraſcuntur.

Item illis qui paruipendant eos, quibus niſi ſuccurrant ipſi, turpe eſt: ut parentes, liberos, uxores, ſubditos. & ijs qui paria non reddunt: nam paruipenſio erat præter conueniens.

Item illudentibus apud ſtudioſos: nam illuſio eſt neglectiua.

Item ijs qui in cæteros benefici ſunt, erga ſe non ſunt. hoc enim eſt, inquit, neglectiuum. cum quis ſolus indignus iudicatus ſit.

Item ijs qui obliuiſcuntur nominum: quia obliuio eſt ſignum paruipenſionis. fit enim obliuio per negligentiam, negligentia autem eſt quædam paruipenſio.

Ex ijs omnibus perſpicuum eſt, quod paruipenſio eſt idem quod neglectus, & è contrario: quia ea quæ refert Ariſtoteles ad neglectum, nihil addunt paruipenſioni: & rurſus ea quæ refert ad paruipenſionem, nihil addunt neglectui.

Paruipenſio ergo eſt idem quod neglectus: non tamen eſt idem quod incommodatio & contumelia. Etenim licet incommodatio & cõtumelia ſint paruipenſiones, non retrò tamen commeat, ut paruipenſio ſit incommodatio & contumelia. Iſta enim addunt aliquid paruipẽſioni, ut ſubſtantia & qualitas addunt enti. Irriſio enim, & qui ludibrio ſunt, & qui conuiciantur, & qui uerberant (quæ ſunt contumeliæ) & qui impediunt alios ne conſequantur aliquid (quod fit ab inuidis) addunt aliquid ipſi paruipenſioni: quod cum non faciat neglectus, quia ſolùm deſpicit, ut ſit idem quod paruipenſio neceſſe eſt.

SECTIO TERTIA.

AD hæc inquiet aliquis: Ego iam facilè aſſentior, iſtorum alterum alteri conſequens eſſe, ut uidelicet ſi quid paruipẽſio ſit propriè, idem ſit etiam neglectus: & rurſus, ſi quid ſit neglectus propriè, idem ſit etiam paruipenſio. Sed quid reſpondes ad uerba Ariſtotelis, quæ paulo antè citaſti, quibus ille paruipenſionem diuiſit
2. Rhet. 2. in neglectum & incommodationem & contumeliam? qui item alibi uiſus eſt ſepara
5. Polit. 2. & 3. re paruipenſionem à neglectu, ut in Polit. cum plures cauſas mutationis rerumpublicarum exponens, dixit eam effici aliàs per paruipenſionem, aliàs per neglectum.

Reſponderem, diuiſionem illam paruipenſionis ita ſe habere, ſicut eam quam fe-
1. Prior. 4. cit Ariſtoteles de cõtingente: Contingens enim, inquit, aliud eſt neceſſarium, aliud non neceſſarium, & aliud poſsibile. Et tamen poſsibile propriè idem eſt quod pro-
2. Periher. priè cõtingẽs, ut perſpicuũ eſt ex ipſo Ariſtotele. Et eſt hæc diuiſio æquiuoci ad unũ

in ſua æquiuocata: qua ratione facere ſolet aliquãdo Ariſtoteles, ut genus in diuiſio- 1.Prior.
ne numeret cũ ſuis ſpeciebus. ſicut fecit etiam de proprio, quod diuiſit in proprium 1.Top.4.
& definitionem.

Ad id uerò quod citabatur ex Polit. dicerem, quòd ibi paruipenſio & neglectus 5.Polit.3.
latius accepta ſunt quàm in Rhet. nam in eo loco Polit. inquit Ariſtoteles: Per negle-
ctum uerò mutantur reſpub. ut in oligarchijs, quando plures ſunt qui non partici-
pant repub. & putant ſe eſſe meliores & potentiores. In quo quidem uidentur illi
negligi, utpote qui omittũtur, neq; ulla re ſiue bona ſiue mala digni exiſtimari uidẽ-
tur. Sed quod ſubiunxit his uerbis: In democratijs diuites negligentes inordinatio-
nem & negligentiam, ſupple magiſtratuum, mouent, ſupple ſeditionẽ. Iſtum negle-
ctum patet non eſſe paſsiuum: quia paſsiuus eſt ille qui inducit homines in ſeditio-
nes. non enim qui negligunt, ſed qui negliguntur, ſolent ſe præparare ad ſeditiones:
quia neglectus mouet iram, & ira impellit ad uindictam. Negligere enim uidetur
eſſe iniuria afficere, & negligi iniuria affici. Iniuria enim, inquit Ariſtoteles, afficiunt 1.Rhet.11.
eos qui nõ cauẽt neq; cuſtodiũt ſe, ſed creduli ſunt: facilè enim omnes latẽt, & pigros
qui ſunt negligentes: quia non ſunt apti ad ulciſcendum. quia diligentis eſt ulciſci.

Homines ergo iniuria afficiunt eos qui negligunt res ſuas, & paruam earum cu-
ram habent: & hoc faciunt, quia non timent ipſos. nam ſi timerent, non afficerent in-
iuria. Negligunt igitur, quia non putant eos daturos operam ut ulciſcantur: neque
putant fore, propter eorum negligentiam, ut ſe defendant cum eis inferetur iniuria.
Ita illi diuites in democratijs, perſpicientes inordinationem & negligentiam eorum
qui rempublicam adminiſtrabant, eos negligere cœperunt, nec dubitarunt aggredi;
exiſtimãtes futurum ut facile euerterent illam rempub. quam uidebant eſſe ſine ordi-
ne, & homines illos qui eam adminiſtrabant eſſe deſides, ignauos & negligentes res
ſuas propter ſecordiam.

Eſt ergo hic duplex negligentia. Altera eorum qui iniuria afficiunt, ut diuitum in
democratijs, qui negligebant magiſtratum: id eſt non timebant ipſum, & propterea
inuaſerunt illam. Altera ipſius magiſtratus, qui non adhibebat curam in rebus gerẽ-
dis, & ob id negligebatur à diuitibus, id eſt nõ timebatur: & ita præbuit occaſionem
ut iniuria afficeretur. ex quo factum eſt, ut diuites auſi ſint illum aggredi, putantes ſe
non daturos pœnas: & ſic euerterunt rempublicam.

Eſt etiam tertia negligentia, nempe illa qua ſinguli homines paruipenduntur, &
afficiuntur iniuria: de qua negligentia nos loquuti ſumus in ſuperioribus, & de qua
loquitur Ariſtoteles. Illa uerò negligentia qua mouebantur diuites in democratijs, 2.Rhet.2.
non eſt quòd ipſi iniuria affecti fuiſſent. magiſtratus enim erat qui iniuria affectus
fuit, qui non motus eſt illa iniuria: & ideo hic non eſt ille neglectus, de quo nos lo-
quuti ſumus. ob idq; diximus latius patere neglectum in Politic. quàm in Rhetoric. 5.Polit.2.
Ille etiam neglectus qui eſt in oligarchijs, eſt is quo iniuria afficiuntur plures illi qui 2.Rhet.2.
magiſtratibus & reipub. adminiſtratione priuantur, & ideo propter neglectum pro- 5.Polit.
priè euertunt oligarchiam.

Illa etiam oligoria per quam Ariſtoteles dixit moueri ſeditiones, non uidetur
eſſe ea de qua nos ſermonem habuimus, quæ quidem eſt iniuria: ſed eſt negligentia
rerum ſuarum. quia negligentis fuit, & parum curantis res ſuas, permittere ut ad am-
pliſsimos magiſtratus uenirent ij qui non rectè de repub. ſentiebant. putandum e-
nim erat, fore ut quærerent occaſionem euertendi rempub. Neq; enim eſt prudentis
hominis, ab inimicis expectare bona, ſed mala, quatenus inimici ſunt.

Iſta ergo oligoria uel paruipenſio differt à neglectu, de quo nos loquimur. non e-
nim iniuriam accipiebat magiſtratus: ſed potius ipſe peccabat in eo, quòd non adhi-
beret curam rebus pertinentibus ad rempub. Differt etiam ab eo neglectu, propter
quẽ dixit Ariſtoteles plures illos qui nõ participabãt magiſtratũ, euertiſſe rempub.
hoc enim erat iniuria affici. Neq; eſt ille neglectus quo in democratijs moti ſunt ad
ſeditionẽ diuites. etenim hi nõ timebãt magiſtratũ, propter eius ſecordiam & igna-
uiam. Sed eſt ille neglectus, quo ſignificatur ignauia & ſecordia & negligentia, &
quædã ſtulticia qua homines nõ conſiderant ea quæ ſunt cõſideranda: ex quibus pa- 5.Polit.2.9.
tet neglectus uario modo accipi. & ita diſſoluta eſt quæſtio illa, quæ uidebatur ſentẽ-
tiam noſtram labefactare atq; euertere. Supereſt iam, ut ad alia progrediamur.

SECTIO

SECTIO QVARTA.

Dicamus ergo, redeuntes unde digreſsi ſumus, quòd ſi omnis paruipenſio uel
eſt neglectus, uel incommodatio, uel contumelia: & ſi omnis iniuria eſt parui-
penſio: in dubium uenire non poteſt, quin omnis iniuria ſit uel neglectus, uel incom
modatio, uel contumelia: & quin retrò commeet, ut omnis paruipēſio ſit iniuria. De
contumelia quidem dubitari non poteſt, quin ſit iniuria: quia lædere aliquem ſpon-
te, non laceſsitum per ſe, uel per alium, in quibus eſt turpitudo læſo, ſiue ut aliquid
fiat ſibi, ſiue nihil, quomodo ſuprà diximus, eſt iniuria: eſt enim præter proportionē
& æquitatem, & cum electione uiolandi honorem alterius, uel ſuæ ipſius uolupta-
tis cauſa.

De incommodatione etiam perſpicuum eſt, quia eſt contra proportionem & æ-
quitatem, eſt enim impedire aliquem ſponte, uel non laceſsitum: & per electionem,
ne is conſequatur aliquid, etiamſi nihil uelis tibi acquirere. eſt enim hominis praui &
inuidi, hoc efficere: eſt ergo iniuriari.

Negligi etiā, eſſe iniuria affici, facilè intelligitur: quia qui putatur nulla re dignus,
putatur nullum habere honorem. Qui negligitur, putatur nulla re eſſe dignus. Er-
go qui negligitur, putatur nullum habere honorem. Sed qui putatur nullum habe
re honorem, iniuria afficitur ab illo qui ita putat: læditur enim in eis quæ ſunt ſibi tur
pia, propterea quòd turpe eſt nullum haberē honorem. perinde eſt enim ac nullam
habere uirtutem: quod quidem eſt turpiſsimum. Qui negligitur, putatur nullum
habere honorem: hæc ex ſuperioribus perſpicua eſt. Ergo qui negligitur, iniuria
afficitur.

Item, Niſi iniuria eſſet paruipenſio, non moueret iram: ergo neq; uindictæ appeti
tum. Conſequens eſt falſum, ut liquidò apparet: quia homines qui iniuria afficiun
tur, iraſcuntur, & per conſequens appetunt uindictam: ergo & id unde fluxit, falſum
eſſe neceſſe eſt.

Conſequentia colligitur ex definitione iræ: quia aliter ira non eſſet propter appa-
rentem neglectum, uel paruipenſionem, ſed etiam propter iniurias: & ita non recta
eſſet definitio iræ ab Ariſtotele tradita. Sed hoc à ueritate recedit, quia recta eſt: er-
go à ueritate abhorret etiam, quòd iniuria non ſit paruipenſio.

Item, Neglectus non mouet iram, niſi quia eſt iniuria: nam per neglectum putant
homines ſe lædi contra proportionem & æquum, aliter non putarent ſe negligi. reci
procant ergo inter ſe paruipenſio & iniuria.

Quòd etiam idem ſit iniuria affici, quod negligi, & econtrariò, uidetur colligi ex
2.Rhet.5. ſecundo Rhet. cap. quinto, ubi dicit Ariſtoteles: Facit enim confidentiam ira. Quo-
niam non iniuria afficere. ſed affici, eſt effectiuum irę. Ex quo uidetur ſequi, ut iniuria
ſit idem quod oligoria. Etenim qui iniuria afficitur, negligitur: quia affici iniuria eſt
iraſci: & qui iraſcitur, negligitur: ergo qui iniuria afficitur, negligitur.

Item, Iraſci eſt iniuria affici: aliter enim non iraſceretur, niſi appareret ſibi læſionē
inferri præter proportionem & æquum. Qui negligitur, iraſcitur: quia neglectus
(ut perſpicuum eſt ex definitione iræ) eſt cauſa iræ: ergo qui negligitur, iniuria affici
tur: iniuria igitur affici, eſt idem quod negligi, & retrò commeat. Et ita iniuria affi-
ci uidetur eſſe ueluti genus ad incommodationem & contumeliam: quia latius uide-
5.Ethic.ult. tur patêre. Nec obſtat, quòd uſus eſt Ariſtoteles quinto Ethic. cap. ult. hoc modo
,, loquendi: Si honoribus non participant, & iniuria afficiuntur, uel contumelia. Quia
iniuria affici ſe habet ad contumeliam, ſicut ſe habet neglectus, qui ſe habet aliquo
modo ut ſpecies, ſimul cum contumelia: & eſt etiam ueluti genus contumeliæ, ut di-
1.Prior. ximus de contingente in primo Priorum.

Genus enim aliquando uenit in diuiſionem cum ſuis ſpeciebus, & tenet locum
7.Ethic.8. ſpecierum, ut diximus. Neq; etiam obſtare uidetur quod dixit 7. Ethic. cap. 8. ad hunc
,, modum: (quę uerba attulimus in ſuperioribus, ad aliud probandum:) Sic ira propter
,, caliditatem naturæ, audiens quidem, non præceptum attendens, impetum facit ad
,, uindictam ratio enim uel phantaſia, quod contumelia uel oligoria. Hic autem tan-
,, quam ſyllogizatus, quòd oportet huic repugnare, indignatur ſtatim. Quibus uer
bis uidetur innuere, cōtumeliam non eſſe ſpeciem ipſius oligorię: ſed oligoriam eſſe

ſpeciem

ſpeciem diuiſam ab ipſa contumelia, ut eſt homo ab aſino. Etenim hęc inquam non
obſtant, quia accepit eo loco oligoriam, quæ eſt ueluti genus contumeliæ, ut eſt idē
quod neglectus, qui acceptus fuerat in diuiſionem oligorię, ut una ſpecies diuiſa cō
tra ipſam contumeliam. Idem uerò eſſe oligoriam quod eſt neglectus, ex hoc ipſo lo
co etiam colligi poteſt: quia propriè non ſolemus dicere aliquā rem eſſe animal, uel
hominem, cum ſcilicet genus non eſt poſitum ut ſpecies. quod item ſolet fieri in ge-
neribus, quæ non uerè ſunt uniuoca.

Sed quia Ariſtoteles inquit, quòd iuuenes iniurias faciunt in contumeliam, non 2.Rhet.12.
in prauitatem: deinde, inquit, quòd ſenes iniurias non faciunt in contumeliam, ſed 2.Rhet.13.
in prauitatem: quæreret aliquis, quidnam uoluerit dicere Ariſtoteles, & ad quam "
ſpeciem ipſius paruipenſionis redigatur iniuria quæ eſt in prauitatem?

Ego dicerem, iuuenes facere iniurias in cōtumeliam, quia lædunt quàm maximè,
non ut aliquid inferant eorum in quibus eſt turpitudo ipſi patienti, ſed ut gaudeant.
cuius quidem uoluptatis, ijs qui contumeliam faciunt, ea eſt cauſa, quia putant ſe lę-
dendo ſupereminere uel excellere: quod eſt id quod appetunt iuuenes, ut dixit Ari-
ſtoteles in eodem loco, & ut dictum eſt ſuprà: & propter hoc ſunt etiam magis ama-
tores uictoriæ, quia cupiunt excellere. non autem lædunt in prauitatem: id eſt non
lædunt propriè ut ſibi acquirant aliquid, neque ut honorem alterius uiolent ex pro-
poſito. licet in hac re etiam ſequatur uiolatio alieni honoris, quia ineſt neglectus: ta-
men quia hoc illi non quærunt principaliter, non dicuntur lædere ut ſibi acquirant
aliquid, neq; ut honorem alterius uiolent: quæ honoris uiolatio quamuis ſit ſpecies
contumeliæ, non tamen eſt principalis ſpecies, ſed redigitur ad ipſam, ſicut diximus
in ſuperioribus.

Et ideo definiens Ariſtoteles contumeliam propriè, dixit: quòd erat læſio, in qui-
bus eſſet turpe ipſi patienti, non ut aliquid aliud ſibi fieret quàm quod factum erat,
ſed ut lætaretur.

Et paulo pòſt de eadem loquens: Et iraſcuntur, inquit, illis etiam qui nocent, in 2.Rhet.2.
ijs quę ſunt ſigna contumeliæ, quæ neceſſariò talia ſunt, quæ neq; alicuius gratia, ne- "
que pro aliquo, neq; ſunt utilia facientibus: iam enim uidentur per contumeliam. "

In eandem ſententiam dixit in eodem libro, cap. decimoſexto, cum de ijs qui nu- 2.Rhet.16.
per ditati eſſent, uerba faceret: Magis enim mala inſunt nuper locupletatis, peioraq; "
in ipſis ſunt. nam nuper ditatus non caſtigatas habet diuitias, præterea iniurias nō "
ex malignitate, ſed aliàs ex contumelia, aliàs ex intemperantia faciunt: ueluti uirgis "
cædere, uel adulterari. Ex quibus uerbis patet, illam poſuiſſe contumeliam non ex
prauitate, quam ſcilicet infert aliquis ut lætetur uerberando. multi enim ſunt qui uer
berant ut lætentur.

Item cum dicit, Neceſſarium eſt ſi ſint ſigna contumeliæ, ut ſint ea quæ dicta ſunt:
intelligit de contumelia propriè, & non latius accepta, quam ſcilicet infert aliquis
ob id tantùm ut lętetur. aliter enim euerteret ea quæ antè dixerat, uidelicet quòd ho
noris uiolatio refertur ad contumeliam, & exemplum quod attulit Achillis & Aga- 1.Rhet.12.
memnonis. & quòd dixit non ualere, Verberauit: ergo contumelia affecit: ſed ſi uel
ut honorem uiolaret, uel ut lætaretur.

Item euerteret quod dixit his uerbis: Vel ſi aliquis dicat, uerberare liberos eſſe 2.Rhet.2.
contumeliam. non enim omnino, ſed quando incipit iniurians. uidetur enim conce
dere, quòd uerberare ſit contumelia.

Ad hanc igitur repugnantiam in uerbis Ariſtotelis tollendam, cuius quidem ue-
rè diuini hominis doctrina ſibi maximè ubique conſentit, dicendum uidetur, ſicut
diximus, hanc fuiſſe eo loco ipſius ſententiam: quòd iuuenes ſolùm ut lætentur læ-
dunt, quæ propriè eſt contumelia. neq; enim lædunt ut lucrentur, neq; ut honorem
uiolent: quia ipſi non ſunt amatores lucri, neq; ſunt maligni: id quod expreſſiſſe mi-
hi uidetur Ariſtoteles per uerbum κακουργεῖν.

De ſenibus autem contrà ſe habet: quia hi non lædunt ut lætentur, ſed ut lucren-
tur: quippe qui ſunt auari & malæ mentis, qui trahunt omnia in peiorem partem, &
uiuunt ad utilitatem, non ad honeſtatem, libido ipſos & uoluptates defecerūt: ideo
non lædunt ut lætentur, ſed ut lucrentur. Illæ ergo iniuriæ quas faciunt ſenes per
malignitatem & auariciam, non referuntur ad cōtumeliam propriè dictam, & ideo

non dicuntur eas facere per contumeliam: ſed ad contumeliam quæ eſt honoris uiolatio, quæ non eſt contumelia primo loco, ſed ſecundo loco.

5. Polit. 10. Quòd autem contumelia habeat multas partes, declarauit Ariſtoteles quinto Po-
» litic. cap. decimo, ijs uerbis: Inuaſionum autem aliquæ fiunt ab illis qui gubernantur
» aduerſus corpus, & aliquæ aduerſus regnum: quæ autem propter contumeliam, ad-
» uerſus corpus. Cum autem contumelia habeat multas partes, unaquæque ſpecies e-
» ius ſit cauſa iræ: eorum uerò qui iraſcuntur, ferè plurimi gratia uindictæ inſidiantur
» uel inuadunt, ſed non ut excellant. Perſpicuum igitur eſt, Ariſtotelem ſenſiſſe, multas eſſe contumeliæ ſpecies: quod eſt id quod uolebamus nos.

1. Rhet. 16. In eandem ſententiam ſunt accipienda etiam uerba illa de diuitibus: Diuites non
» afficiunt iniuria ob malignitatem, ſed aliàs ex contumelia, aliàs ex incontinentia: ut
» uerberare & adulterari: quæ quidem dicuntur etiam per contumeliam fieri. tamen
1. Rhet. 13. quia uerberare & adulterari non ſunt propriè ex ijs contumelijs quas definiuit Ari-
2. Rhet. 2. ſtoteles, ideo loco citato ſeparauit has ab illis.

4. Polit. 11. Eodem modo interpretanda ſunt quæ quarto Politic. cap. undecimo ita ſcripſit:
» Iniuriarum autem aliæ fiunt per contumeliam, aliæ autem per prauitatem. quæ au-
» tem fiunt per contumeliam, hoc pacto: hæ enim quamuis ſint iniuriæ, quia ſunt læſiones ſpontaneæ & cum electione, cum ſint iniuriæ, & ita cum aliqua prauitate, ut
5. Ethic. ult. patet quinto Ethic. cap. ultimo: tamen quia non ſunt cum tanta prauitate, quanta ineſt illis, quibus propoſita eſt inprimis honoris uiolatio, uel quæſtus, non dicuntur eſſe cum prauitate.

Hi ergo quos citauimus loci, nihil impedire uidentur, quo minus poſsimus aſſerere omnem iniuriam eſſe neglectum, uel incommodationem, uel contumeliam: & ita iniuriari & paruipendere inter ſe reciprocare.

4. Polit. Neque etiam obſtat illud quarti Politicorum: Pauperes afficere iniuria diuites
» non per oligoriam, ſed ob prauitatem, & doloſe. Quamuis enim uidentur indicare, fieri poſſe ut aliquis quempiam iniuria afficiat, quem tamen non negligeret: ex quo uidetur ſequi, ut non ſit idem iniuria afficere, & negligere ſeu paruipendere: tamen quia iniuria afficere (ut dictum eſt) efficit iram, & ita neceſſe eſt ut ſit idem quod negligere, alioquin poſſet eſſe ira, & non à cõtemptu, contrà quàm definit Ariſtoteles, ut ſuprà oſtendimus: cogimur ſic interpretari hunc locum, ut intelligamus, pauperes afficere iniuria diuites non per oligoriam ſimpliciter, quæ poteſt eſſe ſine prauitate: ſed per prauitatem, id eſt per oligoriam, quæ eſt contumelia, cui eſt adiuncta prauitas. Oſtendimus enim in ſuperioribus ex ſententia Ariſtotelis, multis modis dici contumaliam, cuius una ſpecies erat cum prauitate. quod niſi ita intelligeremus, planè ſequeretur quod diximus, ut daretur ira, quæ non eſſet propter contemptum non conuenientem: quia poſſet proficiſci ab iniuria, quæ non eſſet contemptus. Quare nihil uidetur repugnare ſententiæ noſtræ hic textus, ſi eum exponamus eo modo quo diximus: ut quidem neceſſe eſt, ne quid ex eo ſequatur contra Ariſtotelem, & ipſam rationem.

SECTIO QVINTA.

SEd diceret quiſpiam: Si tres ſunt iniuriæ ſpecies, ut poſitum eſt, quomodo potuit
1. Rhet. 13. dicere Ariſtoteles loco ſuprà citato, non ualere, Iſte uerberauit, ergo contumelia affecit? Sed ualere ſi dicatur, Verberauit ut lætaretur ipſe, uel ut honorem alterius uiolaret, ergo contumelia affecit. Quia poſſet, qui ita uerberauit, non affeciſſe contumelia, ſed neglexiſſe, uel incommodaſſe per huiuſmodi uerberationem.

Fortaſſe licet dicere, conſequentiam Ariſtotelis ualere: quia uerberare ut quis lætetur, uel ut honorem alterius uiolet, non poteſt pertinere ad aliam ſpeciem iniuriæ uel paruipenſionis, niſi ad ipſam contumeliam: & hoc conſpicuum eſt conſideranti ea quæ diximus. ex quibus patet, quòd uerberare poteſt pertinere ad eam ſpeciem contumeliæ, quæ ut nihil ſibi fiat, ſed tantùm ut lætetur, quærit quæ propriè eſt contumelia: & illæ proprietates quæ ſunt neceſſariæ ad hoc, ut læſiones ſint ueræ iniuriæ, requiruntur etiam ad id ut uocentur ueræ paruipenſiones: quia ſi aliquis læderet aliquem, uel aliquo modo non præter proportionem & æquum, uel non ſponte, uel ſine electione, uel laceſsitus, uel cum uoluntate eius qui læditur, uel non ut

eius honorem uiolatet, uel non uoluptatis ſuæ cauſa, hæc non eſſet paruipenſio: & ob id facile eſt remittere huiuſmodi iniurias & paruipenſiones. quandoquidem ſi aliquæ earum quæ dictæ ſunt proprietatum deſint, non proprie eſt iniuria, neque paruipenſio.

Ideo qui uolunt pacem inter aliquos conciliare, quorum alter exiſtimet ſe iniuria affectum fuiſſe, & paruipenſum: neceſſe eſt ut conſiderent, an in ea læſione quę adhibita eſt, deſint aliquæ dictarum conditionum. Quòd ſi inueniant aliquam deeſſe, poterunt ſtatim dicere, eum qui uiſus eſt ſibi iniuria affici & paruipendi, non eſſe uerè iniuria affectum, neque uerè paruipenſum: & ita nihil prohibere, quin pax inter eos ſine ullo dedecore eius qui læſus eſt fiat. ut, exempli cauſa, cum is qui læſit, non fatetur ſe ſponte læſiſſe, ſed inuitè, uel ſine electione, uel laceſsitum, uel non per ſe, ſeu per alium, uel non præter eius uoluntatem, uel non præter proportionem & æquitatem, & uirtutes, & leges. uel non ob eam cauſam, ut de eius honore detraheret, uel ut ſibi uoluptatem quæreret. Quòd ſi confitebitur uel oſtendet in ea læſione defuiſſe aliquid eorum quæ dicta ſunt, planè ſequitur huiuſmodi læſio. nem non eſſe iniuriam: non enim homo eſt ille, cui deeſt aliqua ex illis proprietatib. quæ neceſſariò ſubſtantiam hominis conſtituunt.

Porrò autem, qui nulla læſione, nullaq́; iniuria intercedente uelit uindictam ſumere, is eſt præter naturam conſtitutus. Nam cum iniuria affici, ſit minus boni habere: & afficere iniuria, ut inquit Ariſtoteles loco ſuperius citato, ſit plus boni habere: ratio quæ ex natura oritur, exigere poſtulareq́; uidetur, ut qui iniuria eſt affectus, quærat quod ſuum eſt: alioquin eſſet homo nullius momenti, & ſine honore. hominis enim pudentis & honore digni eſt, quod ſibi præter eius uoluntatem eſt ablatum, laborare ut id recuperet, & ut ſuas res defendat. Sicut ergo turpe eſt homini, niſi hoc faciat cum fieri debet: ita turpe eſt, imò uerò multo turpius, ſi non ſit ab aliquo iniuria affectus, dare operam ut ulciſcatur. hoc enim nihil aliud eſt, quàm id uelle quod alterius eſt, & non ſuum: quod quidem eſſe hominis peſsimi & iniuſti, neminem latere arbitror. *5. Ethic. ult.*

Cum ergo deficiente aliqua earum quæ dictæ ſunt proprietatum, non ſit iniuria, cur homines perſequi inimicitias uelint ob tales læſiones, quę illatæ ſunt ſiue uerberibus ſiue uerbis, neque pacem facere & reconciliari animum inducant, non uideo. Eſt enim contra humanitatem, nolle ignoſcere humanis erroribus, quibus non eſt adiuncta prauitas. Nihil enim peccare, prorſus diuinum eſt: humanum eſt autem, peccare. Ideo omnia illa peccata quæ non ſunt uerè ſpontanea, ſed inuita, eo modo quo declarauimus ſpontaneum & inuitum, & ea quæ fiunt cum laceſsimur, ſunt uenia digna. Conſentit enim rationi, quæ ex natura ortum habet, ut qui laceſsitur, poſsit par pari reddere, & ita uindictam ſumere, neque tamen iniuria laceſſentem afficiat. Itaque planè dicendum eſt, ſi quis non lęſerit aliquem pręter eius uoluntatem, ut ſcilicet auferret aliquid ab eo, quod non eſſet pręter ipſius uoluntatem, huiuſmodi lęſionem eſſe uenia dignam.

Item, ſi non ſit lęſio pręter proportionem & æquum, pręter uirtutes & leges.

Item, ſi non illata ſit ob eam cauſam, ut quis dedecore afficeretur, uel ut ipſe qui læſit lętaretur, & ita non eſſet cum prauitate.

Animaduertenda autem inter cætera ſunt, omnino ea quæ diximus de ſpontaneo & inuito, quæ continent ſcientiam & ignorationem: ut ſciamus quæ ſint illa quæ ignorantibus nobis, & quę per ignorationem fiunt: quo poſsimus intelligere quę ſint uenia digna, & quę non. ut, exempli cauſa, illa quę faciunt homines non per ignorationem, ſed ignorantes, ob paſsionem non naturalem, neque humanam, non ſunt uenia digna: quia non omnia quę fiunt inuitè, ſunt uenia digna: ſed illa quę faciunt homines non ſolùm ignorantes, uerùm etiam per ignorationem, dummodo ipſi non fuerint cauſa illius ignorationis, quę eſt ignoratio ſingulorum quæ uerſantur in actionibus, ut dictum eſt ſupra, ad quę omnia me reijcio: ubi diximus etiam, quomodo qui agant per iram, ſint uenia digni, & quomodo non.

SECTIO SEXTA.

AT hic dicet aliquis: Ex eis quæ ex ſententia Ariſtotelis poſuiſti, ſequi uidetur, ut
læſiones illæ quæ ſunt ueræ iniurię, nõ ſint uenia dignæ: & ut homines cogan-
tur eas ulciſci, ut recuperent id quod perdiderint: alioquin eſſent honore priuati. in-
dicarent enim ſe præter naturam eſſe affectos, ac ueluti ſtupida mancipia, longeq; li-
berorum hominum & ingenuorum diſsimiles, qui minimè pati poſſunt ſibi aliquid
per uim auferri, aut ablatum non reddi. Præterea dixiſti, læſiones illas quæ non
ſunt ueræ iniuriæ, omnino eſſe uenia dignas. quæ ergo ſunt ueræ iniuriæ, non erunt
uenia dignæ: quæ opinio uidetur afferre euerſionem humanę naturę: eam enim uim
habet, ut homines uerè iniuria affecti, nunquam recõciliari debeant niſi ſumpta uin-
dicta uel pœna. Sed cum plurimi quotidie iniuria afficiantur, quia homines (ut dixit
2.Rhet.5. Ariſtoteles, quem locum citauimus etiam in ſuperioribus) maiori ex parte, quando
poſſunt iniuria afficiunt: ſequitur, ut à plurimis perſequendæ ſint inimicitiæ uſq; ad
mortem. Coguntur enim ui honoris, ex eis quæ dixiſti, non dare ueniam, quia uerè
ſunt iniuria affecti: ut ſunt illi quibus interfecti ſunt parentes, aut filij, aut fratres, aut
propinqui, aut amici. hi ergo nunquam reconciliabuntur, ijs à quibus iniuriam acce-
perint. conabuntur enim reddere par pari: quod non poſſunt facere, niſi eos interfi-
ciant à quibus læſi fuerint. ex quo poſtea futurum eſt, ut ipſi etiam interficiantur, &
ita nullus cædis finis reperietur. hoc autem quid aliud eſt, quàm tollere felicitatem
humanam, & per conſequens ipſam naturam: cuius ſcilicet naturæ ſummum bonum
& finis eſt ipſa felicitas. Quæ res cum omnium ſit abſurdiſsima, alterum duorum eue
niat neceſſe eſt: uel, ut opinio Ariſtotelis ſit maximè deteſtabilis & execranda: uel, ut
illud quod tu dixiſti, ipſius ſententiæ planè repugnet.

Huic ſanè perarduæ quæſtioni reſponderem ex ſententia Ariſtotelis, non tamen
ex noſtra ſancta religione, eſſe aliquando ulciſcendas iniurias, quæ ſunt uerę iniurię,
propter rationes & eas auctoritates Ariſtotelis, quas in ſequentibus proferemus,
5.Ethic.7. cum interpretabimur eum locum ubi ait, eundum eſſe in dubijs ad iudicẽ. ad quem
locum me reſeruo. Aliquando etiam non eſſe ulciſcendum iniurias ueras: nam in-
iurias quæ non ueræ iniuriæ ſunt, nunquam eſſe ulciſcendas, ex eis quæ dicta ſunt,
non uenit in controuerſiam.

Sed uideamus primùm, quando ſit ignoſcendum: ex hoc enim intelligetur, quan-
1.Rhet.13. do non ſit ignoſcendum. & afferamus Ariſtotelis uerba, cum inquit: Aequum eſt e-
» tiam, rebus humanis aliquando ad ignoſcendum commoueri: & non legem, ſed le-
» giſlatorem, ac non uerba, ſed ſententiam ſpectare: nec factum, ſed electionem: nec
» partem, ſed totum: nec quis nunc, ſed quis ſemper, aut ſemper fuerit conſiderare. &
» meminiſſe bonorum magis quę in ſe collata ſunt, quàm malorum: & eorum magis
» quę recepit, quàm quę fecit: & ſuſtinere cum ſit iniuria affectus, & oratione uelle ma
» gis diſceptare quàm opere: & in arbitrium magis quàm in forum uelle deſcendere.
» nam arbiter ad æquum, iudex ad legem ſpectat: & hac de cauſa arbiter eligitur, ut æ-
quum pręualeat. His uerbis apertè oſtendit Ariſtoteles, iniurijs etiam ueris eſſe i-
gnoſcendum: nec ſolùm à priuatis hominibus, uerùm etiam à magiſtratu, cum dicit:
non leges, ſed legiſlatorem, non uerba, ſed ſententiam ſpectare æquum eſſe.

Cum uerò inquit, Sed uoluntatem, loquitur de eis læſionibus quæ non ſunt pro-
priè iniuriæ, quæ uidelicet factæ fuerunt præter electionem facientis, ut ex definitio
ne ipſius iniuriæ colligitur. Illis aũt uerbis, Nec partem, ſed totum: nec quis nunc,
ſed ſemper, uel ferè ſemper: loquitur de iniurijs ueris: quia uult ut cõſideremus, qua-
lis uir ſit qui nos iniuria affecerit: & ſi inueniamus eum utplurimùm fuiſſe hominem
probum, non iniurioſum, non calumniatorẽ, & ſi plura is in nos beneficia contule-
rit quàm mala, ut non iniquo animo feramus iniuriam ab eo nobis illatam: æquum
enim eſſe ignoſcere. cuius quidem rei hæc mihi uidetur eſſe ratio: quia (ut diximus)
nihil peccare, diuinum eſt: peccare autem, humanum.

Item, Si diſceptandum eſt magis uerbis quàm opere, decertare æquum eſſe dicit,
& magis eligere ire ad arbitrum quàm ad iudicem, propter iniurias ſcilicet quæ exi-
ſtimantur ueræ iniuriæ, ob eam cauſam quæ dicta eſt.

Iniurijs ergo ueris etiam æquum eſt aliquando ignoſcere, ſicut in ſuperioribus oſtendimus, explicantes definitionem iniuriæ, cum de his loqueremur qui per paſsiones naturales iniuria afficerent, & de cæteris.

Hanc eandem ſententiam uiſus eſt Ariſtoteles teſtatam relinquere 6. Ethic. cap. 12. [6. Ethic. 12.] ijs uerbis: Iam quę uocatur ſententia, qua bene ſentientes, & habere ſententiam dicimus, ſupple quoſdam, eſt æqui & boni uiri iudicium rectum: ſignum autem quòd æquum & bonum uirum maximè eſſe idoneum ad conſentiendum, id eſt ignoſcẽdum dicimus: & æquum eſſe habere conſenſionem, id eſt ueniam circa quædam: cõſenſio autem, id eſt uenia, eſt ſententia iudicatiua recta æqui & boni uiri, at recta ea eſt, quæ eſt ueracis. Innuit enim, ignoſcendum eſſe aliquando in aliquibus rebus.

Sed ſtatim dicet aliquis, uideri iſtam opinionem ſequi incommoda illa quæ alibi ponit Ariſtoteles: uidelicet homines, ſi ita fieret, futuros eſſe prædam Myſorum: hoc enim eſſe præbere anſam iniurijs, quandoquidem homines facile eos iniuria afficiãt qui non ulciſcuntur, & quibus putant nullas ſe daturos pœnas: & ita cum homines utplurimùm ſint iniurioſi, cum poſſunt, fore ut euertatur non minus ignoſcẽdo beatitudo humana, quàm ulciſcendo. Huic quæſtioni reſpondentes dicimus, humanum eſſe remittere & condonare etiam ueras iniurias nobis illatas, [1. Rhet. 12. 13.] ob eas rationes quibus oſtendit Ariſtoteles remittendam eſſe iram. nam ſi remittenda eſt naturaliter ira aliquando, quæ orta ſit ex paruipenſione non cõuenienti: ergo naturaliter iniuria eſt condonanda aliquando, & ſic naturaliter remittenda eſt uindicta. Eſt enim ira, appetitus uindictæ apparentis. quòd ſi nõ eſſet ira, non eſſet etiam appetitus uindictæ. Si igitur remittenda eſt naturaliter uindicta, ergo remittenda eſt iniuria. Fruſtra enim iniuriæ odium retinet, neq; remittit iram qui non uult ulciſci. nam qui retinet iniuriæ memoriam & odium, non habet animum naturaliter cõſtitutum, ſed incenſum: qui autem habet animum incenſum, eſt iratus: & qui eſt iratus, appetit uindictam. apertè igitur ſequitur, ut ſi naturaliter remittenda ſit ira aliquando, remittenda ſit etiam aliquando naturaliter uindicta, & ſic iniuria.

SECTIO SEPTIMA.

SEd uideamus quomodo naturaliter aliquando remittatur ira: quia tunc erit perſpicuum, quomodo remittatur iniuria. & quia hoc oſtendunt uerba Ariſtotelis, iccirco ipſa in medium afferemus, ut ueritas magis elucere poſsit. inquit ergo Ariſtoteles: [2. Rhet. 3.] Verùm quoniam iraſci, & manſuetum eſſe, contraria ſunt, & ira manſuetudini contrarium: dicendum nunc eſt, quomodo ſe habentes manſueti ſunt, & quibus, & quas ob res. Sit igitur manſuetudo depreſsio iræ, atq; ſedatio. ſi ergo contemnentibus iraſcuntur, contemptusq; uoluntarius eſt: manifeſtum eſt, ijs qui nihil horum faciunt, aut inuiti faciunt, aut huiuſmodi uidentur, manſuetos ac mites eſſe, & ijs qui contrà uellent quàm fecerint, & omnibus qui in ſe ipſos etiam huiuſmodi ſunt, cum nemo ſe ipſum contemnere uideatur. Hoc loco Ariſtoteles loquitur de eis qui nõ uerè iniuria alios affecerunt, cum quibus eſt æquum (ut diximus) reconciliari, quia nullam nobis reuera iniuriam intulerunt.

Et ijs quos pœnitet, & fatentur. nam quaſi pœnas ſumpſerint, quòd dolent factũ, ceſſant ab ira. huius ſignum in punitione ſeruorum ſumere poſſumus. Negantes enim atq; contradicentes multo magis punimus: cum uerò iure ſe puniri fateantur, ceſſamus ab ira. cuius cauſa eſt, quoniam manifeſta negare, impudẽtia eſt. Impudentia uerò contemptio eſt atq; deſpectus. quare quos ualdè deſpicimus, eos non ueremur. His uerbis apertè ſignificat, ignoſcendum eſſe etiam illis qui nos uerè iniuria affecerunt, cum fatentur ſe non rectè feciſſe, ſeq; mirum in modum pœnitere. & hoc conſentit rationi, quia uidentur de ſe ipſis ſumpſiſſe pœnas, & ita amplius non neglexiſſe.

Præterea his qui humiliter ſe gerunt, neq; contradicunt iratis: uidentur enim minores ſe fateri. minores uerò metuunt, & metuentes nemo contemnit. Quòd autem humilitate ira ſedatur, canes quoq; oſtendunt, qui ſedentes non mordent. Et ijs qui ſtudioſi erga ſtudioſos ſunt: non enim contemni, ſed multi fieri uidentur. Et ijs qui maiora largiti ſunt, & rogantibus atq; deprecantibus: humiliores enim. Hic quoq; indicat, ignoſcendum eſſe illis qui uerè iniuria nos affecerunt, qui ſe humiles

& ſupplices præbent. nam hoc ipſo cõfitentur ſe eſſe minores & uictos. Pugnare autem contra eos qui ſe uictos fatentur, neq; ſe defendunt, ut faciunt ſupplices, eſt contra humanitatem & contra fortitudinem. fortes enim quærunt ſolùm uictoriam honeſtam, quia eſt inter bona quæ ſunt digna honore, & per ſe eligibilia: oſtendit enim excellentiam uirtutis. Et ideo rectè redarguimus Vergilium, qui induxit Aeneam interficere Turnum, poſtquam confeſſus erat ſe uictum, & uitam deprecabatur, ut dicetur in ſequẽtibus. Qui enim non remittunt iram, cum homines præbent ſe ſupplices, peiores ſunt canibus, qui iacentes humi proſtratosq; non mordent: quia putant ſe uiciſſe, uidentes eos humiles factos eſſe & minores. Quod quidem argumẽto eſt, à natura nobis inſitum eſſe, ut ignoſcamus errantibus, cum fatentur ſe minores & uictos. Qui ergo ſecus facit, naturæ aduerſatur: quod eſt turpiſsimum. indicium eſt enim animi tum feri & inhumani, tum etiam maximè ingrati: quippe cum à natura nos maxima conſequuti ſumus beneficia.

Et ijs qui nec contumeliatores, nec ſubſannatores, nec cõtemptores, aut nullius,
›› aut non bonorum, aut talium quales ipſi: uniuerſaliter uerò ex contrarijs mitigantia
›› conſideranda ſunt. Præterea ijs quos timent, & quos uerentur: nam quamdiu ſic ſe
›› habent, non iraſcuntur. impoſsibile enim eſt timere ſimul, atq; iraſci. Hoc etiam in loco poteſt intelligere de eis qui uerè neglexerunt, ſed quia non ſunt ſoliti negligere, neq; contumelia afficere, uel bonos, uel tales quales ipſi ſunt qui iniuriam acceperunt, ideo deſinunt iraſci illis. Sed oportet addere, ſi fatentur ſe nõ rectè feciſſe, & demiſsè atq; humiliter ſe gerunt. & ita uerba iſta oſtendunt facilitatẽ potius ignoſcendi, quàm quòd omnino ſit ignoſcendum: id eſt, quòd ijs qui nõ ſunt ſoliti iniuria afficere, quomodo diximus, conſentit rationi ut magis ignoſcatur, quàm illis qui ſunt ſoliti. Alteri enim uidentur iniuriam facere conſuetudine, alteri quaſi fortuna, uel aliqua alia repentina de cauſa. Ignoſcere uerò ijs quos timemus & ueremur, non attinet ad uirum honore dignùm, quia non uidetur eſſe uiri fortis: non enim eſt uirtutis, ſed timiditatis. propterea non eſt ad rem noſtram: quippe qui loquimur de remiſsione iræ, quæ honeſtè fieri poteſt & debet.

›› Ad hæc, ijs qui ira concitati fuerunt, aut non iraſcuntur, aut minus iraſcuntur: non
›› enim uidentur contemptu feciſſe, quippe cum nullus iratus cõtemnat. eſt enim con-
›› temptus abſq; dolore, ira uerò non ſine dolore, his etiam qui ipſos uerentur. Hęc item uerba uidentur poſſe intelligi de ijs qui aliquando ira concitati, iniuria afficiunt eos qui ſibi cauſam iraſcendi aliquo modo dederunt, aut etiam non dederunt. Sed quia de his diximus in ſuperioribus, ad illum me locum reijcio.

›› Præterea qui modo ſe contrario habent, quàm qui iraſcuntur, eos patet mites ef-
›› ſe: ueluti in ludo, in ioco, in die feſto, in felicitate, in ſucceſſu, in conſummatione: ac in
›› totum, in non dolendo, & in laudabili uoluptate, ac ſpe honeſta. Inſuper eos qui
›› iamdiu eſt ex quo perturbati fuerunt: ſedat enim iram tempus. Sedat aũt etiam maio
›› rem hominis iram, ſuſceptum ab alio prius ſupplicium. Quocirca rectè Philocrates,
›› cum ei quidam dixiſſet, Cur te iratæ plebi non purgas? Nõdum, inquit, opportunũ.
›› Quando igitur? Cum alium, inquit, condemnatum uidero. Manſueſcunt enim, cum
›› iram in alium effuderint. Quod Ergophilo contigit, quem, quamuis magis in eum fu
›› rerent quàm in Calliſthenem, quoniam tũ pridie Calliſthenem morte damnatãt, fa-
›› cilè abſoluerunt. Si præterea maiora incommoda paſsi ſunt qui deliquerunt, quàm i-
›› rati eos affeciſſent: quaſi enim ſupplicium ſumpſiſſe arbitrantur. Hic etiam poteſt intelligi remiſsio iræ, quæ à uera iniuria orta ſit. ſed oportet addere eas proprietates quas ſuprà addidimus: quia hęc ſolùm uidentur oſtendere facilitatẽ ignoſcendi, non ſimpliciter remiſsionem iræ, quæ ſit digna homine honorato. nam ſine illis proprietatibus non poteſt ab ira diſcedere uir fortis, cum nondum uindictam ſumpſerit: ſed proprietatibus illis additis optimè poteſt.

›› Ad hęc, ſi intuliſſe ipſi putant iniuriã, ac ideo non iniuria uexari: non enim ex iure
›› facto aut dicto ira proficiſcit: cũ ergo immeritò uexari arbitrãtur (quod ira erat) ora-
›› tione caſtigãdi ſunt. Quare uel ſerui ſic caſtigati, minus moleſtè ferunt cũ puniantur. Hoc uidetur euenire, quia cũ quis uexatur ab eis quibus ipſe iniuriã intulerit, nõ afficitur iniuria, ſed dat pœnas: ideo meritò non debet iraſci, neq; de uindicta cogitare.

2.Rhet.2. Item, Si ignoraturos putant, quòd propter ipſos atq; pro ijs quæ paſsi ſunt. ut e-

nim

nim ex definitione patet, ira in ſingulo eſt. Quare rectè dictum eſt à Poeta, Vlyſſem ‹‹ dici urbium expugnatorem: quaſi nō ultus niſi à quo, & quam ob rem, cognouiſſet. ‹‹ Oſtendit his uerbis Ariſtoteles, uindictam non eſſe ſumptam, cum aliquis pœna afficit eum à quo exiſtimat ſe iniuria affectum fuiſſe, ſi non cognoſcatur ab illo qui pœnam patitur, neq; is ſciat propter quam cauſam patiatur. & ideo laudat Homerum, qui induxit Vlyſſem, poſtquam eruiſſet oculum Cyclopi, quia non dixerat quis eſſet qui ei oculum effodiſſet: ob hanc cauſam reuerſum eſſe ad Cyclopem, maximo etiam ipſius uitæ periculo, & dixiſſe: Scias ô Cyclope, illum qui tibi oculum effodit, fuiſſe Vlyſſem, expugnatorem Troię, quia interfeciſti eius ſocios. & tunc putaſſe Vlyſſem, ſe de ipſo Cyclope uindictam ſumpſiſſe. Quod ſanè cōſentit rationi: quia potuiſſet exiſtimare Cyclops, ab aliquo alio effoſſum ſibi fuiſſe oculum, neque ipſum pœnituiſſet ſocios Vlyſsis interemiſſe.

Ex quo loco perſpicuè patet, quàm longè decipiantur illi qui nocte, uel perſonati, uel per aliquos alios, lædentes eos à quibus iniuria affecti fuerint, putant ſe de eis uindictam ſumere: cum hi neſciant ſe lædi illorum cauſa quos ipſi iniuria affecerint, & ita non pluris faciant illos poſt quam paſſi ſunt, quàm antè. ex quo planè ſequitur, ut ij minimè ſuas iniurias ulti ſint.

Patet etiā, pœnā poſſe ſeparari à uindicta: qā Vlyſſes antequā reuerteret̄ ad Cyclopē, eiq; indicaret qs eſſet, affecerat illū pœna, effodiens oculū, & tamē nō ultus erat.

Colligitur item, uindictam eſſe ſeiunctam aliquo modo à pœna qua afficitur corpus, licet nō à pœna qua afficitur animus: quæ apud eos qui rectè intelligūt, eſt uindicta, quæ maiorē uim habet q̄ pœna corporalis. Nā qui ab ira deſiſtūt eis modis quos enumerauit Ariſtoteles, ſumpſerunt uindictam, ſine tamē pœna qua affligit̄ corpus.

Et ob hanc cauſam fortaſſe dixit Ariſtoteles, intereſſe inter pœnam & uindictam: 1. Rhet. 10. quia pœna eſt cauſa eius qui patitur, uindicta uerò eius qui facit ut expleatur. qui ergo ulciſcitur, non debet quærere per ſe pœnam, non eſt enim ipſius gratia: ſed uindictam, quæ eſt illa qua expletur ipſe. Poteſt igitur ex ſententia Ariſtotelis eſſe uindicta ſine pœna. Quod innuit etiam Ariſtoteles, cum loqueretur de infeſtis: quos dixit non placari niſi ſumpta uel pœna uel uindicta. 4. Ethic. 12.

Quare nec cęteris qui nō ſentiunt, iraſcūtur: nec defunctis, quaſi iam extrema paſſi, nec dolituri, nec cogituri ſint quod irati cupiunt. Quapropter probè Poeta, cum Achillis irā ſedare uellet, quā in Hectorē iam mortuum gerebat, dixit: Surdam enim terrā iratus uexas. His uerbis maximè redarguuntur illi, qui lædūt eos qui nō ſentiunt, & qui iacent humi ut mortui, aut uerè ſunt mortui: uel eos qui ſunt propinqui mortuorū, ut de mortuis ſumāt uindictā: cum, ut ait Ariſtoteles, nō ſint ipſi dolituri, neq; cogituri id quod irati cupiunt. Neq; uerò uidetur hoc repugnare eis quæ alibi dixit Ariſtoteles, cū cōceſsit mortuos cognoſcere. nā hic negat Ariſtoteles, mortuos cognoſcere: quia uidelicet nō cognoſcunt ita fortunia & infortunia, ut ex infelicibus fiant felices uel cōtrà. Itaq; lædere ipſos nihil uidetur eſſe, propterea quòd nihil patiuntur ipſi, aut doleant quod irati cupiunt. Perſpicuum igitur eſt ex uerbis Ariſtotelis, iram naturaliter eſſe remittendam, & per conſequens uindictam, eademq; ratione iniuriam: id quod nobis erat propoſitum oſtendere. 2. Rhet. 3.

Ea aūt quæ cōtrà afferebātur huiuſce opinionis incōmoda, quòd uidelicet homines ferēt prēda Myſorū: idq; eſſet prębere anſam iniurijs, ita ut nō minus ignoſcēdo euerteret̄ humana felicitas, q̄ ulciſcēdo: imò etiam tāto magis, quāto plus ꝓpter iniuriarū ultionē homines timēt ne dēt pœnas, ſi quē iniuria afficiāt, ob idq; magis ab iniurijs & maleficijs abſtinēt. Hęc inquā incōmoda negamus ſequi, propterea quòd qui confitent̄ errores ſuos, eoūſq; ipſos maximè pœnitet, deprecāturq; ueniam, nō ſunt ij ſine pœna. Etenim nulla poteſt eſſe maior pœna, q̄ ore ſuo fateri errores ſuos, & oſtendere ſe illorum pœnitere, rogareq; ut ſibi ignoſcatur. Durum eſt enim homini forti & magnanimo deſcendere ad hanc humilitatem. atque ijs qui ſunt iniuria affecti, nulla maior poteſt eſſe lętitia, quàm uidere illos à quibus acceperunt iniuriā, fateri ſe iniquè & prauè feciſſe, eiuſq; rei ualdè ipſos pœnitere, etiamſi reuera non pœniteret. ſatis enim illis eſt, ſi cogant eos à quibus offenſi ſunt, dare ſigna pœnitentiæ, & deprecari ab ſe ueniam. Quòd ſi nulla eſt maior lætitia, ergo non eſt maior uindicta: quia uindicta (ut oſtenſum eſt) fit, ut expleatur is qui iniuria eſt

affectus. & ita ex hoc, quòd detur aliquando uenia eo modo quo dictum eſt, non ſequitur euerſio humanæ naturæ, quemadmodum obijciebatur: quia huiuſmodi uenia non eſt omnino ſine uindicta, ut oſtendimus. ſequeretur quidem, ſi daretur uenia ſimpliciter & abſolutè, non eo modo quo diximus. Ac rationes & uerba Ariſtotelis, quæ aſſerunt uindictam eſſe ſumendam, & non dandam eſſe ueniam, ne fiamus præda Myſorum, & alia huiuſmodi, intelliguntur de uenia quæ datur, etiamſi ille qui iniuria affecerit, non fateatur ſe improbè feciſſe, nec præ ſe ferat ſe eius iniuriæ ualdè pœnitere, neq; ueniam ſupplex deprecetur: quæ cum fiunt, tãtum abeſt ut uir fortis & magnanimus non poſsit ſaluo honore ſuo dare ueniam, in eis quæ ſuprà cõmemorata ſunt, ut ſi non det, ſit maximè præter naturã conſtitutus, & per conſequẽs maximè dignus uituperatione, ſicut ex eis quæ dixit Ariſtoteles, patet. Humanũ enim eſt ignoſcere pœnitentibus, quia ſcilicet humanum eſt peccare. Nihil ergo (mea quidẽ ſentẽtia) incõmodi ſequitur ex eo quod poſuimus, aliquãdo eſſe ignoſcendũ.

SECTIO OCTAVA.

QVibus explicatis, mihi uidetur perſpicua quoq; eſſe diſſolutio quæſtionis principalis huius loci: qua obijciebatur, ſequi ex eis quæ erant dicta, ut læſiones illę quę ſunt ueræ iniurię, non eſſent uenia dignæ, & homines cogerentur ſumere de eis uindictam, ut recuperarent id quod perdidiſſent, ob eas rationes & auctoritates Ariſtotelis, quę afferebantur. Ex hoc uerò effici, ut pax omnis & concordia ex hominũ uita tolleretur, & per cõſequens felicitas, atq; ita humana natura planè euerteretur.

Huius inquam quæſtionis diſſolutionem, ex ijs quę dicta ſunt, planè ſequi arbitramur. oſtendimus enim, ignoſcendum eſſe aliquando etiam ueris iniurijs, cum ſcilicet qui nos læſerunt fatẽtur ſe iniquè & improbè feciſſe, magnamq; animi pœnitentiam præ ſe ferunt, ac ueniam ſupplices deprecãtur. Quòd ſi qui reperiantur, qui cum alterum iniuria uerè affecerint, nolint horum quicquam facere, neq; ullũ dent pœnitentis animi ſignum, eos uerò negamus eſſe uenia dignos: quoniam ſunt homines pertinaces, duri, & præter naturam affecti. Si enim eſſent ex natura rectè diſpoſiti, non recuſarent fateri ſe peccaſſe, ſuiq; peccati pœnitentiam oſtendere, ac ueniam petere, cũ humanum ſit peccare. Itaq; tantum abeſt ut ijs ſit alio modo ignoſcendum, ut è ciuitatibus & ex hominũ ſocietate ſint penitus eijciendi & exterminãdi, atq; omnino ex natura humana tollẽdi, utpote humanæ felicitatis perturbatores maximi & euerſores. Nam cum humanum ſit peccare, ut ſæpe iam dictũ eſt, uelle perſeuerare in maleficijs & iniurijs, neq; ullum pœnitentis animi ſignum dare, eſt uelle manere in perpetuis ſimultatibus, odijs ac cædibus, & humanam ſocietatẽ maximè perturbare ac diſſoluere. Nam cum ab eo qui fuit iniuria affectus, ſit aliquid boni præter iuſticiam & æquitatem ablatum: naturæ humanæ ratio exigit, quemadmodum ſuprà demonſtrauimus, ut is qui eo bono fuit priuatus, niſi uelit eſſe ſeruorum ac mancipiorum planè ſimilis, adhibeat omnem curam & diligentiam, ut recuperet quod ſibi iniuſtè & per uim eſt ablatum. Hoc autem reſtituere cum nolit ille qui abſtulit, neceſsitas ipſum cogit ut quærat illud quàm optima & honeſtiſsima uia poteſt. ea uerò eſt per leges & magiſtratum. Quòd ſi hac uia ius ſuum perſequi non poteſt, uel quia non habeat idoneas probationes, uel propter alias cauſas, quas in ſequentibus commemorabimus: reſtat ut ad uim armorum confugiat, eo modo quo diximus in libris De honore. *Lib. De hon.*

Neq; enim ullo pacto permittendum eſt ut impunè abeant qui tam iniqui & pertinaces ſunt, ac præter naturam conſtituti, ut cum homines interfecerint, aliaſq; iniurias quæ ueræ ſunt iniuriæ intulerint, nolint tamen ullum pœnitentiæ & doloris ſignum dare, neq; ueniam petere. hoc enim planè indicat, iſtos negligere eos quos iniuria affecerunt: futurumq; ut iterum atq; iterum conentur ijſdem iniuriam facere, ita ut occidant etiam ipſos, ſi detur occaſio. Aequum eſt igitur ex ratione naturali, ut homines ſe defendant, & quæ ſibi ablata ſunt recuperent. quod quidẽ conari, quantum poſsint, bruta etiam animalia quotidie uidemus, cum totis uirib. & toto (ut aiunt) pectore inſurgũt aduerſus eos qui cõtendunt ipſa opprimere: ac dentib. & unguib. uel cornib. & quibuſcũq; à natura quaſi armis munita ſunt, ſeſe tuenẽ, nihil omnino omittẽtia, quin ſe uſq; ad necẽ ꝓ uirili defendãt. Quod planè argumẽto eſt, à natura nobis

inſitum

inſitum eſſe, ut nos noſtraqꝫ tueamur, aduerſus eos qui ea conantur per uim lędere
uel auferre.

Ex quo ſequitur, non iuſtum eſſe, neqꝫ honeſtum, talibus prauis ac ſuperbis & cõ-
tumacibus hominibus ueniam dare. Quæ quidem opinio tantum abeſt ut ſit dete-
ſtabilis & execranda, propterea quòd eam ſequatur euerſio beatitudinis humanæ,
ut ſi aliter fieret, omnia ſequerentur incommoda, quæ dicta ſunt in ſuperioribus: ita
ut humanum genus beatitudine, qui proprius eſt eius finis, priuaretur. Nam cum 2.Rhet.r.
homines, ut dictum eſt, maiori ex parte quando poſſunt, alios iniuria afficiant: niſi
eſſet timor pœnæ, iniuſti & impij ac pertinaces probis uiris quotidie negocium ex-
hiberent, eosqꝫ uexarent, ſic, ut eſſent præda ipſorum. Id quod ſatis indicant, cum
nolint reddere quod alterius eſt, cum poſſunt: neqꝫ eos maleficiorum ſuorum & in-
iuriarum pœniteat.

Ex eis ergo quæ dicta ſunt perſpicuè patêre arbitror, ſecundum Ariſtotelis ſen-
tentiam, & rationem quæ à ſenſu ortum habet, humanum eſſe & æquum, aliquandò
non ignoſcere, quicquid hac de re præcipiat Chriſtiana ueritas: quam explicare hoc
loco non profitemur, ſed in eis quæ ſequentur eius mentionem faciemus.

SECTIO NONA.

ILlis autem læſionib. quæ non ſunt ueræ iniuriæ, quin ſemper danda ſit uenia, non
uidetur eſſe dubium, ut ſuprà diximus: quandoquidẽ nobis nihil fuerit huiuſmodi
læſionib. ablatum, ſed ſatis ſuperqꝫ, ſi ille qui lęſerit, fateatur ſe læſiſſe, uel non ſponte,
uel laceſſitũ, uel non cum electione: & omnino illi læſioni defuiſſe aliquã earũ pro-
prietarum, quæ in definitione ueræ iniuriæ fuerunt poſitæ. Nec, quod ad hoc quidẽ
attinet ut ignoſci debeat, refert, utrum læſio illa fuerit pulſatio, an uerba: quia hoc cõ-
donatur infirmitati humanæ naturæ, quæ non poteſt cogitare, neque cernere om-
nia quæ oportet, neque uitare omnia quæ fortuitò poſſunt accidere: ſunt enim infi-
nita. Si ergo oſtenſum fuerit, illi læſioni deeſſe aliquam ex dictis proprietatibus,
nulli dubium eſſe poteſt ex fundamentis naturæ, quin uenia ſit danda: propterea
quòd qui in talibus cauſis non ignoſceret, apertè indicaret ſe eſſe nimis durum homi-
nem, atque etiam prauum, & præter naturam diſpoſitum, & ignorantem: ſiqui-
dem ignoraret homines eſſe homines, qui & poſſunt peccare & peccant, neque
poſſunt ob infirmitatem humanę naturæ ob omnibus erroribus cauere. Idem eſ-
ſet etiam iniuſtus quærendo uindictam: etenim quærere uindictam, eſt quærere id
quod ablatum ſibi iniuſtè fuerit. at nihil iniuſtè ipſi ablatum fuit: nulla enim illata
eſt uerè iniuria: ergo quærens uindictam, quærit quod alterius eſt. qui autem hoc
faciunt, ſunt iniuſti: ergo ipſe erit iniuſtus, ſi conetur ulciſci, neque poſſit adduci ut
det ueniam. Ideo in reconciliandis inter ſe hominibus ſpectanda eſt in primis de-
finitio iniuriæ, ſingulæqꝫ eius particulæ diligenter ſunt examinandę: & ſi (ut dixi-
ximus) in lęſionibus quę illatę fuerint, inueniamus aliquam deeſſe ipſarum parti-
cularum, concludemus eas non eſſe iniurias: quemadmodum ſi inueniremus alicui
animali deeſſe rationale, ſtatim concluderemus ipſum non eſſe hominem. Cum
uerò inuenerimus, lęſiones non eſſe iniurias, non dubitabimus ſtatim pacem &
concordiam conciliare inter eos qui lęſerint, & qui lęſi fuerint, qualeſcunque ſint
illę lęſiones, ſiue cędes, ſiue uerberationes, ſiue uerba, quę probrum uideantur in-
ferre. hęc enim niſi ſint talia ut inferant iniuriam, non lędunt honorem: quia ſua
quidem ui ac natura neque cędes, quatenus cędes, neque uerberatio, quatenus
uerberatio, neque uerba, quatenus uerba, inferunt iniuriam. Nam ſi ita eſſet, o-
mnis cędes, & omnis uerberatio, & omnia uerba inferrent iniuriam: quia quod
conuenit alicui per ſe primò, conuenit omni illi, & ſemper. Sed hoc eſt falſum: quia
nonnullis caſu & fortuna accidere uidemus, ut aliquos uulnerent uel interficiant,
& tamen neque ipſos neque eorum propinquos iniuria afficiant: neque enim cle-
gerunt illam uulnerationem ſeu interfectionem: & ſic de reliquis. ut ſi cui cum al-
tero (ut fit) iocanti probroſum aliquod uerbum excidat, quod ille tamen non protu-
lerit ut de eius honore detraheret, is quidem non dicetur iniuria affeciſſe.

Quocirca minimè mirũ uideri debet, ſi aſſeramus, fieri poſſe ut qui alterũ percuſ-
ſerit,

ſerit, huic uerbis ita ſatisfaciat, ut qui percuſſus fuerit, debeat ex natura honoris ue-
niam ei dare: in eiuſmodi ſcilicet læſionibus, quas diximus: non enim ſunt iniuriæ. Et
ita apparet, maximè deteſtabilem eſſe illam opinionem, omniq; contentione & ſtu-
dio fugiendam, quę negat ſimpliciter uerba non poſſe ſatisfacere uerberibus, neque
uulneribus, ac multo minus cædibus, quia ſint minora. Etenim in huiuſmodi læ-
ſionibus tantum abeſt ut uerba minora ſint, ut nihil quod magis ſatisfaceret excogi-
tari potuerit. Nam ſi læſiones quæ non ſunt iniuriæ, non auferunt alicui exiſtima-
tionem & honorem: & nihil magis quàm uerba, poteſt oſtendere læſiones aliquas
non eſſe iniurias (nihil enim magis poteſt indicare electiones & uoluntates homi-
1.Periher.1. num, quàm uerba, quæ (ut dixit Ariſtoteles) ſunt ſigna earum quæ ſunt in anima af-
fectionum) non uideo ſanè quid prohibeat, quin uerba poſsint ſatisfacere læſioni-
bus ijs quæ non ſunt iniuriæ. Imò uerò non ſolùm poſſunt, uerùm etiam aliquando
non poteſt aliter quàm uerbis ſatisfieri, ob eas rationes & cauſas quas attulimus.

Quòd autem uerbera, ut uerbera, non ſemper iniuria afficiant, perſpicuè li-
quet ex eo, quòd patres uerberant filios, & ludimagiſtri diſcipulos, ut bonis mo-
ribus & bonarum literarum ſtudijs operam impendant: quibus quidem uerberibus
tantum abeſt ut dicantur eos iniuria afficere, ut ob hæc ipſa de illis optimè mereri
cenſeantur.

Liquet etiam de cædibus quæ caſu fiunt, ſiue ob alias cauſas quæ non ſunt ex ele-
ctione, & de alijs huiuſmodi læſionibus quæ accidunt ob infirmitatem humanæ na-
turæ, quæ poteſt nimium errare: quibus ſanè erroribus, & ijs maximè qui non ſunt
ſpontanei, ſed inuiti, æquum eſt aliquando ignoſcere: & qui non ignoſcunt, non
ſunt homines, quia naturam humanam ignorare uidentur. Colligat igitur ſe unuſ-
quiſque, & conſideret in quot errores ipſe quotidie incurrat, recordeturq; illorum
3.Ethic.1. uerborum Ariſtotelis: Cum uirtus circa affectus actionesq; uerſetur, cumq; in ſpon-
,, taneis laudes, & uituperationes in inuitis, uenia, interdum etiam miſericordia exi-
,, ſtat, neceſſarium fortaſſe eſt ijs qui de uirtute conſiderant, ſpontaneum & inuitum
,, definiſſe.

Vult hic Ariſtoteles, inuitis erroribus non ſolùm aliquãdo ueniam eſſe dandam,
ſed etiam miſerendium eſſe. Quod ſi ita eſt, in dubium uenire non poteſt, quin uerba
quæ oſtendunt quempiam uerberaſſe alterum, uel inuitè, uel per ignorationem, cu-
ius ipſe non fuerit cauſa: oſtendant item, eum qui uerberauit, non iniuria affeciſſe, &
per conſequens dignum eſſe uenia, & interdum etiam miſericordia. Eodem modo
dicendum eſt de cæde quam aliquis faciat inuitus & per ignorationem, cuius ipſe
non fuerit cauſa: eadem enim eſt ratio. Qui igitur negat uerba non eſſe idonea ut
ſatisfaciant omnibus læſionibus, quæ non ſunt ueræ iniuriæ, ex eis quæ dicta ſunt
intelligi facilè poteſt, quàm ualde is Ariſtotelis ſententię. & (quod multo peius eſt)
rationi aduerſetur, & quàm pernicioſa ſit humano generi hæc opinio: ex qua qui-
dem non ſolùm priuatas ſimultates & inimicitias ac cędes quotidie naſci uidemus,
ſed aliquando etiam maxima bella extitiſſe, quibus oppida, prouincię & regna labe
factata & omnino conuulſa fuerint, memorię proditum eſt. Quare ſi reperiantur a-
liqui ita malè affecti, qui in huiuſmodi lęſionibus nolint ueniam dare & reconciliari:
naturę quidem humanę ratio, æquitas & honor planè efflagitare uidentur, atque a-
deò cogere ipſos magiſtratus & principes, omnesq; qui præſunt, ut iſtos penitus ex
hominum ſocietate ejiciant atque exterminent, magis etiam quàm illos qui uerè in-
iurijs affecerint: ut qui ſine ulla cauſa maximi ſint perturbatores ocij, pacis & tran-
quillitatis, & ſic humanæ beatitudinis: quam quidem tueri inprimis & conſeruare,
quàm maximè poſſunt, principes debent, & omnes qui præſunt. Ob hanc enim ſo-
lam cauſam permiſſum fuit ab origine mũdi, ut unus aliquis ſiue plures cæteris præ-
eſſent atque imperarent. nam ſi uellent homines (ut in ſuperioribus declaratum eſt)
ex uirtutibus & humana felicitate uiuere, mundus non indigeret neque magiſtrati-
bus, neque regibus, neque legibus. Sed quia prauitas hominum ita latè patet,
ut maiori ex parte ipſis uirtutibus neglectis, ipſa'que humana felicitate ſpreta, o-
mnium generum flagitijs ac ſceleribus turpiter ſeſe dedant: ideo neceſſe fuit ut
conſtituerentur magiſtratus & reges, qui eos maximè qui uirtutes & humanam

beatitudinem labefactantes naturam humanam euerterint, ex hominum cœtu & ciuitatibus eijcerent, meritis que ſupplicijs & pœnis profligarent. Quo quidem tam præclaro munere ſi ij fungi negligant, quin ab honore etiam longè recedant, in dubium uenire non poteſt: etenim qui à munere ſuo deficiunt, eoſdem etiam ab honore deficere planè conſtat: ut milites qui aciem deſerunt, honorem deſerere neminem latere arbitror. Itaque magiſtratibus & regibus, qui dignos ſe uero honore, eoq; affici cupiunt, omnis opera & diligentia adhibẽda erit, ut eos quos diximus homines prauos ex hominum ſocietate eijciant atque exterminent, uirtutesq; & humanam felicitatem quantum poſſunt, tueantur & conſeruent. Quòd ſi ſecus fecerint, ſciant ex ratione naturali, ipſaq; natura, ſe omnino ab humanitate & iuſticia alienos eſſe, atque abhortentes, dignosq; eſſe qui omni honore & exiſtimatione priuati, ex poteſtatibus & regnis atque omni adminiſtratione deturbentur, utpote qui munus ad quod fuerunt electi negligant, ingratosq; ſe & in naturam & in homines præbeant. Quod quantum eis turpitudinis & dedecoris afferat, etſi etiam poteſtatibus non priuentur, nimis perſpicuum eſt.

Hæc autem nos ut diceremus, adducti ſumus ob eam charitatem & pietatem qua generis humani infirmitatem proſequimur: conatiq; ſumus ex ipſa natura, & ex ſententia Ariſtotelis ſtatuere, quando ignoſcendum ſit iniurijs, & quando non uideatur ignoſcendum: quia homines maiori ex parte magis uiuunt ut exigit natura & ciuilis honor, quàm ut poſtulat Chriſti ſeruatoris noſtri ſanctiſsima doctrina. quod quidem turpiſsimum eſſe, neminem qui Chriſti ſeruatoris legem profiteatur, & ueritatem ipſam, latere arbitror. Sed poſtquam homines malunt uiuere ex honore ciuili, melius eſt ut ſciant uiuere quemadmodum exigit iſte honor, quàm ut temerè & nulla ratione pecudum ritu uitam traducant.

SECTIO DECIMA.

QVòd item uerbis diſſoluantur illæ læſiones quæ non ſunt ueræ iniuriæ, oſtendere uidetur Ariſtoteles, ubi ponit locos ad diſſoluendum calumnias. nam inquit: De his enim quæſtio eſt, ut Iphicrates aduerſus Nauſicratem dixit, feciſſe ſe quod ille dicebat, & nocuiſſe, ſed non feciſſe iniuriam. Alius locus quòd error, uel aduerſa fortuna, uel neceſsitudo fuit: ſicut Sophocles dixit, tremere ſe. ſed nõ ut accuſator dixit, ut ſenex uideatur, ſed inuitus: non enim uellet ſe annos octoginta natum. Præterea finem pro fine noluit nocere: ſed hoc uoluit, & feciſſe quidem de quo accuſatur, nocumentum uerò accidiſſe. par autem eſt me odio haberi, ſi ut ſic eueniret feciſſem. Vult ergo Ariſtoteles, quòd ijs modis diſſoluatur calumnia: ergo etiam iniuria: eſt enim calumnia, iniuria quæ infertur. 5.Rhet.15. ‹‹ ‹‹ ‹‹ ‹‹ ‹‹ ‹‹

Conſentit ergo rationi quæ eſt ex natura, ut detur uenia ob illas læſiones quæ nõ ſunt propriè iniuriæ, cum ij qui læſerunt indicant deeſſe (ſicut dictum eſt) aliquam earum proprietatum, quę ueras efficiunt iniurias. Sed omnis difficultas uerſatur in ijs læſionibus, quæ ueræ ſunt iniuriæ. nam etiamſi homines fateantur ſe erraſſe, & dent ſigna pœnitentiæ, ueniamq; deprecentur: tamen non uidetur conſentire rationi, ut eis ignoſcatur, neq; huiuſmodi læſionibus uidentur uerba poſſe ſatisfacere. Etenim ſunt ueræ iniuriæ: non enim poteſt qui ita læſit, dicere ſe non læſiſſe ſponte & cum electione: & breuiter, non læſiſſe omnibus illis modis, qui læſiones efficiunt ueras iniurias. Quomodo igitur uerba huiuſmodi læſionibus mederi poterunt, ut oſtẽdant eſſe uenia dignos qui ita læſerint? Et ſi poſsint, quid intererit inter læſiones quæ ueræ non ſunt iniuriæ, & eas quæ ueræ ſunt iniuriæ, ſi omnibus generaliter uerba ſatisfacere poſſunt?

Item à ratione alienum uidetur afferere, ſi quis interfecerit propinquum alicuius, uel fratrem, uel parentem, ſponte, cum electione, non laceſsitus, poſſe iſtum uerbis ſatisfacere illi cædi, & honori eius qui ita læſus eſt: etenim morti non poteſt ſatisfieri, quia (ut dicebat Agathon) Hoc ſolo priuatur Deus, ut infecta facere poſsit quæ facta ſunt. 6.Ethic.1.

Præterea ex hac opinione multa naſcerentur incommoda: quia praui paſsim homines uerberarent, uulnerarent, occiderent, ſi putarent poſtmodùm fore ut uerbis poſſent has iniurias delere. nullam enim prauitatis ſuæ pœnam ſuſtinerent: quæ quidem

dem res humani generis tranquillitati & felicitati plurimùm noceret. Quod cum abſurdum ſit, ut ea quoq; opinio unde id ſequitur, ſit abſurda neceſſe eſt.

Item quæritur, Si alicui eſſent ablatæ res aliquæ per uim, & ille qui abſtuliſſet fate retur ſe abſtuliſſe, tamen diceret ſe pœnitere quòd abſtuliſſet, & precaretur ueniam, at non redderet res ablatas: quæritur inquam, nunquid huic danda eſſet uenia? quia uidetur ſequi ex eis quæ dicta ſunt, ut danda eſſet.

Item, Nunquid magiſtratus debeat dare ueniam iniuriarum, quæ factę ſint in eis cauſis in quibus demonſtratum eſt priuatos homines debere ignoſcere.

Item erit quęrendum, Sub qua ſpecie paruipenſionis ſint ponenda adulteria, quę fiunt propter amorem: & furta, quæ fiunt ut aliquis ſe ſuſtentet: quia dixit Ariſtoteles, ob huiuſmodi errores, licèt ſint iniuriæ, non tamen homines dici iniuſtos: quod quidem omnino uidetur à ueritate abhorrere.

Item, Si aliquis fuerit ab aliquo læſus, qui eſſet armatus, & ſecum complures armatos haberet, uel percuſſus ſit ita repentè, ut non potuerit cernere eum qui percuſſerit, quærendum uidetur, utrum is ſit uerè iniuria affectus: & ſi ſit, quomodo poſsit cum eo qui percuſſerit reconciliari & pacem inire: & ſi per inſidias, ut ſæpe fit, percuſſus fuerit, quomodo debeat hanc iniuriam ulciſci? nunquid inſidijs, uel alia uia? Videtur enim inſidijs agendum eſſe, quia par pari reddere iuſtum eſt, ut dixit Ariſtoteles, & omne iuſtum eſt honeſtum. Vindicta autem fit, cum par pari redditur. 1. Rhet. 9.

SECTIO VNDECIMA.

HAE ſunt quæſtiones, quæ ea quæ dicta ſunt, nō ſolùm labefactare ac infirmare uidentur, uerùm etiam penitus euertere: ad quarum ſolutionē, ſi uolumus harum rerum non errantem & uagam, ſed firmam & ſtabilem opinionem habere, ueniendum eſt.

Reſpondentes igitur ad primam dubitationem, planè aſſerimus, in læſionib. quæ ſunt ueræ iniuriæ, ut in ſuperioribus etiam diximus, ſi ij qui læſerunt confiteantur ſe non rectè feciſſe, oſtendantq; ſe pœnitere, & ueniam deprecentur: non ſolùm dandam eſſe ueniam: ſed etiam qui non dat, iſtum euertere naturam humanam, & per conſequens eſſe omnino honore priuatum.

Quòd autem euertat naturam humanam, ex eo facile colligitur, quòd dictum eſt in ſuperioribus de eis quæ tolluntiram. Tum etiam iretur in infinitum in percuſsionibus & cædibus, quia nullus unquam daretur earum finis. nam & fratres fratrum, & amici amicorum perſequerentur inimicitias & iniurias, ita ut læſi læderent, & rurſus lædentes læderentur: ſic nullo adhibito modo, omnis tranquillitas atq; hominū ſocietas, & per conſequens beatitudo humana euerteretur. quod cum ſit abſurdiſſimum (eſt enim contra id quod natura molitur, quæ eò tota incumbit, ut ſaluti & cōſeruationi eorum quæ ab ipſa pendent, maximè proſpiciat & conſulat) ut ſit etiam abſurdum illud unde emanat neceſſe eſt.

Item, Si non poſſent homines ſatisfactione uerborum accepta (ſicuti diximus) inire pacem cum eis qui ſuorum percuſsiſſent aliquem, uel interfeciſſent, ipſisq; ignoſcere ſaluo & incolumi honore ſuo, honor eſſet cauſa euerſionis fclicitatis humanæ. Conſequens à ueritate maximè abhorret: ergo & id quod antecedit. Conſequentis autem falſitas ex eo colligitur, quòd honor eſt ex natura, & fuit excogitatus ut eſſet ſignum (quemadmodum dictum eſt) operationum quas homines ex uirtutibus effeciſſent, communis boni cauſa. Huiuſmodi autem operationibus conſeruatur ſocietas humana, & ſic felicitas. ergo natura humana conſeruatur ipſo honore, & per conſequens ipſe mundus. Vt igitur homines inflammarentur ad uirtutes capeſſendas, & ad agendum ex illis unde ſequeretur ſalus humana, excogitatus fuit honor. abhorret ergo à ueritate, exiſtimare honorem eſſe cauſam euerſionis humanæ naturæ, ſi rectè intelligatur.

Conſequentia uerò indicari poteſt hoc modo: quia cum maiori ex parte (ut dictū eſt) homines iniuria afficiant alios, & ipſi inter ſe percutiant, uulnerent, interficiant, niſi fieri poſſet ſaluo & incolumi honore, ut uerbis ſatisfieret, perſequerentur inimicitias in perpetuum, nullo adhibito modo, ut diximus, & ita euerteretur humana felicitas: idq; ab honore accideret, & honoris cauſa: quia aliter non poſſet ſeruari, & incolumis

incolumis in huiuſmodi læſionibus permanere. Sed cum conſequens ſit falſum, ut etiam id ſit falſum ex quo fluxit, neceſſe eſt. Ex ipſa igitur natura, & ex ui honoris cogimur fateri, uerba poſſe percuſsionibus & uulneribus, & etiam cædibus ſatisfacere.

Item, Nulla eſt ægritudo, cui natura ipſa non tradiderit remedia, modò cognoſcerentur: alioquin manca fuiſſet. quia non ſatis prouidiſſet conſeruationi humani generis: quo nihil quod magis ipſi aduerſetur dici poteſt. Ergo nulla eſt iniuria, cui tanquam ægritudini honor non tradiderit remedium: alioquin eſſet mancus, neq; planè conſuleret conſeruationi hominum. Probatur conſequentia: quia honor eſt ex natura, & imitatur naturam quantum poteſt. Sed conſequens eſſet falſum. niſi uerba poſſent ſatisfacere ijs læſionibus, quas diximus: ergo & id unde fluxit, falſum eſſe oportet.

Quòd autem conſequens eſſet falſum, patet: quia mors uel uerbis, uel morte eſſet expianda. alterum enim iſtorum euenire neceſſe eſt. Non morte, ergo uerbis. Cur autem nō morte? quia eſſet procedere in infinitum, & euerteretur beatitudo humana; ut probatum eſt ſuprà. Ergo uerbis eſt ſatisfaciendum.

Cum uerò dicebatur, hanc opinionem ſequi multa incōmoda, quia praui paſsim homines uerberarent, uulnerarent, interficerent, ſi putarent fore ut poſtmodum uerbis poſſent inire pacem, & reconciliari, neq; ullam pœnam horum maleficiorum & iniuriarum daturi eſſent, & ita quotidie hominū uitam & ſanguinē peterent, eoſq; iniuria afficerent.

Verba etiam quæ ad ſatisfaciendū eos dicere oporteret, ex ore tantum mitterent, non autem ex animo: ſic nullam omnino darent pœnam iniuriarum quas feciſſent.

Huic dubitationi ſatis reſponſum eſt in ſuperioribus, ubi oſtendimus, non ſequi ulla incommoda: ad quem locum me reijcio. Etenim diximus, homines dare pœnas, dum confitentur errores ſuos, & oſtendunt ſe mirum in modum pœnitere, & rogare ut ſibi ignoſcatur. nihil enim ei qui iniuria affectus ſit, accidere poteſt quo magis lætari debeat, quàm uidere eum à quo iniuria fuit affectus, cogi confiteri ſe male feciſſe, pœnitereq; & ueniam petere. hoc enim eſt uerè uincere & ſuperare aduerſarium, honeſtamq; de ipſo ſumere uindictam. Etenim ſi dum certaretur ſingulari certamine, ille fateretur ſe uictum eſſe, antequam fuiſſet uulneratus, aut percuſſus: nihil poſſet in eum facere qui iniuria eſſet affectus. Nam in ſingularibus certaminibus non certatur, niſi ut oſtēdatur eum qui iniuriam intulerit, non fuiſſe idoneum qui auferret à nobis honorem noſtrum, quiq; nos negligeret. omnes enim ueræ iniuriæ oriuntur ex neglectu. Quòd ſi ille ipſe confiteatur, ratio poſtulat ut omittatur pugna, etiamſi noſtrum is patrem interfeciſſet. Quod etiam cōſpicitur temporibus noſtris, & ſi ſunt admodum corrupta: quippe cum magna ex parte non certatur ut exigit honor & uirtus, ſed ut ſolùm uincatur? Quomodo aūt acquiratur uictoria, inſidijs'ne, an meliori conditione, nihil curæ eſt: quo quidem nihil poteſt eſſe turpius. his tamē tam corruptis temporibus, ſi in ſingulari certamine alter fateatur ſe uictum, ſtatim ei ab altero ignoſcitur, quacunque is iniuria affectus fuerit, alioquin honore omnino priuaretur.

Si ergo in ipſo certamine uerba illa ſunt idonea quæ ſatisfaciant, multo magis erunt antequam certetur. Probatur conſequentia: quia illa uerba quæ oſtendunt, eum qui iniuria affecerit, magis timere illum qui fuit iniuria affectus, magis ſatisfaciunt iniuriæ. Propoſitio iſta perſpicua eſt, ſed uerba humilia: quæ oſtendimus, ſi dicantur antequam ueniatur ad ſingulare certamen. oſtendūt enim eum qui iniuria affecit, magis timere illum qui iniuria fuit affectus, quàm ſi dicantur in ſingulari certamine. Igitur magis ſatisfaciunt iniuriæ, quæcunq; ea ſit: & ſic patet, uerba ſatisfacere iniurijs, qualeſcunq; ſint.

Minor propoſitio declaratur hoc modo. Illi qui timere ſe oſtendunt, eum longè abſunt à periculo, magis timent q; qui timorem præ ſe ferūt in ipſo periculo. Sed qui dicunt ea uerba quæ indicāt homines humiles, abiectos, inferiores, & deniq; uictos, antequam ſingulare certamen ineant, oſtendunt ſe timere eum quo cum cōgreſſuri ſunt, cum longè abſint à periculo. Ergo hi magis timēt illum, quàm timeant qui inito iam ſingulari certamine in ipſo periculo uerſantur.

2.Rhet.5. Maiorem propoſitionem declarauit Ariſtoteles ijs planè uerbis: Sit ergo timor ,, (inquit) ex cogitatione futuri mali corruptiui, aut dolorem inferentis, triſticia quædam aut perturbatio: non enim cuncta timemus mala, ut ſi erit iniuſtus, aut tardus: ſed quæcunque uel magnos dolores uel corruptiones adducunt: & ea quæ non longè abſunt, ſed propè uidentur, ut iam impendeant. remota namque nimium, non timent. omnes enim ſciunt ſe morituros: uerùm quoniam non propè, iccirco non curant. Si ergo id timor eſt, neceſſe eſt ea terribilia timendaque eſſe, quæcunque ingentes uideantur habere uires corrumpendi, aut ita nocendi ut nocumentum ad ingentem tendat dolorem. Quare ſigna quoque iſtorum timenda. propè namque oſtendunt eſſe quod timetur. id uerò periculum eſt: eſt enim periculum, timendæ rei appropinquatio.

Ex uerbis igitur Ariſtotelis apertè colligitur, eos magis timere qui procul à periculo conſtituti timent, quàm qui propè. Propriè enim periculum eſt, appropinquatio rei timendæ: quòd ſi non eſt propè res timenda, non eſt periculum. Qui ergo timet cum res timenda procul abeſt, timet ubi non eſt periculum. Ergo eſt magis timidus, quàm ille qui timet ubi eſt periculum: quia qui timet ſine cauſa, magis timet quàm ille qui timet cũ cauſa. Sed qui timet cum longè abeſt periculum, ſine cauſa timet: ergo magis eſt timidus. Quid enim eſt magis morte timendum? eſt enim ultimum terribilium, ut dicebat Ariſtoteles: tamen eam non timemus, quia exiſtimamus longè abeſſe. Qui ergo timet mortem cum non eſt propè illam, ut cum non eſt ægrotus, uel non uerſatur in acie, magis eſt timidus quàm ille qui timet dum ægrotat, uel eſt in maximo uitæ periculo.

Quòd autem illi qui proferunt uerba quæ diximus, antequam ueniant ad certamen, longius abſint à periculo, ita perſpicuum eſt, ut planè ridiculum ſit uelle id probare.

Conſentaneum eſt igitur rationi, ut ſi illa uerba quæ dicuntur in ſingulari certamine, ſatisfaciant iniurijs qualeſcunque eæ ſint: eadem ſatisfaciant, prolata antequam ueniatur ad certamen. Non ergo ſequitur, ſi homines talibus uerbis ſatisfaciant iniurijs quas fecerint, futurum ut reuertantur ad iniurias, & iterum uerberent, & interficiant: propterea quia nullas dederint pœnas. quoniam illa uerba maiores ſunt pœnæ quàm ſi quis corpore mulctaretur. Quæ enim homini forti grauior pœna eſſe poteſt, quàm cogi fateri ſe improbè feciſſe, & pœnitentiæ ſignificationem dare, & deprecari ueniam? nihil certè. Declaratum eſt enim in ſuperioribus, intereſſe inter pœnam & uindictam: quia pœna eſt gratia eius qui patitur, uindicta uerò gratia eius qui agit. & declaratum eſt, fieri poſſe ut ſit uindicta ſine pœna. Quòd ſi is qui iniuria affectus fuit, conſequutus eſt uindictam eo modo quo diximus, etiamſi ille qui læſit nullam corporis pœnam pertulerit, ſatisfecit honori ſuo: qui enim ulciſcuntur, non percutiunt eos à quibus fuerunt iniuria affecti, niſi ut ab ipſis pœnitentiæ confeſſionem exprimant, utque ij ſe inſolenniæ condemnent quod eos neglexerint, neque amplius reuertantur ad iniurias inferendas: id uerò ſi conſequi poſſumus ſine ulla pœna corporis, ergo fruſtra adhibebitur hæc pœna. Quare ſoli petunt ruſtici, qui nihil laborant, ut ſatisfaciant honori: ſed tantùm ut ille doleat à quo læſi ſunt, ſicut ipſi doluerunt. At uerè nobilibus & ingenuis ſatis eſt uindicta quæ poteſt eſſe ſine pœna corporis, etſi non poteſt eſſe ſine pœna animi. hæc uerò animi pœna utrum ſit in corde etiam, an in ore tantùm oſtendatur, nihil refert. ſatis enim eſt, ut qui læſit, ore fateatur ſe iniquè & improbè feciſſe, ſeque pœnitentem, humilem, abiectum & uictum præ ſe ferat. neque enim homines ſunt cordium perſcrutatores, ut interiores animi cogitationes cognoſcant, niſi ex uerbis, quæ ſola exiſtunt eorum qui ſunt in anima affectuum ſigna. Quòd ſi dicatur, uindictam ſumi non poſſe niſi par pari reddatur: itaque ſi aliquis fuerit percuſſus, neceſſe eſſe ut ipſe uiciſſim percutiat, alioquin non ulturum eſſe iniuriam quam acceperit. Dico, intelligi par pari reddi, non ſi quis percuſſus percutiat: ſed ſiue percutiendo, ſiue per aliquid aliud quod æquè ualeat atque illa percuſſio quam paſſus eſt, par pari reddat: ut uidemus accidere in permutationibus, de quibus Ariſtoteles.

5.Ethic.5. Nihil enim refert (inquit) ſi lecticæ quinque pro domo ,, dentur, ſiue precium quinque lecticarum detur.

Eſt ergo in permutationibus par per æquabilem rationem, alioquin non commodè fierent permutationes.

Eodem modo debet fieri in iniurijs: aliter enim non poſſent commodè inter ſe reconciliari homines, quia non ſemper par pari reddi poteſt. Poterit igitur eſſe uindicta, etiamſi qui percuſsit non patiatur pœnam, qua alterum affecit. Nihil ergo prohibere uidetur, quin uerba poſsint ſatisfacere iniurijs. imò uerò tantum abeſt ut uerba non poſsint ſatisfacere iniurijs, ut niſi humanum eſſet peccare, & in hominib. tolerarentur quidam errores, fieri non poſſet quin omnis pax quæ certis quibuſdam uerbis, eo modo quo diximus prolatis fieret, inhoneſta eſſet illi qui intulit iniuriam. Nam quædam uerba tantam uim babent, tantamq́; indicant turpitudinem, ut proferēs illa, omni omnino honore priuetur. ut, exēpli cauſa, ſi quis fateatur ſe per inſidias aliquem percuſsiſſe, quia timeret eũ: itē ſi dicat percuſsiſſe poſt terga, & huiuſmodi.

Ideo in reconcilianda pace inter aliquos, ſunt requirenda ſolùm ea uerba quæ ſatisfaciant iniuriæ. Quæ enim grauiora ſunt, quàm iniurię ſatisfactio poſtulat, reddũt inhonoratum ea proferentem. Eſt autem praui & intemperantis animi ſignum, uelle quod ſibi nõ debetur: præſertim ſi id alteri dedecus afferat. Caueant igitur qui honoris ſtudium profitentur, ne ab altero id quærãt & extorqueant, quod ſibi nõ proſit, neq; ad ipſos pertineat, & alteri detrimēto ſit atq; dedecori. eſt enim hominis planè iniuſti, & honoris dignitate peruerſè abutentis, hæc uel cogitare, nedum facere. Patet igitur ex ijs quæ dicta ſunt, uerba ſatisfacere iniurijs, qualeſcũq; eæ ſint: & qui illa proferũt, eas pœnas dare quæ grauiores ſunt quàm pœnæ corporis. Satisfaciunt autem uerba interfectionibus, quæ iniuria afficiunt propter neglectum quem ſecũ afferunt. Quandoquidem non omnes interfectiones afficiunt iniuria, ſed illæ tãtùm quæ ſunt factæ inhonorandi & (ut dictum eſt) lędendi cauſa. Non enim interfectio, quatenus interfectio, afficit iniuria, ſicut demonſtrauimus.

Si quis uerò diceret, indignũ maximè eſſe, & grauius quàm ut ferri poſsit, ſi alicui interfectus fuerit pater, uel filius, uel frater, & huiuſmodi. Fateor ita eſſe: tamen dico, quãdo infectum reddi nõ poteſt quod factum eſt (quia hoc ſolo priuatur Deus) natura humana, & honor qui ex eo proficiſcitur, cogunt homines dare ueniam eo modo quo dictum eſt. alioquin tantum abeſſet ut honor eſſet cauſa conſeruationis humani generis, ut quemadmodum ſuprà oſtendimus, ei plurima & maxima incommoda afferret, ipſumq́; omnino labefactaret atq; euerteret.

SECTIO DVODECIMA.

CVr autem nobis uideatur, uerba, ſi quis noſtrorum interfectus fuerit, non poſſe ſatisfacere: ea eſt cauſa, quòd priuamur illis quos maximè diligebamus, & à quibus multa accipiebamus commoda. Putamus enim fieri non poſſe, ut ſatisfiat dolori quo affecti ſumus ob eius mortem quem plurimùm amaremus, & cõmodis quibus eo amiſſo priuati ſumus. Sed oportet non ignorare, aliud eſſe ſatisfacere honori, aliud ſatisfacere amori & dãno. Vnus enim honor omnibus externis bonis potior eſt, ut declarauimus ex ſententia Ariſtotelis. eius ergo in primis eſt habenda ra- *4.Ethic.6.* tio: reliqua autem bona non debent eſſe tãti apud homines, ut ob ea perturbent humanæ uitæ tranquillitatem & felicitatem, atq; adeò mundum ipſum euertant: quia ſine illis poſſunt eſſe & uiuere in ſocietate humana, ſed ſine honore non poſſunt. etenim qui caret honore, caret uirtute: & qui caret uirtute, caret felicitate humana: & *Polit.7.* qui caret felicitate humana, caret ciuitate & ſocietate bumana: quia priuatur fine ciuitatis & ſocietatis humanæ.

Debent igitur homines æquo animo ferre huiuſmodi damna & dolores, præſertim ſi ſaluus ſit & incolumis ipſorum honor: ſicut eſt, cum ij qui eos iniuria affecerũt, proferunt ea uerba quæ diximus, & hoc propter conſeruationē felicitatis humanæ. Sicut enim propter patriam, id eſt propter felicitatem patriæ & bumanæ ſocietatis æquo animo debent, ſi ita res ferat, uitã profundere: ita propter eandē cauſam debēt æquo animo ferre necē alicuius ſuorũ: quia hæc oriũtur ex imperfectione naturę humanę, modò ſit ſalua incolumisq́; eorũ exiſtimatio, eo modo quo demonſtrauimus. Honor eñ & exiſtimatio patriæ & parentib. ac cæteris omnib. antepo.ēda ſunt, ut ſuprà dictũ fuit. Nã q priuaẽ honore, priuatur humanitate, quia priuatur honeſtate: & melius eſt aliquē non natum eſſe hominem, q̃ poſt quã eſt natus, uerti in belluam.

Perſpicuum ergo eſt, tantum abeſſe ut uerba non ſatisfaciant omnibus iniurijs. ſi prolata ſint ut demonſtrauimus, appoſitè ad ſatisfaciendum, ut qui non acquieſcāt, priuentur honore.

Cum uerò opponebatur, futurum ut nihil intereſſet inter iniurias quæ non ſunt ueræ iniuriæ, & eas quæ ſunt ueræ iniuriæ. Dicimus, intereſſe: quia alia uerba conueniunt non ueris iniurijs, alia ueris. ſicut enim ſunt grauiores iniuriæ, ita debent eſſe grauiora uerba.

SECTIO DECIMATERTIA.

SEd dicet aliquis: Iſte modus conciliandi pacem uerbis intercedentibus, non uidetur neceſſarius: quandoquidem fieri poteſt, ut aliter quàm uerbis ſatisfiat iniurijs. nam ſi is qui iniuria affecerit, ſe totum in poteſtatem illius qui offenſus eſt tradat, ita ut ſit in manu eius ſumere quam uelit pœnam: putant homines hoc modo ſatisfieri omnibus iniurijs, quæcunꝗ illę ſint, etiamſi interfectus fuiſſet alicui parens, uel frater: atꝗ ita etiam in more poſitum eſt.

Ad diſſolutionem huius obiectionis dicimus, duas inter homines extitiſſe falſas opiniones, quæ humanam uitam maximè perturbarunt, eiꝗ plurima & grauiſsima incommoda inuexerunt. Quarum altera erat, quòd uerba non poſsint expiare & purgare uerbera, & uulnera, & neces, eisꝗ ſatisfacere: quod ad incolumitatem honoris illius attinet, qui in his fuerit iniuria affectus. quæ opinio quantum à ueritate abhorreat, & quàm ſit deteſtabilis, ac penitus ex animis hominum euellenda, ſatis iam demonſtratum fuiſſe arbitramur. Altera fuit opinio, quæ dicta eſt in quæſtione, quæ etiam maiora incommoda generi humano attulit. Nam multi qui quoniam ſibi conſcij eſſent ſe erraſſe, ea uerba facilè protuliſſent, quibus errorem ſuum confiterentur, ſeꝗ eius pœnitere oſtenderent, ac ueniam deprecati eſſent, noluerunt in poteſtatem illorum qui iniuria eſſent affecti uenire: & ob hāc cauſam perſequuti ſunt inimicitias, uſꝗ ad euerſionem familiarum eorum etiam qui ſeſe in poteſtatē tradidiſſent ijs qui iniuriam acceperunt: alij fuerunt interfecti, alij membro mutilati, alijs uulnere facies eſt deturpata. quæ res crudeles ac perpetuas inimicitias in ciuitatibus excitauit, quibus illæ miſerrimè conflictatæ ſunt, ita ut penè conuulſæ fuerint.

Ad hanc igitur tam pernicioſam opinionem (ut reuertamur ad propoſitam quæſtionem) reſpondentes dicimus: ſi ille qui iniuria fuit affectus, poſtulet, ut is à quo læſus eſt, in ipſius poteſtatem ueniat: nihil iſtum quærere quod honori ſuo ſatisfaciat, imò quærere id quod turpe eſt. Sed oſtendamus hoc, faciamusꝗ eum qui ſit iniuria affectus, eſſe uirum probum, fortem & honoratum, talia quærētem, ut honorem ſuum ſuamꝗ exiſtimationem (quantum fieri poteſt) tueatur ac defendat, oſtendatꝗ ipſius habendam eſſe rationem, ſeꝗ non eſſe negligendum. & argumentemur ſic:

Iſte qui fuit iniuria affectus, poſtulat, ut ille qui ipſum iniuria affecit, ueniat in eius poteſtatem, uel ut à ſe uerberetur, uel uulneretur, uel interficiatur, ſi ipſe uel aliquis ſuorum tale aliquid ab eo paſſus fuerit: uel ut dicat uerba accommodata ad ſatisfactionem iniuriæ illatæ. alterum enim horum duorum ut ei ſit propoſitum, neceſſe eſt. Sed neutrum honeſtè poteſt quærere. ergo fruſtra illa quærit, turpeꝗ eſt ipſa talia quærere.

Quòd autem hæc honeſtè quærere non poſsit, probemus, & primùm ſic: Illud quod non eſt ſibi honeſtum, non poteſt honeſtè quærere uir probus & honeſtus. Sed uerberare, aut uulnerare, aut interficere aliquē qui ſe ſubmittat & ſupplicet, qui in alienam poteſtatem ſeſe tradat, non eſt honeſtum uiro probo. Ergo nihil horum poteſt honeſtè quærere.

Minor propoſitio clara eſt, ex eis quæ dicta ſunt in ſuperiorib. & ex ſe perſpicua eſt: quandoquidem nihil poſsit eſſe turpius quàm non parcere ſupplicibus.

Præterea non poteſt honeſtè uir probus & fortis eum qui fidem maximam habet eius uirtuti, lædere: non enim decet uirum probum fallere. Sed ille qui tradit ſe in poteſtatem alicuius, fidem maximam habet eius uirtuti: ergo non poteſt lędere uir probus & fortis. Fecimus enim talem uirum eſſe probum & fortem, qui ſtudet ulciſci ut tueatur honorem ſuum: alioquin non eſſet uir honoratus, nec cogeretur quęrere uindictam. ſeruorum enim ac turpium hominum non eſt, quærere uindictam.

Minor propoſitio perſpicua eſt: quia nemo (modò eſſet ſanus) traderet ſe in poteſtatem alicuius, ſi putaret fore ut ab eo uerberaretur, uel uulneraretur, uel interficeretur. Quid enim peius illi poſſet accidere? Sed quia ſibi conſcius eſt ſe erraſſe, & intelligit rationi conſentire, ut ipſum ſuorum errorum pœniteat (hoc enim humanũ eſt) & ut pœnitentis animi ſignum det, humilem ſe ac ſupplicem præbens, propterea uenit in poteſtatem eius quem læſit, putans eum eſſe uirum ex natura rectè affectum, qui fatenti errores ſuos, eorumq́ pœnitenti, atq; ut ſibi ignoſcatur humiliter poſcenti, ueniam nõ ſit denegaturus, ſicut natura humana, & honor qui ex ipſa natura proficiſcitur, exigere poſtulareq́ omnino uidetur.

Turpe ergo eſt probo uiro, fallere fidem: quæ fides licet ei uerbis conceptis data non fuerit, tamen perinde ualet, ac ſi ſumma religione conſtricta fuiſſet. quinimò eo maiorem uim habet, eoq́ magis ſeruanda eſt, quo maius fidem habere alicui nihil dicenti, & illi ſeipſum credere, quàm eidem multis uerbis pollicenti, ſeq́ iureiurando obſtringenti. Turpiſsimum igitur eſſet hanc fidem fallere: non ergo poſtulare debet uir probus & fortis, ut aliquis ueniat in eius poteſtatem, ob finem dictum.

Item confirmamus idem ſic: Illud per quod non poteſt honor ablatus reſtitui, non eſt quærẽdum ab illis qui amiſſum honorem nolunt recuperare. Sed quærere, ut qui ſibi iniuriam fecerit, ueniat in poteſtatem ſuam, eſt quærere unũ ex illis per quæ non poteſt honor ablatus reſtitui: ergo nihil tale quærendum eſt ab illis, qui uolunt honorem amiſſum recuperare.

Maior propoſitio perſpicua eſt. Minorem declarabimus hoc modo: Illud quod non fit uirtute propria, eſt unum ex illis per quæ non poteſt honor amiſſus recuperari: quia honor eſt præmium operationum quæ proficiſcuntur ex uirtute propria. nõ enim uerè defertur honos uirtuti alienæ, quia hoc modo praui rectè poſſent honore affici. Item, pueri & belluæ, ut patet: ſed hoc à ueritate penitus abhorret. ut igitur falſum ſit id unde fluxit neceſſe eſt. Perſpicuum eſt igitur, quod non fit uirtute propria, unum eſſe ex illis, per quæ non poteſt honor amiſſus recuperari. Sed quærere, ut qui ſe læſerit, ueniat in poteſtatem ſuam, eſt quærere illud quod non fit uirtute propria. nam qui uult aliquem uenire in ſuam poteſtatem, uult habere plures ſecum, eoq́ omni re ſuperior eſſe. ita ut in ipſius manu ſit illum interficere ſi libeat. Sed lædere aliquem hoc modo, non eſt lędere uirtute propria. Ergo quęrere ut aliquis ueniat in ſuam poteſtatem, eſt quærere id quod non fit uirtute propria: & ita eſt quærere unum ex illis per quæ non poteſt honor amiſſus recuperari. Fruſtra igitur hoc quærũt ij, qui amiſſum honorẽ cupiunt recuperare: qui etiã in eo maximè peccãt, quòd illud quęrũt, quod cũ nihil ipſis profuturũ ſit, maxima affert humanæ ſocietati incõmoda.

Præterea quod eſt per ſe propriè idoneum medium ad recuperandum honorem amiſſum, ſemper eſt idoneum. Sed uenire in poteſtatem alicuius, non eſt ſemper idoneum medium ad honorem amiſſum recuperãdum. Ergo non eſt per ſe propriè idoneum medium: erit ergo per accidens. Sed eorum quæ ſunt per accidens, non eſt cura artis, neq; artificis: eſt ergo id planè reijciendum.

Minoris propoſitionis ueritatem licet hoc modo perſpicere. Fingamus uirum aliquem nobilem & potentem uulneratum fuiſſe ab altero qui nobilis item ſit, ſed diuitijs atq; opibus & ditionibus longè inferior: idq́ pari conditione armorum, ac cæterarum rerum quæ ad uerum & legitimum certamen requiruntur, & ſic uirtute propria: hoc enim poteſt accidere. Amiſit ergo honorem ſuum ille qui fuit uulneratus.

Faciamus deinde eum qui uulnerauit, timentem, ne is qui ab ſe uulneratus fuit, opibus ſuis & potentia ipſum tandem opprimat atque interficiat: & ob hanc cauſam in poteſtatem illius uenire ſtatuat. ex hoc non fit, ut ille uulneratus honorem ſuum recuperet. Ergo uenire in poteſtatem alicuius, non eſt ſemper idoneum medium ad recuperandum honorem. Probatur, quòd ille uulneratus non poſsit honorem ſuum amiſſum recuperare, hoc modo:

Illud quod per medium rectum & iuſtum ſemel eſt amiſſum, nunquam iuſtè aliqua uia poteſt recuperari. Sed honor illius qui fuit uulneratus eo modo quo poſitum eſt, per medium rectum & iuſtum eſt amiſſus. Ergo nulla uia rectè & iuſtè poteſt recuperari: ergo neq; ſi aduerſarius ueniat in eius poteſtatem.

Maior propoſitio ex ſe mihi perſpicua uidetur. Etenim quod aliquis amiſit rectè & iuſtè, non eſt ſuum: quia ſi fuiſſet ſuum, non amiſiſſet rectè & iuſte. quæ enim noſtra ſunt recta uia & iuſta, præter noſtram uoluntatem non poſſunt amitti. Etenim ſi quis exiſtimaretur honorem aliquem habere, qui honor iuſtè ab illo eriperetur, cogimur dicere illum honorem non fuiſſe uerè ſuum, ſed homines fuiſſe deceptos, exiſtimantes honorem illum eſſe ſuum. Vt ſi Vlyſſes crederetur eſſe fortior Achille, uel æquè fortis, & pugnans cum eo æqua armorum conditione ſuperaretur, priuaretur eo honore quem habere exiſtimabatur: hęc enim pugna iudicaret, illum eo honore non fuiſſe uerè dignum. Nam quod non eſt ſuum, ut aliquis acquirat per uiam rectã & iuſtam, fieri non poſſe, planè perſpicuum eſt.

Minor uerò propoſitio declaratur hoc modo: Illud quod pugnando amittitur, neque per inſidias, neque per repentinam aliquam occaſionem, neque ex improuiſo, neque aliqua meliori conditione, neque aliquo caſu, ſed omnino pari conditione armorum, & omnium quæ requiruntur ad ueram & legitimam pugnam, amittitur per medium rectum & iuſtum. Sed honor illius qui fuit uulneratus, eo modo quo diximus fuit amiſſus, non per inſidias, non per aliquam repentinam occaſionem, neque ex improuiſo, neque aliqua meliori conditione, neque aliquo caſu, ſed omninò pari undequaque armorum conditione, & omnium quæ requiruntur ad ueram & legitimam pugnam. Ergo honor illius qui ita fuit uulneratus, amiſſus eſt per medium rectum & iuſtum. Non poteſt ergo recuperari per medium rectum & iuſtum, ut declarauimus. Ergo ſi aduerſarius ueniat in poteſtatem eius qui læſus fuit, hoc non eſt idoneum medium ad recuperandum honorem amiſſum.]

Maior propoſitio perſpicua eſt: quia qui ſuperat aliquem per inſidias, uel per aliquam repentinam occaſionem, uel ex improuiſo, uel aliqua meliori conditione, ut cum pluribus armatis hominibus, uel armis non paribus, ſiue offendendi ſiue defendendi cauſa, uel aliquo caſu: non ſuperat eum medio recto & iuſto & idoneo, quia non uirtute propria, ſed illa meliori conditione. Etenim hominis non eſt pręſtare inſidias, neque repentinas occaſiones, neque res non prouiſas neque caſum: quia hæc poſſunt eſſe infinita, à quibus natura humana propter eius imbecillitatem non poteſt cauere. Non enim conſentit rationi, ut honor iubeat homines obſiſtere eis, quibus non poteſt natura humana remedium afferre: cum ſint infinita, & ipſa ſit finita. neque honor poſtulat unum hominem ſuperare plures, uel unum aliquem diſparibus conditionibus: ut ſi ipſe haberet cultellum, alter enſem: uel ſi eſſet inermis, & alter armatus. uel ſi inter pugnandum ipſius enſis frangeretur, alterius autem non frangeretur. Et ut uno uerbo me expediam, honor à ſingulis hominibus non exigit, niſi ut tueantur ſe ſuasq; res ab uno tantum homine, cæteris paribus: quia natura, quantum poteſt, quærit æquabilitatem. & ideo ſat eſt homini ad honorem ſuum tuendum, oſtendere ſe à natura tantum uirium & ingenij conſequutum eſſe, quantum cęteri homines pro ſe quiſque conſequuti ſunt. Quòd ſi accidat, ut cęteris paribus non ſolùm ab uno homine ſe defendant & tueantur, uerùm etiam ut eum ſuperent, quod ab ipſis non poſtulatur: hoc erit ſignum maximæ uirtutis, eoq; erunt maiore honore digni: ſed hoc ab illis non exigit honor. Et ideo ſi quis ab aliquo ſuperetur, qui meliore conditione uſus fuerit, uel per inſidias, uel alio aliquo modo, ut diximus: facilè eſt pacem inter iſtos conciliare, modò ille qui ſuperauit, fateatur ſe melioris conditionis beneficio ſuperiorem diſceſsiſſe. Siquidem ab hominibus non requiritur, ut eos uincant, eis'ue reſiſtant, qui maioribus ad nocendum facultatibus in ſe impetum fecerint. Satis igitur hic erit ad ſatisfaciendum iniuriæ illatæ, ſi quis fateatur ſe paratiorem fuiſſe, ſe'que pœnitere: atque illum quem iniuria affecerit, æquè fortem ac ſtrenuum uirum agnoſcere: neque illi uenia deneganda eſt, quamuis grauiter læſerit.

Sed qui ſuperat pari armorum conditione, cæteriſq; omnibus paribus quæ requiruntur ad eam pugnam, quæ uerè oſtendit aliquem eſſe uirum fortem: is recta uia contendit, iuſtaq; ratione honorem acquirit: quia indicat uirtutem propriam, cui ſoli uerè debetur honor.

Maior ergo illa propoſitio perſpicua eſt, ut diximus, ex qua poſtmodùm ſequitur,

tur, ut honor illius qui ſic fuit uulneratus, ſit amiſſus per medium rectum & iuſtum: ergo non poteſt recuperari per medium rectum & iuſtum: ergo ille qui fuit iniuria affectus, non poteſt requirere ut is à quo iniuriam accepit, ueniat in ipſius poteſtatem, ut eum uerberet, uel uulneret, uel interficiat, (id quod nobis erat propoſitum oſtendere) neq; etiam ut pronunciet ea uerba quæ ſatisfaciant iniuriæ illatæ. Quod probatur ſic: Illa uerba quæ magis ſatisfaciunt iniuriæ, ſunt magis requirenda ab eo qui fuit iniuria affectus. Propoſitio iſta perſpicua eſt. Sed uerba quæ pronunciantur ab ijs qui iniuriam fecerunt, cum longè abſunt à periculo, magis ſatisfaciunt iniuriæ, quàm uerba quæ ab eiſdem proferuntur cum ſunt prope periculum. Ergo eiuſmodi uerborum pronunciationem requirere debet is qui affectus fuit iniuria.

Minor propoſitio ſic oſtenditur: Illa uerba quæ magis indicant, eum qui iniuria affecit, plus timere eum qui iniuria fuit affectus, magis ſatisfaciunt iniuriæ: oſtendūt enim, ipſum pluris eum facere, & non negligere, atque ita exiſtimare dignum aliqua re bona uel mala: quod facit ut homines iram remittant, offenſionemq; deponant, & deniq; ulciſcendi conſilium abijciant. Iniuria enim afficere, ut ſæpe iam dictum eſt, nihil eſt aliud quàm negligere. Propoſitio iſta admodum clara eſt. Sed uerba quę pronunciantur ab eo qui affecit iniuria, cum longè abeſt à periculo, magis indicant ipſum plus timere illum qui fuit iniuria affectus, quàm quæ pronunciantur ab eodē cum eſt prope periculum. Ergo eiuſmodi uerba magis ſatisfaciunt iniuriæ. talia autem ſunt, quæ pronunciantur ab eo qui fecit iniuriam, antequam ueniat in poteſtatē eius qui fuit iniuria affectus. tunc enim longius abeſt à periculo: propius autem periculum eſt, cum eſt in eius poteſtate, ſicuti patet. poteſt enim ab eo ſtatim interfici. Verba igitur illa quæ pronunciat aliquis qui alterum offendit, cum eſt in eius poteſtate, minus indicant ipſum plus timere eum qui iniuria fuit affectus. Ergo is non debet illa requirere: ſed ea potius quæ dicuntur ab illo qui offendit, cum eſt liber & longè à periculo. Reperti enim ſunt multi, qui cum ueniſſent in poteſtatem eius quem læſerant, coacti ſunt metu mortis ea uerba dicere, quæ non putarunt fore ut dicerēt; quæ uerba, poſt quam fuerunt extra illud periculum, conati ſunt nulla reddere, dicētes illa ſe protuliſſe propter metum impetus illius, ſed falſa dixiſſe. Quæ res ita ſe habet, ut ſi quis incidens in multos, quibus delatum fuiſſet eum multa petulanter dixiſſe, quæ honorem & exiſtimationem alicuius illorum uiolaret, ui ac minis cogeretur ab illis, irrita facere illa uerba. nam ea quidē nihilo magis infirma eſſent, quoniam non ſua ille uoluntate, ſed ne ab eis occideretur, ad illorum ſe arbitrium accommodaſſet: cum ſe ab eorum ui & impetu defendere non poſſet. Honor enim (ut dictum eſt) non poſtulat ut unus homo pugnet cum multis, ob rationes quas in ſuperiorib. attulimus. Quòd ſi ille eadem met uerba pronunciaret extra periculum, non eſt dubium quin rectè eſſent pronūciata, & ualerent ad delēdam iniuriam. Indicaret enim ſe maximè timere eum cuius honorem uiolaſſet, cum ea uerba pronūciaſſet liber ab omni periculo & metu: id quod ratio exigere poſtulareq; uidetur.

Quæ autem ratio eſt & cauſa iſtius qui in multos inciderit, eandem eſſe apparet eius qui in alienam poteſtatem uenerit: igitur non uidentur ualere illa uerba, quæ pronunciat quiſpiam qui ſit in alicuius poteſtate: ſed illa quæ pronunciat cum eſt liber, & non in poteſtate alicuius. Si igitur non debet is qui eſt iniuria affectus, poſtulare ut ille qui eius honorem uiolauit, ueniat in ſuam poteſtatem, ut uerberet ipſum, uel uulneret, uel interficiat: neque etiam ut cogat ea uerba pronunciare quæ ſibi libuerit, ac multo minus ut faciat utrunque, quod ex eiſdem rationibus maximè refellitur, ut apparet: relinquitur, ut uerba ſimpliciter & liberè prolata ſatisfacere poſsint iniurijs: id quod nobis propoſitum fuit oſtendere.

SECTIO DECIMA QVARTA.

SEd diceret quiſpiam: Conceditur ob eas quas attuliſti rationes, uerba poſſe ſatisfacere iniurijs eo modo quo dictum eſt: aliàs quo pacto puniendi erūt illi, qui nolunt fateri ſe erraſſe, neque pronunciare uerba illa quæ idonea ſunt ad tollendas iniurias, ullum'ue pœnitentis animi ſignum dare? Aſſeruiſti enim, de illis uindictā eſſe ſumendam.

Dicimus interdum ſumendam eſſe uindictam de ijs qui nobis iniuriam intulerũt, pœnamq; ab illis petendam: quoniam niſi ita fieret, honor eius qui iniuria fuit affectus, perpetuò uiolatus ferretur. Interdum uerò turpe id eſſe, ac dedecori.

Quæ res quia plurimùm ad rem noſtram facere uidetur, quo melius percipiatur, ponemus ſequentes diuiſiones: uidelicet, quòd illi qui iniuria nos affecerũt, uel ſunt uiribus debiliores, ut ſunt grandes natu, ſenes, & pueri, & mulieres: uel non. ſi non ſunt uiribus debiliores, uel profitentur artem militarem, uel non profitentur. Si profitentur, uel iniuriæ ſunt ex illis quæ poſſunt tolli à magiſtratibus, uel non ſunt. Si ſunt, aut ſunt ex illis propter quas ire ad magiſtratum non eſt dedecori ei qui iniuria fuit affectus: aut ex illis propter quas dedecori eſt ire ad magiſtratum.

Eadem diſtinctio tradenda eſt de illis etiam qui ſunt iniuria affecti. Vel enim ſunt debiliores, uel non. ſi non ſunt debiliores, uel ſunt fortiores, uel æquè fortes. ſi fortiores, uel æquè fortes: aut profitentur artem militarem, aut non profitentur. ſi profitentur, uel ſunt milites tantùm, uel duces. Iniuriæ autem quibus affecti ſunt, uel ſunt ex eis quæ poſſunt tolli à magiſtratu, uel ex eis quæ non poſſunt tolli. Si ex eis quæ poſſunt tolli à magiſtratu, uel ſunt ex eis propter quas turpe eſt ire ad magiſtratum uel ex eis propter quas licet ire ad magiſtratum ſine ullo dedecore.

His ad hunc modum explicatis, ponimus iam nonnullas concluſiones, ex quibus facile erit colligere diſſolutionem propoſitæ quæſtionis. quarum hæc prima ſit: Si illi qui ſunt iniuria affecti, ſunt debiliores illis qui iniuria affecerunt, ut ſunt mulieres, pueri & ſenes: qui uerò affecerunt iniuria, ſunt uiri: etenim ætas integra eſt. Si item iniuriæ ſunt ex illis quæ tolli poſſunt à magiſtratu: Dico, in eiuſmodi cauſis ſimpliciter eundum eſſe ad magiſtratum, & honorem ſuum ex iure & legibus repetendum: propterea quòd non eſt turpe mulieribus, neque pueris, neque ſenibus, aliena uirtute ſe tueri. Quandoquidem ex natura ita ſunt affecti, ut ui ſua non poſſint hoc præſtare. Si uerò iniuriæ eſſent ex illis quæ non poſſunt tolli à magiſtratu, neque à propinquis, uel ab alijs (cuiuſmodi ſunt illæ in quibus deſunt teſtes, uel idoneæ probationes) ſunt æquo animo ferendæ, ſperandum'que fore aliquando ut Deus optimus maximus cogat nocentes meritas pœnas dare: præſertim cum eos qui affecti fuerunt iniuria, nulla turpitudo ſequatur, quia ſint uiribus imbecilles. qui uerò ita lædunt, nihil poſſunt facere quod magis ab honoris religione abhorreat nam homini qui ſe nullam omnino rationem honoris habere profiteatur, quid turpius accidere poteſt, quàm natura imbecilles pulſare & iniurijs afficere, qui ſe defendere & iniurias ulciſci nullo modo poſſunt? Perinde eſt enim ac ſi læderent arbores & terram ſurdam, ut dicebat Homerus. Aequo igitur animo ferre oportet tales iniurias, præſertim cum natura ita comparatum ſit, ut homines calamitatibus ſint obnoxij. nemo enim eſt, neque unquam fuit, neque futurum eſſe puto, qualiſcunq; is ſit, quem non oportuerit, atq; oporteat, multa in hoc mundo incommoda, præter eius uoluntatem perpeti.

Si uerò qui iniuriam acceperunt non ſunt uiribus debiliores, uel ſunt fortiores, ut uiri mulieribus & pueris, & iuuenes admodum ſenibus, uel æquè fortes. Si ſunt fortiores, ut ſunt illi quos diximus, & iniuriæ ſunt ex illis quę poſſunt tolli à magiſtratu, neq; turpe eſt ire ad magiſtratum: debent uti magiſtratus præſidio, ut quod ſibi ablatum eſt reſtituatur. Sin autem iniuriæ ſunt ex illis quæ non poſſunt tolli à magiſtratu, & turpe eſt ad illum proficiſci, æquo animo ſunt ferendæ: quia non decet uirum fortem exercere uires ſuas aduerſus imbecilles, quales ſunt mulieres, pueri, & ualde ſenes. Et ideo rectè Vergilius, cum Drances de Turno parum honeſtè coram ipſo loquutus fuiſſet, & in re maximi momenti (agebatur enim de coniuge & de regno) ac propterea timeret ne ſibi ille manus inferret, induxit Turnum hæc uerba aduerſus Drancem habentem:

Nunquam animam talem dextra hac (abſiſte moueri)
Amittes: habitet tecum, & ſit pectore in iſto.

De eo enim antè dixerat:

Tum Drances idem infenſus, quem gloria Turni
Obliqua inuidia, ſtimuliſq; agitabat amaris,

Largus

Largus opum, & lingua melior: ſed frigida bello
Dextera, conſilijs habitus non futilis auctor.

Optima igitur ratione Vergilius Turnum aduerſus talem hominem ita loquentem fecit.

At non optima ratione idem uidetur induxiſſe Aeneam, quē ubiq; magnanimū & pium uirum facit, cogitantem interficere Helenam in templo Veſtæ: idq; patraturum fuiſſe, niſi prohibuiſſet Venus mater. in quo etiam eo magis peccare uidetur, quòd inducit tale facinus meditantem, nō per ignorationē, ſed ſcientē. inquit enim

—Nanque etſi nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt, nec habet uictoria laudem:
Extinxiſſe nephas tamen, & ſumpſiſſe merenteis
Laudabor pœnas, animumq; expleſſe iuuabit,
Vltricis flammæ & cineres ſatiaſſe meorum.

Intelligebat Aeneas ſe ex illa cæde nullam laudem eſſe conſequuturum, & tamen decreuit eam facere: quod eſt grauius peccatum. Etenim ea peccata quæ committūt homines ignorantes (omnia enim peccata hoc modo fiūt) ſed non per ignorationē, non ſunt excuſanda: ut ex eis quæ à nobis in ſuperioribus diſputata ſunt, colligi perſpicuè poteſt. Quo magis etiam uidetur peccaſſe Vergilius, alioquin poeta grauiſsimus atq; doctiſsimus. Sed hæc Ariſtoteles: Δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶν, καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν ἄλλως τε, καὶ φιλοσόφους ὄντας. ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Cuius nos ſententiæ non obliti, nulla re deterriti ſumus, quo minus uerè ac liberè diceremus, id quod nobis ueritas ipſa poſtulare uideretur. Idem etiam (quod pace eius dixerimus) uidetur errare, cum induxit Aeneam, poſtquam dixiſſet,

—Nanq; etſi nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt, nec habet uictoria laudem: hæc addere,
Extinxiſſe nephas tamen, & ſumpſiſſe merenteis
Laudabor pœnas, animumq; expleſſe iuuabit.

Quia ſi uictoria huiuſmodi nō poſsit laudari, igitur non laudabitur ſumpſiſſe pœnas illius. non enim uidetur fieri poſſe ut laudetur aliqua pœnæ ſumptio, niſi laudetur uictoria, per quā illa pœna ſumitur. Qui ergo ipſam uictoriam improbat, ut ſumptionem eius pœnæ improbet neceſſe eſt. nam qui cauſam improbat, effectū etiam improbare cogitur. Neq; fieri poteſt ut uir magnanimus & pius, multorū more qui ignorant quæ honeſtè fiant, & quæ ſecus, poſsit ſaluo & incolumi honore ſuo, facere aliquid eorum quę honeſtè fieri non poſſunt, quamuis cauſa eſſet grauiſsima. Honeſta enim (ut ſæpe ex ſententia Ariſtotelis diximus) ſunt omnibus præferenda. Si ergo honeſtum eſt uiro forti non lædere mulierem, & turpe lædere, ob naturæ eius imbecillitatem: fieri non poteſt ut detur aliqua cauſa, quamuis grauiſsima, propter quam liceat uiro forti fœminam, licet omni ſcelere & flagitio coopertam, ac millies mori dignam, interficere: quicquid dicant multi, qui pauca cōſiderantes facilè effundunt uerba. Neq; etiam decet uirum magnanimū, qui (ut declarauit Ariſtoteles) eſt omni uirtute præditus, facere quippiam quod honeſtum non ſit, ut expleat animum: hoc enim indicaret, non eſſe omni uirtute prçditū. etenim ageret ex appetitu, non ex uirtute: qui appetitus ſi hominib. fortibus & magnanimis concederetur, non eſſent iam fortes & magnanimi: & uirtus moralis ſuperuacanea eſſet, utpote cuius eſt actiones noſtras dirigere, ut appetamus ea quæ rationi cōſentiunt. Ac Varrus quidē & Tucca, quibus datum fuerat negocium ac poteſtas emendandi Vergilium, ut ſuperflua demerēt, iiſdem (opinor) adducti rationibus, quas nos attulimus, ſuſtulerunt hos uerſus, quibus fingitur ueniſſe in mentem Aeneæ Helenam interficere. quorum iudicium laudās Seruius: Aliquos (inquit) hinc uerſus conſtat eſſe ſublatos, nec immeritò: nam turpe eſt uiro forti, contra fœminam iraſci. *4. Ethic.*

Ad hanc ſententiam confirmandam, non erit alienum ab inſtituto noſtro, afferre auctoritatem Ariſtotelis, qui 11. ſect. Problem. probl. 29. quærens, Cur mulierem interfeciſſe iniquius ſit, q̃ uirum, quanquam naturæ ratione mas fœmina præſtantior eſt, ita reſpondet: An quia mulier imbecillior eſt, minusq; proinde iniuriam facere poteſt? Item, eniti aduerſus id quod longè infirmius eſt, nihil uirile, imò ſtolidum atq; iniquiſsimum eſt, *11. ſect. Probl. probl. 29.*

In eodem

In eodem genere accuſandus etiam uidetur Vergilius, ut ſuprà diximus, qui inducat ipſum Aeneam interficere Turnum, poſtquam dixiſſet:

Ille humilis, ſupplexq́; oculos, dextramq́; precantem
Protendens: Equidem merui, nec deprecor, inquit:
Vtere ſorte tua, miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt, oro. fuit & tibi talis
Anchiſes genitor, Dauni miſerere ſenectæ:
Et me, ſeu corpus ſpoliatum lumine mauis,
Redde meis: uiciſti, & uictum tendere palmas
Auſonij uidere. tua eſt Lauinia coniunx:
Vlterius ne tende odijs. ——

Igitur cum nihil turpius uir fortis admittere poſsit, quàm ſi non parcat ſupplicibus & uictis: non ſolùm facit Vergilius Aeneam non obtemperantem patris præce» ptis, qui huius rei eum admonuerat illis uerbis, *Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos*: ſed etiam repugnantem rationi naturalis manſuetudinis, & id exemplum dãtem, quod ſi homines ſequerentur, euerteretur (ut dixi) humana beatitudo, atq; adeò ipſa natura: hæc igitur opinio maximè deteſtabilis & improbanda eſt. Neq; illum adiuuat, quòd Aeneas (ut ait Vergilius) illud egerit incẽſus furijs & ira, quia uidiſſet baltheũ

Pallantis pueri, quem uictum uulnere Turnus
Strauerat, atq; humeris inimicum inſigne gerebat.

Etenim (ut diximus) nõ licet uiro forti ac magnanimo, ulla de cauſa, etiam grauiſſima aliquid efficere, quod honeſtati repugnet: ſicuti maximè repugnat, interficere ſupplices & uictos. Neque uerò hunc Vergilij locum ab erroris culpa uindicant nonnulli qui ueritatem (ad quam ſunt nati homines: & quam plerunq; aſſequerentur, ſi perturbationibus uacarent) non proponentes ſibi ante oculos, ſed ex aliorum præſcripto iudicantes, dicunt Vergilium ideo induxiſſe Aeneam, Turnum interficere ſupplicẽ & uitam ipſam deprecantẽ: quia tũc homines credebant, eorum animas qui interfecti fuiſſent, non poſſe tranſire Acherontem fluuium, niſi immolato interfectoris ſanguine. Sed qui Vergilium ita defendunt, non uident, dum eum tueri conantur, præ ſe ferre ipſos maximam ignorationem eorum quæ uiris fortibus & magnanimis conueniunt. Eſt enim contra naturam, non parcere eis qui ſuppliciter ueniam petunt. Nihil autem eſt honeſtum quod eſt contra naturam, ut dixit Ariſtoteles ſeptimo Politic. Qui igitur agit id quod eſt cõtra naturam, agit rem inhoneſtam: ergo eſt redarguendus. Quandoquidem, ut diximus, nulla cauſa, quamuis grauiſsima, debet quenquam impellere ut aliquid faciat, quod uirtutibus & honeſtati repugnet. Etenim ſimulatq; tale aliquid quiſpiam agit, nec fortis iam, nec magnanimus dici poteſt. Præcipitem enim furore agi non decet uirum omni uirtute, qualis eſt magnanimus, præditum.

7.Polit.3.

Irridendi etiam mea ſententia ſunt nonnulli, qui dicunt, Aeneam fatis commotũ Turnum interfeciſſe: quandoquidem ipſemet Vergilius ait, Aeneam cò commotũ fuiſſe, quòd conſpexiſſet baltheum Pallantis à Turno ereptum, poſtquam eum interfeciſſet. ita enim loquentem facit:

——*Tu'ne ſpolijs indute meorum*
Eripiere mihi? Pallas te hoc uulnere, Pallas
Immolat, & pœnas ſcelerato à ſanguine ſumit.

Non fuit ergo fatum cauſa Aeneæ occidendi Turni: neq; eo poſito, conſequutus fuiſſet Aeneas ullã laudẽ ex illa uictoria, quippe quę nõ ex ipſius uirtute eſſet profecta: nõ enim ex magnanimitate, neque ex fortitudine, ut perſpicuum eſt. Non igitur audiendi ſunt, qui hæc ſomnia ſibi fingunt. Ea enim quæ à Vergilio tribuuntur Aeneæ, poſſunt hominibus prauis, & eis qui ex appetitu, non ex uirtute uiuunt, tribui: quæ, quoniam euertunt ea quæ ſupra dicta ſunt, de reconciliandis inimicorum uoluntatibus, & pace inter eos componenda, quo nihil utilius humano generi excogitari poteſt, æquo animo omnes ferre debent, ſi tanti uiri bona uenia nos exemplum Aeneæ in Turno uicto & ſupplice interficiendo improbauimus. Pluris enim faciendum eſt bonum commune, & quod ad tranquillitatem humanæ uitæ ac beatitudinem conferat, eamq; conſeruet, quàm cuiuſquam auctoritas, quæ illi obeſſe poſ-

ſe poſsit. Tantum igitur abeſt ut arbitremur nos eſſe redarguendos, qui hunc Vergilij errorem redarguimus: ut putemus potius eſſe apud eos qui uerè ſunt homines, id eſt ueritatis amatores ac ſtudioſi, & non certis deſtinatisq́ ſententijs addicti & cōſecrati, laudandos. id enim argumento eſt, nos in uerba nullius iuraſſe: neque paſſos eſſe, ut ab auctoritate cuiuſquam, etiam maximi uiri, deciperemur: ſed propoſita ſolùm nobis ueritate, ut decet homines, cætera alia neglexîmus.

SECTIO DECIMAQVINTA.

QVòd ſi alicui mirum fortè uidebitur, nos in omnibus ſequi Ariſtotelem, eiusq́ doctrinam pluris facere quàm cuiuſquam cæterorum omnium qui ſecundum naturam & rationem humanā ſcripſerit: ſciatis, nulla alia re inductos nos fuiſſe ut ſic ageremus, niſi quia arbitramur, dum ſequimur Ariſtotelem, rationem ipſam & ueritatem ſequi. cum his enim eius opinio nobis ſemper uiſa eſt maximè cōſentire, & ſibijpſi omni ex parte omnino quadrare. Ob id enim ſic eius ingenium admiramur, ut arbitremur, eos qui eius doctrinam in humanarum rerum cognitione comparanda non ſequuntur, nec maximis eum laudibus (quantum fert hominis natura) in cœlum ferant, ſed talem tantumq́ uirum (ſi Deo placet) reprehendant, propterea quòd doctorum ſuorum & aliorum ſummorum hominum opiniones refellerit: eos inquam arbitremur in naturam ipſam maximè ingratos eſſe, nec quid dicant aut faciant quicquam omnino intelligere. Nam illud (ut mihi quidem uidetur) uituperant, quod maximè laudare deberent. Quid enim eſt quod maiori laude ſit dignum, quàm ita rectè naturà conformatum eſſe, ita ingenio uigere, ut non ſinas te ulla re in errorem trahi? ac ne eorum quidem auctoritate capi, quibus mundus falſis opinionibus eluſus multa per ſecula, maximam fidem habuerit?

Quis porrò eſt cui maior gratia ſit habenda, quàm ei qui tantopere laborauerit, ut ueritatem tenebris inuolutam & abditam in lucem reuocaret atq; patefaceret? Quis autem unquam in ueritate indaganda, ab odio, ab amore, ab inuidia, & ab omni denique affectione philoſopho homine ac ueritatis ſtudioſo indigna, longius abfuit quàm Ariſtoteles? Legant eius libros (obſecro) & ita legant ut intelligant, qui nō uerentur aſſerere illum fuiſſe inuidum, propterea quòd Platonis & Socratis, ſuorum doctorum opiniones, & aliorum refellerit. Reperient enim ipſum, ubi ratio & ueritas patitur, utrunq; laudare: nec ſolùm antiquos, qui eum longo temporis interuallo anteceſſerūt, ſed etiam eos qui ipſius ætate florebant, in cœlum extollere: neminem omnino ſua laude fraudare, omnibus tribuere quod ſuum eſt. Quòd ſi aliquibus in rebus aliquorum ſententiam refellit, tantum abeſt ut ob eam rem ſit uituperatione dignus, ut maximam ei nos gratiam habere oporteat, quòd ueritatis maiorem quàm cuiuſquam auctoritatis rationem duxerit: nec paſſus fuerit homines decipi, & falſa pro ueris opinari.

Quid porrò, niſi Ariſtotelem haberemus, nobis ſubſidij eſſet ad contemplationē uniuerſæ naturæ, eiusq́ cognitionem? qui quidem omnia quæ cœli terræq́ ac totius mundi complexu coercentur, cum antea maximè recondita & abſtruſa eſſent, ſic aperuit ac patefecit, ut unus omnium ab ipſius naturæ ſecretis & arcanis fuiſſe optimo ac meritiſsimo iure exiſtimari poſsit. Quid in actionibus humanis teneremus, quod cum ratione planè conſentiret, uitamq́ noſtram & mores ex uirtutibus rectè conformaret? Rhetoricam autem non ne tam ſubtiliter Ariſtoteles, tamq́ artificioſe & luculenter tradidit, ut omnibus eam numeris perfectam abſolutamq́ relinqueret? quam cæteros qui in eodem genere elaborauerunt, ita mancam & mutilatā reliquiſſe conſtat, ut eius nobis uix informationem quandam rudem & adumbrationem tradere uideantur, ac ne cognouiſſe quidem quid'nam illa uerè eſſet.

Neque uerò audiendi ſunt, qui negant Ariſtotelem complexum eſſe omnia quæ ad ipſam Rhetoricam neceſſariò pertinerent, ideoq́ in tradendis eius præceptis mancum eſſe atq; imperfectum: quandoquidem non intelligunt Ariſtotelis conſilium, huiusq́ artis ratio & ius quid poſtulet ſe penitus ignorare oſtendunt. quo tamen in errore non paucos uerſari deprehendi.

In hac autem arte tradenda eo quidem magis elucet artificium Ariſtotelis, eoq́ maiorem laudem meretur, quo pluribus illam ex rebus ad uarias facultates pertinentibus

nentibus componi atq; cōſtitui oportuit,ut perfectè traderetur: quas res tam uarias tamq; inter ſe diſiunctas ac diſsitas,ad artem redigere ita erat difficile, ut maior difficultas nulla alia in doctrina tradenda eſſe potuerit.

Etenim cæteræ unius generis res tractant, quæ ad artem redigi paruo negocio poſſunt. Sed ſi quis res diuerſas & nihil inter ſe cohærentes, ad unum eundemq; finem reducere uelit,non parui id quidem negocij eſſe,maximæq; difficultatis,quemuis intelligere arbitror.

Quòd uerò Rhetorica ex pluribus rebus ad uarias facultates pertinentibus,ſit compoſita,ut diximus, ita perſpicuum eſt ex uerbis Ariſtotelis, ut minimè neceſſe ſit id oſtendere: quòd tamen nos in ſequentibus declarare conabimur, quia hoc uiā maximè ſternet ad diuinos illos Ariſtotelis libros.

Quid de libris Topicorum dicemus? quibus uniuerſam Dialecticam complexus eſt: cuius tam latè patet utilitas, quàm omnibus eſt perſpicuum. Quid porrò de illa haberemus,unde illam diſceremus,niſi extarent decem illi locorum tū probabilium tum apparentium libri,ab ipſo Ariſtotele tam diligenter accurateq; conſcripti?

Poeticæ uerò quanta in ignoratione uerſaremur? quàm nihil proponendum certi uerìq; de ea teneremus, ſine diuino Ariſtotelis libro, qui extat? Vtinam non deſiderarentur reliqui, quos ipſe apertè teſtatur à ſe de hac arte fuiſſe conſcriptos. Atq; ex his quidem fontibus hauſiſſe,ſi quid boni ſcripſit de Poetica Horatius,& alij etiam, minimè dubitandum uidetur.

Sed quid de ea facultate,quam interpretes Logicam uocāt, omnino haberemus? niſi ille Perihermenias,& Priorum,ac Poſteriorum analyticorum libros tanta ſubtilitate,tantoq; ſtudio ſcriptos,ut nihil ſubtilius accuratius ue ſcribi poſsit,reliquiſſet? quibus omnem doctrinam complexus eſt,qua docemur conficere omnia cognoſcē di inſtrumenta: ut nos & in Inſtitutione noſtra,& in Commentario, & in Apologia ſatis oſtendiſſe arbitramur. Hunc uirum tam diuinum,tamq; omni honore atq; admi ratione dignum,quis ſatis pro merito laudare poſsit? Mea quidem ſententia nemo.

Atq; utinam illi etiam qui ſacris literis operam dant,in eius libris prius uerſati fuiſſent: non enim (ut arbitror) quotidie tam multi in tot manifeſtiſsimas ac turbulentiſſimas hæreſes laberentur. Nam (ut omittam alia) qui fieri poteſt,ut qui ignorēt quomodo conficiantur cognoſcendi & ſciendi inſtrumenta, & quomodo ad res dubias examinandas perpendendasq; tanquam trutina quædam adhibeantur: qui item nullam teneant rationem ad diſtinguēda quæ ſimilitudine quadam & uocis æquiuocatione in errorem facile inducere poſſunt, nihilq; exercitati ſint loca quæ uidentur cō traria atq; pugnantia inter ſe conferre & conciliare (quæ quidem omnia ex Ariſtotelis lectione comparantur) qui inquam fieri poteſt,ut ij ullius rei paulo grauioris ueritatem rectè aſſequantur?

Quid dicam de adiumento quod ipſarum ſacrarum literarum ſtudijs efficeret, morum ac uirtutum exquiſitiſsima,& ſatis nunquam laudata Ariſtotelis doctrina?

Equidem hæc atque alia conſiderans, facilè adducor ut exiſtimem,Dei opt. max. conſilio factum eſſe, ut talis tantusq; philoſophus extiterit, qui eam doctrinam traderet, quæ ſacris literis etiam inſeruiret. Fieri enim non potuiſſe puto,ut humano tātùm ingenio, & ſine numinis diuini ope, quiſquam homo tantas tamq; admirabiles rerum cognitiones conſequeretur.

Iam uerò de tam uarijs, tamq; difficilibus rebus, quàm diſtinctè, quanto ordine, quàm artificioſe, quàm grauiter, quàm conſideratè, q; ſubtiliter ſcripſit Ariſtoteles? At obſcurè ſcripſit. Qui aliter poterat? atq; eius quidem,præter rerum obſcuritatem, obſcuritas maiori ex parte oritur ex breuitate.

Qui enim de Cœlo, deq; ijs omnibus quæ ampliſsimo eius complexu continentur,ac deniq; de uniuerſa natura ſcripturus erat, qui etiam de cunctis actionibus humanis præcepta erat traditurus,quo modo aliter potuit ſcribere?

Si enim fuſius tractaſſet omnia, quomodo Galenus artem medicinæ tradidit: qui tandem libri potuiſſent tantam,ac propè infinitam rerum multitudinem continere?

Adde, quòd obſcuritas illa, quæ nunc ex orationis breuitate oritur, longè maior ex numero librorum extitiſſet. Verborum enim copia,& multitudo uoluminū, multo maiorem confuſionem atq; obſcuritatē peperiſſet. Nam etſi paucis uerbis Ariſtoteles

oteles ſententias ſuas complexus eſt,ob idꝗ fortaſſe interdum paulo obſcurius: tamen ſi homines ab ineunte ætate in eius potiſsimùm lectione uerſarentur,idꝗ curæ & ſtudij in eo intelligendo adhiberent, quod & auctoris grauitas, & rerum de quibus agit difficultas poſtulat: neꝗ riuulos magis quàm ipſum fontem peterẽt (quod quidem temporibus noſtris pauci fecerunt) diffidendum non eſſet,fore ut eius intelligentiam non ita multo etiam temporis ſpacio conſequeremur. Nunc uerò mirum uideri non debet,ſi longiore tempore, maioriꝗ negocio doctrinæ eius cognitio cõparatur.huius enim rei non ipſe culpam,ſed doctores ſuſtinent: quippe qui profitẽtes doctrinam Ariſtotelis,illius interpretes potius quàm ipſum conſectantur,exiſtimantes hominibus rectè conſultum eſſe, ſi ex riuulis magis quàm ex ipſo fonte hauriant:quo quidem nihil bonarum literarum ſtudijs pernicioſius accidere poteſt.

Quid uerò dicam de illis,qui ut antiquos philoſophos,& in primis Socratem atꝗ Platonem ab omni opinionum errore uindicarẽt, auſi ſunt ipſi Ariſtoteli maximam prauitatis & inuidiæ ac leuitatis etiam notam inurere? cum dicerent Ariſtotelem,ubi contra eos diſpurat,non ipſorum ſententias,ſed uerba tantùm refellere:exiſtimantes ſcilicet abſurdum eſſe,maximos philoſophos tam manifeſtè lapſos fuiſſe, quemadmodum eos redarguit Ariſtoteles. O' inanem & futilem ac ridiculam opinionem. Quid turpius facere potuiſſet Ariſtoteles? Quid quòd maiorem animi prauitatem, inuidiam,leuitatẽ oſtenderet, ſi uerba tantùm refellere conatus fuiſſet, ubi de rebus ageretur? non'ne unus omnium ſophiſtarum peſsimus atꝗ leuiſsimus fuiſſet? Mirandum eſt ſanè non intelligere iſtos quàm malè tanti philoſophi exiſtimationi conſulant,& quàm grauiter eius nomen offendant. Quòd ſi intelligant, non pudet eos, cuius doctrinam maximè profitentur, & ingenium admirãtur, ei tam turpẽ infamiæ notam imponere? At longè ſatius fuiſſet,ſi dixiſſent ipſum erraſſe,antiquos ueritatẽ eſſe aſſequutos.neꝗ enim ſi quis in rerũ cognitione,quę in noſtra poteſtate ſita non eſt,labatur,hoc ei crimen datur:non enim animi uitio contingit, ideoꝗ ferendũ eſt. Sed in moribus peccare (quod certè faceret Ariſtoteles, ſi uerũ eſſet quod iſti dicũt) nullo modo ferri debet:ut enim malitia ſubſit, ac prauitas,neceſſe eſt.

Iam uerò quid ſtultius,magisꝗ ridiculè facere potuiſſet Ariſtoteles,& quis tandẽ eum tuliſſet,ſi contra Socratem & Platonem,quorum uterꝗ ſuo tẽpore uiueret,palamꝗ doceret, & cõtra antiquos, quorũ opiniones uulgò circumferrentur,eſſentꝗ notiſsimæ,diſſerens, non eorũ ſententias impugnaſſet,ſed uerba tantùm diſputandi calumnia ad eos reprehendendos refellendosꝗ captaſſet? Quantũ igitur decipiantur iſti, ipſosꝗ nec antiquos nec Ariſtotelem intelligere, non eſt hic oſtendendi locus:ſed ſperamus fore(niſi infirmitas ualetudinis noſtræ,qua uexati ſumus,& quotidie uexamur,impedimento fuerit)ut luce clarius id oſtendamus.

Ex eis ergo quæ diximus, non erit mirum ſi præter cæteros ſequimur Ariſtotelẽ: nam putamus, dum ſequimur eum, rationẽ ipſam ſequi. Nihil enim ferè dixiſſe eum comperimus,ſine grauiſsima ratione.

Non tamẽ aliquẽ illud exiſtimare uellemus, nos omnino perſuaſum habere, eum nunquã erraſſe,eiusꝗ opinioni in omni re planè aſſentiri.ſunt enim in quibus ſuſpicamur ipſum à ueritate abhorrere: ſed nõ audemus aduerſus eum ita liberè ferre ſententiam, propterea quòd ſæpe nobis accidit, ut quibus in locis eius opinionem minus probandam iudicauimus, in his eum inuenimus artificioſiſsimè eſſe loquutum.

Sed quia erat homo,fateri cogimur potuiſſe errare,atꝗ etiam erraſſe.ſed cum hoc perrarò in eius doctrina accidat, non mirum eſt ſi dicamus nos eum ſequi in omnib. Quod enim eſt ut in pluribus,proximum eſt(ut inquit ipſe) ei quod eſt ſemper:ſicut *1.Rhet.11.*
id quod eſt conſuetum, ei quod eſt natura. *7.Ethic.14.*

Hæc nobis hoc loco dicere uiſum eſt: tum ut teſtatum relinqueremus apud homines,quanti Ariſtotelem facimus(quod argumento eſſe poterit, qualis ſit mentis noſtræ ſenſus & affectio:) tum ut iuuenes bonarum literarum ſtudioſi, ad tanti taliſꝗ philoſophi doctrinam capeſſendam magis incenderem atꝗ inflammarem. *in Poetica, & in lib. De memoria & reminiſcentia.*

SECTIO DECIMASEXTA.

SEd reuertamur ad rem noſtram. Sicuti fortè ex ijs quæ ſuperius dicta ſunt uideretur etiam redarguendus eſſe Vergilius, propterea quòd induxerit Pyrrhum Achillis filium,iuuenẽ robuſtum,interficere Priamũ ſenem,admodum natu grandem

atq; imbecillem, qui haſta aduerſus illum coniecta, ut filij mortem ulciſceretur, ab eo ante ipſius oculos interfecti, non potuit eum præ uirium imbecillitate, non modò uulnerare, ſed ne leuiter quidem perſtringere.

Dicimus Pyrrhum quidem fuiſſe maximè accuſandum, omniq; honore omnino eſſe priuatum, propterea quòd ſenem eum interfecerit, qui ob multas res erat miſericordia maximè dignus. Sed Vergilium ob id nequaquam eſſe reprehendendũ, quia eius conſilium non fuit, inducere Pyrrhum hominem fortem & magnanimũ, & laude dignũ, ſicut Aeneam. Eadem ratione defendimus Homerum, qui induxit Achillem interficere Lycaonem, qui eſſet inermis, ab eoq; uitã deprecaretur: quoniam ei propoſitum fuit, Achillis iram canere: & homines irati (ſicut diximus in libro De honore) multa faciunt quæ ab honeſtate abhorrent.

Sed quæret fortaſſe aliquis, Nunquid excogitari poſſet quo præſtantiſsimus Poeta ab errore uindicaretur? abſurdum enim admodum uideri, tantum talemq; uirum in re tam aperta tamq; manifeſta lapſum fuiſſe. Equidem cum eodem huius Poetæ (cui ſemper plurimum tribui, eumq; maximè admiratus ſum) defendendi ſtudio tenerer, ſæpe multumq; cogitaui, qua id ratione fieri poſſet. ſed fateor me nihil unq; reperiſſe, quod eum uerè tueri poſsit: niſi quòd moriens præceperit Aeneadem incẽdi, quia ipſam non emendaſſet. Fortaſſe enim, ſi uixiſſet, hos locos quos nos refellimus, correxiſſet: ac fortaſſe etiam hi ipſi loci ex illis fuerũt, quibus ipſe impulſus, moriens mandauit, ut incenderentur Aeneidos libri. Hoc uno mihi uidetur poſſe rectè defendi auctoritas Vergilij. neq; enim auctorib. tribuendi ſunt errores, niſi poſtquam ſuis libris ultimam manum impoſuerint, eoſq; in lucem ediderint.

Conſtare igitur arbitror, quod diximus, iniurias illas quæ non poſſunt tolli à magiſtratu, uel de quibus turpe eſt uiro forti ire ad magiſtratum, æquo animo eſſe ferẽdas, ſi ab ijs profectæ fuerint qui ſint imbecilliores, quales ſunt mulieres & pueri. & ualde ſenes, & qui non ſint apti ad arma ferẽda. Neq; enim decet uirum fortẽ cum talib. pugnare, & aduerſus eos uires exercere: ſed ipſos debet miſſos facere, ut dimittã tur curari, qui ignorant ſeipſos, & præſertim ſi ſint liberi: quia ſi etiam eſſent ſerui & imbecilles, & fortiores eſſent liberi, honeſtum etiam eſſet eos dimittere tanquã ſtultos: quia ſeruos iniuria afficere nobiles & fortiores, non uidetur poſſe proficiſci niſi ex ſtulticia. Quis enim ſeruus & imbecillis, non ſtultus, auderet iniurijs afficere nobilem & robuſtiorem? Certè nemo.

Si ſunt æquè fortes qui iniuriam inferũt, eaq; ſit ex illis iniurijs quę tolli poſſunt à magiſtratu, & propter quas non eſt turpe ire ad magiſtratum, quicunque ſint illi qui iniuria affecerunt, neceſsitas cogit eos qui læſi ſunt ire ad magiſtratum: alioquin uiderentur uelle ciuitatem, nulla cogente cauſa, uexare: cum id quod ſuum eſt, poſsint recta uia quærere, abſq; turpitudine. Qui enim nolunt legibus ius ſuum perſequi, cũ poſsint ſine turpitudine, ex ciuitatibus ſunt eijciendi, tanquam ocij & quietis publicæ perturbatores.

Sin autem iniuria illata ex illis ſit iniurijs, in quibus non poteſt qui offenſus eſt per magiſtratũ ius ſuum repetere, uel quia deſint teſtes & idoneæ probationes, uel quia turpe ſit ire ad magiſtratum, uel quia magiſtratus non poſsit propter uirium imbecillitatem, uel ob aliam cauſam ei cauere & ſatisfacere, cogitur is per uim honorẽ ſuum recuperare: quem cum non poſsit conſequi, ut poſitum eſt, neq; per teſtes, neq; per alias idoneas probationes, neq; per leges & magiſtratus, neq; per inſidias, neq; per alterius uirtutem, dicimus ei neceſſario ueniendum eſse ad ſingulare certamen. nulla eſt enim alia rectior uia, ex natura loquendo: quoniam, ſicut dictum fuit in ſuperioribus, Deus creditur opitulari iniuria affectis: quę uerba intelliguntur de ijs, quorum uterq; ſit aptus ad pugnandum.

Atq; hæc quidem de hoc ipſo certamine, illiſq; conditionib. quas diximus, & dicemus. Quòd ſi neuter ſit aptus ad pugnandum, uel alter illorum, & poſsit qui læſus fuit ius ſuum perſequi uel per propinquos, uel per amicos: æquius eſt multo & honeſtius, ut is æquo animo ferat acceptam iniuriam, quàm ut eam ulciſcatur cęde illius à quo læſus fuerit, ſi ea res poſsit inimicitias ciuium parere inteſtinas, & uniuerſam ciuitatem perturbare. Semper enim quietis ciuitatis ratio, & beatitudinis in primis eſt habenda.

Tantum uerò abeſt, ut æquo animo ferentem acceptam iniuriam ullum dedecus ſequatur, cum non ſit aptus ad pugnandum ſingulari certamine, ut maximo etiam is honore afficiendus ſit: quippe qui optarit potius perpeti iniuriam, quàm perturbare & euertere ciuitatis tranquillitatem ac beatitudinem, præſertim cum recta uia non poſsit ulciſci. Hoc enim præter cætera ſpectare debent homines, ut quantum fieri poteſt, ciuitas & humana ſocietas non perturbetur ac uexetur: & cogitare non ſemper fieri poſſe, ut qui iniurias inſerunt, dent pœnas, ob humanam imperfectionem.

Non negamus tamen, aliquando in rebus magni momenti, ut in diuitijs magnis, in domibus, poſſeſsionibus, oppidis, per uim ereptis, ſi alia commodiori uia recuperari non poſsint, concedi ut per amicos, uel propinquos, uel miniſtros, & ſic aliena uirtute & ope recuperentur, modò ne ex ea re conſequutura uideatur magna aliqua ciuitatis perturbatio atq; uexatio: cuius tranquillitas in primis ſpectanda eſt cuiuis bono, ſi tamen eius honor & exiſtimatio non uioletur.

Eius aũt ultionẽ ideo permitti dicimus, ne omnino praui homines impunè abeãt: & qui iniuria ſunt affecti ſuo iure indignè priuẽtur. de quibus omnib. rebus in libris De honore uberius ac plenius diſputatũ eſt: ad quẽ locũ me reijcio, neceſſe nõ habẽs quæ illic dicta ſunt, hic repetere, præſertim cũ alia quædã nunc propoſita habeam. Lib. De honore.

His ita explicatis, uidetur abſoluta quæſtio ultimo loco propoſita, quomodo ſcilicet uindicta ſit ſumenda de eis qui nolunt fateri errores ſuos, eorumq; pœnitere, neque ueniam deprecari.

Iam reuertendum eſt ad ſuperiores quæſtiones diſſoluendas, quarum prima erat illa, qua quærebatur: Si alicui eſſent ablatæ res ſuæ per uim, & ille qui abſtuliſſet fateretur ſe abſtuliſſe, & deprecaretur ueniam, ſed nollet res ablatas reddere, nunquid huic danda eſſet uenia?

Ad hãc queſtionẽ reſpõdemus (ſicut ex eis quę dicta ſunt intelligi poteſt) huic nõ dãdã eſſe ueniã, quia eum nõ uerè pœnituit: reſtitueret enĩ quod ſuum nõ eſſet. Quomodo autem ſit de ipſo uindicta ſumenda, ex eis etiã quę dicta ſunt perſpicuè patet.

Quærebatur deinceps, Nunquid magiſtratus debeat ueniam dare earum iniuriarum quas dictum eſt priuatos homines cogi remittere & condonare. Dicimus quòd non ſemper debet: quia id maximum ciuitatibus detrimentum afferret. Nam ſi magiſtratus parcerent nocentib. ob uerba quæ ab eis pronunciarẽtur, nullos unq; punirent: omnes enĩ faterentur ſe improbè feciſſe, & ſe pœnitere, ac ueniam deprecarentur: quippe cum id non oſtenderet eos eſſe deſides & ignauos. quia nulla honeſta ratio quenquam prohibet, ne fateatur ſe timere magiſtratum. Sed de priuatis ſecus eſt. Ita iniuriæ illę non ſunt propriè magiſtratus, ſed uniuerſæ ciuitatis: oporteteq; magiſtratum ſpectare id quòd confert ciuitati. Accidit tamen aliquando, ut in aliquibus cauſis ſit etiam ignoſcendum à magiſtratu, ſicut à priuatis hominibus: cuiuſmodi ſunt nonnullæ iniuriæ, de quibus mentionẽ fecimus, dum explicaremus quid eſſet inuitum.

Erat alia quæſtio, ad quam paruipenſionis ſpeciem referẽda eſſent adulteria, quæ committerentur ob amorem, id eſt ob paſsionem neceſſariam & naturalem: & furta, quæ ad tolerandam uitam fierent: quia Ariſtoteles uiſus eſſet dicere, eiuſmodi erroribus, licet ſint iniuriæ, non tamen homines dici iniuſtos: quod uidebatur omnino à ueritate abhorrere.

Huic quæſtioni reſpõdentes, repetemus breuiter nõnulla quæ fuſius ſuprà diximus, dũ explicaremus definitionẽ ipſius iniuriari. Et primũ dicimus, nõ omne furtũ eſſe cũ electione: ꝓpterea quòd illud quod fit ꝑ paſsionẽ neceſſariã & naturalẽ, poteſt eſſe ſine electione, ut ſi qs furet᷑ ut uiuat: neq; omne adulteriũ eſſe cũ electione.

Item, non omne quod fit per irã: ex quo ſequitur, ut hęc nõ ſint cũ prauitate, & ita neq; uerę iniurię: & ut ob ea nõ ſint propriè iniuſti & praui homines, quẽadmodum ex eis quæ dicta ſunt patet: ſed ſunt iniuriæ per accidẽs, & cõmuniori uocabulo dicũtur iniuriæ, quia quantũ eſt ex ui & natura ſua, uidẽtur iniurię. Magis autem fortaſſe propriè uocarẽtur læſiones, quæ per accidẽs debẽt poni ſub cõtumelia. quomodo aũt ſint per accidens iniuriæ, & ſub qua ſpecie iniuriæ ſint ponendæ. ſatis (ut arbitramur) diximus in ſuperiorib. quæ neceſſe non eſt hic repetere. quæ uerò fiunt per electionẽ, ponuntur ſub cõtumelia, quę inferĩ, ut ſibi aliqd fiat pręter id quod factũ eſt.

Quærebatur præterea, ſi quis ſolus læſus fuiſſet ab aliquo, qui ſecum multos homines armatos haberet, uel inermis ab armato: uel ſi quis ita repentè percuſſus fuiſſet, ut percutientem cernere non potuiſſet antequam percuteretur, nunquid is iniuria fuiſſet affectus? & ſi eſſet iniuria affectus, quomodo poſſet qui iniuriam feciſſet, recõciliari cum ipſo, & pacem inire?

Item, ſi quis ex inſidijs percuſſus fuiſſet, & per alios, non per ſuum inimicũ, ſi eſſet iniuria affectus, & ulciſci deberet, quomodo ſumẽda foret uindicta? per inſidias'ne, an alia uia? Videbatur em̃ ſumi oportere ꝑ inſidias: tũ quia par pari reddere iuſtũ eſſet, & omne iuſtũ honeſtũ: tum quia ulciſci diceretur aliquis, cum par pari redderet.

Dicimus, honore neminem cogi, ſicut antè demonſtrauimus, ut ſolus ſe defendat à pluribus, quàm ab uno homine: ac niſi paribus conditionibus. & ideo qui uel ſolus à pluribus, uel imparibus conditionibus ab uno aliquo læditur, is quidem iniuria afficitur, ſed nihil dehoneſtatur.

Ad illud, quo pacto in eiuſmodi offenſionib. recõciliatio & pax honeſtè fieri poſſit: Reſpõdemus, in his facillimã eſſe pacis cõciliandæ rationẽ: quia ſatis eſt, ut is qui iniuria affecerit, fateatur ſe læſiſſe ſuperiori cõditione: uerbi gratia, auxilio multorũ ſolũ, uel armatũ inermem, & huiuſmodi. Quòd ſi pari cõditione ambo fuiſſent, exiſtimare ſe futurum fuiſſe, ut qui læſus eſſet, honorẽ ſuum ſuamq; exiſtimationẽ defenderet: ſeq; facti ſui pœnitere, & ueniã deprecari. Atq; hęc dicere, nõ eſt turpe ei qui iniuriã fecerit, ꝓpterea ꝙ (ut ſuprà etiã diximus) nihil peccare, eſſet Deorũ: homines aũt ut aliquãdo peccẽt ex natura ipſorũ, neceſſe eſt. Ideoq; peccata quædã in hominib. ſunt ferẽda. Facilè eſt ergo, inter iſtos pacem cõciliare: & eo quidẽ magis, quòd honor (ut ſæpe iam dictum eſt) non poſtulat niſi ut unus homo cũ uno homine pugnet, idq; cæteris omnibus paribus. & ita in exemplis quæ allata ſunt iniuriarum atq; offenſionum, non læditur ſimpliciter honor eius cui uis infertur.

Si uerò illi qui iniuria affecerunt, eſſent ita obſtinati & pertinaces, ut nollẽt fateri meliorẽ illã cõditionẽ, neq; ſe ullo modo ſubmittere eis qui læſi fuiſſent, nihilq; magiſtratus iuuare poſſet, ob aliquã earũ quæ dictę ſunt cauſarũ: ſi ambo ſint ad certandum apti, & in ſuperiorib. & in libris De honore oſtẽdimus, prouocandũ eſſe ad ſingulare certamẽ, qui offenderit ab eo qui ſit offenſus, potius ꝙ̃ per inſidias uel aliena uirtute ſumendã eſſe uindictã: quia illa propriè non eſt uindicta, quæ non fit uirtute propria, & ſic per illã nõ recuperatur honor. neq; enim uiro forti & magnanimo cõcedi poteſt, quia alter uſus fuerit ad offendendum inſidijs, uel aliorum opera & auxilio, ut poſsit ipſe eiſdem uti: propterea quòd qui ad uincendũ utitur inſidijs, uel meliori aliqua cõditione, nõ agit ex uirtute, ut perſpicuum eſt. Qui uerò nõ agit ex uirtute, nõ eſt fortis, neq; magnanimus. Itaq; neceſſariò efficiť, ut q læſus eſt, ꝓuocet eũ qui lęſerit, ad ſingulare certamẽ. hoc enim ex propria uirtute ſolùm proficiſci poteſt.

Quòd uerò dicebatur, iuſtũ eſſe ex ſentẽtia Ariſtotelis, par pari reddere: & omne iuſtum eſſe honeſtũ: uindictam autem fieri, cum par pari redderetur. Reſpondemus, par pari ſemper eſſe reddẽdum, cum honeſtè reddi poteſt. & hoc modo intellexiſſe Ariſtotelẽ: alioquin futurũ, ut cum ſua ipſius ſentẽtia pugnet. Non eſſe aũt reddendum par pari ex omni parte, cũ ſumitur uindicta: ſed ſatis eſſe, ſi par pari reddatur per æquabilem rationẽ, ut nos ſuprà declarauimus. Neq; uerò celebre illud dictum,

Dolus an uirtus quis in hoſte requiret? neq; illud,

Fallere fallentem ſuſpicor eſſe pium:

euertit ſententiam noſtram, propterea quòd non hæc inducuntur dicere uiri graues & uirtute præditi: ſed ij qui furijs & turpi amore raperentur, & pręcipites agerentur. Quòd ſi hæc fuiſſet illorum Poetarum ſententia, ut à uiris etiam fortibus & magnanimis eadem dici poſſent, eos uehementer erraſſe, non ſanè difficile eſſet oſtendere. Etenim in dubium uenire non poteſt, non licere uiro forti & magnanimo, ob ullam cauſam, etiam grauiſsimam, aliquid efficere quod uirtuti aduerſetur. Non poteſt ergo impelli ut utatur inſidijs, eaſq; facultates adhibeat, quibus alio modo quàm uirtute ſuperior ſit, etiamſi aliquis eiſdem uſus ſit aduerſus ipſum.

Sed aduerſus ea quæ diximus, ſic urgere poſſet aliquis: Si eius qui per inſidias, uel aliqua iniqua conditione percuſsus eſt, non læditur honor: ergo ui honoris non cogitur prouocare ad ſingulare certamen, eum qui percuſserit.

Reſpondemus

Reſpondemus ex ſententia Ariſtotelis: Cum ſint aliquando ulciſcendæ iniuriæ (ut diximus, & dicemus) ſi nō poſsit meliori uia id quiſquam aſſequi, ſingulari certamine agendum eſſe. quod licet ſit malum, tamen quia eſt minus malum propter hominum prauitatem, rationem uimq́ obtinet maioris boni.

Item, Qui læſus eſt, cogitur ad ſingulare certamen prouocare eum qui læſerit: tum quia pati non debet ut ipſius honor aliqua ex parte minuatur, ob ſuſpicionem minoris uirtutis (ſiquidem fieri poſſet ut crederetur, eum qui multorum comitatu & auxilio, uel aliqua alia meliori conditione fretus, ei intuliſſet iniuriam, eſſe talis uirtutis, ut ſolus etiam potuiſſet ipſum lædere:) tum quia ille qui iniuria affecerit, dicere poſſet, ſe plures ſecum habuiſſe, non quòd uellet eorum auxilio illum percutere, ſed ut præſtò eſſent, ac ſe tuerentur, ſi fortè alij in auxilium eius qui iniuria erat afficiendus, ueniſſent. Quòd autem non timeret ipſum ſolum, illud eſſe argumento, quòd præclare noſſet futurum, ut is poſtquam fuiſſet iniuria affectus, poſſet ipſum prouocare ad ſingulare certamen, & ita honoris ui cogere ipſum ſecum congredi, atq́ armis decertare. Itaq́ ſi eum ſolum timuiſſet, nunquam ei iniuriam facturum fuiſſe. Quia ergo iſta poſſent afferre dedecus ei qui iniuria fuiſſet affectus, cogitur is ui honoris prouocare ad ſingulare certamen, eum qui læſerit: ut re ipſa oſtendat, eum non eſſe tantæ uirtutis, ut auderet, nedum poſſet, iniuriam ſibi inferre, niſi habuiſſet quo confideret ſe id tutò facere poſſe. Sed hac de re ſatis nunc dictum ſit, præſertim cum in ſuperioribus etiam multa dixerimus.

FINIS LIBRI QVINTI EVERSIONIS *Singularis certaminis.*

LIBER SEXTVS.

SECTIO PRIMA.

SEd interim quærendum uidetur, quot modis honos, tum eius qui infert iniuriam, tum eius qui iniuriam accipit, minui poſsit, & reliqua. *Auctor.*

HActenus declaratum eſt quid ſit iniuriari, quotq́ ſint eius ſpecies: & quonam pacto ipſæ iniuriæ, uia ac ratione etiam naturali tolli honorificè poſſint. Iam tempus eſt, ut redeamus ad id unde egreſsi ſumus: & oſtendamus, hunc Auctorem in iſtis iniurijs tractandis à ſententia Ariſtotelis, quam in hoc ſuo libro ſe ſequi mirum in modum profitetur, non minus longè receſſiſſe, quàm cœlum à terra diſtat. id quod nobis propoſitū eſſe agere, ſuprà diximus. ANT. BER.

In primis igitur dicimus, eum non rectè hanc rem tractaſſe, propterea quòd cum ei eſſet propoſitum uerba facere de iniurijs, omiſit definitionem ipſius iniuriæ generalem: qua ignorata, præterquam quòd ignoratur eius natura, ſine qua fieri non poteſt ut rectè de iniurijs agatur, ut eius etiam ſpecies ignorentur neceſſe eſt. fieri enim non poteſt, ut uerè intelligatur quid ſit homo, niſi intellexerimus prius quid ſit animal: ponitur enim in eius definitione. ſicut ex ſententia Ariſtotelis (ut dictum eſt ſuprà) fieri nō poterat, ut intelligeremus quid eſset natura, niſi prius quid eſset motus, definitione nobis patefactum fuiſset. Ignorato enim motu, neceſse eſt (inquit) ignorare naturam. Quod cum non fecerit Auctor iſte, ut nō rectè fecerit neceſse eſt. Non enim ſequutus eſt Ariſtotelem, ut profeſsus eſt ſe ſequi uelle. Deinde non diſtinxit iniurias in ſuas ueras ſpecies: ut in neglectum, in incommodationem, & in contumeliam. Oſtenſum enim in ſuperioribus eſt, ex ſententia Ariſtotelis, iniuriam eſse idem quod eſset paruipenſio, & paruipenſionem diuidi in neglectum, in incommodationem, & in contumeliam. Iniuriam ergo diuidi in eaſdem ſpecies, in dubium uenire non poteſt. Quam cum iſte homo ſecus diuiſerit, quantum à ſententia Ariſtotelis hac etiam in parte aberrauerit, perſpicuè liquet. *1.Phyſ.tex.1.*

Præterea inquit: Omnis iniuria fit aut uerbo aut facto: eaq́ aut præſenti aut abſenti. Hæc quoq́ diſtinctio uana eſt, quia iſtæ nō ſunt ueræ ſpecies iniuriæ: quia omnes iſtæ poſsunt eſse ſub ea ſpecie iniuriæ quæ contumelia dicitur. quia contumelia eſt

in nocendo, uel triſticiam afferendo, uel in alijs proprietatibus quæ ponuntur in deſi-nitione ipſius iniuriari, in quibus turpitudo ipſum patientem attingit.

2. Rhet. 2. Item dixit Ariſtoteles, quòd homines iraſcuntur ludibrio habentibus, & ſubſannantibus, & conuiciantibus, quæ omnia fieri poſſunt uerbis. tamen inquit eam cauſam eſſe cur iraſcantur illis, quia ſic contumelia afficiunt.

1. Rhet. 13. 2. Rhet. 2. Quòd autem uerbera reuocentur ad contumeliam, perſpicuum eſt ex eis quæ dixit Ariſtoteles, ubi poſuit exemplum Achillis & Agamemnonis.

Ibid. Quo in loco etiam paulo pòſt addidit: Iraſcuntur illis qui nocent in talibus quæ ſunt ſigna contumeliæ. neceſſarium autem talia eſſe, quæ neq; pro aliquo, neq; ſunt utilia facientibus. ſed iſta poſſunt fieri uerbis: poſſumus enim nocere uerbis, unde nihil præterea conſequamur, nullaq; alia re adducti niſi procacitate quadam & maledicendi ſtudio: & tamen ipſe dicit, quòd hæc uidentur per contumeliam fieri. non ergo rectè iſte homo diuiſit iniuriam, cum eam aut uerbo aut facto fieri dixit: quia iſta ſunt ſingularia, quæ cõtinentur ſub iniuriæ ſpeciebus. Et ſic in diuiſione iretur in infinitum, quod reſpuit natura & intellectus humanus. Et ſi ſunt ſpecies, quare non redegit iniuriam quæ fit facto, ad aliquam alteram ſpeciem ipſius iniuriæ, ut paruipenſionis: quod quidem erat faciendum: quia per eum, iniuria quæ fit uerbo, eſt contumelia. Latius ergo patet per ipſum iniuria, quàm contumelia. nam uidetur concedere, omnem contumeliam eſſe iniuriam: non tamen contrà, omnem iniuriam eſſe contumeliam: quia quę facto eſt, iniuriam eſſe dicit non contumeliam. Quod quidẽ Ariſtotelem oporteret (ut ex eis quę dicta ſunt perſpicuum eſt) ad aliquam ſpeciem iniuriæ uel paruipenſionis reuocare.

Item ridiculũ eſt quod addit, Præſenti uel abſenti: quia ſiue ſit præſens, ſiue ſit abſens, is cui fit iniuria, ſi quis triſticiam uel detrimentum affert, in quibus patienti turpitudo contrahitur, non ut aliquid ſibi fiat amplius quàm factum fuit, ſed ut lætetur, uel ut alterius honorem uiolet, contumelia eſt. hęc enim fuit ipſius contumeliæ definitio: ſed aliquis poteſt abſenti triſticiam afferre uerbis, uel detrimentum, in quibus eſt turpe ipſi patienti, non ut ſibi aliquid fiat plus quàm quod factum eſt, ſed ut lætetur, uel ut honorem eius uiolet. Ergo erit contumelia.

Minor clara eſt: quia poteſt aliquis lędere aliquem abſentem uerbis, & in contemptionem adducere apud eum à quo ille poſsit honores conſequi: ut apud exercitus ducem, dicens illum eſſe nullius precij hominem, deſidemq; & ignauũ: idq; ob eam unam cauſam, ut gaudeat ipſe: cum tamen magnam ei triſticiam ac detrimentum afferat, quia eſt cauſa ne ille conſequatur à duce honores quos expetebat. Lædit ergo in eis, in quibus eſt turpe patienti, non ut ſibi aliquid fiat plus q̃ quod factum eſt, ſed ut gaudeat uidens ſuis uerbis illum prohibitum eſſe id cõſequi quod ſperabat. quod item ſæpe fit ut alicuius honor uioletur Erit ergo contumelia, etiam in abſentem loqui. Eodemq; modo de præſente licet dicere. Non ergo opus fuit ita diſtinguere. nam cum Ariſtoteles uocauit contumelias, quæ uerbo ſic fierent, ſimul intellexit eas etiam quæ facto inferrentur, & utraſq; tam in præſentem quàm in abſentem, quæ uidelicet non eſſent neq; neglectus, neque incommodationes. Ridicula ergo eſt illa diſtinctio.

Præterea non apparet ratio, quare nomen detractionis, quod ſignificat imminutionẽ honoris alterius, non conueniat ita iniuriæ quæ fit præſenti, ſicut ei quæ fit abſenti: quaſi uerò non poſsint coràm dici uerba quæ de honore alterius detrahant, quod quidem nihil aliud eſt quàm uerbis eius honorem uiolare: & ita, cum uioletur hoc modo honor alicuius, ſemper erit honoris detractio, ſiue fiat abſente illo, ſiue præſente. Non igitur fuit opus hac diſtinctione, ex ſententia Ariſtotelis.

Item, uerba & ſcripta poſſunt eſſe ſolùm ad incommodandum, uel negligendum tantũ. Ergo perperã dictũ eſt, quòd ſi iniuria ſit uerbo uel ſcripto, cõtumelia dicatur.

Antecedens perſpicuum eſt: quia poſſunt eſſe uerba quę impediant, ne aliquis cõſequatur quod uult: non ut aliquid ſibi fiat, ſed ut ne illi. & tunc erit incommodatio, non contumelia. Vel quæ oſtendant dicentem nihilipendere illum, aduerſus quem ea dicit. & ita hæc iniuria erit neglectus: non ergo contumelia.

Conſequentia perſpicua eſt ex eis quæ dicta ſunt. Perperam ergo dictum eſt ab iſto, Quòd ſi iniuria fit uerbo uel ſcripto, ſit contumelia: quia poteſt eſſe incom-

modatio

modatio uel neglectus, quæ ſunt ſpecies iniuriæ, ab ipſa contumelia diſtinctæ.

Item, perinde loquitur iſte homo, ac ſi diceret, Eſt iniuria, ergo contumelia: quod quidē eſt peccare per fallaciam conſequentis. ſicut ſi aliquis argumentaretur: Eſt animal, ergo eſt homo: &, Eſt contingens, ergo neceſſarium. Quia cōtingens (ut dictū eſt ſuprà) dicitur de neceſſario, nō neceſſario & poſsibili: Quare prorſus ignorare uidetur quid dicat, ſummāq; præ ſe fert ignorationē Logicę, & ipſius etiā Dialecticæ.

Item, cum loquitur de iniuria quæ fit facto, non declarat ſub qua ſpecie iniuriæ ſit ponenda, & tamen hoc erat neceſſarium: quia ſi iniuria quæ uerbis fieret, uel ſcriptis, erat per ipſum contumelia, & ſeiungebatur ab ea quæ facto fieret, declaratum erat ſub qua ſpecie hæc poneretur. Ergo perperam hanc rem tractauit. Mācus enim fuit, & non locutus eſt ex ſententia Ariſtotelis.

Præterea, hæc iniuria quæ fit facto (ut ipſe inquit) non eſt contumelia, neq; neglectus, neq; incommodatio: ergo non eſt iniuria. Sed ipſe appellat iniuriam, ergo pugnantia loquitur.

Quòd aūt nō ſit cōtumelia, patet ex eis quę ipſe dixit: Quòd uidelicet omnis iniuria fit aut uerbo aut facto, eaq; aut præſenti aut abſenti. Si uerbo uel ſcripto, cōtumelia dicitur: quā poſtea diuidit in detractionē & cōtumeliam, quā dicit eſſe ſpeciē, quę ſpecies nomen generis retinuit. Ergo negat iniuriam quæ fit facto, eſſe cōtumeliam.

Probemus modò quòd nō ſit neglectus, neq; incommodatio: quia furari aliquid ab aliquo, aut pulſare corpus ſicariorum aut proditorum more, aut rapere aliquid apertè (quæ exempla ipſe proponit iniuriæ quæ fit facto) non eſt neglectus ſimpliciter, quia non fit ſolùm ut oſtendatur aliquem nullius precij eſſe: neq; incōmodatio, non enim efficitur tantùm ad impediendum quempiam, quo minus conſequatur id quod cupit: ſed ut fiat aliquid ſibi, ſicut in furando: uel ut inferatur pœna, & ut uioletur honor, ſicut in pulſando. ergo non erit incommodatio, neq; neglectus.

Conſequētia perſpicua eſt ex definitione incōmodationis & neglectus: ergo quā poſuit iniuriam facto non erit iniuria: pugnātia ergo loquutus eſt, ut mos eſt ipſius.

Item, illi quibus occultè fuerunt erepta bona, & qui fuerunt pulſati ab eis qui more ſicariorum & proditorum eos aggreſsi ſunt, uel qui aperta ui oppreſsi aliquo malo affecti ſunt, iniuriam (ut tu concedis) acceperunt: ergo uiolatus fuit eorum honor.

Probatur conſequētia ex Ariſtotelis loco, etiam in ſuperiorib. citato, ubi ait: Qui iniuria eſt affectus, habet minus boni: & q iniuria afficit, plus boni. Ergo alter habet minus, alter plus honoris. Nō eñ fieri poteſt ut aliquis priuetur aliqua re quin ſimul priuetur honore: ut patuit de Achille, & de alijs iniurijs, quia iſtas iniurias ſequit neglectus: neglectum uerò ſequi uiolationem honoris, oſtenſum eſt in ſuperioribus. r.Ethic.¶

Neq; hoc dictum quod protulit Ariſtoteles, Quòd qui iniuria affectus eſt habeat minus boni, & per conſequens minus honoris: & qui afficit, plus boni, & ſic plus honoris: aduerſatur ei quod alibi dixit, Melius eſſe iniuriam pati, quàm iniuriam inferre. Ex quo ſequitur, ut qui iniuria affectus eſt, uideatur habere plus boni: quandoquidem habet quod melius eſt.

Item ei quod dixit quinto Ethic. cap. ultimo: Manifeſtum eſt autem, & quòd ambo ſunt mala, & iniuria affici, & iniuria afficere. nam aliud eſt minus habere, & aliud eſt plus habere, quàm medium: ut ſanum in medicina, & bona habitudo in gymnaſtica. peius tamen eſt iniuria afficere: quia iniuria afficere eſt cum prauitate, & eſt uituperatione dignum. & cum prauitate uel perfecta ſimpliciter, uel propè: quia non omne quod eſt ſpontaneum, eſt cum iniuſticia: & iniuria affici, eſt ſine prauitate & iniuſticia. Iniuria igitur affici per ſe eſt minus malum: ſecundum accidens autem nihil prohibet eſſe maius malum. Sed ars tamen id nihil curat. ſed inquit, Pleuritidem maiorem eſſe morbum pedis offenſione, licet ex accidenti contrarium interdum euenire queat: ut ſi ex pedis offenſione aliquis ceciderit, atq; ita ab hoſtibus captus fuerit, atq; interfectus. 5.Ethic.ult.

Si ergo peius eſt iniuria afficere, quàm affici, in dubium uenire non poteſt, quin qui afficitur iniuria, maius bonum habeat, quàm qui iniuria afficit: licet non habeat bonum. multa enim ſunt maiora bona, quæ non ſunt bona, ſed mala. Id uerò hic etiam oſtendi poteſt: Qui habet peius malum, habet maius malum: Qui iniuria afficit, habet peius malum quàm qui iniuria afficitur (dixit enim Ariſtoteles, utrūq; eſſe malum.)

eſſe malum.)Ergo qui iniuria afficit, habet maius malum, quàm qui iniuria afficitur. ergo qui iniuria afficitur, habebit maius bonum: quia minus malum eſt maius bonũ, quàm maius malum. Quod ſi ita eſt, ergo melius erit iniuriam pati, quàm iniuriam
5.Ethic.6. inferre. Quod euertit id quod dixerat prius in capite ſexto Ethicorum: Fit igitur a-
» liud quidem plus, aliud autem minus, quod quidem in operibus contingit: Et qui
» iniuria afficit, plus boni habet. qui autem iniuria afficitur, habet minus boni. In malo
» autem econtrariò, in ratione boni fit minus malum in comparatione ad maius ma-
» lum. eſt enim minus malum magis eligibile maiori malo. Quod autem eligibile eſt
» bonum, & magis maius. Ex quibus uerbis ſequitur, melius eſſe eligere iniuria affi-cere, quàm affici: quia minus malum eſt magis eligibile, quàm maius malum. iniuria autem afficere eſt minus malum, & affici iniuria eſt maius malum: ergo afficere iniuria eſt magis eligibile: ergo melius erit iniuriam inferre, quàm iniuriam pati. Quare neceſsitas cogit (niſi uelimus Ariſtotelem non ſolùm pugnantia, uerùm etiam negantia aſſeruiſſe) ut hos textus recta interpretatione explicemus. Quamobrem uidetur dicẽdum in primis, aliud eſſe minus malum per ſe, quod nihil aliud eſt quàm maius bonum per ſe: cui maiori bono poteſt accidere ut ſit maius malum, cum per ſe ſit minus malum, & ex natura ſua ſit malum. aliud bonum per accidens, id eſt non ex ſua natura, ſed quia accidit ei eſſe bonum, quod quidem bonum poteſt eſſe per ſe malum. Et hæc diuiſio poteſt colligi ex multis Ariſtotelis locis, ſed præcipuè ex quinto
5.Ethic.13. Ethicorum cap. decimotertio, ubi loquutus eſt de reſtitutione depoſiti: & ex tex. al-
5.Ethic.ult. lato quinti Ethic. cap. ultimo, ubi dixit, Per ſe iniuria affici eſſe minus malum: per acci
» dens uerò nihil prohibere quin ſit maius malum. ex quo ſequitur, iniuria afficere eſſe
» per ſe maius malum, & per accidens minus malum. Vtrunque tamen eſt malum: quia eſt habere plus minuſ'ue medij, ergo iniuſti: ergo mala. & alterum dicitur bonũ per accidens, id eſt non ex ſua natura.

Item dicendum, aliud eſſe bonum quod eligitur à prudente uiro & bono, aliud quod eligitur ab imprudente & malo: quia quod à uiro prudente & bono eligitur, eſt bonum per ſe, & ex natura ſua: quod uerò eligitur ab imprudente & malo, non eſt bonum per ſe & ex natura ſua, ſed per accidẽs & in comparatione: quod quidem non eſt bonum uerum, ſed apparens. Et hoc declarauit Ariſtoteles in multis locis,
3.Ethic.7. ſed maximè tertio Ethicorum, capite ſeptimo: quem locum citabimus etiam in ſequentibus.

5.Ethic.6. His ita conſtitutis, dicimus Ariſtotelem in ſexto cap. libri quinti Ethicor. dixiſſe eum qui iniuria afficit, habere plus boni, non per ſe, ſed per accidẽs, uidelicet in comparatione eius qui iniuria afficitur: quod maius bonum concedit Ariſtoteles eſſe magis eligendum, per accidens ſcilicet in illa comparatione, & ab homine improbo, non probo: quia hoc minus malum, eſt per ſe malum, ſed per accidens bonum. quare ſequitur, ut per accidens ſit magis eligendum, non per ſe. non enim omne minus malum eſt eligendum abſolutè: quia minus malum, quod per ſe eſt malum, & per accidens bonum, non eſt eligendum à uiro probo, ſed ab improbo: & non ſimpliciter eſt eligendum, ſed per accidens. Eſt enim (inquit Ariſtoteles) minus malum magis eligendum in comparatione maioris mali. Ex quo ſequi concedimus, magis eſſe eligendum iniuria afficere, quàm iniuria affici: per accidens tamen in illa comparatione, nõ autem ſimpliciter & abſolutè. id quod oſtendebat argumentum allatum: quippe ars non curat, quod eſt per accidens.

5.Ethic.ul. Itaq; in ultimo cap. eiuſdẽ quinti dixit Ariſtoteles, peius eſſe iniuria afficere, quàm
» iniuria affici. ex quo ſequebatur, ut qui iniuria afficeretur, maius bonum haberet, quàm qui iniuria afficeret, ut probabat argumentum. quia qui iniuria afficeretur, habebat quod erat bonum per ſe: erat enim ſine prauitate & iniuſticia: & ſic honeſtum, quod planè à uiro prudenti & bono eſt magis eligendum, quàm id quod bonum eſt in comparatione, & per accidens. Et hoc modo intelligendo, non pugnant inter ſe iſti textus, ſed uterque concludit uerum: quòd uidelicet iniuria afficere eligeret magis prauus homo, iniuria autem affici magis eligeret probus uir: quamuis hoc eligere, ſit eligere minus bonum, per accidens ſcilicet in comparatione. & hoc de-
1.Rhet.7. clarauit Ariſtoteles primo Rhetor. cap. ſeptimo, ijs uerbis: Præterea quod melior
» aut ſimpliciter eligeret, aut qua melior, ut iniuria affici magis quàm iniuria afficere.

nam illud iuſtior profectò eligeret. Etenim ſi ex ſententia Ariſtotelis iuſtior eligeret
iniuria affici magis quàm iniuria afficere, licet utrūq; ſit malum: ergo qui eligeret in-
iuria afficere, eſſet iniuſtior. erit ergo iniuria afficere magis eligendum per accidens.
Et hoc aſſerebat text. ſexti cap. quinti libri Ethic. Iniuria uerò affici erat magis eligen 6. Ethic. 5.
dum per ſe, quia erat per ſe minus malum. Et hoc aſſerebat text. cap. ultimi quinti E- 5. Ethic. ult.
thic. quem totiens citauimus. Et omnes text. qui dicunt iniuria affici eſſe magis e-
ligendum quàm iniuria afficere, ſunt intelligendi per ſe, eo quo diximus modo. Ete-
nim iniuria afficere, eſt peioris moris. quod declarauit etiam Ariſtoteles 8. Topicor. 8. Top. 5.
cap. quinto, cum inquit: Erit autem improbabilis multipliciter. etenim ex qua abſur- “
da dicere contingit, ut ſi aliquis diceret omnia moueri, uel nihil, & quæcunq; ſunt “
peioris moris eligere, & repugnantia conſilijs, ut quòd uoluptas ſit bonum, & iniu- “
ria afficere melius quàm iniuria affici. eſt ergo peioris moris, iniuria afficere. Quare “
nemini mirum uideri debet, ſi homines probi magis eligunt iniuria affici quàm iniu-
ria afficere: quamuis ſit habere minus boni per accidens, ſcilicet in comparatione. E-
tenim magis eſt eligēdum à uiro probo, quod per ſe eſt bonum, & ſimpliciter, quàm
quod per accidens. hoc enim explicauit Ariſtoteles 3. Topic. cap. 1 dicens: Et quod 3. Top. 1.
per ſe, eo quod per accidens, eſt magis eligendum: ut amicos iuſtos eſſe, eo quòd ini- “
micos. hoc enim per ſe eligendū, illud aūt per accidēs. nam inimicos iuſtos eſſe ſecū- “
dū accidēs eligemus, ut nihil nobis noceant. amicos uerò iuſtos eſſe, per ſe eligimus, “
etſi nihil nobis debeat fieri: inimicos aūt ꝓpter alterū, ut nihil ſcilicet nobis noceant. “

Quam item ſententiam uiſus eſt indicare 3. Rhet. cap. 13. his uerbis: Si aūt & in affe 3. Rhet. 13.
ctu, & nō pœnitet me, quāuis fuerim iniuria affectus. Huic enim circū eſt lucrū, mihi “
aūt iuſtū, & per id quod neceſſariò ſequitur honeſtū. Per lucrū hic intelligitur bō- “
num illud per accidēs, & in cōparatione. quod oſtēdit Ariſtoteles 5. Ethic. cap. 7. ubi 5. Ethic. 7.
ait, Plus enim boni, & minus mali eſt lucrū. Contrarium aūt dānum: quorum eſt me- “
dium æquale, quod dicimus iuſtum. Qui ergo iniuria afficit, habet plus boni per “
accidens, per ſe uerò plus mali. Qui ergo iniuria affici magis eligit ꝙ iniuria afficere,
eligit maius bonum: quia eligit quod per ſe eſt bonum, quod planè eſt idē quod ho-
neſtū: & non curat bonū illud per accidēs in cōparatione, quia non eſt uerè bonū, &
principale bonū: eſt enim cū prauitate coniunctū, & iniuſticia. Quare poteſt uir bo-
nus illud reijcere, ut acquirat quod uerè eſt bonū. nec tamē ſibi illū propterea iniuriā
facere, colligi uidetur ex eis quæ dixit Ariſtoteles 5. Ethic. cap. 15. Si quis plus alteri ꝙ 5. Ethic. 15.
ſibijpſi diſtribuit, ſciēs & ſpōte, hic ſeipſum iniuria afficit: quod quidē uidētur mode “
ſti facere. Etenim ꝓbus uir uidetur diminutiuus bonorū ipſius, at neq; hoc ſimplici- “
ter. alterius enim boni ſi contigit ſimpliciter, plus uſurpat, uel gloriæ, uel ſimpliciter “
honeſti. Ex quibus planè ſequitur, ut qui eligit potius iniuria affici ꝙ afficere, non
ſibi iniuriam faciat, licet abijciat illud bonū per accidens: quia illud relinquit, ut con-
ſequatur maius bonum & perfectius. conſequitur enim plus gloriæ uel plus honeſti
ſimpliciter, quàm qui iniuria afficit. Etenim qui relinquit bonum quoddam imperfe-
ctum, ut conſequatur bonum perfectiſsimū, non dicitur ſeipſum lædere, ſed iuuare:
ideoq; non dicitur iniuriam ſibi afferre, quia non eſt ſine læſione iniuria.

Sed cū cōcluſum ſit, eum ꝗ iniuria afficit, habere plus boni per accidēs & in cōpa-
ratione, & ita lucrari: eum uerò ꝗ iniuria afficitur, pati dānum: ſtatim quęrat aliquis,
quomodo lucretur is qui iniuria afficit, ſi iniuſtè agit: & q̄d nam ſit illud lucrū, quod
lucratur? Siquidē nō ſemꝑ iniuria afficiens lucrat̄ nūmos, uel diuitias, uel aliquid hu-
iuſmodi, & ſic nihil omnino uidet̄ lucrari. & tamē dicit Ariſtoteles, Omnē ꝑcutientē 5. Ethic. 7.
& interficientē lucrari, & qui iniuria afficitur damnū pati. inquit em̄: Quādo hic qui- “
dem percuſſus fuerit, hic autem percuſſerit: uel interfecerit, hic autem mortuus erit. “
diuiditur autem paſsio & actio in inæqualia. ſed conatur pœna adæquare auferens “
lucrum. Dicitur autem, ut ſimpliciter dicā, in talibus (etſi quibuſdā non uideatur eſſe “
nomē proprium) lucrū, ut uerberanti, & damnū patienti. Prętérea ex eo quod cō-
cluſum eſt, à uiro ꝓbo eſſe magis eligendū iniuria affici ꝙ afficere, quia ꝗ iniuria affi-
citur habet plus glorię uel honeſti ſimpliciter, quia plus iuſti ꝙ qui iniuria afficit: &
ſic uidetur lucrari magis ꝗ iniuria afficit, ꝙ qui afficit. Ex hoc inquā inſtaret aliq̄s, di-
cēs hoc poſito ſeq̄, ut qui iniuria afficit̄ magis lætari debeat, & ꝑ cōſequens iraſci nō
poſsit ex illo neglectu, nec itē oporteat ipſum ſumere uindictā de eo à quo iniuriam
acceperit,

acceperit,neq; ire ad magiſtratum ut recuperet illud bonum, quod ſibi præter leges per iniuriam ſit ablatum. quippe qui lucratus eſt gloriam, lucratus eſt honeſtum: qui autem maius bonum lucratus ab aliquo, non debet quærere de eo uindictam, neq; proficiſci ad magiſtratum, ut recuperet paruum illud bonum quod perdiderat: eſſet enim hominis ingrati. Sed hoc apertiſsimè euertit illud quod ſcriptum reliquit Ari-
5.Ethic.7. ſtoteles quinto Ethic. cap. ſeptimo, ubi ait: Quapropter cum dubitatur, ad iudicem
» confugiunt. ſed ire ad iudicem, eſt ire ad iuſtum. etenim iudex uult eſſe ueluti iuſtum
» animatum. Deinde ſubiungit: Adæquat auferens ab eo quod plus habet, quod eſt
» qui iniuria afficit, &c.

Item euertit ſententiam Ariſtotelis in definitione iræ, & in multis alijs locis, ut ui-
3.Ethic.8. debimus: & præcipuè in 3. Ethic. cap. 8.

Item ſequeretur, ut eius qui iniuria afficeretur, nunquam uiolaretur honor. Con
1.Rhet.13. ſequens eſt falſum ex eis quæ dixit Ariſtoteles in primo Rhet. lib. cap. decimotertio:
2.Rhet.2. & in ſecundo lib. cap. ſecundo. Ergo & antecedens. Probatur conſequentia: quia illius qui lucratur bonum ſimpliciter, non uiolatur honos, dū illud lucratur. Sed qui iniuria afficitur, lucratur bonum ſimpliciter: ergo illius qui afficitur iniuria, non uiolatur honor. Hæc omnia ſunt abſurda: ergo & illa unde ſequuntur, abſurda eſſe neceſſe eſt.

Harum priori quæſtioni reſpondemus: Ipſum percutientem & interficientem, & breuiter omnem auferentem aliquid ab aliquo contra proportionem & æquum, lucrari per accidens eius honorem quem percutit, præſertim ſi percutiat iniuriæ faciendæ cauſa, in comparatione ſcilicet illius cui uis infertur: & ſi quid auferat præter illā rem quam aufert, lucrari honorem eius à quo aufert, quia ſcilicet negligit ipſum. aliter enim nihil ab eo auferret, ſicut declarauit Ariſtoteles exemplo Agamemnonis & Achillis, quo exemplo probabat, eum qui inhonoratur negligi: & qui negligeretur, nullum habere honorem. oſtendebatq; eum qui auferret aliquid ab aliquo, uiolare eius honorem à quo auferret. quod ſi non eſſet uerum, perperam & fruſtra attuliſſet Ariſtoteles illud quidem dictum, quod perſpicuè attuliſſe apparet, ut probaret eum qui auferat aliquid ab aliquo, negligere illum à quo aufert: nihil enim probaret. Neq; uerò non poteſt aliquando Poeta inducere aliquem in aliquo affectu & animi perturbatione uerſantem, ueram ſententiam proferre: ſicut patet ex eis quæ citaui-
3.Rhet.7. mus paulo antè ex 3. Rhet. cap. 7.

Præterea qui aufert aliquid ab aliquo, habet illud quod aufert: qui iniuria afficit, aufert honorem ab eo quem iniuria afficit, ſicut oſtendimus: ergo habet ſuum honorem. Sed qui habet honorem quem prius non habebat, dicitur lucrari illum. Qui iniuria afficit, habet honorem quem prius non habebat: ergo dicitur lucrari eum. In omni ergo iniuria, quæcunq; ſit illa, qui iniuria afficit, dicitur lucrari honorem, propter cauſam dictam. uidetur enim lucrari honorem per accidens: in comparatione uidelicet eius qui iniuria afficitur. etenim exiſtimatur eſſe illo fortior: fortioribus autem maior habetur honor. Videtur etiā maiori honore dignus ex illa actione, quàm ſit iniuria affectus: quia lucratur eius honorem, & ſibi aſcribit. aufert enim ab eo qui patitur, eam exiſtimationem quę uidebatur ei conuenire: ſiquidem uidetur debilior & nullius precij, poſtquam per iniuriam fuerit neglectus: quod eſt ei turpiſsimum. Videtur enim talis eſſe, qui ſe malè non poſsit ab altero defendere, ſicut natura tenetur.

Iam uidetur diſſoluta prior quæſtio: quia oſtendimus, lucrum illud quod dicitur lucrari is qui iniuria afficit, ſemper eſſe honorem quem per accidens lucratur, in comparatione uidelicet eius quem iniuria afficit, quomodocūq; iniuria afficiat, ſiue percutiendo, ſiue auferendo aliquid, ſiue aliquo alio modo.

Ad alteram quæſtionem quæ ſequebatur, reſpondentes concedimus, eum qui afficitur iniuria, conſequi plus gloriæ uel honeſti ſimpliciter, quàm qui iniuria afficit: & uideri lucrari plus. quia qui cōſequitur maiorē honeſtatē in cōparatione alicuius quàm prius haberet, dicitur lucrari plus. in hoc enim ſenſu accipimus nunc lucrū: & cōcedimus ex hoc ſequi, ut qui afficitur iniuria, magis lætari debeat in comparatione illius qui iniuria affecit, quia patitur ſine prauitate & iniuſticia: ille uerò agit cum maxima prauitate & iniuſticia. nulla enim maior lætitia, nulla maior uolupras

poteſt

poteſt accidere hominibus rectè ſecũdum naturam affectis, quàm ſcire ſe nihil egiſſe cum prauitate & iniuſticia: ruruſq; nullus maior dolor, nulla maior triſticia, quàm recordari ſe egiſſe aliquid cum prauitate & iniuſticia.

Cum inferebatur ex hoc ſequi, ut propter iniurias neminem oporteret iraſci, & per conſequens non ſumere uindictam, neq; ire ad magiſtratũ, ut recuperet illud bonum quod ſibi ablatũ ſit: id uerò negamus, aſſerimuſq; oportere eum qui paſſus eſt iniuriam, ſæpe uindictam ſumere, ſępe etiam ire ad magiſtratũ: ut in eis quæ ſequuntur latius patebit.

Ad probationem quæ ſubiungebatur dicimus, quòd is qui iniuria afficitur, etſi lucretur maiorem honorem & gloriam per ſe, quia non exiſtimatur improbus uir abſolutè, neq; talis qui aliquid egerit præter honeſtatem, tamẽ cogitur adhibere omnem operam & diligentiam, ut recuperet id quod ſibi ablatũ fuit: alioquin non exiſtimaretur in cõparatione illius qui ipſum iniuria affecit, dignus illo honore qui exhibetur uiris fortibus & uirtute præditis: propterea quòd honor quem dicimus habere eum qui iniuria afficitur, non eſt ille qui exhibetur operãti ex uirtute, ſed eſt ille qui habetur illis qui non operantur contra uirtutem: in eoq; conſiſtit, quòd non uituperantur illi. atq; hic quidem honor, qui non eſt honor propriè, poteſt attribui etiam fœminis, & quibuſcunq; ſimplicibus hominibus. qui honor cum laude coniunctus, licet ſit maior quàm ille qui conuenit hominibus iniuriam facientibus & prauis, tamen non eſt talis ut ſatisfacere poſsit uiris fortibus: quippe qui coguntur oſtendere ſe eſſe dignos eo etiam honore, qui exhibetur operibus quæ ex uirtute proficiſcuntur. Quare qui iniuria afficitur, debet eniti quantum poteſt, ne uideatur nullo honore dignus, neq; ignauus: quod niſi præſtaret, maximo dedecore afficeretur. deeſſet enim officio ac munere ſuo: quippe cum hominis fortis ſit, præſtare ſe parem in fortitudine, & in reliquis uirtutibus ſingulis, quibuſuis hominibus qui idem quod ipſe profitetur. & quamuis non eſſet reuera debilior & ignauior, tamen quia talis uidetur ex iniuria accepta, non debet eam ferre. inquit enim Ariſtoteles quarto Ethic. cap. ult. 4. Ethic. ult.
Si autem ſunt aliqua ſecundum ueritatem turpia, & aliqua ſecundum opinionem, nihil refert: neutra enim facienda.

Quare nõ eſt erubeſcendũ. quòd ſi ille qui exiſtimabatur aliquo honore dignus, ſe negligi æquo animo ferret, neq; ullam acceptæ iniurię uindictam ſumere conaretur, crederetur non fuiſſe dignus illo honore qui ſibi fuerit ablatus, eumq; immeritò obtinuiſſe: & is qui affeciſſet ipſum iniuria, putaretur non læſiſſe eum prę̀ter æquitatem & leges, ſed abſtuliſſe id quod erat ſuum, non illius qui læſus fuiſſet, & ſic non uideretur prauus homo. Etenim qui aufert ab aliquo quod eſt ſuum, & nõ illius à quo aufert, non dicitur eum iniuria afficere: & per id quod neceſſariò ſequitur, non dicitur prauus homo. Sed quoniam hæc ſunt perſpicuè abſurda, ut ea etiam ex quibus fluũt ſint abſurda neceſſe eſt. Cogitur ergo qui iniuria afficitur, repetere quod ſuum eſſe putabat. Quòd ſi omni opera & diligentia adhibita non poſsit illud cõſequi ob multa impedimenta quæ quotidie in rebus humanis accidere uidemus, debet æquo animo ferre iniuriam, & magis eligere ſe fuiſſe affectum iniuria, quàm alterum affeciſſe, ob rationes dictas: præſertim cum nihil prætermiſerit, quantum eſſet in ipſo, ut acceptam iniuriam ulciſceretur. ſic enim honor eius non intelligitur uiolatus, quia oſtendit ſe nullo modo pati uoluiſſe, ut quod ſuum eſſet detineretur ab altero. Vis autem & ratio ipſius honoris neminem obſtringit ad ea quæ ſunt ſupra hominum uires.

Quod uerò ultimo loco addebatur, futurum ut nullius qui iniuria afficeretur, uiolaretur honor: negamus id ſequi.

Ad probationem dicimus, eum qui iniuria affectus eſt, lucrari honorem illum qui exhibetur illis qui nihil egerint contra proportionẽ & æquũ: quia exiſtimatur uir æquus, cũ nihil iniuſtè egerit: quales exiſtimantur eſſe multæ mulieres & multi ſimplices homines. idq; concedimus eſſe magis eligendũ, quàm illud bonũ quod acquirit qui iniuriam facit: quippe qui illud acquirit cũ prauitate & iniuſticia. Sed tamen qui iniuria afficiť, nõ lucratur eum honorẽ qui debeť hominib. qui ex fortitudine & uirtute operanť, & ſunt alicuius precij: imò amittit illũ. quia q iniuria afficiť, negligiť, ut perſpicuum eſt ex ſuperiorib. at qui negligiť, exiſtimatur eſſe nullius precij: qui uerò

talis exiſtimatur,nihil hunc habere illius honoris qui exhibetur uiris fortibus,in du-
bium uenire non poteſt. Quare cogitur repetere ſuum honorem remedijs illis quę
declarauimus. Melius tamen eſt priuari eo honore,qui exhibetur uiris qui dicuntur
operari ex uirtutibus: exiſtimari autem nihil unquam feciſſe contra uirtutes, quàm
habere illum honorem, quem dicimus eum qui iniuria afficit auferre ab eo qui affici-
tur iniuria. Idq; nimirum intellexit Ariſtoteles,cum dixit, Melius eſſe pati iniuriam
quàm inferre. Satius autem eſt,eum qui affectus fuit iniuria,ſumere uindictam.ita
enim ſibi uendicat utrumq; honorem: & eum qui debetur illis qui nihil iniuſtè agũt,
& eum quem merentur qui agunt ex fortitudine & uirtute. Patet igitur ex dictis,
,, illud quod dixit Ariſtoteles, melius eſſe iniuriam pati quàm iniuriam inferre, nõ ad-
,, uerſari ei quod alibi protulit,eum qui iniuria afficitur habere minus boni,& per con
,, ſequens minus honoris:& qui afficit,habere plus boni, & ſic plus honoris. Ex quo
planè ſequitur,ut qui quocunque modo pulſatus ſit,habeat honorem læſum & uio-
latum. Cogitur enim(ut patet ex ijs quæ dicta ſunt) eum tanquam amiſſum recupe-
,, rare. Ergo perperàm loquutus eſt homo ille,eum dixit:Per occultas,clandeſtinas,
doloſas & malitioſas iniurias,nihil detrahi de honore eius qui ignominia affectus ac
læſus eſt.

,, Falſum itẽ eſt eſt quod addit,Omnes illos qui duello patrocinantur(ut utar ipſius
,, uerbis)concedere,fateriq;,hominem ita uiolatum & offenſum,nullo huiuſmodi pre
,, mi onere.propter quod eum oporteat honorem ſuum repoſcere,& ad pugnam inſi-
diatorem prouocare. Quòd ſi non æquum eſſet pugnare aduerſus eos qui ita ſe
geſsiſſent in inferendo iniuriam,nihil impediret tamen quin uiolatus eſſet honor eo
rum qui iniuria affecti fuiſſent. Sed id fieret, quia uiolatus honos non debet fortaſſe
ab omnibus repoſci, ut ab ijs qui ob flagitioſam ac turpem eorum uitam ſunt infa-
mes,& ſunt(ut dictum eſt ſuprà)à pueris,fœminis,& ualde ſenibus.ab his autem nõ
poteſt repoſci honor, non quia uiolatus non ſit,ut iſte perperam aſſerit, ſed ob cau-
ſam dictam. Quocunque igitur ſe uerterit homo iſte, ut iaceat ſententia eius ne-
ceſſe eſt.

Oſtendimus etiam ſuprà cauſas,propter quas,licet uiolatus nõ eſſet honor,ſi fieri
poſſet hoc,cogeretur tamẽ ille qui iniuria affectus fuiſſet, pugnare honoris ſui cauſa.

Sed hic quiſpiam ſic inſtaret: Tu dixiſti in ſuperioribus, ſi quis lædat aliquem uel
per inſidias, uel per aliquam repentinam occaſionem, uel ex improuiſo, uel aliqua
meliori conditione(ut ſi compluribus hominibus,uel armis non paribus, ſiue ad of-
fendendum, ſiue ad defendendum, uel aliquo caſu) iſtum non ſuperare idoneo me-
dio & iuſto:quia non uirtute propria,ſed meliori conditione. Dixiſti etiam,homi
nis non eſſe præſtare inſidias,neq; repentinas occaſiones,& reliqua quę commemo
rata ſunt.quia hæc poſſunt eſſe infinita, à quibus natura humana, quæ eſt finita,non
poteſt cauere. Neq; uerò honoris uim & rationem cogere homines,obſtare eis qui-
bus non poteſt ipſa natura obſiſtere. itaq; unum hominem non teneri ſuperare plu-
res,neq; unum diſparibus conditionibus:ut ſi alter haberet enſem,ipſe cultellum:uel
ſi eſſet alter armatus,ipſe inermis:uel ſi pugnando frangeretur ſibi enſis, alteri autem
non frangeretur. Deniq; honoris ui non cogi unum hominẽ niſi tueri ſe, neq; res
ſuas ab uno homine,cæteris paribus:quòd ſi aliter ſuperatur,non ſuperari medio iu-
ſto. Ex quibus apertè uidetur ſequi, ut honor eius qui ita læſus fuerit,nõ ſit uiolatus,
contrà quàm nunc dixiſti. Siquidem non uiolatur honor, niſi in ijs cauſis in quibus
tenentur homines ſe ſuaſq; res tueri,niſi per medium iuſtum.

Ad hæc reſpondentes dicimus,honorem eius qui ita læditur,ut dictum eſt, uiola
lari,& non uiolari. Violari,quatenus iniuria afficitur:quia quicunq; quoquo modo
iniuria afficitur,eius neceſſariò uiolatur honor (ut demonſtratum eſt) præſertim ra-
tione & cogitatione eius qui lędit.negligitur enim,& ideo cogitur ſumere uindictã
eo modo quo diximus, ob eas quas expoſuimus & ſuprà in libro quinto De ho-
nore cauſas.

Non uiolari autem, ut antè conceſsimus, quatenus ei qui ſic læditur non eſt dede
cori ſuperare illum à quo iniuria afficitur,neq; ſe ab illo defendere imparibus condi-
tionibus. quòd ſi ex plaga accepta moreretur, nemo poſſet eum ignauiæ, nec deſi-
diæ,nec ſecordiæ,neq; timiditatis arguere. ſin autem non moreretur, & ſic uel cor-
pore

pore uel ætate eſſet affectus, ut non poſſet armis pugnare, non poſſet ei probri loco
obijci accepta iniuria. propterea quòd, ut toties iam diximus, honor neminem cogit
efficere ſupra uires. Et ideo dictum eſt etiam, ſi is qui fecit iniuriam, fateretur illam
meliorem conditionem, ſatisfactum iri ipſi iniuriæ. Violatur tamen, ſicut antè de-
monſtrauimus, honor eius qui læſus eſt: quia cum ſit iniuria affectus, ablatum ei fuit
bonum quoddam, quod poſtea honoris ui cogitur, cum eſt in loco tuto, repoſcere
ab eo qui fecit iniuriam. repoſcet autem, ſi ipſum ad ſingulare certamen prouocaue-
rit, ut oſtendat illum non habuiſſe tantum roboris, ut ſe lædere poſſet paribus condi
tionibus. Sic ergo dicta noſtra cohærere uidentur: igitur ad alia pergamus.

Eadem ratione dicimus lapſum eſſe iſtum hominem, cum dixit, idem dicendum
eſſe de iniurijs quę uerbo uel ſcripto abſentibus inferuntur. nam ſi ſunt iniurię, ut po
nit ipſe. ergo auferunt ab eo cui inferuntur aliquid boni. ergo aliquid honoris, ut ex
eis quæ dicta ſunt perſpicuum eſt. negligitur enim per illas: ergo niſi ſit ſtupidus, ira-
ſcitur: ergo appetit uindictam, propter illam honoris detractionem.

Ratio autem quam ex diuo Thoma affert (pace tanti uiri) uidetur in ſe pugnantia
continere. nam ſi ille qui uerba uel ſcripta contumelioſa in quempiam emittit abſen
tem, id eſt clàm eo, detrahit de fama quantum in ipſo eſt: ergo detrahit de honore.

Probatur conſequentia: quia hominibus qui non exiſtimantur operari ex uirtuti-
bus, non habetur honos: eſt enim ſignum beneficentiæ ex uirtutibus ortæ (ut dictũ
eſt.) Qui autem ſunt malæ famæ, non exiſtimantur operari ex uirtutibus: ergo eis nõ
habetur honor.

Minor probatur: quia qui eſt bonæ famę, exiſtimatur bonus & ſtudioſus, ut patet
ex definitione bonæ famæ, quam in ſuperioribus poſuimus: bonus autem & ſtudio-
ſus ſpectatur ex operationibus quæ oriuntur ex uirtutibus moralibus, ſicuti declara
uit Ariſtoteles. Ergo & is qui eſt bonæ famæ: ergo bona fama oritur ex operationi- 6.Ethic.ult.
bus, quæ proficiſcuntur ex uirtutibus moralibus. Si ergo homines exiſtimarentur
operari ex uirtutibus, eſſent bonæ famæ: ſed non ſunt bonæ famæ, ex conceſsis ab i-
ſto: ergo non exiſtimantur operari ex uirtutibus: ergo eis non debetur honor.

Ergo quibus detrahitur de bona fama, detrahitur de honore directè: quia nullus
honore dignos putat eos qui ſunt malæ famæ. Sed ipſe aſſeruerat, eos qui uerba uel “
ſcripta contumelioſa in quempiam emittunt abſentem, non minuere illius honorem “
directè, ſed de fama detrahere: ergo uult eos minuere honorẽ, & non minuere. quod
quidem eſt non ſolùm pugnantia, uerùm etiam negantia loqui.

Quod uerò attinet ad auctoritatem diui Thomæ, dicimus fuiſſe ipſum quidẽ ho-
minem doctiſsimum & grauiſsimum: nos tamen eſſe eius ſententiæ, quemadmo-
dum iampridem teſtati ſumus, ut non ſequamur cuiuſquam auctoritatem, niſi opti-
ma ratione nitatur.

Præterea falſum apertè eſt, ꝙ ille qui emittit huiuſmodi uerba uel ſcripta in abſen-
tẽ, uideaẽ eum uereri magis ꝙ̃ paruipẽdere: quia ſi uereretẽ, nõ eum iniuria afficeret.
Etenĩ quos ueremur, nõ iniuria afficimus: quia quos iniuria afficimus, nõ timemus:
& quos nõ timemus, paruipẽdimus. Nõ ergo illa uerba emittũt, quia uereãtur illos. 2.Rhet.2.

Item, multi detrahunt de fama alicuius abſentis, quia non datur eis occaſio aliter
detrahendi, ut ex quotidiano uſu perſpicuum eſt: ergo non emittunt illa uerba, quia
uereantur.

Item, ſi quis emittit ſcripta contumelioſa aduerſus aliquem, nõ ueretur eum: quia
ſi uereretur, non emitteret eiuſmodi ſcripta: deterreretur enim pœnæ metu, præſer-
tim cum ſciret fieri poſſe ut ad ſingulare certamen uocaretur. ſed emittit. ergo non ti-
met. Ergo perperam loquutus es, dicens: Quòd ij non negligant eos, aduerſus quos “
ſcripta contumelioſa emittunt.

Præterea quod addis, Hæc opinio ex auditorum arbitrio, &c. ridiculum eſt. nul- “
lam enim in partem intereſt eius, de cuius fama detrahitur, utrum ei qui detrahit red
datur nec ne: quia poteſt ei haberi fides, ut maiori ex parte accidit, præſertim ſi ſit uir
talis qui exiſtimetur aliquo honore dignus. & cum ei fides habetur, honor illius in
quem loquutus eſt, uiolatus habetur.

Præterea hoc nihil facit, cum ad iniuriam inferendam ſatis ſit electio ipſius inferen
tis. Quam uerò opinionem de eo qui utitur uerbis contumelioſis, accipiant audito-

res, nihil refert ad iniuriam: neq; hoc dicere eſt ad rem. ſatis ergo eſt quòd iniuria affecerit: quia ſtatim ſequitur, ut eius honor, contra quem loquutus eſt, ſit uiolatus, ut probatum fuit.

Quòd autem ſubiungis de armato & non armato, &c. quia paulo antè oſtenſum eſt à ueritate id abhorrere, ad eum locum (ne nimius ſim) rem totam reijcio. Nos aũt in libris De honore nõ diximus, in omnib. cauſis eſſe locũ ſingulari certamini, ſed in aliquibus: quæ expoſitæ ſunt promiſcuè uniuerſa quadam comprehenſione.

Lib. De honore.

Illa etiam quæ ſubdis, dicens: Illæ quorum, &c. eiſdem refelli rationib. perſpicuum eſt. Oſtenſum item eſt falſum eſſe, eos qui lædunt imbecilles, non uiolare eorum honorem, cum oſtendant ſe illos paruipendere, iniuriaq; afficiant: ſed quomodo ſe debeant gerere imbecilles aduerſus eos, declaratum fuit à nobis in ſuperioribus.

Hic præter alia multa à te dicta, quæ à ratione nobis abhorrere uidentur, illud etiam falſum eſt: poſitum eſſe ab Ariſtotele, quòd iniuriarum occultarum non ſit ſumenda per uindicationem pœna.

Quæ uerò ſubiungis de rege Dauid, de Chriſto ſeruatore noſtro, de beato Paulo, nihil ad rem noſtram pertinent, etſi ueriſsima ſunt. Præmonui enim ſexcenties in libris De honore, me non loqui ex ſanctiſsima noſtra religione: ſecundum quam tamen loquar in ſequentibus.

1. Rhe. 13.

Verba autem Ariſtotelis quæ citas ex 1. Rhet. cap. 13. tantum abeſt ut ſententiam tuam confirment, ut eam omnino euertant. nam eo ipſo in loco oſtẽdit Ariſtoteles, uerba illa non eſſe ſimpliciter intelligẽda. Quia cum dixiſſet, Aequum eſſe rebus humanis ignoſcere: ſubiunxit, Non conſiderare legem, ſed legislatorem: neque ad rationem, ſed ad mentem legislatoris: non ad actionẽ, ſed ad electionem. Quaſi uoluerit dicere Ariſtoteles. Si quis te non per electionem percuſſerit, æquum eſt ut ei ignoſcas, quia ſcilicet illa percuſsio non eſt iniuria, ut declarauimus in ſuperiorib. At non dicit Ariſtoteles, ei qui percuſſerit per electionem, ignoſcendũ eſſe ſimpliciter.

Item ſequitur ex tuis dictis, ut ſecundum Ariſtotelis ſententiam non oporteat ire ad magiſtratum uiros probos, ob acceptas iniurias: quia (per te) ire ad magiſtratum, eſt ire ad ſumendam uindictam. uiri autem probi proprium eſſe dicis, ex ſententia Ariſtotelis, ferre patienter iniuriam, nec ad ulciſcendum ſe parare. Quod ſi ita eſt, ergo non debent ire ad magiſtratum uiri probi: etenim facerent contra probitatem, quia contra officium probitatis. Sed hoc abſurdum eſt: ergo illud unde fluxit, falſum eſſe neceſſe eſt.

Item ſequitur. non eſſe iuſtum ſecundum Ariſtotelem, reddere malum pro malo: quia nihil quod ſit contra officium boni uiri, eſt iuſtum & honeſtum. ſed Ariſtoteles dixit, melius eſſe ulciſci quàm reconciliari, quia reddere malum pro malo iuſtum eſt, omne autem iuſtum eſt honeſtum: ergo falſum eſt, officium uiri probi, ſecundum ipſum Ariſtotelem, eſſe, ferre patienter iniurias neq; ſe ad ulciſcendum parare.

Item ſequitur, ut auctoritas illa quam ipſe citas inferius, uidelicet eundum eſſe ad magiſtratum, non intelligatur de omnibus ſimpliciter, ſed de ijs qui non ſint probi.

Item ſequitur, ut iuſticia non ſit pro uiris probis, ſed ſolùm pro prauis: quia ire ad iuſticiam, eſt ire ad uindictam per te. Quæ omnia cum ſint abſurda, ea etiam unde emanant, ut abſurda ſint neceſſe eſt.

Quæ uerò de Cæſare, de Lycurgo, de Pericle in medium affers, non ſunt cum re de qua agitur coniuncta. De multis enim Cæſar ſumpſit uindictam, licet multis pepercerit. Et nos etiam diximus ex ſententia Ariſtotelis, eſſe aliquando ignoſcendũ. Quòd ſi uellemus uiciſsim citare uiros grauiſsimos, & Imperatores maximos, qui noluerunt acceptarùm iniuriarum ueniam dare, ſed eas ſeueriſsimè ulti ſunt, magna non deeſſet exemplorum copia: quæ quoniam ſatis nota ſunt, tum etiam ne longiores ſimus in rebus apertis, neq; ita neceſſarijs, prætermittenda.

Euertitur prætcrea Ariſtorelis ſententia, qui iudicauit pro communis ſocietatis ſecuritate & quiete ulciſcendas eſſe aliquãdo iniurias (ut diximus ſuprà, & dicemus infrà) ne fiamus præda Myſorum, omniaq; propter improborum licentiam & impunitatem perturbentur atq; confundantur.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Quòd ſi quis non tanta magnitudine animi, tantaq́ uirtute præditus, nolit contumelias aut iniurias patienter ferre, & quæ ſequuntur. Auctor.

MVlta hoc loco dicit homo iſte, quæ partim nihil ad rem propoſitam pertinẽt, partim iam refutata ſunt. ANT. BER. In primis autem uidetur ponere læſionem quę infertur facto, inter contumelias: cum tamen in ſuperioribus poſuerit ſolùm iniurias illas quæ fierent ſcripto uel uerbo. & inquit: Quoniam ex his quæ ſuprà dicta ſunt cõſtat, honorem & exiſtimationem ex ipſo quidem facto in periculum non uenire, niſi ex ea contumelia uel iniuria quæ coràm fit. Huiuſmodi autem iniurias quæ facto inferantur, in ſuperioribus eum à contumelijs ſeiunxiſſe perſpicuum eſt. & ita patet, illud optimè in ipſum conuenire: Modò ait unum, modò illud idem negat.

Complura deinde ſubiungit de iſta ſua moderata defenſione: ſed nihil ad rem, & tandem uenit in eam ſententiam, ex qua manifeſtè ſequitur ipſum concedere ſingulare certamen. Nam quæ dicit ex ſententia Ioannis Fabri, ex ijs negari non poteſt, quin melius ſit ut ille pauper eum diuitem quem timet, prouocet ad ſingulare certamen. Etenim ea quæ propius accedunt ad uirtutem, ſunt magis eligenda: ſed prouocare aliquem ad ſingulare certamen, à quo ſis iniuria affectus, uel à quo timeas ne interficiaris per uim & aliena uirtute, accedit propius ad uirtutem, quàm necare ipſum inſidijs & dolo: ergo eſt magis eligendum.

Minor propoſitio clariſsima eſt: Si cui ergo ab aliquo periculum impendeat omni tempore, neq; ulla ſe alia uia & ratione poſsit defendere, non uideo ſanè cur ei nõ liceat, aduerſarium prouocare ad ſingulare certamen, potius quàm illum per inſidias interficere: præſertim cum maiorem uirtutem ſic oſtendat, & ſecundum pugnam minora ſequantur incommoda, ſiquidem neq; propinqui, neq; aſſeclæ & familiares diuitis perſequuturi ſint eas inimicitias. Iſte ergo qui uult euertere ſingulare certamen, ea ponit tamen, ex quibus efficitur omnino ut detur. Mirum eſt autem, quòd non mittas illum pauperem ad magiſtratum, qui cogat diuitem ſatis dare, ſe eum nulla re offenſurum.

Si dicat hoc faciendum eſſe tunc, cum magiſtratus non poteſt cogere: cur idẽ negat in alijs iniurijs & cauſis, in quibus nihil prodeſſe poteſt magiſtratus, licere priuato homini propria uirtute ius ſuum exigere? Si in cauſa quam dixit, licet homini priuato alterum interficere, licebit etiam in alijs grauioribus cauſis & iniurijs. Non enim eſt maior ratio unius quàm alterius: & ſic efficitur illud quod poſuimus nos, dari ſingulare certamen in eis cauſis, in quibus magiſtratus ius æquum exigere non poteſt. Ex quo patet, iſtum dicere idem quod nos diximus, etſi propoſitum ei fuit opinionem noſtram impugnare atq; euertere.

Si uerò dicat magiſtratum poſſe aduerſus illum, ſed leges ferre, ut poſsit eum interficere: cur ergo in cauſis grauioribus leges & magiſtratus non debent ferre, ut aliquis iniuria affectus, poſsit eum à quo iniuria affectus eſt, ad ſingulare certamẽ prouocare? quòd minora (ut dictum eſt, & ut dicetur) ſequentur incommoda.

Quòd autem loquens de tertia moderatione defenſionis, dicit poni in proportione defenſionis, Ad offenſionem, cum par pari redditur, (ut ſi quis alterum pugno aut calce petat, eum gladio ferire non licet) ex hoc ſequi uidetur, ut detur ſingulare certamen. quia ſi aliquis gladio petierit, licebit gladio ipſum ferire. eadem enim eſt proportio gladij ad gladium, quæ eſt pugni ad pugnum: ergo licebit ſingulari certamine cum illo pugnare.

Probatur conſequentia: quia pugnare ſingulari certamine, nihil aliud eſt quàm pugnare ſolum cum ſolo armis. cætera enim quæ fiunt, accipiuntur aliquo modo foris: ergo iſte confirmat quod uult euertere.

Ea uerò quæ ſubiungit de iudice, nihil faciunt ad rem. ſatis enim eſt nobis, ſi liceat par pari reddere, nec plus mali referatur quàm accipiatur. Etenim hoc etiam nos conceſsimus in libris De honore: & ita iſte dicit idem quod nos diximus. aſſeruimus enim, licere par pari referre, ſaltem per id quod æquiualeat, uel per æquabilem rationem: quia non poteſt ſemper referri uulnus pro uulnere.

SECTIO TERTIA.

Auctor. Quarta ratio eſt: ſi armis appetitus, non poſsit aliter quàm reſiſtendo & defendendo ex periculo euadere, hoc quanquã ita ſe habet, & reliqua quæ ſequuntur.

ANT. BER. QVæ dicit in hac parte, uidentur omnino conuellere ipſius ſententiam. Et primò dicamus ſic: Si in tali caſu leges & magiſtratus poſſunt honori priuati hominis conſulere, cur non iubent ipſum fugere, & non mortis periculo ſe obijcere? ac poſtea puniunt eos qui eum aggreſsi fuerint, & ita reſtituũt ei honorẽ ſuum? Quòd ſi non poſſunt, & ideo permittũt ut ſe quiſq; ſuaq; defendat: cur hoc nõ idẽ cõcedere debet in alijs etiã iniurijs, in quib. nõ poſſunt alieno honori proſpicere? Eſt enim eadem ratio: ergo licebit pugnare ſingulari certamine, quippe cum ſit minus malum.

Præterea ſi leges permittunt (quemadmodũ concedit iſte) ut ei qui poſsit fugiendo uitam ſeruare, liceat tandem reſiſtere, & alium interficere, quoniam fuga eſſet ipſi dedecus: ergo deberent etiam permittere, ut liceret pugnare ſingulari certamine ad fugiendum dedecus. eadem enim eſt cauſa. Sufficit autem rationi noſtræ, ſi quis poſſit fugere. deberent enim leges iubere, eum qui poteſt fugere: deinde uenire ad magiſtratum, qui eum ulciſceretur, ſi hoc ſatis eſt.

Item, hoc eſt concedere ſingulare certamen honoris ſui tuendi cauſa: tum quia fieri non poteſt ut aliquis fugiat cum dedecore, niſi inuadens ſit ſolus, & cætera ſint paria. nam ſi non eſſet ſolus, non eſſet turpe illi fugere. Siquidem uni turpe non eſt fugere multos, quia non læditur honor in diſparibus cõditionibus, quemadmodum iſte etiam conceſsit in ſuperiorib. Si ergo permittũt leges in tali caſu, ut liceat reſiſtere: ergo permittunt ſingulare certamen propter honorem: eſt enim duorũ inter ipſos pugna. At ſuprà dixit iſte, omnes leges illud uetare: ergo à ſeipſo diſsidet, ſuamq; ipſius ſententiam undequaq; conuellit: quod idem facit in ſequentibus.

Nam ſi paria ſunt, ut inquit ipſe, apud uiros laudabiles, & abſolutè, id eſt omnino recedere non poſſe, & ſine dedecore non poſſe, cum & uitam conſeruare, & famam retinere, paria iudicentur, & honor omnibus pecunijs & fortunæ commodis ſit præferendus. Ergo licebit per ipſum pugnare ſingulari certamine propter honorem. Probatur conſequentia: quia licet per eum ſoli cum ſolo pugnare. ut conſeruetur uita: ergo licebit etiam ut conſeruetur honos: paria enim ſunt, ut poſitum eſt, ſingulare autem certamen eſt, cum ſolus pugnat cum ſolò.

Item, ſi honor per ipſum præferendus eſt omnibus pecunijs, & omnibus fortunæ commodis: ergo ſi licebit pugnare pro commodis fortunæ, licebit multo magis pugnare pro honore. Sed ipſe in ſuperiorib. dixit licere pugnare propter regna, propter coniuges, & alia quæ ſunt commoda fortunæ: ergo per eundem multo magis licebit pugnare honoris cauſa. Sed hoc ipſum negauit ſuprà, & nos in lib. De honore aſſeruimus. ergo euertit ſuam ſententiam: & opinionẽ noſtram, quam ſibi propoſuerat infirmandam & labefactãdam, maximè confirmat. Id uerò qui ultrò faciunt ueritate cognita, eſt illis quidem laudi, propterea quòd ſe optimè erga ipſam ueritatem affectos oſtendunt: at qui hoc faciunt ſicut iſte, propter ignorationem propriæ uocis, quomodo non uituperandi ſunt? ut qui ſe natura peſsimè conſtitutos, & maxima uirtutis diſcurſiuæ infirmitate laborare præ ſe ferant.

Quæ deinde ſubdit, de eo qui defenſionis modum excedit, uſque ad finem: nihil ad rem uidentur facere. non enim erat hic locus decernendi, quomodo ſint puniendi à magiſtratibus, qui excedunt modum defenſionis. hoc enim nihil aliud eſt, quàm immiſcere quadrata rotundis.

SECTIO QVARTA.

Auctor. Atq; etiam ubi princeps uel magiſtratus aditus propter imbecillitatẽ uirium, à ſumenda de iniurioſo uindicta, &c.

ANT. BER. QVæ item dicit in hoc loco, omnino cauſam ipſius infirmant, & noſtram ſtabiliunt. Nam ſi princeps uel magiſtratus aditus propter imbecillitatem uirium à

ſumēda de iniurioſo uindicta aliquē excuſat:& permittūt leges, ut quoquo pacto unuſquiſq; ſibijpſi ius dicat,& faciat:ergo leges permittūt duellū. quia in hac cauſa ille qui eſt iniuria affectus,poterit eum qui iniuriam infert,ꝓuocare ad duellū: & eo magis,quo minora hinc ſequūtur incōmoda. Melius enim eſt hāc uiam perſequi,ꝙ inſidias facere.Et cū iſta ſit una ex cauſis,quare in libris De honore conceſſerim dari locum duello, cum uidelicet per magiſtratus non poteſt quis agere iniuriarum: ſequitur, hunc hominem,qui uult euertere duellum,conſtituere duellum.

Quæ uerò ſubiungit,loquens de altera ſpecie, quæ ortum habet ex ignaua tolerātia,non conſentiunt cum moralis philoſophię doctrina(ut diximus,& dicemus)ſimpliciter,ſed in aliqua cauſa: quia in eis in quibus eſt turpe uiro honorato ire ad magiſtratū,nihil refert an ſint inſtitutę actiones publicę in uniuerſos.Sed quia de eis fecimus in ſuperiorib.uerba,& ſumus in ſequentibns facturi,huic loco hæc erunt ſatis.

Quod deinde addit,Nam per duellum non probatur ipſius rei ueritas:hoc negatum eſt in ſuperioribus. quia ueritas maxima ex parte hoc modo probatur, ut dictū fuit,tum ex fundamento naturali,quod eſt ſumptum ex ui ipſius ueritatis: tum ex eo quòd creditur, Deum opem ferre iniuria affectis.

Præterea , ut intelligatur quàm falſò mihi iſte hoc loco attribuat ea quæ non dixi, & quàm ab re uocet me ſciolum,cum ſit ipſe maximè neſcius & ignarus,recitabo uerba ipſa quæ in 5.lib.De honore protuli. Ea uerò hæc ſunt:Il che anchora pare à i legiſti che gouernano le città imperoche ſe ſanno,ch'uno habbia dato una guanciata ad un' altro,condamnano Colui che hà data la guanciata, à pagar la pena cōſtituita della legge à tal eccesſo,& Colui che l' hà riceuuta,à far la pace,& aſsicurare di nō offender l' ingiuriatore , ſenza hauer riſpetto all' honor del percoſſo, dicendo ch' eſsi non uogliono il diſordire della città, & della pace generale della città, & che per ciò non hanno à tener conto, dell' honore d'un particolare. Non eſt ergo uerum, quòd negem leges honori priuatorum proſpicere:quippe cum loquutus ſim de Legiſtis, qui ciuitates gubernant, non de ipſis legibus. Deinde cum uſus ſim hoc uerbo Videri, nihil affirmaui, ut iſte mihi falſò obijcit: quanquam id quod dixi, conſpicitur quotidie Romæ,Bononiæ, & alibi.& cui non eſt perſpicuum,legiſtas qui gubernant, non ſemper gubernare ſecundum leges ſcriptas, imò ſæpe contra ipſas leges?

Neq; uerò uolui dicere, legiſtas non proſpicere honori priuatorum ſimpliciter: ſed aliquando,ut in caſu dicto.Inſcius ergo eſt iſte,non ego ſciolus,ſed ſciens uerum eſſe id quod aſſerui.

Præterea, ſi ab altero ſit uulneratus, quomodo magiſtratus facere poteſt , quin is ſit ignauus & inhonoratus, etiamſi cogeret iniurioſum ſoluere mille aureos, & incluſum in cuſtodiam totum annum aſſeruaret? Quòd ſi iniurioſus fugeret in ea loca in quibus ius nullum haberet magiſtratus, quomodo proſpiceretur honori eius qui eſſet uulneratus?

Quòd uerò ſubiungit: Itaq; hoc pacto nullus honoris cauſa locus duello relinquitur:quoniam,ut ſuprà dictum,non minuitur honos,& quæ ſequuntur. Oſtenſum eſt in ſuperioribus,ꝙ falſa ſit hæc opinio: quare nihil neceſſe eſt eadem hic repetere.

Abhorret etiam à uero,dicere,quòd ille qui æquo marte congrediens uictus fuerit,non poſsit amplius ad duellum prouocare. Poteſt enim in alijs cauſis,etſi non poteſt in eadem cauſa in qua ſemel uictus fuit,quod in lib. De honore diximus , eiuſq; rei ſuprà rationem reddidimus.

SECTIO QVINTA.

Hic,ut uideo,tali argumēto nonnulli contra me inſurgentes, Eſto(inquiunt)non poſsit iuſtam,& quæ ſequuntur. Auctor.

HOc loco,cum dicit de alijs quoq; contumelijs & iniurijs,quòd his honorem lædi negas,& uindicationis cauſa magiſtratum adeundum,ac lege agendum eſſe ſtatuis,&c.Sic argumentemur:Si ſunt contumeliæ, ergo ſunt paruipenſiones ſi ſunt paruipenſiones,ergo ſunt læſiones honoris : quia paruipenſus nullum habet honorem.Quod probatur ex uerbis Ariſtotelis citatis:Qui non habetur dignus aliqua re neq; bona neq; mala , nullum exiſtimatur habere honorem : ſed qui paruipenditur, nulla re dignus habetur,neq; bona neq; mala (hæc enim eſt definitio paruipēſionis) ANT. BER.

ergo qui paruipenditur, nullũ exiſtimatur habere honorẽ: ergo uiolatur eius honor.

Quòd autem contumeliæ ſint paruipenſiones, perſpicuum eſt ex uerbis Ariſtotelis, quæ ſuprà citauimus. eſt enim contumelia, ſpecies ipſius paruipenſionis. Dicere ergo, aliquem contumelia eſſe affectum, & non eſſe uiolatum eius honorem, quid aliud eſt quàm aſſerere, ipſum eſſe contumelia affectum, & non eſſe contumelia affectum? quod eſt non ſolùm pugnantia, uerùm etiam (quod multo turpius eſt) negantia affirmare. Pugnat item cum ſuaipſius ſententia, cum ſubiungit. In his, in quibus non eſt læſus honor, magiſtratum eſſe adeundum: quia ſi non læſus eſt honor, ergo non debemus quærere uindictam: ergo non debemus ire ad magiſtratum uindicationis cauſa.

1.Rhet.10. Vindicta enim, ut dicebat Ariſtoteles (quæ uerba ſępe iam citauimus) eſt cauſa fa
,, cientis ut expleatur: pœna eſt cauſa ipſius patientis. Quòd ſi nõ fuit uiolatus honor, ergo non poteſt aliquis quærere uindictam: cuius enim rei uindicta quęritur, niſi honoris? Si dicat quæri pœnam iniurioſi, ergo non quæritur uindicta: quia uindicta non eſt cauſa eius qui patitur, ſed eius qui agit. Pugnantia ergo dixit iſte hoc etiam in loco. Quod idem ſatis ridiculè facit in diſſolutione argumenti, quod dicit eſſe
,, falſum, & nullo negocio poſſe diſſolui. Inquit enim: Si timidi ac ſeruilis animi eſt con
,, tumeliam tolerare, non continuò ſequitur, ut omnis iniuria poſſit dici contumelia, ex qua lædatur honor. Nam ſi timidi & ſeruilis eſt animi tolerare contumeliam, ergo per contumeliam læditur honor: quia ſi non læderetur honor, non eſſet timidi & ſeruilis animi eas tolerare. tolerare enim ea quæ non lædunt honorem, non ſolùm non eſt timidi & ſerui, ſed eſt magnanimi & prudentiſsimi hominis. ſiquidem turpe eſt non tolerare ea quæ ſunt toleranda. At ea quæ non lædunt honorem, ſunt toleranda: ergo turpe eſt ea non tolerare. Imò ob eam ſolam cauſam ſerui hominis eſt, ac timidi, tolerare contumelias, quia læditur honor. Cur enim non decet hominem honeſtum non tolerare quòd ſui propinqui deſpiciantur, niſi quia ipſe deſpicitur, & nullius honoris habetur? Pugnat ergo in his quoque iſte cum ſua ſententia, ut diximus.

Item, in illis uerbis non continuò ſequitur, ut omnis iniuria dici poſſit contumelia, ex qua læditur honor. Peccat, quia uidetur innuere quòd omnis iniuria ſit contumelia: quod quàm falſum ſit, ex eis quæ dicta ſunt in ſuperiorib. perſpicuè patet. ſpecies enim non poteſt generaliter prædicari de genere.

Quòd autem hoc innuat, patet ex eo: quia cum oporteret dicere, Non tamen ſequitur ut omnis contumelia ſit talis ex qua lædatur honor: fruſtra dixiſſet, Omnis iniuria: nihil enim pertinet ad illum locum iniuria, niſi ita ſentiret ut diximus.

Quòd uerò ſubiungit: Ipſam autẽ uindicationem per magiſtratus & leges honorificè obtineri non poſſe, nuſquam dixiſſet Ariſtoteles. citatq; auctoritatem ipſius Ariſtotelis, ubi dicit, eundum eſſe ad iudicem in rebus dubijs: oſtendamus eum hac de re quoq; falſam, & contra Ariſtotelis ſententiam accepiſſe opinionẽ. Ac primùm quidem ex ipſo quærimus, quomodo magiſtratus poterit ferre ſententiam de eis iniurijs, quarum deſint teſtes & probationes legitimæ, cuiuſmodi ſunt ferè infinitæ: & in illis quæ indicant, eum qui læſus fuit eſſe deſidem, timidum & ignauum, in quibus ego in libris De honore dixi, permitti duellum, in cæteris uerò non ita permitti ſimpliciter. Ex quo intelligitur, iſtum conari impugnare id quod ipſemet aſſerit. hæc e
,, nim mea ſunt uerba in quinto libro De honore: Se di ragione doi huomini ſi poteſ
,, ſero ſempre conuincere dà i magiſtrati, il duello non ſarebbe mai giuſto, & molte altre coſe che ſeguono.

5.Ethic.7. Quod uerò attinet ad auctoritatem Ariſtotelis, dicimus, illa uerba non eſſe huius loci propria: quia ire ad iudicẽ, eſt ire ad iuſtũ: iudex eñ eſt uelut iuſtũ anima præditum. Itaq; qui adit ad iudicem, non propriè ulciſcitur iniurias ſuas. etenim ad ipſum eunt etiam amici & propinqui ſine ira, cum dubitant de aliqua re utrum ſit ſua necne. & ſi ire ad iudicem eſſet ire ad ulciſcendas iniurias, non liceret homini Chriſtiano ire ad iudicem; quippe cum ei non liceat, (ut ipſe etiam concedit) iniurias perſequi, iuxta illud quod in ſacra Scriptura Deus ipſe inducitur dicere: Mihi uindictam, & ego retribuam.

Quòd autem ire ad iudicem, non dicatur propriè ulciſci iniurias, indicauit Ariſto

teles

tele multis in locis. Sed prius colligamus id, ponẽtes definitionẽ ipſius ulciſci, quę quidẽ meo iudicio talis erit ex ſentẽtia Ariſtotelis: Vlciſci eſt, ei q̃ fecit iniuriã reddere par pari, uel factis, uel uerbis idoneis & accõmodatis ad delẽdã iniuriã: & ad illud quod perditũ eſt, recuperandum uirtute propria, nõ aliena: ita ut ille cui par pro pari redditur, intelligat à quo, & propter quam cauſam id accipiat ac patiatur.

Primam huius definitionis partem colligere poſſumus ex Ariſtotele, dicente loco
ſuperius citato, 2. Rhet. cap. 2. Qui par pari reddunt, non contumelia afficiunt, ſed ul- 2. Rhet. 2.
ciſcuntur. Et honeſtum eſt, inquit alibi, inimicos ulciſci, magis quàm reconciliari: 1. Rhet. 9.
quia reddere par pari eſt iuſtum, & omne iuſtum eſt honeſtum. " "

Nec obſtat quòd hoc dixerit in Rhet. ubi aliquãdo non exquiſitè loquitur, quãdoquidẽ ibi reddit ſui dicti rationes. quod ubicunq; facit, uerè ſemper & ex animi ſui ſententia loquitur. Item illud pro uero habendũ eſt in Rhet. quod in Ethic. cõfirmat. Sed
hoc dictum confirmat in 5. Ethic. cap 8. ut dicemus. ergo habendum eſt pro uero. 5. Ethic. 8.

Item, hoc dictum nullo loco ubi uerè loquitur, reperitur reprobatum: ergo putandum eſt, eum ita omnino ſenſiſſe. Itaq; nemo poteſt reijcere hanc auctoritatem, quia ſit in Rhet. Sequeretur enim, ut nihil ueri haberemus in Rhet. quod à ueritate aper-
tè abhorret. ergo & id unde emanat. Neq; obſtat quod dixit in decimo cap. primi 1. Rhet. 10.
Rhet. loquens de definitione uoluptatis: quia concedimus, eum aliquando non ſolùm in Rhetoricis, ſed etiam in philoſophia naturali, nonnulla accipere ex uulgata hominum opinione, quæ non ſunt uera ſimpliciter: dicimus tamen maiori ex parte uera eſſe ea quæ dicit, & maximè illa quæ ab ipſo nuſquam alibi redarguuntur, uel quæ alijs locis confirmantur. Et concedimus illum quandoq; non ita exquiſitè loqui in Rhet. de eis quæ pertinẽt ad Polit. ſicut in ipſis Polit. Dicimus tamen, de nõnullis interdũ eum loqui in Rhet. magis exquiſitè q̃ in Polit. ut de affectib. cõſtat, de quib. nõ ita exquiſitè in Polit. agit, ſicut in Rhet. Non obſtat ergo ſententiæ noſtræ, quòd illa auctoritas ſit poſita in Rhet. neq; enim ob id negari poteſt eſſe ueram.

Additum præterea eſt, Vel uerbis: quia ſi diceretur tantùm factis, non poſſet eſſe uindicta ſine pœna, ubi iniuria fuiſſet illata factis: quandoquidẽ oporteret etiam factis repetere id quod fuiſſet ablatum, ut eſſet uindicta. quod tamen falſum eſt ex
ſententia Ariſtotelis: quippe qui dixit (quem locum etiam ſuprà citauimus ad aliud 4. Ethic. 14.
propoſitum) Infeſtos autem dicimus eos, qui iraſcũtur in quibus non oportet, & ma- " "
gis quàm oportet, & non reconciliantur ſine uindicta uel pœna.

Neceſſariò igitur addendum fuit, Vel uerbis, disiunctiuè loquẽdo: ut uindicta ſe-
pararetur à pœna. præſertim cum dixerit Ariſtoteles intereſſe inter uindictã & pœ- 1. Rhet. 10.
nã, quia pœna eſt cauſa eius qui patitur, uindicta autem cauſa eſt eius qui agit, ut expleatur. non uidetur ergo pœna requiri ad uindictam aliquando.

Item, niſi pœna ſeiũgeretur à uindicta, fruſtra additum fuiſſet in definitione illud, Vt intelligat à quo, & propter quam cauſam: quod tamẽ neceſſarium fuit addere, ad ſignificandam uindictam. alioquin non opus fuiſſet, Vlyſſem, cum effoſſo Cyclopi
oculo iam diſceſsiſſet, reuerti, & his illũ uerbis affari, ut ſuprà diximus: Cyclops, ſcias " "
eum qui tibi effodit oculum, fuiſſe Vlyſſem, euerſorem Troiæ, quia eius ſocios inter- " "
feciſti. Quæ poſtquam dixiſſet, exiſtimauit tunc ſe ſumpſiſſe uindictam, cum tamen iam Cyclops pœnam perſoluiſſet. Ex quo planè colligitur, pœnã poſſe eſſe ſine uindicta. Oportuit ergo in definitione uindictæ addere, Vel uerbis: tum quia aliter nõ poſſet eſſe uindicta ſine pœna (quãdoquidem pœna uidetur eſſe, ut iniurioſus patiatur aliquid in corpore) tum quia non ſemper factis fit iniuria, ſed aliquando uerbis tãtùm. ita ut ſolis uerbis deleri poſsit.

Præterea ſequeretur, ut uerba non poſſent tollere iniuriam factis illatam. quod tamen eſt falſum, ut in ſuperioribus oſtenſum fuit: tum quia uindicta non poſſet eſſe ſine pœna. quod abhorret à uero, ut patet ex eis quæ dicta ſunt: (quoniam pœna non eſt cauſa eius qui agit, ſed eius qui patitur:) tum quia non poſſet ignoſci eis qui poſt illatam factis iniuriam confiterentur ſe male feciſſe, & quos pœniteret. quod eſſet euertere ſententiam Ariſtotelis multis in locis, ut dictum eſt ſuprà. quippe qui ſecun-
do Rhet. cap. 3. dixit: Eorum qui confitentur, & quos pœnitet, deſiſtunt ab ira. nam 2. Rhet. 3.
quaſi quòd pœnas ſumpſerint, omittunt iram, quòd dolent ob facta. " "

Ex quo loco planè colligitur, uerbis facta deleri poſſe, & primo Rhet. cap. 13. Ae- 1. Rhet. 13.

quũ eſt rebus humanis ignoſcere. Et in eodẽ lib. & cap. dixit: Nõ ualere, uerberauit, ergo contumelia affecit: ſed ſi ob eam cauſam uerberauit, ut illius honorem læderet, uel ut ipſe gauderet.

Quod ſi is qui uerberatus eſt, non fuit iniuria affectus illis uerberibus, niſi eo modo quo dictum eſt, ſi ille qui uerberauit, fatebitur ſe quidem uerberaſſe, ſed non neutrius rei cauſa, neq; ut eius honorem læderet, neq; ut ipſe gauderet: ergo qui ita uerberatus fuit, non erit iniuria affectus: ergo ei qui uerberauit, erit ab ipſo uenia danda, quippe cum non ſit iniuria affectus. Sed de his in ſuperioribus ſatis: ex quibus liquidò apparet illud quod ſuprà etiam pluribus oſtendimus, (ſed eiuſmodi eſt, ut non ab re ſit idem iterum ac ſæpius repetere) quàm falſa & deteſtabilis exiſtat illa uulgi opinio, quòd uerba non poſsint ſatisfacere factis: id eſt percuſsionibus & uulneribus. tantum enim abeſt ut uerba non poſsint hoc præſtare, ut poſsint illa quidem eſſe talia, quæ non ſolùm iniuriæ grauitatem compenſent, ſed etiam exuperent, atque illis qui ea pronunciant, maculam & dedecus afferant. In aliquibus autem cauſis uerba dici poſſunt ita accommodata cauſæ & idonea, ut utriuſq; honor, & eius qui læſit, & eius qui læſus eſt, integer & incorruptus maneat, etſi id difficilius factu eſt pro illo qui uerba pronunciat. At niſi daretur aliquid humanæ fragilitati, ut hominis eſſet errare, non poſſet fieri reconciliatio & pax ſine turpitudine eius qui uerba pronunciaret: quæ quidem uerba demonſtrauimus, quomodo oporteat eſſe apta & accommodata delendæ iniuriæ. neq; enim quęlibet uerba tollunt iniuriam, uerberibus aut uulnere aut cæde factam.

Quòd uerò dictum eſt in definitione uindictæ, Par pari reddi oportere: hoc non intelligitur ſemper, quemadmodum intelligebant Pythagorici, ut fiat repaſsio, ut oculus pro oculo: quia iſta repaſsio refellitur ab Ariſtotele.

Etenim non conuenit ſemper: ut ſi magiſtratus percuſſerit aliquem, non oportet eum repercuti. Si autem magiſtratum percuſſerit aliquis, non ſolùm debet repercuti, ſed ſupplicio affici. Sed uidetur intelligendum ſecundum id quod æquè ualet, ut
5. Ethic. 8. ex eis quæ ſcripta reliquit Ariſtoteles perſpici poteſt.

Dictum eſt autẽ Par pari, propter eos qui percuſsi aliqua etiam leui percuſsione, non putant ſe ultos eſſe, niſi percuſſorem uulnerent uel interficiant: quæ res maximè abhorret à uiro probo & à iuſticia. hoc enim eſt, uelle bonum quod eſt alterius: quod quid aliud eſt, quàm ſi eum qui nobis deberet centum aureos, cogeremus reddere 200? Quòd ſi accidat, ut aliquis pro pcuſsione inferat uulnus, uel ꝓ uulnere mortẽ, hoc debet eſſe pręter uoluntatẽ & cõſilium eius q uulnerat uel interficit: alioquin nõ eſſet uir ꝓbus & iuſtus. Additũ eſt, Virtute ſua, nõ aliena: quia q reddit par pari uirtute aliena, nihil fortitudinis nihilq; uirtutis oſtendit, & ob id non ulciſcitur.

Hac igitur definitione poſita, oſtendamus, quòd ire ad iudicem, non eſt propriè ire ad ſumendam uindictam uel ad ulciſcendum. quo oſtenſo, uana fiunt ea quæ ab
5. Ethic. 7. hoc homine ex Ariſtotele afferuntur.

4. Ethic. 10. Et in primis accipiamus ea quę de magnanimo ſcribit Ariſtoteles ad hunc modũ:
„ Etenĩ magnanimus nõ eſt maledicus, neq; etiã inimicorũ niſi ꝑ cõtumeliã, id eſt niſi
„ q; cõtra magnanimũ ſe cõtumelioſè habuerit inimicus, qa tũc licet magnanimo maledicere de inimico. Hic uult Ariſtoteles magnanimũ eſſe q ulciſcat̃, nõ magiſtratũ.
7. Polit. 7. Itẽ ubi ait, Neq; ſunt magnanimi ſecundũ naturã agreſtes, nec acerbi, pręterq; ad-
„ uerſus eos qui iniuriã faciunt. Vult eundẽ eſſe acerbũ aduerſus eos qui ſibi iniuriam
4. Ethic. 12. faciunt: ergo & ulciſci. Acerbos enim dixit alibi eſſe, eos qui nõ deſiſtũt ab ira, niſi cũ reddiderint par pari: quia uindicta finẽ facit iræ, uoluptatẽ ex triſticia afferẽs. Et alio
1. Rhet. 10. loco: Acerbus, inquit, iniuriat̃ propter uindictã, quæ nõ poteſt eſſe niſi per ſeipſum.
2. Rhet. 2. Idem confirmat, ubi dicit: Qui enim reddunt par pari, non iniuria afficiunt, ſed ulciſcuntur. Loquitur enim de eis qui faciunt uindictam per ſeipſos. nam ſi per magiſtratum facerent, non eſſet dubium quin iniuria uel contumelia non afficerent: in eis autem qui par pari redderent per ſeipſos, hoc erat dubium.
2. Rhet. 6. Itẽ ubi inquit: Quæ uerò ad uim, inuiti: ignauiæ eñ & timiditatis eſt, ſufferre ac ꝑpeti, & nõ ulciſci. Hoc eñ nõ poteſt referri ad magiſtratũ: quãdoquidẽ ignauia & timiditas nõ ꝓhibent quin aliqs eat ad magiſtratũ, ſed ne ſumat uindictã per ſeipſum.
2. Rhet. 24. Item ubi ait: Ingentẽ eſſe contumeliam liberos homines pulſare, cũ nõ inceperint

ipſi

ipſi manus inferre. Videtur enim à contrario innuere, ſi liberi homines inceperint ipſi manus inferre alicui, licere ei illos pulſare: & ità ſumere uindictam per ſeipſum, non per magiſtratum.

Hoc idem, uidelicet uindictam eſſe propriè eius qui iniuria afficitur, non magiſtratus, oſtendit illis uerbis: Rectè dictum eſt à Poeta, Vlyſſem eſſe expugnatorem urbium, in 9. Odyſſ. quaſi non ultus, niſi à quo, & quamobrem, cognouiſſet. Vindicta enim fuit (ut diximus) facta ab ipſo Vlyſſe. 2.Rhet.4.

Item uerba illa: Seu ſi Alcibiades fuit magnanimus, & Achilles, ac etiā Aiax, quid unum omnes habebant, atq; id eſt eos affectos contumelijs non perferre. Nam primus dimicauit, ſecundus à ſocijs defendendis receſsit, tertius mortem ſibi conſciuit. Hęc inquā uerba oſtēdunt, magnanimum ulciſci per ſeipſum, non ire ad magiſtratū. 2.Poſt.4.

Item illa, Inimicos ulciſci potius quàm reconciliari: nam malum pro malo iuſtum, & iuſtum eſt honeſtum: non enim poſſunt referri ad magiſtratum, apùd quem nō fit reconciliatio: quippe cum exigat, quantum poteſt ius unquam: reconciliatio autem fiat propriè, cum non ſumitur uindicta.

Hoc uerò dictū Ariſtotelis intelligi debet eſſe uerū, cū nolūt homines fateri ſe improbè feciſſe, nullumq; pœnitētiæ ſignū dare. infertur enim ex eis quæ antè dixerat. 5.Ethic.9. Item illa: Homines iniuria afficiunt eos qui ſunt ſine amicis, & qui nō poſſunt dicere aut facere, quia uel nō curāt ulciſci, uel recōciliantur, uel nihil perficiunt. niſi enī uindicta ſumeretur à magnanimo per ſeipſum ſine magiſtratu, hi quidē nō afficerentur iniuria. Nam poſſunt ſine amicis ire ad magiſtratum, & ita perficerent aliquid. 1.Rhet.13.

Hoc ipſum, uidelicet uindictam ab aliquo ſumi per ſe, non per magiſtratum, colligitur ex definitione iræ, quam tradit Ariſtoteles: & ex eis quæ conſequūtur illam. 2.Rhet.2. Colligitur etiam ex communi modo loquēdi hominum. nemo eſt enim qui propriè loquendo dicat, ſe uindictam ſumpſiſſe de aliquo per magiſtratū: ſed potius, ſe perſequutum eſſe ius ſuum.

Ex his omnib. patet, uerba illa Ariſtotelis, eundū eſſe ad iudicē in reb. dubijs, nihil omnino pertinere ad rationē uindictę. & ita operā perdidit iſte homo in illis citādis.

Miſſum etiam facio, quòd magiſtratus in multis nō poteſt reddere par pari: quod fit per uindictam. quoniam ſi quis propter uulnus acceptum eat ad magiſtratum, magiſtratus non infert alteri uulnus.

Præterea ubi dicit Ariſtoteles, At tolerare ſi laceſſaris, patiq; ut tui contumelia afficiantur, ſeruile eſt. 4.Ethic.12. Nihil cauſę afferri poteſt, quare aliquis non toleret ſi eat ad magiſtratum. quandoquidem ire ad magiſtratum, non oſtendit ſeruile eſſe tolerare iniurias, quia ſeruis etiam concedit ire ad magiſtratum: & hoc modo etiam ipſi non tolerant iniurias. ergo intelligit Ariſtoteles, quòd ij non tolerent, qui per ſeipſos uindictam ſumant.

Hoc idem colligitur ex ea ipſa auctoritate, quā homo iſte citauit 5. Ethic. lib. cap. 8. 5.Ethic.8. Ciuitas manet propter retributionem factam ſecundū proportionē. uel enim quęritur malū reddere. quod ſi non, uidetur eſſe ſeruitus, ſi non reddūt par pari: uel quæritur reddere bonum. ſi autem retributio non fit, retributione enim manēt ciuitates. Ex quibus uerbis ſequitur, uindictā eſſe faciendā. Etenim illud eſt faciendū, quod cōſeruat ciuitates: ſed reddere par pari in malis & in bonis cōſeruat ciuitates. ex dictis ergo reddendum eſt par pari: ergo uindicta eſt facienda, ex definitione uindictæ.

Item, retribuere bonum pro bono, eſt iuſtum: ergo retribuere malū pro malo, eſt bonum: eſt enim eadem ratio ex ui cōtrariorum. Patet etiam ex dictis, uindictam uirtute propria eſſe ſumendam: quia ire ad magiſtratum non oſtendit hominē liberum, ſed ulciſci per ſe. nam ſerui non ulciſcuntur, neq; fortitudo animi propriè conuenit ipſis: quæ conuenit liberis, ut patet ex Ariſtotele. 1.Polit.ult.

Item, uindicta redigitur ad iuſticiam correctiuam, ergo eſt iuſta. Antecedens patet ex uerbis citatis. Præterea ſi uerum eſſet, non licere uindictam ſumere, ſed oportere ire ad magiſtratum, (quia dicit Ariſtoteles abſolutè, in dubijs eundum eſſe ad magiſtratum) nunquam liceret pro patria, pro parentibus, pro defenſione ſua interficere aliquem. quia idem Ariſtoteles inquit ſecundo Ethicorum, cap. ſexto: 2.Ethic.6. Non omnis autem actio, neque omnis paſsio ſuſcipit mediocritatem. quædam enim ſtatim cum nominantur, comprehenduntur cum prauitate: ut maleuolentia,

impudentia

,, impudentia & inuidia. in actionibus autem, adulterium, furtum & homicidium. O-
,, mnia enim hæc & talia dicuntur, quia per ſe praua ſunt. ſed non exceſſus ipſos, neq;
,, defectus: non eſt igitur in ipſis nunquam rectè agere, ſed ſemper peccare.

Quæ uerba ſi abſolutè eſſent intelligenda, ex illis ſequerentur ea quæ dicta ſunt: quæ cum ſint abſurda & contraria ipſi Ariſtoteli, neceſsitas cogit ut intelligātur per ſe, & ex natura ſua, ita ut per accidens tamen liceat quandoque interficere homines, ut prauos & euerſores patriæ, & huiuſmodi. Licebit igitur etiam uerba illa Ariſtotelis, In dubijs eundum eſſe ad magiſtratum, ſic interpretari, ut intelligatur per ſe eundum eſſe ad magiſtratum, per accidens autem non eſſe eundū, ut in caſib. dictis.

1. Oeconom. Idq; uiſus eſt indicare Ariſtoteles, ubi dicit: Naturam effeciſſe hominem fortio-
,, rem, fœminam autem debiliorem: ut fœmina ſe cautius cuſtodiat, propter timidita-
,, tem, ſed uir ſit magis uindex propter fortitudinem.

Nam ſi natura dedit fortitudinem magis uiris quàm fœminis, ut magis uindictā ſumāt: ergo uult ut uiri per ſeipſos ulciſcantur. etenim ſi uellet, ut uindicta fieret eundo ad magiſtratum, uel alio modo quàm per robur ſuum, fruſtra dediſſet, ob cauſam quam affert Ariſtoteles, uiris maiorem fortitudinem & robur quàm fœminis. quippe cum fœminæ ſatis roboris habeant, ut adire poſsint magiſtratum. & ſic euerteretur quod dicit Ariſtoteles, neq; liceret prouocare alterum ad ſingulare certamen,
1. Rhet. ult. contra ſententiam ipſius Ariſtotelis, ubi inquit: Conſentaneum eſt illud Xenopha-
,, nis, non parem eſſe prouocationem impio ad pium, ſed ſimile, ac ſi robuſtus ad infe-
,, rendum ſuſcipiendumq; ictum, imbecillem prouocaret. Quibus uerbis uidetur innuere, quòd robuſtus poſsit prouocare robuſtum. ſi enim non poſſet, non ualeret quod dicit.

2. Rhet. 19. Item ubi ait: Indigna res eſt ſi peior cum meliore contendat: ac maximè, ſi in eodē.
,, unde id quod dictum eſt: ſed Aiacis Telamoniadæ uitabat congreſſum Iupiter:
,, namq; ei, quòd uiro cum fortiore pugnaret, indignatus eſt. Vult enim, Iouem concedere, ut fortis cum forti pugnet: quippe qui non indignabatur, quòd illi inter ſe pugnarent, ſed quòd debilis cum fortiore pugnaret.

Præterea magis humanum eſt ulciſci, quàm placari: ſecundum Ariſtotelem. ergo magis facienda eſt uindicta. Illud enim debet magis fieri, quod magis ſequitur naturam humanam: ſed ulciſci magis ſequitur ipſam naturam, quàm placari: ergo eſt ma-
,, gis ulciſcendum. Probatur minor ex uerbis Ariſtotelis, qui dicit: Manſuetudini
,, magis opponi exceſſum quàm defectum, quia magis humanum eſt ulciſci.

Item, ſi non eſſet ulciſcendum, non peccarent magis manſueti ſecundum defectū,
4. Ethic. 12. quia non ulciſcantur. Sed dicit Ariſtoteles eos peccare: quia ſi iraſcerentur, appeterent uindictam: ergo eſt ulciſcendum.

Ibid. Item, Qui non iraſcitur in quibus oportet, eſt ſtultus: qui non appetit uindictam, non iraſcitur in quibus oportet: ergo qui non appetit uindictam, eſt ſtultus. Probatur minor: Quia ſi iraſceretur, appeteret uindictā. ira enim eſt appetitus uindictæ.

2. Ethic. 20. Item ſecundo Ethic. cap. 20. inquit Ariſtoteles: Amicis enim benefacere, & inimi-
,, cis malefacere, nō eſt contrarium: ambo enim ſunt eligibilia. & eiuſdem moris. Ergo uindicta eſt facienda, quia per ipſam malefacimus inimicis. & hoc ait eſſe eligendū.

Item, niſi liceret ulciſci, multarum iniuriarum eſſet impunitas: quandoquidē non ſint teſtes omnium, & probationes idoneæ, ut magiſtratus poſsit eas punire, & eius æquum exigere. & ſic homines fierent præda Myſorū, & ciuitates priuarentur quie-
2. Rhet. 5. te ac felicitate ſua. Homines enim, inquit Ariſtoteles (quem locum ſæpe iam citaui-
,, mus) magna ex parte iniuriam faciunt, quando poſſunt. Cuius rei cauſam alio loco ſic
2. Rhet. 2. explicat. Cauſa autem uoluptatis, eis qui alios contumelia afficiunt: etenim arbitran-
,, tur malefacientes, ſeipſos alijs longè præſtare. Ex quibus omnibus apertè efficitur, propter prauitatem hominum concedi aliquando oportere ſingulare certamen, nō quia bonum ſit, ſed quia minus malum: ſicut conceduntur proſtibula, ſicut conceditur ars numularia, multaq; alia, quæ etſi per ſe non ſunt bona, tamen quia ſunt utilia admittuntur. Diximus autem in libris De honore, magiſtratum debere aliquando (niſi hoc ciuitati nimium detrimenti eſſet allaturum) condonare iniurias ijs qui fatentur ſe erraſſe, ipſosq; ualde pœnitere: quemadmodum Deus opt. max. nobis ignoſcit pœnitentib. ac ueniam deprecantibus. Contraq;, ut Deus non parcit,

ſi nos

ſi, nos peccata noſtra non confiteamur, eorumꝗ nos non pœniteat: ita neꝗ iniurias illis eſſe remittendas, qui nolunt fateri ſe improbè feciſſe, nullumꝗ pœnitentiæ ſignum dare. Hæc inquam declarauimus, oſtendimusꝗ rationem conciliandæ pacis inter eos qui intulerunt iniuriam, & eos qui acceperunt.

Iam uerò, qui propter honorem prouocant alterum ad ſingulare certamen, nonne hi etiam uocant ad iudicem? nempe Deum, qui iniuria affectis opitulari exiſtimatur: & ad ueritatem, cuius tanta quidem in hominum animis uis exiſtit, ut magna ex parte uideamus eos ſuccumbere, qui eam conantur euertere, quemadmodum ſuprà demonſtrauimus.

Verba igitur illa Ariſtotelis quæ iſte citauit, eundum eſſe in dubijs ad magiſtratū & iudicē, intelligenda ſunt, cum aliquis non quærit uindictam propriè, ſed ius quod redditur à magiſtratu: quæ quidem non eſt propriè uindicta, ſed ſecundo loco & impropriè: & cum ſuppetunt teſtes & probationes idoneæ. quę ſi deſint, ut fit aliquando: tunc oportet uenire ad alia remedia, inter quæ eſt ſingulare certamen, ut ſcilicet reddatur unicuiꝗ quod ſuum eſt. 5. Ethic.

Item, intelliguntur per ſe. nā per accidens ob hominū prauitatē, non præcipit Ariſtoteles, hominē ire ad magiſtratū: ſed uult per ſeipſum queꝗ acceptas iniurias ulciſci poſſe, quemadmodū oſtēdimus. Nihil ergo faciunt cōtra duellū, quæ iſte dixit. nā & nos cōceſsimus in lib. De honore, oportere homines ire ad magiſtratū cū poſſunt, idꝗ per ſe. ſed quia non ſemper poſſunt, & quia ferè nolunt, ac deniꝗ propter prauitatem hominum, diximus permitti duellum aliquando minoris mali cauſa.

Item, intelliguntur in eis quæ ad magiſtratū pertinent, & quæ per illum ſtatui atꝗ effici poſſunt. ſed aliquādo non poteſt magiſtratus ius æquū exigere, & ſatis omnib. cauere atꝗ proſpicere. cuius rei argumēto eſt uel maximo, id quod grauiſsimo atꝗ ampliſsimo Venetorū ſenatui euenit, qui rempub. ſuam & populos eos quibus præeſt atꝗ imperat, ita regit ac gubernat, ut primis quidē laudatiſsimis illis ſeculis quicquam melius excogitari non potuiſſe uideat. Nam optimi ac ſapientiſsimi illi uiri ex legib. planè regunt & adminiſtrant, nullaꝗ perſonarū ratione habita, ſed ſolùm iuſticiam & honeſtatē ante oculos ſibi proponētes, nihil præterea ſpectant aut ſequunt. neꝗ uerò eos tantùm qui ditioni ipſorum & imperio ſubiecti ſunt, contra iuſticiam & honeſtatem peccantes coercent ac puniunt: ſed ne ſibijpſis quidem parcunt. imò ſæpe acrius in ſemetipſos animaduertūt, quàm in cæteros. ita ut uerè de illis dici poſſit, ſingulos ſeruire, uniuerſos uerò præeſſe atꝗ regere. quod non ſolet in alijs rebuſpub. fieri: quare factum eſt, ut ferè omnes ſint euerſæ: illa uerò poſt mille & ducentos iam annos (quod nulli unquam reipub. neꝗ regno cōtigiſſe legimus) integra adhuc, intactaꝗ permaneat, atꝗ in perpetuum etiam permanſura uideri poſsit. Huic ſanè præcipua eſt, ſemperꝗ fuit cura, & ſtudiū ſanctiſsimæ religionis noſtræ, omniumꝗ quæ ad Dei opt. max. cultum pertinent. Hæc ad communem utilitatē omnia refert, minimeꝗ à legibus recedit. hæc in omni re deniꝗ ita ſe gerit, ut in eam Ariſtocratiæ nomen uerìſsimè (ut ego quidem opinor) conueniat. Atꝗ in illa quidem clariſsima & celeberrima urbe, nouo quodam & admirabili modo in medijs aquis condita ac fundata, ut non homines illā, ſed Dij poſuiſſe uideanť, (quæ ſanè tam ſapientis ſenatus, tam'que excellentis ac præſtantis reipublicæ digniſsimum eſt domicilium, totius'que miſeræ Italiæ non ſolùm emporium, ſed etiam tutiſsimum eſt perfugium, maximum'que decus & ornamentum) in ea inquam urbe & ciuitate omnia eſſe optimè ſapienter'que conſtituta, illud uel maximè indicat, quòd populus eo animo eſt, ut maximè uelit reipublicæ inſtituta atque præſcripta ſeruare, neque unquam laboret aut ſeditione, aut eiuſmodi periculo, ut, ne in tyrannum aliquem incidat, non timendum uideatur. Hic tamen ſapientiſsimus ac prudentiſsimus ſenatus, ex ijs quę ex multorum ſermonibus ſæpe cognoui, non uidetur ſatis cauere poſſe, quin pleriꝗ in populis & ciuitatibus, quæ eius imperio ac ditioni parent, inter ſe aliquādo maximas exerceant inimicitias, ſeipſosꝗ nullo diſcrimine interficiant: quod (ut dixi) maximū quidē eſt ſignū, fieri nō poſſe propter hominū improbitatē, ut hæc incōmoda humano cōſilio & prudētia planè euitari poſsint. Atꝗ de Venetæ quidē reipub. excellentia & præſtantia non me latet quamplurima dici poſſe: ſed nunc id non agitur.

Perſpicuum igitur eſt, non poſſe magiſtratū in omnib. ius æquum exigere. Quare

in eiuſ

in eiuſmodi cauſis in quibus nihil ipſe prodeſſe poterit, non erit eundũ ad magiſtratum. non ergo (ut diximus) ſimpliciter intelliguntur illa uerba Ariſtotelis, ſed cum hac adiunctione: cum ſuppetunt idoneæ probationes, & per ſe, & in quibus nullum dedecus ſequitur illos qui ad magiſtratum adeunt, & magiſtratus poteſt par pari reddere. in quibus enim aliter res ſe habet, qualia ſunt illa maxime quæ ad fortitudinem & timiditatem pertinent, in quibus etiam non poteſt iudex ius æquum exigere: in his quidem ex Ariſtotelis ſententia non eſt eundum ad magiſtratum, ſed per ſe ulciſcendum. Ac præter ea quæ dicta ſunt intelligendum eſt, eum protuliſſe illa uerba, quia maiori ex parte homines nõ ſunt idonei p ſeipſos ad propulſandas iniurias.

Item, quia hoc eſſet officium hominum, ſi uiuerent ex uirtutibus: idemq́ deberent etiam facere reges. Sed perſpecta hominum malitia & peruerſitate, exiſtimauit Ariſtoteles. ex conceſsis ab omnibus, reges aliquãdo oportere bellum gerere: quod nõ liceret, ſi ſemper eundum eſſet ad magiſtratum, & ex legibus iudicandum. Ariſtotelis enim uerba illa, Quòd in dubijs eundum ſit ad iudicem, de omnibus ſine ullo diſcrimine intelligi debent: ac tanto magis quidem de regibus quàm de priuatis hominibus, quòd plura maioraq́ ex regum diſſenſionibus & bellis ſequuntur incommoda & damna, quàm ex priuatorum contentionibus. Quare ſi ex Ariſtotelis ſententia conceditur, reges interdum pugnare iuſtè inter ſe, & interdum etiam bellum eſſe gerendum aduerſus eos qui nati ſunt ad parendum, & nolunt parere.: & ut defendatur patria, parentes, liberi, propinqui & amici: non uideo quid prohibeat, quin liceat aliquãdo (cum aliter fieri non poteſt) noſmetipſos, noſtra q́ ſingulari certamine tueri: enitiq́ ut ea quæ nobis ſint ablata, & maximè honorem, qui cæteris rebus anteponendus eſt, recuperemus.

Item, ſi illud Ariſtotelis, quòd homines in dubijs debeant ire ad iudicem ſeu magiſtratum, eſſet omnino & ſimpliciter uerum, ita ut reſtringi non poſſet: ergo nũquam liceret ire ad arbitrum.

1. Rhet. 13. Conſequentia perſpicua eſt. Conſequens euertit ſententiam Ariſtotelis: ergo & id unde fluxit, falſum eſſe, in dubium uenire non poteſt.

Quòd conſequens euertat ſententiam Ariſtotelis, oſtendit clariſsimè ipſe Ariſtoteles his uerbis: Aequum enim in arbitrium magis quàm in forum uelle deſcendere. nam arbiter ad æquum & bonum, iudex ad legem ſpectat. Et hac de cauſa arbiter eligitur, ut æquum & bonum præualeat. Ergo illud dictum Ariſtotelis non eſt ſimpliciter & generaliter intelligendum: ergo nihil prohibet, quin coarctetur additis cõditionibus illis, quas nos addidimus: quæ ſi Ariſtotelis ſententiæ repugnarẽt, eſſent refellendę. Sed quia Ariſtoteles ſibijpſi repugnaret, ſublatis conditionibus illis, quoniam diceret eſſe ulciſcendum, & non eſſe ulciſcendum, quod eſſet negãtia aſſerere, ut cum eius opinione conſentiant neceſſe eſt.

Confirmatur etiam, Ariſtotelem, cum dixit ulciſcendum eſſe, non potuiſſe intelligere illam uindictam quæ ſumitur eundo ad magiſtratum. Etenim illa uindicta quæ appetitur naturaliter ab omnibus, eſt uindicta uera: quia homines qui ſunt à natura, ſequuntur naturam. ſed uindicta quæ fit propria uirtute & proprijs uiribus, eſt illa quæ appetitur naturaliter ab omnibus: ut patet ex eo quod experimur in nobis, qui ſtatim ut iniuria afficimur, ad manus ei afferendas qui nos lædit commouemur: & ferè omnes cum poſſunt, hoc faciunt. Ergo uindicta quę fit propria uirtute & proprijs uiribus, eſt uera uindicta.

Item, per quæ acquiritur honor, proficiſcuntur neceſſariò à propria uirtute: quia honor eſt præmium uirtutis proprię, & non alienæ. Vindicta quam appetimus, eſt ex illis per quæ acquiritur honor. hæc perſpicua eſt. Ergo uindicta quã appetimus, proficiſcitur propria uirtute: ergo non ab aliena. ergo non poteſt à magiſtratu proficiſci. Ergo cum dicit Ariſtoteles, ulciſcendum eſſe, non intelligit ut eamus ad magiſtratum. Quod confirmauit, ubi dixit: Viri fortis eſt, non uinci. Ex quo efficitur, non oportere fortem uirum ire ad magiſtratum: quia ſi iret ad magiſtratum, eſſet uictus, quod ad ipſum attinet.

Itẽ, quòd Ariſtoteles, ubi utitur hoc nomine Vindictæ, intelligat eam quæ fit per ſeipſum, & propria uirtute, non per magiſtratum: ex multis locis colligi poteſt: quo-

4. Ethic. 12. rum unum aut alterum, ne longius faciam, in re tam aperta proferã. Is igitur in Ethicis lo-

cis,de infeſtis loquens dixit, Eos non reconciliari ſine uindicta uel pœna. Conſtat 4.Ethic.12.
autem iſtos non ire ad magiſtratum, ſed conari per ſeipſos ſumere uindictam. Idē
7.Ethic.cap.8. Canes,inquit,antequam conſiderent ſi eſt amicus, ſi ſolum ſtrepitum 7.Ethic.8.
fecerit,latrant:ſic ira propter caliditatem & celeritatem naturæ,audiens quidē man- "
datum,non attendens, impetum facit ad uindictam. Sic etiam, ut patet, uocat uin- "
dictam quæ fit per ſeipſum,non per magiſtratum. "

Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, ſecundum naturalem doctrinam, aliquando
ulciſcendum eſſe,& non eundum in omnibus ad magiſtratum. Quod etiam permit-
tit ciuilis doctrina: quoniā homines maiori ex parte nolunt uiuere ſicut debent,pro-
pter ſuam prauitatem: & omnes ferè iniuria afficiunt quādo poſſunt, quia hac ratio-
ne putant ſe alijs excellere.

Neq; illud quod dixit Ariſtoteles 1. Rhet. cap. 10. Acerbos facere iniuſta propter 1.Rhet.10.
uindictam,tollit è medio ſimpliciter illam uindictam,oſtenditq; iniuſtum eſſe facere
uindictam: ſed noluit Ariſtoteles dicere, Acerbos propter ſuam acerbitatem, ut ſu-
mant uindictam, facere iniuſta. Nos etiam,qui ex uia ciuili concedimus uindictam
eſſe ſumendam aliquando, nolumus cum ſumitur,fieri ea quę iuſtè fieri non poſſunt.
Ideoq; reiecimus inſidias,& diximus per ipſas non poſſe fieri uindictam.

Permiſſum eſt autem ſumere uindictam,ut diximus in lib. De honore, & in ſupe- Lib. De hono-
rioribus: quia minus malum eſt, ut non fiant homines præda Myſorū, neq; ciuitates re.
& prouinciæ perturbentur.

Quòd uerò dixit Ariſtoteles, Aequum eſt rebus humanis ignoſcere: non intelligi 1.Rhet.13.
tur ſimpliciter, quemadmodum ipſe ſeipſum explanans declarauit in eo loco: ſed cū
fatentur homines ſe neq; rectè feciſſe, neq; cogitatò aut conſultò, & cū eos pœnitet,
& huiuſmodi alia: quæ cum fiunt, quaſi dederint pœnas, non eſt quærenda uindicta.
Etenim humanum eſt peccare: & tolerandi ſunt quidam errores, propter humanam
imbecillitatem. In omnibus tamen non eſt danda uenia, ſed in certis quibuſdam: ut
perſpicuum eſt ex Ariſtotele, & ut nos diximus in ſuperioribus.

His igitͬ ita cōſtitutis, perſpicuū eſt, omnes Ariſtotelis ſentētias inter ſe aptiſsimè
cohærere: atq; interdū ſumendā eſſe uindictā, interdū boni uiri eſſe ignoſcere. Perſpi
cuū eſt etiā, hūc hominē de his reb. loquutū eſſe temerè ac fortuitò, eaq; dixiſſe quæ
Ariſtotelis ſententiā euerterēt, ſecūq; omnino pugnarēt. Nos aūt aſſeruimus, uel nū-
quā licere fieri certamē uniuerſale inter reges, ſed ſemp eundū eſſe ad iudicē & ad le-
ges: uel ſi liceat interdum, permitti etiam oportere aliquando ſingulare certamen.
Etenim ſi bene conſideremus, facile erit intelligentia conſequi, nullam inter hæc cer
tamina, ex hac parte (ut diximus) eſſe diuerſitatis rationem.

Neq; uerò illud quod ſuprà intulimus ex eo dicto Ariſtotelis, Quòd amicis eſt be
nefaciendum, à contrario inimicis eſſe malefaciendum, & per conſequens ſumendā
eſſe uindictam: euertit id quod diximus in lib. De honore, falſum eſſe quòd uindicta
ſit facienda. Quoniam eo loco loquebamur abſolutè de iniurijs factis, quas diceba-
mus eſſe ulciſcendas. In lib. autem De honore intelleximus, non ſumendas eſſe alias
pœnas de iniurioſo confitente & pœnitente, & deprecante humiliter ueniam, præ-
ter illam confeſsionem & pœnitentiam, & ueniæ deprecationem. Quod uidetur ali-
quo modo colligi ex eis quæ dixit Ariſtoteles 9. Ethic. cap. 2. ubi ait: Vniuerſaliter 9.Ethic.2.
debitum eſſe reddendum. Sed ſi datio excedit honeſtate uel neceſsitate, ad hæc de- "
clinandum. Declinandum ergo hic erit ad ueniam, propter honeſtatem, neq; par "
pari reddendum. "

At quæret aliquis, ſi reddere par pari in malis ita ſit iuſtum, ſicut in bonis, ut dictū
eſt ſuprà: quare non poſitum fuerit templum Gratiarum ob id etiam, ut homines re-
cordarentur reddere malum pro malo: ſicut dixit Ariſtoteles poſitum fuiſſe, ut recor 5.Ethic.8.
darentur reddere bonum pro bono? Dicerem hoc fortaſſe factum fuiſſe, quia ho-
mines citò obliuiſcuntur bonorum quę acceperunt, malorum autem ferè nunquam.
Quare ut retributio quæ conſeruat ciuitates fieret, uiſum eſt antiquis extruendum
eſſe templum, pro memoria beneficiorum acceptorum, quorum homines facile obli
uiſcerenter: pro iniurijs uerò acceptis id minimè eſſe faciendum, propterea quòd ea-
rum nimis recordarentur homines.

Item quæ ſubiungit, Tum ciuitatem. &c. ſunt cōtra ipſum, quia quęrere iuſticiam,

non eſt quærere malum, ſed bonum. Iam uerò ſi per eum eſt ſeruitus, non quærere reddere malum pro malo: ergo uult, ut homines liberi ulciſcantur iniurias. quod negauit ſuprà. Retributio autem de qua loquitur Ariſtoteles, eſt inter amicos & ciues, non à magiſtratu.

SECTIO SEXTA.

Author. **Idem alibi Tarentini Architæ dictum ſequutus, admittit comparationem aræ & iudicis, &c. quæ ſequuntur.**

ANT. BER. Quod uerò adfert de Archita Tarentino, & de Platone, nihil ad nos, quippe qui in his ſequimur Ariſtotelem, & naturalem rationem, quam arbitramur ſequutum eſſe Ariſtotelem. Quòd ſi Plato fuit præceptor Ariſtotelis, hoc nihil refert. multi enim diſcipuli meliores præceptoribus. Quanquam poſſumus etiam dicere, Ariſtotelem idem ſentire in hac re quod ſentit Plato: ſed nihil contra nos, qui diximus interdum ulciſcendum eſſe ob prauitatem hominum, interdum autem ignoſcendũ. Optima ſunt uerba Platonis, ſed noſtræ ſententiæ non repugnant, qui concedimus illud idem quod ipſe præcipit, eſſe faciendum, cum fieri poteſt.

„ Ex ijs uerò quæ ſubiungit (quod quidem etſi ſtrenuè poſſunt ulciſci eum, &c.) ſequitur, homines bonos & religioſos pro iniurijs propulſandis non poſſe ire ad magiſtrarum (ut dictum eſt etiam in ſuperiorib.) quia ire ad magiſtratũ, per ipſum eſt ire ad uindictam. ipſi autem, quatenus tales, non poſſunt quærere uindictam: ergo non poſſunt ire ad magiſtratum. Minor clara eſt, ex eis quæ dicit ſacros libros præcipe„ re: Ne quæras ultionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum, &c. Igitur boni & religioſi uiri non poterunt ire ad magiſtratũ. Sed hoc eſt abſurdiſsimũ: ergo & id unde fluxit. omnibus enim licet ire ad magiſtratum, idq́ quotidie faciunt uiri optimi, & maxima religione præditi. Quòd ſi non liceat, quid tandem agent ij, quibus res ſuæ per uim & iniuriam auferantur?

„ Nam quod ſubdit, Quidam autem etſi fortè, &c. uidetur manifeſtè innuere, eos qui eunt ad magiſtratum, eſſe probos uiros, ſed non uirtute præſtantes: ergo ire ad magiſtratum, non eſt per ipſum ire ad uindictã, ſed ad iuſticiam, contrà quàm dixit.

Præterea ire ad magiſtratum, non indicat aliquem non eſſe ignauo & ſeruili animo: ergo per ipſum non licet uiros probos ire ad magiſtratum: quia tu dicis eos ire ad magiſtratum, ne uideantur ignauo & ſeruili animo eſſe.

Probatur conſequentia: Facere id quod facere poſſunt ſerui, non indicat aliquem non eſſe ſeruili animo. nam ſi indicaret, iam id ſerui facere nõ poſſent, ut patet. Sed ire ad magiſtratum, eſt unum ex illis quod facere poſſunt ſerui. Hæc perſpicua eſt. Etenim quotidie uidemus, ſeruos & homines uiles ire ad magiſtratum. Ergo ire ad magiſtratum non indicat aliquem non eſſe ſeruili animo: ergo falſum eſt quòd ad ad magiſtratum proficiſcuntur uiri probi, ne uideantur ignauo & ſeruili animo eſſe: etenim deciperentur.

Quòd uerò addit, De ijs qui ſunt inquieti & turbulenti, diximus in ſuperioribus multa, ex quibus facile erit intelligentia conſequi, aliquando eos eſſe redarguendos, qui nolunt ueniam dare, neq́ per leges ab iniurioſis debitas pœnas ſumere, aliquando non eſſe ſimpliciter redarguendos, ad quem locum me reijcio.

Quam uerò affert rationem, quamobrem ita uariè ſe gerant homines, ea mihi partim probanda uidetur, partim improbanda. Improbanda uidetur ex ea parte, quòd
„ ait: Fortis & magnanimi uiri eſſe proprium, ſi quid in ſe commiſſum fuerit, ignoſce„ re, & iniuriarum prorſus obliuiſci, maximè ſi poſſit ulciſci: quia declaratum eſt in ſuperioribus, magnanimum & uirum fortem non oportere aliquãdo in aliquibus cauſis quibuſdam hominibus ignoſcere: tantumq́ abeſt, quod ipſe ait, ut ſit fatuus, qui quod ipſe dicit neget: ut ſit omnino fatuus, qui ex ui ac fundamento ipſius honoris & naturæ non illud neget, præſertim ita ſimpliciter & abſolutè prolatum.

Quòd uerò id exemplo Cæſaris & aliorum quos nominaſti ſtabilire conaris, iam reſponſum eſt, nec opus eſt hac de re plura dicere. Eatenus autem uerum dicis, quatenus aſſeris, proprium eſſe hominis, præſertim religione & pietate Chriſtiana præditi, ignoſcere, atque iniuriarum obliuiſci: ac nos quidem in eadem ſententia planè ſumus,

ſumus, ſemper'que fuimus, te'que ipſum hac in re laudamus.

Quòd ſi in omnibus ita loquutus eſſes, nulla fuiſſet inter nos controuerſia, quandoquidem in libris De honore hoc idem ſæpenumero declarauimus: quod etiam dicemus in eis quæ ſequentur, ultiones repugnare præceptis Chriſti ſeruatoris noſtri, qui neq; fallere neq; falli poteſt. Sed uniuerſa iſta controuerſia nata eſt, quia tu profeſſus es, hanc tuam opinionem Peripateticæ doctrinæ omni ex parte conſentire: noſtram uerò quam expoſuimus in libris De honore, penitùs repugnare. Quare (cum putaremus ea quæ in his libris diximus, rationi naturali ac fundamentis Peripateticis, quæ ferè idem ſunt, conuenire) coacti ipſa ueritate ſumus, dare operam ut oſtenderemus, te omnino falſam de ijs rebus, atque aduerſus Ariſtotelis doctrinam accepiſſe opinionem. Quod nunquid præſtiterimus, nec'ne, aliorum erit iudicium, qui non iurarunt in uerba cuiuſquam, ſed ueritatem ipſam ſequuntur, ei'que ſoli adhærent. Quem laborem ſuſcepimus etiam, ut hanc nacti occaſionem, omnes omnium iniuriarum & offenſionum ſpecies exponeremus, earum'que honeſtè & ex uirtute tollendarum, & pacis conciliandæ rationem, quantum quidem in nobis eſſet, traderemus: nobiſipſis perſuadentes nihil poſſe reperiri quod hominibus, qui ob ſummam ipſorum imperfectionem continuis, ob iniurias ultrò citro'que illatas & acceptas, diſsidijs & calamitatibus miſerè uexantur, maiorem utilitatem afferre poſſet. Tum etiam ut teſtatum omnibus relinqueremus, libros illos De honore, in quos iſte ita acerbè inuectus eſt, eſſe noſtros: ſublatos'que nobis fuiſſe à Ioanne Baptiſta Poſſeuino, cum illos ei qui noſter eſſet auditor, & maximè familiaris, deſcribendos tradidiſſemus. Qui quidem Poſſeuinus non illas ſibi uendicans opiniones, ne omnium teſtimonio ſtatim refutaretur, ac planè irrideretur: ſed eas tantum ſe digeſsiſſe atq; explicaſſe prædicans, impudentiſsimo ſe mendacio obſtringebat. nã tantum aberat ut id prȩſtare poſſet, ut ne ipſos quidem libros intelligeret, propterea quòd non erat uerſatus in Ariſtotele: cuius doctrinæ uix tum prima labra admouerat, ſed Latinis tantùm & Græcis literis uſq; ad illam ætatem operam dederat, pueroſq; eas ipſas docuerat ſemper, docebatq; quotidie.

Neq; uerò adduci poſſum, ut eum credam, ſi uixiſſet, eos libros unquam in lucem editurum fuiſſe, eò modo quo editi ſunt. non enim (opinor) ita perfrictæ frontis fuiſſet, ut hoc impudẽtiſsimum facinus aggrederetur, cum res tota noſtra eſſet maximè nota: nec ipſe ignoraret, me habere libros illos manu ſua deſcriptos. in quibus fatebatur libros eſse meos. quia etiam poſt eius mortem illud mihi à nonnullis grauibus uiris, & fide maximè dignis narratum fuit, illum, cum uideret ſe moriturum, fratri ſuo, qui cum ipſo tunc erat, mandaſse, ut omnino eos libros typis imprimendos ne traderet. Sed eo mortuo, frater eius, homo iuuenis, primum exemplar quod apud Poſseuinum remanſerat, & poſt eius mortem in manus ipſius uenit, typis excudendum curauit atq; edidit: qui quidem libri in multis non habẽt eum ordinem, quem habere debebant, & in multis ſunt mutilati: tum quia ille non habuit exemplar ultimum, quod erat typis mandandum, & quod erat à me emendatum: tum etiam, quia ut tolleretur nomen meum, multa relicta ſunt imperfecta, ut apparet in ipſo principio. Poſseuini enim frater, ſublato quantum potuit nomine meo, quod adhuc tamẽ alicubi eo inuito remanſit, eos libros mihi attributos, Poſseuino ſoli adſcripſit, neſcio qua de cauſa: niſi quia fortè intellexerat, me Ferrariæ eſse mortuum, ubi tunc tẽporis maximo oppreſsus fui morbo, ita ut mortuus ab omnibus iudicatus fuerim.

Quòd ſi iſte homo dicat ſe propterea ſcripſiſse cõtra iſtos libros, quòd ignoraret eſse meos: mihiq; ob hãc cauſam id minimè ægrè ferendũ fuiſse, ut cõtrà reſcriberẽ: ego uerò certò ſcio illũ nõ ignoraſse, quod nemo Romȩ ignorabat. Sed nihil hoc ad rẽ meam. Nã etſi ij libri nõ fuiſsent mei, tamẽ ueritate ipſa impulſus, hoc idẽ feciſsem. Etenim nõ potuiſsem æquo animo pati, eum qui minimè uerſatus eſset in Ariſtotelis doctrina, auſum fuiſse ueritatẽ illã quã exiſtimo ex Peripateticis fontib. hauſtã, ita temerè & arrogãter, ne guſtatã quidẽ, reſpuere ac reijcere, & uerbis cõtumelioſis pſequi. Tantũ uerò abfuit ut ego unq; ægrè tulerim, q cõtra me quiſq; ſcriberet, ut etiã gratias illis egerim, habuerimq; in ppetuũ maximas, à quib. eſsem de errorib. admonitus. Nec enim (ut dixi in Apologia) me erraſse aliquando, cum id humanum ſit, mihi unquam turpe exiſtimaui: ſed cognito errore, in eo tamen uelle perſeuerare.

Qui uerò tandem fieri poteſt, ut unquam moleſtè ſim laturus, errores meos ab alijs redargui, quos ego, ſi mihi eſſent noti (ut decet eum qui ueritatem ipſam profiteatur, eamq; cæteris rebus omnibus anteponat) libentiſsimè non modò relinquerem, ſed quantum poſſem ipſos refellerem? Sed de his hactenus.

„ Quòd autem iſte addit: Iuſti eſſe, & ſecũdum ciuilem aut mundanam iuſticiam fa-
„ cere dicuntur, qui ſecundo in gradu ſunt collocati: re apertè ſignificat, non poſſe hominem religione & Chriſtiana pietate præditum, (ſic enim dicit ipſe) ad magiſtratũ & ius pro iniurijs ſibi illatis proficiſci. Non poterunt ergo Pont. max. ſine crimine, non ſolùm uindictam aliquam iniuriarum ſibi illatarum ſumere, ſed ne ad leges quidem & ius cõfugere, ut coerceant iniurioſos homines, eosq; meritas pœnas dare cogant, quo cæteri deterreantur ab auctoritate & poteſtate ſummorũ Pont. deteſtanda ac uiolanda. Quod quidem ſecus eſſe, hucuſq; exemplo ſuo multi Pont. præſtantiſsimi declararunt: in hisq; (ut omittam alios) Paulus III Romanus, ex nobiliſsima & illuſtriſsima Farneſiorum familia, & Alexandri Farneſij Cardinalis, patroni mei, auus paternus: uir cùm literis & doctrina, tum uerò morum ac uirtutis pręſtantia maximè inſignis & clarus. qui ferè illud habebat in ore, Pontifici max. potius moriendum eſſe, quàm patiendum ut ab aliquo negligeretur, deq; eius auctoritate ac poteſtate quicquam detraheretur: idq; factis etiam, cum res ita ferret, oſtendebat.

Patet uerò conſequẽtia: quia ſine nefario ſcelere negare nõ poſſumus, quin ſummi Pont. ſint Chriſtiana religiõe & pietate præditi, quos ipſius Chriſti ſeruatoris noſtri in terris locum tenere pro certo habemus. Dicere autem eis non licere ex fundamentis religionis Chriſtianæ ad ius & leges recurrere, & ulciſci illatas ſibi ab improbis ac ſceleratis hominibus iniurias: hoc mihi quidem uidetur nihil aliud eſſe, quàm eum multorum ſummorum Pontificum res geſtas improbare & euertere. Vt igitur tua iſta uerba, ſi es Chriſtianus, ſicut profiteris, emendes, ac corrigas: atque ut (ſi ita ſentis) opinionem mutes, neceſſe eſt. Neque uerò potes, ô bone uir, eò confugere, ut dicas, licere ſummis Pontificibus ulciſci, propterea quòd ſummam auctoritatem & poteſtatem obtinent, ne ſcilicet ab hominibus contemnantur, & iniurijs afficiantur: cæteris non licere. hoc enim parum tutum erit perfugium: ſiquidem non uis hominem pietate Chriſtiana præditum, poſſe aliquo modo ulciſci, & ire ad magiſtratus & leges. generaliter enim loquutus es, appellas que eos qui hæc faciunt, iuſtos, ſecundum ciuilem & mundanã iuſticiam. ergo non ſunt iuſti, iuſticia & pietate Chriſtiana: uel ſi ſunt, ergo licet eis per iuſticiam & pietatem Chriſtianam ulciſci, eundo ad magiſtratum & leges: ergo falſum eſt quod aſſerebas, non decere hominem pietate Chriſtiana præditum ulciſci, & proficiſci ad magiſtratum & ad leges: & ſic cum tua ipſius ſententia pugnes neceſſe eſt.

Item, non ulciſci, & condonare (ut dicis) iniurias inimicis, uel conuenit Chriſtianis omnibus per ſe, & in eo quòd ſunt Chriſtiani, uel non conuenit. Si conuenit omnibus per ſe, & in eo quòd ſunt Chriſtiani: ergo conuenit omnibus Chriſtianis, & ſemper.

Conſequentia perſpicua eſt ex artis Logicæ præceptis & regulis: ergo multo magis conuenit ſummo Pontifici, qui eſt totius Chriſtianæ Eccleſiæ caput, & ipſius Chriſti in terris uicarius. Ergo minus quàm cæteri Chriſtiani, in quauis grauiſsima cauſa poterit ulciſci, & ire ad ius & leges: quia ſi poſſet iam nõ ulciſci, & nõ ire ad ius & leges, nõ cõueniret Chriſtianis per ſe, & in eo quod ſunt Chriſtiani. Quòd ſi nõ ita conuenit, ergo homines pietate Chriſtiana præditi non poterunt ulciſci, & ad leges & ad magiſtratus proficiſci: ergo falſum erit, eos qui proficiſcuntur ad leges & ad magiſtratus, eſſe iuſtos ſecundum ciuilem & mundanam iuſticiam tantùm: quia erunt etiam iuſti ſecundum pietatem Chriſtianam, cuius tu contrarium aſſeruiſti. hæc enim argumenta ſunt ad hominem.

SECTIO SEPTIMA.

Auctor. Nemo ignorat id quod iſti paſsim iactant, & reliqua.

ANT. BER. Cum omnia quæ in hac ſectione dicuntur, partim ſint uerba nihil ad rem facientia, partim in ſuperioribus ſint refutata: ſuperuacaneum eſſe duxi, eadem toties re-

ties repetere. Nam quòd ita ſcribit, Nonnulli aiunt, iniurias cõdonare atq; obliuiſci,
à militari uirtute alienum eſſe, eiusq; laudi obſtare & officere: ſine dubio abſurdiſsi-
mum eſt, & quæ ſequentur. hoc etiam refutatum fuit ex multis Ariſtotelis auctorita-
tibus: quibus erat reſpondendum, ſi propoſitionem illam ſic generaliter prolatam,
uolebat firmam & ſtabilem proponere. quod cum non fecerit, ut perperam fece-
rit neceſſe eſt. Nam qui dubitationem non ſoluit, ſimilis eſt (inquit Ariſtoteles) ijs *3. Meta. 1.*
qui uinculis conſtricti tenentur. Fieri enim non poteſt, ut ulterius huc uel illuc
progrediantur.

SECTIO OCTAVA.

Cur igitur (dixerit aliquis) tantopere conualuit ea inter noſtrates mili- *Auctor.*
tes opinio, inter quos, & quæ ſequuntur.

IN hac quoq; ſectione multa dicit præter rem: & omnia etiam quę dicit, refellimus ANT. BER.
in ſuperioribus, ubi oſtendimus eos qui bella gerunt, paces facere: & tamē ipſe pu
tat iuſtè poſſe dimicare. Diximus enim ſuprà, & in libris De honore, ſingulare certa-
men eſſe ſimpliciter malum, bonum tamen eſſe ex ſuppoſitione: ſicut bellum. Ex
eis autem quæ dicit, ſequitur illud idem abſurdum, quod ſæpe iam ex eius dictis ſe-
qui oſtendimus, non poſſe uirum magnanimum ire ad magiſtratum: & tamen cita-
uit ipſe Ariſtotelem ſuprà, quòd ſeruile erat perpeti iniurias, & non ulciſci. ergo fal- "
ſum eſt, quòd iniurias cõdonare ſit illi ſplendidiſsimæ uirtuti quę magnanimitas ap- "
pellatur conſentaneum. Multa poſtea uerba ponit, quæ non ſunt ex inſtituto eius
qui profitetur rationibus agere. Quòd uerò ſubiungit, Nam ſi omnib. qui abſen- "
tibus, &c. (ut ſuperius eſt abundè probatum) negamus quòd probatum ſit: quia illâ "
probatio non modò ex ueris, ſed ne ex probabilibus quidem fuit. Multi enim impru
dentes alios quidem iniuria afficiunt, ſed eo ipſo temporis momento quo iraſcũtur
& iniuria afficiunt, multi meliori conditione per occaſionem: & non poteſt exiſtima
ri quòd ſit per formidinem, niſi ipſi fateantur, quia ſciebant poſſe prouocari ad duel
lum. De quibus rebus quia in lib. De honore, & in ſuperiorib. dictũ fuit, nõ opus eſt
plurib. hic agere. Deinde uſq; ad finē ſectionis facit cõciones quæ fiunt in eccleſijs.

SECTIO NONA.

Ex his omnibus (niſi me fallit opinio) iam ſequitur, id quod antè polli- *Auctor.*
citus ſum me probaturum, & quæ ſequuntur.

PLurima hic etiam dicit, quæ ſunt earum concionum quæ fiunt in tēplis, audienti ANT. BER.
bus mulieribus: quæ quidem ſunt bonę, ſed non erat nunc hic locus. Quare mul
ta ex illis miſſa faciamus. Quòd autem dicit, Ex ijs omnibus (niſi me fallit opinio) "
iam ſequitur, &c. Reſpondemus, eum longè falli: propterea quòd oſtendimus in ſu-
periorib. tantum abeſſe ut ſequatur ex eius dictis, quod pollicitus erat ſe probaturũ,
ut omnino contrarium inferatur.

Quòd uerò ſubiungit: Aut id ab orbe condito tot millia illuſtrium militum, ducũ, "
& Imperatorum, honorificè & magna cum laude fecerunt, iniurias ſuas inimicis piè, "
fortiter ac generoſè condonare: Dicimus, in hac quoq; re eum magnopere decipi. "
quia hoc non fecerunt ab orbe condito tot millia illuſtrium uirorum, ſed contrà po-
tius fecerunt: ut de regibus teſtatur Homerus. & falſum eſt quòd honorificè hoc po-
tuerint facere, niſi eo modo quo dictum eſt in ſuperioribus, cum ſermonem habere-
mus de iniurijs tollendis, & componendis inimicitijs: uti diximus, ignoſcendas eſſe
iniurias eo modo quo ſanctiſsima religionis noſtræ ueritas aſſerit. Deum opt. max.
nobis peccatoribus ignoſcere, cum ſcilicet peccata noſtra confitemur, eorumq; nos
ex animo pœnitet, idq; etiam uoce teſtamur. Quòd ſi quis aliter inimicitias compo-
neret, exiſtimamus eum omnino ex naturæ fundamentis honore priuari. Loquitur
ergo iſte, & concionatur in hac ſectione, & nihil probat. Oſtendimus prætereain
ſuperioribus, ſingulare certamen non innixum eſſe ſoli conſuetudini, ſed etiam ra-
tioni naturali, contrà quàm iſte aſſerit: quod idem demonſtrauimus in libris De
honore.

Ea uerò quæ ſubiungit, Cum igitur iſte militaris honos, &c. ſunt omnino à uerita-

 teabhor-

te abhorrentia, ut oſtenſum eſt, quia non ſunt ex natura duelli: quod non cõceditur, niſi propter uerum honorem, & ueram probitatem cõſeruandam, uel recuperandã.

Quòd ſi quiſpiam eo abutatur, non eſt uitium ſingularis certaminis, ſed ipſo abutentis: idemq; de illo poſſumus dicere (ut mihi quidem uidetur) quod dixit Ariſtoteles de Rhetorica his uerbis: (1. Rhet. 1.) Sed quòd magna inferat incommoda, qui ui hac orationis iniuſtè utitur, id certè omnium bonorum, præterquam uirtutis, & maximè præſtantiſsimorum, & uirium, ſanitatis, diuitiarum, imperij commune eſt. nam his omnibus maximè quiſpiam proderit, cum iuſtè utatur: & lædet, cum iniuſtè. quam auctoritatem etiam in ſequentibus citabimus.

FINIS LIBRI SEXTI EVERSIONIS
Singularis certaminis.

LIBER SEPTIMVS.

SECTIO PRIMA.

Auctor. QVaſi oculis cernere uideor, adhuc in aliquorũ animis reſidere ſcrupulum, cur non ſaltem in ijs modis, & reliqua.

ANT. BER. QVis non rideat, cum dicit iſte, quo'nam in periculo poſsit eſſe honor, ubi factum ita eſt occultum, ut probari nequeat? quaſi ille qui fuit percuſſus ab aliquo, cum teſtes non adeſſent, uel ſi aderant, non poſsint cogi à magiſtratu, (ut ſæpe accidit) non fuerit iniuria affectus? & per conſequens, honore priuatus?

Item, ſi alicui negaretur depoſitum, quod depoſuiſſet apud aliquem, quem loco amici haberet, & non poſſet hoc probare, non'ne iniuria afficeretur?

Vnde autem didicit iſte, quòd in definitione ipſius iniuriari ponatur, iniuriam eſſe apertam, & non obſcuram: dicat quæſo? Imò uerò tantum abeſt ut pro iniurijs occultis non ſit certandum, ut pro unis illis maximè certare oporteat.

Falſiſsimum preterea eſt, ſi quis acceptæ iniuriæ nullum afferens ſignum, & oſtendens indicium, ad duellum prouocare alterum uelit, cum non eſſe audiendum: quoniam ſatis eſt illi qui iniuria ſit affectus, ſcribere ad iniurioſum, ſe fore paratum ut armis oſtendat eum improbè feciſſe, quòd ipſum iniuria affecerit: uel mentiri, quia ea uerba dixerit quæ illi turpitudinem afferant. Alterum enim duorum eueniat neceſſe eſt: uel ut iniurioſus neget ſe illa uerba dixiſſe, uel nõ neget. Si negabit, nihil in hac cauſa eſt præterea agendum. ſatis enim eſt factum illi, contra quem uerba ſunt prolata: etſi is certò ſciret alterum illa uerba protuliſſe. aperta enim ſignificatio datur, iniurioſum ualde timere eum de cuius fama detraxit: quod quidem alteri eſt maximo honori, alteri maximæ turpitudini. Quòd ſi is qui accuſatur nihil dixit, nihil etiam alter cum eo agere poteſt. Quòd ſi illa uerba protulerit, dubium non eſt quin obiectam mendacij culpam ſuſcipiat. Neq; enim tenetur ille qui mendacij probrum obijcit, id probare: quia ſi teneretur, cogeretur etiam ui honoris armorum iudicium ſubire. At qui accuſatur iniuria affeciſſe alterum, cogitur reſpondere uel affirmando, uel negando: alioquin priuaretur honore. indicaret enim ſe eſſe hominem iniurioſum, & ſimul timidum. Qui autem talis eſt, non eſt præditus uirtute: & qui non eſt uirtute præditus, honore priuatum eſſe conſtat. Non ergo uerum eſt quod ait iſte homo, qui concedunt in multis cauſis duellum, eos aſſerere illa pugnantia quæ dicit. ſi enim legiſſet & intellexiſſet libros De honore, non hæc ille uerba ita temerè effudiſſet.

Quòd ſi dicat, ſe legiſſe alios ea dicentes, non erat ei loquendum generaliter: præſertim cum rationi conſentaneum eſſet, ut eos libros accuratè legiſſet, quos profeſſus eſt maximè uelle impugnare.

Cum ergo non ſint uera illa repugnantia, & illa contraria quæ commemorauit: non erit hoc ſignum uarietatis & inſcitiæ iſtorum, ut ipſe dicit, qui neſciunt iudicia rerum quæ dantur certa: ſed erit argumento ingenij & naturæ ipſius qui ea attribuit alijs, quorum contrarium ipſi manifeſtè ſcripſerunt,

Quòd

Quòd uerò addit, Hoc argumento coarguuntur, &c. ipſe ijs ſe erroribus implicat, quibus ſe extricare atq; expedire neſcit. Etenim tãtum abeſt ut ego in meis libris negauerim concedi ſingulare certamen, ubi factum alio modo probari non poteſt, ut prorſus contrarium aſſeruerim: ex quo quidẽ intelligi facile poteſt, quàm nulla is adhibita conſideratione, quicquid in buccam uenit, temerè effundat.

SECTIO SECVNDA.

Quòd ſi qui ſunt uerè fortes, quibus cõſcientia pro mille (quod aiunt) teſtibus, & quos propterea, &c. *Auctor.*

QVis ſibi temperaret, quin uerbis planè contumelioſis in hunc hominem inueheretur? qui in uniuerſa hac ſectione ea afferat quæ à cauſa noſtra ſunt alieniſſima, nihilq; probant? ANT. BER.

Quid enim ad rem noſtram facit exemplum Pulſionis & Vareni, ſi alter ab altero nõ fuerat iniuria affectus? Nam etſi erant æmuli, non tamen ex hoc ſequitur, ut alter alteri iniuriam intuliſſet. Nos autem loquuti ſumus de ijs, quorum unus honorem alterius uiolauerit. Sed eſto quòd alter fuiſſet ab altero iniuria affectus, tamen dum pugnarent contra hoſtes, maximè eis laudi attribuendum erat quod fecerunt. Sed tamen eo non fiebat, quin honor alterius uiolatus eſſet, iſq; illum alio tempore repetere cogeretur eo modo quo dictum eſt.

Pulcherrimum deinde Auctor iſte attulit exemplum, ex quo perſpicuè colligitur, ſingulare certamen inſtitutum fuiſſe, ut in bello duo inter ſe decernerent aliquando, uter melior eſſet: quæ una erat ex cauſis, propter quas nos in lib. De honore conceſſimus, certandum eſſe ſingulari certamine.

Argumentor autem ſic: Si alicui fuit aliquando conceſſum pugnare ſingulari certamine, ne uideretur ignauus (ut ipſe aſſerit) nulla etiam cogente cauſa: ergo nunc etiam poteſt concedi. Eadem enim ratio eſt nunc, quæ fuit olim. Quod enim eſt honeſtum ſimpliciter, eſt ſemper honeſtum, quoniam ex natura eſt: quod autem eſt à natura, ſemper eſt idem: Ergo multo magis concedendum erit ſingulare certamen aliqua cogente cauſa, quod tamen iſte ſuprà negauit, perſpicax ſanè & acutus diſputator, qui imprudens ea conuellit quæ antè poſuerat. *5. Ethic.*

At bone Deus, quis poſſet ferre, quis poſſet pati hunc hominem? qui uult milites Cæſaris pugnaſſe cum Gallis, quia Galli erant eorum hoſtes legitimi & ueri: & non uult, eum qui uiolet honorem alterius, eſſe legitimum & uerum eius inimicũ? Equidem libẽter ſcirem ex eo, quæ fuerint leges illæ, quod ius, quod impulit Cæſarem ad Galliam armis ſubigendam, niſi dira regnandi cupido? O' *miſeras hominum mentes, ò pectora cæca*, quæ ne ea quidem cernunt, quæ ſole clariora ſunt. efferunt enim laudibus ad cœlum, eos qui ſummis pœnis ac ſupplicijs digni eſſent, & uolunt licere eis magna cum laude & gloria euertere urbes & prouincias, quæ nullo iure ad eos omnino pertinent.

O' ingentem immanitatem: cęcam autem huius hominis mentem, qui non ſolùm ſtatuit eos qui erant in exercitu Cæſaris, potuiſſe pugnare ſingulos cum aliquo uno eorum qui erant in exercitu Gallorum: uerùm etiam ſi qui pugnarunt, eos uehementer laudat, quaſi legitimam habuerint pugnandi cauſam, quia pro populi Rom. imperio pugnabant, qui aliorum regna ſubijcere conabatur. Et poſtmodùm exclamat aduerſus eos qui ob quietẽ ciuitatis, & ſocietatis humanæ conſeruationem permittunt in certis quibuſdam caſibus, duos, exiſtimationis & honoris ſui tuendi gratia, quando aliter fieri non poteſt, ſingulari certamine inter ſe pugnare: eoſq; immanes appellat, exiſtimans ſe ſolùm eſſe humanum & pium.

Quòd uerò ſubdit de doloſa armorum diſputatione, uidetur euertere ea quę ſuperius conceſsit, cum dixit, in his licere uti inſidijs.

Quòd præterea inquit: Sunt etiam homines adeò ſtulti, &c. dicimus ſtultum eſſe qui aliter putat. Quis enim eſt, modò ſanus, qui dubitare poſsit, quin ubi uentum eſt ad locum certaminis, ex honoris ratione is ignauè ac turpiter faciat, per quem quidẽ ſtat quo minus certetur? alter autem fortiter & conſtanter, qui paratus eſt certare, & officio honorati uiri ſatisfacere?

Illud uerò quod ſubiũgit: Quòd ſi quis bonus, planeq; fortis miles, &c. uſq; ad finẽ

ſectionis:perinde ualeat, ac ſi quis petenti à ſe pecuniam quam mutuò dediſſet, reſponderet, Aue Maria gratia plena. optimam is quidem precationem pronunciaret, ſed nihil ad mutuum reddendum facientem. Sic iſte, dum rationib. à natura & à moribus ſumptis, refellere deberet duellum, ut ſe uelle facere profeſſus eſt, concionatur & inuehitur in peccata, ſicut concionatores publici faciunt. Probandus eſt ſanè bonus eius animus, ſed non in ſcholis, ubi rationibus agitur. impleuit enim librū ſuum uerbis: ſed argumentis, quibus in primis diſſerendum erat, nihil niſi peruerſa ratione concluſit. Verùm ego etiam & in libris De honore pluribus in locis, ut Chriſtianus, duellum redargui, & in ſequentibus redarguam.

SECTIO TERTIA.

Author. At (inquiunt iſti) quid faciet honeſtus eques, atq; adeò honoratus cauallerius, qui eo non eſt animo, & reliqua.

ANT. BER. Pergit iſte concionari. eiuſmodi autem conciones nihil omnino neceſſe eſt refellere: tantùm dicimus, ex iis quæ ipſe diſputauit, non ſolùm non effici, ut præcepta magnanimitatis & fortitudinis cogant uirum honeſtum ignoſcere iniurias ſibi illatas, niſi eo modo quo dictum eſt, ut omnino impellant eum ad ſumendam uindictā. quod cum iam oſtenſum ſit, opus non eſt eadem iterum repetere.

Falſum item eſt, eius honorem qui adit magiſtratum, cum magiſtratus non uult, aut nequit de iniurioſo pœnam debitam ſumere, non eſſe uiolatum: ipſumq; ignauiæ argui non poſſe. quod cùm ex iis quæ à nobis ſuprà dicta ſunt, apertè colligitur: tum uerò ipſemet dixit, ſi magiſtratus nolit ius æquum exigere, poſſe eum qui iniuria fuit affectus, uindictam alia uia ſumere. quanquam oblitus eorum quæ dixerat, ait nunc, quòd nec iniquitas principis præbeat iuſtam peccandi, & ad duellum prouocandi occaſionem: & ſic cum ſua ipſius ſententia, ueluti ſuus eſt mos, pugnat. Ex hoc etiam ſequitur, ut concedi debeat ſingulare certamen, quotieſcunque iudex uel non uult, uel non poteſt ſumere uindictam: quia ſi bellum uniuerſale poteſt ſuſcipi propter hanc cauſam, ergo bellum ſingulare: imò multo magis, quia minus mali ſequitur ex ſingulari certamine, ut patet. Minus autem malum quin eligendum ſit, non eſt dubium. Itaq; optimè duellum conſtituit homo iſte, cum ſibi propoſuiſſet illud prorſus euertere.

Deinde multa uerba dicit ſine ulla ratione, loquens de officio magiſtratus aduerſus eos qui ſunt in eius ditione, uel extra eius ditionem. Sunt enim planè ridicula, & uidentur proficiſci ab eo homine, qui non parua actionum humanarum ignoratione laboret. Affert poſtmodùm aliud dictum, ex quo apertè ſequitur, multo melius futurum, ſi pro ulciſcendis publicis iniuriis adhiberetur ſingulare certamen. Etenim quis eſt qui nō intelligat, multo ſatius eſſe, duos ſingulari certamine pugnare, quàm ciuitates & populos ob illatas iniurias inter ſe ultrò citroq; pignora auferre, prædas facere, uel bellum indicere? Ex altero enim non amplius quàm unius uel duorum ad ſummum interitus ſequi poteſt: ex altero urbium, prouinciarum & regnorum ſumma ſequitur calamitas, atq; etiam euerſio: ſicut ex noſtris & ſuperioribus tēporibus ſæpe accidiſſe conſtat.

At quanta eſt huius hominis ſimplicitas, ſtultaq; de ſeipſo opinio, qui ſibi perſuaſit, ſe hoc ſuo libro maximum humano generi adiumentum eſſe allaturum, cum apertam perniciem, ſi homines eum ſequerentur, per imprudentiam atq; inſcitiam ipſum afferre, cuiuis perſpicuum eſſe poſſit?

Ex uerbis etiam Ciceronis quæ iſte profert, etſi ad rem parum ſint, idem ſequitur: nempe melius futurum eſſe duellum.

Præterea quæro, quare ciuitas non debeat ferre iniuriā, eamq; condonare, ſinguli autem homines debeant? nō enim apparet ratio diſſimilitudinis. Nam ſi ſit dedecori ciuitati tolerare iniuriam, cur non item dedecori erit ſingulis hominibus?

Si dicat huius rei illam eſſe cauſam, quia ciuitas non poteſt ire ad iudicem, ſinguli autem homines poſſunt. At cum magiſtratus non uult, uel non poteſt ius æquum exigere, quare debent priuati homines tolerare iniuriam ſibi illatam? Perinde eſt enim, ac ſi magiſtratus non eſſet, ſi dicat, quod ex fundamentis naturæ dici non

ci non poteſt, debere ſingulos homines propter Deum hoc facere. Quæſo cur non debeat etiam ciuitas, præſertim cum ex bello ciuitatis ſequantur tot ac tanta incommoda & detrimenta, uti ſuprà demonſtrauimus: & breuiter quicquid dixerit de ciuitate, quæ poſsit ob iniurias inferre bellum, dicam ego de ſingulis hominib. qui poſſint duello pugnare: idq; tanto magis ualebit, quanto minus malum eſt duellum, quam ciuitatis bellum, ut toties iam dictum eſt.

Iſta igitur quæ attulit, euertunt ipſius ſententiam, & confirmant noſtram. Deinde uſque in finem ſectionis perſequitur ſuas conciones, quibus nihil eſt quod reſpondeamus.

SECTIO QVARTA.

Ego uerò iniuriam paſſo, cuius honor, ut dixi, læſus non remanet, ſuaderem, ut pietatis & magnitudinis, &c. *Author.*

Optimum ſanè conſilium, ſed (ut patet ex eis quæ dicta ſunt) à philoſophiæ humanæ doctrina. quam tamen in hoc ſuo libro iſte profitetur, alienum. Illud uerò quod ſubiungit, Id tamen ſi facere nequeat, quemadmodum prudenter Mutius ait, quocunq; modo de iniurioſo uindictam ſumens, tanquam iuſtè faciens, poſt factum defendi poſſet, euertit omnino definitionem honoris: quippe qui eſt ſignum quòd aliquis beneſecerit ex uirtute: quod non poteſt fieri quocunq; modo. Virtus enim eſt certa & immobilis regula, quæ una tantùm uia ſeruari poteſt, neque ipſa uirtute (ut dictum eſt) poſſumus abuti: cæteris omnibus bonis, quamuis præſtantiſsima ſint, poſſumus. ANT. BER. " " *1. Rhet. 1.*

Quòd autem dicit illud prudenter eſſe dictum, ex hoc ſequitur, ut ſit ex uirtute: quia fieri non poteſt, ut prudentia propriè ſit ſine uirtute. ſicut uirtutes non poſſunt eſſe ſine prudentia, ex ſententia Ariſtotelis, loco in ſuperioribus citato. Quòd ſi eſt ex uirtute, ergo non eſt peccatum. at ipſe innuit eſſe peccatum, inquit enim: Mihi uerò ſi peccandum foret, laudabilior & magis glorioſa ſuccurrit uia. Sed per ipſum ſit prudenter: ergo non eſt peccatum: ergo ſuam ipſius uocem (ſuo more) euertit, neq; ſolùm pugnantia, uerùm etiam negantia aſſerit. *6. Ethic. 13.*

Quòd uerò ſubiungit, illud poſt factum defendi poſſe: uel ergo prudenter erat factum, (loquimur enim de prudentia uera) uel non. Si non erat prudenter factum, ergo neq; antè neq; pòſt defendi poteſt: quia illa quæ non ſunt prudenter facta, ſunt contra uirtutem: & quæ ſunt contra uirtutem, defendi non poſſe, nemo eſt qui dubitet, præter illos qui uitia & mala defendenda eſſe putant. Si non erat prudenter factum, ergo iſte ſecum ipſe pugnat: quippe qui dixerat, prudenter eſſe factum. Quòcunq; igitur ſe uertit, ut corruat eius ſententia neceſſe eſt.

Dat deinde homo conſulendi peritus, conſilium ei qui fuit iniuria affectus. quod ne puer quidem daret. Quis enim non putat melius futurum eſſe, ut qui iniuria ſit affectus, uocet iniurioſum ad ſingulare certamen, quàm ut tyrannum interficiat, cuius interficiendi rarò facultas datur, nec ſine maximo quidem uitæ periculo? & ſæpenumero interfici non poteſt, ſine totius ciuitatis, uel prouinciæ, uel regni euerſione. ô plenum prudentiæ conſilium, ô acutum hominis iudicium, aptum maximè ad res gerendas: qui ut ne unus, uel duo periculum mortis ſubeant, iudicauit eius uitã qui iniuria fuit affectus, manifeſtiſsimæ morti obijciendam eſſe, quæ cum uniuerſæ ciuitatis pernicie coniuncta ſit, ſicut ſæpenumerò accidiſſe conſtat. Dicat mihi præclarus iſte conſultor, ſi rex Turcarum eſſet unus ex ijs quos ſuadet eſſe interficiendos, quonam pacto poſſet ille qui iniuria fuit affectus, illum interficere? O rem ridiculam Cato, & iocoſam, Dignamq; auribus & tuo cachinno.

Miſſum etiam facio, quòd is hac uia non ſatisfaceret honori ſuo: quia non oſtenderet ſe eſſe hominem naturaliter bene cõſtitutum, & fortem, ſicut iniurioſus: quod neceſſariò oſtendendum erat.

Præterea hoc eius conſilium apertè aduerſatur beato Paulo, qui præcepit: Eſtote ſubditi principibus ueſtris, etiam dyſcolis. & tamen profitetẽ ſe maximè Chriſtianũ.

Item quòd ait, ſingulare certamen à ſapientiſsimo quoque eſſe improbatum: præterquam quòd hoc falſum eſt, repugnat etiam eis quæ ante dixit, ubi poſuit, aliquando fuiſſe conceſſum, multisq; id exemplis comprobauit.

Si uerò dicat, non fuiſſe conceſſum niſi quoddam eius genus: ut oſtenſum fuit in 1.lib. omnia eſſe unius generis. Et ſi etiam eſſent diuerſi generis, ſi per ipſum conceſſum eſt illud quod minimè concedi oportuit, quippe quod erat ſine cauſa: ergo multo magis concedendum fuit, quod erat cum optima cauſa.

Quòd uerò ait, Occidere tyrannum non eſſe per ſe malum, pręſe fert ignorationẽ eius quod eſt per ſe malum, & non per ſe malum. in hunc enim errorem non incidiſſet. Sed probemus nos, eſſe per ſe malum. Illud, quo melius eſſet ciuitatem & homines non indigere, eſt ex ſuppoſitione bonum.

7.Polit.13. Propoſitio iſta eſt Ariſtotelis, qua probauit, pœnas quæ infliguntur hominibus ex iure & legibus. non eſſe ſimpliciter bonas, ſed ex ſuppoſitione, ut iam diximus. Sed interficere tyrãnum, eſt ex illis quibus melius eſſet ciuitates & homines non indigere. Hęc per ſe notiſsima eſt. neq; enim in dubium uenire poteſt, quin melius fuiſſet ciuitatẽ eo non indigere, ut interficeretur tyrãnus: meliusq; cum ea actum fuiſſet, ſi habuiſſet uerum regem, qui iuſtè ipſam gubernaret. ex illa enim cæde neceſſe eſt ut multa ſequantur incommoda. Ergo interficere tyrannum eſt ex ſuppoſitione bonum. Sed illud quod eſt ex ſuppoſitione bonum, eſt ſimpliciter & ex natura ſua malum: quia ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis. Interficere autem tyrannum eſt ex ſuppoſitione bonum, ut probatum ẽſt: ergo ſimpliciter & ex

2.Ethic.6. natura ſua, & per ſe (idem enim ſunt) eſt malum: ut etiam patet ex 2.Ethic.cap.6. ſuperius citato. Sed iſte dixit, non eſſe per ſe malum: ergo præ ſe fert ignorationem eius quod eſt per ſe malum. Vel non eſt per ſe malum: ergo falſum eſt quòd interficere tyrannum ſit minus malum, quàm ſingulare certamen: ambo enim ſunt ſimpliciter mala. Ergo ſi conceditur interfectio tyranni, quia ſit minus malum: multo magis erit concedendum ſingulare certamen, ob eandem cauſam, quia ipſum minora (ut dictum eſt) ſequuntur incommoda & pericula. Ex uerbis igitur iſtius hominis ſequitur, ſingulare certamen eſſe omnino concedendum: quod ipſe conatus eſt penitus tollere.

Item conceditur per ipſum interfectio tyranni ob aliquam cauſam, & ob aliquam non conceditur: ergo non eſt per ſe & propriè bonum, quia ſemper concederetur: ergo erit per ſe & propriè malum, quia non per ſe bono opponitur per ſe malum: ergo ſi conceditur, cõceditur ut minus malum, & in comparatione bonum, ut dictum eſt à nobis & ſuprà, & in libris De honore. Quare ſi interfectio tyranni conceditur aliquando, concedetur etiam aliquando ſingulare certamen.

Ponit ergo eſſe duellum aliquando, quod omnino euertere ſibi propoſuerat: ita enim ſequitur ex eius uerbis. Exempla uerò de Philippo, de Pauſania, de Tatio Sabino, de Ioanne Andrea Lamponiano, & de Traiano Imperatore, perſpicuè oſtendũt, eum ſcripſiſſe hunc librũ, ut ſolùm oſtenderet ſe legiſſe multas hiſtorias, quippe quæ nihil ad rem noſtram faciunt. Quid enim attinet commemorare hoc in loco eos qui tyrannos interfecerunt? quæ res nihil ad eum honorem pertinet, de quo nos loquuti ſumus. Etenim iſti non illud egerunt honoris ſui recuperandi gratia, neq; ut oſtenderent ſe eo qui iniuriam intuliſſet eſſe fortiores, uel æquè fortes.

Item ex eis quæ ſubiunxit, Quòd ſi princeps non quidem prauitate animi, ſed impotentia & debilitate impeditus, &c. efficitur omnino dari aliquando ſingulare certamen, quod ipſe uolebat tollere. nihil enim intereſt eius qui læſus eſt, utrum prauitate animi princeps, an impotentia & debilitate impeditus opem nolit impartiri. nam ſatis eſt ſi non impartiatur, quocunque modo id accidat: quia ſi licet per iſtum ei qui iniuria eſt affectus, prouocare ad duellum in uno caſu, licebit etiam in alio, quod ad hoc attinet, ſiue nolit princeps eius honori conſulere atque proſpicere, ſiue non poſsit.

SECTIO QVINTA.

Auctor. **Iam, ut puto, ex eis quæ dicta ſunt abundè probatum eſt, duellum honori tuendo neq; neceſſarium, & reliqua.**

ANT. BER. SAtis oſtenſum eſſe arbitror in ſuperioribus, quantum iſte decipiatur, qui putat ſe probaſſe ſingulare certamẽ honori tuẽdo neq; neceſſariũ neq; idoneũ eſſe, cũ ex,

eius

eius probationibus oſtenderimus ſequi omnino contrarium. Demonſtrauimus etiã falſum eſſe, quòd ſingulare certamen non probet ueritatem uel falſitatem rei de qua agitur, ſed ſolùm hunc uiciſſe, illum uictum eſſe: quia ſæpe contingat eum ſuccũbere, qui cauſam habet iuſtiorem: quoniam ex hoc ſequeretur, ut neq; etiam cruciatus qui infliguntur hominibus per leges, probarent ueritatem uel falſitatem, ſed ſolùm hunc uictum eſſe à pœna, utpote confitentem: & illum non uictum, utpote non confitentem. etenim ſæpe contingit, eum ſuccumbere in pœna qui omnino eſt innocens. Quòd ſi ratio iſta euerteret duellum, euerteret etiam (ut diximus in ſuperioribus) ipſas leges: atq; eo quidem magis, quòd (ut inquit Ariſtoteles, loquẽs de cruciatibus) Homines coacti ab illis non minus dicunt falſa quàm uera: & cum tolerant, uera occultant: tum falſa dicentes, credunt ſe citius euaſuros. Et tamen leges admittunt eos: itaq; minus ualent cruciatus ad ueritatem exprimendam atq; eliciendam, ut idoneas probationes ad necandos homines: ergo etiã debent admittere ſingulare certamen. Attulimus præterea in ſuperioribus alia incommoda, quæ ſequuntur opinionem iſtius, quæ neceſſe non eſt hoc loco repetere. 1.Rhet.ult.

Iis item omnibus quæ ſubiungit, uſq; ad finem ſectionis, nos in lib. De honore remedia tradidimus: quæ ſi cogitaſſet, non cõſumpſiſſet hic fruſtra tot uerba. Neq; uerò diximus, duellum poſſe omnibus inſidijs & falſis teſtibus occurrere, neq; omnes illi ſubiectos eſſe: ſed eos maximè qui profitentur artem militarem, uel qui ſunt idonei ad arma ferenda. Atque eius rei reddita eſt ratio in lib. De honore. Quòd ſi hoc quod dicit euerteret duellum, euerteret etiam leges & magiſtratus: quippe cum non poſsint omnibus occurrere. Non enim rebus occultis occurrunt neque illis cauſis quæ non habent idoneas probationes. Solus enim Deus eſt ille, qui ſi uult poteſt punire in hoc mundo omnia ſcelera. Sed neque uirtus, neque lex humana poteſt hoc efficere: neceſſe eſt enim ut multa ſcelera in hoc mundo ſint impunita. Sed ſatis eſt quòd homines inuenerunt ea remedia, quæ humanitùs inuenire potuerunt: ut quantum eſſet in ipſis, omnia ſcelera punirentur. Quòd ſi non fiat ſemper, hoc non prohibet, quin ea remedia quæ inuenta ſunt poſsint aliquando eſſe bona, ut ſæpiſsimè ſunt: neque ob id tolli debent, quia non ſint idonea ad omnia: hoc enim eſt diuinæ, non humanæ potentiæ. Si ergo oporteret tolli ſingulare certamen, quia cum omnibus non poteſt fieri, neque eſt idoneum medium: non uideo quin debeant tolli etiam leges & magiſtratus, quia nõ poſsint in omnibus rectè cauere & ius æquum exigere. Nihil ergo eſt quod dicit iſte de hac imperfectione ſingularis certaminis: non repugnat enim rationi, ut detur unum aliquod remedium, quod proſit uni generi hominum, & non alteri: ſicut non eſt improbanda ac reijcienda medicina, quia non proſit omnibus hominibus, ſed ſolùm cholericis uel flegmaticis, & huiuſmodi. neq; etiam leges proſunt omnibus, ſed eis ſolùm, quibus accidit habere controuerſias & cauſas quæ in ipſis continentur, & tamen non ſunt ob hoc imperfectæ ac reijciendæ.

SECTIO SEXTA.

Nunc tempus uidetur eſſe, ut propoſitis antea contradicentium argumentis ordine reſpondeam, & quæ ſequuntur. Auctor.

CVm in ſuperioribus oſtenderimus, omnia ferè quæ dicit in hac ſectione, à ueritate abhorrere, & reſponſionem quam ait ſe dediſſe, uanam eſſe: nihil eſt cur eadem nunc repetamus, ſed arguamus iterum ſic: ANT. BER.

Si duellum tolli debet ob eam cauſam, quòd homines debent ire ad magiſtratus: & qui non eunt, ſunt praui: ergo leges etiam & magiſtratus, & ars militaris tolli debent, quia homines deberent uiuere ex uirtutibus: & qui non ita uiuunt, ſunt praui. quòd ſi uiuerent ex uirtutibus, nihil omnino opus eſset legibus, & magiſtratibus, & arte militari: ſicut declarauit Ariſtoteles multis in locis, ſed maximè in fine ultimi Ethic. & nos in lib. De honore multis Ariſtotelis auctoritatib. probauimus, multiſq; rationibus, quibus nihil iſte reſpondet. Leges enim & magiſtratus, & ars militaris, ſunt propter prauos homines, qui nolũt uiuere ex uirtutibus. Ex quo efficitur, etiam duellũ eſse ꝓpter prauos homines, Sũt ergo omnia huiuſmodi neceſsaria ꝑ accidẽs, 10.Ethic.11.

& bona

3 Rhet. 1. & bona per accidens, ſicut dixit Ariſtoteles 3. Rhet. cap. 1. de elocutione præcepta
» traditurus. eius autem hæc ſunt uerba: De elocutione tardius acceptum, uideturq;
» parum honeſtum eſſe ſi bene examines Sed tamen cum Rhetorica eiusq; perceptio
» opinionem ſpectet, non quòd rectè ſe habeat, ſed quia neceſſarium, habenda eſt cu-
» ra. Iuſtum enim eſt nihil plus in oratione quærere, quàm ne aut dolore aut uoluptate
» afficias. ita cum iuſtum eſt ipſis rebus certare, cætera præter ipſas demonſtrationes
» ſuperuacanea ſunt. Veruntamen multum faciunt, ut dictum eſt, propter auditorum
» prauitatem.

Sunt ergo concedenda multa propter prauitatem hominum, quæ non ſunt neceſſaria ſimpliciter: ut leges, & magiſtratus, & alia quæ non ſunt bona ſimpliciter, & iuſta ſimpliciter.

Ita dicimus de duello, quòd non eſt bonum ſimpliciter, neq; iuſtum ſimpliciter: eſt tamen bonum aliquando, & iuſtum in comparatione, propter prauitatem hominum, ſicut bellum uniuerſale eſt iuſtum hoc modo. (8. Rhet. 5.) Conſentit igitur Ariſtoteles, quòd detur, licet ſit malum: quia ipſe admittit multa mala, & docet ita fieri propter prauitatem hominum: quippe qui maiori ex parte iniuria afficiunt alios, cùm propter alias multas cauſas, tum uerò maximè ut cæteris antecellere uideantur. ad quorum inſolentiam reprimendam, inter cætera remedia datur ſingulare certamen. & hoc ſanè quotidie uſuuenit, ut multi ab iniuria temperent, ne prouocetur ad ſingulare certamen. atq; hoc eſt quod nos uoluimus dicere in lib. De honore.

Item, ſi homines nolunt ire ad magiſtratum, & hoc inſitum eſt in animis ferè omnium, ut uelint ipſi per ſe uindictam ſumere de iniurijs ſibi illatis, quid agendum eſt? eſt'ne permittendum id quod multis in locis accidit, ut inteſtinas inimicitias & odia exerceant, ſeq; mutuò interficiant, atq; uniuerſam ciuitatem perturbent, ac demùm euertant? non'ne melius eſſet, iam à principio duos inter ſe ſingulari certamine rem decernere, omniq; controuerſiæ ac ſimultati finem imponere? Hoc uerò eſt quod à nobis diſputatur in lib. De honore: in quos homo iſte ad pauca reſpiciens, tam acerbè inuehitur, eosq; uocat blaſphemijs plenos. noſtra autem hęc ſunt uerba: Dunque
» alla città è utile, cioè minor male permettere il duello, perche non coſtumandoſi hog
» gi, & eſſendo preſſo che uiltà riputata fra nobili il ricorrere à i magiſtrati per le ingiu
» rie riceuute, per hauer uoluto l'ingiuriatore far proua del ualor ſuo, con quello dell'
» ingiuriato, è non deuendoſi ſofferire le ingiurie, per eſſer coſa, come dice Ariſto.
» dà huomo timido, è dà puoco il ſofferirle, ſenza uendicarſene, l'ingiuriato dunque
» deue racquiſtar l'honor ſuo per uia di duello, acciò che la città non uada in rouina,
» altrimenti gli parenti di lui uerrebbero eſsi anchora à ſentire di quella ingiuria, per
» l'auctorità d'Ariſto. ſopra addutta, & ſucceſsiuamente tutta la città diſturbata,
» la qual coſa accio che non ſegua, molte uolte è meglio permetter il duello, nel qua-
» le adoperãdo ſe il ualore proprio, ceſſano tutte le nimicitie, & perciò dalle città ben'
» ordinate, il duello deue eſſer conceduto.

Hoc igitur dicere non eſt (ut calumniatur iſte) blaſphemia: ſiquidem fit communis boni & quietis cauſa, & ut maius euitetur malum. ſicut faciunt magiſtratus, qui ſuſpendio fures puniunt, quæ electio eſt mali electio, ne omnes furentur. Duo oporteret faceres, ô bone uir: alterum, ut magiſtratus & leges poſſent punire omnia ſcelerum genera: alterum, ut perſuaderes hominibus, ut propter acceptas iniurias irent ad magiſtratus. quæ cum facere non poſsis, non potes etiam facere ut ſingulare certamen tollas. Et ſi uis admonere priuatos homines, ut eant ad magiſtratus: cur etiam non admones Imperatores & reges, quos maximè deceret ex legibus uiuere, nec bellis & diſcordijs totum orbem terrarum euertere, ut uelint iure & legibus diſceptare, non armis, quibus tot uniuerſæ Chriſtianæ reipublicæ incommoda & detrimenta afferant: præſertim cum fieri commodè poſsit, ut ex iure & legibus eorum controuerſiæ decernantur & componantur. quandoquidem maiori ex parte non de ignauia & prauitate ipſorum, non de fide occulta, nõ de diſpoſitis, ſed de urbium & locorum poſſeſsione, deq; principatu & imperio inter ſe contendant: quæ quidem legibus decerni poſſe conſpicuum eſt.

Quod ſi dicas bellum iſtorum eſſe iuſtum, quia non poſsint cogi à magiſtratibus: ergo erit iuſtum etiam ſingulare certamen, cum ſinguli homines cogi non poſſunt

à ma-

à magiſtratib. uel quia deſunt probationes, uel ob aliquã aliam cauſam. Eſt enim eadem ratio: quandoquidem neutrũ eſt bonum ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, poſita ſcilicet hominum prauitate: tãtum'que abeſt ut non ualeat de ſingulari certamine, ſi ualet de uniuerſali, ut multo magis ualere debeat de ſingulari certamine, propterea quòd ex eo ſequuntur minora mala, ut & ſuprà oſtenſum eſt, & ipſum per ſe ſatis patet.

Cum igitur ex uerbis tuis efficiatur, ut Imperatores & reges exiſtant iniqui & impij homines atq; immanes, quippe qui prorſus abijciant obedientiam tum diuinarũ tum humanarum legum, nec uelint controuerſias & lites ſuas ad legum diſceptationem & iudicium reuocare, ſed ut libidine & cupiditatibus ſuis ſatisfaciant, omnia ui & armis perturbant atq; euertunt: cur iſtos non accuſas ô bone uir? qui non modò hoc non facis, ſed eis omnia concedis: & laudas Cæſarem, uisq; ab eo peti exemplũ bene uiuẽdi, cum nullus unquam Imperator, neq; dux, plures iniuſtè interfecerit homines, & plures urbes & regiones depopulatus ſit, quàm ipſe. Quo enim iure patriã ſubegit? quid iuris obtinebat in Galliam, & in alias prouincias, contra quas bellum geſsit, easq; in poteſtatem & ditionem ſuam redegit? At uerò, quanto in errore uerſaris, concedẽs licuiſſe militibus in exercitu Cæſaris ſtipendia merentibus pugnare ſingulos cum ſingulis hoſtibus: negans autem, qui fuerit accuſatus proditionis, neque habeat aliam uiam oſtendendi ueritatem, non poſſe eum armis tueri exiſtimationem ſuam contra illum, præſertim qui profiteatur artem militarem? Opinio ſanè ridicula, ac planè explodenda. An licuerit militibus Cæſaris, etiam ſine cauſa prouocare ad ſingulare certamen, unum aliquem hoſtium, contra quos bellum iniuſtè gerebant: non licebit cuiquam honorem ſuum armis iuſtè defendere contra eum qui ſe eius criminis accuſauerit, quod unum ex omnibus maximum eſt, ut melius ſit millies mori, quàm in crimen proditionis, aut etiam in ſuſpicionem uocari?

Præterea, ſi ſub ſpecie uitandi mali exempli non eſt peccandum: ergo non eſt interficiendus princeps, qui non exigat debitas pœnas, contrà quàm tu aſſeris, de aliquo iniurioſo.

Probatur conſequentia: quia peccat qui principem interficit: eſt enim electio mali, ergo peccatum, quandoquidem omne malum eſt peccatum.

Item, ſi eadem ratione liceret unicuiq; interficere principem, qui non uideretur ſibi ius æquum tribuere: ergo omnes principes interfici deberent.

Probatur conſequentia: quia nullus eſt tam bonus princeps, qui non uideatur alicui ius æquum ſibi non reddere. Propria enim utilitas peruertit iudicium: ergo omnes principes ex tua ſententia interfici deberent. Sed hoc eſt abſurdiſsimum, quia multi reperiuntur boni & iuſti principes: ergo & id unde emanat, tua uidelicet iſta opinio.

Item, illud eſt maius malum, quod conſequuntur plura & maiora mala: at cædem principis conſequuntur plura & maiora mala, quàm ſingulare certamen, ut ſatis conſtat. ergo cædes principis facta propter iniuriam ab altero ſibi illatam, eſt maius malum. Sed tu concedis illud. ergo magis debes concedere ſingulare certamen, quod eſt minus malum, & per conſequens magis eligendum. ex quo ſequitur, ut falſum ſit, quòd qui illud eligat peccet: quia ſi res ita ſe haberet, proijcere merces in mare eſſet peccatum: pœnę & cruciatus quibus torquentur homines, eſſent peccata. ſunt enim minus malum, nõ enim ſunt bona. Melius enim eſſet hominem & ciuitatem non indigere proiectione mercium in mare, & pœnis illis & cruciatibus.

Item, minus malum eſt ueluti bonum, habet enim rationẽ boni: ergo non eſt peccatum. ergo ſingulare certamen non eſt peccatum, ſecundũm philoſophiam moralem, cum ſit minus malum.

Perſpicuum eſt etiam ex dictis, falſum eſſe quod dicit. Sic igitur minus malum fruſtra conſideratur, quòd utrunque malum commodè ac iuſtè caueri aut ſedari tolli'ue poteſt: negamus enim, quòd iniuria quæ eſt malum, & ſingulare certamen quod eſt malum, poſsint ſemper commodè & iuſtè caueri tolli'que. & hoc oſtenſum eſt in ſuperioribus.

Quòd uerò addis, cauſam argumenti eſſe falſam: iam demonſtratum eſt eam eſſe ueram, itemq; reliqua quæ dicis eſſe falſa: ideo non opus eſt eadem repetere.

m Quòd

Quòd deinde ais, Reliqua duo argumēta, &c. eſſe ineptiora: In eo uerò te ipſum omnium ineptiſsimum eſſe non intelligis: quippe cum demonſtratum ſit, magiſtratus & leges non poſſe ſemper hoc præſtare quod dicis: neq; tu rationes diſſolueris, quibus illud demonſtrabatur.

Quæ poſtea perſequeris uſq; ad finem ſectionis, ſunt uerba, & nihil ad rem: iamq; refutata ſunt, & exploſa.

SECTIO SEPTIMA.

Auctor. His demonſtratis & determinatis, per quæ (niſi fallor) & reliqua quæ ſequuntur.

ANT. BER. EX ijs quæ in ſuperioribus dicta ſunt à nobis, & ex eis quæ iſte ipſe dixit, perſpicuè patêre arbitror, quòd ait planum eſſe factum, ſingulare certamen eſſe rem neq; honeſtam, neq; neceſſariam, neq; utilem, repugnare rationi & ſibijpſi. itaq; nihil eſt quod præterea reſpondeamus.

Declaratum item eſt in libris De honore, quòd actor debet probare, ſe non eſſe proditorem, uel non commiſiſſe aliud facinus quod uiolauerit ſuum honorem: reus uerò ſuſtinere, uerè ſe obiecisſe illi quod obiecit. Ridiculum igitur eſt quod ait iſte, (Sed qui propoſitū probet, nemo adhuc exiſtit, neq; poſthac exiſtet.) Nam quomodo dictum eſt, in iudicio oportere actorem probare reo: eodem modo in ſingulari certamine probari poteſt. nihil enim, quod ad hoc attinet, inter ipſa intereſt. Sed hæc non indigent probatione: perſpicua enim ſunt, & in aperto poſita, neque ullam confirmationem deſiderant. Qui uerò naturam actoris & rei tenet, non poteſt hoc ignorare. Sed qui putat eundem ſemper eſſe prouocatorem & actorem (ut putat iſte) eum decipi ex ijs facilè intelligitur, quæ in libris De honore diximus. Oſtendimus enim, non in omnibus conuenire ſingulare certamen cum iudicio forenſi, ſed in quibuſdam. Sed quomodocunque ſit, id parum refert. ſatis eſt, quòd ſingulare certamen habeat regulas firmas & ſtabiles, ſicut habet iudicium ciuile. proficiſcuntur enim ambo ex ui honoris, ut dictum eſt ſuprà, & ex natura iniuriarum.

Quòd ſubiungit, Omnes duelli ſcriptores, &c. uerba ſunt, nihil'que omnino afſert, quod ad rem pertineat. Si etiam duellum compararetur cum iudicio, parum refert: dicendum eſt enim, quòd in duello ſunt eadem quæ in bello uniuerſali, quia eſt is qui debere exiſtimatur, nempe reus: & is cui debetur, uidelicet actor. atque in hoc tantùm ſunt ſimilia ſingulare certamen & ciuile iudicium. Iudex uerò eſt Deus, & ueritas. Qui uincit, non indiget iudice, quia non eſt dubium de uictore. etenim uulnera & mors per ſe patent. Iſte conſumit multa uerba ſine cauſa, quare ſatis ſit hoc reſpondiſſe: reliqua enim ſunt ſuperuacanea.

Dicere poſtmodùm (quòd idoneus iudex, ſiue competens, &c.) eſt prętęr rem loqui, & inania aſſerere. Etenim quis dubitat, poſſe dominos locorum dare loca tuta, ſicut dant quotidie, & debent in aliquibus cauſis dare: ut declaratum eſt in libris De honore, ubi diximus, leges bonas debere concedere aliquando ſingulare certamen, ſicut concedunt bellum uniuerſale. Quòd ſi nō concedunt bellum uniuerſale, neque poteſt concedi: fatemur nos, etiam non poſſe concedi ſingulare certamen. At perſpicuum eſt, leges concedere aliquando bellum uniuerſale ut iuſtum: ergo neceſsitas cogit, ut concedant etiam aliquando ſingulare certamen ut iuſtum. Quòd ſi quæ concedant primum, & non alterum, ſequitur, ut non rectè conſtitutæ ſint. & hoc eſt in controuerſia poſitum, quod iſte accipit pro confeſſo.

Quòd uerò addit, Tantum uerò abeſt ut ipſis inferioribus, &c. omnino euertit ipſius ſentētiam. Nam ſi ſingulare certamen eſt iure diuino interdictum, & non poteſt permitti neq; ab Imperatoribus, neq; à Pontifice, ut ait ipſe, niſi ſubeſt cauſa: ergo cum ſuberit cauſa, permitti poterit, ut permiſit Martinus papa. Ergo ſingulare certamen, etſi repugnet iuri diuino, fuit aliquando tamen permiſſum: quod ipſe negauir ſuprà.

Si uerò dicat, eſſe permiſſum ob quietem & bonum publicum: ergo etiam ob hāc cauſam in lib. De honore diximus permitti debere. & ſic iſte idem aſſerit quod ego, cuius tamen ſenteatiam impugnare conatur.

Item

Item, Singulare certamẽ uel eſt uera probatio, uel non eſt. Si eſt, ergo à te ipſe diſſentis, quippe qui ſuprà ſexcentis in locis negaſti eſſe ueram probationem. Si nõ eſt, ergo fruſtra conceſſum fuit à Martino Papa: quia ex illo non potuit colligi ueritas, utrius eſſet regnum Siciliæ, pro quo certabatur, ſed ſolùm uter ipſorum eſſet uictor, uel uictus, ut tu in ſuperioribus dixiſti. Sed hoc modo probaſti, ergo uitioſè probaſti: itaqꝫ reprehendendus es.

Item, Si non eſt uera probatio, non erit legitimum: propterea quòd probationes quæ lege permittuntur, neceſſe eſt ut ſint ueræ probationes: quia falſas probationes non admittit lex uera, hoc enim eſſet abſurdiſsimum.

Falſum item eſt, quòd talis euidens cauſa non poſsit reperiri in priuatis cõtrouerſijs: quia ſæpe accidit, ut ciuitates, atqꝫ adeò totas prouincias maximè uexarent, atqꝫ etiam euerterent priuatorum controuerſiæ & inimicitiæ. ut conſtat de Piſtorio urbe Ethruriæ, de Romandiola & Longobardia, & de multis alijs ciuitatibus, oppidis & prouincijs. Cum ergo tot & tanta incommoda & detrimenta naſcantur ex priuatorum controuerſijs, & ſint perſpicua: ergo melius fuiſſet in illis locis, ut permitteretur ſingulare certamen.

Conſequentia patet: quia eadem eſt cauſa, qua Martinus impulſus conceſsit ſingulare certamen inter duos illos reges.

Item, Si eſt prohibitum iure diuino, & tamen cum iuſta eſt cauſa permitti poteſt: ergo multo magis erit permittendum, ſi erit prohibitum legibus humanis. Vide igitur quantum profeceris, cum oſtendiſti legibus humanis eſſe prohibitum.

Item, Si eſt prohibitum legibus tum humanis tum diuinis, & tamen aliquando poteſt concedi: ergo ſimpliciter & abſolutè non erit prohibitum, alioquin nuſquam eſſet permittendum. Quæ enim uniuerſaliter prohibentur, nunquam concedi poſſunt: quia ſi in aliqua cauſa concederentur, non eſſent abſolutè prohibita. Sed exclamaſti ſuprà, quòd erat prohibitum legibus humanis, diuinis & moralibus: ergo ut propriam uocem ignores neceſſe eſt.

Præterea quòd ais, non ualere argumentum à iuſto bello ſumptum, quia iuſtum bellum indici ac geri diuinæ etiam leges permittunt: euertitur ab eo quod ſubiunxiſti, ut oſtenderes ſingulare certamen permiſſum non eſſe iure diuino, argumentans hoc modo: Hominem interficere nefas eſt: ergo ſingulare certamen eſt prohibitum, quia per ipſum poteſt perueniri facile ad hominis necem.

Nam contrà ego eadem ratione ſic argumentor: Hominem occidere eſt iure diuino prohibitum, ergo & bellum uniuerſale: atque eo quidem magis, quia per ipſum poteſt perueniri ad infinitas hominum cædes. Si dicas id non ualere, quia ponitur bellum iuſtum: ergo illud mandatum, Non occides, quo prohibetur hominis cædes, non eſt accipiendum ſimpliciter, ſed ut ne occidatur iniuſtè. At tu accepiſti uniuerſaliter: aliter enim nihil faceret ad rem. ergo ſententiam tuam conuellis. Etenim ego etiam ponam, ſingulare certamen eſſe iuſtum: quia fieri poteſt ut alter eorum qui pugnant, habeat iuſtam cauſam.

Item cum argumentaris, Omnis actus eſt iure diuino prohibitus, per quem Deus tentatur: tunc autem tentatur Deus, cum tentat quis ad aliquid peruenire quod produci non poteſt, niſi fiat per miraculum. Per duellum autem quæritur ut uincat non abſolutè ualidior, quod eſt naturale, ſed iuſtiorem cauſam habens, etiamſi minus ualidus ſit. Sic igitur tentatur Deus, ut fiat miraculum contra naturæ ordinem.

Contrà ego ſic argumentor: Omnis actus eſt iure diuino prohibitus, per quem Deus tentatur: tunc autem tentatur Deus, cum tẽtat quis ad aliquid peruenire quod effici aut produci non poteſt niſi fiat per miraculum. Per bellum autem uniuerſale iuſtum quæritur, ut uincant non abſolutè ualentiores, quod eſt naturale: ſed iuſtiorẽ cauſam habentes, etiamſi minus uirium habeant. igitur per bellum uniuerſale tentatur Deus, ut faciat miraculum contra naturæ ordinem: ergo ex tuis uerbis ſequitur, ut bellum uniuerſale ſit prohibitum iure diuino, ſicut ſingulare certamen. Sed ſuperius dixiſti contrarium: ergo pugnantia aſſeris, quod turpiſsimum eſt.

Quòd autem per bellum uniuerſale quæratur, ut non abſolutè firmiores ac ualentiores, quod eſt naturale, ſed iuſtiorem cauſam habentes uincant, perſpicuè

patet: quia non eſſet iuſtum bellum uniuerſale. Si ergo ponatur iuſtum, ut quæratur quod diximus neceſſe eſt.

SECTIO OCTAVA.

Auctor. Iuris autem ordinem in duello non ſeruari, ſatis probatur ex eo, quòd ordo iuris eſſe non poteſt, &c.

ANT. BER. QVæ affert homo iſte in hac ſectione, ſunt omnino aliena à cauſa noſtra, quia in ſingulari certamine utrum ſeruetur is ordo qui in iudicio adhibetur, nec ne, parum refert. Sed illud ſatis eſt, quòd omnia quæ fiunt in eo, nituntur optima ratione, quemadmodum in libris De honore ſatis à nobis explicatum arbitramur: contra quem locum nihil iſte, cum tot uerba fecerit, diſputat: cum tamen maximè diſputandum eſſet, ſi ei propoſitum erat infringere illum ordinem. Non enim profeſsi nos ſumus tradere ordinem ſingularis certaminis ex legibus Iuſtiniani, atque Imperatorum: ſed ex legibus naturæ, quæ ſunt eis longè priores, & fortaſſe in aliquibus cauſis firmiores, ſi ipſis repugnant: quod non concedimus. Sed iſte tantum uerborum conſumpſit, ut impleret librum, & ut oſtenderet ſe optimè tenere ordinem iuris, & multa legiſſe: totusq; eius liber uidetur nihil quidem aliud ſpectare, niſi ut is multa legiſſe uideatur: ſed apertè demonſtrat, eum pauca admodum rectè intellexiſſe.

Quòd autem loquitur de iudice, iam declaratum eſt, quis ſit iudex ſingularis certaminis, & quo'nam id iudice indigeat: quia uulnera, cædes, fuga, & alia huiuſmodi conſpicua ſunt omnibus. rarò enim in controuerſiam cadit, unus'ne fuerit ab altero uulneratus, fuerit occiſus, fugerit, nec'ne. Diſceptatio omnis utplurimùm naſcitur de armis, quæ diſſoluitur à peritioribus qui adſunt.

Falſum enim eſt, quòd actor eligat iudicem: & falſum eſt, quòd actor ſit idem qui prouocator, ut oſtenſum fuit in libris De honore, ubi pluribus egimus de toto hoc genere iudicij: ad quem locum, quoniam iſte non diſſoluit rationes noſtras quas ibi de hac re attulimus, rem totam reijcio.

Quòd uerò inquit, Quòd actor elegit locum, & hoc eſt contra ordinem iuris: dico quòd optimè, mea quidem ſententia, inſtitutum eſt, ut reo daretur armorum electio, ſicut declarauimus in quinto libro De honore: ſiquidem rationi conſentit, ut unuſquiſque primo aſpectu exiſtimetur bonus, propterea quia rationi etiam conſentit ut unuſquiſque exiſtimetur rectè natura conſtitutus. Etenim quantum poteſt in hoc laborat natura, ut homines ſint ita affecti, ut ipſam imitari poſsint: quemadmodum conſentaneum eſt effectum imitari cauſam. omnino autem id facere nequeunt homines, niſi ſint natura rectè conſtituti.

Probl. ſect. 29. probl. 13. Rationi igitur conſentit, præter etiam illa quæ dicit Ariſtoteles, quæ fauent reo, quæ aliqua ex parte in idem recidunt, ut primo aſpectu unuſquiſq; exiſtimetur bonus. quod cũ ita ſit, neceſsitas cogere uidetur, ut cum aliquis accuſatur alicuius neſarij ſceleris, exiſtimetur iniuſtè accuſatus. quare ut homines abſtinerẽt à falſis calũnijs, cum uiderent meliorem armorum conditionem reo conuenire, ob hanc fortaſſe cauſam electio armorum fuit data ipſi reo (loquimur enim de his quæ hucuſque facta ſunt) locus autem actori, qui cogitur repetere quod ſibi eſt ablatum, & probare illud eſſe ſuum. nam quoniam rei eſt fugere, ex uulgata omnium opinione, & ex ipſa ratione, actoris autem perſequi: fieri potuiſſet, ut reus ſui excuſandi cauſa diceret, ſe non poſſe inuenire locum tutum ad pugnandum, quod etiam ſæpe eſt difficile: & ita actori non daretur uia acquirendi quod ſibi ablatum fuiſſet.

Ita igitur non ſine probabili ratione inſtitutum eſt in ſingulari certamine, ut electio armorum ſit rei: loci uerò, actoris. licet quandoque nonnulli poſsint his abuti: ut fit, cum aliquis alterum contumelia idcirco afficit, ut ipſe efficiatur reus. tamen hoc non prohibet, quin huiuſmodi inſtitutio ſit rationi conſentanea & bona, ex ui

1. Rhet. 1. & natura ſua: quandoquidem (ut dictum eſt in ſuperioribus) ex ſententia Ariſtote-
,, lis fieri poteſt, ut utamur iniuſtè omnibus bonis præter uirtutes: & maximè præſtan-
,, tiſsimis, ut diuitijs, ſanitate, robore & imperio: non tamen ex hoc ſequitur, ut non ſint bona.

Reſponſio

Reſponſio autem quam inducit contra rationem noſtram, infrà à nobis non magno admodum negocio (ut opinamur) refelletur. Alia igitur eſt ratio ciuilis iudicij, alia ſingularis certaminis. Non ergo opus eſt ut iſte tantopere exclamet, quia iuris ciuilis ordo & forenſis non ſit ſeruatus: hoc enim concedimus. Etenim conſentit rationi, ut res diuerſæ diuerſos habeant ordines. Velle poſtmodùm arguere, quia hoc non habet ordinem huius, ergo non habet bonum ordinem: eſt præ ſe ferre ignorationem ordinum ipſarum rerum. Non enim omnia eodem traduntur ordine: quippe cum non eaſdem habeant naturas & proprietates: quādoquidem ita perſpicuum eſt, ut ridiculum uideatur, ſi quis in eo probando laboret. Quòd ſi aliqui dixerunt, ſingulare certamen in omnibus ſimile eſſe iudicio ciuili: nihil ad nos, qui hoc non aſſeruimus, ſed contrarium. Redarguendus autem eſt iſte, qui promiſcuè uniuerſa quadam comprehenſione loquutus eſt. Quare fruſtra etiam accuſat modum citandi reum, cum in iſtis rebus ubi agitur de uita, non poſsit aliter, uel melius fieri. cuius rei à nobis redditæ ſunt rationes in libris De honore. quibus iſte nihil reſpondit: ſed ad pauca ſpectans, temerè quod uenit in mentem pronunciauit. Qui enim non diſſoluit rationes, & uult euertere concluſionem, eum imperitè omnino & ridiculè facere, neminem latere arbitror.

Concedimus enim fieri poſſe, ut iſte ordo ſit contra ordinem ciuilis iudicij: negamus tamen, eum eſſe contra rationem, & contra ſenſum communem, ut iſte dicit. & hoc eſt quod illi erat probandum, quod minimè probauit.

Ea uerò quæ addit de actore, cum cauſam ſuam non probat, neque ad rem pertinent, & ridicula ſunt. quanquam dicere poſſumus, idem euenire actori in ſingulari certamine, cum cauſam ſuam non probat medijs illis, id eſt armis quibus eum uti oportet. honore enim priuatus diſcedit.

Quòd uerò ſubdit, Hic ubi prouocator, cui propoſitum eſt nihil legitimè probare, totum nugatorium eſt: nihil enim ad rem facit, & ipſe decipitur: quippe qui perſtat in ſuo errore, quòd prouocator ſemper ſit idem qui actor: & non cōſiderat, quòd ipſi actori propoſitum eſt probare aliquid legitimè, ſi non ex legibus quæ ad iudicium ciuile pertinent, at ſaltem ex legibus proprijs. Ita uerò loquitur, ut præ ſe ferre uideatur ignorationem ipſarum legum, & quomodo fiant, & nunquid ſint ſemper ubique ſeruandæ, atque in omnibus cauſis: & nunquid ſemper ſeruentur, & intelligantur ſemper generali quadam comprehenſione: & an reperiatur æquum, quod illas corrigere poſsit: & nunquid eadem lex quę rectè conuenit uni alicui ciuitati, conueniat rectè alteri: & nunquid quæ leges conueniunt certæ cuidam cauſæ, conueniant eædem omnibus. Nam loquitur, tanquam ſi aliquis qui Venetijs probaret ex legibus illius ciuitatis cauſam ſuam, & non ex legibus Iuſtiniani, non diceretur legitimè probaſſe. peccat ergo per fallaciam, à ſecundum quid ad ſimpliciter. leges enim non ſunt ubiq; eædem: quippe quæ non ſunt ſemper iuſtæ ſecundum illud ius naturale, de quo loquutus eſt Ariſtoteles; ſed fortaſſe ſecundū iuſtum legale, quod quan- *5.Ethic. 11.* quam & ipſum habeat fundamentum ex natura (ſi eſt rectè poſitum) tamen non eſt *1.Rhet.10.* neceſſe ut ubique ualeat & ſeruetur, ſicut iuſtum illud naturale. de quibus iuſtis dicemus (ſi Deo placebit) in explanatione quinti libri Ethicorum, ad quem locum totam hanc rem reijcio. Satis eſt nunc oſtendiſſe, perperàm iſtum argumentatum fuiſſe, ſingulare certamen non eſſe legitimum, quia non eſt ex legib. iudicialibus: quandoquidem habet ſuas proprias leges, quæ naſcuntur ex ratione quæ nititur ipſi naturæ, ut diximus: ſicut etiam bellum uniuerſale habet ſuas leges, diuerſas à legibus iudicij. non enim ſeruat, ut patet, ordinem iudicij: & tamen ipſe concedit illud, ut iuſtum. Si ergo euertatur ſingulare certamen, quia non ſeruet ordinem iudicij: neceſſe eſt etiam ut euertatur bellum uniuerſale, non enim ordinem iudicij ſequitur. Sed ipſe non uult tolli bellum uniuerſale propter hanc cauſam: ergo cogitur uelle, ut non tollatur ſingulare certamen. neſcit igitur quid uelit: ea enim quæ uult, ſequuntur oppoſita. Qualis ergo ſit iſte homo, iudicent alij, qui omnia modò ait, modò negat imprudens.

Quòd autem bellum uniuerſale non ſeruet ordinem iudicij, patet legentibus eas proprietates, quas ipſe attribuit iudicio.

Reliqua quæ addit uſque ad finem ſectionis, ſunt uerba tantùm, & ſemper repetit idem. nos enim loquimur ex philoſophia morali, quæ innititur rationi naturali, ſecundum quam ipſe etiam profeſſus eſt ſe uelle loqui: & tamen illa relicta uertit ſe ad contumelias, & ad conciones, putans ſe habere ſermonem cum mulieribus, & cum idiotis, quibus uerba quæcunque dicta more concionatorum ſatisfaciunt. Sed hæc prorſus aliena ſunt ab homine, qui ſe loqui ex Peripateticorum doctrina profeſſus eſt.

SECTIO NONA.

Auctor. Illud uerò omnium eſt abſurdiſsimum, quod & rem ipſam ridiculam reddit, licere prouocato arma quæcunque uelit eligere.

ANT. BER. Mirum eſt, hominem iſtum loqui ſic promiſcuè generali quadam comprehenſione. nos enim in quinto libro De honore diximus, non licere prouocato *5. lib. De hon.* quæcunque uelit arma eligere: & declarauimus, quæ arma poſſet honeſtè eligere, & quæ non poſſet. Quòd ſi ſeruaretur, parum referret uter eligeret. Declarauimus etiam, quibus armis ad defendendum uti poſſent, & quibus non poſſent: & utrum ijs ipſis armis, de quibus iſte loquitur, honeſtè poſſent uti.

Dicimus tamen, ſi alteri danda ſit armorum optio, magis rationi conſentaneum eſſe ut detur reo: cuius rei cauſam in ſuperioribus diximus. Quanto autem pugnat aliquis æquiore armorum conditione, tanto magis ex uirtute & honoris ui pugnat: quandoquidem pugna quæ ex uirtute proficiſcitur, & ex honore, neceſſe eſt ut fiat æqua omnino conditione. nam ſi quis alia ratione uincat, attribui id poteſt meliori armorum conditioni, non ipſius uirtuti. ex quo nō ſequitur, ut per huiuſmodi uictoriam honorem referat.

Quod uerò affert de rege Federico, etſi multa pro tuendo Federico, & etiam aduerſus Federicum poſſent à nobis in medium afferri, tamen quia parum faciunt ad cauſam noſtram: & quia etiam ex libris De honore colligi poteſt in quibus laudandus ſit, uel reprehendendus Federicus, non opus eſt hoc in loco immorari. Tantùm dicimus, illud quòd ait Federicum non loqui de omni armorum genere, ita ut deſcendat ad incertas quaſdam & inuſitatas armorum ſpecies, quæ ad fallendum & fruſtrandum nouo quodam artificio excogitantur, uideri euertere quod ipſe dixerat ſuperius, licere inſidijs & aſtutijs agere: quod tamen eſſe falſum, in libris De honore declarauimus.

Quæ addit de interpretatione uerborum Federici, & Paridis de Puteo, & aliorum iuriſconſultorum, quia nihil ad rem ea pertinere arbitramur, miſſa facimus. Sed ubi dicit, omnia eſſe falſa non minus quàm abſurda, quæ à nobis eo loco diſputata ſunt in libris De honore: Reſpondemus, debuiſſe eum oſtendere iſtam falſitatem rationibus, & non uerbis, & diſſoluere rationes quas ad ſententiam noſtram comprobandam & confirmandam attulimus: quod non facit. ſed ſolùm dicit, actori & reo non conuenire in ſingulari certamine eas conditiones quæ conueniunt in iudicio, neque actorem habere facultatem eligendi locum. quod nihil facit ad actiones noſtras, quippe qui conceſsimus aliter eſſe agendum in ſingulari certamine à reo & ab actore, quàm in iudicio. Licet igitur non conueniant eædem conditiones, tamen non ſequitur, quin id quod diximus de reo & actore in ſingulari certamine, rectè ſit dictum: cum ratio quæ ex natura ortum habet, ita exigere poſtulareque uideatur. cui rationi nullam iſte reſponſionem dedit: ſed aſſumpſit ſolùm, quòd actor non habet facultatem ut pro iure ſuo, &c. quam nos oſtendimus eum habere. & ita peccat per fallaciam petitionis eius quod eſt in principio.

Illud uerò fruſtra ſubiungit, Bona uerò exiſtimatio, &c. falſum eſt enim, nos qui attulimus rationem ſumptam ex bona exiſtimatione, conceſsiſſe neceſſarium eſſe iniuriæ, cuius intenditur actio, aliqua indicia reperiri: imò contrarium apertè in lib. De honore poſuimus. neque ſi hoc eſſet in ijs quæ attinent ad ignauiam & fortitudinem, opus eſſet reum cogi ſubire tormenta. Sed iſtum omnino apparet, miſcere ſingulare certamen iudicio, cum quo tamen negauit ullam habere ſimilitudinem, id uerò nihil

aliud

aliud mihi quidem uidetur eſſe, quàm tollere ſuamipſius opinionem, & miſcere (ut aiunt) quadrata rotundis.

SECTIO DECIMA.

Iam ſatis (ni fallor) oſtenſum eſt, neq; uerbis, neq; ſententia legis, quam Federicus conſtituit, neq; rationibus, & quæ ſequuntur. Author.

QVod in hac poſtrema ſectione affers, nihil ad rem noſtram facit: quandoquidem, ut ante dictum eſt in libris De honore, declarauimus, quibus armis tum ad offendendum, tum ad defendendum honeſtè uti poſſent, qui ſingulari certamine pugnarent: eiusq; rei attulimus rationem, cui tu nihil reſpondes, ſed promiſcuè uniuerſali quadam comprehenſione loqueris de eis qui de ſingulari certamine ſcripſerunt, eosq; maledictis inſequeris. ANT. BER.

Illa uerò quæ profers exempla, uſque ad finem libri, ut oſtendas unumquenque arma geſtauiſſe arbitratu ſuo, oſtendunt peiores fuiſſe conditiones illorum ſic pugnantium, quàm ſint eæ quas nos in libris De honore propoſuimus: quippe cum illæ rationi ualde repugnent, hæ uerò maximè conſentiant. ſiquidem pugna quæ fit meliori armorum conditione, non fit ſicut exigit honor & fortitudo. Cum igitur illas tu laudes, ut imperitè ac perperam facias neceſſe eſt. Etenim longè melius eſt non pugnare, ubi nulla uirtus eius qui pugnat conſpici poteſt, quia nullus ex ea pugna poteſt honor acquiri, quippe qui eſt ſignum (ut diximus) actionum quæ ex uirtute naſcuntur. In tali enim pugna, quin omnia poſsint attribui meliori armorũ conditioni, in dubium uenire non poteſt. Singuli autem homines non cogũtur ui honoris ſe tueri, niſi ab uno, cæteris exiſtentibus paribus.

Ex quo etiam ſequitur, ut concedas meliorem armorum conditionem, quam tamen prius reieceras: & ita quæ attuliſti exempla, potius probare oppoſitum, quàm propoſitum uidentur. in hos uerò manifeſtiſsimos ac turpiſsimos errores incidiſti, dum id ſolùm agis, ut oſtendas te multas hiſtorias legiſſe.

Præterea concedis, illos pugnaſſe ſingulari certamine, & antiquitùs pugnaſſe. Ergo ſingulare certamen eſt antiquum, quod tamen in ſuperioribus negaueras: & ſic more tuo tuam ipſius ſententiam euertis.

Si uerò dicas, conceſsiſſe te hoc genus certaminis, nõn illud quod nos poſuimus: Reſpondemus, omnia eſſe eiuſdem generis, ut in primo libro oſtenſum eſt.

Sed eſto, ut eſſent alterius generis: Si conceſsiſti illud genus, multo magis cogeris id concedere quod nos poſuimus, eſt enim honeſtius, ut ex eis quæ dicta ſunt perſpicuum eſſe arbitramur.

Scripſere item contra libros noſtros De honore nonnulli alij: ſed cum illorum argumentationes partim poſitæ fuerint ab iſto, cui in ſuperioribus libris reſpondimus, easq; refutauimus, partim etiam ex eis quæ diximus (ut perſpicuè patêre exiſtimamus) refellantur, eas miſſas eſſe faciendas iudicauimus, ne toties contra illud Ariſtotelis peccaremus: τὸ γὰρ τῷ τυχόντι ἐναντία ταῖς δόξαις ἐμφανιζομένῳ φροντίζειν, εὔηθες ἐστίν.

FINIS LIBRI SEPTIMI EVERSIONIS
Singularis certaminis.

LIBER OCTAVVS.

SECTIO PRIMA.

HActenus oſtenſum eſſe arbitramur, non ſolùm ea noſtra, quæ auctor eius libri qui inſcribitur Contra uſum duelli, refellit, Peripateticorum doctrinę prorſus conſentire: ſed etiam tantum abeſſe ut ex doctrina Ariſtotelis & philoſophia morali ipſe ſingulare certamē euerterit, ut illud imprudēs ipſiuſmet uerbis confirmet, & in omnibus ferè cauſis perſpicuè cōcedat. Id uerò nos præter cæteras cauſas ideo aggreſsi ſumus oſtendere, ne homines inſcriptione decepti, dum crederent legendo illum librum ex ipſorum animis euellere ſingulare certamen, in eam traherentur opinionem, ut exiſtimarent, in omnibus ferè controuerſijs, quæ inter homines quotidie oriuntur, ad ſingulare certamē confugiendū eſſe: quod ipſum generi humano maxima incommoda & detrimenta afferret.

Reſtat iam ut conemur ex fundamētis ſanctiſsimæ religionis noſtrę ipſum ſingulare certamen euertere: & quātum quidem per nos fieri poteſt, ex animis hominum extirpare. quod planè eſt illud quod initiò maximè nobis fuit propoſitum.

Sed antequam id aggrediamur, non alienum ab inſtituto noſtro iudicamus, nonnulla de Philoſophia & de ſancta Theologia in medium afferre: ex quibus facilius poſtmodū erit intelligētia cōſequi, ea quæ ſumus dicturi, etſi à uulgata interpretū opinione abhorrere uiſa fuerint, ab ipſa philoſophia tñ & à ſacris literis nō diſcrepare.

Dicimus igitur, in primis Philoſophiam in duas partes diſtributam ex Ariſtotelis ſententia eſſe. quarum una eſt contemplatiua, altera practica uel actiua (idem enim ſunt) quæ etiam humana dicitur, quia dirigit actiones humanas. Contēplatiua nuncupatur, quæ tradit ſcientiā omniū rerū quæ natura cōſtituta ſunt, ſiue ſint ſubſtātię, ſiue accidētia, quæ quidē ſciri poſſunt: eiuſq; omnis ratio & finis ad ſcientiam refert.

6. Meta. 5. Hęc quidem ſecatur in tres partes ob commoditatē noſtram, ut in ſequentib. docebimus: in Mathematicā, & Naturalē, & Theologiam, id eſt primā philoſophiam. Practica philoſophia, quæ dicit propriè Politica, diuidit in eam quæ ad mores pertinet, quę uocat Ethica: & in eam quæ de magiſtratib. & legib. quę inſcribit ab Ariſtotele Politica cōmuni nomine: & in eam quę tuendę rei familiaris uiam tradit, quę appellat Oeconomica, quæ quidē aliq̃ modo dicit Politica, ut diximus in lib. De hon.

Philoſophia uerò contēplatiua uocatur propriè illa, quæ ex eis principijs quæ apparent ſenſui, tradit ſcientiam eorum quæ ſunt dubia: etſi illa quæ apparent ſenſui ſunt affectus, ut eſt motum eſſe: & naturam, & multitudinem entium, & ex nihilo nihil fieri, &c. huiuſmodi: tunc ſcientia quæ habetur ex illis, dicitur ſcientia non ſimpliciter, ſed quia id eſt ex poſterioribus. & hoc modo proficiſcitur prima philoſophia, quæ etiam ab Ariſtotele dicitur Theologia, ſcilicet philoſophorum & naturalis philoſophia: ambæ enim tradunt rerum ſcientiam ex eis quæ apparent ſenſui, & dicūtur uerè naturales, licet ſecunda philoſophia conſequuta ſit ipſa hoc nomen, ob eam cauſam quam alibi oſtendimus, & oſtendemus.

Si uerò illa quæ ſenſui apparent, ſint cauſę, tunc ſcientia quæ habetur ex cauſis, dicitur ſcientia ſimpliciter & propriè, ut eſt illa ſcientia quæ eſt definita ab Ariſtotele

1. Poſt. 2. 1. Poſter. cap. 2. & hanc ſcientiam tradunt Arithmetica & Geometria.

Omnes uerò iſtæ ſcientiæ oriuntur ex principijs, quæ principia ſenſui ſunt notiſſima, & coguntur concludere omnia illa quæ ex iſtis proficiſcuntur. quæ uerò repugnant ijs principijs, uel quę ex illis non ſequuntur neceſſariò, rejciuntur ab ipſis: atq; etiam ſi ipſa per ſe ultrò uera eſſent, tamen earum munus eſt ſolùm peruenire ad ea quæ ex illis principijs neceſſariò pendent.

Ex philoſophia contemplatiua naſcitur philoſophia practica: hæc aūt quæ cōſiderata ſunt à philoſophia ſpeculatiua ſimpliciter & abſolutè, ut ſciremus, cōſiderat in ordine ad opus, ut ſcilicet agamus. Et cū ipſius practicæ principia, uel à principijs, uel à cōcluſionib. ſpeculatiuę naſcātur, neceſsitas cogit, ut ex ipſa philoſophia practica oriat, ex eis quę ſenſui apparēt, & ulterius ꝑgredi nō poſsit. ita omnes illę cōcluſiones quas cōcludit, neceſſe eſt ut eis principijs quę accipit à ſpeculatiua, omnino conſentiāt, ex ipſiſq; ꝯſequant: alioqn nulla earū cōcluſionū certā cognitionē nobis traderet:

quod

quod tamen illam præſtare oportet, ſi munere ſuo fungi debet. Omnis enim doctri-
na & diſciplina fit neceſſariò ex antè percepta cognitione, uidelicet ſubiecti, & affe-
ctus & dignitatis. Nos autẽ hoc in loco appellamus principia cognitionis, omnia
quæ primò occurrunt ſenſui, & non indigent medio, ſiue ſint affectus, ſiue cauſæ, ſi-
ue communia, ſiue propria: neque conſentit rationi, ut ulla doctrina tranſeat ſuos li-
mites: confunderentur enim ſcientiæ, & uiam non haberent ea tradendi quæ ad ip-
ſas pertinent: quandoquidem neceſſarium eſt omnia quę ſunt in aliqua facultate, uel
eſſe principia, uel naſci ex principijs. Quod quidem poteſt ex multis Ariſtotelis lo-
cis comprehendi, & præcipuè ex primo Poſteriorum, cap. ſeptimo, cum inquit: Non 1 Poſt. 7.
licet enim deſcendere de genere in genus, ut Geometria in Arithmeticam. Tria e-
nim ſunt in demonſtrationibus: unum quidem quod demonſtratur, concluſio, hoc
eſt quod ineſt alicui generi ſubiecto per ſe: alterum autem dignitates, quę dignitates
ſunt illę ex quibus demonſtrantur: tertium autem genus ſubiectum, cuius affectus
& per ſe accidentia manifeſtum facit demonſtratio.

Quouſq; igitur poteſt deduci aliquid ex principijs, eò uſq; proficiſcitur facultas.
ad concluſiones enim quæ oriuntur ex principijs, proficiſci poteſt. Hoc item confir-
mauit Ariſtoteles, cum dixit: Manifeſtum eſt, non omnem interrogationem Geome 1. Poſt. 11.
tricam eſſe, neq; ad medicinam attinens, ſimiliter & in alijs. ſed ex quibus demonſtra
tur aliquid, de quibus Geometria eſt, aut ex eiſdem demonſtratur Geometricè, ſicut
perſpectiua, ſimiliter autem & in alijs, & de ijs quidem rationem ponendam eſſe ex
geometricis principijs & concluſionibus. Sed de geometricis principijs rationem
non eſſe ponendam à Geometria, ſecundum quod Geometer eſt. Similiter autem in
alijs ſcientijs, neq; omnem interrogationem utiq; eſt omnem ſcientem interrogare,
neq; ſecundum omne interrogatum reſpondere de unoquoque, ſed quę ſunt ſecun-
dum ſcientiam determinatam. Quòd ſi quiſpiam cum Geometra, quatenus Geo-
metræ patet, & bene illum eſſe diſceptaturum, ſi ex his oſtenderit aliquid: ſi autem
non, non rectè: patet etiam illũ non arguere Geometram, niſi per accidens. Quam-
obrem inter ignaros Geometriæ, de Geometria non eſt diſputandum: latebit enim
is qui dixerit prauè. in cæteris etiam ſcientijs res ſeſe habet ſimiliter.

Ex quibus uerbis perſpicuè patet, quouſq; poteſt deduci aliquid ex principijs, eò
uſq; (ut dictum eſt) proficiſci poſſe facultatem: quia aliter falſa eſſent omnia, quæ uer
bis citatis ſignificauit Ariſtoteles. Res enim in eum locum deduceretur, ut omnis in-
terrogatio eſſet Geometrica, uel ad medendi artem accommodari poſſet. & ita in a-
lijs ſcientijs poſſemus item reddere rationem principiorum, & poſſet unuſquiſq; ar-
tifex percunctari quamcunq; quæſtionem, & reſpondere ad unamquanq; earum, &
poſſet rectè non Geometra cum Geometra diſputare, & poſſet cum ignaris de Geo
metria diſputare Geometer. & hoc perſpicuum eſt, ſi fines certos ac determinatos
non haberent facultates, etſi non haberent principia immediata, & determinatas
concluſiones. nihil enim impediret, quin ſolutæ ac uagæ facultates licenter errarent:
quæ cum omnia ſint abſurda, & euertant Ariſtotelis ſententiam, ut ea itẽ unde ema-
nant ſint abſurda neceſſe eſt.

Poſſemus hoc idẽ multis alijs Ariſtotelis uerbis rationibuſq; cõfirmare & corro-
borare: ſed quoniã res iſta ſatis in prõptu eſt, ſuperuacaneũ arbitramur plura afferre.

Omnia ergo quę ſunt in aliqua particulari facultate, uel ſunt propriè principia, uel
communia appropriata, uel concluſiones quæ oriuntur ex illis principijs neceſſariò.
Ergo facultas non poteſt, quatenus talis, tranſire ſuos limites.

Quòd uerò dictum eſt de ea facultate practica, quæ propriè eſt Politica, dicen-
dum eſt: item de eis facultatibus quæ practicæ uel actiuæ ſunt, ſed non propriè Poli-
ticæ dicuntur, ſed actiuæ, quia poſt earum operationem nihil remanet: ut eſt facul-
tas canendi, & eiuſmodi. & etiam de omnibus artibus quæ ſunt habitus factiui, qui
præter operationem aliud quiddam expetunt: ut Medicina, & ædificatoria. om-
nes enim iſtæ naſcuntur ex tribus illis ſcientijs: & res quas conſiderant, neceſ-
ſariò ſunt ſimpliciter & abſolutè conſideratæ ab una illarum, uel à pluribus. ipſæ
uerò eas conſiderant in ordine ad opus. Et hoc ratio exigere poſtulareque ui-
detur: quandoquidem nulla ſit res in uniuerſo, quæ non ſit ab aliqua earum trium
conſiderata. conſiderant enim omnes ſubſtantias, & omnia ſubſtantiarum prin-
cipia

cipia & accidentia. Quocirca reliquæ facultates & artes ne ſint commenticiæ, cogũtur conſiderare aliquam ex ijs rebus quę ſunt ab illis tribus ſcientijs conſideratę. Sed cum illæ conſiderauerint ſimpliciter & abſolutè, & ut ſciant, neceſsitas cogit, ut eaſdem res conſiderent ipſæ facultates & artes in ordine ad opus: non enim conſentit rationi, ut eædem res à diuerſis facultatibus conſiderentur ut ſciantur: hoc enim eſſet ſuperuacaneum. omnes igitur erunt ſubalternatæ tribus illis ſcientijs: & ita neceſſe erit, ut ſua principia accipiant ex illis ſcientijs: quæ quidem principia ſint ne concluſiones in illis ſcientijs, an principia, nihil refert, ut nos in Commentario noſtro, & in Apologia declarauimus. Naſcuntur ergo omnes facultates & artes ex tribus illis ſcientijs: ergo omnes ortum habent neceſſariò ex ſenſu, quia dependent ex ſcientijs quæ ex ſenſibus dependent.

SECTIO SECVNDA.

Dialectica uerò & Rhetorica, quæ non ſunt neq; ſcientiæ, neque propriè artes, neq; habitus actiui, neq; ſubalternatæ alicui facultati, ſunt huiuſmodi: quia ut
1.Rhet.1. dicebat Ariſtoteles, Ambæ ſunt de quibuſdam talibus, quæ cum ſint cõmunia quo-
,, dammodo omnium eſt cognoſcere, & nulli ſcientiæ determinatæ: & propriè ſunt fa-
,, cultates inueniendi & ſpeculandi quodcũq; probabile circa unumquodq;. Quod
1.Rhet.2 probauit Ariſtoteles dicens: Hoc enim nullius alterius artis munus, quia unaquæq;
,, aliarum eſt tradens doctrinam, & faciens perſuaſionem circa id quod eſt ſibi ſubie-
,, ctum: ut Medicina circa ſanum & ægrum, & Geometria circa accidentia quæ ſunt
,, paſsiones magnitudinum, & Arithmetica circa numerum. Similiter autẽ & reliquæ
,, arres & ſcientiæ. Rhetorica autem (ut uno uerbo dicam) uidetur poſſe conſiderare
,, perſuaſibile de quacunq; re data. quare dicimus ipſam non habere artis munus, cir-
,, ca aliquod genus determinatum.

Quod idem dici de Dialectica neceſſe eſt, quia eſt eadem in ſubſtantia quæ Rhetorica: ſicut ex multis locis Ariſtotelis, ut ex ea auctoritate primò citata apertè cognoſcitur. tum ex hac probatione: quia ſi Rhetorica eſſet in ſubſtantia diuerſa à Dialectica, ratio Ariſtotelis, qua probauit Rhetoricam conſiderare perſuaſibilia cõmunia, nullius eſſet momenti. Propterea quòd diceremus, etſi ſcientiæ & artes non conſiderent illa communia, Dialecticam tamen illa conſiderare: & ita Ariſtoteles fruſtra attuliſſet eam probationem, nihil enim neceſſariò concluderet.

Confirmauit tamen hoc Ariſtoteles paulo pòſt, cum dixit: Eſt enim pars Dialecticæ, & ſimilis, ut in principio diximus.

Et probat quòd erat ſimilis, ea ſimilitudine quæ eſt (ut ita dicamus) identitas, quæ
1.De Generat. eſt uera ſimilitudo, ut declarauit Ariſtoteles 1. de Generat. & corrup. 48. ijs uerbis:
& corrupt. Vnde autem hoc modo dicentes ſubcontrarios dicere ſermones: cauſa autẽ contra-
text.48. dictionis eſt, quoniam cum oporteat totum aliquod inſpicere, partem aliquã dicunt
,, ambo. Simile enim & omnifariam, & omnino indifferẽs rationabile eſt, non pati à ſi-
,, mili nihil. quid enim magis actiuum erit alterum, quàm alterum? Sed ſi ſimile à ſimili
,, pati aliquod poſsibile, & ipſum à ſe ipſo. quamuis his exiſtentibus, ita nihil utiq; e-
,, rit neq; incorruptibile, neq; immobile, ſi ſimile ſecũdum quod ſimile actiuũ: ipſum
1.Rhet.11. enim ſeipſum mouebit omne. Et alibi: Verùm quod ſimile & eiuſdem generis eſt,
,, ſibijpſi iucundũ eſt, idq; maximè unuſquiſq; ad ſeipſum habet. neceſſe eſt oẽs ſeipſos
,, amare, uel magis uel minus. nam omnia illa unicuiq; ad ſeipſum maximè inſunt.

Probat ergo Ariſtoteles, Dialecticam & Rhetoricã eſſe ſimiles, quia habent eandem definitionẽ. neutra enim ipſarum eſt ſcientia de aliquo determinato ſubiecto, quomodo ſe habeat: ſed ambæ ſunt facultates quædã inueniendi ſermones. quæ eſt eadem definitio, quę tradita fuit etiam ſuprà. Idem enim eſt dicere, ſunt facultates inueniendi ſermones, & facultates inueniendi probabilia cõmunia: quia ſemper uocat Ariſtoteles rationes Dialecticas, ſermones, ut in eis quæ ſequũtur oſtẽdemus: quippe quæ non ſunt demonſtrationes, ſed ſunt ex communibus probabilibus.

Si ergo Dialectica & Rhetorica habẽt eandem definitionem, ut ſint eędẽ in ſubſtantia neceſſe eſt: ex quo perſpicuum eſt, uocem ἀντίστροφος, quæ poſita eſt in prima propoſitione Rhetoricæ, non ſignificare id quod M. Tullius (parcat mihi tãtus uir) dixit in Oratore, ex alrera parte reſpondens, uidelicet ut una ſit latior, altera contractior: ſed quod nos diximus, tum quia Ariſtoteles non probaret quod ibi intendit probare,

probare, Rhetoricam redigendam eſſe ad artem Etenim hæc concluſio non ſequi-
tur ex eo quòd intereſt inter Rhetoricam & Dialecticam, ſed ex eo quòd eadem
ſunt. Quod innuens poſtea ipſe Ariſtoteles ait, ſe dixiſſe in principio, Rhetoricam
eſſe ſimilem Dialecticæ: quæ nimirum ſimilitudo eſt identitas in ſubſtantia, ut oſten-
dimus ex uerbis Ariſtotelis. non ergo uoluit intelligere inter illas intereſſe, quia una
ſit latior, altera ſtrictior. Quòd uerò dicit, Rhetoricam eſſe partem Dialecticæ, i-
deo dicit, quia Rhetorica accipit proprietates enthymematis & exempli, quæ ſunt
in Dialectica, & ſunt idē quod ſyllogiſmus & inductio. atq; hoc ipſum eſt ratione il-
lius partis, quæ non eſt idem quod Dialectica uerè propriè, ſed eſt Logica: quia Dia
lectica ea in parte ſuſcipit perſonā Logices. ſubſtantia enim Dialecticę, ut ex eis quę
dicta ſunt perſpicuum eſſe poteſt, non conſiſtit in tradendis proprietatibus ſyllogiſ-
mi dialectici: quod quidem nihil aliud eſt quàm docere conficere ſyllogiſmum diale
cticum, quod attinet ad artem determinatā, ut ad eam quam interpretes Ariſtotelis
Logicam nuncuparunt. Quæ quidem, ut nos in Inſtitutione noſtra declarauimus, &
infrà etiam declarabimus, eſt de re determinata. ipſa uerò Dialectica (ut ex principio
Topicorum, præter ea quæ dicta ſunt, colligitur) eſt methodus uel facultas inuenien
di probabilia in unaquaq; re.

Dicitur autem Rhetorica pars Dialecticæ, præter eam rationem quam diximus,
quæ probat ſimilitudinē, ut declarauit Ariſtoteles, ob id etiam, quòd ipſe paulo pòſt
dixit his uerbis: Quòd enim prius diximus, eſt uerum, quòd Rhetorica componitur 1. Rhet. 4.
ex reſolutiua ſcientia, & ex ea ciuili quæ eſt de moribus. Prius autem hoc non dixe-
rat, niſi cum dixit: Quare contingit Rhetoricam eſſe uelut propaginem Dialecticæ,
& eius negocij quod eſt circa paſsiones, quod iuſtum eſt appellare Politicam. Qua-
re & ipſa Rhetorica induit figuram ipſius Politicę.

Quæ cōcluſio deducta eſt ex illa priori cōcluſione: Verùm quoniā fides ijs fit, pa-
tet hæc tria eſſe capiēda, ut ſcilicet facultatē ſyllogizādi habeamus, ut mores & uirtu-
tes cōſideremus: & tertiū de affectib. quid unuſquiſq; ſit, & quale quid, & ex quibus
naſcantur. Neceſſe ergo eſt ut dicat Rhetoricam eſſe partem Dialecticæ, ratione
eius quòd unum eſſe dixit de tribus quæ capienda erant, ut ſcilicet facultatem ſyllo-
gizandi habeamus: quandoquidem ratione morum, uirtutum & affectuum hoc ei
non poteſt accidere, quippe quæ ad politicā ſpectent. Facultas aūt illa ſyllogizādi ha
betur ex hoc, ut ſciamus quæ'nā ſint proprietates ſyllogiſmi Rhetorici. Etenim his
cognitis, ſciemus conficere ſyllogiſmos. Quod ipſe uiſus eſt declarare, cum inquit:
Verùm quoniam perſpicuum eſt, artificioſam uiam & rationem in perſuadendo cō-
ſiſtere, perſuaſionem autem quandam eſſe demonſtrationem (tunc enim uehemen-
ter credimus, cum demonſtratum eſſe putauerimus) enthymema quoq; Rhetoricā
eſſe demonſtrationē: quod ut ſimpliciter dicam, præcipuum eſt in perſuaſione. idq;
eſſe ſyllogiſmum quendam: & de quolibet ſyllogiſmo Dialecticam, uel uniuerſam,
uel partem eius quandam conſiderare, patet, eum qui ex quibus & quomodo ſyllo-
giſmus fiat, optimè poſsit perſpicere, maximè enthymematicū eſſe. Inſuper qui hoc
etiam teneat, quibus de rebus enthymemata ſint, quiq; à logico ſyllogiſmo differāt.

Ex his uerbis perſpicuum eſt, Ariſtotelem uocaſſe Rhetoricam partem Dialecti-
ces, ratione illius partis in qua traduntur conditiones ſyllogiſmi Rhetorici: quę qui-
dem pars appellata eſt ab ipſo Dialectica, tum quia tradita fuit in Dialectica, & ad
commoditatem Dialectices: propterea quòd non uidebatur conſentire rationi, ut
unus liber conficeretur ſeparatim de proprietatibus ſyllogiſmi dialectici, ſicut con-
fectus erat liber Poſteriorum de proprietatibus ſyllogiſmi demonſtratiui: quia illius
paucæ erant proprietates, demonſtrationis uerò multæ: tum quia fieri commodè po
tuit, ut illæ proprietates ſimul ponerentur cum propoſitionibus, ex quibus tāquam
ex materia conficiebantur ſyllogiſmi dialectici. quoniam illæ proprietates ſolùm ſer
uiebant uni materiæ, & uni facultati, quæ erat Dialectica. proprietates uerò demon
ſtrationum, id eſt regulæ conficiendi demonſtrationes, non poterāt poni cum pro-
poſitionibus, ex quibus tanquam ex materia conficiebantur demonſtrationes, pro-
pterea quòd illæ attinebant ad omnes facultates, & ſic non magis uni quàm alteri.
ideo'que neceſſarium fuiſſet, ut in omni facultate repeterentur: quod quidem erat
ſuperuacaneum.

Huc ac-

Huc accedebat, ſicut diximus, quòd iſtæ proprietates demonſtrationum tot erãt, ut ex illis unus libet uel maximus confici poſſet, ut confectus eſt, quod ſyllogiſmi dialectici proprietatibus non accidebat, quæ erant paucæ. Quocirca mirum nón eſt, ſi fuerunt poſitæ illæ proprietates, & illæ regulæ, cum materia ex qua conficiebatur ſyllogiſmus dialecticus. Vniuerſus tamen tractatus qui continet & regulas ſyllogiſmorum, & materiam, ab Ariſtotele fuit nuncupatus Dialectica: quia ſeruiebat ipſi ſicut tractatus de uirtutibus & morib. & de affectibus, licet non uerè eſſet Rhetorica, ut apertè oſtendit Ariſtoteles cum dixit, illam partem eſſe Politicam & Rhetoricam, quod ad hanc ipſam partem attinet, inducere perſonam Politicæ: quia tamen ſeruiebat fini ipſius Rhetorices, appellatus fuit ab ipſo Ariſtotele Rhetorica, ut in ſequentibus ſuſius & uberius dicemus. Eſt ergo ipſa Rhetorica pars Dialecticæ ratione partis dictæ, quæ ad Dialecticam, uel ad partem Dialecticæ pertinet eo modo quo diximus. Loquutus eſt autem Ariſtoteles diſtunctiuè, quia illa pars non pertinet ad totam & ueram Dialecticam, ſed ad eam partem Dialecticæ quæ nõ eſt uerè Dialectica, ſed Logica. in ea enim induit Dialectica perſonam Logicæ. & ita patet, quomodo ſeiungatur à Logica.

Quare autem illa pars quæ tradit conditiones ſyllogiſmi dialectici, appellata fuerit ab Ariſtotele Reſolutiua, declarauimus in 8. lib. noſtræ Apologiæ.

Ex his ergo intelligitur, quomodo Rhetorica ſit pars Dialecticæ, & quomodo ſit eidem ſimilis: illa ſcilicet ſimilitudine quæ uerè eſt identitas. & cur illud uerbum ἀντίστροφος positum in prima propoſitione Rhetoricæ, ſignificat identitatem: non quod dixit M. Tullius.

SECTIO TERTIA.

NOnnulli uerò ex his qui non ueritatis ſtudio bonarum literarum ſtudijs operam dant, ſed ſatis ſibi eſſe putant ſi de rebus ipſis poſsint hominum doctiſsimorum auctoritates proferre, ſibi perſuaſum habentes eos homines qui in maxima ſunt gloria, atque in ſummo honore ab omnibus habentur, errare nunquam potuiſſe. Ex ijs igitur quidam cum audiuiſſent ea quæ contra M. Tullij interpretationem illius uerbi ἀντίστροφος diximus, dum Bononiæ publicè illum librum Rhetorices interpretaremur, conati ſunt M. Tullium tueri: quod quidem nos etiam maximè optabamus.

Sed uideamus quomodo. Dicebant M. Tullio propoſitum fuiſſe in eo loco oſtendere, Rhetoricam eſſe eandem quæ eſt Dialectica. etenim dixerat: Eſſe igitur perfe-
» ctè eloquentis puto, non eam ſolùm facultatem habere quę ſit eius propria fuſè late-
» que dicendi: ſed etiam uicinam eius atque finitimam Dialecticorum ſcientiam aſſu-
» mere. quãquam aliud uidetur oratio eſſe, aliud diſputatio: nec idem loqui eſſe, quòd
» dicere: & loquendi Dialectorum ſit, oratorum autem dicendi & ornandi.

Patet ergo (dicebant illi) M. Tullium uelle, Dialecticam eſſe uicinam & finitimam Rhetoricæ, ita ut ſit eadem quæ Rhetorica. Quod confirmauit his uerbis: Zeno e-
» nim quidem ille, à quo diſciplina Stoicorum eſt, manũ demonſtrare ſolebat, quid in-
» ter has artes intereſſet. nam cum compreſſerat digitos, pugnumq́ fecerat, Dialecti-
» cam aiebat huiuſmodi eſſe: cum autem deduxerat, & manum dilatauerat, palmæ il-
» lius ſimilem eloquentiam eſſe aiebat.

Hinc perſpicuum eſſe aiebãt, Tullium uoluiſſe oſtendere ex uerbis Zenonis, Dialecticam omnino eſſe idem quod Rhetoricam. Atq; ut hoc confirmaret, ſubiunxiſſe
» Ariſtotelis auctoritatem: Atque etiam ante hunc Ariſtoteles, principio artis Rheto
» ricæ dicit, illam artem quaſi ex altera parte reſpondere Dialecticæ: ut hoc uidelicet
» differant inter ſe, quòd hæc ratio dicendi latior ſit, illa loquendi contractior. Vult ergo (aiebãt iſti) M. Tullius, idem Ariſtotelem dicere principio artis Rhetoricæ, quod Zenonem. hoc Zeno autem dixit, eſſe eaſdem: ergo ſequitur, ut ipſe uoluerit Ariſtotelẽ principio illius libri dixiſſe, eſſe eaſdem: licet dicat, quòd ſint etiam differentes.

Sed iſta reſponſio (mea quidem ſententia) non uidetur tueri M. Tullium: propterea quòd non poſſunt iſti negare, quin M. Tullius aſſeruerit Ariſtotelem principio artis Rhetoricæ dixiſſe, illam artem quaſi ex altera parte reſpondere Dialecticæ: & quin declarauerit, quomodo reſpondeat, ut hoc uidelicet differant inter ſe, Quòd
» hæc ratio dicendi latior ſit, illa loquendi contractior.

Interpretatur

Interpretatur ergo M. Tullius uocem ἀντίστροφος, Ex altera parte reſpondens. Vult ergo, quòd Ariſtoteles dixerat, ἡ ῥητορικὴ ἐστὶν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ, hoc ſignificare, Rhetorica ex altera parte reſpondet Dialecticæ. Nō poſſunt ij dem poſtmodùm negare, quin M. Tullius interpretetur, reſpondere ex altera parte, in eam ſententiam ut dicat, harum duarum facultatum unam eſſe latiorem, alteram contractiorem: quia adiecit, ut hoc uidelicet differant inter ſe: quòd hæc ratio dicendi latior ſit, & illa loquendi contractior. alioquin fruſtra, neq; ad rem addidiſſet illa uerba, quod eſſet abſurdum. Ergo neceſſe eſt fateri, M. Tullium ita ſenſiſſe, ut exiſtimaret Ariſtotelem uerbo illo ἀντίστροφος uoluiſſe ſignificare, id intereſſe inter Rhetoricam & Dialecticam, quòd una ſit latior, altera contractior. quod ipſum (niſi fallimur) à ſententia Ariſtotelis alienum eſſe atq; abhorrere demonſtrauimus.

SECTIO QVARTA.

NEc illud etiam defendit M. Tullium, quòd illi dicebant eum Zenonis auctoritatem interpoſuiſſe, ut oſtenderet Dialecticam eſſe uicinam & finitimam Rhetoricæ. qui cum compreſſerat digitos, pugnumq; fecerat, dicebat eiuſmodi eſſe Dialecticam. cum autem diduxerat, manumq; dilatauerat, palmæ illius ſimilem eloquētiam eſſe: ita ut eſſet eadem manus, quamuis differret, quatenus erat dilatata & conſtricta. Nam M. Tullius, cum dixiſſet Zenonem poſuiſſe, hoc intereſſe inter Rhetoricam & Dialecticā, quòd una eſſet latior, altera ſtrictior: ad hoc ipſum confirmandū attulit auctoritatē Ariſtotelis, quē dicebat ante eum dixiſſe hoc idē: nō citauit igitur Ariſtotelem in eo loco, ut oſtēderet quòd ipſe, ſed quòd Zeno dixerat, ex ea parte, quatenus una eſſet latior, altera cōtractior. Quòd ſi illud etiā inferri poſſit, ambas unam atq; eandē eſſe, tamē nihil ad noſtrā quæſtionē, quæ tota in hoc uerſatur, quòd Ariſtoteles principio artis Rhetoricæ non dixit, Rhetoricā reſpōdere ex altera parte Dialecticæ, quia una ſit latior, & altera contractior: quicquid ſit, quòd exiſtant etiam cum hoc eædem, & quicquid ſit de ueritate huius differentiæ ex ui ſua: quia de hac re non minima poſſet eſſe quæſtio. ſed nunc id non agimus.

Item reſpondere ex altera parte, propriè ſignificat reſpondere eregionè: ſed reſpondere eregionè, eſt alterum alteri opponi, ut latum & contractum: ergo ex M. Tullij interpretatione uocis ἀντίστροφος efficitur, uoluiſſe Ariſtotelē ſignificare, Rhetoricam & Dialecticam eſſe oppoſitas, ea ratione qua latitudo & contractio, quę ita ſunt oppoſita, ut in unum coire nullo modo poſſint.

At contrarium fuiſſe penitus eo loco Ariſtotelis conſilium atq; propoſitum, cùm rationes allatæ, tum uerba ipſa Ariſtotelis perſpicuè demonſtrant. Ergo fieri non poteſt ut M. Tullij explicatio uerbis Ariſtotelis rectè accommodetur.

Item, Ariſtoteles per uerbum ἀντίστροφος uel ſtatuit ex ſententia M. Tullij, intereſſe inter illas duas facultates, quòd uidelicet una ſit latior, & altera ſtrictior: uel cēſuit eas eſſe ſimiles, quòd ipſemet Ariſtoteles declarauit. Si uoluit intelligere ex ſententia M. Tullij, intereſſe inter illas eo modo quo dictum eſt, hoc aduerſatur rationibus allatis, & uerbis ipſius Ariſtotelis, inter quæ ſunt hæc: Ambæ enim ſunt de talib. quibuſdam, quæ cum ſint cōmunia, omnium eſt cognoſcere, & nullius ſcientiæ ſunt determinatæ. Probant enim, illud ἀντίστροφος ſignificare ſimilitudinem & identitatem, non differentiam. repugnat igitur interpretatio illa omnino Ariſtoteli.

Si uerò noluit Ariſtoteles differentiam inter illas oſtendere, ſed ſimilitudinem, ut ipſe Ariſtoteles ſeipſum explicat: fruſtra protulit M. Tullius hāc auctoritatem, qua demonſtraret intereſſe inter Rhetoricam & Dialecticam: neq; ad rem loquutus eſt. Quocunque igitur iſti ſe uertant, ut iaceat eorum defenſio interpretationis M. Tullij neceſſe eſt.

SECTIO QVINTA.

SEd rurſus dicet aliquis, uerbum ἀντίστροφος apud Ariſtotelem ſignificat propriè id quod dicit M. Tullius, id eſt oppoſitionem quandam: ergo non poteſt ſignificare ſimilitudinem.

Patet antecedens ex multis locis Ariſtotelis, & præcipuè ex 4. Polit. cap. 10. ubi dicit: Tertia ſpecies ipſius tyrannidis, quæ quidem maximè uidetur eſſe tyrannis, ἀντι- 4. Polit. 10.

στροφος exiſtens regiæ poteſtati. Hic enim uerbum ἀντίστροφος non poteſt aliud ſignifi care niſi contrarium: quandoquidem uera tyrannis non poteſt ſimilis eſſe regiæ po- teſtati, quę eſt ex optimis reipub. adminiſtrationib. cum ſit ipſa omnium peſsima, ut

8.Ethic.7. Ariſtoteles declarat his uerbis: Non enim eſt (inquit) rex qui non ſit per ſe ſufficiens,
„ & qui non excellat omnibus bonis: qui autem talis eſt, nullius indiget. utilia enim ſi-
„ bijpſi non conſiderat, ſed eis utilia quibus imperat. qui aũt non talis eſt, fortè eſt prin
„ ceps. potius quàm rex. Tyrannis eſt conrraria huic: perſequitur enim quod eſt bo-
„ num ipſi. & manifeſtius in hoc eſt quòd eſt peſsima: peſsimum enim eſt contrarium
„ optimo.

In dubium ergo uenire non poteſt, quin Ariſtoteles uerbum ἀντίστροφος uoluerit eo in loco ſignificare contrarium. ergo rectè interpretatus eſt M. Tullius, hoc uerbũ ἀντίστροφος principio artis Rhetoricæ ſignificare ex altera parte reſpondere, quod eſt e regionè reſpondere: & ſic opponi eo ſenſu, ut oſtenderetur differentia inter Rhetoricam & Dialecticam, quòd una ſit latior, altera contractior. Etenim latum & cõtractum uidentur aliquo modo contraria.

Hoc item corroborant uerba Ariſtotelis in Prędicamento ad aliquid, quo in loco declarauit relatiua dici ad conuertentiam.

1.Prior. Item, ubi docet propoſitiones conuertere ita ut ex ſubiecto fiat prædicatum, & e cõtrariò, qui ſitus ſunt cõtrarij, quia ſubiectum uidetur quatenus ad ſitum, contrariũ ipſi prædicato, ſicut locus ſuperior inferiori: hic enim, ſicut in multis alijs locis, idem uolens ſignificare, uſus eſt hac uoce ἀντίστροφος. Non igitur ſine cauſa M. Tullius interpretatus eſt in principio artis Rhetoricę uerbum ἀντίστροφος, eo modo quo tot locis accipit Ariſtoteles.

SECTIO SEXTA.

SEd quoniam arbitramur, rationes quas attulimus, & uerba ipſa Ariſtotelis, ſi rectè perpendantur, apertè oſtendere, uocem ἀντίστροφος eo in loco ſignificare eam ſimilitudinem quæ dicta eſt, præſertim cum ſeipſe interpretatus ſit dicens, ſe in principio dixiſſe, Rhetoricam eſſe ſimilem Dialecticæ: neceſsitas cogit, ſi uolumus firmã & ſtabilem huius rei opinionem habere, ut obiectioni propoſitæ, quæ mirum in modum urgere uidetur, reſpondeamus.

Dicimus ergo, quòd ἀντίστροφος apud Ariſtotelem aliquando ſignificat id quod dixit M. Tullius, & quod auctoritates Ariſtotelis allatæ oſtendunt, nempe contrarietatem quãdam, & oppoſitionem. atq; his fortaſſe locis Ariſtotelis M. Tullius impulſus fuit, ut afferret eam explicationem quam diximus.

At uerò cum inferebatur, ergo non poteſt ſignificare ſimilitudinem: nego conſequentiam. At idem nomen non poteſt ſignificare contraria. Concedo ſi in eodem loco poſitum ſit, & eodem modo ſe habeat. Sed nego, idem nomen in diuerſis locis non poſſe ſignificare contraria. Ad quod probandum accipiamus hoc ipſummet nomen ἀντίστροφος, quod iam conſtat ſignificare contrarium: & oſtendamus, idẽ apud eundem Ariſtotelem ſignificare ſimilitudinem ac proportionem. Dicimus igitur, principio artis Rhetoricæ hoc nomen ἀντίστροφος ſimilitudinẽ ſignificare, non in qualitate, ſed eam ſimilitudinem quæ eſt eiuſdem ad ſeipſum, quæ ex omnibus una eſt maxima ſimilitudo, ut dixit Ariſtoteles locis citatis. Et hoc ſic probatur: quia concluſio, ut dicemus, propter quam Ariſtoteles accepit hanc propoſitionem, quòd Rhetorica eſſet Dialecticæ ἀντίστροφος, quæ quidem concluſio erat, quòd Rhetorica poſſet ad artem redigi (ut dictum eſt) non ſequebatur ex eo quòd Rhetorica eſſet cõtraria Dialecticæ: ſed ex hoc, quòd eſſet ſimilis & eadem: ergo non poteſt ἀντίστροφος eo in loco ſignificare contrarium. aliter enim tantum abeſſet ut Ariſtoteles inſtitutũ ſuum probaret, ut contrarium inducere uideretur.

Item, ratio qua probauit Rhetoricam eſſe ἀντίστροφον Dialecticę, declarat omnino identitatem: quia fieri non poterat, ut ex hoc quòd erant de communibus quibuſdã, & cætera, ſequererur ipſas eſſe contrarias.

Præterea ipſe Ariſtoteles paulo pòſt ſeipſum explicans ait, ſe dixiſſe in principio, Rhetoricã eſſe ſimilem Dialecticæ: eandemq; affert rationẽ quã attulit in principio ad eam ipſam cõcluſionẽ probandã: neceſsitas igĩ cogit, ut utrobiq; intelligat idem.

Pręterea definitiones ambarum ſunt eædem, ergo & ipſæ ſunt eædẽ: non poſſunt

igitur

igitur eſſe contrariæ. idq́ negari non poteſt, mea quidem ſententia, quin principio artis Rhetoricæ nomen ἀντίστροφος ſignificet ſimilitudinem, quæ planè eſt identitas: quod idem tamen alijs locis ſignificat contrarietatem. rectè igitur dictum eſt, idem nomen diuerſis in locis ſignificare poſſe contraria: hoc enim obtinuit uſus, penes quem eſt uis & norma loquendi.

SECTIO SEPTIMA.

SEd quamuis rationes & auctoritates Ariſtotelis quas attulimus, uideantur mihi ſatis apertè oſtendere, uerbum ἀντίστροφος poſſe ſimilitudinem ſignificare: tamen ad idem probandum afferemus alia etiam Ariſtotelis uerba, ut rei iſtius quæ non eſt parui momenti, & quæ multorum doctorum hominum ingenia uehementer exercuit, ueritas firmius haberi poſſit. Ariſtoteles igitur 4. Politic. cap. 5. de oligarchijs loquens: Altera (inquit) ſpecies, quando filius pro patre ingreditur uel accedit: quarta autem, quando ineſt quod nunc dictum eſt, & imperat non lex, ſed imperantes, & ipſa eſt ἀντίστροφος in oligarchijs, quemadmodum tyrannis in monarchijs, & de ultima democratia, quam diximus in democratijs. Et paulo pòſt: Et quarta ſpecies oligarchiæ eſt ἀντίστροφος ultimæ democratiæ. 4. Polit. 5.

His in locis apertè conſtat, nomen ἀντίστροφος ſignificare analogiam & proportionem quandam, & ita ſimilitudinem. Hic eſt enim ſenſus uerborum Ariſtotelis: Quartam ſpeciem oligarchiæ ita ſe habere in oligarchijs, quemadmodum ſe habet tyrannis in monarchijs, & ultima ſpecies democratiæ in democratijs. quod repetens uerbis poſtremo loco citatis, magis explicauit, quam planè analogiam & proportionē paulo antè loquens de ultima democratia ijs planè uerbis declarauit: Et eſt talis populus analogon inter monarchias tyrannidi.

Quòd autem analogia & proportio ſignificet ſimilitudinem rationū, ita in promptu eſt, ut ſtultè atq́ inſulſè mihi facturus uidear, ſi eius rei probationē afferre coner.

Idem Homeri teſtimonio confirmari poteſt, qui inquit, ἀντιθέῳ ὀδυσσῆι, quod uerbum, qui in eum ſcholia conſcripſit, ita interpretatus eſt, ἰσοθέῳ τῇ ἀρετῇ. Et paulo pòſt de Polyphemo ait: ἀντίθεον Πολύφημον νῦν τὸν ἐναντιούμενον θεοῖς, τὸν ἀσεβῆ.

Idem ergo uerbum apud Homerum aliquando ſignificat parem Deo, aliquando contrarium Deo: quæ quidem uidentur inter ſe aliquo modo pugnare.

SECTIO OCTAVA.

ALexandri item Aphrodiſienſis, qui inter Græcos Ariſtotelis explanatores primas tenere exiſtimatur, non dubitabo teſtimonium afferre, præter conſuetudinē meam, qui unius Ariſtotelis auctoritatē ſequi profiteor. is igitur 1. Top. de Dialectica loquens: Cum talis (inquit) ſit Dialectica, meritò eam ἀντίστροφον dixit Ariſtoteles eſſe Rhetoricæ, quoniā illa circa perſuaſibilia: quæ quia ſunt probabilia, ipſa ſunt talia. etenī ἀντίστροφον unū idemq́ quod ἰσόστροφον, & circa talia uerſantē & factā, dicit. 1. Top.

Interpretatur ergo Alexāder uerbū ἀντίστροφον, ἰσόστροφον. & ita ex ipſo qui oprimè Græcā linguā tenebat, hoc ſaltē habemus, ἀντίστροφον ibi nō ſignificare cōtrarium, ſed æquale. Quanq́ non uidetur ſatis rectè explicaſſe ſententiam Ariſtotelis: quippe qui uidetur indicare, ſe non intelligere Ariſtotelem uoluiſſe per illud uerbum ſimilitudinem ſignificare, & identitatē Rhetoricæ & Dialecticæ: quia quæ ſunt æqualia, non uidentur omnino eſſe eadem in ſubſtantia. ex ratione autem Ariſtotelis, & ex eiuſdem uerbis manifeſtè ſequitur, quemadmodum demonſtrauimus, Rhetoricā eſſe idem quod Dialecticam. Satis tamen propè acceſſit Alexander ad intelligētiam uocis ἀντίστροφος: ſed ſi eam interpretationem adhibuiſſet, quam adhibuit ipſe Ariſtoteles, tutius & cautius locum iſtum explicaſſet: neq́ occaſionem præbuiſſet putandi, eum Ariſtotelis ſententiam in hac re non eſſe aſſequutum.

His ita explicatis, mihi iam uidetur concludendum eſſe, uerbum ἀντίστροφος apud Ariſtotelem aliàs contrarietatem ſignificare, aliàs etiam ſimilitudinem. Quòd ſi frequentius uidetur ſignificare contrarietatē, ut ex eis quæ dicta ſunt in cōuerſionib. conſpicuum eſt: nihil tamen prohibere uidetur, quin ſignificet interdū ſimilitudinē, & quod idem eſt, ſiue id propriè ſiue ſecus: parui enim hoc referre arbitramur. Atq́ etiam ſi nullo alio loco uſus eſſet Ariſtoteles hac uoce ἀντίστροφος, quæ ſimilitudinē eam ſignificaret, quam diximus: ratio tamen, & eiuſdem uerba quæ protulimus, im-

pellerent nos ut ſic interpretaremur, quemadmodum interpretati ſumus. Longè enim melius ducendum eſt, uim uerbis afferre, quàm rationi & ueritati, ut ſępiſsimè in Ariſtotele explicando cogimur facere. alioquin eius doctrina multis in locis errans & uaga, & non ſtabilis & firma uideretur. quod planè abſurdum eſſe, eis qui in illa diligentius uerſantur perſpicuum eſt.

Igitur profligata iam & ad exitum perducta mihi uidetur ex ſententia Ariſtotelis, quæſtio propoſita, an idem nomen in diuerſis locis ſignificare poſſet contraria. Perſpicuum item uidetur eſſe, uocis ἀντίστροφος explicationem quam M. Tullius tradidit, non conſentire (ut nos opinamur) uerbis Ariſtotelis.

Quòd ſi alij aliter ſentiant, non repugno: imò mirum in modum opto, ut uir ille eloquentiſsimus atque doctiſsimus, cui nos Latini tantum debemus quantum Latinæ linguæ, ab alijs defendatur. nam nos quidem ſiue ingenij ui & acumine deſtituti, (nõ enim, ſi ita ſit, pudet nos fateri) ſiue quæ alia cauſa eſt, defenſionem quæ iudicio noſtro probaretur, licet diu multumque cogitantes, nullam adhuc inuenire potuimus. facile eſt enim uerba proferre: ſed ea peruestigare quæ rebus conſentiant, longè difficilimum eſt.

Planum etiam eſt, Rhetoricam & Dialecticam non eſſe ſcientias, neque ártes, neque habitus actiuos, neque ulli ſcientiæ ſubalternatos: ſed eſſe facultates tantùm inueniendi cõmunia probabilia, eaſdemque eſſe in ſubſtãtia, quæ etiam ipſę ortum habẽt à ſenſu.

SECTIO NONA.

AT hic contra ea quæ concluſa ſunt, obijciat aliquis, & primò: Sic tu dixiſti, Propoſitionem illam, quòd Rhetorica eſt ἀντίστροφος Dialecticæ, poſitam fuiſſe ab Ariſtotele, ut oſtenderet Rhetoricam poſſe ratione atque arte dirigi, & ita eſſe eandẽ quam Dialecticam: deinde poſuiſti, illam non eſſe artem: ergo non ſolùm pugnantia, uerùm etiam negantia aſſeruiſti. Quòd autem ſit ars, apparet: quia Ariſtoteles inſcripſit eam artem. Præterea ſæpe illã nuncupat ſcientiam: ergo falſum eſt non eſſe ſcientiam, quemadmodum tu aſſeruiſti.

Præterea falſum eſt, quòd nõ differat à Dialectica in ſubſtantia: quia Ariſtoteles inanẽ & ſuperuacaneum laborẽ ſuſcepiſſet. bis enim de eadẽ Dialectica ſcripſiſſet.

Item dixit, quòd Dialectica procedit ex eis quæ indigẽt ratione, Rhetorica uerò ex eis quib. ſolemus uti in deliberationib. & cõſilijs. Eſt em (inquit) opus ipſius, de illis de quibus conſultamus, & de quibus artem non habemus. Et ponit multas alias ipſarum differentias. ergo non ſunt eædem in ſubſtantia, ſicut tu poſuiſti.

Item, differunt in argumentando materia, ergo ſubſtantia. Quòd differant materia, conſtat. Rhetorica enim conficit ſua argumenta ex perſuaſibilibus, ut patet ex ipſius definitione: Dialectica uerò ex probabilibus, quæ ſunt materiæ diuerſæ.

Item, fines ipſarum ſunt diuerſi, ergo ipſæ quoque ſunt diuerſæ. Antecedens perſpicuum eſt: quia finis Rhetoricę eſt perſuadere, Dialecticæ uerò opinionem generare.

Præterea, Omnis mens, uel omnis habitus intellectus eſt neceſſariò aut ſpeculatiuus, aut actiuus, aut factiuus. Rhetorica & Dialectica ſunt habitus intellectus, ſunt enim propoſitiones uniuerſales: ergo ſunt uel ſpeculatiuæ, uel actiuæ, uel factiuæ. Falſò igitur poſuiſti contrarium.

1. Ethic. 2. Præterea ſalſum eſt, quòd Rhetorica nulli ſit facultati ſubalternata: quia 1. Ethic. dicit Ariſtoteles, eam eſse ſub Politica.

SECTIO DECIMA.

HAe ſunt quæſtiones quæ uidentur labefaçere atque infirmare ea quę diximus de Dialectica & Rhetorica: quas ſi (ut ſperamus) diluerimus, nihil phibebit, qn ea quę de iſtis facultatibus diximus, Ariſtotelis uerbis & rationi conſentanea uideanť.

Ad primam igitur quæſtionem reſpondemus, nihil eſse quare aliquis exiſtimet, nos non ſolùm pugnantia, ſed etiam negantia locutos eſse. nam nihil uerius ex ſentẽtia Ariſtotelis proferre potuimus. Ipſæ enim nõ ſunt artes, neque ſcientię, neque prudẽtia: ut oſtenderunt omnes Ariſtotelis auctoritates, quas in ſuperioribus ex Rhetorica & Dialectica citauimus. Non eſsent enim facultates inueniendi probabilia circa unamquanque rem, ſed eſsent determinati generis: ut apertè indicat ratio qua probauit Ariſto-

uit Ariſtoteles, Rhetoricā eſſe eiuſmodi facultatem: quæ quidem ratio alioquin nul-
lam uim haberet. inquit autem ipſe Ariſtoteles: Si aliquis ergo aut Rhetoricam aut 1. Rhet.
Dialecticam non ut facultates, ſed ut ſcientias inſtruere ac docere conatur, is naturā "
earum hoc tranſitu interimere uidetur: cum non ſolùm in ſermones, ſed in quarundā "
ſubiectarum rerum ſcientiam redigat. "

Vult ergo Ariſtoteles, ſi hoc proponatur. Iſta facultas eſt ſcientia: cōſequens eſſe,
Ergo non poteſt eſſe neq; Rhetorica neq; Dialectica: quia ſi eſt ſcientia, eſt de ſubie
cto determinaro. at Dialectica & Rhetorica nō poſſunt eſſe de rebus determinatis,
ergo non poſſunt eſſe ſcientiæ. Eadem ratione non poſſunt eſſe artes, quia eſſent
de rebus determinatis. & hoc perſpicuū eſt ex eis quæ dicta ſunt ſuprà, in probatio-
ne definitionis Rhetoricæ. Ita etiam non poſſunt eſſe prudentia & habitus actiuus,
quia idē ſequitur: & in uerbis modò citatis accepit Ariſtoteles nomen ſcientiæ, ut cō
tinet habitus ſpeculatiuos, practicos & factiuos: á quibus excluduntur Dialectica &
Rherorica, ob eam cauſam quam diximus.

Ad rationem & auctoritatem Ariſtotelis, qua demonſtrabatur Rhetoricam eſſé
artem, dicimus nomen artis in eo loco non accipi propriè, ſed communiori uocabu-
lo. nam per artem intelligit ibi Ariſtoteles omnem cognitionem, quę uia quadàm &
ratione atq; ordine traditur: id quod de Rhetorica negabant nonnulli, qui dicebant
eius materiam eſſe materiam uagam & errantem, quæ nunquam poſſet in aliquem
ordinem redigi, cum non haberet connexionem inrer ſe.

Hæc reſponſio colligi poteſt ex ea probatione quam attulit Ariſtoteles, ad probā
dam illam concluſionem, quòd Rhetorica ad artem reuocari poſſet. non enim pro-
bat Rhetoricam eſſe artem, quia ſit habitus factiuus: ſed alio modo, quam nos proba
tionem redigemus ad formam, tum quia difficilis nobis uidetur eſſe, tum quia ea quę
dicta ſunt in ſuperioribus, erunt clariora. Sed in primis dicamus, Ariſtotelem, ante-
quam poneret definitionem ueram Rhetorices, ex qua concluſit ea quæ erant acci-
pienda in Rhetorica, uoluiſſe tribus tacitis obiectionib. reſpondere, & ipſas reijce-
re. quarum Prima erat, quòd ipſe fruſtra & inaniter ſuſcipiebat laborem ſcribendi
de Rhetorica, propterea quòd non poſſet ad artem redigi. Altera erat, quòd ſi ma-
ximè poſſet ad artem reuocari, tamen ſine cauſa hoc faciebat, quia multi de ea perfe-
ctè ſcripſiſſent. Tertia, quòd ſi eſſet eiuſmodi quæ uia ac ratione tradi poſſet, etſi e-
tiam non fuiſſet perfectè de ipſa ab alijs ſcriptum, tamen non rectè hoc ipſe erat ag-
greſſurus, propterea quòd non eſſet utilis, ſed pernicioſa humano generi. Ac uidetur
quidem Ariſtoteles his tribus tacitis obiectionibus occurrere uoluiſſe, ob ea quę di
xit 2. Cœli, tex. 33. Fortè quidem igitur de quibuſdam enunciare aliquid tentare, & de 2. Cœl. text. 33
omnibus, & prætermittere nihil, forſitan utiq; uidebitur eſſe ſignum aut multæ ſtul- "
ticiæ, aut multæ promptitudinis. non tamen iuſtum quidem omnes ſimiliter incre- "
pare, ſed uidere oportet cauſam dicendi, quæ eſt. Adhuc autem, qualiter ſit ſe habēs "
in credendo, utrum humano modo, aut firmius, certiores quidem neceſsitates quo- "
niam quis attigerit, tunc gratiam habere oportet inuenientib. & quæ ſequuntur. "

Quia ergo conſcribere Rhetoricam, poterat uideri ſignū multæ ſtulticiæ, ob cau-
ſas dictas: ideo fuit coactus quæſtionibus illis, tanquam obijcibus quibuſdam ſubla-
tis, aditū ſibi liberiorē aperire ad præcepta de arte Rhetorica tradenda. Itaq; proœ-
mium quo utitur, ex illis eſt quæ à Græcis appellantur ἰατρεύματα, ſuntq; commu-
nia, non propria. Probat autem primùm, Rhetoricam ad artem reuocari poſſe. cuius
quidem probationis argumentatio uidetur redigi ad formam ſyllogiſticam, hoc mo-
do: Qui utuntur communibus, & participant ipſis quæ omnium eſt cognoſcere, &
nullius ſcientiæ determinatæ, utuntur Dialectica & Rhetorica, & participant amba
bus: Omnes utuntur aliquo modo communibus, & participant ipſis quæ omnium
eſt cognoſcere, & nullius ſcientiæ determinatæ: Ergo omnes utuntur Dialectica &
Rhetorica, & participant ambabus.

Ponit concluſionem in textu. Maiorem propoſitionem declarat, cum inquit:
Rhetorica ob hoc dicitur ſimilis Dialecticæ, quia ambæ ſunt de talibus quibuſdam, "
quæ cum ſint communia, omnium eſt cognoſcere, & nullius ſcientiæ determinatæ "

Maior igitur perſpicua eſt ex hoc dicto, quod dictum niſi ita intelligatur, non ſa-
tis patet quo conſilio aſſumpſerit Ariſtoteles, Rhetoricam eſſe ſimilem Dialecticæ,

eiuſq; rei rationem adiunxerit. Minor propoſitio perſpicua eſt. cogimur enim ita
» ordinare: Quia concludit, quare & omnes participant modo aliquo ambabus. quæ
concluſio neceſſariò oritur etiam ex ſuperioribus: alioquin ſuperuacanea eſſent ſu-
» periora. & quando ſtatim ſubiecit, Omnes enim uſq; ad aliquem terminum & inqui
» rere & ſuſtinere aggrediuntur, &c.

Probat eandem concluſionem experientia & ſenſu, quam probauerat ex cauſa. etenim cauſa quare omnes participant Dialectica & Rhetorica eſt, quia ſunt ex communibus. & perſpicuum eſt, communia participari ab omnib. Sic enim exponendo, perſpicimus dictam concluſionẽ (Quare & omnes modo aliquo, &c.) oriri & ex ſuperioribus, & ex eis quę ſequuntur. Omnes enim uſq; ad certum finem & inquirere, &c. Et ita neq; ipſa, neq; illa (Rhetorica eſt ἀντίστροφος Dialecticæ) erunt ſuperuacanea, ac præter rem.

Ad hanc uerò argumentationẽ ita ordinandam, impulerunt nos etiam ea quæ 1.
1. Elench. 8. Elẽch. cap. 8. ad hunc modum ſcripta reliquit Ariſtoteles: Manifeſtum eſt, quoniam
» nullius determinati tentatiua diſciplina eſt, eo quòd de omnibus eſt. nã omnes artes
» utuntur communib. quibuſdam. Quare omnes etiam idiotę quodam modo utuntur
» Dialectica, & tentatiua: nam omnes uſq; ad certum finem conantur diiudicare pro-
» nunciantes. hæc autem ſunt communia: nam ea nihil minus ſciunt ipſi, licet uidean-
» tur ualde contradicere.

Hæc enim ratio, ſi bene conſideremus, ſimilis eſt illi qua uſus eſt in hoc loco. addidit tamen, Hæc autem ſunt communia: ut oſtenderet illam concluſionem. quòd nullius determinati tentatiua diſciplina eſt, pendere ex eo quòd Dialectica & tentatiua ſunt ex communibus: quod nos in dicta ratione ordinanda poſuimus neceſſariò, ne & in lib. Elench. illa uerba eſſent ſuperuacanea: & hic iſta, Rhetorica eſt ἀντίστροφος
» Dialecticæ: Quoniam ambæ ſunt de talibus quibuſdam, quæ cum ſint communia,
» omnium eſt cognoſcere, & nullius ſcientiæ determinatę. Ex quo etiam patet, uocem
ἀντίστροφος ſignificare omnino ſimile, quod eſt idem, ut diximus: & nõ, id quod ex altera parte reſpondet.

Ex multis igit̃ (quos ſuprà dixit omnes) alij caſu hæc efficiunt, & utũtur his duab. facultatib. & participãt ipſis: alij uerò propter habitũ qui eſt ex cõſuetudine, alij à caſu: quæ cõcluſio uidet̃ accipienda prout deducit̃ ex prima cõcluſione, quòd omnes aliquo modo participãt & utũtur ambab. alioquin illa prima cõcluſio in hac ꝓbatio-
» ne eſſe ſuperuacanea. Satis eñ fuiſſet, ſi dixiſſet: Omnes eñ uſq; ad certũ quendã ter
» minũ & inquirere & ſuſtinere, &c. ſi ex hac uoluiſſet deduci ſecundã cõcluſionẽ, uſde
licet Quòd ex multis alij caſu hæc efficiunt, alij propter habitum ex conſuetudine.

Item ſuperuacaneè poſita fuiſſent ea ex quib. deducta fuit prima cõcluſio, ſi rectè cõſideretur: neq; etiam negandũ eſt quin ſit cõcluſio ſequens ex pręcedentib. neceſſariò, alioquin eſſet gratis accepta: & ſuperiora fuiſſent ſuperuacanea. ſi cõcluſio ultima, Quòd ſcilicet Rhetorica & Dialectica poſſunt redigi ad artẽ, poſſet ſeq; ex hac: & ipſa ex neceſſitate nõ ſequeret̃ ex præcedentib. ut patet. Videtur ergo eſſe cõcluſio, & probari ſic: Quibus participant & utuntur omnes, neceſſe eſt alios à caſu his participare & uti, alios ex habitu propter conſuetudinẽ. Non enim fieri poteſt ut omnes habeant habitum, & ſint ſcientes, quia idiotæ nõn utũtur ijs ex habitu propter conſuetudinem: ergo utuntur à caſu. neq; rurſus omnes ſunt idiotæ & rudes, ſed aliqui ſunt periti: ergo utuntur eis ex habitu propter conſuetudinem. Sed Rhetorica & Dialectica participant aliquo modo, & utũtur omnes: ergo neceſſe eſt alios his uti à caſu, alios ab habitu propter conſuetudinem. & licet dicat ex multis alijs facere hæc, ꝙ pronomẽ uidetur deſignare proximiora, uidelicet aliquos inquirere & ſuſtinere orationem, & defendere & accuſare: tamen propter rationes dictas intelligendum eſt, ipſum deſignaſſe ea quæ diximus, quatenus ex illis ſequitur prima concluſio, non quòd uellet concluſionem ſecundam ſequi ſine aliquo medio ex illis uerbis: alioquin, ut diximus, omnia ſuperiora eſſent ſuperuacanea. Sed illa quibus utuntur alij caſu, alij ex habitu propter conſuetudinem, poſſunt redigi ad certam uiam. Rhetorica & Dialectica ſunt huiuſmodi, ut probatum eſt: ergo poſſunt redigi ad certam uiam. Concluſionẽ ponit in textu cum Minori: Quoniam utroq; modo, &c.

Deinde probat Maiorem: Sed illa quorũ contingit conſiderare cauſam, quare ali-

qui utantur

qui utantur eis à caſu, & aliqui propter conſuetudinem ab habitu, poſſunt redigi ad certam uiam, quia illa cauſa erit certa uia. Sed redigere aliquid ad certam uiam, eſt redigere illud ad artem: omnes enim dicũt tale eſſe opus artis, id eſt officium, uidelicet redigere aliquid ad certam uiam. Rhetorica & Dialectica ſunt huiuſmodi: ergo redigi poſſunt ad artem.

Illud uerò quod dicit, Tale autem omnes confitentur, &c. illud inquam uerbum Tale, non debet referri ad uerba ſine medio præcedentia, quia illa ſunt probatio concluſionis paulo antè dictæ, non concluſio: ſed debet referri ad concluſionẽ quæ erat, " Manifeſtum eſt quòd hæc poſſunt redigi ad certã uiam: quia redigere aliquid ad certam uiam, eſt propriè officium artis. Et ut res melius percipiatur, ordinemus iterũ rationem Ariſtotelis hoc modo enthymematicè: Rhetorica & Dialectica ſunt ex cõmunibus quibuſdam, &c. igitur omnes quodam modo participant ambabus: igitur aliqui participant ipſis à caſu, & aliqui ex habitu, qui eſt ex conſuetudine: igitur poſſunt in certam rationem ac uiam redigi. etenim contingit cauſam ſpeculari, qua tam qui per conſuetudinem quàm qui à caſu participant illis, quod uolunt aſſequuntur. igitur poteſt redigi ad certã uiam & rationẽ, ut dictũ eſt. Sed omnes cõfitenť hoc eſſe artis opus, ergo poteſt redigi ad artem: ergo non inaniter tractabimus ipſam.

Primùm aũt antecedẽs habetur (meo quidẽ iudicio) ex hoc, Quoniã ob hoc Rhetorica diciť ſimilis in ſubſtãtia Dialecticæ, quia ambæ ſunt de talib. quibuſdã, quę cũ ſint cõmunia, omnium eſt cognoſcere, & nullius ſcientiæ ſunt determinatæ. Si igitur Rhetorica diciť ſimilis in ſubſtãtia Dialecticæ, quia eſt ex communib. ſicut eſt Dialectica: eſt ergo ex communib. alioqn nõ diceretur ſimilis ipſi Dialecticæ. & hoc pſpicũum eſt, quare Ariſtoteles acceperit hãc propoſitionẽ, quòd Rhetorica eſt ſimilis Dialecticæ. niſi enim ita ordinemus & explicemus uerba Ariſtotelis, non ſatis conſtat (ut dictum eſt) ad quid acceperit primam illam propoſitionem.

Quare ſi uolumus nos (ita demùm uidetur innuere Ariſtoteles) redigere Rhetoricam ad artem, id faciendum ſuſcipimus, quod fieri poteſt. Non ergo noſter labor erit inanis, contrà quàm putabant aliqui: & ſic reiecta eſt prima calumnia.

Ex quibus omnibus perſpicuè patet, Ariſtotelem nũcupaſſe Rhetoricam artem, quia poterat tradi certa uia: non quia eſſet habitus factiuus cũ ratione uera, qui propriè eſt ars. atq; ita quatenus certa quadam uia & ordine traditur, non negatur quin appellari poſsit nomine artis, impropriè tamen.

Sed quęrat fortaſſe quiſpiã, quę'nã ſit illa cauſa, quare alij caſu finẽ ſuum aſſequantur, accuſantes uel defendẽtes: alij ex habitu ꝑpter conſuetudinẽ, cuius quidẽ cauſæ ſpeculatio redigat illa ad certã uiam, & ſic ad artẽ. Dicerẽ eſſe ꝑpoſitiones ꝓbabiles quidẽ, poſitis tribus generib. cauſarũ, fieri potuit ut accommodarenť unicuiq; generi: ut quæ eſſent ꝑpriè generis deliberatiui, accõmodarentur deliberatiuo: & quæ demonſtratiui, demonſtratiuo: & quæ iudicialis, iudiciali, ſicut fecit Ariſtoteles. & ita Rhetorica ad certam uiam redacta eſt, & per conſequens ad artem.

Quòd igitur diximus Rhetoricã nõ eſſe artẽ, neq; ſcientiã, nõ repugnat Ariſtotelis ſentẽtiæ, cũ dixit ipſam eſſe artẽ: quia nõ intellexit ipſam eſſe ꝑpriè artẽ, ſed cõmuniori uocabulo ita appellauit, ut ſuprà demõſtrauimus. Atq; artis quidẽ nomine id intelligi quod diximus, uideť ipſe oſtẽdere, cũ ait: Perſuaſionẽ uerò aliæ ſine arte, alię 1.Rhet.2.
artificioſę. Sine arte illas appello, quæ à nobis nõ excogitãtur, ſed cũ extrà ſint, aſſumũtur: ut teſtes, cruciatus, ſcripta. Artificioſas uerò, quę ratione & uia à nobis excogitari poſſunt. Itaq; ipſarum alijs uti oportet, alia inuenire. "

Etenim uia qua traditur Rhetorica, eſt, ut poſitis tribus generib. cauſarũ quæ ſunt fines, certo quodã ordine inueniantur propoſitiones accommodatę unicuiq; generi: ſicut in Dialectica poſitis quatuor problematibus, inueniuntur propoſitiones accommodatæ unicuiq; problemati, & ita poſſunt dici inuentiuæ.

SECTIO VNDECIMA.

SEd contrà inſtaret aliquis: Si Rhetorica non eſt ars, neq; ſcientia, neq; habitus actu us, non erit ergo honoratiſsima.

Probatur conſequentia: Quia hæc tantùm dicũtur honoratiſsima. Sed conſeqũẽs 1.Ethic.2.
eſt falſum, euertit enim illa Ariſtotelis uerba: Videmus enim honoratiſsimas facultates ſub hac eſſe, ut Rhetoricam, artem militarem, & œconomicam. "

Reſpōderem, Rhetoricam non eſſe honoratiſsimam ſuapte natura, & ex ſua ſubſtantia, quatenus eadem eſt quæ Dialectica: quia eſt de communibus probabilibus,
1.Rhet.2. quæ non ſunt honoratiſsima. quod ſignificauit Ariſtoteles, cum inquit loco ſuperius
» citato in aliam occaſionem: Quapropter & Rhetorica ipſa, & qui eam adepti ſunt,
» uel ignorantia, uel arrogantia, uel alijs cauſis quibus homines perturbantur, ipſius
» quoque Ciuilis poteſtatem conſequutos eſſe arbitrantur. Particula enim Dialecticę
» quędam, ac ſimilitudo, ut principio diximus. Neutra enim earum de re determinata,
» quomodo ſe habeant, ſcientia eſt: ſed facultates quædam inueniendorum ſermonū.

Quibus uerbis apertiſsimè redarguit Rhetores eos, qui propter ſuperbiā & alias cauſas quas ibi commemorat, falsò iactabant Rhetoricam eſſe ciuilem: cum ſit tamē, ut inquit ipſe, particula Dialecticæ quædam, & ſimilitudo, cuiuſmodi non eſt ciuilis. At uerò quatenus eadem adiuncta eſt materię ciuili, quæ eſt honoratiſsima, ſummus ipſi quoq; tribuitur honos, & dicitur eſſe ſub Politica: quippe quæ incumbit ad perſuadendum in materia ciuili iuſta & honeſta, qui ſunt fines Politicæ, ut in 1. lib. dixi-
1.Rhet.1. mus de arte militari. Quod idem ſic oſtēdit Ariſtoteles: Vtilis autem Rhetorica eſt,
» tum quia uera & iuſta meliora ſecundum naturam ſunt, quàm contraria: ita ut niſi re-
» ctè ac probè iudicia fiant, neceſſe ſit uinci quod uituperatione dignum eſt.

Ex his ergo quæ dicta ſunt, perſpicuè patet, nos non eſſe pugnātia locutos, quòd dixerimus Ariſtotelem poſuiſſe illam propoſitionem, quòd Rhetorica ſit ἀντίστροφος Dialecticæ, ut oſtenderet ipſam poſſe redigi ad artem: & poſtea negauerimus eam eſſe propriè artem. Hæc enim oſtendimus inter ſe non pugnare. Diſſoluta ergo eſt prima quæſtio.

Ad eius confirmationē quæ ſubiungebatur, concedimus, Ariſtotelem inſcripſiſſe ipſam artem, ſed non intellexiſſe propriè, ſed eo modo quo diximus. Quam rem ſcilicet, quòd non ſit propriè neq; ſcientia neq; ars, uidetur innuiſſe Ariſtoteles 1. Po-
1.Poſt.1. ſter. cap. 1. ubi cum dixiſſet, omnem doctrinā & omnem diſciplinam fieri ex præexi-
» ſtenti cognitione, ſubiunxit: Manifeſtum autem eſt ſpeculantibus in omnibus. Ma-
» thematicæ enim ſcientiæ illo comparantur modo, & quæq; cæterarum artium. Simi
» liter autem & circa orationes quæ per ſyllogiſmum, & quæ per inductionem. utreq;
» enim per prius nota faciunt doctrinam: hæ quidem accipientes, tanq; à notis: illæ ue-
» rò monſtrantes uniuerſale, per id quod manifeſtū eſt ſingulare. Similiter aūt & Rhe-
» toricæ perſuadent: aut enim per exemplum, quod eſt inductio: aut per enthymema,
» quod quidē eſt ſyllogiſmus. Ex his enim uerbis colligitur, ipſum non poſuiſſe Rhetoricam & Dialecticam neq; ſub ſcientijs, neq; ſub artibus, alioquin eas nō ſeorſum enumeraſſet: ſicut non numerauit aliquam aliarum ſcientiarum uel artium. nō enim cōſentiebat rationi, ſi erāt artes, ut ſeorſum eumerarenť, cū generali cōprehenſione cōprehenſæ fuiſſent: præſertim cū nulla maior ratio eſſet unius artis quàm alterius.

Et ita cōcedimus, ipſum aliquādo nūcupaſſe Rhetoricā ſcientiam, ſed cōmuniori uocabulo: quippe cū apertè negauerit, ut patet ex ſuperioribus, ipſam eſſe ſcientiam.

Ad id uerò quod ſubiūgebatur, ſequi ut Ariſtoteles ſine cauſa bis de eadē re ſcripſiſſet, ſiquidē Rhetorica eſſet idē in ſubſtantia quod Dialectica: dicimus hoc quidē ſequuturū fuiſſe, ſi eodē modo bis de Dialectica tractaſſet. Sed cū nō eodē modo tractauerit, negamus ex eo ſequi quicq; abſurdi. Quòd aūt non eodē modo tractauerit, ex eis quæ in ſuperiorib. dicta ſunt colligitur. Dictū eſt em̄, Dialecticā eſſe accōmodatam quatuor problematib. ut problemati de accidēte, de genere, de proprio, & de definitione: quæ cōplexu ſuo omnes facultates cohibet & cōtinent. Eadē accōmodata eſt ſeorſum materiæ ciuili, quòd hæc materia eſſet ualde turbulēta, atq; eiuſmodi in qua q̄tidie uerſandū nobis eſſet, & ſic ad materiā ciuilē translata nūcupata eſt Rhetorica. idq; nō ab re factū eſt, ut quæ facultas erat uniuerſaliter omni materię accōmodata, unicuidā ſigillatim, qua maximè indigeremus, applicareť. Atq; ita quidē Dialectica ex ea parte quatenus ciuilē materiā ſubiectā habet, de qua tractať in Rhetoricis, aliquo modo diuerſa eſt à ſeipſa: quatenus eſt uniuerſaliter ſumpta, de qua tractatū fuit in Top. ex quo intelligiť, nō eodē modo bis de ipſa ſcripſiſſe Ariſtotelem.
1.Rhet.2. Quòd uerò adiungebať, Ariſtotelē poſuiſſe differētiam inter Rhetoricā & Diale
» cticā, quia dixit, Dialecticā ꝓcedere ex eis quæ uidenť ijs q indigēt ratione, Rhetori
» cā uerò ex ijs quibus ſolemus uti in deliberationib. & cōſilijs. Dico, uerā eſſe hanc

differentiam:

differentiam: ſed eam accidere ratione eius applicationis quã modò diximus. in ſua tamen ſubſtantia eaſdem eſſe ambas. & breuiter dico, quaſcunq; differentias Ariſtoteles ſtatuit, aut ſtatuere poteſt inter Rhetoricam & Dialecticam, naſci omnes ratione materiæ ciuilis, cui ipſa Rhetorica eſt accommodata.

Nam quòd Rhetorica utatur enthymemate & exemplo, nõ autem ſyllogiſmo & inductione, hoc fit, quia in materia ciuili refertur ad eos qui audiunt. Non negamus tamẽ, quin ipſa Dialectica ad materiam ciuilem traducta, poſsit etiam dici Dialectica: ſed tamẽ uſus obtinuit, ut maximè diceretur Rhetorica. ſicut rurſus ipſa Rhetorica, applicata quatuor illis problematibus dici poſſet etiam Rhetorica, quanquã tunc propriè dicitur Dialectica. Nihil igitur uidetur obſtare, quin illa ſint uera quæ à nobis dicta ſunt, quòd Rhetorica & Dialectica ſint eædem in ſubſtantia, differant uerò aliquo modo ratione materiæ cui applicantur.

Quòd addebatur, eas differre aliqua materia quæ eſſet ipſarum ſubſtantia, ergo differre ſubſtantia: hoc argumento multi (meo quidem iudicio) decepti ſunt. Sed nos reſpondemus, negantes id quod antecedit.

Ad probationem uerò dicimus, idẽ eſſe perſuaſibile quod probabile, & nihil intereſſe inter illas. quod quidem ex multis Ariſtotelis locis, & ex ratione ipſa colligi poteſt. Etenim Ariſtoteles 1. Rhet. cap. 2. oſtendens ex quibus ipſa Rhetorica procedat: Neq;, inquit, Rhetorica utiq; quod cuiq; probabile eſt cõſiderabit, utputa quid Socrati aut Hippiæ, ſed quid talibus, ueluti & Dialectica. Et paulo pòſt: Contingit autem ſyllogizare & colligere, alia quidem ex eis quæ prius ſyllogiſmo collecta ſunt, alia uerò ex eis quæ ſyllogiſmo quidem non ſunt collecta. ſyllogiſmo tamen indigent, quia non ſunt probabilia: quorũ neceſſariò huiuſmodi ſunt, ut ea iudex propter prolixitatem (ſimpliciter enim eſſe ſupponitur) non bene conſequatur: quædã non perſuaſibilia, quoniam non ſunt ex conceſsis, nec ex probabilibus. [1. Rhet. 2.]

Quibus uerbis perſpicuè patet, ipſum dixiſſe Rhetoricam proficiſci ex probabilibus. Neceſsitas igitur cogit, ut idem ſit probabile quod perſuaſibile: alioquin falſum eſſet, quòd Rhetorica argumentaretur ex probabilibus.

Item, idem ſyllogiſmus qui eſt Dialecticus, propriè eſt Rhetoricus: ergo neceſſe eſt idem eſſe probabile quod perſuaſibile.

Probatur conſequentia: Quia ſi probabile & perſuaſibile eſſent diuerſa, ſyllogiſmus dialecticus & rhetoricus eſſent diuerſi. Vnus enim eſſet ex probabilibus, alter ex ijs quæ non eſſent probabilia.

Id quod antecedit, probatur ex uerbis Ariſtotelis 1. Rhet. cap. 2. ubi ait: Voco igitur dialecticos & rhetoricos ſyllogiſmos, eos quorum locos dicimus. hi autem ſunt qui communiter de iuſtis, phyſicis, ciuilibus, & de multis ſpecie differentibus ſunt: ueluti maioris & minoris locus. non enim ex hoc magis ratiocinari, uel enthymema inferre poterimus de iuſtis aut phyſicis, quàm de quocunq; alio: quamuis hæc ſpecie differant. Propria uerò, quæcunq; ex ijs ſunt quæ circa unamquanq; ſpeciem ac genus propoſitionum ſunt. Sunt enim propoſitiones de phyſicis, ex quibus nec enthymema, nec ſyllogiſmus de moralibus eſt. & de his aliæ, ex quibus nõ erit ſyllogiſmus de phyſicis: eodemq; modo de cæteris. & illa quidẽ nullo in genere facient prudentem, cum non ſint circa ſubiectum ullum. ex ijs uerò ſi diligentius quiſpiam propoſitiones deligat, facit ignorans aliam quàm dialecticam ac rhetoricam ſcientiam. Nam ſi principia fortè habebit, non amplius Rhetorica uel Dialectica, ſed illa erit cuius principia poſsidebit. [1. Rhet. 2.]

Hinc enim colligi manifeſtè uidetur, omnem ſyllogiſmum, & omne enthymema, eſſe uel ex communibus, uel ex proprijs. Si ex proprijs ſit, non pertinere neq; ad Dialecticam, neq; ad Rhetoricam: ſed ad eam facultatem cuius ſunt principia. & qui putaret eiuſmodi eſſe ſyllogiſmum dialecticum & rhetoricum, hunc facturũ eſſe ignorantem, aliam quàm dialecticam & rhetoricam ſcientiam. Sin autem ſit, ex communibus eſſe dialecticum & rhetoricum: ergo nõ poterit dari aliquis ſyllogiſmus qui ſit ex communib, quin idem ſit dialecticus & rhetoricus. Itaq; idẽ erir ſyllogiſmus dialecticus & rhetoricus: ergo idẽ eſt probabile quod perſuaſibile. alioquin fieri poſſet ut daretur ſyllogiſinus dialectieus qui nõ eſſet rhetoricus, & cõtrà: quia ſyllogiſmus ex probabilib. eſſet dialecticus, & non rhetoricus: & rurſus ſyllogiſmus ex perſuaſibili-

bus

bus eſſet rhetoricus, non dialecticus. Quare manifeſtè ſequitur, probabile eſſe idem
quod perſuaſibile: id quod nos planum facere inſtitueramus.

Confirmatur item ſic iſte locus, de quo magis uidetur ineſſe, & non ineſt: ergo de
quo minus, eſt probabile. Syllogiſmus rhetoricus fit ex hoc loco, ut patet ex uerbis
Ariſtotelis modò citatis: ergo fit ex probabilibus: ergo non differt à Dialectico, eo
quòd alter ſit ex probabilibus, alter ex perſuaſibilibus, ergo probabilia & perſuaſibi-
lia non ſunt diuerſa. Quod autem dico de hoc loco, dico de omnibus locis commu-
nibus probabilibus.

Item communia quæ ad nullam ſcientiam pertinent, ſunt probabilia: perſuaſibilia
ſunt cõmunia, quę ad nullam ſcientiam pertinent. Hæc clara eſt ex definitione Rhe-
toricæ. Ergo perſuaſibilia ſunt probabilia: & breuiter, niſi ita eſſet, euerterentur om-
nes Ariſtotelis auctoritates: quas protulimus ad oſtendendum Rhetoricam & Dia-
lecticam eaſdem eſſe in ſubſtantia, in quibus fuit definitio utriuſq;.

Præterea hoc idem ſic probatur: Veriſimile eſt probabile. Hæc licet ex ſe perſpi-
cua ſit, tamen uidetur ita confirmari poſſe: Quod uidetur omnibus, uel pluribus, uel
ſapientioribus, eſt probabile. Veriſimile eſt illud quod uidetur omnibus, uel plurib.
&c. alioquin non eſſet ueriſimile. Ergo ueriſimile eſt probabile. Sed perſuaſibile
eſt ueriſimile: ergo & probabile. Probatur minor: quia quod non eſt ueriſimile, nõ
eſt perſuaſibile. nam hominibus non perſuadentur niſi ea quæ ipſis uidentur ueriſi-
milia: ſiquidem quæ non uidentur ueriſimilia, uidentur falſa: & quæ uidentur falſa,
non faciunt perſuaſionẽ. Etenim ex eis quæ ſunt uel apparent falſa, non fit neq; ſcien
tia, neq; fides: & per conſequens, neq; perſuaſio.

Ex his omnibus patet, diſſolutã eſſe quæſtionẽ illã, Quòd Rhetorica & Dialecti-
ca differrent ſubſtãtia, quia differebãt materia, quę erat perſuaſibile & probabile. Ete
nim oſtenſum eſt, utrunq; eſſe idem. Ex quo efficitur, Dialecticã & Rhetoricam eaſ-
dem eſſe in ſubſtantia. Quod quidem eſt illud quod nos aſſeruimus.

Quòd præterea dicebatur, Rhetoricam & Dialecticã habere fines diuerſos, ergo
& ipſas differre inter ſe: negamus id quod antecedit. Etenim dicimus perſuaſionẽ &
opinionem idem eſſe, & nihil inter ſe differre: quod quidẽ ex multis colligi poteſt, &
præcipuè ex eis quę dicta ſunt. Sic uerò probari licet: Ambæ oriunt̃ ex eiſdẽ omni-
no principijs, ergo ſunt eædem. Cõſequentia perſpicua eſt. Antecedẽs confirmat̃:
quia ambę ex eiſdẽ oriuntur ꝓbabilibus communib. ut ex hoc loco cõmuni, De quo
minus uidetur ineſſe, & ineſt, ergo de quo magis. & ita de alijs: ergo oriuntur ambæ
1. Rhet. 2. ex eiſdẽ omnino principijs. Probatur id quod antecedit ex uerbis Ariſtotelis, qui
dixit, Syllogiſmos factos ex locis cõmunib. eſſe rhetoricos & dialecticos. nam opi-
nio & ꝑſuaſio oriunt̃ ex huiuſmodi ſyllogiſmis, ergo ex ijſdẽ probabilib. cõmunibus.

Itẽ, habere fidẽ de aliqua re, eſt habere opinionẽ de illa. ut infrà oſtẽdemus ex uer
bis Ariſtotelis. Sed habere ꝑſuaſionẽ de aliqua re, eſt de illa fidẽ habere: ꝑſuaſi eñ nõ
eſſemus, aliquã rẽ ſic ſe habere, niſi fidẽ haberemus ita eſſe: ergo habere perſuaſionẽ
de aliqua re, eſt habere opinionẽ de illa. Ex quo efficit̃, perſuaſionẽ eſſe opinionẽ, &
3. Rhet. 1. econtrariò. Item, Finis Rhetoricæ eſt opinio, ex uerbis Ariſtotelis 3. Rhet. cap. 1.
» ubi ait: Nam & de eloquutione tardius acceptum uidetur, quòd parũ honeſtè eſset, ſi
» rectè examines. Sed tamen cum Rhetorica, eiuſq; perceptio ad opinionem ſpectet,
» non quòd rectũ ſe habeat, ſed quia neceſsarium, nõ eſt negligenda. At eiuſdẽ cõſtat
» finem eſse perſuaſionem: ergo nihil intereſt inter opinionem & perſuaſionem.

2. De anima. text. 157. Confirmatur idem etiam ex ijs quæ 2. De anima, text. 157. dicit Ariſtoteles, loquẽs
de phantaſia: At uerò nec uera ſemper dicẽtium, neq; una erit, ut ſcientia aut intelle-
» ctus: eſt enim phantaſia & uera & falſa. relinquitur ergo, uidere ſi opinio ſit. fit eñ &
» opinio, & uera & falſa. Sed opinioni quidẽ inhæret fides: non eñ cõtingit, opinantẽ
» de quibus uidetur, non credere. Beſtiarũ aũt nulli ineſt fides, phantaſia autẽ multis.
» Amplius, ſi omnem opinionem ſequitur fides, fidem aũt ſuaſum eſse, ſuaſionem aũt
» ſequitur ratio. Beſtiarum autem, quibus phantaſia ineſt quidem, ratio uerò non.

Quibus uerbis perſpicuè patet, eum qui facit opinionem, facere fidem: & qui facit
fidem, facere perſuaſionem. ergo ſi Dialectica facit opinionem ex ſententia Ariſtote
lis, ſequitur eam facere perſuaſionem. non ergo ſeiunguntur Dialectica & Rhetori-
ca fine, quia una faciat opinionem, altera perſuaſionem.

Ex quibus

Ex quibus poſtmodùm ſequitur, perſuaſionem eſſe idem quod eſt opinio, uel ſe-
qui ambo ad ſe inuicem: non enim contigit eſſe perſuaſum, de quibus non credimus:
neque contingit credere ea quæ non opinamur ita eſſe, & quorum non habemus
opinionem.

SECTIO DVODECIMA.

ERat alia quæſtio, qua ſic arguebatur: Omnis habitus intellectus aut eſt ſpecula- 6. Meta. 2.
tiuus, aut actiuus, aut factiuus. Rhetorica & Dialectica ſunt habitus intellectus, 11. Meta. 26.
ſunt enim de propoſitionibus uniuerſalibus & communibus: ergo ſunt uel ſpecula-
tiui habitus, uel actiui, uel factiui. Si ſpeculatiui, ſunt ſcientiæ: ſi actiui, attinent ad pru
dentiam, & ſunt generis determinati: earũ enim finis erit actio. Si factiui, ſunt artes:
ergo perperam negatum fuit, eas eſſe neq; ſcientias, neq; artes.

Reſpondemus, uerum eſſe id quod diximus. nam propoſitio illa quæ contrà pro-
lata eſt, debet intelligi de habitibus intellectus, quibus ſemper uerum dicimus: non
de eis quibus fallimur: opinio uerò & exiſtimatio in eo genere ſunt, ut ipſis falli poſ-
ſimus, ſicut declarauit Ariſtoteles ijs uerbis: Sunt autem ea quibus anima affirmãdo 6. Ethic. 4.
& negando uerum dicit, numero quinq;. hæc enim ſunt: Ars, Scientia, Prudentia, Sa "
pientia & Intellectus. nam exiſtimatione & opinione fieri poteſt ut mentiamur. "
Item 2. Poſter. cap. ult. Cum autem mentis habituum, quibus uerum perſpicimus, 2. Poſt. ult.
quidam ueri perpetuò ſint, ut intellectus & ſcientia: quidam interdum falſum ſuſci- "
piant, ut opinio & ratio, & ea quæ ſequuntur. "

Ex his patet, Ariſtotelẽ numerare mentis habitus eos tantùm, quibus ſemper ue-
rum dicimus: itaq; Dialectica & Rhetorica, licet ex probabilibus proficiſcantur, quę
ſunt uniuerſalia, & ideo ad intellectum attinent: tamen non ſunt neq; mentis cõtem-
platiuæ habitus, neq; actiuæ, neq; effectiuæ, quia generant opinionem & exiſtima-
tionem, quibus fieri poteſt ut ſæpe mentiamur.

Hoc idem confirmatur ex Ariſtotele 1. Topic. cap. 8. quo in loco hæc protulit uer- 1. Top. 8.
ba: Quædam enim problematum utile eſt ſcire ſolùm ad eligendum uel fugiendum: "
ut, Vtrum uoluptas ſit eligenda, uel non. Quædam autem ad ſciendum tantùm: ut, "
Vtrum mundus ſit æternus, aut non. Quædam aũt ipſa quidẽ per ſe ad neutrũ horũ, "
adminiculantia aũt ſunt ad aliqua talium: plurima enim ipſa propter ſe quidem non "
uolumus cognoſcere, ſed aliorum gratia, ut propter hæc aliquid aliud cognoſcamus. "

Quibus uerbis uidetur apertiſsimè indicare, Dialecticam comprehendi ſub tertia
ſpecie problematum, quæ non ſunt ſuijpſorum gratia, ſed cauſa exercitationum, uel
colloquiorum, uel primorum principiorum in ſingulis diſciplinis.

Quod etiam colligi poſſe uidetur ex ijs quæ in eodem 1. Topic. cap. 2. dixit, expo- 1. Top. 2.
nens utilitates ipſius Dialecticæ. inquit enim: Vel ad ſecundum autem philoſophię "
diſciplinas, quoniam potẽtes ad utraq; dubitare facilius in ſingulis perſpiciemus ue- "
rum & falſum. Hoc idem perſpicuum eſt ex reliquis utilitatibus, quas narrat affer- "
re Dialecticam.

Quod item confirmatur ex 11. cap. eiuſdem primi Topic. quo in loco ita ſcriptum 1. Top. 11.
reliquit: Sunt autem (ut figuraliter ſit complecti) propoſitionum & problematum "
partes tres. nam aliæ ſunt Ethicæ propoſitiones, aliæ Phyſicæ, aliæ Logicæ. Ethicæ "
autem ſunt huiuſmodi, ut Vtrum oporteat parentib. magis quàm legibus obedire, ſi "
diſſentiant. Logicæ uerò, ut Vtrum contrariorum eadem eſt diſciplina, uel non. Phy "
ſicæ autem, Vtrum mundus ſit æternus, uel non. Similiter autem & problemata. "

Ex ijs enim uerbis apertè mihi colligi uidetur, Dialecticam comprehendi ſub ter
tia ſpecie illorum problematum quæ dicuntur adminiculantia. Etenim problemata
dialectica eſſe ex communibus probabilibus, quæ ad nullam ſcientiam attinent, ita
conſtat ex uerbis ipſius Ariſtotelis, quemadmodum ex ijs intelligi poteſt quæ à no-
bis in ſuperioribus dicta ſunt, ut nihil in eius doctrina (meo quidem iudicio) poſsit
eſſe magis perſpicuum.

Logica uerò problemata eſſe ex cõmunib. declarat ipſe cùm in hoc text. proximè
citato, & affert exemplũ Logicę propoſitionis: ut, Vtrũ contrariorũ eadẽ ſit diſcipli
na, uel non. hæc enim ſunt communia: tum etiam ſexcentis alijs locis, ubi rationes ex
cõmunib. appellat Logicas, ut perſpicuum eſt ex 1. Poſter. cap. 15. quo in loco cũ oſtẽ 1. Poſt. 15.
diſſet rationib. cõmunibus in prædicatis per ſe nõ eſſe proceſſum in infinitũ, addidit:

Logicæ

» Logicæ quidem igitur ex his utiq; aliquis credere poſſet, de eo quod dictum eſt: A-
» nalyticè autem manifeſtum eſt per hæc breuius, quod neq; ſurſum neq; deorſum inſi
» niti prædicantia contingit eſſe in demonſtratiuis ſcientijs, de quibus intentio eſt.

Manifeſtum ijs planè uerbis eſt, eum proprias rationes appellaſſe eas quæ conue nirent demonſtratiuis ſcientijs, de quibus in illo libro erat (ut ipſe ait) intentio: Logicas uerò, eas quæ eſſent ex communibus, & non ex proprijs illius facultatis. Rationes autem ex communibus eſſe dialecticas. Perſpicuum etiam eſt ex uerbis Ariſtotelis 1. Rhet. quæ ſuprà citauimus, quòd item oſtendimus & in noſtra Inſtitutione, & in multis alijs locis, atq; in 19. lib. oſtendemus clarè ex 6. cap. 2. de Generatione animalium, ad quæ loca lectorem reijcio.

1. Rhet.

Cum igitur per Logica problemata Ariſtoteles neceſſariò intelligat ea quæ prius adminiculantia nuncupauerit, alioquin non eſſent tria genera problematum, ſed quatuor (iſta enim Logica problemata non poſſe referri neque ad primam ſpeciem problematum, neque ad ſecundam, perſpicuè patet ex textu citato, ubi Ariſtoteles ſeparat problemata quæ non ſunt ſuiipſorum gratia, & adminiculantia dicuntur ab ijs quæ utile eſt ſcire ad eligendum uel fugiendum, aut ad ſciendum tantùm) & cum problemata dialectica ſint Logica, in dubium ſanè uenire non poteſt, quin problemata dialectica ſint adminiculantia.

Quod item ex eo intelligi licet, quia niſi problemata quæ propriè ſunt dialectica, eſſent adminiculantia, uanè & ſtultè diuiſiſſet Ariſtoteles problemata in illas tres ſpecies. Etenim nulla alia problemata poſſent dici adminiculantia, præter iſta: quandoquidem problemata uel ſunt ex proprijs, uel ex cõmunibus. Problemata ex proprijs non ſunt adminiculantia, propterea quòd ſingula eorum pertinent ad eam facultatẽ cuius ſunt propria, ſicut declaratum fuit in ſuperiorib. ex 1. Rhet. cap. 2. & ſunt gratia illius facultatis. neceſſitas igitur cogit, ut problemata ex communib. ſint illa quæ adminiculantia ſunt, & gratia alterius: propterea quòd niſi eſſent ad alias facultates adminiculantia, nullam curam, nullum laborem ſumeremus, ut illorũ cognitionẽ conſequeremur. Itaq; efficitur, ut communia ſint adminiculantia. & cum Dialectica ſit ex communib. ergo eſt ex adminiculantibus: ergo non eſt neq; mentis operatiuæ, neq; mentis contemplatiuæ. quod eſt id quod probare inſtitueramus.

Sed ſtatim diceret aliquis, Ex hac tua ratione uidetur quidem ſequi, Dialecticam non eſſe neq; mentis actiuæ, neq; contemplatiuæ. Sed non ſequitur, ipſam non eſſe mentis effectiuæ, quia Ariſtoteles nõ ponit inter problemata dicta, niſi illa quæ ſunt actiua & contemplatiua. omiſit enim effectiua, ut patet legentib. eius uerba. Quare ex hac ratione non habebis, Dialecticam non eſſe mentis effectiuæ.

Præterea inſtare poſſet quiſpiam, falſum eſſe ex noſtra etiam ſententia, quod in poſtrema ratione aſſumpſimus. dari enim præter Dialectica & communia problemata quædã alia problemata quæ ſint adminiculantia, ex eis patet quæ ſcripta reliquimus in 4. Apologiæ lib. Sect. 1. quo in loco reſpondentes rationibus contra libellum noſtrum allatis à celeberrimo præceptore meo Ludouico Buccaferreo, ita diximus:

4. Apolog. Sect. 1.

» Propterea cum inuenta ſit Logica non ſui, ſed alterius gratia, ut etiam ex ipſarum ſen
1. Top. tentia liquet, & 1. Topic. lib. ubi diuidit Ariſtoteles problemata, utq; à nobis oſten-
» ſum eſt in Commentario, & hoc etiam libro oſtendetur, non poteſt eſſe ſcientia. Ex
» his igitur uideri nos ſenſiſſe, Ariſtotelem complecti Logicam ſub problemate quod eſt alterius gratia, quod planè idem eſt quod problema adminiculans. & cum hęc facultas ex eis quæ diſputauimus, & in proœmio Inſtitutionis noſtræ, & in Commentario, & in Apologia, non ſit minus diſtincta à Dialectica, quàm Mathematica & prima Philoſophia, & Phyſica: planè ſequi, ut dentur aliqua problemata quæ non ſint dialectica neq; communia, & tamen ſint adminiculantia, ex noſtra etiam ſententia. Id uerò nihil aliud eſſe, quàm idem affirmare, & idem negare.

SECTIO DECIMATERTIA.

Caeterùm quoniam rationes à nobis allatæ, uidentur nobis ueritatem concludere, conſentaneum eſt, ut ad oppoſitas reſpõdeamus. Quare ad primam dicimus, Ariſtotelem ſub prima ſpecie problematum complexum eſſe problemata omnia quæ diriguntur ad opus, alioquin mancus & mutilatus fuiſſet in enumeratione ipſorum

ne ipſorum problematum: præſertim cum eadem ratione quæ eſt ratio finis, problemata effectiua ſeiungantur à contemplatiuis & adminiculantibus: qua & actiua ab iſtis ipſis. nulla igitur ratio probabilis mihi dari uidetur, qua potuerit Ariſtoteles ſine reprehenſione omittere problemata effectiua: quandoquidem ipſa quoque ſint ex ſe utilia ad faciendum uel non faciendum, ſicut actiua ſunt utilia ad eligendum uel fugiendum, & contemplatiua ad ſciendum. Quare ſi uolumus (ut debemus) Ariſtotelem primum omnium magiſtrum tueri & defendere, cogimur mea quidem ſententia dicere, ipſum per illa uerba (Quædam enim problematum utile eſt ſcire ſolùm ad eligendum & ſugiendum) deſignaſſe problemata omnia quæ ſunt gratia operis, ſiue illud opus eſſet actio, ſiue factio. Atque hic dicendum eſt, illum communiori uocabulo accepiſſe eligere & fugere, quæ quodam modo magis propriè conueniunt problematibus actiuis, ut indicauit ipſe multis in locis, quorum ſatis erit afferre illum ſexti Ethicorum cap. ſecundi, ubi ait: Quapropter non abſque mente & intellectu, neque abſque morali appetitu eſt electio. & hoc non eſt præter eius conſuetudinem, abutitur enim ſæpe hominibus. Vel dicẽdum eſt, quòd expreſsit actiua problemata, propter eorum excellentiam in comparatione ad factiua: ſignificãs tamen tacitè, & complectens ſimul omnia quæ diriguntur ad opus. Quod fortaſſe intellexit in undecimo capite ſuperius à nobis citato, cum dixit: Et aliæ ſunt Ethicæ propoſitiones, aliæ ſunt Phyſicæ, aliæ Logicæ. Per Ethica enim problemata, cogimur intelligere omnia quæ diriguntur ad opus: alioquin ea quæ diximus ſequerentur abſurda. quæ cum de tanto philoſopho non ſint concedenda, dubitare non poſſumus, quin ea quæ diximus, ueritati & Ariſtotelis ſententiæ conſentiant. 6. Ethic. 2.

Neque uerò hæc interpretatio uerborum Ariſtotelis, quam adhibuimus, talis eſt, ut ex ea quiſpiam (niſi mea me fallit opinio) admiratione affici debeat, propterea quòd cogimur idem dicere de illis uerbis quæ ad hunc modum ſcripta reliquit primo Poſter. cap. primo: Manifeſtum eſt autem, & ſpeculantibus in omnibus. Mathematicæ enim ſcientiarum per hunc modum accedunt, & aliarum unaquæq; artium. Similiter autem & circa orationes quæque per ſyllogiſmos, & per inductionem, & quæ ſequuntur. Niſi enim per mathematicas intellexiſſet etiam primam philoſophiam, & naturalem philoſophiam, exprimens tantùm illas in quibus maximè propriè eſt ſcientia: uel niſi per artes intellexiſſet etiam dictas ſcientias, ſumens nomen artis communiori uocabulo, mancus fuiſſet. Etenim non præſtitiſſet quod præſtare debebat, & promiſerat cum dixit (Manifeſtum eſt autem, & ſpeculantibus in omnibus.) negare enim potuiſſet aliquis, primam Philoſophiam, & naturalem philoſophiam facere ſcientiam ex præexiſtenti cognitione: & ita probatio Ariſtotelis nullam uim habuiſſet. Quare cogimur dicere, ut diximus, uel ipſum ſub mathematicis complexum eſſe dictas ſcientias, & nominaſſe ſolùm mathematicas per excellentiã: uel accepiſſe nomẽ artis impropriè & cõmuniori uocabulo, ut mos eſt ipſius. Quod cum ita ſit, nemini uideri debemus aliena ab eius doctrina protuliſſe, cum diximus ipſum ſub prima ſpecie problematum uel complexum fuiſſe etiam problemata effectiua, & ita accepiſſe eligere & fugere communiori uocabulo: uel hæc expreſsiſſe propter eorum excellentiam ad effectiua problemata, ſignificans tamen illa etiam tacitè, quia & ipſa ſicut actiua diriguntur ad opus. Eodem modo interpretandum uidetur, cum nominauit Ethica problemata: & ita priori quæſtioni ſatisfactum eſſe arbitramur. 1. Poſt. 1.

Ad alteram reſpondemus, nos uoluiſse dicere in quarto Apologiæ noſtræ, cum diximus, Logicam non eſse inuentam ſui gratia, ſed alterius, ipſam non eſse contemplatiuam, quia contemplatiuæ ſunt ſuipſarum gratia: etenim ſunt propter ſcire tantùm. Factiuæ autem ſunt gratia operis, & ita non uidentur habitus illi eſse ſuipſorum gratia, ſed operis. atque hoc eſse uerum, ex eo liquet, quod ex illo dicto intulimus, Logicam non eſse ſcientiam. Quam conſequentiam collegimus ex multis Ariſtotelis locis, ſed præcipuè ex ſecundo Ethicorum cap. ſecundo, ubi ait: Cum igitur præſens opus non contemplationis gratia fiat, quemadmodum cætera (non enim ut ſciamus quid ſit uirtus, nam ſic nulla eius foret utilitas: ſed ut boni ſimus, perſcrutamut) neceſsarium eſt de actibus uidere, qualiter agere eos oportet. 4. Apolog. 2. Ethic. 2.

Ex hoc igitur loco ſic argumentati ſumus: Logica eſt ut operemur, ſicut declarauimus multis in locis, ex ſententia Ariſtotelis: ergo non eſt contemplatiua. ergo non eſt ut ſciamus: quia ſi eſſet contemplatiua, ut dixit Ariſtoteles, eſſet ut ſciremus. non eſt ut ſciamus, ergo non eſt ſcientia. Quod eſt id quod in Apologia loco citato intelligere uoluimus. Quòd uerò dicebatur, nos citaſſe primum librum Topic. ubi diuiſit Ariſtoteles problemata, ut confirmaremus Logicam eſſe alterius gratia: dico me citaſſe illum locum arguendo ad hominem, qui putabat Logicam fuiſſe comprehenſam ſub altera ſpecie problematum: & hoc feci, quia nihil hoc referebat ad cauſam meam. mihi enim ſatis erat probare, Logicam non eſſe ſcientiam, quam planè rem
1.Top. indicant illa mea uerba (ut etiam ſecundum ipſorum ſenſum liquet, ex primo Topic. ubi diuiſit Ariſtoteles problemata) quæ uerba indicant, etiam nos loquutos eſſe ex
5.Apolog.ſect. 10.& 13. aliorum ſententia, ea quæ ſcripta reliquimus in 5. Apolog. ſect. 10. & ſect. 13.

SECTIO DECIMAQVARTA.

SEd adhuc inſtaret quiſpiam dicens: Si problemata quæ ſunt gratia alterius, ſunt adminiculantia (hoc enim perſpicuum eſt ex uerbis Ariſtotelis) & problemata Logica (intelligendo per Logicam, facultatem illam quam interpretes nuncupant Logicam, non Ariſtoteles) ſunt gratia alterius, ex tua etiam ſententia: ergo ſunt adminiculantia. Ergo perperam negaſti ea eſſe adminiculantia: ergo à te ipſo diſſentis: quod planè abſurdum eſt, & increpatione dignum.

Dicerem (ſaluo ſemper meliori iudicio) propoſitionem maiorem eſſe ſano modo intelligendam, non abſolutè: alioquin à ueritate longè diſcedere. Videri autem intelligendam eſſe cum hac conditione, quòd illa problemata ſunt adminiculantia, quæ ſolùm ſunt alicuius alterius gratia, & nullo modo gratia ſui. Quem ſenſum uidetur Ariſtoteles manifeſtiſſimè oſtendere, cum ſtatim poſt enumerationem duorum generum problematum addiderit: ,, Quædam uerò ipſa quidem per ſe ad neutrum horum, adminiculantia autẽ ſunt ad aliqua talium. plurima enim ipſa propter ſe quidẽ nõ uolumus cognoſcere, ſed aliorũ gratia, ut ꝓpter hæc aliquid aliud cognõſcamus.

Vult ergo Ariſtoteles, ea problemata eſſe adminiculantia, quę ad neutrum genus illorum problematum ſunt utilia per ſe, & quæ nullo modo propter ſe cognoſcere uolumus, ſed gratia aliorum, ut ſcilicet propter ipſa alia cognoſcamus.

Sed tunc negamus minorem propoſitionem, & dicimus, Quamuis problemata Logica ſint gratia alterius, quia ſunt gratia operis: tamen quia per ſe ſunt utilia ad aliquod dictorum problematum, quippe quæ uolumus ut ſciamus eligere & fugere ea quæ ſunt eligenda & fugienda, & ut ſciamus eligere ea quæ ſunt facienda, & fugere ea quæ non ſunt facienda, non dicuntur adminiculantia, ſed per ſe problemata: ſicut problemata actiua uel Ethica, licet ſint gratia alterius, quia operis, nempe actionis, ut uidimus ex uerbis Ariſtotelis: tamen quia utilia ſunt ad eligendum uel fugiendũ, dicuntur per ſe problemata. Item problemata medicinæ, licet ſint gratia operis, quia factionis: tamen quia ſunt utilia ad faciendum, uel non faciendum, dicuntur per ſe problemata. Sic erit de Logicis problematibus. Logica enim eſt ars, quia docet operari ea quæ remanent poſt operationem. Docet enim conficere ſyllogiſmos, demonſtrationes & definitiones, quæ remanent poſt operationem: & ita eſt habitus factiuus cum ratione recta, & ſic ars, ut patet ex eis quæ docuit Ariſtoteles ſexto E-
6.Ethic.5. thicorum cap. quinto, ad hunc modum: Habitus cum ratione actiuus aliud eſt quàm
,, habitus cum ratione factiuus, neque alter in altero continetur. nam neque actio eſt
,, factio, neque factio eſt actio. cum autem ædificatiua ſit ars quædam atque habitus
,, quidam cum ratione factiuus, & nulla eſt ars quæ non ſit habitus cum ratione facti-
,, uus, neque talis habitus qui non ſit ars, idem utique erit ars & habitus cum ratione
,, uera factiuus.

Si ergo Logica eſt habitus cum ratione factiuus, eſt etiam ars: ergo ſicut problemata artium, ut ex eis quæ diximus perſpicuum eſt, ſunt per ſe utilia, ad alterum dictorum problematum, ita neceſſe eſt ut problemata Logica ſint utilia per ſe ad alterum ipſorum. ergo non ſunt adminiculantia: quod eſt id quod uolebamus nos.

Perſpicuum igitur eſt, ſi maior illa propoſitio ſimpliciter intelligatur, eam eſſe falſam:

ſam: ſi uerò in eum ſenſum trahatur, quem diximus uerba Ariſtotelis indicare, tunc dicimus eſſe ueram, ſed minorē eſſe falſam. Itaq; apparet nihil eum concludere, quod noſtram ſententiam euertat.

SECTIO DECIMAQVINTA.

Sed adhuc urgeret aliquis acrius, dicens: Non'ne tu in procemio Inſtitutionis & Apologiæ tuæ docuiſti, Logicam fuiſſe inuentam, quia in artibus & ſcientijs demonſtrãdo & definiendo errabamus: propter quos errores fieri nō poterat, ut quatuor quæſitorum, ueram conſequeremur ſcientiam. Fuit ergo inuenta ſolùm gratiâ ſcientiarum & artium, non ſui gratia. & eſt ex communibus, quia omnes facultates utuntur illa ad dirigendum ſua inſtrumenta. Problemata igitur Logicę ponenda erunt inter ea problemata quę adminiculantur duobus illis generibus problematum; quę complexu ſuo continebant omnes habitus operatiuos & ſpeculatiuos, ut oſtenſum eſſe arbitramur.

Ad quam quæſtionem reſpondentes, concedimus, Logicam facultatem inuentã eſſe poſtremò ob dictam cauſam: negamus tamen, non ſui etiam gratia eſſe inuentã, & negamus ex hoc ſequi, quin ponenda ſit inter problemata primi generis: quia licet finis ultimus, ad quem ipſa eſt ordinata, ſit ille quem diximus, de quo fine intelleximus in Inſtitutione & Apologia noſtra: nihilominus habet ſuum proprium finem quem cōtemplatur, ratione cuius dicitur eſſe gratia ſuijpſius. ratione autem reliquarum facultatum dicitur communis, non tamen communis eo modo quo eſt Dialectica: quia ex propoſitionibus Logicæ non concludimus mundum eſſe æternum, & animam noſtram eſſe immortalem, ſicut ex propoſitionibus dialecticis. Sed habet proprias propoſitiones, quia habet proprium ſubiectum, qui eſt modus cognoſcendi: & ratione ipſius eſt per ſe utilis ad alterum genus duorum illum problematum. Sicut ars conficiendorum frenorum habet ſuum finem proximum quem intendit, ratione cuius ponitur inter problemata primi generis, licet ordinetur ad equeſtrem: ut declarauit Ariſtoteles primo Ethicorum cap. primo, ad hunc modum: Sed cum multæ ſint actiones, & artes, & ſcientiæ, multi fiunt & fines. Nam medicinæ quidem ſanitas, nauiculariæ uerò nauigium, rei militaris autem uictoria, œconomicæ uerò diuitiæ: quæcunque autem talium ſunt ſub una aliqua facultate, quemadmodum ars frenorum faciendorum, & aliæ omnes quæ ad ſtructuram equorum pertinent, ſub equeſtri conſiſtunt: ipſa uerò equeſtris, & omnis bellica actio ſub re militari, eodem& modo alij ſub alijs, in cunctis finis earum quæ magis principales ſunt, magis eligibiles omnibus quæ ſunt ſub ipſis. *1. Ethic. c.*

Ex ijs igitur uerbis omnino liquet, multas eſſe artes quæ ordinentur ad alias: & tamen negare non poſſumus, (niſi uelimus Ariſtotelis omnium magiſtri doctrinam euertere) quin contineatur ſub prima ſpecie problematum, ut probauimus in ſuperioribus: quare nihil prohibere uidetur, Logicam inuentam fuiſſe & ordinatam ad omnes ſcientias & artes tanquam ad ſuum ultimum finem, & tamen eius problemata contineri ſub prima ſpecie problematum, propterea quòd ipſa eſt utilis ad eligendum uel fugiendum: quod quidem dici nòn poteſt de problematibus dialecticis, quoniam illa ad neutrum genus problematum ſunt per ſe utilia, ſed ſolùm ſunt adminiculantia. nihil ergo (ut opinamur) in loco citato Inſtitutionis noſtræ & Apologiæ diximus, quod ſententiæ noſtræ aduerſetur. Nam ſi ordinari ad aliquem ultimũ finem, eſſet cauſa ut problemata illarum facultatum eſſent adminiculantia, & non per ſe utilia ad alterum duorum dictorum problematum: neque facultas militaris, neque Rhetorica (eo modo accipiendo Rhetoricam quo diximus, quatenus uidelicet eſt compoſita ex ciuili de moribus, & ex reſolutiua ſcientia) eſſet ex eis quæ ſunt per ſe utilia ad alterum horum duorum problematum, quippe quæ ordinatur ad Politicam: & breuiter nulla facultas operatiua haberet talia problemata. etenim omnes ordinantur ad ipſam Politicam, ut declarauit Ariſtoteles primo Ethicorum cap. ſecundo ijs uerbis: Cum& ſcientijs reliquis, quę cum & in agendo opus utatur, ac prętereа leges ferat, & quid agere quiſque, & à quo abſtinere debeat, ipſa conſtituat, eius profectò finis aliarum fines continebit. Sicut ergo problemata iſtarum facul- *1. Ethic. 2.*

tatum, quæ ad Politicam, tanquam ad ſuum extremum finem referuntur, ſunt per ſe utilia ad eligendum facere aliquid, & non facere: ita etiam dicendum eſt de Logicæ problematibus, & de ipſa Logica, quatenus eſt illa facultas quam interpretes nuncupant Logicam: Ariſtoteles enim nunquam talem facultatem uocauit Logicam, ſed per Logicas rationes ſemper intellexit rationes communes, ut diximus in ſuperioribus. Logicæ tamen facultatis propoſitiones ſunt neceſſariæ eo modo quo propoſitiones reliquarum artium: & eſt particularis, non communis. Licet enim aliæ facultates utantur ipſa, non utuntur tamen ad concludendum aliquid, ut dictum eſt ſuprà, ſed ſolùm ad cognoſcendum an rectè confecerint inſtrumenta cognoſcēdi, nec ne. Itaque perperam dicitur communis: quia illa dicitur facultas communis, quæ
1. Rhet. 2. habet propoſitiones communes. ex quibus, inquit Ariſtoteles primo Rhetoricorum cap. ſecundo, non magis erit ſyllogizare de iuſtis, quàm de phyſicis, uel de quibuſcunque: etſi hæc differant ſpecie. Quam rem cum multi non animaduertiſſent, falſò exiſtimauerunt Logicam eſſe facultatem communem, cum particularis ſit, ſicut cæteræ artes. non ergo eius problemata comprehenduntur ſub tertia ſpecie problematum, ſed ſub prima ſpecie. Quare ex his perſpicuum eſt, non dari aliqua problemata præter dialectica & communia, quæ dicantur adminiculantia: rectè igitur concluſum fuit à nobis, id quod concluſimus.

Sed adhuc aliquis inſtaret, dicens, me non ſolùm pugnantia, uerùm etiam (quod multo turpius eſt) negantia aſſeruiſſe. Etenim dixiſſe, problemata dialectica non eſſe per ſe utilia ad alterum duorum dictorum problematum, ſed eſſe adminiculantia. Contrà uerò ſic argumentari licere: Omne illud quod adminiculatur alicui, eſt illi utile: quæ per ſe perſpicua eſt. quid enim eſt aliud adminiculari alicui, quàm auxilium ei præbere? & quid eſt alicui auxilium præbere, niſi ei utile eſſe? Certè nihil aliud. Sed problemata dialectica per te adminiculantur ad aliqua dictorum problematum: ergo ſunt eis utilia. At hæc negaſti, ergo tuam ipſius euertis ſententiam.

Præterea ſi dialectica problemata non ſunt utilia ad eligendum uel fugiendum, & per eligere uel fugere intelliguntur omnes habitus actiui & factiui, ut dictum eſt: neque etiam ſunt utilia ad ſciendum tantùm: quæro quod tandem ſit illud adiumentum quod affert Dialectica? Etenim uidetur nullum, propterea quòd omnes facultates particulares ex ſeipſis ſunt idoneæ ad manifeſtandum ſuum finem: ſuperuacanea igitur erit Dialectica, nihil enim uidetur facere ad illas facultates: quippe cum nihil faciat ad illa duo genera problematum, quibus facultates omnes continentur, (ut oſtenſum eſſe arbitror) ergo nullum eſt eius adiumentum.

Item, Veritas eſt finis ſcientiæ, ut conſtat: Rhetorica eſt utilis ad ueritatem: ergo ad finem ſcientiæ. Sed quod eſt utile ad finem ſcientiæ, eſt utile ad ipſam ſcientiam: ergo Rhetorica eſt utilis ad ſcientiam: ergo & Dialectica, quippe quæ eadem eſt, ex tua ſententia, quæ Rhetorica. ergo perperam negaſti, ipſam Dialecticam eſſe utilem ad ſcientiam.

Minor propoſitio primi ſyllogiſmi oſtenditur ex eis quæ ſcripta reliquit Ariſtoteles
1. Rhet. 1. les primo Rhetoricorum cap. primo, ad hunc modum: Vtilis autem Rhetorica eſt, „ tum quia uera & iuſta meliora ſecundum naturam ſunt quàm contraria: ita ut niſi decenter iudicia fiant, neceſſe ſit in eis uinci, quod uituperatione dignum eſt.

His ergo uerbis perſpicuè oſtendit Ariſtoteles, Rhetoricam eſſe utilem ad ueritatem: alioquin fruſtra & inaniter probaſſet ipſam eſſe utilem: quia uera & iuſta ſunt meliora ſecundum naturam quàm contraria. quod cum detur, ut conuellatur opinio tua neceſſe eſt.

Quoniam igitur propoſitis quæſtionibus reſpondendum eſt, ſi uolumus ſententiam noſtram non errantem & uagam eſſe, ſed ſtabilem & firmam, reſpondentes ad primam dicimus: Quòd à nobis poſitum eſt, problemata dialectica non eſſe per ſe utilia ad neutrum duorum generum problematum, id luce clarius oſtendere Ariſtotelem, cum inquit: Quædam uerò ipſa per ſe ad neutrum horum, adminiculantia autem ad aliqua talium. nam cum adminiculantia non ſint utilia per ſe ad aliqua talium, ex uerbis ipſius Ariſtotelis: & problemata dialectica, ut conſtat ex ſuperioribus, ſint adminiculantia: in dubium uenire non poteſt, quin

quin eadem non ſint per ſe utilia ad aliqua talium. rectè igitur ex ſententia Ariſto-
telis aſſeruimus, problemata dialectica non eſſe per ſe utilia ad aliqua talium. Et
cum hoc negari non poſsit (perſpicua enim ſunt uerba Ariſtotelis) neceſsitas co-
git, ut ratio allata quæ contrarium uidebatur probare, peccet aliquo modo. Quare
diſſoluentes eius uériſimilitudinem, dicimus primam propoſitionem (uidelicet
quòd omne adminiculans alicui, ſit eidem utile) habere duplicem ſenſum: quorum
unus eſt, omne adminiculans alicui, dici utile illi aliquo modo, & per accidens: qui
ſenſus eſt uerus. & cum minor ſit uera, ſequitur dialectica problemata eſſe utilia a-
licui aliquo modo, & per accidens: quæ quidem concluſio non repugnat ſententię
noſtræ. Alter ſenſus eſt, quòd omne adminiculans alicui, ſit ei utile per ſe: quod
negamus, quia uidetur implicatio contradictionis, dicere adminiculans eſſe utile
per ſe, ei cui adminiculatur: quia ſi eſt per ſe utile ex uerbis Ariſtotelis, planè ſequi-
tur ut non adminiculetur. Etenim illa propriè ſunt adminiculantia, quæ extrinſe-
cus accedunt: ut Socrates dicitur propriè adminiculari Platoni cadenti, non dici-
tur autem adminiculari ſibijpſi.

Ad probationem autem concedimus, quòd adminiculari alicui, eſt auxilium ei
præbere: & auxilium alicui præbere, eſt utile ei eſſe. quoniam qui præbet auxilium
alicui, ſeruat ipſum ab illo malo quod ei impendebat. Sed negamus id eſſe utile per
ſe, ſed per accidens: in quem ſenſum ſi ſumatur dicta propoſitio, ut poteſt ſumi, ni-
hil mihi uidetur concludere quod ſententiam noſtram labefactet.

Erat altera quæſtio, in qua quærebatur, Si problemata dialectica non eſſent per
ſe utilia ad aliquod dictorum problematum, ut dixeramus, quod tandem illis adiu
mentum afferrent: quia uidebantur afferre nullum. Dico, quòd afferunt adiumen-
tum non per ſe, ſed per accidens, ut demonſtratum eſt: quia cum ſint ex communi-
bus, non poſſunt ex natura ſua concludere illa problemata, ut declarauit Ariſtote-
les 1. Rhet. cap. 2. ſeiungens communia à proprijs: Illa enim (ſcilicet communia) in- 1. Rhet. 2.
quit, in nullo genere faciunt prudentem, cum non ſint circa ſubiectum ullum. Ex
ijs uerò (ſupple proprijs) ſi diligentius quiſpiam propoſitiones deligat, faciet igno
rantem aliam quàm dialecticam & rhetoricam.

Cum igitur problemata dialectica non faciant homines propriè prudentes in a-
liquo genere determinato, quia ſunt communia omnibus: ſequitur, Dialecticam
non eſſe per ſe utilem ad aliquod illorum problematum. Illa enim duo genera com
plectuntur (ut diximus) omnes habitus actiuos & factiuos, & ſpeculatiuos: ex hoc
tamen non ſequitur, ipſa nullum omnino adiumentum afferre, afferũt enim dictis
problematibus adiumentum aliquod per accidens, quare ſunt utilia per accidens:
& non per ſe. Cum dicebatur omnes illas facultates per ſeipſas eſſe idoneas mani-
feſtare ex proprijs principijs ſuos fines qui ſunt ipſarum concluſiones, dico hoc ue
rum eſſe ex natura ipſarum facultatũ. tamen quod ad nos attinet, ſæpenumero acci
dit ut earum principia ſint obſcura, & tunc loco propriorum principiorum utimur
rationibus communibus probabilibus, quæ faciunt ſcire ſaltem per accidens, licet
non per ſe, ut declarauit etiam Ariſtoteles 1. Poſter. cap. 7. Quoniam autem manife
ſtum eſt, inquit, quòd unumquodq; demonſtrare non eſt, ſed aut ex uniuſcuiuſq; 1. Poſt. 7.
principijs, ſi id quod demonſtratur ſit ſecundum quod eſt illud, non eſt ſcire hęc, ſi
ex ueris & indemonſtrabilibus monſtretur, & immediatis. eſt enim ſic monſtrare,
ſicut Briſo tetragoniſmum manifeſtum: ſecundum commune autem mõſtrant ra
tiones huiuſmodi, & quod alteri ineſt, unde & in alijs conueniunt hæ rationes, nõ
tamen proximis. non itaq; ſecundum quod illud eſt, ſcit: ſed ſecundum accidens.

Vult ergo Ariſtoteles, quòd illi qui neſciunt ex proprijs, ſed ex communibus,
ſciant per accidens, ſicut dixit de Briſone 1. Elen. cap. 8. quòd ſciebat ſophiſticè: ſed 1. Elench. 8.
ut Briſo, inquit, quadrauit circulum. tametſi quadraretur circulus, tamen quia non 1. De anima
ſecundum rem, ideo ſophiſticus. tex 11.

Hanc eandem ſententiam oſtendit 1. Poſter. cap. 5. his uerbis: Perſpicuum igitur 2. de Generat.
eſt, communia facere ſcire per accidens. Etſi ergo communia non per ſe faciunt anim. 6.
ſcire, afferunt tamen aliquod adiumentum, quia maiori ex parte propria principia 1. Poſt. 5.
nos latent: ſunt enim difficillima intellectu. Quod ſignificans Ariſtoteles 1. Poſter. 1. Poſt. 8.

›› cap. 8. Difficile autem, inquit, noſcere, ſi ſciuit an non: quia difficile eſt noſcere, ſi
›› ex uniuſcuiuſq; principijs ſciuimus, aut non: quod eſt ſcire. opinamur autem, ſi ha-
›› beamus ex ueris aliquibus ſyllogiſmum, & primis ſcire. Sed proxima oportet eſſe
›› primis, & quæ ſequuntur.

Cum igitur dicat Ariſtoteles, difficile eſt ſcire an ſciamus nec'ne, quia difficile eſt cognoſcere propria principia uniuſcuiuſq; rei: ergo principia propria ex uerbis Ariſtotelis ſunt difficillima intellectu. quod eſt id quod uolebamus probare.

1. Rhet. 1. Idem declarauit Ariſtoteles primo Rhetor. cap. primo, cum hæc protulit uerba:
›› Amplius ad quoſdam, neq; ſi haberemus exquiſitiſſimam ſcientiam, facile eſſet di-
›› centibus perſuadere: quia ratio quæ eſt ſecundum ſcientiam, attinet ad ipſam do-
›› ctrinam. Hoc autem fieri non poteſt: ſed neceſſarium eſt facere fidem & perſuaſio-
›› nem, & rationes ex cōmunibus: quemadmodum diximus in Topicis, cum de col-
›› locutione multis loqueremur.

Hoc enim quod dicit Ariſtoteles, perſpicuum eſt euenire propter difficultatem intelligendi propria principia. communia enim ſunt clara, & ferè participantur ab

1. Rhet. & 1. Elench. 8. omnibus, ut ipſe docuit in principio Rhetor. & in primo Elench. cap. octauo.

Nemini ergo mirum uideri debet, ſi dixerimus principia propria eſſe difficillima intellectu, cum id planè confirmet Ariſtoteles uerbis citatis. Quoniam igitur maiori ex parte propria principia latent, & per id quod neceſſariò ſequitur, cōcluſiones quæ oriuntur ex ipſis principijs, ideirco utimur communibus ad utraq; percipienda, quæ quidem communia maximam afferunt utilitatem, quam declarauit

1. Top. 2. Ariſtoteles primo Topic. cap. ſecundo, ſuperius citato: Eſt enim (inquit, de Dia-
›› lectica loquens) utilis ad ſecundum philoſophiam diſciplinas, quoniam potentes
›› ad utraq; dubitare, facilius in ſingulis perſpiciemus uerum & falſum, quia hoc mo-
›› do inuenimus poſtmodum rationes ueras. Amplius ad prima principiorum, quæ ſunt circa unamquamq; diſciplinam: quia ex principijs non poteſt fieri ut aliquid de ipſis dicamus. non ergo eſt ſuperuacanea Dialectica, licet ſit per accidēs utilis.

SECTIO DECIMASEXTA.

SEd diceret aliquis, Si ex Dialecticis non habemus niſi opinionem, paruam utilitatem etiam per accidens conſequemur ex ipſis. Etenim opinio eſt incerta,

1. Poſt. ult. & 6. Ethic. 4. & poteſt eſſe uera uel falſa, ut patet ex Ariſtotelis locis ſuperius citatis. non ergo ex ipſis certò ſciemus, nos aliquid rectè cognoſcere. Reſponderem, nos etiam maximam utilitatem ex ipſis probabilibus conſequi, licet generent opinionē quæ reuera non eſt omnino certa: ſed tamen tantam habet certitudinem, ut cum reiecta ſunt repugnantia, nos ſatis tutò poſſimus credere eis quæ habentur ex probabilibus: quia probabilia ſunt uериſimilia: & illa quæ ſunt ueriſimilia, maiori ex parte ſunt uera: & ea quæ maiori ex parte ſunt uera, reiectis repugnantibus, & ſolis ipſis relictis à nobis, poſſunt haberi pro ueris. Et hoc accidit, quia maiori ex parte propria rerum principia, & propriæ proprietates ſunt nobis ignotæ, propter rerum obſcuritatem, & propter difficultatem, & propter noſtrum intelligendi modum.

7. Ethic. 1. quod uidetur ſenſiſſe Ariſtoteles ſeptimo Ethicorum cap. primo, cùm inquit: O-
›› portet autem, quemadmodum & in alijs, ponentes ea quæ apparent, & prius du-
›› bitantes, ſic demonſtrare: maximè autem omnia probabilia circa has paſsiones. Si
›› autem non, plurima & principaliſsima. ſi enim ſolutæ fuerint difficultates, & relin-
›› quantur probabilia, oſtenſum erit ſufficienter. His enim uerbis apertè oſtendit, nos aſſentiri debere probabilibus, cum reiecta ſunt repugnantia: quæ nihil aliud ſunt quàm difficultates, quæ occurrunt circa illas res, & relicta ſunt probabilia. natura enim noſtra & ipſarum rerum ita ſe habet, ut oporteat maiori ex parte nos fidem habere propoſitionibus probabilibus, & eis quæ ex ipſis oriuntur, illiſq; uti ad ueritatem cognoſcendam, cum nos habemus rationes ipſis repugnantes. nam licet probabilia non generent niſi opinionem quæ poteſt falli: quia tamen maiori ex parte opinio quæ oritur ex propoſitionibus probabilibus, quæ nullam repugnantiam habent, eſt uera, non ſunt negligenda: præſertim cum neceſſarium ſit ob dictas cauſas, & in Metaphyſica, & in Philoſophia naturali, & breuiter in omnibus

nibus facultatibus, præter Mathematicas, uti ſæpe huiuſmodi probabilibus, ſiue ſint propria illius facultatis, ſiue ſint communia: quoniam in rebus de quibus ſunt maximæ dubitationes, oportet fidem habere quibuſdam paruis apparentijs, ut ui-ſus item eſt declarare Ariſtoteles primo Cœli, tex. ſexageſimo, ijs uerbis: Duabus autem dubitationibus exiſtentibus, de quibus meritò utiq; quilibet dubitabit, ten-tandum dicere quod uidetur dignum eſſe: reputantes promptitudinem magis im-putari uerecundiæ, quàm audaciæ, ſi quis propter philoſophiam ſitare, & paruas ſufficientias diligit, de quibus maximas habemus dubitationes. 1.Cœl. text.60.

Idem uiſus eſt aſſerere Ariſtoteles primo Meteororum, cap. de Cometis: Quo-niam, inquit, de immanifeſtis ſenſui putamus ſufficienter demonſtraſſe ſecundum rationem, ſi ad poſsibile reduximus ex ijs quæ nunc dicuntur, utiq; aliquis, ſic de his maximè accidere. Et Ariſtoteles primo Poſter. cap. undecimo, uiſus eſt nun-cupaſſe omnes facultates, præter Mathematicas, Dialecticas & rationales, quia non habebant ueras demonſtrationes. Ac Mathematicas quidem nuncupauit doctrinas, quia habebant ueras demonſtrationes, cum dixit: In doctrinis ſimili-ter non eſt paralogiſmus, quòd medium ſit ſemper dupliciter, & de hoc qui-dem omni, & hoc iterum de alio dicitur omni: quod autem prædicatur, non di-citur omne. hæc autem ſunt, ut uidere intellectu, ſed in rationibus latet. Et paulo pòſt addidit: Conuertuntur autem magis quæ ſunt in mathematicis, quo-niam nullum accidens recipiunt, ſed in hoc differunt ab eis quæ ſunt in dialecticis, ſed definitiones. 1.Meteor. 1.Poſt.11.

Ex quibus uerbis conſtat, Ariſtotelem comparando Mathematicas ad omnes alias facultates, ipſas appellare doctrinas, & cæteras rationales & dialecticas: quia ſæpe rationes quibus utuntur, ſunt ex probabilibus, ſiue proprijs, ſiue communi-bus. omnia enim probabilia communiori uocabulo appellantur Dialectica, licet communia probabilia ſint, propriè attinentia ad ipſam Dialecticam, & dicuntur uerè dialectica: reliqua uerò propter ſimilitudinem in aliqua parte, quam habent cum communibus. Et propter cauſas dictas, protulit etiam Ariſtoteles primo de Anima, text. undecimo, hæc uerba: Quare ſecundum quaſcunq; definitiones non contingit accidentia cognoſcere, ſed neque de ipſis imaginari facile, manifeſtum eſt quòd Dialecticæ dictæ ſunt, & uanæ omnes. 1.de Anima text.11.

Appellat igitur definitiones illas quæ non faciunt cognoſcere ſua accidentia, uanas & inanes: & hoc euenit, quia ſunt ex communibus. quia communia non red dunt ueram cauſam accidentium ſuorum ſubiectorum. Quam rem innuit etiam in eodem primo de Anima, text. decimoſexto. Et hoc magis perſpicietur ex eis quæ citabimus in ſequentibus, ex ſecundo de Generatione animalium, cap. ſexto. Non ergo ſuperuacanea eſt Dialectica, propriè etiam accepta: licet per accidens, & non per ſe ſit utilis ad duo illa genera problematum: quia illæ facultates non ſunt ſem-per idoneæ, propter ea quæ dicta ſunt, ad manifeſtandum ſuum finem. Dialectica autem propriè (ut dixit Ariſtoteles) maximam ipſis affert utilitatem, quia poten-tes (ut diximus) ad utraq; dubitare, facilius in ſingulis perſpiciemus uerum & fal-ſum. Et ipſam Dialecticam eſſe illam qua poterimus ad utraq; dubitare, indica-uit Ariſtoteles multis in locis. ſed maximè primo Rhetoricorum, cum inquit: Nul-la igitur aliarum artium contraria ſyllogizat: Dialectica autem & Rhetorica ſolæ hoc efficiunt, ſimiliter enim ſunt ambæ contrariorum. Poſſumus ergo ex ipſis ad unamquanque partem contradictionis dubitare: & qui poteſt hoc facere, po-teſt facilius inuenire uerum, quia poteſt dicere hoc non eſſe uerum propter ratio-nes tales repugnantes: & illud eſſe uerum, quia non habet rationes ita repugnan-tes, & ſequitur ex uerisſimilibus. Quare cum hoc conſequamur beneficio Dia-lecticæ, etiam propriè acceptæ, cogimur dicere ipſam non eſſe ſuperuacaneam: li-cet per accidens & ſophiſticè quodam modo (ut more Ariſtotelis loquamur) con-ficiat ſuas rationes, quoniam non ſunt ex proprijs. etenim communia neceſſaria dicuntur etiam dialectica per ſimilitudinem, & in comparatione. ſed neque com-munia neceſſaria, neque communia probabilia dicuntur propriè ſophiſtica, ſed ſolùm in cõparatione ad neceſſaria & propria. & hanc rẽ uiſus eſt indicare Ariſto- 1.de Anima text.16. 2. de Generat. anim.6. 1.Rhet.

1.Poſt.2. teles 1.Poſt.cap.2 cum inquit: Scire aũt opinamur unumquodque, ſed non ſophiſti co modo, quod eſt ſecundum accidens, cum cauſam arbitramur cognoſcere, propter quam res eſt: quoniam illius eſt cauſa, & non contingit aliter ſe habere. 1.Poſt.5. Appellauit enim omne ſcire per accidens, & ſophiſticum, quod non eſt per cauſam propriam. Quare perſpicuum eſt, Dialecticam aliquid facere, imò plurimùm, ad illa duo genera problematum, quæ complexu ſuo continent omnes facultates, quæ ſunt de aliquo ſubiecto determinato. quod eſt illud quod nobis erat propoſitum oſtendere.

Ex quibus patêre mihi uidetur ſolutio poſtremæ dubitationis allatæ, propterea quòd concedimus, Dialecticam eſſe utilem ad ueritatem & ad ſcientiam, non per ſe, ſed per accidens, quia adminiculatur duobus illis generibus problematum. & hoc eſt quod putamus uoluiſſe dicere Ariſtotelem in illo loco. Non ſolùm ergo non diximus negantia, ſed neq; etiam pugnantia, imò maximè conſentanea uerbis Ariſtotelis & ueritati, cum negauimus problemata dialectica eſſe per ſe utilia ad aliquod duorum dictorum problematũ. Quare reuertentes iam ad principale propoſitum, dicimus uideri nobis ſequi ex dictis, Dialecticam & Rhetoricam non eſſe neq; mentis contemplatiuæ, neq; actiuæ, neq; effectiuæ: quia attinẽt ad tertium genus problematum, quod eſt adminiculans. ex quo efficitur id quod initiò dicebamus, Ariſtotelem non loquutum eſſe ſimpliciter de omni mente, cum dixit omnem mentem eſſe aut ſpeculatiuam, aut actiuam, aut factiuam: ſed de illa tantùm qua ſemper uerum dicimus, & non de ea qua falli poſſumus: alioquin falſa ipſe locis citatis aſſeruiſſet. Et ſimul patet, nihil à nobis dictum fuiſſe quod ab Ariſtotelis ſententia & à ueritate diſcrepet, cum diximus, Dialecticam & Rhetoricam non eſſe ſcientias, neq; artes.

Erat poſtrema quæſtio, qua arguebatur falſum eſſe, Rhetoricam nulli facultati eſſe ſubalternatam, propterea quòd eius materia non eſſet ab aliqua alia facultate conſiderata ſimpliciter & abſolutè. hoc autem falſum eſſe, oſtendebatur ex uerbis 1.Ethic.2. Ariſtotelis primo Ethicorum cap. ſecundo, quem locum etiam in ſuperioribus citauimus in aliam occaſionem, ubi inquit: Videmus enim ſub hac, ſcilicet Politica, honoratiſsimas facultates exiſtentes, ut rem Imperatoriam, Oeconomicã, & Rhetoricam. Et arguebatur ſic: Rhetorica eſt ſub Politica, ut patet ex his uerbis Ariſtotelis modò citatis: ergo eſt ſubalternata ipſi Politicæ. nam aliquam facultatem eſſe ſubalternatam alteri, nihil aliud uidetur eſſe, quàm ut hæc ſit ſub illa, quemadmo-1.Poſt.12. dum declarauit Ariſtoteles 1. Poſteriorum cap. 12. his uerbis: Alio uerò modo differunt eſſe, & propter quid, quod per aliam atq; aliam utrunq; conſideratur. tales autem ſunt hæ quæ ita ſe habent, ut altera ſub altera collocetur: ut ad Geometriam proſpectiua, & ad ſolidorum ſcientiam machinarum facultates extendendarum: & ad Arithmeticam, Muſicam & Aſtrologiam ſeſe habet ſcientia eorum quæ apparent.

Hinc perſpicuè uidetur patêre, facultatem quæ collocatur ſub altera, eſſe ei ſubalternatam: quia illas facultates quas numerauit Ariſtoteles, & dixit alteram collocari ſub altera, conſtat eſſe inter ſe ſubalternantes & ſubalternatas. In dubium igitur uenire non poteſt, quin Rhetorica quam dixit Ariſtoteles collocari ſub Politica, ſit eidem ſubalternata.

Huic quæſtioni reſponderem, facultatem illam quæ ita collocatur ſub altera, ut ab ea petat ſua principia, quæ ordinet ad opus, neceſſariò eſſe ei ſubalternatam: ut ſunt omnes eæ facultates, quas commemorauit Ariſtoteles. nego tamen propoſitionem eſſe ueram ſimpliciter, ut quęcunq; facultas quomodocunq; ſub altera collocetur, ei ſit ſubalternata: quia fieri poteſt ut detur aliqua facultas quæ ſit ſub altera, & tamen ei non ſubalternetur: ut ars Militaris, & Oeconomica, & Rhetorica. non enim accipiunt hę ſua principia à Politica, neq; conſiderant in ordine ad opus ea quæ Politica ſciendi cauſa conſideret, quod eſt neceſſarium ad ſubalternationẽ propriè dictam: ut nos multis in locis & in Commentario noſtro, & in Apologia oſtendiſſe arbitramur.

Sed quęrat aliquis, Quomodo ergo dicũtur eſſe ſub Politica tres illę facultates?

Reſpondeo

Reſpondeo, dici quòd ſunt ſub Politica, quia ordinantur ad Politicam, & ſeruiunt ipſi: quod non accidit ſubalternatis, ergo ſubalternantes.

SECTIO DECIMASEPTIMA.

SEd adhuc inſtaret quiſpiam, ex hac reſponſione ſequi, ut eodem modo dicendũ ſit de artibus mechanicis, & de habitibus actionis, quòd omnes uidelicet ſint ſub ipſa Politica.

Concedo ita eſſe, quandoquidem (ut patet ex Ariſtotelis 1. Ethic. cap. 1. & 2.) finis Politicæ continet fines omnium: ergo ſunt ſub ipſa. 1. Ethic. 1. & 2.

Quòd ſi quærat aliquis cauſam, cur Ariſtoteles non enumerauerit ipſas etiam artes mechanicas, & habitus actiuos, cum Rhetorica, & re militari, & œconomica. Reſpondeo hanc fuiſſe cauſam, quia non erant honoratiſsimæ, ex quibus poſſet oſtendi excellentia Politicæ, ſicut propoſitum erat ipſi Ariſtoteli.

At rurſus dicat quiſpiam: Si ex hoc quòd Politica haberet ſub ſe honoratiſsimas facultates, erat honoratiſſima: ergo ex hoc quòd habet ſub ſe uiliſſimas, erit uiliſſima. Nego conſequentiam: quia ad oſtendendum aliquam facultatem eſſe principaliſſimã, ſufficit ſi habeat ſub ſe aliquas facultates honoratiſſimas, licet habeat plures alias uiles: quia honoratiſſimæ facultates non poſſunt eſſe niſi ſub honoratiſſima facultate. Viles autem poſſunt eſſe ſub honoratiſſima, & non honoratiſſima: ſicut ars conficiendorum frenorum collocatur ſub equeſtri. in quo idem accidit quod de principibus qui dicuntur honoratiſſimi, quoniam ſub ſe habeant homines aliquos honoratiſſimos, licet habeant etiam multos qui ſunt uiles, ut perſpicuum eſt.

Sed inſtaret etiam aliquis, Et ſi artes iſtæ ſunt uiles, cum tamen ſint (ut tu dixiſti) ſub Politica, quare dixit Ariſtoteles, Politicam uti illis, & non dixit eas eſſe ſub Politicã, quanquam nollet eis honorem tribuere? hoc enim non uidetur prohibere, quin reuera poſſint eſſe ſub ipſa.

Reſponderem, hoc ideo feciſſe Ariſtotelem, ut indicaret non eodem modo mechanicas collocari ſub Politica, ſicut tres illæ honoratiſſimæ facultates, propterea quòd hæ nulla interiecta re Politicæ ſubiectæ ſunt, omninóque eundem finem habent quem habet Politica, nempe felicitatem & honeſtatem. Artis enim militaris finis eſt honeſtas, ut in primo libro diximus, & ipſius etiam Rhetoricæ: inuentæ enim ſunt ambæ ut tueantur finem Politicæ proprium, ob prauitatem hominum, & ignorationem. ideóque collocantur ſub Politica, quia immediatè ſeruiunt ipſi: quod non accidit artibus mechanicis, quæ licet ſint ordinatæ ad Politicam, habent tamen mediatè alium proprium finem: ut ars conficiendorum frenorum, licet ſit ordinata ad Politicam, & aliquo modo ſit ſub Politica, tamen non eſt eo modo quo ſunt illæ tres, quæ quidem (ut dictum eſt) non habent niſi eum finem, quem habet Politica. Vt igitur innueret Ariſtoteles hanc differentiam, dixit Politicam uti artibus mechanicis: ne quis putaret, ſi dixiſſet illas etiam eſſe ſub Politica, eò modo eſſe quo modo ſunt tres illæ honoratiſſimæ facultates. Atque uſus eſt fortaſſe etiam hoc uerbo Vti, ut ſignificaret eas eſſe parum honoratas, nec præſtantes.

SECTIO DECIMAOCTAVA.

AT quamobrem (quærat aliquis) non dixit etiam, facultatem eam quæ de magiſtratibus ac de legibus agit, huic ſubiectam eſſe, cum etiam hæc illi immediatè ſeruiat, ſitque honoratiſſima?

Dico, non potuiſſe hoc dicere, quia hæc facultas nuncupata eſt ipſa etiam nomine Politicæ: itaque perinde fuiſſet ac ſi dixiſſet, Politicam eſſe ſub Politica: quod uideri potuiſſet aliquo modo abſurdum. Quanquam neque eodem modo eſt ipſa ſub principali Politica, quomodo tres illæ: quippe quæ præcedit, quoniam propius ſequitur uirtutes & felicitatem. Leges enim de quibus agit immediatè ſeruiunt ipſi Politicæ, partim declarando uirtutes, partim iubendo ea quæ docent ipſæ uirtutes, & prohibendo contraria. Prius enim ſunt uirtutes & felicitas: deinde propter prauitatem hominum ſunt leges & magiſtratus: illæ uerò, Oeconomica, Rhetorica, & ars militaris, longius ſequuntur Politicam, eíque ſeruiunt. ne-

que enim

que enim adhibentur, niſi cum leges non ſeruantur propter maximam hominum prauitatem: præſertim ars militaris, quę etiam dicitur eſſe nimis uiolenta, & aliquo modo eſt malum, ſed ob malitiam hominum & improbitatem bonum, ſicut etiam Rhetorica.

Ex his perſpicuum eſſe iam arbitror, nihil prohibere quin Rhetorica & Dialectica ſint eędem in ſubſtantia, differant autem ratione extrinſecus accepta. Item non eſſe propriè artes, neq; habitus actiuos, ſed facultates inueniendi probabilia communia: & per conſequens, non eſſe ſubalternatas ulli alij facultati.

Quæ pluribus fortaſſe quàm hic poſtularet locus, fuerunt à nobis diſputata: quia uiſum eſt hac diſputatione aperire uiam ad intelligendos diuinos illos Ariſtotelis libros de Arte rhetorica, præſertim cum uideremus multos propter eorum quæ diximus ignorationem, neq; illorum librorum intelligẽtiam potuiſſe conſequi, & in maniſeſtiſſimos ac turbulentiſſimos errores incidiſſe. Quòd ſi nobis per ualetudinem ſperare liceret, eò uſq; nos uicturos eſſe, ut abſolutis duobus Commẽtarijs quos iam in lib. Ethic. inſtituimus, ad explanationem etiam Rhetorices accedere poſſemus, ſicut in animo habemus, ac maximè optamus, non feſtinaſſemus hæc dicere. Sed tanta eſt infirmitas ualetudinis meæ, ut uix ad hunc librum perficiendũ ſatis uirium habuerim: ac nuper quidem grauiſsimis ſtomachi & laterum doloribus ita uexatus & cruciatus ſum, ut medici de ſalute mea planè deſperarent. Sed tamẽ Dei opt. max. benignitate ſeruatus, adhuc uiuo, quanquam uiribus corporis admodum debilitatis & afflictis. Quòd ſi uita diutius ſuppeditauerit, nobis propoſitum eſt & ea quæ inſtituta habemus perſequi, & cætera Deo iuuante aggredi.

FINIS LIBRI OCTAVI EVERSIONIS
Singularis certaminis.

LIBER NONVS.

SECTIO PRIMA.

PErſpicuum eſt ex eis quæ dicta ſunt, omnes facultates quæ humana uſa ſunt traditæ, ortum habere ex principijs ijs quæ ſumuntur à ſenſu, uel ex principijs probabilibus, ut Dialecticam & Rhetoricam, quæ item principia à ſenſu ſumuntur. Etenim loci probabiles (ut ille, Si de quo magis uidetur ineſſe, & non ineſt, ergo de quo minus) ſenſui apparent. Cum autem omnes ſcientiæ propriè oriantur ex ijs principijs quæ ſenſui appatent, facultates etiam omnes quæ ab ipſis ſcientijs naſcuntur, neceſſariò oriuntur ex ſenſu: quippe quæ ab ijs principijs pendent quæ petuntur à ſcientijs.

Quæ omnia uidentur colligi ex multis Ariſtotelis locis, quos longum eſſet recenſere: ſed nonnullos proferemus, qui maximè erunt idonei ad hæc ipſa confirmanda,
1.Poſt.14. quorum primus ſit ille 1. Poſter. cap. 14. ubi ſic ait Ariſtoteles: Manifeſtum eſt autem,
,, quòd ſi aliquis ſenſus defecerit, neceſſe eſt aliquam ſcientiam deficere, quandoqui-
,, dem conſequi non poſſumus: ſiquidẽ addiſcimus aut demonſtratione, aut inductio-
,, ne. Eſt autem demonſtratio quidem ex uniuerſalibus, inductio autem ex eis quæ ſe-
,, cundum partem. Impoſsibile autem uniuerſalia ſpeculari, & nõ per inductionem:
,, quoniam quæ ex abſtractione dicuntur, erunt per inductionẽ nota, ſi quis nota uo-
,, luerit facere, ineſſe inquam nonnulla generi cuiq;, & ſi nõ ſeparabilia ſunt, & unum-
,, quodq; eſt tale. Inductionem autem eum qui ſenſu caret, conficere unum, eorũ eſſe
,, conſtat quæ nullo pacto fieri poterant: ipſorum namque ſingularium eſt ipſe ſenſus.
,, non enim fieri poteſt ut ipſorum accipiatur ſcientia, neq; ex uniuerſalibus abſq; indu
,, ctione, neq; per inductionem ſine ui ſentiendi.

Si ergo ex ijs quæ hic dicit Ariſtoteles, deficiente aliquo ſenſu, deficeret ſcientia illius ſenſus: ut deficiente uiſu, neceſſe eſſet deficere ſcientiam eorum quæ hoc ſenſu percipiuntur,

percipiuntur,ut colorum:ergo deficientibus omnibus ſenſibus,ſi hoc fieri poſſet, ſal
uo incolumiq́; animali,deficerent omnes ſcientiæ:ergo ſequitur, omnes ſcientias de
quibus loquitur Ariſtoteles,ortum habere ex ſenſu.

Confirmatur ex Ariſtotele, qui cũ propoſuiſſet quæſtionẽ, Quomodo principia 3.Poſt.ult.
à nobis cognoſcerẽtur his uerbis;Si quidem habemus ipſas,abſurdũ eſt:contingit e-
nim certiſſimas habendo cognitiones, quam demonſtratio ſit, latêre. Si autem non
habentes prius acquirimus, quo'nam pacto cognoſcamus atq; diſcamus ex non an-
tecedenti cognitione?id enim fieri nequit,ut de demonſtratione dicebamus. Re-
ſpondet:Neceſſe eſt itaq; uim quidem nos aliquam potentiamq́; habere,non tamen
talẽ,ut his ipſis exactior ſit, ac certitudine præſtabilior: uidetũ aũt id ipſum animalib.
cũctis ineſſe.nã habent uim quandã inſitã diſcernẽdi, quã quidẽ uniuerſi ſenſum ap-
pellãt,inſito aũt animalib.ſenſu, &c. Et paulo pòſt: Ex ſenſu igitur fit memoria,&
quemadmodum dicimus, ex memoria uerò ſæpius eiuſdẽ facta experientia naſcitur.
Plures eñ memoriæ numero, una experientia eſt,aut ex omni uniuerſali quiete,iam
in anima cõſequuto,quod eſt unũ præter multa:quodq́; in omnib.illis unum ineſt,i-
demq́; principium artis atq; ſcientiæ pullulat.artis,ſi ſit circa generationẽ:ſcientię ue
rò,ſi ſit circa id quod eſt.neq; igitur determinati habitus ſunt,neq; ab alijs ad cogno-
ſcendum magis aptis habitibus, ſed à ſenſu fiunt, ut diximus.

Eandem ſententiam uiſus eſt explicare 1.Metaphyſ.text.3. cum dixit: Fit autem ex 1.Meta.3.
memoria experientia hominibus. Etenim multæ memoriæ eiuſdem rei,unius expe-
rientiæ poteſtatem perficiunt. & uidetur ferè ſcientiæ & arti ſimilis eſſe experientia.
Accidit autem ſcientia & ars per experientiam hominibus. etenim experientia fecit
artem,ut dicit Polus,rectè dicens: in experientia uerò fortunam. Fit autem ars,quan
do ex multis experientiæ conceptibus, una de ſimilib.oritur uniuerſalis exiſtimatio.

Principia ergo habituum ſpeculatiuorum, & actiuorum, & factiuorum fiunt à
ſenſu in nobis:ergo & omnes facultates.oriuntur enim ex principijs,quæ proficiſcũ-
tur à ſenſu.

Quod etiam indicauit Ariſtoteles his uerbis:Quoniam autẽ neq; res ulla eſt pre- 3.De anima.
ter magnitudinem,ſicut uidetur:intelligibilia ſunt,& quæ abſtractione dicuntur, & text.39.
quæcunq; ſenſibilium habitus & paſsiones. & ob hoc neq; non ſentiens aliquid, ni-
hil utiq; addiſcet,neq; intelliget: & cum ſpeculetur, neceſſe eſt ſimul aliquod phan-
taſma ſpeculari.

Vult enim, omnem noſtram cognitionem quam habemus naturaliter, ortum ha-
bere à ſenſu. Quod idem perſpicue uidetur oſtendere in 1. de Partibus animalium, 1.De part ani-
cap.5.ubi ait: Subſtantiæ quæ natura conſtant, partim ingenitæ immortalesq́; ſecu- mal.cap.5.
lis omnibus ſunt partim ortus participes, atq; interitus intelliguntur. Sed partem il-
lam æternam, ac proinde nobilem ac diuinam,minus contemplari propterea poſſu-
mus,quod admodum pauca illius modo ſenſui patent: quorum beneficio tum de ea
ipſa parte diuina, tum de ijs quæ nos capimus, facultas nobis cogitandi indagandiq́;
ſuppeditatur: & quæ ſequuntur.

Omnis ergo noſtra cognitio, ex Ariſtotelis ſententia,ortum habet à ſenſu.

Sed diceret aliquis,hoc quod dixit Ariſtoteles locis citatis,non uidetur carere du
bitatione, quando quidem alibi uideatur contrarium aſſerere. ut 8. Topic. cap. quin- 8.Top.3.
to,ubi inquit: Nam aut per inductionem, aut per ſimilitudinem, plerunque uniuer
ſale ſumunt.

Et non expreſſit ſenſum. quòd ſi per inductionem quiſpiam intelligere uelit ſen-
ſum:ergo ea uniuerſalia quæ per ſimilitudinem ſumuntur, non ſumẽtur per ſenſum.
alioquin ſuperuacaneum fuiſſet dicere per inductionem,uel per ſimilitudinem. ſatis
enim ſuperq; fuiſſet,ſi dixiſſet ipſa uniuerſalia fieri per inductionem, ſicut dixerat ſu 1.Poſt.14.
perius loco citato.

Præterea in 1.Ethic.cap.10. Principiorum,inquit, alia quidem inductione conſide 1.Ethic.10.
rantur,alia ſenſu,alia autem conſuetudine quadam,alia uerò aliter: uerbi gratia,expe
rientia:uel fortaſſe ſimilitudine,ut modò dixit.

Quæ quidem ſi uera ſunt,neceſſariò ſequitur ut falſa ſint ea quæ locis citatis dixit,
uidelicet omnia principia fieri ſenſu:quandoquidẽ alia fiant inductione,alia aſſuetu-
dine,

dine, quæ non uidentur à ſenſu proficiſci. alioquin fruſtra loquutus eſſet Ariſtoteles diſiunctiuè, & ſuperuacaneum fuiſſet enumerare inductionem & aſſuetudinem: & fruſtra addidiſſet intelligentiam experientia fieri, ſiquidē omnia illa ſenſu perciperētur. Res igitur iſta non paruam uidetur dubitationem afferre.

Huic quæſtioni reſpondeo (ſaluo ſemper meliori iudicio) id quod dixit Ariſtoteles, Omnia principia fieri in nobis ſenſu, omnino ueritati conſentire: quia quæ fiunt inductione, fiunt ſenſu. Etenim præter locos ſuperius citatos, 2. Poſter. cap. ultimo,
2. Poſt. ult. inquit Ariſtoteles: Manifeſtū, quòd nobis eſt prima inductione cognoſcere neceſ-
„ ſarium: etenim ſenſus ſic uniuerſale facit.
2. Prior. 23. Secundo item Priorum cap. 23. cum de inductione loqueretur: Eſt autem (inquit)
„ talis ſyllogiſmus, primæ & immediatæ propoſitionis: quorum enim eſt medium, per
„ medium eſt ſyllogiſmus: quorum autem non eſt, per inductionem.

Vult ergo his locis, principia prima fieri nota ex inductione & ex ſenſu. atq; hoc ſanè perſpicuum eſt, quia neceſſariū eſt ut deficiente ſenſu, deficiat ſcientia illius ſenſus: & ipſa quidem experientia ſatis declarat, nos non ſcire niſi ea quæ fiunt in nobis aliquo modo ex ſenſu, ut patet de linguis externis, & alijs. Cum igitur hoc & ex uerbis Ariſtotelis, & ex ipſa experientia planè conſtet, neceſsitas cogit, ut uerba Ariſtotelis poſtremò citata, quæ priora labefactare & conuellere uidentur, in bonum trahantur ſenſum. non enim probandum eſt, tātum philoſophum, in re tam aperta tamque manifeſta, non ſolùm pugnantia, uerùm etiam (quod multo turpius eſt) negantia eſſe loquutum. Quod quidem nemini mirum uideri debet, ſi repetamus ſæpius, atq; repetemus: hoc enim apud nos tantam uim habet ad aliquid refellēdum, ut nullum maius abſurdum afferri mihi poſſe uideatur.

Dicerē ergo, ut dictū eſt, principia fieri ex ſenſu. nō enim ſunt in nobis à natura, cū naſcimur. Sed quoniam principia cognitionum ſunt uaria, & non ſunt omnia eodē modo ex ſenſu nota, ſed alia celerius & nullo negocio ſenſui apparent, alia non item: cum hoc Ariſtoteles animaduertiſſet, etſi omnia fierent ſenſu, tamen non omnia eodem modo fieri, propterea dixit, ea fieri inductione, quæ magis propriè ex inductione oriebantur: quo in genere fortaſſe ſunt mathematicarū principia, ut oſtendemus. uera enim ac certa inductio eſt ex pluribus ſingularibus, quæ cū ſenſu percipiantur, perſpicuum eſt inter ſe ſimilitudinem habere.

Illa uerò dixit fieri ſenſu, quæ non indigebant tot ſingularibus, quot uidetur deſiderare uera inductio: conſtat enim certè ex pluribus. experientia uerò fieri, quæ oriuntur ex ea quę propriè eſt experientia, qualis eſt medicorum. ex aſſuetudine autē naſci, quæ ſunt talia: cuiuſmodi ſunt moralia, quibus ſtatim apprehenſis non aſſentit animus, niſi aſſuetudine quadam: quia non ſunt ualde manifeſta ſenſui, licet oriantur è ſenſu: non enim inſunt nobis à natura. Ergo non diſiunctiuè loquutus eſt Ariſtoteles locis citatis, quòd ſentiret dari aliqua principia quę non fierent in nobis ex ſenſu: ſed ut indicaret, non omnia quæ ex ſenſu fiunt, in nobis eodem modo fieri, & hæc eſt rei ueritas, quòd uidelicet alia indigent pluribus, alia paucioribus. Niſi ergo uerba Ariſtotelis poſtremò citata, eo modo intelligantur quomodo dictum eſt, nō uideo quo pacto fieri poſſit ut inter ſe cohæreant.

SECTIO SECVNDA.

Sed ut ea quæ dicta ſunt magis perſpicua ſint, faciendum nobis uidetur, ut alias difficultates in medium afferamus. Inſtaret igitur aliquis dicens, ex eis quæ dicta ſunt ſequi, principia mathematicorum non fieri in nobis experientia: dictum eſt enim illa fieri ex inductione, non experientia. Huic obiectioni reſpondens dico, illa aliquo modo non fieri ex ſententia Ariſtotelis, experientia, ſed fieri inductione: idq;
6. Ethic. 9. colligi poſſe ex eis quæ dixit ipſe ſexto Ethicorum cap. nono, ad hunc modum: Si-
„ gnum autem eſt eius quod dictum eſt, & propter quod Geometrici pueri, & mathe-
„ matici fiunt, & ſapientes circa talia: prudens autem non uidetur fieri. cauſa autem,
„ quia prudentia eſt ſingularium, quæ fiunt nota ex experientia. iuuenis autem non
„ eſt expertus: multitudo enim temporis facit experientiam.

Quibus uerbis apertè ſignificat, mathematica principia non fieri in nobis per experientiam:

perientiam: etenim ſi fierent per experientiam, pueri non poſſent fieri mathemati-
ci, ob eandem cauſam, propter quam negauit illos poſſe fieri prudentes. Quare cō
gimur dicere ex ſententia Ariſtotelis, illa principia non fieri nota per experien-
tiam. Quod ipſe magis etiam indicaſſe uidetur, cum ſtatim poſt uerba allata ad-
didit: Nam & hoc utiq; aliquis conſideraret, propter quid mathematicus quidem "
puer fieret, ſapiens autem uel phyſicus non. an quia hæc ex abſtractione ſunt, horũ "
autem principia ex experientia. & hęc non crederent iuuenes, ſed dicerent. horum "
autem quod quid eſt, non eſt immanifeſtum. "

Perſpicuum igitur eſt, ipſum uelle, principia ſapientiæ & phyſicæ fieri in nobis
experientia, mathematicarum uerò non fieri.

Sed contrà urgeret quiſpiam, arguens quòd Ariſtoteles apertè ſibiipſi repugna
re uidetur, quippe qui ſecundo Ethic. in principio hęc planè uerba ſcripta reliquit: *2 Ethic. 1.*
Duplici autem exiſtente uirtute, alia intellectiua, & alia morali: intellectiua utplu- "
rimum ex doctrina habet generationem & incremẽtum, unde experientia & tem- "
pore indiget: moralis autem fit aſſuetudine, unde etiam nomen habuit parum de- "
clinans à more.

Nam ſi uirtutes intellectiuæ, ut ait ipſe, fiant ex doctrina, & ea quæ fiunt ex do-
ctrina indigeant experientia & tempore, ut apertiſsimis uerbis intulit, neceſſariò
efficitur, mathematicorum principia indigere experientia & tempore: ſunt enim
mathematicæ facultates, uirtutes intellectiuæ. cuius rei tamen contrarium locis ſu-
perius citatis aſſeruit. Videtur etiam euertere ea quæ dixit & 2. Poſt. cap. ult. & 1. *2. Poſt. ult. &*
Metaphyſ. quibus in locis apertè teſtatur, principia artium & ſcientiarum fieri per *1. Meta. 1.*
experientiam.

Cum igitur hi textus Ariſtotelis inter ſe pugnare, & ſententiam eius uagam,
nec ſibi conſtantem oſtendere uideantur: quod quidem eſt abſurdiſsimum, ac de
tanto philoſopho, & omnium qui poſt ipſum fuerunt ſapientium & prudentium
magiſtro ne ſuſpicari quidem fas eſt: faciendum omnino uidetur, ut illi ipſi textus
inter ſe bono aliquo ſenſu concilientur. Quare ut ſoluamus has apparenter con
tradictiones, dicimus, mathematicas facultates, cum ſint intellectiuæ, & generen-
tur in nobis per doctrinam, indigere ipſas etiam experientia & tempore. Quod
res ipſa ſatis declarat. Videmus enim homines, antequam euadant in mathemati-
cos perfectos, uerſari oportere in pluribus ſingularibus, multum'que in ea re tem-
poris conterere, & ſic uti experientia. quod etiam uiſus eſt Ariſtoteles innuere in
ſecundo Ethicorum, cap. primo, & in alijs locis. In ſexto uerò Ethicorum, cap. no- *2. Ethic. 1.*
no, ubi uiſus eſt ſeiungere experientiam à mathematicis, quia dixit pueros poſſe *6. Ethic. 9.*
fieri mathematicos, loquutus eſt (meo quidem iudicio) in comparatione reliqua-
rum facultatum, quia reuera mathematicæ non indigent tanta & tali experientia,
neque tanto tempore ſicut cæteræ facultates. At non fuit eius ſententiæ, ut puta-
ret mathematicorum principia nulla omnino indigere experientia, nulloq; tem-
pore. uel enim non fuiſſent uirtutes intellectiuæ: uel Ariſtoteles in 2. Ethic. cap. 1. *2. Ethic. 1 & 2.*
& 2. Poſter. & 1. Metaphyſ. falſa omnino aſſeruiſſet: quibus in locis dixit apertè, eo- *Poſt. & 1. Me-*
rum principia fieri ex inductione. *taphyſ.*

Sed dices: Licet non indigeant tanta & tali experientia, neq; tanto tempore ſi-
cut cæteræ facultates: indigent tamen per te experientia longa, & longo tempore:
quomodo igitur pueri fieri poterunt mathematici?

Dicimus, ad perfectam mathematicarum cognitionem conſequendam opus
eſſe omnino experientia longa, & longo tempore. etſi minus id quidem quàm in
cæteris facultatibus comparandis, ut dictum eſt, propterea quòd res ipſa indicat,
homines indigere longa experientia & longo tempore, antequam in mathemati-
cis perfecti euadant. & hanc quidem perfectam Geometriæ cognitionem non di-
cit Ariſtoteles pueros conſequi poſſe: infinitæ enim ſunt ferè ipſius Geometriæ &
Arithmeticæ concluſiones, quæ ſine longa experientia, & longo tempore per-
diſci non poſſunt, ut ipſa re conſtat. Sed hoc fuit propoſitum Ariſtotelis, ut dice-
ret pueros magis fieri poſſe mathematicos, quàm prudentes & ſapientes & phy-
ſicos: quia cum mathematicæ ſint notiores quàm prudentia & ſapientia & phyſi-
ca, ob dictas cauſas poſſunt pueri plures cognitiones rerum mathematicarum

 conſequi,

conſequi, quàm reliquarum facultatum: ex quibus cognitionibus, etſi perfectè nō ſint mathematici, poſſunt tamen ex illis dici mathematici. Quod planè declarauit Ariſtoteles in ſecundo Ethicorum, cap. quarto, ut uidebimus in ſequentibus. quo in loco dixit, aliquem poſſe dici Grammaticum, qui aliquid rectè proferat ex regulis Grāmaticæ, licet non ſciat perfectè ipſam Grammaticā. etenim eodem mo do aliquis dici poterit Mathematicus, cum protulerit aliqua ex doctrina mathematica, licet non ſit ea diſciplina perfectè inſtructus. ſatis enim eſt ut in comparatione reliquarum facultatum poſſit magis dici mathematicus. nam ad hoc quidem ut aliquis euadat in perfectum mathematicum, quin opus ſit minori experientia & tempore, quàm ad illud ut euadat in prudentem & ſapientem & phyſicum, quis dubitet? cum planè conſtet, longè obſcuriores eſſe reliquas facultates quàm mathematicas. At uerò, etſi faciliores ſunt mathematicæ ad percipiendum quàm cæteræ facultates: non tamen ex eo ſequitur, ut non ſint difficiles intellectu. multa enim ſunt faciliora, quæ non ſunt facilia: ſicut multa ſunt maiora, quæ non ſunt magna. Si ergo mathematicæ non ſunt faciles, ut perſpicuum eſt eis qui in earum ſtudio uerſantur: mirum non eſt, ſi & ipſæ indigeant experientia & tempore. Sed quia ſunt reliquis facultatibus faciliores, propterea dixit Ariſtoteles, pueros poſſe fieri mathematicos, & non prudentes, neque ſapientes, neque phyſicos. Poſſunt enim cognitionem multarum concluſionum in mathematicis conſequi, quia ſunt manifeſtiores, & non indigent (ut dictum eſt) tanta neque tali experientia, neque tanto tempore, ſicut cæteræ facultates. Dicimus autem eas comparari ex inductione, & indigere experientia & tempore. neque hoc tamen euertit ea quæ dixit Ariſtoteles in ſexto Ethicorum, cap. nono: quia non loquutus eſt de ipſis ſimpliciter & abſolutè, ſed in comparatione ad eas facultates, de quibus eo in loco mentionem fecit. Quare ſi hoc modo intelligantur textus Ariſtotelis, quo modo eos quidem intelligendos eſſe arbitramur (hoc enim minimè abhorret ab eius loquendi more & conſuetudine) facile illi quidem inter ſe, & nullo negocio conciliantur, omniſq; repugnantia planè tollitur. negari enim non poteſt, quin antequam in mathematicos perfectos euadamus, opus ſit longa experientia & longo tempore: neque rurſus poteſt negari, quin pueri facilius ipſarum mathematicarum cognitionem poſsint conſequi, quàm reliquarum facultatum: quippe cum principia earum ſint manifeſtiora, minoriq; indigeant experientia & tēpore. Soluta igitur (ni fallimur) nobis uidetur iam quæſtio propoſita.

2. Ethic. 4.

6. Ethic. 9.

Sed adhuc quærat aliquis dicens: Poſtquam incidimus in hunc locum, ego uellem ſcire, quare illæ facultates quæ accipiunt generationem & incrementum per doctrinam, indigeant experientia & tempore? non'ne fieri poteſt, ut citò addiſcamus ea quæ à doctoribus audimus? poſſunt enim doctores noſtri eſſe ita excellentes, ut nos celeriter poſsint inſtruere in eis quæ per doctrinam comparantur.

Præterea Ariſtoteles illis uerbis uidetur quaſi innuere, quòd ſi non haberentur per doctrinam, non indigeremus experientia & tempore, referens huius rei cauſam ad illud quòd generantur ex doctrina: quare ſequi uidetur, ut ſi generarentur in nobis ex inuentione, non indigerent experientia & tempore. quod tamen à ratione & à ſententia Ariſtotelis quam alibi explicauit, abhorrere perſpicuum eſt. etenim facile eſt inuentis addere, & maximè difficile inuenire res: quod etiam ex ſe clarum eſt.

Ad primam difficultatem ego dicerem (ſaluo ſemper meliori iudicio) cauſam quare quæ fiunt in nobis & creſcunt per doctrinam, indigeant experientia & tempore, eſſe, quia talia ſunt difficilima intellectu: quoniam niſi ita eſſet, perſpicua ex ſe eſſent, & ita non indigeremus doctore, ſiue doctor ſit homo, ſiue ſint inſtrumenta cognoſcendi. Cum igitur non ſint omnino ex ſe perſpicua, quia non docemur propriè niſi illa quæ ſunt dubia, ſed difficillima intellectu, ut diximus: opus eſt antequam fiant in nobis, ut indigeant experientia & tempore. etenim dubia, & maximè illa quæ multa in ſe includunt, ſicut uirtutes intellectiuæ, non poſſunt ſine longa experientia, & ſine longo tempore in nobis generari. quod quidem in dubium nemini ſano uenire poteſt.

Ad alteram quæſtionem reſponderem, Ariſtotelem non comparaſſe eo in loco
uirtutes intellectiuas ad ſeipſas, cum habentur per inuentionem: quia longè diffi-
cilius eſt eas inuenire, quàm inuentas diſcere à doctoribus. Quod cùm per ſeipſum
ſatis perſpicuum eſt, tum etiam ex multis Ariſtotelis locis intelligi licet, & præci- 2.Elench.ult.
puè ex ultimo capite ſecundi Elenchorũ, præſertim cum illæ quæ habentur per in-
uentionem, dicantur etiam haberi aliquo modo per doctrinam, ut in ſequentibus
nos oſtenſuros arbitramur. Sed quomodocunque ſit, dicimus Ariſtotelem non
comparaſſe uirtutes intellectiuas quæ habentur per doctrinam, ad ſeipſas, & qua-
tenus habentur per doctrinam: ſed comparaſſe cum uirtutibus quæ habentur per
conſuetudinem quãdam. & ideo dixit ipſas indigere experientia & tempore, qui-
bus non uidentur indigere quæ fiunt ex quadam conſuetudine, ut ſunt morales.

Sed ſtatim diceret aliquis, Tu incidiſti in maiores laqueos. etenim morales ui-
dentur fieri in nobis per doctrinã, ergo non differunt ab intellectiuis, in hoc quòd
illæ fiant per doctrinam, hæc uerò per aſſuetudinem.

Item fiunt in nobis etiam à natura, ergo non ſola conſuetudine.

Quòd autem morales acquirantur per doctrinam, uidetur declaraſſe Ariſtote- 10.Ethic.ul.
les decimo Ethicorum, cap. ultimo, ijs planè uerbis: Fieri autem bonos putant alij “
quidem à natura, alij autem conſuetudine, alij autem doctrina. Et 7. Polit. cap. 7.Poſt.13.
13. Veruntamen boni & ſtudioſi fiunt ex tribus. tria autem ſunt hæc: natura, conſue “
tudo & ratio, id eſt diſciplina.

Item in eodem lib. cap. 15. Diximus enim prius opus eſſe natura, conſuetudine, 7.Polit.15.
& ratione. Ex quibus perſpicuè patet, mores fieri in nobis non ſolùm aſſuetudi- “
ne, uerùm etiam natura & doctrina.

Confirmatur idem ex primo Ethicorum, cap. decimotertio, ubi Ariſtoteles lo- 1.Ethic.13.
quens de felicitate, inquit: Poteſt enim ineſſe omnibus qui non ſunt priuati ad uir- “
tutem per quandam diſciplinam & curam. Nam ſi feliciter poteſt comparari à no- “
bis per diſciplinam & curam, ergo & uirtutes morales, quandoquidem ex earum
operationibus exiſtit felicitas. Itaque niſi uirtutes morales fierent in nobis diſcipli-
na, ipſa felicitas non poſſet in nobis fieri diſciplina, ſiquidem efficitur ſaltem actiua
felicitas ex operationibus uirtutum moralium.

Item, ſi uirtutes non fierent in nobis doctrina uel diſciplina, fruſtra Ariſtoteles
ſcripſiſſet libros Ethicorum, quibus docet ipſas uirtutes. Conſequens euertit e-
ius iudicium, & repugnat experientiæ: ergo id unde emanat, à ueritate abhorrere
neceſſe eſt. Conſequentia probatur: quia ex illa doctrina non poſſemus acquire-
re uirtutes, & ita fieri boni.

Item uirtutes intellectiuæ uidentur & ipſæ comparari aſſuetudine, ex ſententia
Ariſtotelis, ut facultas tibiam pulſandi uel citharam, & huiuſmodi habitus actiui:
fiunt enim conſuetudine, & ſunt uirtutes intellectiuæ. ergo falſum eſt, uirtutes mo
rales diſtingui ab intellectiuis, ex hoc quòd ipſæ morales fiant aſſuetudine, intelle-
ctiuæ autem doctrina. nihil igitur dixit Ariſtoteles 2. Ethic. cap. 1. Antonius Flam. 2.Ethic.1.
declarauit Ariſtotelem nono Metaphhyſ. tex. nono, his uerbis: Cum autem poten 9.Meta.9.
tiarum aliæ natura inſint, ut ſenſus: aliæ conſuetudine, ut facultas tibiam pulſandi: “
aliæ diſciplina, ut artes: quæcunque autem conſuetudine & ratione acquiruntur, per “
operationes antecedentes neceſſe eſt. “

Cum igitur conſtet ex uerbis Ariſtotelis, facultatem tibiam pulſandi, uel citha-
ram, & huiuſmodi habitus actiuos fieri in nobis aſſuetudine, & cum ſint uirtutes
intellectiuæ: neceſſe eſt ut hæ fiant etiam aſſuetudine.

Quòd autem ſint intellectiuæ, colligi poſſe exiſtimo ex eis quæ dixit Ariſtote-
les in fine primi Ethic. Determinatur autem & uirtus ſecundum hanc differẽtiam. 1.Ethic.ult.
dicimus enim, illarum quaſdam eſſe intellectiuas, quaſdam uerò morales. ſapien- “
tiam enim & perſpicaciam & prudentiam, intellectiuas: liberalitatẽ autem & tem- “
perantiam, morales. loquentes enim de moribus, nunquam dicimus quòd ſapiens “
aut perſpicax, ſed quia modeſtus aut temperans. “

Etenim probat Ariſtoteles hoc loco, ſapientiam & perſpicaciam eſſe uirtutes
intellectiuas, & non morales: propterea quia loquentes de moribus, non dicimus
aliquem eſſe ſapientem uel perſpicacem. Eadem igitur ratione licebit probare

facultatē pulſandi citharam & tibiam, & omnes alias facultates actiuas, pręter mo-
rales eſſe intellectiuas: quia loquentes de moribus, non dicimus aliquem eſſe bo-
num citharœdum, uel bonum tibiæ pulſatorem, ſeu bonum muſicum, & huiuſmo
di: imò poteſt aliquis eſſe bonus citharœdus, & bonus muſicus, & eſſe prauus ho-
mo. multi enim quotidie conſpiciuntur qui ſunt boni citharœdi & muſici, & tamē
ſunt praui homines. Perſpicuum igitur eſt, has facultates nō eſſe morales. ergo ne-
ceſſe eſt ut ſint intellectiuæ: quod eſt id quod probare inſtitueramus.

Item hæ facultates ſunt uirtutes cum ratione, ergo ſunt uirtutes mentis. Proba-
a.Ethic.10. tur conſequentia ex uerbis Ariſtotelis quæ ſcripta reliquit 6. Ethic. cap. 10. ad hunc
» modum: Neq; ſine ratione eſt bona conſultatio. reſtat igitur ut ſit mentis. Non e-
nim audienda (meo iudicio) eſt interpretatio huius loci, quam tradit Euſtratius, &
etiam Argyropylus, quoniam textum illum euertere mihi apertiſsimè uidetur: ſed
probanda ea quam tradit Leonardus Aretinus, qui interpretatus eſt hunc locum
eo modo quo diximus. non eſt autem hic refellēdi aliorum explanationem locus.

Sed ſatis ſit nunc lectores admonuiſſe, cum agimus aliquid ex muſica & ex alijs
facultatibus actiuis, nos dici habere illas. quòd cum perſpicuum eſt ex ſe, tū etiam
b.Ethic.4. declaratur ab Ariſtotele in 2. Ethic. cap. 4. Sed cum aliquid agimus ex moribus, nō
» dicimur habere mores: ergo eiuſmodi facultates non ſunt morales: ergo ſunt intel-
lectiuæ. non enim datur medium. & tunc uidetur argumentū maximā uim habere.

Item uidetur falſum eſſe, uirtutes morales non indigere experientia & tempore,
propterea quòd indigent prudentia, ut patet ex earum definitione. prudentia au-
tem indiget experientia & tempore. quod item perſpicuum eſt. Itaq; ſic argumen-
tari licet: Prudentia indiget experientia, & per id quod neceſſariò ſequitur, longo
tempore: ſed uirtus moris indiget prudentia: ergo uirtus moris indiget experien-
tia, & per id quod neceſſariò ſequitur, longo tempore.

c.Ethic.3. Confirmatur: quia primo Ethicorum, cap. tertio dixit Ariſtoteles, puerum non
eſſe idoneum auditorem Politicæ, quia erat expers actionum de quibus erat Póli-
tica: ſed hæ ſunt actiones ex uirtutib. igitur indiget experientia, & per conſequens
longo tempore.

Item urgeret aliquis, quęrens quomodo fieri poſsit ut quę fiunt aſſuetudine, nō
indigeant lōgo tempore: quia non poſſumus aſſuefieri ullis rebus quæ naturæ no-
ſtræ repugnent, niſi longo tempore. ut memoria proditum eſt de Thraſia, quem
Theophraſtus in lib. 9. de hiſt. plant. cap. 18. narrat, aſſuefactum fuiſſe comedere ma
nipulos ellebori ex longo tempore ſæpius guſtando elleborum: ac de Mithridate,
qui à puero aſſuefactus fuit comedere uenena.

Mores etiam non fiunt in nobis aſſuetudine niſi longo tempore, ut patet: quia
e.Ethic.1. oportet aſſueſcere à pueritia, ut ipſe Ariſtoteles declarauit ſecundo Ethic. cap. pri-
mo. hoc idem etiam dicetur de illis facultatibus quæ dicuntur acquiri aſſuetudine:
ut de facultate tibiam pulſandi, & citharam, & huiuſmodi. hæ enim non generâtur
in hominibus niſi longo tempore. Quod quidem ita perſpicuum eſt, ut qui illud
neget, uideri non poſsit ſanus. Cum igitur hæc quæ fiunt aſſuetudine, indigeant tē
pore, non uideo (dicet quiſpiam) quid ſit, cur Ariſtoteles uiſus fuerit quaſi ſeiunge-
re illa quæ fiunt per doctrinam, ab ijs quæ fiunt aſſuetudine, propterea quòd alte-
ra indigeant experientia & tempore, altera non indigeant.

Præterea quæret aliquis, quare uirtutes morales non dicantur intellectiuæ, cum
ſint cognitiones uniuerſales, quæ ſolùm attinent ad intellectum.

Item, quare uirtutes morales magis dicantur fieri aſſuetudine, quàm cæteræ uir
tutes intellectiuæ, quæ fiunt etiam aſſuetudine.

Item, quid interſit inter hæc quorum alia fiant experientia, alia aſſuetudine: cum
nihil uidetur intereſſe inter experientiam & aſſuetudinem, ſi bene conſideremus.

Præterea urgere poſſet aliquis, dicens: Tu in ſuperioribus aſſeruiſti, pueros poſ-
ſe fieri mathematicos, non ſapientes, neq; phyſicos. & reddens huius rei rationem
ex uerbis Ariſtotelis, dixiſti hoc euenire, quia principia mathematica non ſunt du
bia: eſſe enim dicta ex abſtractione. principia uerò ſapientiæ & phyſicæ nota eſſe
per experientiam. itaque ipſa non credere pueros, licet pronuncient: quia expe-
rientia longo indiget tempore, quo carent pueri. Sed hæc uidentur à ratione ab-
horrere,

horrere, propterea quòd quæ cognoſcuntur ex ſenſu, dicuntur eſſe per ſe cognita.
Maior iſta ex ſe eſt perſpicua. Principia enim prima ideo dicuntur manifeſtiſsima, quia ſenſui patent. Sed principia omnium facultatum particularium cognoſcuntur ferè ex ſenſu: ergo dicuntur ex ſe cognita. Quare non uidetur reddita eſſe bona ratio, cur pueri fiant mathematici, & non ſapientes & phyſici.

Minorem propoſitionem præter illa quæ ſuprà in eandem ſententiam dicta ſunt atque citata, declarauit Ariſtoteles ſexto Metaphyſ. textu primo, cum dixit: " Hæ quidem per ſenſum, dilucido facto ipſo quod quid eſt: hæ autem, ſumentes " quod quid eſt ſuppoſitione. Sic ea quæ per ſe inexiſtunt generi circa quod ſunt, " demonſtrant aut exquiſitius, aut melius. quapropter manifeſtum, quòd non eſt " demonſtratio ſubſtantiæ, neq; ipſius quid eſt ex tali inductione, ſed quidem alius " modus manifeſtationis. " 6. Meta. 1.

Et undecimo Metaphyſ. textu uigeſimo quinto, ubi inquit: Quare manifeſtum, omnes facultates particulares facere manifeſtum ex ſenſu quod quid eſt, quod planè eſt principium ex quo demonſtrant ea quę per ſe inexiſtunt ſuis ſubiectis. Non ergo conuenit ſolis mathematicis, habere principia nota & manifeſta ex inductione & ſenſu. igitur pueri ita poterũt fieri ſapiẽtes & phyſici, ſicut mathematici: quippe cum ſenſum habeant quo poſsint percipere principia harum facultatum, ſicut mathematicarum. 11. Meta. 25.

Item diceret aliquis: Ego uelim ſcire quare hæc definitio (Triangulus eſt figura tribus lineis contenta: &, Linea eſt longitudo ſine latitudine: &, Circulus eſt figura à cuius centro ad circumferentiam omnes lineæ ductæ ſunt æquales: quæ ſunt principia in Geometria) ſint notiora quàm iſta, quòd motus ſit, quòd plura ſint entia, quòd de quolibet dicatur affirmatio uel negatio; quæ ſunt principia in prima philoſophia. Certè mihi contrà potius uidetur. quid enim ſenſui magis patet, quàm corpora moueri, quàm plura entia eſſe, quàm duo contradictoria non poſſe ſimul eſſe uera? non'ne cernimus hoc oculis? non'ne re ipſa tangimus? cum ergo iſta principia ita perſpicua ſint, ſicut principia mathematicorum (nulla enim indigent experientia, & nullo indigent tempore, ſed ſatis eſt ad illa percipienda oculos aperire, & manus admouere) quid eſt cur pueri non poſsint ita fieri ſapientes & phyſici, ſicut mathematici, ſi hoc pendet ex perſpicuitate ipſorum principiorum?

Hæ ſunt quæſtiones quæ uidentur labefactare & conuellere ea quæ in ſuperioribus à nobis fuerunt ex ſententia Ariſtotelis prolata: quas opus eſt diſſoluere, ut firmam & ſtabilem earum quæ dicta ſunt opinionem tenere poſsimus.

SECTIO TERTIA.

Reſpondentes igitur ad primam, dicimus, morales uirtutes non fieri in nobis neq; doctrina, neq; natura, ſed tantùm aſſuetudine.

Quòd non fiant natura, perſpicuum eſt ex eis rationibus quas attulit Ariſtoteles ſecundo Ethicorum, cap. primo. Quòd autem non fiant per doctrinam, perſpicuum item eſt ex eo, quòd cognitis uirtutibus diceremur habere uirtutes: ſicut cognitis artibus dicimur habere artes. Sed falſum eſſe, quòd cognitis uirtutibus dicamur habere uirtutes, declarauit Ariſtoteles multis in locis, & maximè in quarto cap. ſecundi Ethicorum, ubi cum propoſuiſſet hanc quæſtionem: Dubitaret " autem aliquis, quomodo dicimus, quòd oportet agentes iuſta, fieri iuſtos, & " temperata temperantes. Etenim ſi agunt iuſta & temperata, iam ſunt iuſti & tem- " perantes: quemadmodum ſi grammatica & muſica, grammatici & muſici. Hanc " inquam quæſtionem diſſoluens, An neque in artibus, inquit, ſic ſe habet? con- " tingit enim grammaticam aliquid facere & à fortuna, & alio docente uel ſugge- " rente: tunc enim erit grammaticus, ſi grammaticum aliquid faceret, & gramma- " ticè, hoc autem eſt ſecundum grammaticam quæ eſt in ipſo. Amplius neque ſi- " mile eſt in artibus & in uirtutibus. ea enim quæ fiunt ab ipſis artibus, bene ſe " habent in ipſis: ſufficit enim, hæc aliquo modo ſe habentia fieri. quæ autem fi- " unt ſecundum uirtutem, non ſi hæc aliquo modo ſe habent iuſtè & temperatè " 2. Ethic. 1. 2. Ethic. 4.

fiunt: ſed etſi agens aliquo modo ſe habens agat, primùm quidem ſi ſciens, poſtea ſi eligens, & eligens propter ipſa: tertium autem, ſi firmiter & immutabiliter agat. Quibus ſanè uerbis nihil aliud uidetur ſignificare, quàm quòd oportet, ut qui dicatur præditus aliqua uirtute, is agat habens habitum eius uirtutis: quia ex una actione non dicitur quiſpiam iuſtus. ſed qui habuerit habitum uirtutis, is aget firmiter & immutabilirer: habitus enim ex eis quæ docuit Ariſtoteles in prædicamēto qualitatis, eſt de difficili mobilis.

Perſpicuum igitur eſt ex uerbis Ariſtotelis, non rectè dici nos præditos eſſe uirtutibus, ſi eas tantùm cognitas habeamus. etenim ita eſſet de uirtutibus, ſicut de artibus. cognitis enim eis quæ ſunt in aliqua arte & aliquo opere, ex ea ipſa arte profectò dicimur præditi eſſe illa arte. Sed cognita aliqua uirtute, non dicimur habere illam uirtutem, etſi agamus aliquid quod huius uirtutis ſit: ſed opus eſt ut agamus ſcientes & eligentes, & eligentes propter ipſam, & firmo immutabiliq́ iudicio. quod planè accidere non poteſt, niſi aſſuetudine ſæpius agēdo acquiſiuerimus habitum eius uirtutis.

Item ſi cognitis uirtutibus haberemus ipſas, libri Ethicorum fuiſſent ſcripti ut ſciremus quid eſſet uirtus: etenim ex hac cognitione euaderemus in bonos uiros. Sed libri illi non fuerunt ſcripti ut ſciremus quid eſſet uirtus, ſed ut efficeremur boni: ergo non poſſumus dicere, nos cognitis uirtutibus habere ipſas: non ergo fiunt in nobis ex doctrina.

Quòd autem confecti non fuerint Ethicorum libri, ut ſciremus quid ſit uirtus,
2.Ethic.2. declarauit Ariſtoteles ſecundo Ethicorum, cap. ſecundo, ijs uerbis: Quoniam au-
,, tem præſens negocium non eſt cauſa contemplationis, quemadmodum alia (non
,, enim ut ſciamus quid ſit uirtus, contemplamur: ſed ut boni euadamus, quoniam
,, nulla eſſet ipſius utilitas) neceſſarium eſt conſiderare circa actiones, quomodo ſint
,, agendæ. Etenim ſi ij libri ſcripti fuiſſent ut ſciremus uirtutes, non eſſet neceſſarium conſiderare circa actiones, quomodo agendæ ſint: ſiquidem ex cognitione uirtutum diceremur habere uirtutes: ſatis enim eſſet, hanc cognitionem conſequi. Quod cum ſecus ſit, illud aſſeri non poteſt, uirtutes fieri in nobis per doctrinam.

Præterea fieri poteſt, ut aliquis cognitionem omnium uirtutum ab Ariſtotele traditam perfectè teneat, & tamen ſit homo uitijs præditus, atque improbus. igitur uirtutes non poſſunt haberi per doctrinam. Etenim acquiſita perfectè doctrina ipſarum uirtutum, efficeretur neceſſariò ut haberemus uirtutes, & ita non poſſemus habere uitia. Antecedens perſpicuum eſt ex ipſa experientia. quot enim ſunt qui perfectè ſciunt quid ſit iuſticia, & tamen iniuſtè agunt? ſciunt quid ſit temperantia, & tamen intemperantes agunt? Quàm multi norunt quid ſit fortitudo, & tamen ſunt timidi? & ita de alijs. niſi enim ita eſſet, nemo poſſet agere contra id quod ſcit: quod quidem abſurdum eſſe, oſtendunt multa Ariſtotelis uerba in ſuperioribus à nobis citata: & oſtendit etiam illud peruagatum dictum, —*Video meliora, proboq́, Deteriora ſequor.*—

Item, Si uirtutes haberentur per doctrinam, fruſtra illud præciperetur, ex ſimilibus actionibus habitus fieri, & oportere à pueritia aſſuefieri. Conſequentia probatur: Etenim per doctrinam poſſemus habere illos habitus: & cum eſſemus adulti, adhuc poſſemus hos à præceptoribus & ex libris diſcere & accipere, etſi non fuiſſemus aſſueti. Sed conſequens euertit uerba Ariſtotelis, quæ ſcripta reliquit
2.Ethic.1. in ſecundo Ethicorum, cap. primo, ad hunc modum: Et ut uno uerbo ex ſimilibus
,, actionibus habitus fiunt, quapropter oportet quales actiones reddere: ex diffe-
,, rentijs enim harum ſequuntur habitus. non parum igitur refert, ſic uel ſic ſtatim ex
,, pueris aſſueſcere, ſed plurimùm, imò totum. Nam uult, habitum uirtutum fieri ex ſimilibus actionibus, & ex aſſuefactione ſtatim à pueritia. quòd ſi per doctrinam poſſent haberi, uana fuiſſent, ut perſpicuum eſt, hæc Ariſtotelis uerba.

SECTIO QVARTA.

CVm igitur reperiantur Ariſtotelis auctoritates & rationes quæ apertè probare uidentur, uirtutes fieri in nobis & natura & doctrina: reperiantur rurſus

aliæ auctoritates & rationes quæ (mea quidem ſententia) oſtendunt, uirtutes nul-
lo pacto fieri in nobis natura uel diſciplina, ſed ſolùm aſſuetudine: neceſsitas coge-
re uidetur (niſi uelimus primum omnium ſapientum magiſtrum non ſolùm pu-
gnantia, uerùm etiam, quod multo peius eſt, negantia loquutum eſſe) ut earum ali-
quæ in bonum trahantur ſenſum. Cæterùm cum illæ quæ aſſerunt uirtutes fieri in
nobis aſſuetudine, rationi magis conſentiant, & ſenſui, & ipſi Ariſtoteli: neceſſe eſt
ut ipſas accipiamus in eam quam prima facie præ ſe ferũt ſententiam: alias uerò ſa-
no modo interpretemur. quod quidem (meo iudicio) neceſſe eſt eos qui Ariſtote-
lis doctrinam profitentur, in primis obſeruare. alioquin illa doctrina (qua nulla
quæ humanitùs fuit tradita, eſt magis firma, ſtabilis, & ſibijpſi conſentiens) eſſet o-
mnium inſtabiliſsima, mutabiliſsima & inconſtantiſsima.

Vt igitur intelligatur, eas auctoritates quæ uidentur oſtendere uirtutes fieri in
nobis natura & doctrina, cæteris conſentire, ac minimè repugnare quæ habent,
uirtutes acquiri aſſuetudine: dicimus, Ariſtotelem in decimo Ethicorum, cap. ul- 10. Ethic. ul.
timo, cum inquit, (Fieri autem bonos putant alios quidem natura. alios aſſuetudi- "
ne, alios doctrina) intellexiſſe, alios fieri bonos natura, loquendo de illa bonitate
quæ non eſt propriè bonitas, ſed de ea quam declarauit ſexto Ethic. cap. decimoo- 6. Ethic. 18.
ctauo, ijs uerbis: Conſiderandum rurſus & de uirtute. etenim uirtus ſimiliter ſe ha- "
bet ut prudẽtia ad habilitatem: non eſt autem idem. Sic natalis uirtus ad propriam: "
omnibus enim uidentur ſingulæ uirtutes ineſſe natura aliquo modo. etenim iuſti "
& temperantes, & fortes, & alia habemus ſtatim ex generatione, ſed tamen quæ- "
rimus aliud aliquod propriè bonum, & talia aliter ſe habere: etenim pueris & bel- "
luis hi naturales habitus inſunt, ſed ſine intellectu uidentur eſſe nociuæ. "

Loquitur ergo Ariſtoteles in eo loco decimi Ethicorum, de bonitate naturali, 10. Ethic. ult.
de qua in loco nunc citato apertè meminit: non de illa ex qua aliquis dicitur ſim-
pliciter bonus, de qua loquutus eſt alijs locis, quæ bonitas eſt ex uirtutibus pro-
priè quæ ſunt habitus, qui non fiunt in nobis natura, ſed conſuetudine tantùm. &
hoc modo uerba Ariſtotelis non pugnant inter ſe, imò maximè conſentiunt.

Quòd uerò Ariſtoteles loquatur in decimo Ethicorum de illa bonitate & uir-
tute naturali, ipſe ſtatim uiſus eſt oſtendere, cum addidit: Quod quidem eſt natu-
ræ, manifeſtum eſt quòd non eſt in nobis: id eſt, non eſt in noſtra poteſtate, ſed ex
quadam diuina cauſa ijs qui uerè fortunati ſunt ineſt.

Quòd uerò dixit, alios fieri bonos doctrina: eò ſpectat, non ut ſignificet poſſe
quẽpiam ex doctrina fieri propriè & per ſe bonũ, ita ut poſſet dici habere habitum
uirtutis per ſe: quia hoc fieri nõ poteſt, ut ex eis quæ declarata ſunt ab Ariſtotele in
locis ſuperius citatis patet. ſed ut oſtendat doctrinam facere bonos: quia ex doctri-
na diſcimus, quas actiones quibus conditionibus agere oportet ad habitus uirtu-
tum acquirendos, ex quibus actionibus per aſſuetudinem efficimur boni. quod in-
dicauit ipſe in ſecundo Ethicorum, cap. ſecundo, ſuperius citato, ubi dixit: Neceſ- 2. Ethic. 2.
ſarium eſſe conſiderare de actionibus, quomodo agendæ ſunt. quia & ipſæ ſunt "
dominæ, ut habitus fiant quales quidam. Doctrina enim & cognitio uirtutum ni-
hil facit ad habitus ipſarum uirtutum acquirendos: niſi quia docet facere actiones
tales, quales requiruntur ad ipſos habitus: & etiam excitat ac inflammat iuuenes
eos qui rectè ſunt educati, ad agendum ex illis præceptis. ipſa uerò non eſt ex ſe i-
donea ad producendas uirtutes in nobis, ſicut oſtendit Ariſtoteles in capite pro-
ximè citato, dicens: Nunquid igitur de ijs, & uirtutibus, amplius autem & amicitia "
& uoluptate ſatis dictum eſt, figura quadam finem habere putandum eſt electio- "
nem noſtram? an quemadmodum dicit, In agendis rebus finis non eſt contem- "
plari ſingula & cognoſcere, ſed agere? neque igitur in uirtute ſatis eſt, ſi eam co- "
gnouerimus: ſed ut eam habeamus, eaq́ utamur, eſt enitendum, uel ſi quo alio "
modo boni efficimur. Quibus uerbis omnino declarat, non ſatis eſſe habere co-
gnitionem uirtutum ad uirtutes acquirendas, ſed oportere agere, ut diximus e-
tiam ſuperius. Cognitio tamen uirtutum docet dirigere actiones, ex quibus dein-
de acquiruntur uirtutes.

Quòd item faciat ad incitandos iuuenes, oſtendit Ariſtoteles eodem loco, ad-

„ dens: Nam ſi uerba ad reddendos homines probos ſufficerent, multas ſanè ac ma-
„ gnas mercedes (ut Theogenes ait) reportarent, oporteretq́ ea comparare. Sed ui-
„ detur quidem poſſe liberales adoleſcentes hortari atque incitare, moresq́ eorum
„ ex uirtute ſibi obnoxios, generoſos, ac uerè honeſtatis ſtudioſos reddere. Et pau-
„ lo pòſt: Sermo autem & doctrina aliquando non in omnibus poſſunt: ſed oportet
„ ut præcultus ſit auditoris animus ad rectè & gaudendum, & odio proſequendum:
„ non ſecus ac terra quæ ſemen ſit nutritura.

Quæ uerba declarant, ex doctrina non ſolùm non acquiri uirtutes, ſed eam interdum etiam ex natura ſua non incitare homines ad comparandas illas, bene moratéq́ agendo.

1.Ethic.3. Hanc eandem ſententiam uiſus eſt indicare Ariſtoteles primo Ethicorum, cap.
„ tertio, cum inquit: Quapropter Politicæ non eſt idoneus auditor iuuenis, imperi-
„ tus enim eſt actionum quæ ſunt ſecundum uitam: ſermones enim ſunt ex his. & de
„ ijs amplius qui ſequitur paſsiones fruſtra audiet, & inutiliter: quoniam finis non
„ eſt cognitio, ſed actio.

Ex ijs omnibus perſpicuum eſſe arbitror, quòd dicebamus, fieri poſſe ut aliquis conſequatur perfectam cognitionem ipſarum uirtutum, & tamen non habeat uirtutes: ſicut illi qui ex cupiditatibus & affectionibus uiuunt, ut incontinentes etiam, quos uult Ariſtoteles poſſe conſequi cognitionem uirtutum, tamen dicit illam cognitionem eis inutilem eſſe. Quare ſequitur, ex doctrina uirtutum nos non effici uiros probos. quia ſi ita eſſet, quicunque eſſent illarum cognitionem conſequuti, exiſterent uiri probi, & haberent uirtutes, & ita nunquam inutiliter tenerent earum cognitionem. quod tamen ſecus eſſe, præter uerba Ariſtotelis, docet etiam ipſa experientia.

Perſpicuum item eſt ex dictis, doctrinam uirtutum nihil nobis conferre ad hoc ut efficiamur boni, niſi quia adhortatur ingenuos iuuenes ad agendum honeſta: & inſtruit homines qui naſcuntur omnis expertes cognitionis (ut in eis quæ ſequentur oſtendemus) quomodo debeant agere actiones ex quibus acquirant uirtutes. atque hæ ſunt utilitates quas conſequemur, ſi libros Ethicorum Ariſtotelis legemus & intelligemus: quæ quidem utilitates ſunt maximæ. Quare concedimus, uirtutes haberi ex doctrina hoc modo, quia doctrina incitat nos ad agenda iuſta & honeſta, & ea quæ omnium uirtutum ſunt: & inſtruit nos quomodo agere debeamus actiones honeſtas, quod planè difficile eſt, & hoc puto uoluiſſe dicere Ari-
10.Ethic.ult. ſtotelem in decimo Ethicorum, cap. ultimo, cum dixit: Fieri autem bonos putant
„ alij quidem natura, alij conſuetudine, alij doctrina. Sed cum ij qui iam conſequuti ſint cognitionem uirtutum, indigeant prætereà aſſuetudine, quia nunquam dicerentur habere uirtutes: ut incontinentes, quos ponit Ariſtoteles conſequutos eſſe cognitionem uirtutum, & tamen dicit illam cognitionem eis inutilem eſſe, propterea quòd non agunt actiones quæ ſint ex illa cognitione, ſed contrarias. Quòd igitur dixit Ariſtoteles de doctrina in acquirendis uirtutibus, oportet intelligere eo modo quo diximus. Item quòd dixit de natura, uidetur in eo loco præ ſe ferre eum ſenſum quem adhibuimus. Sed quia Ariſtoteles loquutus eſt diſiunctiuè, innuens alios poſſe fieri bonos ſola natura, alios ſola conſuetudine, alios ſola doctrina (aliter enim illa non ſeiunxiſſet, quod non poteſt accidere propriè) uidetur potius loquutus eſſe ex aliorum quàm ex ſua ſententia, præſertim cum uſus fuerit hoc uerbo Putant, quo uti ſolemus ad oſtendendam alienam opinionem, non noſtram.

„ Quod item confirmari poteſt ijs uerbis quæ ſubiunxit: Quod autem eſt naturæ
„ manifeſtum, quod non exiſtit in nobis, ſed per quandam diuinam cauſam ineſt eis qui uerè fortunati ſunt. Hæc enim uerba non uidentur eſſe dicta ex ipſius ſententia, primò quia uidentur ponere aliquo modo prouidentiam diuinam naturaliter, (quam non poſſe poni, in eis quæ ſequentur oſtendemus: etſi arbitramur ipſum illam credidiſſe, ſed non demonſtraſſe, ut dicemus. qua de re in libro Vigeſimoprimo etiam uerba faciemus.) Deinde, quia repugnant eis quæ dixit primo Ethico-
1.Ethic.13. rum, cap. decimotertio, ubi oſtendit felicitatem non eſſe datam à Deo, ſed acquiri

per

per quandam diſciplinam & curam. ex quo ſequitur, uirtutes etiam non eſſe datas à Deo: etenim ſi uirtutes eſſent datæ à Deo, efficeretur neceſſariò ut felicitas eſſet data à Deo, quippe quæ ex operatione illarũ exiſtit.

SECTIO QVINTA.

CAeterùm quicquid ſit de ſententia Ariſtotelis in loco citato ex decimo Ethi- 10.Ethic.ult.
corum, oportet nos reſpõdere ad textus allatos ex ſeptimo Politicorum, qui 7.Polit.
omnino uidentur repugnare ijs quæ alibi dixit Ariſtoteles, & euertere ſententiam noſtram: propterea quod apertè teſtantur nos bonos fieri natura, conſuetudine & doctrina. quod eſt id quod ipſi negauimus. Quare dicimus illos textus nihil concludere quod uel Ariſtotelis uerbis repugnet, uel ſententiam noſtram labefactet. Etenim Ariſtoteles nihil aliud illis uerbis, Homines fiunt boni ex tribus, quę ſunt, natura, conſuetudo & doctrina, uoluit ſignificare, ut ipſemet eo in loco oſtendit, quàm quòd ad hoc ut efficiamur boni, indigemus illis tribus. & primò declarat quomodo hoc efficiat natura: quod planè nihil facit aduerſus ſententiam ipſius, neque aduerſus noſtram. etenim inquit: Neceſſe eſt ut ex natura naſci aptos natos, ut hominem, non aliquod aliud aliorum animalium: & qualem quendam, ſecundum corpus & animam Et quia hoc non erat ſatis ad morum & uirtutum habitum conſequendum, ſubiunxit paulo pòſt: Quædam autem nulla utilitas naſci, ſupple ſic aptum, propterea quòd mores & conſuetudo faciunt mutare, ſupple illam aptitudinem. Quædam autem ex natura ad utrumq; apta per conſuetudinem, in peius & in melius mutantur.

Ex ijs igitur uerbis perſpicuè patère arbitror, Ariſtotelem ſenſiſſe naturam facere mores etiam, qui ſunt propriè mores: quia facit nos aptos natos ad uirtutes recipiendas, non quòd reuera generet in nobis eas uirtutes quæ ſunt propriè uirtutes, ſed ſolùm reddit nos aptos. facit enim nos naſci homines, & quales quoſdam ſecundum corpus & ſecundum animam. Et hoc uidetur eſſe id quod dixerat ſecundo 2.Ethic.1.
Ethicorum, cap. primo, ijs uerbis: Neque igitur natura, neq; præter naturam fiunt uirtutes, ſed nobis aptis natis ſuſcipere ipſas perfectis per conſuetudinem. Quare perſpicuum eſt ex Ariſtotelis ſententia, naturam non dare nobis ipſas uirtutes, ſed tantùm aptitudinem ad uirtutes acquirendas. Perſpicuum eſt etiam, illam aptitudinem quam dat natura, non eſſe per ſe idoneam, quia conſuetudo mutat ipſam. Prima autem aptitudo quam habemus à natura ad uirtutes acquirendas, eſt, quòd nati ſumus homines, & non aliquod aliorum animalium. Naſci uerò qualem quendam ſecundùm animam & corpus, eſt ſecunda aptitudo. nam ſi naſceremur aliquod aliorum animalium, non poſſemus ullo modo acquirere uirtutes, ſicut non poſſemus acquirere felicitatem: non enim poſſemus operari actiones illas, ex quibus fiunt habitus uirtutum. in quam ſententiam dixit Ariſtoteles primo Ethicorũ 1.Ethic.13.
cap. decimotertio: Meritò igitur neque bouem, neque equum, neq; aliquod aliorum animalium felicem dicimus. nullum enim ipſorum poteſt participare tales actiones. Si igitur ob hanc cauſam alia animalia non poſſunt dici felicia, quia non poſſunt acquirere uirtutes quæ comparantur ex illis operationib. ex quibus poſtmodum exiſtit felicitas: ideo neceſſe fuit, ad hoc ut boni uiri efficeremur, nos naſci homines.

Deinde fuit neceſſarium naſci quales quoſdam ſecundum corpus, & ſecundum animam: quia multi naſcuntur quidem homines, ſed corpore & animo ita affecto atq; inepto, ut nullo modo poſsint acquirere uirtutes. de quibus fortaſſe quinto Politicorum, cap. duodecimo intellexit Ariſtoteles, eum inquit: Contingit enim 5.Polit.12.
eſſe quoſdam, &c.

Patet igitur, uirtutes propriè fieri in nobis ſola aſſuetudine, quæ aſſuetudo ſupponit naturam & educationem. Et quoniam iſta ſupponitur ab ipſa aſſuetudine, & ſunt quodammodo neceſſaria ad uirtutes acquirendas, tanquam præmium diſpoſitionis: ob hanc cauſam dixit Ariſtoteles, bonos fieri ex illis tribus, accipiens non ſolùm id quod per ſe facit ad uirtutes acquirendas, uerùm id quod per accidens ad illas confert.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

SEd ſtatim quæret quiſpiam, quæ'nam ſit iſta natura quæ nobis dat aptitudinem ad ipſas uirtutes? Item, uellem ſcire (dicet aliquis) nunquid Ariſtotelis uerba in decimo Ethicorum, loco citato, ubi ſeparatim loquitur de illis tribus (quorum primum, uidelicet naturam facere mores & uirtutes, tu expoſuiſti de moribus & uirtutibus naturalibus, quæ inſunt etiam alijs animalibus) poſſent intelligi de
7. Polit. aptitudine ſolùm ad uirtutes propriè, ſicut dixiſti illum ſeipſum expoſuiſſe ſeptimo Polit. tex. ſuperius citato: uel dicas, quid interſit inter locum decimi Ethic. & 7. Polit. quos citaſti?

Ad primam quæſtionem dicerem, naturam à qua nos habemus aptitudinem iſtã, eſſe corpora cœleſtia: & per id quod neceſſario ſequitur, principaliter Deum & cauſas particulares minus principaliter, quæ omnia efficiunt bonam corporis temperaturam, ex qua naſcitur ipſa aptitudo & corporis & animi, eo tamen modo quo dicemus in eis quæ ſequentur. corpora enim cœleſtia non agunt in iſta inferiora, niſi beneficio & opportunitate cauſarum particularium. Quare cum dicimus, homines à natura conſequutos eſſe aliquam aptitudinem, neceſſe eſt ut per naturam intelligamus dictas cauſas, à quibus perſpicuè patet nos ortum habere:
10. Ethic. ult. quas quidem cauſas ſi dicamus Ariſtotelem decimo Ethicorum, cap. ultimo uoluiſſe intelligere per illam ſuam diuinam cauſam, licebit affirmare, ipſum eſſe loquutum eo in loco ex ſua ſententia. etenim concedit ipſe, corpora cœleſtia eſſe diuina: & primum eorum mouens eſſe Deum, & ab ipſo principaliter proficiſci omnia quæ ſunt in hoc mundo: minus uerò principaliter ex alijs etiam cauſis.

Ad id uerò quod ſecundo loco quærebatur, dicerem: Ariſtotelem in eo loco decimi Ethicorum, ubi dicit natura nos effici bonos, per naturam non uideri intelligere eandem aptitudinem quam intellexit in ſeptimo Politicorum, loco citato: quia loquutus eſt ſeparatim, ita ut uiſus ſit innuere, mores poſſe fieri natura ſola, quod non uidetur poſſe intelligi de moribus propriè. In ſeptimo uerò Politicorũ loquutus eſt coniunctim, & poſuit illa tria ſimul eſſe quaſi neceſſaria ad mores acquirendos. & declarauit apertè, ſe intellexiſſe mores fieri à natura: quia natura dat aptitudinem ad uirtutes acquirendas. quod cum non fecerit decimo Ethicorum, ſed ſolùm dixerit mores haberi à natura, quia habentur à quadam diuina cauſa: non uidetur poſſe intelligere in decimo Ethicorum ex ſententia ipſius, de moribus propriè, neque de aptitudine dicta. Itaque uidetur intereſſe inter ea quæ dixit decimo Ethicorum, & ea quæ ſeptimo Politicorum: quia decimo Ethicorum loquutus eſt diſiunctiuè de illis tribus: ſeptimo uerò Politicorum loquutus eſt coniunctim, & uiſus eſt dicere illa eſſe neceſſaria aliquo modo, ut explicatum eſt.

Quòd ſi aliquis tamen obſtinatè uellet tueri, idem omnino dixiſſe Ariſtotelem in decimo Ethicorum, quod in ſeptimo Politicorum, reddat ipſe cauſam quare in decimo Ethicorum loquutus ſit diſiunctiuè de illis tribus, & uiſus ſit uelle ſingula eorum efficere mores: & ſeptimo Politicorum coniunxerit illa, & dixerit opus eſſe ſimul ijs tribus (non enim mos eſt illius, neque tantum philoſophum omnino decet fortuitò loqui,) & quare etiam uſus ſit in decimo Ethicorum hoc uerbo, Putant, ſi ipſe loquebatur ex ſua ſententia: & ego nihil repugnabo, libenterq́ in eius ſententiam ueniam. Quòd ſi dicatur Ariſtoteles uoluiſſe utrobique idem dicere, exponetur ipſe locus, ſicut expoſuimus locum ex ſeptimo Politicor. & ita nihil abſurdi ſequetur, quod uerba Ariſtotelis & ſententiam noſtram conuellat.

Ad id uerò quod ſumptum eſt ex primo Ethic. cap. decimotertio, dicimus Ariſtotelem per diſciplinam eo in loco intellexiſſe educationem, quam toties in libro Ethic. aſſeruit eſſe neceſſariam. Etenim in decimo Ethicorum, loco etiam ſuperius
„ citato: Sermo autem, inquit, & doctrina non in omnibus poteſt, ſed oportet antè
„ cultum eſſe moribus auditoris animum, & ad rectè gaudendum, & odio proſequẽ
„ dum, quemadmodũ terram nutriturã ſemen. non enim audiret ſermonem hortantis, neq́ intelligeret qui ſecũdum paſsiones uiuit. Quòd ſi per diſciplinã intelligatur id propriè quod habetur à doctore & ex libris, dicimus doctrinã facere ad felicitatẽ, quia facit ad uirtutes, eo ſcilicet modo quo diximus. Per curã uerò putamus Ariſtote-

Ariſtotelem intelligere aſſuetudinem, quę nullo modo poteſt eſſe ſine cura: & hoc modo intelligendo, nihil contra nos facit cap. illud 13. primi Ethic. Nā concedimus felicitatē fieri in nobis per quandam diſciplinā & curam, & uirtutes etiam, eo tamē modo quo diximus, quo modo quidē nihil prohibet fieri neceſſariò aſſuetudine. 1. Ethic. 13.

Ad illud autem quod addebatur, Si uirtutes non fierent in nobis doctrina & diſciplina, ſequi, fruſtra Ariſtotelem ſcripſiſſe libros Ethic. & fruſtra tradidiſſe doctrinam uirtutum: negamus conſequentiam. Ad probationem dicimus, etſi ex illa doctrina non poſſumus propriè acquirere uirtutes, & boni effici ſtatim: poſſumus tamen ex illa doctrina incitari ad agendas actiones ex uirtutibus, & poſſumus doceri dirigere honeſtè actiones noſtras (quod eſt omnium difficillimum) & ſic uirtutes acquirere, ut diximus. Etenim ſi cognouerimus, quomodo actiones honeſtè ſint agendæ, & ſi fuerimus ad uirtutes incitati atque inflammati, naturaliterque ad illas acquirendas diſpoſiti, facilè fieri poterit ut agamus actiones honeſtas, & efficiamur probi & felices. quæ uerò doctrina utilior, quæ ſalutarior, quæ magis neceſſaria humanitas excogitari poteſt, quàm ea qua homines qui naſcuntur ſine ulla cognitione, docentur atque inſtruuntur dirigere actiones ſuas ad honeſtatem, unde proficiſcitur eorum beatitudo ac felicitas? Hanc doctrinam cum tradant libri Ethicorū Ariſtotelis, ut perſpicuum eſt, magis quàm libri quorūcunque aliorum qui humanitùs ſcripſerunt: non poſſumus dicere, licet non propriè faciant acquirere uirtutes & felicitatem, ipſos eſſe ſuperuacaneos. ſed cogimur, ſi ueritatem amamus, (ut debemus, ſi homines eſſe uolumus) fateri, maximam ei gratiam haberi oportere, cùm ob cæteros libros quos ſcripſit, tum uerò in primis ob iſtos qui nos ex tenebris naturæ in ſplendidiſsimam lucem reuocare poſſunt. Atque utinam ij quibus ciuitatum & gymnaſiorum cura & adminiſtratio mandatur, tantam diligentiam adhiberent, ut hi Ariſtotelis Ethic. libri tum publicè tum priuatim explicarentur, ad informandos & excolendos iuuentutis animos, quantum in rebus ijs quæ ad commoda & cultum corporis pertinent adhibetur. Ita enim multo melius cum ciuitatibus ageretur: ſiquidem ſperari poſſet futurum, ut homines cognitis uirtutibus, beneque moribus inſtituti, rectius uiuerent, honeſtatemque ſibi in omni re magis propoſitam haberent & ſequerentur: quò ſanè fieret, ut finem eum ad quem nati & facti ſumus, nempe felicitatem ac beatitudinem, adipiſcerentur. Quare non ſatis quidem admirari licet magnam hominum ignorationem, peruerſamque uiuendi rationem, qui omnem corporum, nullam aut perexiguam animorum curam gerunt: quæ res & antea ſemper humano generi plurima & maxima incommoda attulit, & poſthac ſemper allatura eſt.

Vtinam uerò in primis reges & principes, quos Deus alijs præeſſe ac dominari permiſit, eſſent horum ipſorum librorum doctrina & præceptis inſtituti. non enim prouinciæ & regna tot & tantis malis & calamitatibus uexarentur, quot & quantis uexari atque opprimi eorum cauſa quotidie uidemus. nam qui fieri poteſt, ut principum & regum actiones ad honeſtatem dirigantur, qua ſola humana felicitas ac beatitudo continetur, mundusque uniuerſus conſeruatur, ſi eorum maior pars ignorat quomodo ſit honeſtè agendum, neque uim & naturam uirtutum & ipſius honeſtatis tenet? Quare etſi uirtutes non dicuntur propriè acquiri ex doctrina, quia non conſiſtunt in doctrina: cognitio tamen uirtutum, & bene moratèque uiuendi præcepta plurimum conferunt: ut niſi uoluptatibus & ignauiæ nimium dediti ſimus, paruo negocio uirtutes acquirere poſsimus, ex quibus boni uiri efficiamur, & honeſtam beatamque uitam degamus. Itaque non modò non ſequitur, quòd ratio in contrariam partem allata, uidebatur oſtendere, Ethic. libros fruſtra ab Ariſtotele conſcriptos fuiſſe: ſed contrà ex dictis apparere arbitror, quantam ij utilitatem afferant, & quanto adiumento ſint ad bene beatèque uiuendum. ita ut Ariſtoteli maxima ſit habenda gratia, quòd eos nobis tam diligenter & accuratè ſcriptos reliquerit.

Erat alia quæſtio qua oſtendebatur, uirtutes intellectiuas etiam fieri aſſuetudine: ex quo ſequebatur, ut morales hac de cauſa non ſeiungerentur ab intellectiuis, ſicut Ariſtotelis uerba præ ſe ferre uidebantur.

Ad hanc

Quam itẽ ſententiam uiſus eſt ſequi Auerroes, cum exponens locũ citatum ex no no Metaphyſ. dixit, quòd artes operatiuę quędam acquiruntur per conſuetudinem, & quædam per rationem, & quædam per aſſuetudinem & rationem, &c. & rectè dixit, ſi per artes intellexit facultates, & per rationem doctrinam. Satis enim nobis eſt, ipſum innuiſſe, Ariſtotelem ſentire id quod nos diximus.

Etenim fortaſſe per eas facultates quæ acquiruntur aſſuetudine & ratione, intellexit cæteras actiuas, præter morales, quæ ſola aſſuetudine acquiruntur: Ariſtoteles tamen, ut diximus, in illo textu noni Metaphyſ. ijs quæ acquiruntur aſſuetudine, complexus eſt tam eas quæ ſola aſſuetudine, quàm eas quæ aſſuetudine & doctrina acquiruntur: per eas uerò quæ doctrina acquiruntur, intellexit facultates factiuas, quæ ſunt artes. non fecit autem mentionem ſcientiarum, quia non erant operatiuæ, de quibus ipſe loquebatur: non enim ſcientiæ fiunt ex operationibus antecedentibus. quare quæſtio propoſita uidetur eſſe ſoluta. Nam licet intellectiuæ aliquæ fiant aſſuetudine, fiunt tamen utplurimùm doctrina: ipſæ uerò morales ſola fiunt aſſuetudine, & nunquam proprie doctrina. Quare morales, quod ad hoc attinet, poſſunt ſeiungi ab intellectiuis. conceſsimus enim, facultates actiuas fieri aſſuetudine: & omnes eſſe intellectiuas, præter morales.

Sed antequam ultrà progrediamur, urgere poſſet aliquis, & quidem non ſine ratione, dicens: Tu poſuiſti artem pulſandi tibiam uel citharam, & omnes facultates actiuas, ſub uirtutibus intellectiuis, & non ſub moralibus. hoc autem omnino uidetur à ueritate abhorrere, propterea quòd ſi eſſent uirtutes intellectiuæ, alterum duorum ſequeretur neceſſariò: uel enim Ariſtoteles eas enumeraſſet ſexto Ethicorum, capite quarto, & ſecundo Poſteriorum, capite ultimo, cum alijs, ne eſſet mancus & mutilatus: uel redigerentur ad aliquam earum quæ enumeratæ ſunt. Sed non enumerauit Ariſtoteles eas, neque poſſunt redigi ad aliquam earum quæ commemoratæ ſunt: ergo fieri non poteſt ut ſint intellectiuæ. Et cum neceſſe ſit ut ſint uel morales, uel intellectiuæ, alioquin daretur triplex uirtus, & non duplex, contrà quàm docet Ariſtoteles ſecundo Ethicorum, capite primo: quòd niſi uelimus doctrinam & uerba tanti philoſophi prorſus euertere, quod ſanè omnium uidetur abſurdiſsimum, omnino aſſerendum eſt eſſe morales: cuius rei contrarium ipſe concluſiſti, cum negares eſſe morales: propterea quòd loquentes de moribus, non dicimus aliquem eſſe bonum citharœdum uel malum. 6.Ethic.4.& 2.Poſt.ult. 2.Ethic.1.

Quòd autem ad nullam earum quæ enumeratæ ſunt, intellectiuæ, patet ex eo, quia non poſſunt reuocari ad ſcientias: quandoquidem finis earum eſt operari, ſcientiarum autem ſcire tantùm. eadem ratione excluduntur à ſapientia & ab intellectu. neque fieri poteſt ut ad artem redigantur, tum quia hoc repugnat eis quæ ſcripta reliquit Ariſtoteles nono Metaphyſ. loco ſuperius citato: tum quia ſunt habitus actiui, artes uerò habitus factiui, qui à ſe inuicem omnino ſeiunguntur, & nullo pacto unus poteſt eſſe alter, ſicut declarauit Ariſtoteles ſexto Ethicorum, capite quinto, loco in octauo libro citato: Eius uerò quod recipit aliter ſe habere, quiddam eſt quod fieri, quiddam eſt quod agi poteſt. eſt autem aliud facere, aliud agere. credimus autem his externis quoque ſermonibus. Itaque habitus cum ratione actiuus, aliud eſt quàm habitus cum ratione factiuus, nec alter in altero continetur. Nam neque actio eſt factio, neque factio eſt actio. Nec fieri poteſt ut redigantur ad prudentiam, propterea quòd ipſa prudentia eſt circa humana bona, quæ ſunt illa de quibus conſultauimus, & quę poſſunt aliter eſſe & non eſſe. Facultas uerò citharam pulſandi, & tibiam, & muſicam, & alij habitus actiui, non uidentur eſſe circa humana bona, de quibus conſultamus, & qualiter ſeſe habere poſſunt: non ergo poſſunt redigi ad prudentiam. quare non ſunt, ob rationes dictas, uirtutes intellectiuæ: perperam igitur à te concluſum fuit, eſſe intellectiuas, & non morales. 6.Ethic.5.

Præterea diceret aliquis, Ariſtoteles ſecundo Ethicorum, capite primo, numerat facultatem pulſandi citharam inter artes, ergo debet etiam inter artes numerare facultatem pulſandi tibiam. 2.Ethic.1.

Probatur conſequentia: Etenim ambæ ſunt eiuſdem rationis, quia ambæ ſunt habitus actiui: poſt enim earum operationem nihil remanet, & ambæ comparantur aſſuetudine. ergo Ariſtoteles uel nono Metaphyſ. loco ſuperius citato falſa aſſe-

ruit, ſeiungens ab artibus facultatem pulſandi tibiam: uel ſecundo Ethicorum, nu-
merans (ut dictum eſt) facultatem pulſandi citharam inter artes, his planè uerbis:
,, Quemadmodum & in alijs artibus. quæ autem oportet cum didicerimus facere. hęc
,, facientes addiſcimus: ut ædificantes ædificatores fiunt, & citharam pulſantes fiunt
,, citharœdi, ſic & iuſta facientes euadimus iuſti.
,, Et paulo pòſt: Amplius ex eiſdem, & per eaſdem, & fit omnis uirtus, & corrum-
,, pitur: ſimiliter autem & ars. Etenim ex citharizando & boni & mali fiunt cithariſtæ,
,, pari modo ædificatores, & reliqui omnes.

Cum igitur hic numeret Ariſtoteles facultatem pulſandi citharam inter artes: no
no autem Metaphyſ. ut dictum eſt, facultatem pulſandi tibiam diuerſam ſtatuat ab
ipſis artibus: ergo non ſolùm falſa, ſed etiam (quod multo turpius eſt) negantia aſſe-
tit: quippe qui interdum facultatem facit artem, interdum ſeiungit ab arte. quæritur
ergo, quid ſit dicendum ex ipſius Ariſtotelis ſententia?

Item, Ariſtoteles numerat muſicam inter artes, ergo eadem ratione debet nume-
rare facultatem pulſandi tibiam inter artes: ſunt enim ambæ habitus actiui. Antece-
,, dens patet ex quarto cap ſecundi Ethicorum, ubi dixit: Quemadmodum gramma-
,, tica & muſica, grammatici & muſici. Ait enim dici de ipſa muſica, ſicut de gramma
,, tica, quæ eſt ars.

Item inſtaret aliquis, dicens: In ſuperioribus citaſti textum Ariſtotelis primum ſe-
cundi Ethic. ubi diuidit uirtutem in intellectiuam & moralem, dixiſtiq́ duplicem
ſolùm eſſe uirtutem, & concluſiſti omnes uirtutes animi eſſe intellectiuas aut mora-
les. ſed hoc uidetur à ueritate abhorrere, propterea quòd continentia & conſtantia
ſunt uirtutes animi, tamen non ſunt neq; intellectiuæ, neq; morales. Quòd non ſint
morales, probatur: quia Ariſtoteles eas numeraſſet inter uirtutes morales. Quòd au-
tem non numerauerit, perſpicuum eſt ex 2. Ethic. uſq; ad finem quinti libri, ubi hæc
2. & 5. Ethic. protulit uerba: De iuſticia & de alijs uirtutibus moralibus determinatum ſit hoc mo
do. Quibus uerbis ſignificat, in eo libro ſe abſoluiſſe tractationem ipſarum uirtu-
tum moralium: & tamen à principio ſecundi uſq; ad illum locum, nullam fecit men-
tionem de continentia & conſtantia: ergo neceſſe eſt (niſi uelimus confiteri Ariſto-
telem mancum eſſe, & inordinatum, & loquutum eſſe ſine ratione) ut aſſeramus cō-
tinentiam & conſtantiam non eſſe uirtutes morales. Quòd autem non ſint uirtutes
2. Poſt. ult. & intellectiuæ, colligitur etiam ex ultimo cap. ſecundi Poſter. & ex 4. cap. 6. Ethic. ubi
6. Ethic. 4. Ariſtoteles, enumerans uirtutes intellectiuas, has dixit eſſe, artem, ſcientiam pruden
tiam ſapientiam, & intellectum: inter quas non poſuit continentiam neq; conſtan-
tiam, neq; eo in libro aliquam ipſarum mentionem fecit. Ex quo uidetur eius fuiſſe
opinionis, ut exiſtimaret ipſas non eſſe uirtutes animi: alioquin mācus & mutilatus
fuiſſet, atq; inordinatus.

Confirmatur Ariſtotelem ſenſiſſe, continentiam & conſtantiam non eſſe neq; uir
tutes morales, neq; intellectiuas, neq; poſſe redigi ad ipſas: quia de eis uerba fecit in
7. Ethic. 7 lib. Ethic. poſtquam abſoluiſſet tractationem uirtutum intellectiuarum & mora-
lium: quod non feciſſet, ſi eſſent inter illas uirtutes, uel poſſent redigi ad ipſas. ete-
nim in principio 7. illius libri apertè innuit, ſe rem diuerſam ab eis de quibus ege-
,, rat, pertractaturum eſſe. incipit enim hoc modo: Poſt hæc dicendum, aliud facientes
,, principium rerū circa mores fugiendarum, tres eſſe ſpecies, uitium, incontinentiam,
,, feritatem. Contrária autem duobus manifeſta: alterum enim uirtutem, alterum con-
,, tinentiam uocamus. Feritati autem maximè conuenire quiſpiam diceret uirtutem
,, quæ ſupra nos eſt, heroicam quandam ac diuinam: quemadmodum Homerus Pria-
,, mum de Hectore dicētem inducit, eo quòd ualde erat bonus, neq; uidebatur homi-
,, nis mortalis filius eſſe, ſed Dei. Quo in loco uidetur ſeiungere continentiam à uirtu-
,, te, quæ eſt oppoſita uitio. Et paulo pòſt: Fiunt, inquit, nonnulli etiam ex morbis
,, & læſionibus: quin etiam eos homines qui uitijs exuperant, ita infamamus. Sed de
,, tali quidem affectione poſterius mentio quædam facienda eſt. De uitio autem di-
ctum eſt prius. Quibus uerbis oſtendit ſe loquutum eſſe de uitio, & per id quod
neceſſariò ſequitur, de uirtute: & pollicetur ſe uelle uerba facere de continentia &
incontinentia. Innuit ergo continentiam & incontinentiam non eſſe omnino idem
quod uirtutes morales, & uitia de quibus in ſuperioribus libris ſermonē habuerat.

Diuiſio

Diuiſio igitur uirtutis in intellectiuam & moralē, nō uidetur recta, propterea quòd
datur alia animi uirtus, quæ non cadit in hæc membra uirtus etiam heroica non uide
tur & ipſa cadere in uirtutes morales, neq; in intellectiuas. neq; etiam amicitia, quæ
eſt uirtus animi, fuit enumerata inter uirtutes morales, neq; etiā inter intellectiuas.
Quare ſequi uidetur omnino, diuiſionem illam uirtutis traditam ab Ariſtotele, eſſe
mācam & mutilam: propterea quòd datur tertium membrum, de quo nullam in illa
diuiſione fecit mentionem. quod abſurdum eſſe, in dubium ſanè uenire non poteſt.

SECTIO OCTAVA.

SEd quoniam ea quæ antè concluſa fuerunt, uidentur ueritati & Ariſtoteli cōſen-
tire: opus eſt ut quæſtiones poſtremo loco propoſitas, ante quam ad aliarum ſo-
lutionem ueniamus, diſſoluere conemur. Quocirca ad primam dicimus, facultatem
pulſandi tibiam & citharam, & omnes habitus actiuos, eſſe uirtutes intellectiuas.
Quod probatur: quia cum habitus factiui, qui ſunt longè ignobiliores actiuis, (ſunt
enim habitus actiui per ſe eligēdi, utpote ex quibus nihil quæritur præter actiones)
numerentur inter uirtutes intellectiuas: rationi cōſentaneum eſt, ut etiam actiui in-
ter ipſas numerentur. præterea habitus actiui & factiui ſunt ueluti ſpecies oppoſitæ:
ergo ſi una ſpecies eſt inter uirtutes intellectiuas, neceſſe eſt ut ſit etiam altera: ſunt
enim eiuſdem generis oppoſita. Id quod antecedit, oſtēdit Ariſtoteles 6. Ethic. cap. 6.Ethic.5.
5. ijs planè uerbis: Huius autem quod contingit aliter ſe habere, eſt aliquid & factibi
le & agibile: aliud enim eſt factio & actio. Patet igitur, factibile & agibile eſſe ue-
luti ſpecies eius quod contingit aliter ſe habere. Etenim paulo pòſt addidit: Quare
habitus cum ratione actiuus aliud eſt, & habitus cum ratione factiuus, neq; continē
tur à ſe inuicem: neq; enim actio eſt factio, neq; factio actio. Quare ſi habitus facti-
ui ſunt inter uirtutes intellectiuas, erunt etiam actiui, ut diximus. Cum uerò argue
batur, continētiam & conſtantiam non fuiſſe neq; 2. Poſt. cap. ult. neq; 6. Ethic. cap.
4. ab Ariſtotele inter intellectiuas uirtutes enumeratas, cōcedimus explicitè: nega-
mus tamen ex hoc ſequi, ut non ſint intellectiuæ. quoniam etſi non fuerunt enume-
ratæ explicitè inter uirtutes intellectiuas, fuerunt tamen comprehenſæ implicitè in-
ter ipſas, nempe ſub prudentia. Etenim ſi ex hoc quòd non explicitè enumeratę fue
rint inter uirtutes intellectiuas, ſequeretur ipſas non eſſe uirtutes intellectiuas: negā
dum eſſet, bonam conſultationem, ſolertiam, & perſpicaciam, & ſententiam, eſſe uir
tutes intellectiuas: quin eæ tamen ſint intellectiuæ, in dubium uenire non poteſt ex
uerbis Ariſtotelis, cum dixit: Omnes enim hæ facultates ſunt rationabiliter tenden-
tes in idem. Et declarans ſeipſum, ſubiungit: Dicimus enim, ſententiam, & perſpica-
ciam, & prudentiam, & intellectum. Si ergo non eſſent intellectiuæ, non tenderēt
ad idem: & non haberent inter ſe illum ordinem, quem dixit Ariſtoteles in 6. Ethic. 6.Ethic.
eas habere. Præterea Ariſtoteles 1. Ethic. cap. ult. ſuperius citato, ponens exempla 1.Ethic.ult.
uirtutum intellectiuarum, ponit perſpicaciam ſeu ſagacitatem inter uirtutes intelle-
ctiuas: eſt igitur uirtus intellectiua, & tamen explicitè non fuit numerata inter uirtu
tes intellectiuas, loco ſuperius citato 6. Ethic. Vel igitur erit mancus Ariſtoteles in
illa enumeratione: uel neceſſe eſt, ut uirtutes quæ commemoratæ ſunt, implicitè cō-
tineantur ſub prudentia: quia licet non ſint propriè prudentia, maiorem tamen ha-
bent conuenientiam cum prudentia quàm cum alijs: quapropter tacitè intelligūtur
ſub prudentia. Quod cum detur, non uideo quare & nos dicere non poſsimus, facul
tates dictas, uidelicet muſicam, facultatem pulſandi tibiam, & reliquas, cōtineri ſub
prudentia: propterea quòd licet non ſint prudentia, quia non uerſantur omnino eo-
dem modo circa ea circa quæ uerſatur prudentia: tamen quia ſunt habitus actiui, ha
bent maiorem conuenientiam cum prudentia, & debēt potius redigi ad ipſam quæ
item eſt habitus actiuus, quàm ad alias uirtutes quibus cum non ſolùm non conueniunt
(ut oſtendebāt rationes allatæ in contrariam partem) uerùm etiam ab ijs maximè di
ſcrepant. Quòd uerò illa ſimilitudo & cōuenientia, quā habent cū prudētia, ſit ido
nea cauſa quare ad ipſam poſsint redigi, oſtendūt facultates eæ quas diximus: uideli
cet pſpicacia, bona cōſultatio, & reliquæ: quæ licet nō ſint prudētia, neceſsitas tamē
cogit (niſi uelimus Ariſtotelem mancū & mutilatū eſſe) ut aſſeramus, ipſas redigi (ut
dictum eſt) ad prudentiam. nihil igitur (niſi fallimur) ratio allata concludit contra il-
lud quod poſuimus, facultates dictas eſſe inter uirtutes intellectiuas, & nō morales.

Erat alia quæſtio, de facultate pulſandi citharam, & pulſandi tibiam: quarum alteram Ariſtoteles 2. Ethic. numerauerat inter artes, alteram uerò 9. Metaphyſ. ſeiunxerat ab artibus: ex quo ſequebatur, ut in alterutro loco falſa dixiſſet.

Dicimus, neceſſe eſt ut alter ex duobus tex. citatis in bonũ trahatur ſenſum: alioquin, ut demonſtratum fuit, non ſolùm falſa, ſed etiam negãtia aſſereret Ariſtoteles. Etenim in dubium uenire non poteſt, quin idem ſit dicendum de facultate pulſandi citharam, quod dicitur de facultate pulſandi tibiam, & contrà: ſunt enim ambæ facultates eiuſdem rationis, & actiuæ.

Sed cum tex. 14. 9. Metaphyſ. ſit clarus, non uidetur in alium ſenſum trahi poſſe, quàm in eum quẽ diximus. reſtat igitur ut interpretemur tex. 2. Ethic. Itaq; dicimus, eo in loco Ariſtotelem communiori uocabulo accepiſſe nomen artis, ut complexu ſuo continet & cohibet omnes habitus operatiuos.

Quod planè uidentur oſtendere uerba ipſa Ariſtotelis. inquit enim: Virtutes autem accipimus operantes prius, quemadmodum & in alijs artibus. Quæ enim oportet cum didicerimns facere, hæc facientes addiſcimus: ut ædificantes ædificatores, & citharizantes citharistæ. ſic autem & iuſta facientes iuſti, & temperata temperantes, & fortia fortes. Etenim uidetur Ariſtoteles innuere illis uerbis, & in alijs artibus uirtutes eſſe artes. quoniam hanc uim habet pronomen Alijs, ut perſpicuum eſt. Sed quomodocunq; ſit, cogimur dicere, in duobus illis locis Ariſtotelem accepiſſe nomen artis communiori uocabulo, & impropriè: in 9. uerò Metaphyſ. propriè. Et hoc modo interpretando uitatur illud, ne cogamur dicere, omnium ſapientium magiſtrum Ariſtotelem falſa, atq; adeò negantia loquutum eſſe. Quæ interpretatio eo etiam confirmatur, quia ibi loquitur Ariſtoteles de illis facultatibus quæ fiunt in nobis per operationes antecedentes.

Sed diceret quiſpiam: Ex uerbis Ariſtotelis quæ citaſti, uidetur ſequi, eodem modo eſſe dicendum, fieri artes in nobis, quomodo habitus illos actiuos. ſiquidem dicit habitus actiuos fieri in nobis eodem modo quo fit aliquis ædificator, & ita de alijs artibus. Ex quo alterum duorum euenire neceſſe eſt, uel ut artes fiant conſuetudine, uel ut habitus actiui fiant doctrina: quorum utrunq; à ueritate & à ſententia Ariſtotelis alienum eſſe, ex eis quæ dicta ſunt, in dubium uenire non poteſt.

Ad hoc reſpõdentes dicimus, ſimilitudinem Ariſtotelis inter uirtutes & artes in hoc ſolùm habere locum, quòd utræq; fiunt per actiones antecedẽtes. Quod planè perſpicuum eſt ex ipſis quæ citata ſunt uerbis, & ex 9. Metaphyſ.

Conueniunt ergo in hoc habitus actiui & factiui, quòd utriq; fiunt ex operationibus antecedentibus. differunt uerò, quia factiui ſola doctrina fiunt: actiui, uel doctrina & aſſuetudine ſimul, uel aſſuetudine ſola. Satis igitur eſt ad ſolutionẽ argumenti, dicere, eodẽ modo fieri in nobis uirtutes & cæteros habitus actiuos, quomodo fiũt habitus factiui: nõ ſimpliciter tamen & abſolutè, ſed ſolùm quatenus utriq; fiunt ex operationib. antecedentibus. hoc enim nihil prohibet quo minus diuerſo modo fiãt ex illis operationib. antecedentibus, ſicut dictũ eſt. Et hoc modo patet, argumentũ allatum nihil penitus concludere, quod ſententiam noſtram euertat: quia ex eo non ſequitur, neceſſe eſſe ut uel artes fiant conſuetudine, uel habitus actiui doctrina, contrà quàm ſuprà concluſum fuit.

Ad illud quod addebatur, Ariſtotelem 4. cap. 2. Ethic. poſuiſſe muſicã quæ eſt habitus actiuus, inter artes: dicimus, etiã eo in loco Ariſtotelem accepiſſe nomen artis cõmuniori uocabulo, ut ſæpiſsimè facit, quatenus ſcilicet hoc nomen complectitur omnes illas facultates quæ poſſunt haberi etiam ex doctrina: quia eæ facultates ſunt talis naturæ, ut ſtatim cũ habemus aliquid ex ipſis, poſsimus aſſerere nos eſſe (uerbi gratia) grãmaticos uel muſicos. quod non accidit in uirtutib. quia plura requirũtur, ut dictum eſt in ſuperiorib. ex eodem 4. cap. 2. Ethic. ad quem locum me reijcio. Patet enim, Ariſtotelem eo in loco comparaſſe uirtutes ad omnes alias facultates, quia eadem omnium erat ratio: licet non nominauerit in reſpõſione, niſi artes. Cogimur igitur dicere, Ariſtotelem nomen artis non propriè accepiſſe, ſed communiori uocabulo: & ſic nõ poſſumus dicere, ipſum poſuiſſe muſicam ſub arte propriè, quod erat abſurdum. At non fuit abſurdum, quòd eam poſuerit ſub arte, quatenus nomen Artis complectitur non ſolùm illas facultates quæ ſunt uerè artes, uerùm etiam illas ex

quibus

quib. poſſumus denominari cũ aliquo modo habemus aliquid quod ad eas p̃tineat.

Erat alia quæſtio, quę uidebatur oſtendere diuiſionẽ uirtutis animi in intellectiuã & moralem, quam poſuit Ariſtoteles in 2. Ethic. nõ eſſe rectè poſitã, neq; idoneam: quippe quæ non complecteretur omnes uirtutes animi. Continentiam enim & cõſtãtiam eſſe uirtutes animi, item heroicam uirtutem & amicitiam: & tamen non eſſe neq; morales, neq; intellectiuas. uideri ergo diuiſionem illam Ariſtotelis tanquam non idoneam, ſed mancam & mutilatam, eſſe improbandam atq; reijciendam.

Ad hanc quæſtionem ego reſponderem (ſaluo ſemper meliori iudicio) continentiam & incontinentiam, cõſtantiam & mollitudinem non eſſe propriè neq; uirtutes morales, neq; uitia: ut rationes in quæſtione propoſita allatæ apertè (niſi fallor) oſtẽdunt. Perſpicuum eſt etiam non eſſe intellectiuas, præter ea quæ dicta ſunt: quia loquentes de moribus, dicimus aliquem eſſe continentem & incontinentẽ, & conſtãtem & mollem. Et cum uerſentur circa mores, fieri non poteſt ut ſint intellectiuæ. ex quibus deinde patet, diuiſionem uirtutis poſitam ab Ariſtotele in 2. Ethic. nõ eſſe mancã neq; mutilatam, propterea quòd non contineat hos habitus, quoniam nõ ſunt propriè uirtutes animi. Et adhibita eſt illa diuiſio ſimpliciter uirtutis animi, ut perſpicuum eſt ex 9.18. & 19. capitibus, 1. Ethic. & ex principio 2. Ethic. Quæ quidem *1. Ethic. 9. & 18. & 19. cap. & 2. Ethic. 1.* diuiſio ſic intellecta, eſt idonea ad id ad quod ordinata fuit. etenim complectitur omnes uirtutes animi humanas, quæ ſunt propriè uirtutes. rectè igitur & artificioſe exorſus eſt Ariſtoteles ſeptimum lib. Ethic. eo modo quo diximus, propterea quia pertractaturus erat alia ab eis quæ ſuperioribus libris tradiderat.

At hic ſtatim urgeret aliquis, dicens, continentiam & incontinentiã, conſtantiam & mollitudinem uerſari circa mores: igitur eſſe uirtutes morales & uitia. Antecedẽs eſt Ariſtotelis loco ſuperius citato. Conſequentia probatur: quia ille habitus qui uerſatur circa mores, eſt uirtus uel uitium morale.

Item, continentia & conſtantia ſunt eorum quæ ſunt ſtudioſa & laudabilia: incontinentia autem & mollitudo, eorum quæ ſunt praua & uituperabilia: igitur continẽtia & conſtantia ſunt uirtutes morales, incontinentia uerò & mollitudo uitia. Probatur conſequentia: quia ea ex quibus laudamur & uituperamur, ſunt uirtutes & uitia: continentia & conſtantia ſunt ex eis propter quæ laudamur, incontinentia autẽ & mollitudo ex ijs propter quæ uituperamur: igitur ſunt uirtutes & uitia.

Minorem propoſitionem declarauit Ariſtoteles in 7. Ethic. cap. 3. ubi dixit: Videtur ſanè continentia & conſtantia eſſe eorum quæ ſunt ſtudioſa & laudabilia, incontinentia autem & mollities eorum quæ ſunt praua & uituperabilia. *7. Ethic. 3.* Et in cap. 7. eiuſdem lib. cum inquit: Incontinentia enim non ſolùm fugibilium, ſed etiam uituperabilium. *7. Ethic. 7.* Maiorem propoſitionem uidetur declarare in 2. Ethic. cap. 5. his uerbis: *2. Ethic. 5.* Paſsiones autẽ non ſunt neq; uirtutes, neq; uitia: quoniam ſecundum paſsiones nõ dicimur neq; boni neq; mali, ſecundum uirtutes autem & uitia dicimur. & quia ſecundũ paſsiones neq; laudamur neq; uituperamur. non enim laudatur timens, neq; iraſcens: neq; uituperatur ſimpliciter iraſcens, ſed qui aliquo modo. ſecũdum autem uirtutes & uitia laudamur & uituperamur. Ex quo etiam uidetur ſequi, ut ea quæ laudantur & uituperantur, ſint uirtutes & uitia. non enim fieri poteſt ut aliquid laudetur quin ſit uirtus, & uituperetur quin ſit uitium.

Eandem ſentetitiam ponere uidetur in 1. Ethic. cap. 16. ubi ait: Laus enim eſt uirtutis: ſumus enim actiui honeſtorum ex hac. encomia autem ſunt operum. *1. Ethic. 16.* Et in 1. Rhet. cap. 9. ita ſcribens: Eſt autem laus, oratio oſtendens magnitudinem uirtutis. oportet igitur actiones demonſtrare, quòd tales. encomia uerò operum. *1. Rhet. 9.* Si ergo laus eſt uirtutis: igitur uituperium erit uitiorum. Vera ergo eſt maior propoſitio, quę erat, Ea ex quibus laudamur & uituperamur eſſe uirtutes & uitia: ex qua deinde cum minore ſequitur propoſitum noſtrum.

Item, quod uerſatur circa uoluptates & triſticias, eſt moralis uirtus: continentia & conſtantia uerſantur circa uoluptates & triſticias: igitur ſunt uirtutes: igitur incontinentia & mollitudo ſunt uitia. ſunt enim oppoſita, & uerſantur circa uoluptates & dolores.

Maior propoſitio colligitur ex 2. Ethic. cap. 3. ubi ait: Circa uoluptates & triſticias eſt moralis uirtus. *2. Ethic. 3.*

7.Ethic.6. Minor autem propoſitio eſt perſpicua, ex eis quę in 7. Ethic. cap. 6. ad hunc modū
» ſcripta reliquit: Quòd autem circa uoluptates & dolores ſint cōtinentes & conſtan-
» tes, & inconninentes & molles, manifeſtum eſt.

Item, incontinentia eſt uel ſimpliciter uitium, uel aliqua ex parte: igitur continen-
tia erit uirtus uel ſimpliciter, uel aliqua ex parte. Probatur antecedens ex 7. Ethic.
Ibid. cap. 6. ubi ait: Nam incōtinentia quidem non ſolùm ut delictum, ſed etiam ut quod-
» dam aut ſimpliciter, aut aliqua ex parte uitium uituperatur. Conſequentia perſpi-
2 Poſt. 2 & cua eſt ex 2. Poſt. cap. 2. & ex 3. Ethic. cap. 1. ubi hæc dixit: Si enim bona corporis habi
3. Ethic. 2. tudo ſit denſitas carnis, neceſſarium eſt, malam corporis habitudinem eſſe raritatem
4. Cœl. tex. 34. carnis. Et ex 4. De cœlo & mundo, tex. 34. cum inquit: Quoniam autē omne ſub-
» ſtās fertur ad medium: neceſſe eſt quod omnibus ſuperfertur, ferri ad extremum re-
» gionis in quam faciunt motum. Cōtrarium enim medium extremo, ſubſtans autem
» & ſupereminenti.

Item definitio uirtutis conuenit ipſi continentiæ & conſtantiæ: igitur ſunt ſimpli-
citer uirtutes. Conſequentiam neminem latêre arbitror. Antecedens probatur:
quia habitus electiuus conſiſtens in mediocritate, quo ad nos ratione determinata,
& ſicut prudens determinaret, dicitur eſſe uirtus. In hac propoſitione definitū præ-
dicatur de ſua definitione. Continentia & conſtantia ſunt habitus electiui in me-
diocritate conſiſtentes, &c. igitur ſunt uirtutes: igitur incontinentia & mollitudo e-
runt uitia. Minor propoſitio uidetur declarari ab Ariſtotele, & primò quòd ſit ha
7. Ethic. 14. bitus. etenim in 7. Ethic. cap. 14. inquit: Quid igitur eſt continentia, & quid inconti-
» nentia, quid conſtantia & mollicies, & quomodo ſe habeant habitus ipſi ad ſe inui-
9. Ethic. 5. cem, dictum eſt. Deinde, quòd ſint habitus electiui. in 9 enim Ethic. cap. 5. hęc ſcri
» pta reliquit, cū loqueretur de prauis: Differunt enim ſeipſis. alia enim concupiſcunt,
» alia autem uolunt ut incontinentes: eligūt enim pro eis bonis, quæ uidentur ipſis iu-
» cunda, nocua exiſtentia. Vult igitur, incontinentes eligere, ergo incontinentia e-
» rit habitus electiuus, igitur & continentia.

7. Ethic. 12. Hanc item ſententiam uidetur innuere in 7. Ethic. cap 12. ubi inquit: Quęrendum
» eſt autem, utrum is ſit continens qui quauis ratione electioneq́ perſtat: an is qui re-
» ctè perſiſtit. & utrum is ſit incontinens qui non permanet in quauis electione ratio-
» ne'ue: an is qui perſiſtit in ratione falſa, & electione non recta, quemadmodū antea
dubitauimus. Patet enim ipſum ſupponere, continentem & incontinentem age-
re electione, alioquin fruſtra propoſuiſſet illam quæſtionem. Fruſtra enim quęritur,
utrū is ſit continens, qui quauis in ratione electione'ue perſtat, an is qui in recta per-
ſiſtit. ſiquidem continens nulla agat electione. Eodēq́ modo de incontinente. quę-
rere enim, utrum aliquis perſiſtat in quauis electione, an ea recta falſa'ue ratione ſo-
lùm, eſſe ſupponere ipſum pſiſtere in electione, neminē (qui ſit ſanus) latêre arbitror.

Ibid. In eodem item cap. ut hanc ipſam ſententiam confirmaret, loquens de incontinē-
» te, hęc addit: Et ſpōte ſua quidem agit, quodammodo enim eſt ſciens, & quòd facit,
» & cuius gratia. Malignus autem non eſt: electio namq́ eſt bona. quare ſemiprauus
» eſt, & non iniuſtus: non eſt enim inſidiator.

Si ergo electio incontinentis eſt bona, planè ſequitur, ut agat electione: inconti-
nentia igitur & continentia erunt habitus electiui.

Ibid. Quòd autem continentia conſiſtat in mediocritate quæ eſt inter duo uitia, quorū
alterum ſit exceſſus, alterum defectus, declarat Ariſtoteles in eod. cap. ijs uerbis: Cū
» autem ſit quidam talis, ut minus quàm oporteat corporis gaudeat uoluptatib. non
» perſiſtens in ratione: huius autem & incontinentis, medius eſt continens: incon-
» tinens autem non perſiſtit in ratione propter maius aliquid, hic autem propter mi-
» nus aliquid: oportet autem, ſiquidem continentia ſit ſtudioſum habitus, hos con-
» trarios improbos eſſe, quemadmodum apparent. Sed quia perpaucis alter homini-
bus ineſt, raroq́ admodum fit ut temparantia ſoli contrarium intemperantiæ uide-
tur, ſic & incontinentia ſoli incontinentię aduerſari putatur. Quid enim clarius ſi-
gnificari potuit, quàm ijs uerbis, continentiam eſſe mediocritatem duorum impro-
borum & uituperabilium, duorum igitur uitiorum?

Quòd autem ſit cum ratione recta, & per id quod neceſſariò ſequitur, determina-
ta, multis in locis eiuſdem 7 lib. teſtatū reliquit Ariſtoteles, & maximè in cap. 3. cum
ait:

ait: Videtur idē eſſe cōtinens,& perſiſtens in ratione:& idē etiam incontinens, & ra
tionem egrediens.& incontinens,ſciens eſſe mala,agit propter paſsionem :ſed con-
tinens ſciens quòd prauæ ſunt cupiditates,non ſequitur, propter rationem. Et in
9.Ethic.cap.9.ubi inquit: Continens autem & incontinens dicitur,quia mens uincit 9.Ethic.9.
uel non uincit,propterea quòd ipſa eſt hominū quiſq;.& egiſſe uidentur ipſi,& ſpō-
te,quæ cum ratione maximè egerunt.

Patet igitur, continentem ſemper agere cum ratione. etenim dicitur continens,
quia mens in ipſo uincit:& incontinens, quia non uincit. agit ergo continens cū re-
cta ratione:igitur ut prudēs determinat,alioquin non eſſet recta ratio. Eſt igitur ue-
ra minor propoſitio. quare neceſſariò ſequitur, ut continentia ſit uirtus, incontinen
tia igitur erit uitium. quod eſt id quod nobis propoſitum erat oſtendere. Item, ea
quæ uerſantur circa eadem,ſunt idem:continentia & incontinentia, temperantia &
intemperantia uerſantur circa eadem:igitur ſunt eadem. igitur ſi temperantia eſt uir
tus,& intemperantia uitium,continentia erit uirtus.& incontinentia uitium. Mi-
norem propoſitionem declarauit Ariſtoteles in 7.Ethic.cap.8.ijs uerbis:Quòd autē 7.Ethic.8.
continentia & incontinentia eſt ſolùm circa quæ intemperantia & temperantia: &
quòd circa alia ſpecies continentiæ dicta ſecundum metaphoram, & nō ſimpliciter
dicta eſt. Et in cap.9.cum inquit:Et continentiam & incontinentiam circa corpo- 7.Ethic.9.
ris uoluptates uerſari, ex ijs quæ diximus perſpicuum iam euaſit,& clarum:& eſt cir-
ca has ſolùm propriè uerſari temperantiam & intemperantiam. Quare in dubium
uenire non poteſt,quin omnia iſta ſint circa eadem. Maior item propoſitio etſi i-
pſa per ſe ſatis perſpicua uidet̄,tamē perſpici etiā poteſt ex ea ratione qua uſus eſt A-
riſtoteles in princip. Rhet. ut probaret Rhetoricā eandē eſſe cū Dialectica:quia am-
bę erāt de talib. quibuſdā, quæ cū eſſent cōmunia, quodāmodo omnium erat cogno
ſcere.& nullius ſcientiæ determinatæ.de qua ratione ſuperiùs multa uerba fecimus.

Iſtæ ſunt quæſtiones quæ omnino uidentur infringere & conuellere ea quæ à no
bis de continentia & incontinentia, & de conſtantia & mollitudine fuerūt determi-
nata.quæ quidem erant,continentiam & incontinentiam,conſtantiam & mollitudi
nem,non eſſe propriè neq; uirtutes morales aut intellectiuas, neq; uitia.

Cæterùm quoniam arbitramur, ea quæ diximus, & Ariſtotelis ſententiæ & ueri-
tati conſentire:elaborandum eſt ut has ipſas quæſtiones diſſoluamus, ut firmam &
ſtabilem his de rebus concluſionem relinquamus. Sed prius afferamus nonnulla
Ariſtotelis uerba.quibus eam quam aſſeruimus ſententiam apertè indicare uidetur.

Quarto igitur Ethic.cap.ult.cum loquutus eſſet de uerecūdia, aſſeruiſſetq; ipſam 4.Ethic.ult.
non eſſe propriè uirtutem,addidit:Non eſt autem neq; continentia uirtus,ſed quæ-
dam permixta.Demonſtrabitur autem de hac in eis quæ ſequentur.

Quòd ſi detur, ut dūdum ex uerbis Ariſtotelis arbitramur, planè efficitur,ut neq;
incontinentia ſit uitium:eſt enim contraria ipſi continentiæ, ut dixit in principio 7. 7.Ethic.1.
Ethic. Hoc idem confirmaſſe uidetur paulo pòſt,cum ait: De uitio autem dictum
eſt prius.de incontinentia autem & mollitudine,& de delicijs eſt dicendū,& de con
tinentia & conſtantia. Si enim eſſent uirtutes & uitia, tractaſſet de eis,cum de ipſis
uirtutibus ſermonem haberet. Confirmatur,quia ſtatim addidit:Neq; enim exiſti
mandum eſt utramq; ipſarum eſſe idem habitum quod uirtus & uitium, neq; ut di-
uerſum genus. Satis eſt nunc ex his uerbis colligi, quòd non ſunt ijdem habitus
qui uirtus & uitium. quomodo aūt non ſint tanq; diuerſum genus, poſtea dicemus.

Eandem ſententiam indicaſſe uidetur in 7.Ethic.cap.12.cum inquit: μοχθηρία mor 7.Ethic.12.
bis perſimile,a quæ intercuti inquam,& tabi: incōtinentia uerò,morbo comitiali. e-
tenim illud continua,hęc non continua πονηρία.& omnino diuerſum eſt genus incō
tinentiæ & κακίας. κακία enim latet,incontinentia uerò non latet. Et paulo pòſt,cū
ſubiunxit: Patet igit̄ incōtinentiam κακίαν nō eſſe,niſi fortaſſe. quod exponit̄,niſi ex
aliqua parte. Perſpicuū igit̄ uidetur eſſe ex uerbis Ariſtotelis, cōtinentiam nō eſſe
uirtutē. Sed anteq; ueniamus ad diſſolutionē quæſtionū propoſitarū,nō erit for-
taſſe inutile afferre in mediū iſta quæ ſequunt̄ nomina,ut intelligamus apud Ariſto-
telē ea aliquādo diuerſum qd ſignificare, aliquādo idē. Sunt aūt hæc: ἁμαρτία, κακία,
μοχθηρία, πονηρία, φαυλότης. quę qdē omnia ſignificāt peccata quędā & errores quoſdā.

Sed ἁμαρτία uidet̄ ſignificare leuius peccatū q; κακία & reliqua: uideturq; latius

 patere,

7.Ethic.6. patere, ut colligi poteſt ex multis locis, quorum nunc ſatis erit afferre illum ſeptimi
Ethic. cuius uerba ſuperius quoq; citauimus ad aliud propoſitum. hæc autem ſunt:
» Signum autem, quia incontinentia uituperatur, non tanquam ἁμαρτία ſolùm, ſed tã
» quam κακία quædã, uel ſimpliciter exiſtens, uel aliqua ex parte. Peior igitur eſt κακία
3.Ethic.3. quàm ἁμαρτία. Μοχθηρία uerò uidetur idem quod κακία, ut colligi poteſt ex 3. Ethic.
» cap. 3. cum ait: Ignorat quidem omnis μοχθηρὸς quæ debet agere, & à quib. debet ab-
» ſtinere: & propter talem ἁμαρτίαν iniuſti & omnino κακοὶ fiunt. Vnde patet, μοχθη-
ρὸς accipi pro iniuſto & uitioſo, & ἁμαρτίαν latius patêre quàm μοχθηρίαν.
7.Ethic.12. Idem quoq; uidetur Ariſtoteles oſtendere in 7. Ethic. cap. 12. loco etiam paulo an-
» tè citato ad aliam rem, cum inquit: μοχθηρία morbis perſimile, aquæ intercuti inquam
» & tabi: incontinentia uerò morbo comitiali. etenim illud continua, & hæc non con-
» tinua πονηρία. Accipit enim μοχθηρίαν pro uitio. ſicut etiam in Poetica, cap. 11. cũ loque
retur de hominibus, de quibus eſt ſcribenda tragœdia. inquit enim: Eſt aũt talis qui
» neq; excellit uirtute & iuſticia, neq; per κακίαν & μοχθηρίαν mutatus in malã fortunã,
» ſed per ἁμαρτίαν quandam eorum qui ſunt exiſtentes in gloria & bona fortuna. Vbi
patet, ipſum accipere κακίαν & μοχθηρίαν pro eodem, & ἁμαρτίαν pro leuiori peccato.
Hoc idem facile uidetur in 1. Rhet. cap. 10. cum inquit: Si enim quidam habeant
μοχθηρίαν unam, uel plures, circa hãc ſunt μοχθηροὶ & iniuſti. accipit enim μοχθηρίαν pro
κακία. πονηρία autẽ in uerbis 7. Ethic. & 10. citatis generalius accipitur quàm μοχθηρία,
& quàm κακία. accipitur eñ, ut cõtinet uitium & incontinentiam, quæ ꝓpriè eſt uitium.
7.Ethic.10. In cap. autem 14. eiuſdem lib. ubi dixit, de incontinente loquens, Quodam enim
» modo ſciens & quod facit, & cuius cauſa: πονηρὸς autem non. electio enim eſt bona,
» quare ſemi πονηρὸς & non iniuſtus, non enim inſidiator. uidetur accepiſſe πονηρὸν
pro uitioſo. uult enim, incontinentem non eſſe uitioſum. Et paulo pòſt cum addi-
» dit: πονηρὸς enim eſt ſimilis ciuitati utẽti legib. ſed πονηροῖς: ſignificat enim malas & ui
5.Ethic.14. tioſas leges. In 5. quoq; Ethic. cap. 14. ubi hęc ſcripta reliquit: In ijs autem nocentes
» & peccantes iniuriantur quidem, & ſunt iniuriæ, non tamẽ iniuſti propter ipſa, neq;
» πονηροὶ, non enim propter μοχθηρίαν eſt nocumentum. Et cum ſubiunxit: Quando aũt
» ex electiõe, & iniuſtus eſt, & μοχθηρὸς. His omnib. locis uidetur accepiſſe πονηρὸν pro
4.Ethic.4. uitioſo. In 4. uerò Ethic. cap. 4. cum dixit, Eos enim qui grãdia unde non oportet,
» & quæ non oportet, accipiunt, ut tyrannos ciuitates expugnãtes, & tẽpla expolian-
» tes, non auaros, ſed πονηροὺς, ſed impios & iniuſtos appellamus. uidetur πονηρὸς ſigni-
» ficare peius quàm auarus, & ꝓ id quod neceſſariò ſequit, quàm uitioſus. auarus eñ defectus
eſt liberalitatis, & uituperatione dignus: quippe qui affert nocumentũ ſibi & alijs.
Φαυλότης uidetur quaſi idem ſignificare quod πονηρία. Etenim eam latius patêre quàm
7.Ethic.12. κακίαν & μοχθηρίαν, uidentur indicare uerba Ariſtotelis quæ ſcripta reliquit in fine 12.
cap. 7. Ethic. ad hunc modum, cum loqueretur de continentia & incontinentia: Ma-
» nifeſtum autem ex hoc, quòd hæc quidem ſtudioſus eſt habitus, hæc autem φαῦλος.
» dixerat enim antè, incontinentiam non eſſe uitium.
Hoc idem ſignificat Ariſtoteles prope finem 13. capite, cum loquens de extremis
» continentiæ, inquit: Oportet autem, quoniam continentia eſt ſtudioſa, utroſq; hos
habitus eſſe φαύλας. hæc enim uox φαῦλος, non poteſt ob cauſam dictam ſignificare
» uitioſum. In 12. uerò cap. eiuſdem 7. cum dixit, Sed hic quidem habens, hic autem
» non habens φαύλας concupiſcentias. appellat φαύλας cõcupiſcentias uitioſas. etenim
intemperans dicitur uitijs præditus. Item in 12. cap. eiuſdem ſeptimi Ethic. ubi in-
quit, Non eſt incontinens ſimpliciter φαῦλος: uidetur φαῦλος ſignificare uitioſum. ali-
1.Rhet.10. ter enim fruſtra addidiſſet ſimpliciter. In 1. autem Rhet. cap. 10. ubi inquit, Per quæ
» autem eligunt & φαῦλα facere, κακία eſt, & ἀκρασία: oſtendit φαῦλα dici, quæ fiunt per
» uitium, & per incõtinẽtiam. & ſic latius patere φαῦλον quàm κακὸν: quandoquidem
dicatur etiam de eis quæ fiunt per incontinentiam, quæ propriè non eſt uitium.
Perſpicuum etiam eſt ex hoc loco Ariſtotelis, ſeiunxiſſe incontinentiam à uitio.
5.Ethic.ult. In 5. tamẽ Ethic. cap. ultimo, cũ inquit: Manifeſtũ aũt eſt quòd ambo φαῦλα, & in-
» iuria affici, & afficere. illud enim minus, hoc autẽ eſt plus habere medij. ſed tamẽ pe-
» ius eſt iniuria afficere: quia iniuria afficere eſt cũ κακία, & uituperabile eſt: & cũ κακία
» uel ꝑfecta & ſimpliciter, uel ꝓpè. Videt̃ accepiſſe φαῦλον pro malo, quod opponitur
6.Ethic.6. bono: ut colligit̃ ex eis quæ ſcripta reliqt in fine 6. cap. eiuſdẽ lib. ijs uerbis: Iniurians
enim

enim habet plus. qui autem iniuria afficitur, habet minus boni. in malo autem econtrario. Quo in loco perſpicuum eſt, ipſum attribuere ei qui iniuria afficitur, malum. Neceſſe igitur eſt ex ult. cap. illius lib. cum ei attribuit etiā hanc uocem φαυλόν, ut intelligamus malum. Vnde etiam colligitur, κακίαν peiorem eſſe quàm φαυλότητα.

In 4. aūt lib. Ethic. cap. 3. cum loqueretur de prodigo: Quapropter, inquit, & non uidetur eſſe φαῦλος ſecundum mores: non enim μοχθηρός eſt, neque ignobilis, tam in dando quàm in non capiendo exuperare, ſtolidi tamen. Vbi uidetur quaſi innuere, idem eſſe φαῦλος, qui μοχθηρός. Illud præterea difficultatem affert, quod Ariſtoteles in 4. Ethic. cap. 5. cum loqueretur de extremis magnificentiæ, uſus eſt ijs uerbis: Sunt aūt hi habitus ipſi κακίαι, non tamen opprobria afferunt: propterea quòd neq; detrimento ſunt alijs, neq; nimium ſunt deformes. Ex quibus uidetur ſequi, κακίαν non ſignificare eam improbitatem quam diximus, quia non ſignificat illam, quæ affert opprobria, neq; illam quæ eſt ualde turpis. Item in cap. 14. eiuſdem lib. loquens de ijſdem extremis magnanimitatis: Qui enim, inquit, deficit, parui animi uel puſillanimi: qui autem excedit, inflatus. neq; κακοὶ uidentur eſſe iſti, neq; ſunt facientes τὰ κακά, ſed peccant. Quibus uerbis uidetur indicare, extrema magnanimitatis non eſſe uitia. ex quo ſequitur, κακίαν ſignificare improbitatem, quam diximus, diſtinctam uidelicet ab ἁμαρτία.

4. Ethic. 3. — 4. Ethic. 5. — 4. Ethic. 14.

Ex ijs igitur locis quos citauimus, & ex multis alijs quos longū eſſet ꝓferre, uidetū ꝑſpicuè patere, Ariſtotelē aliquādo nomina allata quę ſignificāt peccata & errores, à ſe inuicē ſeiūgere, aliquādo nō ſeiungere, & ita uario modo ipſa accipere. nō erit igitū mirū, ſi nos aſſerētes cōtinentiā & incōtinentiam nō eſſe uirtutes, neq; uitia, utemur quibuſdā eorū, ut ſunt diuerſè à uitio, licet aliquando Ariſtoteles utat illis pro uitijs.

His explicatis, tēpus iam uidetur eſſe ut ueniamus ad diſſolutionē quęſtionū, quę uidebātur euertere id quod à nobis cōcluſum fuit: uidelicet cōtinentiam & incontinentiam, cōſtantiam & mollitudinē, nō eſſe propriè neq; uirtutes morales, neq; intellectiuas, neq; uitia. Ad primam aūt ipſarū reſpōdentes, cōcedimus id quod antecedit, ſed negamus cōſequentiam: ad probationē uerò quæ erat, Ille habitus qui uerſatur circa mores, eſt uirtus uel uitiū: dicimus, hanc propoſitionē non eſſe uerā: propterea ꝙ multi ſunt habitus qui uerſantur circa mores, & tamē nō ſunt uirtutes, neq; uitia. latius enim patet mos, ꝙ̃ uitium & uirtus moralis. Virtus enim heroica & feritas uerſantur circa mores: & tamē nō eſt uirtus heroica uirtus moralis, neq; feritas uitium morale. Hoc itē colligitur ex principio 7. Ethic. quod principium citauimus ſuprà, & ex alijs etiam huius libri locis. Ad alterā item quæſtionem quæ hāc ſequitur, concedimus antecedēs, ſed negamus conſequentiam. Ad probationē uerò quæ erat, ea ex quib. laudamur & uituperamur, ſunt uirtutes & uitia: dicimus, hanc propoſitionē eſſe à ueritate alienā. Ad probationē concedimus, ſecundū uirtutes & uitia nos laudari & uituperari: negamus tamē retrò reciprocare & cōmeare, ut ea omnia ex quib. laudamur & uituperamur ſint uirtutes & uitia. nā multa ſunt ex quib. laudamur & uituperamur, quæ tamē non ſunt uirtutes neq; uitia. Etenim Ariſtoteles in 2. Ethic. cap. 7. numerat illas tres mediocritates quę uerſantur circa cōmmunionem ſermonū & actionū, ex quib. laudamur, & ex quarū extremis uituperamur: & tamē non ponit eas eſſe uirtutes, neq; earū extrema eſſe uitia. Et paulo pòſt addidit: Sunt aūt in paſſionib. & in his quæ ſunt circa paſſiones, mediocritates. Etenim uerecūdia uirtus quidē non eſt, laudatur tamen uerecundus. Laudamur ergo ex uerecundia, & tamē ipſa non eſt uirtus. Item illæ mediocritates quæ uerſantur circa uoluptates illas quæ habentur ex uiſu & auditu, de quibus uerba fecit Ariſtoteles in 3. Ethic. cap. 12 ſunt tales, ex quib. laudamur: tamē nō ſunt uirtutes, neq; earū extrema ſunt uitia. Falſum igitur uidetur, & à ſentētia Ariſtotelis alienū eſſe, fieri nō poſſe ut aliquid laudetur quin ſit uirtus, & uituperetur quin ſit uitium. Ad confirmationē aūt ſumptā ex 1. Ethic. cap. 16. cōcedimus laudē eſſe uirtutis magis propriè, & encomia operationū: negamus tamē ipſam laudē ſolius eſſe uirtutis: quia aliæ etiam laudantur quæ non ſunt uirtutes, uel ex uirtutibus, licet fortaſſe non ita propriè. Ad id item quod accipitur ex 1. Rhet. cap. 9. reſpondemus eodem modo, laudem eſſe orationem oſtendentem magnitudinē uirtutis, & encomia operū: negamus tamē ex hoc ſequi, uerā eſſe maiorem propoſitionē, quę erat, Ea ex quib. laudamur & uituperamur,

7. Ethic. 1. — 2. Ethic. 7. — 1. Ethic. 16. — 1. Rhet. 9.

ramur, eſſe uirtutes & uitia. Quare ex hac cũ minore non ſequitur, id quod quæſtio
inferre uidebatur. etenim laus oſtendit item alia ꝙ magnitudinem uirtutis proprię.
1.Rhet.9. Quod item uidetur oſtendiſſe Ariſtoteles in eod. cap. cũ inquit: Quoniam aũt con-
» tingit & ſine ſtudio & cũ ſtudio laudare ſæpenumero nõ ſolùm hominẽ uel Deum,
» ſed & inanimata, & quodcunq; aliorũ animalium. Eodẽ modo & de ijs accipiendæ
ſunt propoſitiones. Etenim inanimata & cætera animalia non habent uirtutes: uult
tamen ipſa laudari. non igitur laus oſtendit ſolùm magnitudinem uirtutis propriè.
Item laus propriè eſt honeſti, igitur non eſt ſolùm uirtutis. Probatur conſequentia:
Ibid. quia latius patet honeſtũ ꝙ uirtus, ut perſpicuum eſt ex 9. cap. 1. Rhet. Antecedens
probatur ex definitione honeſti, quæ quidem eſt huiuſmodi: Honeſtum autem eſt,
quod cum per ſe eligibile ſit exiſtens, laudabile eſt.

Erat alia quæſtio, quæ hoc modo urgere uidebatur. Quod uerſatur circa uolupta
tes & triſticias, eſt moralis uirtus: cõtinentia & conſtãtia ſunt huiuſmodi, igitur, &c.

Ad quam quæſtionem reſpondentes, negamus maiorem propoſitionem. Ad
probationẽ, quæ ſumiť ex 2. Ethic. cap. 3. cõcedimus, uirtutẽ moralẽ uerſari circa uo-
luptates & triſticias: negamus tamen retrò commeare, ut omne quod uerſatur circa
uoluptates & dolores, ſit moralis uirtus: hoc enim ex eis quę in ſuperiorib. dicta ſunt
3.Ethic.12. ex 3. Ethic. cap. 12 pſpicuè patêre arbitramur. Ad aliam aũt quęſtionẽ quæ erat, In-
continẽtiam eſſe uel ſimpliciter uitiũ, uel aliqua ex parte: cõcedimus, incontinentiã
eſſe aliquo modo uitium, ſed nõ ſimpliciter. Et hoc eſt quod dixit Ariſtoteles 9. cap.
7. lib. Ethic. ijs uerbis: Et ſimpliciter incõtinẽtia, & uitiũ aliquo modo. Et cõcedimus
ſequi ex hoc, ut continẽtia ſit aliquo modo uirtus: non tamẽ eſſe ſimpliciter uirtutẽ,
quia uidetur ei deeſſe electio, & nõnulla alia etiã. ſicut incontinẽtiæ uidetur aliquid
deeſſe ex definitione uitij, ut electio & alia etiã deſunt. Quod uiſus eſt Ariſtoteles in
7.Ethic.12. cap. 12. eiuſdem 7. indicare, cum inquit: Quòd aũt uitium incontinentia non eſt, mani
» feſtum eſt: hæc enim præter electionem, illud autem ſecundum electionem eſt.

Incontinẽtia igitur non eſt uitiũ ſimpliciter, quia nõ eſt cũ electione: in electione
1.Rhet. eñ eſt prauitas, ut dicit Ariſtoteles in 1. Rhet. ſed eſt uitiũ aliqua ex parte, quia habet
aliquã ſimilitudinẽ cũ uitio: quare eadẽ ratione aſſerere poterimus, ipſam continen-
tiam non eſſe uirtutẽ ſimpliciter, ſed aliqua ex parte: quia ſcilicet habet aliquã ſimili-
7.Ethic.2. tudinẽ cũ uirtute. Et propter hanc cauſam fortaſſe protulit Ariſtoteles in 7. Ethic. cũ
» loqueretur de continẽtia & incõtinentia, hęc uerba: Neq; eñ idẽ quod uirtus & ui-
» tium, neq; ut diuerſum genus hæc ſunt putanda. Sed de hac re in ſequentib. pluribus
4.Ethic. agemus. Item quod ait in 4. lib. Ethic. Non eſt aũt neq; cõtinentia uirtus, ſed quę-
dã permixta. Videtur ſic intelligi, quia habet ſimilitudinẽ cũ uirtute: ideo nõ dicitur
eſſe uirtus, ſed permixta, ſcilicet cũ uirtute aliqua ex parte, uti diximus: quare uidetẽ
fieri poſſe, ut dicatur uirtus per ſimilitudinẽ quandã. Quod uidetur aſſeruiſſe Ariſto
7.Ethic.14. teles in 7. Ethic. cap. 14. ijs uerbis: At cũ per ſimilitudinem multa dicãtur, factũ eſt ut
» continens dicatur tẽperans. cõtinens eñ talis eſt, ut nihil præter rationẽ ob uolupta
» tes corporis agat: & tẽperans talis eſt. Sed ille quidem habet prauas cupiditates, hic
» aũt nõ habet: & hic quidẽ, ſcilicet tẽperans, eſt talis, ut nõ delectetur præter rationẽ:
» ille quidẽ eſt talis ut delectetur, ſed nõ ducatur. Sicut ergo cõtinens poteſt dici per
ſimilitudinẽ tẽperans, ita cõtinentia poteſt dici per ſimilitudinẽ uirtus: nõ tamẽ erit
ſimpliciter uirtus, quare nõ erit omnino alterũ genus à uirtute. & erit quædam per-
mixta, quia cõuenit in multis, & habet ſimilitudinẽ cũ uirtute. quæ eñ habẽt aliqd
quod attineat ad uirtutẽ poſſunt dici eſſe aliquo modo permixta cũ uirtute, & habe-
re ſimilitudinẽ cũ uirtute. Quòd aũt ſit etiã ſimilis incõtinens intẽperanti, declara-
7.Ethic.13. bitur paulo pòſt ex 7. Ethic. cap. 13. Cõcedimus igitur ſequi, cõtinentiam eſſe aliquo
modo uirtutẽ: negamus tamẽ hoc euertere noſtrã ſentẽtiam, quia dicimus ipſam nõ
eſſe uirtutẽ ſimpliciter. nihil enim prohibet, ut id quòd non eſt uirtus, ſimpliciter nõ
poſsit eſſe aliqua ex parte uirtus, uidelicet ꝑ quandã ſimilitudinẽ. ſicut nihil ꝓhibet,
ut id quod non eſt idẽ ſimpliciter, nõ poſsit dici aliqua ex parte illud cuius eſt ſimile.

Ad aliam autem quæſtionem, quæ mirum in modum exercere omnium ingenia
uidetur, quæ erat, definitionẽ uirtutis cõuenire ipſi continentiæ & conſtantiæ, itaq;
illas eſſe uirtutes ſimpliciter: dicimus, id quod antecedit, à ueritate alienum eſſe.

Ad probationem concedimus maiorem propoſitionem, ſed negamus minorem:

damus

damus tamen ipſam,ſcilicet continentiam & conſtantiam, incontinentiam & molli
tudinem,eſſe habitus:ſed negamus eſſe habitus electiuos. Verùm probemus pri-
mùm ex uerbis Ariſtotelis,ipſas non eſſe habitus cum electione. Deinde reſponde-
bimus ad textus in contrariam partem allatos.

Is igitur in 7.Ethic.cap.4.hæc ſcripta reliquit: Neq; enim circa omnia eſt ſimplici- 7.Ethic.4.
ter incontinẽs ſed circa ea circa quæ uerſatur intemperans, neq; ſimpliciter ſe habet “
ad illa:eſſent enim incõtinentia & intemperantia idem, ſed hoc modo. nam ille qui- “
dem eligens ducitur, putans ſemper oportere proſequi uoluptatem præſentem:in- “
continens autem non putat quidem,perſequitur tamen. “

Item in eiuſdem lib.cap.6.ſic ait. Eorũ aũt qui circa uoluptates corporeas uerſan- 7.Ethic.6.
tur,circa quas dicimus temperantem & intemperantem,qui non eligendo, ſed præ- “
ter electionem & mentem, efficientium quidem uoluptatum exuperationes perſe- “
quitur,dolorem autem inferentium fugit,famis,ſitis,æſtus,frigoris,& omnium quę “
ad tactum & guſtum pertinent:is nõ additione,circa hæc inquam(ut circa iram)ſed “
abſolutè ſolùm incontinens dicitur. Et paulo pòſt:Signum autem,etenim intem- “
perantes dicuntur circa has,ſed non circa ullam illarum.& hoc in eodem incontinẽ- “
tem & intemperantem ponimus,& continentem & temperantem:ſed neminem il- “
larum,quòd circa uoluptates eaſdem omnino doloresq; uerſantur. Atq; ſunt hi qui- “
dẽ circa hęc eadem,ſed non eodẽ modo ſunt:ſed illi quidẽ eligunt,hi uerò nõ eligũt. “

Et in cap.10.cum uerba feciſſet de intemperante,& oſtendiſſet ipſum agere per e- 7.Ethic.10.
lectionem,ſtatim ſubiunxit:Eorum autem qui non eligunt,alius ob uoluptatẽ,alius “
ob fugã doloris,qui à cupiditate prouenit, ducitur. quare inter ſe differunt. cuilibet “
enim deterior eſſe uidebitur, ſi quis non cupiens, aut remiſsè quippiam agat turpe, “
quàm uehementer cupiens: & ſi nõ iratus uerberet,quàm concitatus ira.quid enim “
ageret,ſi eſſet in paſsione?quare intemperans peior eſt incontinente. Et in cap.12. 7.Ethic.12.
At uerò intemperantem quidem non pœnitet, ut dictum eſt in electione:nãq; perſi- “
ſtit. Incontinentẽ uerò aliquo modo pœnitet. quocirca non ita res ſeſe habet.ut du- “
bitauimus:ſed ille quidem incurabilis,hic autem eſt curabilis. Item in 13.cap.Simi- 7.Ethic.13.
lis autem & incontinens & intemperans. uterq; autem corporis ſequitur uolupta- “
tes:ſed alter & oportere putat,alter non oportere. “

Ex his igitur omnib.locis luce clarius patere arbitror,incõtinentiam & continen-
tiam non eſſe habitus electiuos: aliter enim incontinentes agerent electione. con-
trà quàm dixit Ariſtoteles tot in locis, ut uidimus. Reſpondendum igitur eſſe uide-
tur ad uerba Ariſtotelis in contrariam partem allata.

Quare ad eum tex.qui citatus eſt ex 9.Ethic.cap.5.dicimus, Ariſtotelem tribuiſſe 9.Ethic.5.
incontinentib electionẽ non propriè, ſed accepiſſe ipſum eligere cõmuniter,ut cõ-
plectiẽ etiã uelle.in quã ſentẽtiam uenimus tũ propter textus Ariſtotelis allatos,qui
apertè uidenẽ indicare,incontinẽtes & continẽtes nõ agere electione: tũ quia appa
ret eos nõ cõſultare, quare nõ poſſunt agere electione, ut ex eis quæ ſequuntur erit
perſpicuum. Verba etiam illius tex. quę ſunt hæc:Differunt autem ſeipſis.alia em̃ ibid.
concupiſcunt, alia autem uolunt, ut incontinentes : eligunt enim pro bonis quæ ui- “
dentur ipſis iucunda,nocua exiſtentia. Hæc inquam uerba oſtendunt, eligere eo in “
loco non eſſe propriè acceptum, ſed pro uelle, ut diximus. neceſſe enim eſt, ut re-
ſpondeat illis uocibus,Concupiſcunt & uolunt.alioquin non eſset ad rem.quare ni-
hil ex eo loco quod ſententiam noſtram infringat,ſequitur.

Ad tex.uerò allatũ ex 13.cap.7.Ethic. dicerẽ, continentẽ & incontinentẽ eligere,
quia continẽs uerè eligit turpia nõ eſse agẽda:ſed nõ ob hoc diciẽ continens,quia a-
liud eligat: ſed diciẽ continẽs, quatenus nõ remoueẽ à ſua electione ob cõcupiſcen-
tiam uoluptatũ, & quatenus perſiſtit in electione: ſed in electione adhibita,priuſq;
moueretẽ à cõcupiſcentia.Incontinẽs itẽ eligit turpia nõ eſse facienda:ſed nõ ob hoc
diciẽ incontinens, ſed quatenus egreditur electionẽ rectã,quã habebat anteq; eſset
in paſsione uel perturbatione:& agit turpia,quę quidẽ nõ agit electione,ſed ſtatim
uiſa re quæ uoluptatẽ affert,omiſsa electione bona.ut perſpicuũ erit ex eis quę dice
mus,interpretãtes 5.cap.7.Ethic. Aliud igiẽ eſt,continentẽ pſiſtere in electione bo
na,& incontinentẽ nõ pſiſtere: aliud ipſos agere electione ea qua agunt, quatenus
ſunt cõtinentes & incontinẽtes,Etenim tũc dicimus eos nõ agere electione,ut conti-
nentes

nentes & incõtinentes ſunt.neceſse enim eſt,ut qui agit continenter uel incontinenter, in eo electio bona præceſſerit actionem continentem uel incontinentem, alioquin non ageret continenter uel incontinenter: etenim neceſſarium eſt ut prius cognouerit,illud quod agit incontinenter,non eſſe agẽdum, & ita ſenſerit ut tex. allati in ſuperioribus luce clarius oſtendunt. Idq; uoluit ſignificare (niſi me mea fallit opinio) tex.citatus ex 7.Ethic.cap.13.quod nõn repugnat ſententiæ noſtræ.

Eodem item modo reſpondetur ad text. acceptum etiam ex eodem cap. cum loqueretur de continente.nam cum dixit,(Malignus autem non eſt,electio namq; eſt bona.quare ſemipraũs eſt,& non iniuſtus: non eſt enim inſidiator.) Hæc protulit, quia ipſe incontinens, antequam ageret incontinenter, habebat electionem bonã: concluſerat enim, turpia illa quæ deinde agit, non eſſe agenda. rectè ergo elegerat. tamen non perſiſtit in illa bona electione: ſed cum prius habuerit illam bonam electionem,non eſt malignus: quare ſi illa turpia agit,non agit tamen electione,ſed ſtatim ducitur iucunditate.Et hoc eſt quod nos etiam cõcedimus.ſatis enim nobis eſt, cum incontinens agit incontinenter,non agere electione. quare non ſequitur,ſi habet electionem bonam,ut ob hõc agat incontinenter electione. Quocirca rectè nos negaſſe arbitramur, definitionẽ uirtutis cõuenire ipſi continentiæ & incõtinentiæ.

Concedimus præterea,continentiam cõſiſtere in mediocritate, quæ eſt inter duo extrema:quorum alterum eſt exceſſus,alterum defectus.Sed nihil abſurdi ex hac cõceſsione ſequi arbitramur.etenim non ſequitur,ut incontinentia ſit uirtus: multæ enim ſunt mediocritates inter exceſſum & defectum,quæ tamen non ſunt uirtutes.

Ad id uerò quod additur, quòd ſit cum ratione recta:reſpondemus, aliud eſſe, aliquid eſſe cum ratione recta: aliud,perſiſtere in ratione recta. Continens propriè nõ dicitur eſſe cum ratione recta,ſed perſiſtere in ratione recta: quoniam natura ipſius continentis, quatenus continens eſt, eſt perſiſtere in ratione recta: & incontinentis, quatenus incontinens eſt, eſt egredi rationem rectam.& hoc eſt quod uoluit Ariſtoteles in 7.Ethic.loco in quæſtione citato.

9.Ethic.9. Neq; obſtat quod dixit in 9.Ethic.loco etiam in quæſtione citato,cum dixit:Et egiſſe uidentur ipſi, & ſponte, quę cum ratione maximè egerunt. Quia intellexit egiſſe cum ratione, propterea quòd continens perſiſtit in ratione recta,non quòd reuera agat cum ratione recta:alioquin ageret cum conſultatione,& per id quod neceſſariò ſequitur,cum electione.electio enim eſt cum ratione & mente, & cũ præconſultatione,ut diximus ex 3.lib.Ethic.cap.5. Dicitur igitur continens agere cum ratione, quia mens & ratio uincit in eo, & ob hoc perſiſtit in ratione: & ſic agit ut prudẽs, quia perſiſtit in ea ratione determinata, quæ eſt ut prudens determinaret: alioquin non eſſet recta ratio illa in qua perſiſtit. Nõ igitur eſt uera minor propoſitio. Quare non ſequitur,ut cõtinentia ſit uirtus ſimpliciter, & incõtinentia uitiũ ſimpliciter.

Ad alteram autem quæſtionem quæ erat, Ea quę uerſantur circa eadem, ſunt idẽ: continentia & temperantia, incontinentia & intemperantia uerſantur circa eadem: ergo,&c. Reſpondemus, Maiorem propoſitionem à ueritate abhorrere ſi intelligatur ſimpliciter & abſolutè, & minorem eſſe ueram. hoc eſt quod probant text.allati ex 7.Ethic.cap.8.& cap.9. Si uerò intelligatur cũ conditione,ut dicamus ea quæ uerſantur circa eadem,& eodẽ modo:concedimus ipſam conſentire ueritati, ſed tamen negamus minorem propoſitionem. & hoc modo concedimus, rationem ſumptam ex principio 1.Rhet.concludere, Rhetoricam eſſe idem quod Dialecticam, quia ambæ uerſantur circa idem & eodem modo, ut perſpicuum eſt ex eis quæ dicta ſunt.

Quòd autem continentia & incontinentia, temperantia & intemperantia non uerſantur circa eadem & eodem modo, perſpicuum eſt ex eis quæ ſcripta ſunt in ſuperioribus:ex quibus omnibus ſatis conſtare arbitramur, nihil prohibere quin uerũ ſit illud quod aſſeruimus, continentiam & incontinentiam non eſſe ſimpliciter uirtutes,neq; uitia ſimpliciter, licet per ſimilitudinem quandam poſsint dici uirtutes & uitia: nos autem loquuti ſumus ſimpliciter & propriè.

Sed ſtatim quæret aliquis, nunquid ſit alia differentia inter incõtinentem & intẽperantem,& continentem & temperantem, præter eas quæ dictæ ſunt, quòd uidelicet unus agat cum electione, alter ſine electione: & unus ſit cum ratione recta, alter perſiſtat in ratione recta, ut non ſit cum ratione recta: & ſi ſint aliæ differentiæ,

tiæ, quæ'nam ſint illæ, & etiam quid ſit continentia & incontinentia.
Item, nunquid ita dicendum ſit de conſtantia & mollitudine in comparatione ad
temperantiam & intemperantiam, ſicut de continentia & incontinentia.
Itẽ, nunquid continentia & conſtantia ſint nomina ſynonyma, an aliquid interſit.
Ad primam quæſtionem dicimus, Ariſtotelem ponere alias differentias inter in-
continentem & continentem, & temperantem & intemperantem, præter eas quæ
dictę ſunt: quòd uidelicet unus agat cum electione, alter ſine electione: & unus agat
cum ratione recta, alter uerò non agat, ſed perſiſtat in ratione recta. Quæ res ut cla-
rius appareat, operæprecium uidetur in medium afferre Ariſtotelis uerba, quibus ſa
tis perſpicuè ſingulas differentias indicat. Primum igitur in cap.3.7.Ethic. ita ſcri- 7.Ethic.3.
ptum reliquit: Præterea ſi continens eſt ex eo, quia uehementes & prauas habet cu- "
piditates, neq; temperans erit continens, neq; continens temperans. etenim neq; ue "
hementes habere cupiditates, neq; prauas, eſt tẽperantis, ut oportet. Quibus uer "
bis oſtendit intereſſe inter intemperantem & continentem, quia temperans non ha
bet uehementes cupiditates, neq; prauas: continens autem habet utraſq;.
Et in cap.6. eiuſdem lib. cum ait: Quapropter potius eum intemperantem dixeri- 7.Ethic.6.
mus, qui non cupiens, aut remiſſè exuperationes uoluptatum proſequitur, ac medio "
cres ſugit dolores: quàm hunc, qui ob uehementes cupiditates eadem agit. Quid e- "
nim faceret ille, ſi cupiditas adueniret iuuenilis, & circa rerum neceſſariarũ indigen- "
tiam dolor uehemens? Significat intereſſe, quia intemperans non cupit, aut parũ:
& tamen turpia agit: incontinens uerò agit eadem, ſed ualde cupiens.
Et in cap.12: quem locum citauimus paulo antè ad aliud propoſitum, cum inquit: 7.Ethic.12.
At uerò intemperantem quidem non pœnitet: in electione namq; perſiſtit. Inconti- "
nentẽ autem aliquo modo pœnitet. quocirca non ita ſeſe res habet, ut dubitauimus: "
ſed ille quidem incurabilis, hic autem eſt curabilis. Declarat intereſſe, quia intem- "
perantem non pœnitet, incontinentem uerò pœnitet: item quia intemperans eſt in-
curabilis, incontinens autem curabilis. Ibidem cum addit, quæ uerba ſuprà quoq;
attulimus ob alias occaſiones: Vitium enim morbis hiſce perſimile, aquæ intercuti "
inquam & tabi: incontinentia uerò morbo comitiali. etenim illud continua, hæc nõ "
continua improbitas. & omnino diuerſum eſt genus incõtinentiæ & uitij. uitium e- "
nim latet, incontinentia uerò non latet. Indicat, differre intemperantiam ab incon "
tinentia, quòd intẽperantia eſt continua, continentia non eſt continua. Item, quia
intemperantia eſt uitium, incontinentia non eſt uitium. uitium enim latet eum qui
uitioſe agit, quippe qui credit ſe rectè agere: incõtinentia uerò non latet eum qui in-
continenter agit. putabat enim, antequam in paſsione eſſet, illa non eſſe agenda.
Præterea in eodem loco, cum ſubiungit: Cum alter ſit talis, ut non ex eo quòd eſt "
ipſi perſuaſum, exuperantes corporis uoluptates præter rationem rectam ſequatur, "
alteri ſit perſuaſum propter quod talis eſt ut ipſe ſequatur: illi quidem diſſuaderi faci "
le, huic autem haud facile poteſt. Demonſtrat intereſſe inter incontinentẽ & in- "
temperantem: quia incontinens agit turpia, cum ei non ſit perſuaſum illa eſſe agen-
da: intemperans uerò agit eadem, perſuaſum habens illa eſſe agẽda. ex quo ſequitur,
ut incontinens facile poſsit à propoſito demoueri, intẽperans uerò non poſsit. qua-
re hæc etiam inter ſe differunt.
Itaq; in fine eiuſdem cap. hæc ſcripta reliquit: Eſt quidem alius ob perturbationẽ Ibid. in fine.
à recta ratione diſcedens, quẽ perturbatio ut non agat quidẽ ut recta ratio iubet ſu- "
perat: ut ſit aũt talis, ut ipſi ſit perſuaſum oportere uoluptates liberè non uincit. at hic "
eſt incontinens: qui quidẽ intemperante melior eſt, nec eſt abſolutè prauus. conſer- "
uatur enim id in ipſo optimũ, principium in quã ipſum. Alius aũt eſt huic contrarius, "
is qui perſiſtit, & non ob perturbationẽ à ratione diſcedit. Ex his igitũ patet, hunc qui "
dẽ ſtudioſum, illũ aũt improbum habitũ eſſe. Ex quibus etiam uerbis patet, inter- "
eſſe inter incontinentem & intemperantẽ: quòd ille melior ſit, nec abſolutè prauus.
Et in cap.14. eiuſdẽ 7. de temperãte loquens, & continente: Et hic quidẽ, uidelicet 7.Ethic.14.
temperans, eſt talis, inquit, ut non delectetur præter rationẽ: ille aũt eſt talis ut dele "
ctetur, ſed non ducatur. Et deinde ſubdidit: Similes aũt ſunt incontinens & intẽpe "
rans. uterq; eñ corporis ſequitur uoluptates: ſed alter & oportere putãt, alter nõ pu- "
tat. Quẽ etiam locum citauimus paulo antè in aliud propoſitũ. In eandem ſenten- "

,, tiam hæc paulo pòſt addidit:Similis autem eſt incontinens ciuitati quæ decernat o-
,, mnia quæ decent, & leges habeat bonas, utatur autem nulla. quemadmodum illud
,, Anaxandrides cauillatus eſt:Ciuitas conſulebat,cui nulla erat cura legum. Sed pra-
,, uus,ſupple eſt ſimilis ciuitati utēti quidē legib.ſed prauis utēti. Quib.innuit,inter-
eſſe inter incontinentem & temperantem, quòd incontinens habet rationem rectã,
ſed non utitur.non enim perſiſtit in ea : intemperãs uerò non habet rectam rationē,
ſed prauam, & ipſa utitur. Ex his omnibus uidetur ſequi, continentiam eſſe habi-
tum animi carentis ratione, ſed obedientis rationi, in mediocritate conſiſtentē, qui
uerſatur circa eas corporis uoluptates,circa quas uerſatur tēperantia,ſed ſine electio
ne:quo quidē habitu aliquis habens prauas & ingentes cupiditates, delectatur prę-
ter rationem,non tamen ducitur,ſed perſiſtit in ratione recta. Incontinentiam ue
rò eſſe habitum animi carentis ratione,ſed obedientis rationi,in extremo conſiſten-
tem,qui uerſatur circa eas corporis uoluptates,circa quas uerſatur intemperãtia,ſed
ſine electione: quo habitu aliquis non perſuaſus egreditur rationem rectam, ob pra
uas & ingentes cupiditates: ſed eum pœnitet,& curabilis eſt, nec cõtinuè egreditur
rationem rectam,& non latet. Ex quibus definitionibus perſpicuæ eſſe mihi uidē
tur differentiæ omnes inrer continentiam & incontinentiam, temperantiam & in-
temperantiam. Diſſoluta igitur eſt iam prima quæſtio.

Ad alterã quæ hãc ſequebaſ, reſpõdemus: idē eſſe dicendũ de cõſtantia & molli-
tudine, in cõparatione ad tēperantiam & intēperantiam, quod de cõtinentia & in-
continentia. Ad poſtremam autem dicimus, continentiam & conſtantiam,incõ-
tinentiam & mollitudinem,non eſſe nomina ſynonyma,ſed aliquid inter ſe differre.
7.Ethic.10. quid autem differant,uidetur oſtendiſſe Ariſtoteles in 7. Ethic. cap.10. ijs planè uer-
,, bis: Etenim tolerare uel conſtare eſt in reſiſtendo, continentia aũt in ſuperando uel
,, uincendo.alterum aũt eſt reſiſtere & ſuperare,uel uincere: quapropter & eligibilius
,, eſt continentia ipſa conſtantia uel tolerantia. Perſpicuum igitur eſt, idem intereſ-
ſe inter continentiam & conſtantiam,quod intereſt inter reſiſtere & ſuperare. multi
enim pugnantes reſiſtunt, ne interficiantur:multi etiam non ſolùm reſiſtunt,uerùm
etiam ſuperant.quare hi fortiores illis dicuntur.

Sed ut ea quæ dicta ſunt melius intelligantur, contra illa nonnullas etiam affere-
mus dubitationes. Inſtaret igitur quiſpiam dicèns,text. allatum in ſuperiorib. ex 4.
4.Ethic.5. Ethic.cap.5.ubi loquitur Ariſtoteles de extremis magnificentiæ,cuius hæc ſunt uer-
,, ba: Sunt autem habitus ipſi κακία, non tamen opprobria afferunt, propterea quòd
,, neq; detrimento ſunt alijs,neq; nimium ſunt deformes. Hunc inquam text. diceret
aliquis uideri à ueritate abhorrere, propterea quòd nõ uidetur fieri poſſe ut aliquid
ſit κακία,& non afferat opprobria. Quod probatur:quia fieri non poteſt,ut τὴν κα-
2.Ethic.5. κίαν non uituperemus,ut patet ex 2.Ethic.cap.5.ſuprà citato. Fieri igitur non poteſt,
ut ipſæ non afferant opprobria.Etenim uituperari nihil aliud eſſe uidetur, quàm op-
probria pati. Deinde ſi κακία non afferret opprobria,falſum eſſet, hanc uocem ſigni-
ficare illam improbitatem quam diximus: quæ quidem erat tanta,ut negauerit Ari-
ſtoteles incontinentiam eſſe κακίαν. quam tamen κακίαν dixit eſſe intemperantiam,
quam poſuit deteriorem eſſe incontinentia. Vt igitur κακία omnino afferat oppro-
1.Rhet.9. bria neceſſe eſt. In 1.itē Rhet.cap.9.ita ſcriptũ reliquit:Poſt hæc aũt dicimus de uir
,, tute & uitio, & honeſto & turpi. hi enim ſunt fines laudanti & uituperanti: uitium
,, eſt finis uituperanti, ergo uitium affert opprobria. Pręterea uerba illa 4.lib.Ethic.
,, ubi de extremis magnanimitatis loquitur:Qui enim deficit, parui animi,uel puſilla-
,, nimi: qui autem excedit, inflatus. neq; κακοὶ uidentur eſſe iſti, neq; ſunt facientes τὰ
,, κακὰ,ſed peccant. Hæc inquam uerba uidentur indicare, magnanimitatem nõ eſſe
uirtutem,quia extrema uirtutum neceſſariò ſunt uitia:& ita non poſſe nos laudari ex
magnanimitate. quod tamen abſurdum uidetur, cum magnanimus ſit omni uirtute
præditus. Conſequentia probatur, quoniam non poſſumus uituperari ex eius ex-
tremis, ſiquidem non ſunt uitia. Item cum dictũ ſit, tres illas mediocritates de qui-
bus meminimus in ſuperiorib.nõ eſſe uirtutes,neq; illas quę habenſ ex uiſu & audi-
tu:quæreret aliquis cauſam, quare illæ mediocritates non ſint uirtutes,cũ ſint cũ ele-
ctione recta,ut prudēs determinaret. & quare uirtus eſt, cũ illa electione non poſsit
eſſe uirtus,ut dictum eſt de continentia. Hæc ſunt quæ uidentur afferre difficultatē.

Dicerem,

Dicerem,ſaluo ſemper meliori iudicio,fieri poſſe ut aliqui habitus ſint κακοί, & tñ
non afferant opprobria: ut ſunt illi qui non nocēt alijs, neq; exiſtūt ualde deformes.
cuiuſmodi ſunt extrema magnificentiæ: cuiuſmodi eſt etiam prodigalitas, de qua di
xit Ariſtoteles in eod.4.Ethic. cap.3. cū loqueretur de prodigo: Quapropter nō ui-
detur eſſe φαῦλος ſecundū mores.non enim μοχθηροῦ, neq; ignobilis eſt, excedere dan-
do,& non accipiendo,ſed ſtulti. Licet igitur prodigalitas ſit κακία, eſt enim extre-
mum liberalitatis:quia tamen non nocet alijs,& nō eſt ualde deformis, dixit Ariſto-
teles prodigum non eſſe ſecundum mores prauum hominem.etenim illi habitus qui
ſunt alijs detrimento,& ſunt ualde deformes,dicūtur eſſe κακίαι, quæ afferunt oppro
bria,ſicut extrema intemperantiæ & fortitudinis. Ad probationem aūt dico, fieri
poſſe ut aliquid ſit κακία, & tamen non afferat opprobria. & ad tex. Ariſtotelis ſum-
ptum ex 2.Ethic.cap.5.reſpondeo,duplicem eſſe κακίαν. alteram enim eſſe κακίαν ſim
pliciter & perfectè,alteram non ſimpliciter neq; perfectè,ſed propè,& aliqua ex par
te. Hac poſita diuiſione, dico fieri non poſſe ut ex κακία ſimpliciter nō uituperemur:
ſed fieri poſſe, ut ex ea quæ non eſt uerè κακία, neq; perfectè (cuiuſmodi eſt illa quæ
non eſt detrimento alijs,neq; eſt ualde deformis, ut ſunt extrema magnificentiæ,nō
planè ac ſimpliciter uituperemur, etſi fortaſſe aliquo modo uituperamur. Ad tex.
Ariſtotelis 2.Ethic.cap.5.dicimus,ipſum intelligi quòd ex illis uituperamur,quia af-
ferunt aliqua opprobria:ſed quia non ſimpliciter afferūt opprobria, ideo dixiſſe Ari
ſtotelem,non afferre opprobria. Ad id uerò quod addebatur, Si ita eſſet, ſequi, hāc
uocem κακίαν non ſignificare eam improbitatē quam diximus:dico,aliquando hanc
uocem κακίαν non ſignificare illam improbitatem,ut cum non accipitur ſimpliciter:
ſed quia ſimpliciter & magis propriè q̃ aliæ uoces enumeratæ, quę ſignificant pecca
ta,ſignificat improbitatem maximam:tum etiam quia in 7.lib. Ethic. accepit Ariſto-
teles ipſam ſimpliciter eo modo quo diximus: ob has cauſas aſſeruimus in ſuperiori-
bus,illam uocem ſignificare maximam improbitatem. licet aliquando accipiatur nō
ſimpliciter:ſicut eam accepit Ariſtoteles,cum loqueretur de extremis magnificētiæ.

Quòd autem hæc uox κακία accipi poſsit aliquando ſimpliciter, aliquando uerò
non ſimpliciter,declaraſſe uidetur Ariſtoteles in 5. Ethic. cap.ult. ubi cū loqueretur 5.Ethic.ult.
de iniuria affici,& de iniuria afficere,dixiſſetq; ambo eſſe mala,ſic addidit: Sed tamē "
peius eſt iniuria afficere:quia iniuria afficere eſt cum κακία, & uituperabile eſt: & cū "
κακία uel perfecta, & ſimpliciter, uel propè. Quæ uerba planè oſtendunt,hanc uo "
cem κακίαν ſignificare & κακίαν ſimpliciter,perfectamq;: & κακίαν quæ non eſt per-
fecta,neq; ſimpliciter, ſed propè: quæ ſcilicet erit illa quæ nō affert ſimpliciter oppro
bria.alioquin perperam & ſuperuacaneè uerba illa eſſent ab Ariſtotele addita, quod
cum dari non poſsit ſine uitio, Ariſtoteli ut ſignificetur id quod dictū eſt,neceſſe eſt.

In eandem ſententiam trahendus eſt,meo iudicio,locus ille 1.Rhet. Etenim niſi ue
limus Ariſtotelem cum ſuaipſius ſententia pugnare, cogimur dicere,ipſum hanc uo
cem κακίαν ſimpliciter & per ſe,non ſecundum quid,eo in loco accepiſſe: uel intelle-
xiſſe opprobria non ſimpliciter, ſed aliqua ex parte. Ad id uerò quod afferebatur
ex 4.Ethic.cap.14.ut reſpondeamus,paulo altius repetēdum uidetur. Itaq; dicimus, 4.Ethic.14.
illos habitus eſſe ꝓpriè uirtutes, qui uerſantur circa ea quib. difficile eſt reſiſtere, q̃q;
ſunt neceſſarij ad bene beateq; uiuendum, proſuntq; alijs,& nō ſunt deformes: quæ
conditiones uidentur colligi ex Ariſtotele.nam is 2.Ethic.cap.3.hęc ſcripta reliquit: 2.Ethic.3.
Amplius aūt difficilius eſt reſiſtere uoluptati q̃ iræ,ut dixit Heraclitus.Sed circa dif- "
ficilius ſemper fit ars & uirtus.etenim quod eſt rectè,melius in hoc:quare & propter "
hoc circa uoluptates & triſticias omne negocium & Ethico & Politico.qui enim re- "
ctè ijs utitur,bonus erit:qui aūt perperā,prauus. Et in 1. Rhet.Neceſſarium eſt,inqt, 1.Rhet.
maximas eſſe uirtutes,quæ ſunt alijs utiliſsimæ. ſiquidē eſt uirtus & potētia benefa- "
ctiua,& propter hoc iuſtos & fortes maximè honorāt:hic in bello,hic aūt in pace eſt "
ipſis utile. deinde liberalis: ꝓijciunt eñ,& nō contendūt de pecunijs,quas maximè "
appetūt alij. Et alibi:Eſt eñ uirtutis perfectiſsimæ,cūctis benefacere. Quare cū for "
titudo & tēperantia,& iuſticia,& liberalitas, & magnificētia, & uirtus quæ eſt circa "
honores,& magnanimitas,& māſuetudo uerſentur circa ea quib. difficile eſt reſiſte- "
re,& ꝓſint alijs, quia ſine ipſis nō poſſunt homines rectè uiuere, neq; ſint deformes, "
imò honeſtiſsimę:nemo admiratione affici debet,ſi hę dicātur uirtutes. Mediocrita- "

tes aũt illę de quib. ſuprà mentionẽ fecimus, etiamſi laudabiles ſint, non dicentur uir
tutes: non eñ uerſantur circa illa quib. difficile eſt reſiſtere, neq; ualde proſunt alijs,
neq; eam habent neceſsitatẽ quã enumeratæ uirtutes. Quòd aũt difficile ſit reſiſtere
illis circa quæ uerſantur ipſæ uirtutes, ita apertè multis in locis ſcriptũ reliquit Ariſto
teles, & ita nos in nobiſmetipſis experimur, ut ridiculũ ſit uelle hoc probare. Ex uir-
tutib. tñ quæ enumeratæ ſunt, illæ erunt præſtãtiores quæ uerſantur circa illa quibus
difficilius eſt reſiſtere, & plus proſunt alijs, magiſq; neceſſariæ ſunt ad bene beateq;
uiuendũ, ut iuſticia, fortitudo, tẽperantia & liberalitas: uirtus uerò quæ eſt in appetẽ
dis honorib. & mãſuetudo, licet ſint circa ea quib. difficile eſt reſiſtere, & pſunt alijs,
ſuntq; honeſtæ: tñ quia nõ eſt ita difficile reſiſtere eis circa quæ uerſant̃, neq; ita pro-
ſunt alijs ut illæ quatuor, neq; ſunt ita neceſſariæ, ideo nõ dicũtur ita perfectæ uirtu-
tes, licet dicãtur uirtutes. quare illę quatuor nõ ſine ratione debẽt dici principales &
cardinales uirtutes. Quia uerò magnificẽtia & magnanimitas ſunt circa ea quib.
nõ eſt ita difficile reſiſtere, neq; ita proſunt alijs, neq; ita ſunt neceſſariæ humano ge-
neri, cteñ ſine ipſis poſſunt homines rectè uiuere: ideo potius dicũtur ornamẽta uir-
tutũ, q; uirtutes. Quare & eorũ extrema nõ dicũtur afferre opprobria, neq; ſunt ual-
de deformia, neq; qui peccãt illis dicũtur praui homines: quia eorũ mediocritas non
eſt tãti momẽti ad felicitatẽ humani generis, ob idq; earũ extrema nõ ita nocẽt alijs,
neq; ſunt ualde deformia. ac licet ex definitione uirtutis generalis, quę uult ut uitupe
remur ob extrema uirtutum, poſsimus propter illa uituperari: tamen non ita uitu-
peramur, ut propter extrema reliquarum uirtutum. Et ideo dixit Ariſtoteles, extre-
ma magnificentiæ non afferre opprobria: non quòd non afferant aliqua opprobria,
ſed quia non afferunt tanta, quanta extrema cæterarum uirtutum. Et ita loquutus
2. Ethic. 5. eſt in comparatione: quomodo etiam dixit, eos qui in extremis magnanimitatis pec-
cabant, non eſſe prauos homines. Et hoc uidetur intellexiſſe in 2. Ethicorũ cap. 5. ut
diximus. Quòd ſi quis uellet dicere extrema iſta uirtutum nulla omnino afferre op-
probria, & nullo modo facere prauos homines, neceſſe eſt ut interpretetur quod di-
xit Ariſtoteles in 2 Ethic. intelligi de eis extremis quę ſunt extrema principalium uir
tutũ. Sed nihil prohibet intelligere, ut diximus. Mediocritates aũt laudabiles, quas
negauimus eſſe uirtutes, uidentur excludi à definitione uirtutis, quia oportet dicere
uirtutẽ eſſe mediocritatẽ quæ uerſatur circa ea quib. difficilimũ eſt reſiſtere, & pro-
deſt alijs, & eſt neceſſaria ad bene beateq; uiuendũ: cõmunitas aũt ſermonũ & actio-
nũ, circa quã uerſantur tres illæ mediocritates laudabiles, nõ eſt talis ut ſit difficile ha-
rũ extremis reſiſtere: neq; qui reſiſtit, ualde prodeſt alijs, neq; talia ſunt ipſarũ extre-
ma, ut ijs poſsit mũdus euerti. Idẽ dicendũ eſt de illis mediocritatib. quæ habẽtur ex
uiſu & auditu: quare licet ſint cũ electione, tñ nõ dicũtur uirtutes, quia aliquid deeſt
ipſis eorũ quæ ponũtur in definitione uirtutis. Quòd uerò pręſtantiores uirtutes
dicãtur illæ quæ uerſantur circa illa quib. difficile eſt reſiſtere, & ualde proſunt alijs,
5. Ethic. 3. pręter ea quæ dicta ſunt, uidetur etiã indicaſſe Ariſtoteles in 5. Ethic. 3. ijs uerbis: Hęc
,, itaq; iuſticia uirtus quidẽ eſt perfecta non ſimpliciter, ſed ad alium, & ob hoc excellẽ
,, tiſsima uirtutũ uidetur eſſe Iuſticia, & neq; Heſperus neq; Lucifer ita mirabilis: ac ut
,, in prouerbio dicimus, omnes ſimpliciter uirtutes iuſticiæ ineſſe, & perfecta maximè
,, uirtus, quoniã perfectæ uirtutis eſt uſus: perfecta aũt, quòd eam habẽs ad aliũ quoq;
,, uti poteſt, nõ ſolùm ad ſeipſum. multi eñ in proprijs uirtute uti, ſed in ijs quę ad aliũ
,, ſunt nõ poſſunt. Et propterea uidetur præclarũ illud Biantis, Magiſtratus uirũ oſtẽ-
,, dit. Ad alium aũt & in cõmuni magiſtratus geritur: propter hoc ipſum & alienũ bo-
,, nũ uidetur iuſticia ſola omnium uirtutũ, quia ad alium eſt. agit eñ illa quę alijs cõfe-
rũt, uel principi, uel cõmuni. Ex ijs igitur uidetur perſpicua eſſe diſſolutio quęſtio-
nũ ultimo loco propoſitarũ, quia dicimus magnanimitatẽ & magnificẽtiam eſſe uir-
tutes, ſed nõ principales: quia nõ ita proſunt alijs ſicut uirtutes principales, neq; ſunt
ita neceſſariæ humano generi. ſine ipſis eñ poſſent homines bene beateq; uiuere: at
7. Polit. 1. nõ ita ſine fortitudine, ſine tẽperantia, ſine liberalitate, ſine iuſticia, ut ex multis Ari-
,, ſtotelis locis colligi poteſt. & maximè ex 7. Polit. 1. ubi inqt: Nemo eñ felicẽ diceret
,, eum qui nullã partẽ fortitudinis habeat, neq; tẽperãtiæ, neq; iuſticię, neq; prudẽtię,
,, ſed timentẽ etiã circũuolantes muſcas: tẽperantem uerò, à nulla penitus edẽdi bibẽ-
,, diq; extrema cupiditate, & gratia quadrãtis unius dilectiſsimos interficientẽ, ſimilit̃

& mente

& mēte tā ſtultū & ignarū, quaſi puerū quendā, uel inſanū. Perſpicuum igitur eſt,
fieri nō poſſe ex ſententia Ariſtotelis, ut ſine quatuor illis uirtutib. principalib. genus
humanū bene beateqꝫ uiuat. Liberalitatē aūt quā nō explicitè numerauerat, uidetur
ſignificaſſe, cū dixit: Et gratia quadrantis unius dilectiſsimos amicos interficientem.
Hoc eñ propriè ex auaricia naſcitur, ut declaraſſe uideť Ariſtoteles in 4. Ethic. 4. cū 4.Ethic.4.
ait: Aleatores tñ, & latrones, & pyratæ illiberales ſunt. quoniam ſordidè in lucro uer ""
ſanť: quæſtus eñ gratia utriqꝫ faciūt, & ꝓbra ſuſtinēt, alij extrema pericula ꝓ quæſtu ""
adeūtes, alij ab amicis quib. oportet dare lucrātur. Vtriqꝫ igitur, unde nō oportet lu- ""
crari uolētes ſordidi ſunt, & omnis huiuſmodi quæſtus illiberalis. Fieri igitur nō po- ""
teſt, ut ſine quatuor illis uirtutib. humanū genus bene beateqꝫ uiuat. Sunt ergo neceſ
ſarię ad uitā beatā quę eſt finis in hoc mūdo hominis, quatenus homo eſt. Liquet eñ
genus humanū neceſſariò euerti extremis fortitudinis, tēperantiæ, liberalitatis & iu
ſticiæ: cōtraqꝫ his ipſis mediocritatib. cōſeruari, nēpe fortitudine, tēperantia, liberali
tate & iuſticia. & quia difficillimū eſt has mediocritates cōſequi, propterea ꝙ natura
ꝓni ſumus ad earū extrema, quòd ijs uidemur nobis magis poſſe uitā cōſeruare, licet
decipiamur: ideo habitus illi qui uerſanť in illis mediocritatib. dicunť principales uir
tutes, ut diximus. Quoniā uerò ſine magnificētia & magnanimitate poteſt ſatis bea
tè degere hominū genus, ideo non dicimus ipſas eſſe uirtutes principales, ſed potius
ornamēta uirtutū. Quare ſi laudamur ex ipſis, hoc fit maximè, ꝗa ſupponūt liberalita
tē, & illā uirtutē quæ uerſať circa honores appetēdos. non igitur ex ſolis ipſis lauda-
mur: quare nō uituperamur etiā ob earū extrema, ſicut ob extrema illarū quatuor uir
tutū. Cōcedimus igitur, magnanimitatē & magnificentiā eſſe uirtutes ex quib. lauda
mur, & habere extrema ex quib. uituꝑamur: ſed dicimus, neqꝫ ſimpliciť ex ipſis nos
laudari, neqꝫ ſimpliciť uituperari: quod uidetur intellexiſſe Ariſtoteles, cū dixit, earū
extrema nō eſſe uitia, neqꝫ afferre opprobria. Vel in anguſtū redigendū eſt quod di-
xit in 2. Ethic. 5. nec ob extrema uirtutū uituperari. Patet etiā diſſolutio alterius quę-
ſtionis, quare tres illæ mediocritates nō ſint uirtutes. nō ſunt eñ: quia nō uerſantur
circa ea quib. difficile eſt reſiſtere. neqꝫ ſunt ita neceſſarię humano generi, neqꝫ ualde
proſunt alijs: quod erat de ratione uirtutis. Et patet etiā, uirtutē nō poſſe eſſe ſine ele
ctione, quia in electione cōſiſtit bonitas & prauitas. Ex quib. omnib. perſpicuū eſt,
diſſolutā eſſe quęſtionē principaliorē: & ita uerū eſſe, cōtinentiam & incontinentiā,
conſtātiam & mollitudinē nō eſſe ꝓpriè neqꝫ uirtutes morales, neqꝫ intellectiuas. Ex
quo deinde ſequebatur, diuiſionē Ariſtotelis poſitam in 2. Ethic. nō eſſe mancā, neqꝫ
mutilatā, ut uidebatur oſtēdere ratio in cōtrariam partē allata: ſed idoneā, artificio-
ſeqꝫ adhibitā. quā tñ, niſi ita dicatur, quod quidē dici poſſe uidentur oſtēdere uerba
Ariſtotelis citata, nō uideo quomodo rectè tueri poſsimus. Quod uerò addebatur
de uirtute heroica, dicerē, ipſam quoqꝫ eſſe uirtutē animi, ſed nō complexū eſſe Ari-
ſtotelē inter uirtutes animi: quia diuiſio uirtutis animi in loco illo intelligebať de uir
tute animi humana, nō diuina. Virtus aūt heroica, eſt uirtus quędā ſupra hominē, ut
uiſus eſt declaraſſe Ariſtoteles in princip. 7. Ethic. loco ſuperius citato, ubi ait: Cōtra 7.Ethic.1.
aūt ipſam feritatē maximè aliquis cōuenire diceret uirtutē quę eſt ſupra nos, heroicā ""
quandā & diuinā. Et paulo pòſt: Quemadmodū eñ belluæ non eſt prauitas neqꝫ ""
uirtus, ſic neqꝫ Dei, ſed aliqua honorabilior uirtute. Perſpicuè igitur patet ex uerbis ""
Ariſtotelis, uirtutē heroicā eſſe uirtutē ſupra nos: quare meritò nō potuit cadere ſub
illā diuiſionē, in qua diuidebatur uirtus quæ eſt in nobis. nō igitur diuiſio illa dici po
teſt māca & mutilata, quia nō cōplectatur heroicā uirtutē: ſiquidē non omnē animi
uirtutē diuidere in animo habuit eo in loco Ariſtoteles, ſed ſolū illā quæ erat in no-
bis: quo poſito, nihil cōcludit argumentū ꝗd uerba Ariſtotelis & noſtrā ſententiam
ulla ex parte labefactet. De amicitia aūt uiſus eſt Ariſtoteles 2. Rhet. 6. ponere eam 2.Rhet.6. &
inter affectus: & in 2. Ethic. 5. enumerauit ipſam inter affectus, & ſic non eſſet uirtus. 2.Ethic.5.
Itē cap. 7. eiuſdē 2. Ethic. uiſus eſt ponere eam inter illas tres mediocritates, quas enu 2.Ethic.7.
meratis uirtutib. enumerauit, quę mediocritates ſunt circa ſocietatē ſermonum & a-
ctionū: & nō uidētur eſſe uirtutes, licet ſint laudabiles: nō eñ numeratę fuiſſent poſt
uirtutes, & tanqꝫ res diuerſæ à uirtute. In 8. uerò lib. in principio dixit, ꝙ amicitia eſt
uirtus aliqua, uel cū uirtute: ſed nō uidetur eſſe uirtus, quia nō cōſiſtit in mediocrita-
te aliquo modo. Etenim uera amicitia nō habet exceſſum & defectū, ſed cū ſit habitus,

non poteſt eſſe paſsio: & cum ſit inter bonos, uidetur eſſe cũ iuſticia, quia boni amãt illos qui amari ſunt digni, & cupiunt illis ea bona quæ ſunt ex ratione, quod proficiſcitur à uirtute, quæ eſt iuſticia. Sed afferamus uerba Ariſtotelis quæ uidentur oſten

8.Ethic.4. dere id quod diximus. ipſe enim 8. Ethic. 4. hæc ſcripta reliquit: Sed dilectio paſsioni
" uel affectui, amicitia aũt habitui ſimilis eſt. Dilectio enim nihil minus & erga inani-
" mata: redamãt enim cum electione, & electio ab habitu eſt: & bona uolunt ijs quos
" amant, illorum cauſa, non ex affectu, ſed ex habitu: & amantes amicũ, quòd ſibi ipſis
" bonum amant. Etenim bonus amicus factus, fit bonum cui eſt amicus. Quare perſpicuũ eſt, amicitiã eſſe habitũ cũ uirtute morali, nẽpe iuſticia, licet ipſa nõ ſit uirtus moralis. Quod cũ ita ſit, meritò Ariſtoteles non cõmemorauit eã inter uirtutes morales, neq; poſuit ante uirtutes intellectiuas. q͞a oportebat ſtatim poſt uirtutes morales uerba facere de recta ratione, quę erat poſita in definitione uirtutis: neq; ante continentiã, ꝓpterea quòd cõtinentia & uirtus heroica ſequebãt̃ ſine aliquo medio uirtutes: & cõtinentia cõſtituebat̃ ex illis: & uidebatur eſſe aliqua illarũ. nõ igitur diuiſio Ariſtotelis uirtutis animi exiſtimãda eſt manca neq; mutilata, quia non cõplexa ſit amicitiã, quæ ꝓpriè loquendo non eſt uirtus moralis, neq; intellectiua, ſed eſt habitus animi, nõ paſsio, qui habitus ſequitur uirtutes morales. nam qui ſunt uirtutib. moralibus præditi, coguntur ex ipſis uirtutib. amicitiam inire, cum poſſunt cum illis qui & ipſi ſunt uirtutib. moralib. ornati. alioquin nõ facerẽt id quod debent: quãdo quidem boni coguntur ex uirtutib. bonos diligere, atq; in eos quoties datur facultas beneficia conferre. quod niſi efficiãt, officio ſuo planè deſunt, & cõtra uirtutes peccant.

Sed urgeret quiſpiam, dicens: Si amicitia eſt habitus, & non paſsio uel affectus, quare duob. locis citatis Ariſtoteles poſuit ipſam inter affectus, & poſtea inter illas tres mediocritates quæ ſunt laudabiles? Licet fortaſſe reſpondere, Ariſtotelem in 4. cap. 2. Rhet. poſuiſſe inter affectus, non ipſam amicitiã, ſed amare & diligere. etenim loco paulo antè citato, dilectionẽ inquit eſſe ſimilem paſsioni & affectui, amicitiam uerò habitui. Quibus uerbis apertè oſtendit, intereſſe inter amare & amicitiam. & quidem amamus inanimata quæ non poſſunt redamare: ipſa uerò amicitia requirit redamationem. Videtur igitur hoc modo eſſe reſpondendum: quod etiam uidetur

2.Rhet. oſtẽdere ipſe Ariſtoteles in 2. Rhet. cũ loqui uellet de hac re. ſic em̃ incepit: Quos aũt
" amãt uel odiunt, & propter quid, amicitiam & amare definientes dicamus. Quibus uerbis ſignificat, ſe loqui de ipſa dilectione, non de amicitia: quam dilectionem dixit eſſe affectũ. & ſi interpretemur hoc modo, nihil abſurdi ſequi ex uerbis Ariſtotelis mihi uidetur. Quòd item amare ſit cum paſsione & affectu, uidentur oſtendere in

2.Rhet.1. eod. 2. Rhet. 1. illa uerba: Non enim eadem apparent amantib. & odio proſequenti-
" bus, neq; iratis, neq; ſe habentib. mãſuetè, uel ualde diuerſa, uel ſecundũ magnitudi-
" nem diuerſa. amanti enim de quo fecit iudicium, uel non iniuriatũ eſſe, uel parũ uide
" tur iniuriatũ eſſe: ei autẽ qui odio proſequitur, cõtrarium. Cum igitur qui amant, & qui odio proſequuntur, aliter iudicent, q̃ iudicarent ſi non amarent, aut odio proſequerentur, ut ſint in affectu neceſſe eſt. ſunt em̃ paſsiones, ut in eodẽ cap. inquit Ariſtoteles, per quas mutati differenter ſe habent homines ad iudicia. Ad locum uerò

2.Ethic.5. 2. Ethic. 5, ubi poſuit Ariſtotelis amicitiam inter affectus, & non amare: dicerem, Ariſtotelem ibi loquutum eſſe de amicitia quadam naturali, qua homines ex natura amant quaſcunq; res: non de amicitia quæ eſt habitus qui oritur ex uirtutibus. Ad ſeptimum autem cap. 2. Ethic. dicimus Ariſtotelem non accepiſſe amicitiam ibi pro-

4.Ethic.13. priè, ſed per ſimilitudinem quandam, ut uiſus eſt ipſe declarare 4. Ethic. 13. ijs uerbis:
" Poſt nonnulla & quòd medium illorum laudabilis eſt, ſecundum quẽ accipiunt quę
" oportet, & ut oportet. Similiter autem ægrè ferant. nomen autem non eſt redditum
" ipſi: uidetur enim ſimilis maximæ amicitiæ. talis autẽ eſt, qui eſt ſecundum medium
" habitum, ut uolumus dicere modeſtum, & amicum aſſumentem amare. differt autẽ
" ab amicitia, quia eſt ſine paſsione & ſine amare illos cum quib. cõuerſatur. nõ enim
" quia amat, uel quia odio proſequitur, ſuſcipit ſingula ut oportet, ſed quia talis eſt.
Perſpicuum igitur eſt, Ariſtotelẽ nominaſſe illam mediocritatẽ amicitiam, nõ quòd ſit uerè amicitia, ſed per quandã ſimilitudinẽ: quod planè eſt id quod nos aſſeruimus.

SECTIO NONA.

SEd ſtatim inſtaret aliquis, dicens; Si uerba Ariſtotelis quę attuliſti oſtendũt mediocritatem

dioeritatẽ illam non dici propriè amicitiam,ſed per ſimilitudinem quandam:at eadẽ
in alia parte euertũt ſentẽtiam tuam, propterea quòd oſtendunt amicitiam eſſe paſ-
ſionem,quod tu negaſti, cum diceres amicos uelle amicis bona nõ ex affectu, ſed ex
habitu.quo poſito,ſequitur,illam mediocritatẽ non differre ab amicitia.ut dicit Ari
ſtoteles,propterea quòd ſit ſine paſsione & ſine amare.hoc enim apertè innuit, ami
citiam eſse cum paſsione & cum amare. Dicerem,amicitiam dici non eſſe ſine paſ-
ſione & ſine amare: quia cum non ſit ſine amare, & amare non ſit ſine paſsione, ipſa
uidetur aliquo modo non eſse ſine paſsione. attamen in ſe nõ eſt paſsio,ſed habitus,
etſi aliquo modo non eſt ſine paſsione, ut dictũ eſt. differt enim, dicere hanc rẽ eſse
paſsionem,& non eſse ſine paſsione:ſiquidem uirtutes non ſunt prudentia, ut uidi-
mus:non ſunt tamen ſine prudentia.nihil ergo contra ſententiam no-
ſtram faciunt uerba Ariſtotelis allata.

FINIS LIBRI NONI EVERSIONIS
Singularis certaminis.

LIBER DECIMVS.

SECTIO PRIMA.

HIs ita in ſuperiore libro explicatis, cui,ne nimium excreſceret,finẽ hoc lo-
co imponendũ ſtatuimus:ad id iam reuertemur unde digreſsi ſumus,inſti
tuti noſtri ſeruandi cauſa:ut ſcilicet interpretemur his libris quæcũq; Ari
ſtotelis loca interpretandi occaſio datur, qualiſcunq; ea ſit. propter infir-
mitatem ualetudinis noſtræ,ut ſuprà diximus.nõ enim uidemur ſperare poſſe, futu-
rum ut poſsimus interpretari ſingulos Ariſtotelis libros, quemadmodum in animo
habemus, ſi per ualetudinem liceret. Reuertẽres igitur ad diſsoluendas quæſtio-
nes magis principales,quę reſtabant:dicimus ad illam quæ arguebãt falſum eſse,uir
tutes morales non indigere experientia & tempore.quia ex definitione ipſarum in-
digebant prudentia, quæ prudẽtia manifeſtè ex uerbis Ariſtotelis indiget experien-
tia:& per id quod neceſsariò ſequitur. longo tẽpore. Ad hanc inquã quæſtionem
dicimus, uirtutem moralem indigere experientia & longo tempore, quatenus indi
get prudentia Quod uerò ad naturã ſuam artinet,non indigere illa experientia & il
lo lõgo tẽpore,& hoc aliquo modo perinde eſſe atq; illud cũ dicitur, Iſoſceles habe-
re tres angulos æquales duobus rectis,at non quatenus iſoſceles,ſed quatenus trian
gulus. Ad confirmationem uerò quæ ſumebatur ex 1.Ethic.3. quo in loco negauit 1.Ethic.3.
Ariſtoteles puerũ eſse idoneum auditorem Politicę,propterea quòd eſset expers a-
ctionũ de quib.agebat Politica:ex quo efficiebatᷣ,ipſam Politicã indigere experien-
tia. Dico Ariſtotelem dixiſse puerũ eſse expertẽ actionũ, quia nullã ipſarũ haberet
cognitionẽ,quę cognitio requirebatᷣ ad audiendã Politicã:ſed nõ negaſſe,poſſe pue
rũ aſſuefieri actionib.quia multis in locis quorũ nõnullos in ſuperiorib. in mediũ ar-
tulimus,uoluit, pueros nõ ſolũ poſſe aſſuefieri bonis actionib.uerùm etiã oportere,
ſi fidẽ debẽt habere ijs quæ tradũtur in Politica. Aliud igitᷣ uidetur eſſe,quòd aliquis
puer ſit idoneus ad audiendã Politicã:aliud, quòd aſſuefiat actionib.quę ſunt ex uir
tute.primũ illud negat Ariſtoteles ineſſe pueris,alterũ omnino ipſis attribuit.quare
nihil cõtra nos facit cap.illud 3.allatũ.Quòd uerò ſubiungebatᷣ,ea quę fierent cõſue-
tudine, indigere lõgo tẽpore: quoniã nõ poſſumus aſſuefieri ijs quæ naturę noſtræ
repugnẽt,niſi lõgo tẽpore,& reliqua quæ ſequebanᷣ in argumẽto:dicerem,uaria ac
diuerſa eſse ea quib.aſsueſcere poſsumus. Alia eñ ſunt naturę noſtrę penitus cõtra-
ria.ut elleborus & uenenũ, & multa alia huius generis,quæ requirũt longũ tempus,
propterea quòd opus eſt ut prius pugnent cũ natura noſtra, & ab ea ſæpe uincãtur,
quod nõ poteſt fieri niſi paulatim & in lõgo tẽpore.& hoc modo intellexit Theo.lo
co citato,cũ de Thraſia uerba faceret.Alia uerò ſunt q̃ non repugnãt naturæ noſtrę,
imò nos ſumus apti nati ad illa,& hęc nõ reqrunt longũ tẽpus: cuiuſmodi ſunt mo-
res & uirtutes,quę etſi reqrũt ipſę etiã tẽpus anteq̃ aſſuefacti ſimus,tñ nõ ita lõgum
reqrunt,ſicut uirtutes intellectiuę,quarũ licet aliquę fiant aſſuetudine,tñ quia fiunt
etiã doctrina,deſiderãt tẽpus magis longũ:Morales uerò poſsunt etiã à pueris acqri
p aſſuetudinẽ, quare nõ requirũt ita lõgũ tẽpus,& paulatim fiunt in ipſis, dũ creſcũt

ſine aliquo labore: propterea quòd quotidie uerſantur in illis, uel poſſunt uerſari,
ſi rectè à pueritia ſint inſtituti. Sed quæ diſcuntur per doctrinam, requirunt longum
tēpus, quia non poſſunt addiſci paruo tempore: ſunt enim penè infinita & obſcura.
Quam rē animaduertens primus omnium magiſter ac philoſophus, protulit, eas uir
tutes quæ habētur per doctrinā, indigere tēpore. quod nō dixit de illis quæ fiunt ſo-
la aſſuetudine, ꝑpterea quòd eæ non ita longo tēpore indigent. nō eñ loquutus eſt
ſimpliciter & abſolutè, ſed in cōparatione: & hoc modo intelligendo, iudicio meo,
nihil dixit Ariſtoteles quod ueritati & ſentētiæ ſuæ repugnet. Cōcedimus eñ, quæ
uirtutes acquirūtur cōſuetudine, indigere ipſas etiam aliquo modo tēpore, non tñ tā
to, quanto indigent intellectiuæ. Erat alia quęſtio, quare uirtutes morales nō dicā
tur intellectiuæ, cū ſint cognitiones uniuerſales, quæ attinent ad intellectū. Ad quā
quæſtionē reſpondemus, cognitionē ipſarum uirtutū attinere ad intellectū, quia eſt
uniuerſalis: ſed habitū uirtutum, quo poſtmodū agimus, eſſe partis animi carentis ra
tione, ſed ei obtēperantis. dictū eſt eñ, fieri poſſe ut habeamus cognitionē uirtutū,
& non habeamus tñ ipſas uirtutes. Itaq; patet, cur morales uirtutes non dicātur intel
lectiuæ, licet earū cognitio attineat ad intellectū. Ad id uerò quod quærebatur,
quare uirtutes morales potius ꝙ cæteræ uirtutes dicātur fieri cōſuetudine, iam patet
reſponſio. Dictū eſt enim hoc ideo eſſe, quia morales ſola cōſuetudine fiunt: cæteræ
uerò non ſolū cōſuetudine, uerùm etiā doctrina. quare meritò morales dicūtur prin
cipaliter fieri cōſuetudine. Cum poſtea quærebatur, quid intereſſet quòd aliæ uir-
tutes fierent experientia, aliæ aſſuetudine: etenī uideri aſſuetudinē nihil aliud eſſe ꝙ
experientiā, & ecōtrario: quia cū aſſueſcimus alicui rei, experimur etiam: & quæ ex-
perimur, dum experimur, illis acquieſcimus. Huic quæſtioni (ſaluo ſemper meliori
iudicio) reſponderē, intereſſe inter aſſuetudinē & experientiam, in hoc quòd expe-
rimur ea quæ non apparent uera nobis: experimur quod in pluribus ſingularibus, ut
cognoſcamus ita eſſe in omnibus. ut uerbi gratia, uidemus ſcamoneam quā Socrati
exhibuimus, purgaſſe cholerā: tñ quia fieri poſſet ut hic effectus profectus eſſet ex a-
lijs cauſis, neq; ob hoc nobis conſtat omnē ſcamoneam purgare cholerā, accipimus
multa alia ſingularia ſcamonee, & plurib. indiuiduis exhibemus, ut uideamus (quod
nobis erat dubium) omnia ſingularia ſcamonee purgare cholerā. quod ubi uidimus,
ſtatim colligimus hanc uniuerſalē propoſitionem, Omnē ſcamoneam purgare cho-
leram. Induximus igitur multa indiuidua ſcamoneæ, non ut aſſuefieremus illis, ſed ut
diſceremus id quod nobis erat dubium. Item, ſi uideamus aliquem triangulum eſſe
ex tribus lineis conſtitutū, uolumus uidere alium, ut intelligamus nunquid eodē mo
do ſit cōſtitutus, & item alium: quos ubi uidimus, colligimus hoc principium, Trian
gulū eſſe figurā tribus lineis conſtitutā. Sed anteꝙ hoc colligeremus, experti ſumus
in multis ita eſſe. quod nobis non erat perſpicuum. Quare dixit Ariſtoteles locis ci-
tatis, etiam principia Mathematicorum fieri in nobis inductione. Sed inducere, hūc
triangulū habere tres lineas, & illū, nihil aliud mihi uidetur eſſe ꝙ uidere in ſingulis
ita eſſe quod erat dictū: hoc aūt idem eſſe quod experiri in ſingulis. Et hoc eſt quod
1.Meta. & 2 dixit Ariſtoteles 1. Meta. & 2. Poſt. locis citatis, Quòd uidelicet ex ſenſu fit memoria:
Poſter. ex memoria aūt multotiens facta, experimentū: multæ enim numero memorię ſunt
,, experimentum uerum: nō enim repetūtur memoria ſingularia, niſi ut uideamus an
,, ita ſit in omnib. indiuiduis: & hoc eſt experiri. ex qua quidē experientia dixit Ariſto
teles naſci in anima uniuerſale, quod eſt principiū ſcientiæ & artis, eo modo quo di-
ximus: iſta ergo eſt experientia. Cæterùm aſſueſcimus aliquib. nō ut addiſcamus illa
tanꝙ dubia, ſed ut fiant in nobis ita ut facilius ipſa agamus. nō enim aſſuefactio pro-
priè eſt niſi in illis quæ ad opus ordinantur: ut, uerbi gratia, ſi aliquis aſſueſcit come-
dere elleborum, incipit comedere hūc, deinde illum, nō ut diſcat elleborū repugna-
re naturæ ſuæ (hoc enim ipſi erat perſpicuum) ſed ut paulatim comedendo, non pa-
tiatur ab illo cum comederit quantū ſibi uiſum fuerit. Et de hac aſſuefactione loquu
tus eſt Theo. loco ſuperius citato: & de hac etiā intellexit Ariſtoteles ſect. 28. Probl.
Sect.28. Probl. probl. 1. cum inquit: Cur aliqui ægrotent, ubi uitam luxurioſam uiuere aſſueti, agere
1.probl. luxurioſè ceſſarunt: ut Dionyſius tyrannus, quòd in urbis ſuæ obſeſſione aliquan-
,, tum temporis à potu ſolito deſtitit, tabe pr otinus interea laborauit.

Aſſueſcimus etiam fidē habere principijs Politicæ, aſſuefaciēdo nos bonis actio-
nibus,

nib. dũ quotidie operamur bonas actiones, & quotidie audimus monita parentum, & proximorum, & doctorum. Item principijs religionum, ut dixit Ariſtoteles 2. Meta. de quo loco in ſequentib. ſermonem habebimus. De hac eadem aſſuefactione intellexit etiam Ariſtoteles 1. Ethic. 5. & 2. Ethic. 1. & 3. & 10. Ethic. ult. Ex quibus perſpicuum eſt, intereſſe inter aſſuefactionem & experientiam, & quomodo.

1. Ethic. 5 & 2. Ethic. 1. & 3. et 10. Ethic. ult.

SECTIO SECVNDA.

SEd ſtatim diceret aliquis, ſi intereſt inter experientiam & aſſuefactionẽ, & principia politicæ habeantur per aſſuefactionẽ, non ergo habebuntur per experientiam. quod ſi detur, tunc non erit uerũ quod dixit Ariſtoteles 1. Meta. & 2. Poſt. principia fieri in nobis ex ſenſu, ex quo fit memoria, & ex memoria experientia, & ex experientia uniuerſale, quod eſt principium artis & ſcientię: quia principia politicę fiẽt in nobis aſſuetudine, nõ experientia. Dicerẽ, ſaluo ſemper meliori iudicio, principia politicæ duob. modis poſſe conſiderari. Vno modo, ex natura ipſorũ, & in ſe: & hoc modo fiunt nota ex ſenſu & experientia, ſicut principia reliquarũ facultatũ. idq; uiſus eſt intelligere Ariſtoteles 1. Ethic. 5. cum inquit: Incipiendũ aũt à manifeſtis. hęc aũt dupliciter: nam alia nobis, alia ſimpliciter: nobis aũt incipiendum eſt ab eis quæ nobis ſunt manifeſta. Vult enim, principia doctrinæ politices eſſe nobis manifeſta. ea aũt ſunt nobis manifeſta quæ ſenſui ſunt nota: ut ex eis quæ dicta ſunt, & quæ dicentur, perſpicuũ eſſe poteſt. Principia igitur politices ex ſenſu fiunt, quare ex memoria: & per id quod neceſſariò ſequit̃, ex experientia, ſicut reliqua principia. Altero modo cõſiderantur, ut in nobis fiunt, & per accidẽs, ita ut eis adhibeamus fidẽ: & tũc dicũtur fieri in nobis aſſuetudine. cuius quidẽ rei ratio eſt, quia licet iſta principia fiant ſenſu, tñ nõ ita claré apparẽt omnib. ſicut principia mathematicorũ, & aliarũ etiã facultatũ: quare opus eſt ut anteq; fidẽ ipſis adhibeamus, pręparemur aliquo modo tanq; ager accepturus ſemina: & ita aſſuefiamus bonis actionib. & ſimus bene morib. inſtituti, alioqn nobis nõ apparerẽt: qa mali mores prohiberẽt ne eis fidẽ adhiberemus, repugnãt em̃ ipſis. Quã ſentẽtiam uiſus eſt aptè indicare Ariſtoteles, cũ poſt uerba citata ſtatim intulit: Quocirca bene morib. inſtitutus eſſe debet, qui de honeſtis & iuſtis, ac deniq; de omni ciuili re eſt cõuenienter auditurus. Principiũ em̃ quod eſt, atq; ſi id ſatis cõſtiterit, nihil amplius erit opus indagare cur ſit: & q eiuſmodi eſt, uel iam habet, uel accipe principia facilè poteſt. Cui uerò neutrũ horum adeſt, Heſiodum audiat hæc dicentem: *Optimus ille, poteſt qui ex ſe cognoſcere cuncta.*

1. Meta. & 2. Poſter.

1. Ethic. 5.

Ille bonus, monitis qui aliorum obtemperat. At qui
Ex ſe nec nouit, nec quæ bene conſulit alter,
Percipit, admittitq; animo, eſt ignauus, inersq;.

Ex priorib. igitur uerbis paulo antè citatis perſpicuũ eſt, Ariſtotelẽ ſenſiſſe, principia politicę eſſe ex ſenſu nobis nota, ex natura ſua: id eſt, quod attinet ad Si eſt, nõ q̃d ad propter quid. Poſteriorib. uerò quæ intulit ex priorib. ſignificat, oportere eum q auditurus eſt politicã, inſtitutũ eſſe & aſſuetũ bonis morib. quoniã qui fuerit ita inſtitutus & aſſuetus, poterit principijs politicæ fidẽ adhibere, ea acquirere cõſuetudine: & ſic illa per accidẽs, nẽpe ratione noſtri indigẽt cõſuetudine. nõ ratione ſui, & fiũt nota ex ſenſu. Cuius quidẽ rei uidet̃ dicere Ariſtoteles hãc eſſe cauſam, quia principium politices eſt quod eſt, id eſt à poſteriori, nõ à priori: nõ igitur huiuſmodi principia ita ſunt perſpicua omnibus ſicut eſſent ex ſimpliciter notis, ut ſunt mathematica principia: quare etſi ſint ex nobis notis, tñ ob cauſam dictã nõ ſunt ita nota, ut eis ſtatim fidẽ adhibeat aliquis, niſi ſit bonis morib. inſtitutus: quia qui talis eſt, nõ deſiderat propter quid, ſed uel habet ipſa principia, uel ab alio facilè accipit. At qui nõ habẽt ex ſe illa principia, neq; accipiũt ab alio, quales exiſtũt qui prauis morib. ſunt inſtituti, ob cauſam dictã nõ poſſunt fidẽ adhibere ipſis principijs, neq; illa acqrere cõſuetudine: quæ eſt poſtmodùm cauſa ut illis fidem adhibeant. atque hi ſanè audiant uerba Heſiodi quę prolata ſunt. Patet igitur, ſenſiſse Ariſtotelẽ, oportere principia politices quæ ſunt etiam ex eis quæ nobis nota ſunt, fieri in nobis aptis natis ad ſuſcipienda ea, ſed perfectis per conſuetudinem. quare dixit ipſa fieri in nobis conſuetudine, non quòd reuera non fiant ſenſu etiam & experientia: ſed quia non ita patent ut poſsint facile credi, niſi ab eis qui bonis moribus ſunt inſtituti, itaq; indigent per accidens aſsuetudine. Etenim qui prauis moribus ſunt inſtituti, licet proferant illa

principia

principia,tamen ipſis non adhibent fidem,propterea quòd prauitas prohibet intel-
lectũ accipere ipſa, & illis acquieſcere. quare cõcedimus, intereſſe inter experientiã
& aſſuetudinẽ: & tamẽ dicimus,principia quę habẽtur per experientiam,haberi etiã
per aſſuetudinẽ, propterea quòd illi ſenſus & illa experientia nõ eſt ex ſe idonea, ut
acquieſcamus ipſis principijs,ſed eſt aſſuetudo quę facit nos illis acquieſcere eo mo
do quo diximus. Quocirca rectè dixit Ariſtoteles, principia aliqua fieri in nobis aſ-
ſuetudine,& nõ experientia.Id tñ quod protulit 1. Meta. & 2.Poſt. Omnia uidelicet
principia fieri in nobis ex ſenſu,quia ex hoc fit memoria, & ex memoria experiẽtia,
& ex experientia ipſa principia,eſt per ſe uerũ.hoc em̃ poſito, nihil prohibet per ac-
cidẽs fieri aliqua principia ex aſſuetudine:quod euenit ex parte noſtri, non ex parte
principiorũ,quæ ex natura ſua omnia oriuntur ex experientia & ex ſenſu. Aliud em̃
eſt loq; de cognitione principiorũ Politices, aliud de cõparatione uirtutũ quæ acq̃ri
1.Prior. nõ poſſunt niſi per aſſuetudinẽ.ſicut uidetur etiã innuere Ariſtoteles 1. Prior. cũ in-
„ quit:Specialiter aũt ſecundũ unũquodq; ſunt plurima generis principia quidẽ, quæ
„ ſunt circa ſingula experimẽti eſt tradere.Dico aũt, ut Aſtrologiam quidẽ,experien-
„ tiam aſtrologiæ diſciplinæ.ſumptis em̃ ſufficienter apparentib.ſic inuẽtę ſunt Aſtro
„ logiæ demõſtrationes.ſimiliter aũt circa aliam quãlibet artẽ & diſciplinã. His enim
uerbis ſignificat Ariſtoteles, principia omniũ facultatũ haberi ex experientia & ex
ſenſu apparentib. quod tamen intelligitur eo modo quo diximus: nihil igitur quod
noſtram ſententiam euertat,concludit argumentum paulo antè contra nos allatum.

Neq; illud quod diximus in 3. lib. Apolog. noſtræ Sect. 1. quòd uidelicet cæteræ
facultates,præter Mathematicã, ſua petunt principia à proprijs experientijs, repu-
gnat ſententiæ noſtræ,quæ fuit, Omnia principia quarumcunq; facultatũ peti à ſen-
ſib.& ab experientia,nã ibi excepimus Mathematicam,non ut ſimpliciter intellige-
remus ipſam non petere ſua principia ab experientia & à ſenſu:ſed quia in compara
tione aliarum facultatum, ut diximus in ſuperioribus, non indiget tot experientijs,
& tot ſenſationibus,quot indigent cæteræ facultates. & hæc fuit eo loco ſentẽtia no
ſtra:alioquin & nobis ipſis,& Ariſtoteli,& ueritati,quod maius eſt,repugnaremus.

Sequebatur alia quæſtio,contra id quod dixeramus,reddẽtes rationem cur pue-
ri poſſent fieri mathematici,non autem ſapientes,neq; phyſici:quia uidelicet princi-
pia mathematica non eſſent dubia,utpote quæ fierent ex abſtractione: principia ue
rò ſapientiæ & phyſicæ nota fierent ex experientia, quæ indigeret longo tempore.
Ad quã quęſtionẽ reſpõdemus,uera eſſe omnia quæ diximus de cognitione puero-
rũ,eo modo quo declarauimus.Quòd uerò cõtrà afferebatur, principia ſapientiæ &
phyſicæ cognoſci ipſa etiã ex ſenſu,& eſſe ex ſe nota: id quidẽ cõcedimus. uerũ quia
non cognoſcũtur ſtatim ex ſenſu,ſed deſiderant ratione noſtri ſenſationẽ longiſſimi
tẽporis,quã nõ poſſunt habere pueri:ideo dicimus,Ariſtotelẽ protuliſſe, pueros nõ
poſſe fieri ſapientes & phyſicos.dixiſſe aũt fieri poſſe mathematicos, quia eorũ prin
cipia ſunt ꝑſpicua ſtatim ex ipſo ſenſu:ea em̃ quæ ſenſu cognoſcũtur, ſunt quidẽ per
ſe nota ex natura ſua,tñ nõ patẽt omnia eodẽ modo.Et quòd hoc ſit uerũ,uideť col-
1.Poſt.18. ligi poſſe ex eis quæ ſcripta reliq̃t Ariſtoteles 1. Poſt.cap.18.ijs uerbis:Neceſſe em̃ eſt
„ ſentire ſingulariter.ſcientia aũt eſt in cognoſcendo uniuerſali. Vnde etſi in luna eſſe-
„ mus, uideremus obieciã terrã, nõ utiq; ſciremus cauſam defectus: ſentiremus enim
„ quoniã deficeret nũc, ſed nõ propter quid omnino. non em̃ eſſet uniuerſalis ſenſus,
„ ſed ex cõſideratione multotiens accidẽte uniuerſale uenãtes demonſtrationẽ habe-
„ mus: ex ſingularib. plurib. uniuerſale eſt manifeſtũ. Et paulo pòſt: Quædã em̃ ſi ui-
„ deremus,nõ utiq; q̃reremus,nõ tanq; ſciẽtes in uidẽdo,ſed tanq; habẽtes uniuerſale
„ ex eo ꝙ uideamus.ut ſi uitrũ perforatũ uideremus, & lumẽ ꝑtranſiens, manifeſtũ u-
„ tiq; eſſet,& propter q̃d illuminat, quoniã uidere ſeparatim in unoquoq;: intelligere
„ aũt ſimul eſt,quoniã in omnib.ſic eſt. Ex quib. uerbis ꝑſpicuè patet, Ariſtotelẽ ſen
ſiſſe, uniuerſale aliquãdo fieri ex plurib. ſingularib. aliquãdo uerò ex uno tantùm ſin
2.Poſt.1. gulari. Quã rẽ indicaſſe etiã uideť 2. Poſt. 1. cũ dixit: Quòd aũt ſit medij quęſtio oſten-
„ diť, quãdocunq; mediũ ſenſibile eſt. quærimus em̃ nõ ſentiẽtes: ut defectus ſi eſt, uel
„ nõ eſt. ſi uerò eſſemus ſup lunã, non utiq; q̃reremus nec ſi ſit, neq; ꝓpter q̃d: ſed ſimul
„ manifeſtũ eſſet. utrũq; ex eo em̃ q̃d ſentimus uniuerſale, factũ eſt ſcire. Sẽſus q̃dem eſt
quod nũc obijciť, & manifeſtũ eſt q̃d nũc deficit. ex hoc aũt utiq; uniuerſale factũ eſt.

Aſſerit

Aſſerit igitur, ex uno ſingulari factum eſſe uniuerſale: cuius rei hæc eſt cauſa, quia illud ſingulare tantam uim habet & claritatem, ut ipſo cognito, putemus ita eſſe in omnibus. Quare conſtat uerum eſſe id quod diximus, uidelicet quæ patent ſenſui, nõ eodem modo patêre omnia, ſed alia celerius, alia tardius. itaq; minorẽ propoſitionẽ concedimus argumenti contra ſententiam noſtram allati: maiorẽ uerò intelligimus ſicut diximus, ex qua poſtmodùm nihil ſequitur contra nos abſurdi. Ad confirmationem etiam ex 6. Metaphyſ. tex. 1. ſumptam dicimus, tex. illum maximè confirmare 6. Meta. 1. noſtram reſponſionẽ: propterea quòd in eo dicit Ariſtoteles, Aliquas facultates uel exquiſitius, uel melius demõſtrare ea quę per ſe inſunt generi, circa quod uerſantur. Quibus uerbis indicat apertiſsimè, quamuis omnes facultates particulares accipiãt ipſum quid eſt, uel ex ſenſu, uel ex ſuppoſitione: non omnes tamen æquè exquiſitè probare ea quæ inſunt ſuis ſubiectis, ſed aliàs exquiſitius & magis neceſſariò: aliàs mollius, id eſt infirmius ac debilius, minusq; neceſſariò. Quod planè mihi uidetur ſententiam noſtrã ſtabilire atq; cõfirmare. etenĩ per eas facultates quę exquiſitius & magis neceſſariò demõſtrant accidẽtia eorũ circa quę uerſantur, intelligit mathematicas: per eas uerò quæ ſimplicius & mollius demõſtrant, cæteras facultates quas nũcupat dialecticas, quia ad demonſtrandum recipiunt accidentia. mathematicæ uerò exquiſitius & magis neceſſariò demonſtrant, quia accipiunt definitiones. Quare inter illa etiam principia quæ habẽtur ex ſenſu, alia ſunt firmiora, alia debiliora. & cum hæc debiliora ſint principia ſapientiæ & phyſicæ: firmiora uerò, id eſt clariora, magisq; neceſſaria, & quę ſtatim apparent ſenſui, ſint principia mathematicæ: nemo admiratione debet affici, ſi Ariſtoteles dixerit, pueros poſſe fieri mathematicos, at non ſapientes & phyſicos.

SECTIO TERTIA.

Sed ſtatim diceret aliquis, tex. ille 6. Metaphyſ. pręter id quod dictũ eſt, uidet̃ omnino etiam difficultatẽ facere, ut qui aſſerit omnes facultates facere ipſum Quid eſt manifeſtum, uel ex ſenſu, uel ex ſuppoſitione: & ex hoc demõſtrare ea quæ per ſe inſunt generi circa quod uerſantur. quod quidẽ à ueritate abhorrere uidetur. Quia ſi ita eſſet, omnes facultates uterẽtur demonſtrationib. ex cauſis ꝓprijs & immediatis.

Conſequentia probatur: quia per Quid eſt intelligimus uerã definitionẽ. igitur ſi demonſtratio ſit ex Quòd quid eſt, erit ex definitione. Sed definitio quæ explicat quid eſt, ut patet, eſt ex cauſis ꝓprijs & immediatis: ergo demõſtrationes quæ ſunt ex his definitionib. erũt ex cauſis ꝓprijs & immediatis. Sed cũ omnes facultates, ut eſt in hoc textu, utantur quod quid eſt, ad demonſtrãda ea quę per ſe inſunt eis circa quæ uerſantur: ergo omnes facultates utẽtur demonſtrationib. ex cauſis ꝓprijs & ĩmediatis. Cõſequens omnẽ doctrinã Ariſtotelis, & ueritatem, & ea quę tu aſſeruiſti paulo antè cõuellit: igitur id unde emanat, falſum eſſe neceſſe eſt. Quòd aũt huiuſmodi cõſequens cõuellit doctrinã Ariſtotelis, ꝑſpicuum eſt. etenĩ repugnat omnib. ijs quę dixit Ariſtoteles in procemio primę philoſophię: quo in loco ꝓbauit ꝑtinere ad philoſophũ naturalẽ, inueſtigare cauſas primas rerũ naturaliũ, ex eo ꝙ tũc ſcimus cũ cauſas cognoſcimus. Quòd ſi cauſæ ꝓximę & propria principia ex quib. habetur quid eſt inueſtigãtur: nõ ergo habẽtur ex ſenſu, neq; ex ſuppoſitione. quæ enĩ habẽtur ex ſenſu uel ex ſuppoſitione, nõ inueſtigãtur. etenĩ inueſtigare & quærere ꝓpriè aliquid, eſt quærere mediũ quo illius cognitionẽ cõſequamur: omnis enĩ quęſtio, eſt medij talis quęſtio, ut patet ex 2. Poſt. cap. 1. Quare cũ prima & naturalis philoſophia ex tex. allato, & ex 1. Metaphyſ. tex. 18. inueſtiget ſua propria principia: ſequitur, ut neutra ipſarum ſupponat illa, uel habeat ex ſenſu. Non ſupponunt etiam definitiones proprias: inueſtigat enĩ philoſophus naturalis animã & corpus, ex quib. fit ſcientia hominis, & ſic de alijs rebus. Igitur non habet illa ex ſenſu, neq; ex ſuppoſitione.

Itẽ falſa eſſent ea quę dixit Ariſtoteles 2. tex. Primæ philoſophiæ, ꝙ ſcilicet innata ſit nobis uia ex notiorib. nobis, & priorib. ad notiora naturę & priora: & ꝙ notiora nobis ſint cõpoſita, naturæ uerò cauſas: & quòd nos ex iſtis cõpoſitis inueſtigemus cauſas. nã cauſæ & principia eſſent nobis notiora: paterent enĩ uel ſenſu, uel ſuppoſitione. Euerterẽtur etiã quę ſcripta reliq̃t 1. Poſt. cap. 11. ubi dixit: Cõuerti magis ea 1. Polit. 11. quæ ſunt in mathematica, q̃niã nullũ accidẽs recipit mathematica ad demõſtrandũ, ſed ipſas definitiones: & in hoc differre ab eis quę ſunt in dialecticis. Quib. uerbis, &

ea etiam

ea etiam quę paulo antè dixerat in eod. cap. perſpicuè patet, ipſum dialecticas u ocaſ-
ſe omnes facultates, pręter mathematicas: quas aſſerit recipere accidentia ad d emon
ſtrandũ, mathematicas uerò recipere definitiones. Quòd ſi cæteræ etiam facultates
reciperent definitiones, ut teſtari uidetur tex. allatus. falſa hęc eſſent quæ ex 1. Poſter.
citata ſunt. Præterea falſum eſt, quòd omne quid eſt habeatur ex ſenſu, uel ex ſup
poſitione: ergo falſum eſt quod dixit Ariſtoteles in tex. citatis ex 6. & 11. Metaphyſ.

1. de Anima text. 11. Probatur id quod antecedit, ex eis quæ ipſe tradidit in 1. de Anima, tex. 11. ad hunc
modum: Videtur aũt non ſolùm quod quid eſt cognoſcere utile eſſe, àd ſpeculandũ
» cauſas accidẽtium in ſubſtantijs (ſicut in mathematicis, quid rectũ, & quid obliquũ,
» & quid linea. & quid planũ, ad cognoſcendũ ꝙ rectis triangulis anguli ſunt ęquales)
» ſed econuerſò accidentia conferunt magnã partẽ ad cognoſcendum quod quid eſt.
» cum enim habeamus tradere ſecundum phantaſiam de accidentibus, aut omnibus,
» aut pluribus, tunc & de ſubſtantia habebimus dicere aliquid. omnis enim demõſtra-
» tionis principium eſt quod quid eſt: quare ſecundũ quaſcunq; definitiones non con
» tingit accidentia cognoſcere, ſed neq; de ipſis imaginari facilè manifeſtum eſt, quòd
» dialecticæ dictæ ſunt & uanæ omnes. His enim uerbis apertè dicit Ariſtoteles, ac-
cidentia plurimùm conferre ad cognoſcendum quod quid eſt. Quòd ſi detur, neceſ-
ſitas cogit ut demus etiam, nõ omne quid eſt haberi ex ſenſu, uel ex ſuppoſitione, ut
aſſerebant tex. allati: quia illud quid eſt quod habetur ex accidentib. non habetur ex
ſenſu, ſed ex demonſtratione. Perſpicuum etiã eſt, mathematicas ſupponere quod
quid eſt, id eſt definitionem, ut quid rectum, quid obliquum: ad demonſtrãdum ac-
cidentia ineſſe ſuis ſubiectis. Quod cum ſecus fiat in alijs facultatib. in quibus (ut ha-
bet tex citatus ex 1. lib. De anima) accidentia conferũt ad cognitionem ipſius quod
quid eſt: fieri non poteſt ut quod dixit Ariſtoteles in 6. & 11. Meta. facultates ſcilicet
accipere quod quid eſt ex ſenſu uel ex ſuppoſitione, intelligatur uniuerſaliter quo-
modo ipſe proferre uidetur. ut igitur perperam ita protulerit neceſſe eſt.

Hæ ſunt quæſtiones contra ea quæ paulo antè dicta ſunt, quas operęprecium eſt
ut diſſoluamus. Sed in primis faciendum uidetur, ut more noſtro interpretemur uer
ba Ariſtotelis allata ex 6. Meta. tex. 1. quæ uidentur difficillima intellectu, præſertim
cum ſint maximi momenti: & ex eorũ etiam explicatione (niſi mea me fallit opinio)
facilius tolli poſsint quæſtiones propoſitæ. Incipit ergo ſic Ariſtoteles illum 6. lib.
» Principia & cauſæ quærũtur entium, manifeſtũ aũt quòd quatenus entia, & quæ ſe-
quuntur. Omiſſa autem continuatione & connexione huius libri cum ſuperiorib.
tum quia longa eſſet, tum quia de ea meminimus aliquo modo in 1. lib. Apolog. no-
ſtræ, tum quia non multũ facit hoc loco ad rem noſtram: dicimus Ariſtotelẽ propo-
ſuiſſe dictam concluſionẽ ut eam probet. & duo facit. in prima parte textus conatur
ipſam probare: in ſecũda uerò parte uidetur tacitæ hominũ cogitationi occurrere ac
reſpondere. Quod attinet ad primã partẽ, inquit: Quæruntur, ſupple in hac ſcientia,
principia & cauſæ entis, quatenus ens. & uolens probare hoc, utitur eadẽ probatio-
4. Meta. 1. ne qua uſus eſt in 4. Meta. tex. 1. ubi cũ dixiſſet, eſſe unã ſcientiam, quæ contẽplaretur
ens quatenus ens, & ea quæ inſunt ipſi per ſe, ipſamq; nulli earũ eſſe eandẽ quę dicũ-
tur cõſiderare res particulares, probauit hoc ex eo: quòd nulla aliarũ ſcientiarũ parti
cularium contẽplaretur uniuerſaliter de ente, ſed abſcindẽtes ſingulæ aliquã partẽ i-
pſius entis contẽplarẽtur de hoc, ſicut mathematicę. Cõcludebat ergo, inter ſciẽtias
dari unã ſcientiam quæ contẽplaretur ens quatenus ens, quę nulli cæterarũ particu-
larium ſcientiarũ eſſet eadẽ. Cõſequentia eſt perſpicua, propterea quòd (ut inter o-
mnes cõſtat) debẽt dari ſcientiæ, quæ cõſiderent omnes res quæ ſunt in uniuerſo, a-
lioquin remanerẽt aliquæ incõſideratæ & ignotæ: quod eſt apud Ariſtotelẽ abſur-
dũ, cũ omnes homines ſcire deſiderent omnes res natura. Cũ igiť in uniuerſo ſit ens,
quatenus ens, ſi nõ cõſideraretur ab aliqua ſcientia, remaneret ignotũ: neceſsitas er-
go cogit ut ſit una aliqua ſcientia quæ contẽpletur ipſum ens, quatenus ens, quę nul
1. Rhet. 2. li earũ quæ partes entis cõſiderant, ſit eadem. Eodẽ modo probauit Ariſtoteles 1.
Rhet. cap. 2. Rhetoricã eſſe facultatẽ cõſiderandi probabilia circa unũquodq;. Hoc
eñ, inquit, nullius alterius artis eſt officiũ. quod oſtẽdit inducẽdo omnes facultates.
Ex quo deinde inferebat, eſſe ipſius Rhetoricæ hoc pręſtare. Quæ cõſequentia non
potuit uim habere, niſi quia reſtarẽt incõſiderata probabilia cõmunia, quod ipſe exi

ſtimabat

ſtimabat abſurdũ.ſed quoniã de hac probatione in ſuperiorib.longũ habuimus ſer-
mone͂,nõ opus eſt plurib. de illa hoc in loco agere. Vtitur igitur Ariſtoteles hoc mo
do probãdi in hoc textu,& ait quæri in hac ſcientia principia & cauſas entiũ, quate-
nus entia. & hoc probat induce͂do omnes facultates particulares, & primò medici-
nã, dice͂s:Etem̃ eſt aliqua cauſa ſanitatis & bonæ habitudinis, quã quęrit,ſupple me- ‹‹
dicina:& etiam mathematicæ facultates habe͂t principia, & eleme͂ta, & cauſas,quas ‹‹
ſupple quęrũt:& omnino omnis ſcie͂tia intellectiua,uel particeps intellectus,eſt cir- ‹‹
ca cauſas & principia,uel exquiſitiora,uel ſimpliciora.ſed omnes iſtę circa unum ali- ‹‹
quod,& deſcribe͂tes genus aliquod de hoc laborãt, ſupple quęre͂do cauſas illius:ſed ‹‹
nõ de ente ſimpliciter,neq; quatenus ens,ſupple quærũt cauſas. Quæ uerba hãc uim ‹‹
mihi habere uide͂tur, ut ſignifice͂t, omne͂ facultate͂ particulare͂ intellectiuã uel partici
pe͂ intellectus, habere cauſas & principia quæ quęrit, & circa quæ uerſatur:ſed nullã
ipſarũ laborare inquire͂do cauſas entis,quatenus ens, ſed cauſas generis ſui determi-
nati.igitur cauſas entis,quatenus ens, quæri ab una aliqua ſcientia. Probatur cõſe-
que͂tia:quia illæ cauſæ reſtare͂t incõſideratæ & incognitæ,& ita ens remaneret inco-
gnitũ. quod quide͂ abſurdũ eſſe,iam diximus. Perſpicuũ igitur eſt, Ariſtotele͂ uſum
eſſe hic eode͂ modo probãdi, quo uſus eſt in duobus locis dictis: eandemq; omnino
eſſe probatione͂,ut diximus : neq; ipſius quid eſt nullã ratione͂ faciunt. Difficile mi-
hi uidetur inducere hæc uerba,ita ut cõueniant cũ ſuperiorib. propterea quòd nõ ui
de͂tur neceſſaria cõcluſioni dictę,neq; probationi.Sed quoniã nõ eſt putandũ,tantũ
philoſophũ,omniumq; ſapientum magiſtrũ,ac planè diuinũ homine͂,uanè & ſine ra
tione loquutum eſſe:operę precium eſt,ut conemur hęc uerba ita inducere, ut quan
tum fieri poteſt cũ ſuperiorib. cohæreant. Dicimus igitur,ſi ſunt uerba Ariſtotelis il
la prima ſecundæ partis,ipſum uideri tacitè hominũ cogitationi occurrere,quę ortũ
ex ſuperiorib. habere potuiſſet. nã quoniam dixerat, omnes facultates particulares
uerſantes circa aliquod genus,laborare circa illud,ſed nõ circa ens ſimpliciter,quate
nus ens, quære͂do & inueſtigãdo cauſas eius generis circa quod uerſarentur:aliquis
potuiſſet dubitare, hoc perperã fuiſſe dictũ. quia uidetur innuere, facultates illas ni-
hil aliud quærere q̃ cauſas ſuorũ generũ,idq; unũ pręſtare:quod uidebatur abſurdũ.
ſiquide͂ præter cauſas quas quærũt facultates ſui quæq; generis, ſunt etiã accidentia
per ſe,quæ oportet cognoſcere.Huic igitur tacitæ hominũ cogitationi fuit(opinor)
Ariſtoteli propoſitũ reſpõdere.ſed quia oſte͂ſurus erat,has facultates,pręterq; quòd
inquirũt cauſas ſuorũ generũ, demõſtrare etiã accide͂tia per ſe: aliquis item potuiſſet
ex ſuperiorib.dubitare, quomodo poſsint demõſtrare has affectiones, quarũ cauſæ
erãt dubiæ,quia quærebãtur:quare ſimul & ſemel uoluit Ariſtoteles his duabus taci
tis hominũ cogitationib.reſpõdere.quæ iudicio meo nõ erãt ſine ratione. nã qui di-
cit,particulares facultates uerſari & laborare in quære͂dis cauſis ſuorũ generũ, uide͂
aſſerere,eas nihil aliud facere,& ita relinquere cognitione͂ accidentium. Qui deinde
ait,eas ipſas facultates demõſtrare accidentia per ſe de ſuis particularib.ſubiectis: cũ
prius dixerit,eas inquirere cauſas ipſorũ ſubiectorũ,quę ite͂ ſunt cauſæ accidentium:
relinquit dubium, quomodo poſsint ipſa accide͂tia demõſtrari.Reſpõdendo igitur
ijs tacitis dubitationib.meo iudicio dicit has facultates nõ redde͂tes rationem ipſius
quid eſt,ſed ex hoc partim manifeſto per ſenſum facto,partim accipie͂tes quod quid
eſt,ſic per ſe accidentia generi circa quod uerſantur demnoſtrare.Et quia aliquis po-
tuiſſet dubitare,nũquid eode͂ modo demõſtrarent omnes,propterea quòd uniuerſa
li quadã cõprehenſione dixerat, omnes accipientes quid eſt demõſtrare per ſe acci-
de͂tia:addidit quaſi reſpõdendo,nõ eode͂ modo demõſtrare omnes, ſed alias demõ-
ſtrare exquiſitius & magis neceſſariò, alias uerò mollius & ſimplicius. Perſpicuum
ergo eſt, Ariſtotele͂ ijs uerbis quæ explicauimus, dicere, facultates dictas probare ac-
cide͂tia per ſe,& probare accipiendo quod quid eſt.& cũ hoc uideatur præter cõclu-
ſione͂ (nihil em̃ uide͂ ptinere ad ipſam, neq; ad probatione͂) cõſentaneũ eſt ut intel-
ligamus, Ariſtotele͂ illis uerbis uoluiſſe tacitæ hominũ cogitationi reſpõdere, alioqn
nihil ad re͂ omnino faceret. In hãc uerò ſententiã,ut ita explicãda putaremus eſſe hęc
uerba Ariſtotelis,etſi primo intuitu uide͂ tacita illa dubitatio magis eſſe debere cir-
ca quid eſt, q̃ circa id quod diximus:impulerũt ea quę ſcripta reliquit Ariſtoteles 11. *11. Metaphyſ.*
Meta.tex.25. ubi poſtq; probauiſset, nullã aliarum particularium facultatũ quærere *tex.25.*

cauſas entis, quatenus ens, ſed eſſe alterā ab his eam facultatem quæ has ipſas cauſas quæreret, ſtatim addidit: Sed dictarū facultatū unaquęq; accipiens aliquo modo ipſum quid in unoquoq; genere, conatur demōſtrare reliqua mollius uel exquiſitius. Et cū dixiſſet, eas accipere quod quid eſt, quia potuiſſet aliquis dubitare, quomodo id acciperēt, ut hāc dubitationē tolleret, ſubiunxit: Accipiunt aūt quod quid eſt, aliquæ quidē per ſenſum, aliæ aūt ſupponētes: id eſt, accipientes ex ſuppoſitione. Quę uerba uidētur ſignificare, tacitā dubitationē nō illā eſſe, ꝙ aliquis principaliter dubitaret, an eæ facultates ipſius quid eſt redderēt rationē, nō eñ uidebatur hoc ad rem pertinere: ſed, nūquid aliud pręter cauſas ſuorū generū quærerēt. nā ſtatim poſt probationē nō dicit, neq; ipſius quid eſt reddūt rationē: ſed inquit, Dictarū ſcientiarū unaquæq; accipiens quod quid eſt, &c. Et patet eum loqui ſuſpēſiuè, quia utitur hoc participio Accipiens. Et cū ſuſpēſio terminetur ad id quod faciunt ſcientiæ, loquitur aūt ſuſpēſiuè de ipſo quod quid eſt, patère uidetur, tacitā illā dubitationē eſſe debere principaliter de modo, quo ſcientiæ demōſtrant accidētia, qui modus eſt per ipſum quod quid eſt. Et cū addat uerbū Reliqua, quod indicat ſcientias oſtēdere aliud etiā præter principia & cauſas, nec fecerit de aliqua re mentionē, præterq; de inueſtigatione ipſorū principiorū & cauſarū, ratio exigere poſtulareq; uidet, ut exiſtimemus eum de accidentib. intellexiſſe. Videtur aūt per illa uerba, Vnaquæq; ſcientiarū dictarū accipiens quod quid eſt, uoluiſſe modū oſtēdere, quo facultates dictæ demonſtrarēt accidētia de ſuis ſubiectis, qui modus potuiſſet uenire in dubiū. & ita uidetur ſimul tradere modū, quo facultates uti debēt in demōſtrandis accidētib. qui modus eſt ex definitionib. quarū nō eſt ratio, ſed accipiuntur ex ſenſu, uel ex ſuppoſitione. Illa etiā uerba quæ ultimo loco citauimus, Accipiunt aūt quod quid eſt, hæ quidem per ſenſum, aliæ aūt ſupponētes: quæ luce clarius cōſtat protuliſſe Ariſtotelē, ut declararet quod dixerat, Vnaquæq; dictarū ſcientiarū accipiens quod quid eſt, præ ſe ferūt manifeſtè, tacitā dubitationē dictā non fuiſſe principaliter propter ipſum quid eſt, ſed propter accidētia demōſtranda. quia cū uſus ſit illo participio Accipiēs, ſignificat loqui ſuſpēſiuè: & cū terminet ſuſpenſionē ad id quòd ſcientiæ demōſtrant accidētia, per ipſum quidē negari nō poteſt, quin principalis dubitatio fuerit de accidentib. & quòd dixerat, Accipiens quod quid eſt, ſolū ut declararet quomodo ſcientiæ demōſtrant accidētia: quod potuiſſet eſſe dubiū, ob ea quę antè dicta erāt. Cū igitur ratio 11. Meta. ſit omnino eadē, quæ illa 6. lib. & cū ipſa clarè tollere uideatur dubitationē dictā: neceſsitas cogit, niſi uolumus tāti philoſophi ſententiam uagā & inconſtantē facere (quod plane eſſet abſurdū) ut intelligamus, Ariſtotelē ꝑ illa uerba, Neq; ipſius quid eſt, & quæ ſequūtur, ſi tñ ſunt uerè Ariſtotelis uerba, uoluiſſe dictā dubitationem amouere: & ſimul modū tradere, quo ſcientiæ utūtur in ijs demonſtrandis quæ accidūt per ſe ſuis ſubiectis. quæ dubitatio ſequebatur conclusionem, quæ erat ponenda: propter tñ ea quæ dicta fuerāt (neq; eñ melius explanari poteſt Ariſtoteles, q̃ ex ſeipſo, quare oportet ut uerba etiā 6. lib. legātur cū ſuſpēſione: nā cū ipſa ſint obſcuriora, redigi debēt ad eum ordinē, quē habent uerba clariora 11. lib. qui ordo eſt ſuſpēſiuus. neq; obſtat quod Ariſtoteles uſus fuerit uerbo Faciunt, & nō participio: quia ſi rectè animaduertatur totus cōtextus, apparebit, hoc uerbū uim habere ipſius participij. quod etiā illud oſtēdit, quia hoc itē loco oſtēdit Ariſtoteles, participiū Accipientes, ac uerbū Demōſtrant, quod apertè terminat ſuſpenſionē) indicat illa uerba, Neq; ipſius quod quid eſt, &c. omnia eſſe cū ſuſpēſione ꝓlata, & ita ordinari ad id quod diximus, Quapropter manifeſtū, &c. Ex dictis infert unū quod appellāt noſtri corolarium, & inquit: Quapropter manifeſtū eſt, ꝙ nō eſt demōſtratio ſubſtātię, neq; ipſius quod quid eſt. eſt aūt hoc manifeſtū ex ea inductione quæ adhibita fuit, id eſt ex eo quod per inductionē oſtēſum fuit, quid eſt haberi uel per ſenſum, uel per ſuppoſitionē. hoc eñ uidetur ſequi: quia illius quod habetur ꝑ ſenſum, nō poteſt eſſe demōſtratio. etenim ſupuacanea eſſet. quandoquidē fundamentū omnis noſtræ ſcientiæ quæ humanitùs cōparatur, eſt ſenſus: & quod accipitur ex ſuppoſitione, non demōſtratur, quia nō ſupponitur niſi id quod ex ſe clarū eſt. Nō eñ appellamus hoc in loco ſuppoſitionē id quod accipitur in facultatib. ſubalternatis, ex facultatib. ſubalternantib. quia nihil prohibet illas eſſe demōſtrationes, ſiquidē nihil ꝓhibet eſſe cōcluſiones in facultatib. ſubalternātibus demōſtratas: ſed uocamus nūc ſuppoſitionē

principia

principia & definitiones illas, quæ ſic apparenr ut nullã omnino ꝓbationem deſide-
rare uideantur, neq; per ſenſum, neq; per intellectũ. nã licet habitæ ſint ex ſenſu & ex
inductione, tñ cũ ſumũtur ut principia ſcientiarũ, ſupponũtur ſine aliquo genere ꝓ-
bationis. De quibus definitionib. mihi uidetur Ariſtoteles intellexiſſe 2. Poſt. 2. ubi 2. Poſt. 2.
ait: Quare manifeſtũ, quòd & ipſorũ quid eſt aliqua quidem immediata ſunt, & prin ““
cipia ſunt, quę & eſſe & quid eſt ſupponere oportet, uel alio modo manifeſta facere. ““
quod quidem Arithmeticus facit: etem̃ quid eſt unitas ſupponit, & quia eſt. Appel- ““
lat em̃ ſuppoſitiones, definitiones illas quæ ſunt principia immediata, & ponũtur in
principio ſcientiarũ ſine aliqua probatione. Per alium aũt probãdi modũ intelligit
ſenſum. huiuſmodi uerò definitiones quæ ſupponũtur, licet habeantur & ipſę ex ſen
ſu, nõ tñ tunc ex ſenſu declarãtur, quia per ſe ſunt perſpicuæ: aliquæ tñ definitiones
ſunt immediata principia, quæ quoniã nõ ſunt ita perſpicuæ, poſſunt aliquo modo
declarari ex ſenſu, uel ex cõmuni modo loquendi hominũ. Talis fuit definitio ſcien-
tiæ in 1. Poſt. & definitio naturæ in 2. Phyſ. de utroq; igitur genere harũ definitionũ,
& in 6 Meta. & in 11. uidet̃ intellexiſſe Ariſtoteles, quarũ definitionũ nullo modo eſt
demõſtratio, ſed eſt alius manifeſtãdi illas modus, q̃ modus dictus eſt ſenſus. Quare
in tex. 6. Meta. cũ dicit Ariſtoteles, eas accipi per ſuppoſitionẽ, ſignificat ſupponi ut
dixit 2. Poſt. loco citato, & 11. Meta. nõ enim poteſt intelligere quod accipiantur ex
ſuppoſitione, tanquam ab alijs facultatibus probatæ. Falſum enim diceret, & pugna
ret cum ſuaipſius ſententia. Exemplum enim geometrę, quod attulit ſecundo Poſt.
loco paulo antè citato, hoc palàm facit: & iſtę appellantur ſuppoſitiones ſimpliciter.

SECTIO QVARTA.

SEd ſtatim diceret aliquis, hos tex. citatos ex 2. Poſter. & 6. Meta. & 11. euertere ea
quæ ſcripta reliquit Ariſtoteles 1. Poſter. 2. ijs uerbis: Definitio enim poſitio eſt. 1. Poſt. 2.
ponit enim arithmeticus unitatem eſſe indiuiſibilem ſecundum quantitatem, ſup- ““
poſitio aũt nõ eſt. Etenim quid eſt unitas, & eſſe unitatem, nõ idem eſt. Item euerte- ““
re illud quod dixit 1. Poſt. 9. ad hunc modũ: Definitiones non ſunr ſuppoſitiones: nõ 1. Poſt. 9.
enim dicũt eſſe, uel nõ eſſe. ſed in propoſitionib. ſunt ſuppoſitiones, ipſas uerò defi- ““
nitiones ſolùm oportet intelligere. hoc aũt nõ eſt ſuppoſitio, niſi audire ſuppoſitio- ““
nem. Quis dicat eſſe? Luce em̃ clarius his locis Ariſtoteles aſſerit, definitiones nõ
eſſe ſuppoſitiones: quibus locis text. allati apertiſſimè repugnare uidentur. diſſentit
igitur manifeſtè Ariſtoteles à ſeipſo: quod planè abſurdum eſt, ac tanto philoſopho
indigniſsimum. Ad hanc quęſtionem diſſoluendã ego dicerem, biſariam conſide
rari poſſe: uno modo propriè, & ut eſt oratio explicans quod quid eſt, & ſic nullo pa
cto eſſe ſuppoſitionẽ: quia ſuppoſitio eſt oratio affirmatiua, uel negatiua: definitio
aũt non eſt neq; affirmatiua, neq; negatiua. Atq; hoc modo intellexiſſe Ariſtotelem
1. Poſt. 2. & 9. ubi dixit, definitiones nõ eſſe ſuppoſitiones. Altero modo cõſiderari 1. Poſt. 2. & 9.
poſſe definitionem, nõ ut eſt definitio, ſed ut eſt oratio in qua dicitur aliquid de ali-
quo: & tũc poſſe definitionem eſſe ſuppoſitionem, quia affirmatiua eſt. & hoc nõ di
xiſſe Ariſtotelem locis citatis, definitiones eſſe ſuppoſitiones: & in 13. cap. 1. Poſt. eſſe 1. Poſt. 13.
affirmatiuas & uniuerſales. & 2. Poſt. 2. hęc ſcripſiſſe: Omne enim quod quid eſt, uni- 2. Poſter. 2.
uerſale & affirmatiuum eſt. Et paulo poſt: Amplius principia demonſtrationũ ſunt ““
definitiones. Deinde: Demonſtrationes autem apparent omnes ſupponẽtes & ac- ““
cipientes quod quid eſt, ut mathematicæ quid unitas, & quid impar. Nihil enim ho- ““
rum poſſunt eſſe definitiones, niſi ſint propoſitiones. Definitiones aũt propriè ſum-
ptæ non ſunt propoſitiones, quia non dicunt eſſe, uel non eſſe: id eſt, non ſunt neq;
affirmatiuæ, neq; negatiuæ, ſed ſunt ſimplices intellectiones, ut dixit Ariſtoteles 1.
Poſt. capitib. citatis, & maximè in 9. cap. ubi inquit: Definitiones enim oportet ſolũ ““
intelligere. & 9 Meta. ſecundum latinos tex. 24. cum ait: An quemadmodum neq; ue ““
rum in his eſt idem, ſic neq; eſſe. Sed hoc quidem uerũ eſt, hoc aũt falſum: hoc em̃ tã- ““
gere, & dicere uerũ. nõ em̃ idem eſt affirmatio & dictio, ſed ignorare eſt non tãgere, ““
decipi aũt circa quod quid eſt, & nõ eſt niſi per accidẽs. ſimiliter aũt circa incõpoſi- ““
tas ſubſtãtias nõ eſt decipi, & quę ſequunt̃. Et 3. de Anima. tex. 26. his uerbis: Am- 3. de Anima
plius dictio aliquid de aliquo, ut affirmatio & uera & falſa. Omnis intellectus aũt nõ text. 26.
omnis, ſed qui eſt ipſius quid eſt, ſecundũ quod aliquid erat eſſe, uerũ eſt, & nõ aliq̃d ““
de aliquo. Sed quẽadmodũ, ſicut uidere propria uerũ eſt; ſi aũt homo albus, aut nõ, ““

non uerũ ſemper. ſic aũt ſe habent, quæcũq; ſine materia ſunt. Hoc idẽ oſtẽdere uidetur 2. Poſt. 2 tex. 19. ad hunc modũ: Amplius omnis demõſtratio aliquid de aliquo demõſtrat: in definitione, nihil alterũ de altero prædicatur: ut neq; animal de bipede, nec bipes de animali, neq; etiam de plano figura. non eſt enim planũ figura. Ex his igitur omnib. tex. & ex ĳs qui prius citati ſunt, perſpicuè patet, definitiones eſſe ſimplices intellectiones: & tũc accipiuntur propriè, ut ſunt definitiones. accipiũtur eñi ut explicãt quid eſt, quod planè eſt earũ aliquo modo ſubſtãtia & eſſentia. nã definitio eſt oratio quę explicat quod quid eſt. Vt igit̃ explicãt definitiones quod quid eſt, nõ eſt in ipſis prędicatũ neq; ſubiectũ. quia non intendimus tũc dicere hoc eſſe hoc, tanq; aliquid diuerſum ab illo: ſed intẽdimus, uerbi gratia, definientes hominẽ eſſe animal rationale, dicere hominẽ eſſe id quod animal rationale: & tũc animal rationale nõ prędicatur de homine, quia omne prędicatũ dicit aliquid diuerſum ab eo de quo prædicatur. ſed in definitione nõ intẽdimus dicere aliquid diuerſum, ſed idẽ: nõ igit̃ ibi eſt prædicatũ, ergo neq; ſubiectũ. & uerbũ Eſt, quod ponitur in definitione, non habet uim uerbi: quia ubi eſt uerbũ, oportet ut ibi ſit prædicatũ, & de quo prædicat̃. Eſt eñi uerbũ, ex 1 lib. Periher. nota eorũ quæ de altero dicũtur. Sed cũ in definitione ut eſt definitio, nõ ſit prędicatũ, ibi ex natura ſua nõ erit uerbũ. Quare ſi ponatur uerbũ in definitione, neceſſe eſt poni ut intelligamus. uerbi gratia, in definitione hominis, hominẽ eſſe id quod animal rationale: ut ſi interrogati qd ſit homo, diceremus, eſt animal rationale: quãq; poſſemus reſpõdere, animal rationale, omiſſo uerbo Eſt. Sed iſta reſpõſio etſi reuera ſit bona, tñ nõ ſatisfacit interrogationi: quoniã cũ quęritur de homine quid ſit, nõ uidetur hoc declarare, niſi addatur uerbũ Eſt, quod ponit̃ quaſi loco huius uocis Id eſt: ut in ipſa definitione hominis, Homo, id eſt animal rationale. Sed quomodocũq; ſit, cũ definimus lineam, & dicimus, quòd eſt lõgitudo ſine latitudine, uerbũ Eſt, ex ſentẽtia Ariſtotelis, nõ ponitur ut eſt ſignũ prædicati: ergo nõ ponitur reuera quatenus uerbũ, ſed ſolũ ut intelligatur quid ſit linea: neq; ponitur ex natura rei. ut ſit ſignũ prædicati, quia natura definitionis hac re nõ indiget: ſed propter noſtrũ modũ cognoſcẽdi, uti diximus. Definitiones igitur, ut definitiones, nõ ſunt ſuppoſitiones. Si uerò nõ intẽdamus explicare quid ſit homo, ſed declarare hominẽ eſſe animal rationale, ita ut prædicetur animal rationale de homine, ut cũ dicimus, Omnis homo eſt animal rationale: tũc definitio amittit naturã definitionis, & fit propoſitio, neq; dicitur amplius definitio uerè, ſed tanq; cadauer definitionis, quod fuit prius definitio. & differt ſpecie à definitione accepta, ſicut cadauer hominis differt ab homine, quòd cadauer dicitur homo, quia eſt cadauer hominis, ut eſt cadauer hominis, quia fuit prius homo: & tũc uerbũ Eſt tenet locũ uerbi in oratione, quia eſt nota eorũ quę de altero dicũtur. Quod ita eſſe, planè intelligitur, ſi addatur ſignũ uniuerſale. quia dicẽtes, Omnis homo eſt animal rationale, nõ iam intẽdimus explicare quid ſit homo: ſed intẽdimus dicere Socratẽ, & Platonẽ, & Ciceronẽ: & ita de ſingulis hominib. eſſe animal rationale. quod quidẽ nõ eſt explicare qd ſit homo, ſed eſt enũciare animal rationale de Socrate, & de Platone. quod nõ ſolùm fieri licet, ſed etiã neceſſe eſt ut interdũ fiat: alioquin nõ poſſemus ſcire de indiuiduis, quæ ſub ſpecieb. cõtinentur, cõuenire eis definitiones ipſarũ ſpecierũ aliquo modo: neq; etiã probari poſſent affectiones per ſe de ſuis ſubiectis, etenĩ tollerẽtur demonſtrationes ex priorib. quoad naturã quæ fiunt ex definitionib. ueris. Quare ſi dandum hoc eſt, ut quidẽ dari neceſſe eſſe oſtẽdunt rationes dictæ, neceſſariò efficitur, ut tũc definitiones ſint propoſitiones & ſuppoſitiones: nõ quòd reuera definitio, ut eſt definitio. ſit propoſitio: ſed quia id quod fuit definitio, eſt propoſitio, uel quia definitio poteſt eſſe propoſitio & ſuppoſitio. & ita ſunt intelligẽdi omnes tex. Ariſtotelis, qui aſſerũt definitiones eſſe ſuppoſitiones, & propoſitiones uniuerſales, & affirmatiuas, & prędicari, ut 1. Poſt. 4. dixit Ariſtoteles his uerbis: Per ſe aũt ſunt, quęcũq; ſunt in eo quod quid eſt, ut triangulo ineſt linea, & lineæ punctũ: ſubſtãtia eñi ipſorũ ex his eſt. Noluit eñi ſignificare lineã, ut explicat quid eſt trianguli, prędicari de triãgulo per ſe. & punctũ de linea: ſed uoluit dicere, illa per ſe prædicari de aliquo, quæcũq; inerãt in eo quod quid eſt, cũ nõ prędicarentur. & ita hęc appellat prædicata in quod qd eſt, quia erãt in quod quid eſt, anteq; eſſent prędicata. quod quidẽ ita dicit̃, ad dignoſcendũ quæ ſunt prædicata per ſe, ab eis quæ nõ ſunt p ſe, Videndũ eſt eñi,

an prius

2. Poſt. 2. tex. 19.

1. Poſt. 4.

an prius fuerint in quod quid eſt. ſi fuerũt, ſunt per ſe cũ ſunt prædicata: ſi nõ fuerũt, nõ erũt per ſe. Eodẽ etiã ſenſu accipienda ſunt ea quę ſcripſit 1. Poſt. 19. ijs uerbis: Amplius ſubſtãtiam quidẽ ſignificãtia quod illud eſt, aut quod idẽ aliqd eſt, de quo prędicãtur ſignificãt. quęcunqꝫ uerò nõ ſubſtãtiam ſignificãt, ſed de alio ſubiecto dicunt, neqꝫ quod id eſt, neqꝫ illud aliquid eſt, accidẽtia ſunt, ut de homine eſt albũ: nõ enim eſt homo neqꝫ quòd albũ eſt, neqꝫ quòd albũ aliquid eſt: ſed animal forſitã. quòd eñ animal eſt, homo eſt: quæcunqꝫ uerò nõ ſubſtãtiam ſignificãt, oportet de quodã ſubiecto ſemper prædicari, & nõ eſſe aliquid albũ, quod nõ cum alterũ albũ aliquid ſit, albũ eſt. Etenim dicit ea prædicata ſignificare ſubſtãtiam, & eſſe idẽ quod ſua ſubiecta quæcunqꝫ priuſquã fierẽt prædicata, ſignificabãt ſubſtãtiam & eſſentiam definiti, & erant idẽ differẽtia tantũmodo: ut manus cõpreſſa & dilatata. Definitio eñ eſt latior: quod aũt definitur, cõtractius: ſed cũ fiunt ꝑdicata, habent rationẽ diuerſorũ. Vt aũt cõſtaret quid intereſſet inter prædicata per ſe, & ea quæ ſunt accidẽtia, dixit prędicata illa quæ ſumpta ſunt ex ſubſtãtia, & ſignificant ſubſtantiam eſſe prędicata per ſe: quæ uerò non ſignificant ſubſtantiam, eſſe accidentia. & hoc neceſſe erat ſcire ad ueras demonſtrationes conficiendas. Quod etiam intellexit 2. Poſter. tex. 45. ſuperius citato, & 1. de Anima tex. 11. cum ait: Omnis enim demonſtrationis principium eſt, quod quid eſt. Quare ſi ita interpretemur Ariſtotelem, ut ratio exigere poſtulareqꝫ uidetur, facilè intelligemus textus Ariſtotelis non ſolùm inter ſe non pugnare, uerùm etiam omni ex parte ualde conſentire & quadrare.

1. Poſt. 19. 2. Poſter. 45. 1. de Anima text. 11.

SECTIO QVINTA.

SEd ſtatim urgeret aliquis, dicens: Ariſtotelẽ 8. Meta. tex. 8. loquẽs de definitione ut eſt definitio, dicit ſermonẽ definitiuũ ſignificare aliquid de aliquo: ergo falſum eſt quod tu dixiſti, definitionẽ ut eſt definitio, nõ ſignificare aliquid de aliquo. Ariſtotelis aũt ſunt hæc uerba: Quare ſubſtãtiæ eſt cuius cõtingit eſſe definitionẽ & rationẽ, ut cõpoſitè, ſiue ſit ſenſibilis ſiue intelligibilis. ex quib. aũt ipſa primùm nõ eſt, ſiquidẽ aliquid de aliquo ſignificat ſermo definitiuus, & oportet aliquid tanꝗ materiam eſſe, aliud aũt tanꝗ formã. Itẽ contrà inſtaret quiſpiam hoc modo: Tu aſſeruiſti omnes Ariſtotelis tex. qui habẽt, definitiones eſſe principia demõſtrationũ, item eſſe ſuppoſitiones, eſſe uniuerſales, & affirmatiuas, & eſſe propoſitiones: intelligi oportere nõ de definitionib. ut ſunt definitiones, ſed tanꝗ de cadauerib. ipſarũ definitionũ, quæ cadauera dicũtur definitiones, quia fuerũt definitiones: itaqꝫ cũ dicitur ſimpliciter & abſolutè definitionẽ eſſe propoſitionem, intelligi debere, id quod erat definitio, eſſe propoſitionẽ, uel ipſam definitionẽ eſſe propoſitionẽ, quia poteſt eſſe propoſitio. Sed hoc uidetur repugnare Ariſtoteli, qui 1. Poſt. 2. loco ſuperius citato dixit, definitionẽ ut definitio eſt, eſſe poſitionẽ, & poſitionẽ eſſe principium ſyllogiſticũ: principium aũt ſyllogiſticũ quin ſit propoſitio, in dubium uenire nõ poteſt. unde omnino efficitur, definitionem ut definitio eſt, eſſe propoſitionẽ: quod euertit ea quæ à te dicta ſunt. Quòd aũt ita ſit, planè intelligi licet ex ipſis uerbis Ariſtotelis, quę ita ſcripta reliquit: Immediati aũt principij ſyllogiſtici poſitionẽ dico, quã nõ eſt mõſtrare, neqꝫ neceſſe eſt habere docendũ. quidquam aũt neceſſe eſt habere docendũ quodcunqꝫ, dignitatẽ. Sunt aũt quædã talia: hoc eñ maximè in talib. cõſueuimus dicere. nomẽ poſitionis aũt, quæ eſt utrãqꝫ partẽ enunciationis accipiens, ut dico eſſe aliquid, uel nõ eſſe aliquid, ſuppoſitio eſt. quæ aũt ſine hoc, definitio. definitio eñ eſt poſitio: ponit enim Arithmeticus unitatẽ eſſe indiuiſibilẽ ſecundũ quantitatem. ſuppoſitio aũt non eſt: quid enim eſt unitas, & eſſe unitatẽ non idẽ eſt. Quibus uerbis perſpicuum eſt, Ariſtotelẽ accipere definitionẽ ut eſt definitio, quia accipit ipſam quatenus neqꝫ eſt affirmatiua, neqꝫ negatiua, & in hoc uult eam ſeiungi à ſuppoſitione, & tamẽ definitionẽ hoc modo ſumptã ponit ſub poſitione, & poſitionẽ ſub principio ſyllogiſtico: efficitur ergo neceſſariò, ut definitio quatenus definitio, ſit ponẽda ſub principio ſyllogiſtico. principium aũt ſyllogiſticũ eſt propoſitio: igitur definitio ut definitio, & non ut cadauer definitionis, erit principium ſyllogiſticũ, & ſic propoſitio. Ea igitur quæ à te dicta ſunt, uidẽtur à ſentẽtia Ariſtotelis penitus abhorrere, omniqꝫ ex parte repudianda eſſe. Præterea ſi definitio ut definitio, nõ eſt propoſitio: ergo nõ poſſumus uenari ſcientiam ipſius quid eſt per primã figuram. Probatur conſequentia: quia omne quod concluditur per ſyllogiſmum, eſt propoſitio:

1. Poſt. 2.

definitio non eſt propoſitio: ergo non poteſt concludi per ſyllogiſmũ, ergo nõ poſſumus ipſam uenari per ſyllogiſmum, & per cõſequens ſcientiam ipſius quid eſt per primam figuram: quia quod non poteſt concludi per ſyllogiſmum, non poſſumus id uenari per ſyllogiſmum.

Sed conſequens à ſententia Ariſtotelis abhorret, ut perſpicuum eſt ex eis quę ſcri-
1. Poſt. cap. 13. pta reliquit 1. Poſt. 13. text. 70. ad hunc modum: Poſtea ipſius quid eſt ſcientiam per
tex. 70. hanc ſolam figuram uenari poſsibile eſt. in media enim figura non fit categoricus ſyl
» logiſmus. Sed ipſius quod quid eſt ſcientia eſt affirmationis. in ultima fit quidem, ſed
» non uniuerſaliter: ſed id quod quid eſt, uniuerſalium eſt: non enim aliqua ex parte ho
» mo eſt animal bipes. Iis enim uerbis patet, Ariſtotelem uelle, inquiri poſſe quod quid eſt per primam figuram. falſum ergo eſt: conſequens ergo falſum eſt, & id quod antecedit: ergo definitio eſt propoſitio. Patet etiam, Ariſtotelem aſſerere quod quid eſt, ut tale, eſſe uniuerſale: quia declarans hoc, Non enim (inquit) quodam modo eſt animal bipes homo. ubi ponit definitionem, ut exprimit quid eſt homo.

Item, quod quid eſt, non poteſt haberi ſenſu: ergo id quod dictum fuit in ſuperioribus ex 6. Meta. tex. 1. & ex 11. Meta. tex. 25. & 2. Poſt. quod ſcilicet poteſt haberi ſenſu, falſum eſt: pugnat igitur Ariſtoteles cum ſuaipſius ſententia.

Id quod antecedit, probatur ex 2. Poſt tex 34. cum dicit: Non enim demonſtrabit ſenſu uel digito. quaſi dicat, hoc fieri non poſſe.

SECTIO SEXTA.

HAec ſunt, quibus euerti uidentur ea quæ ſuprà dicta fuerunt. ſed quoniam opinamur, ea quæ diximus ueritati & Ariſtoteli planè conſentire, operæpreciũ eſt ut diſſoluamus quæſtiones propoſitas. Quare ad primã reſpõdentes concedimus, Ariſtotelẽ in loco 8. Meta. citato, loqui de definitionib. ut ſunt definitiones: quia propoſitum eſt ei oſtendere, licere definire. quod negabant ij qui Antiſthenis doctrinã ſequebantur, argumentantes hoc modo: quòd definitio eſſet oratio longa, id eſt quę haberet partes ex quibus erat cõfecta, & quòd poſtmodùm oporteret definire illas partes, & ita proficiſci in infinitum in definiendo: quod cũ fieri non poſſet, ideò non licere definire & explicare quod quid eſt, ſed tantùm dicere quale quid eſt: ut argentum non poſſe cognoſci quid eſſet, ſed tale eſſe quale eſſet ſtannum. Huic igitur argumentationi uidetur eo in loco reſpondere Ariſtoteles, dicens, quòd cuiuſdam ſubſtantiæ, uidelicet cõpoſitæ, ſiue ſit ſenſibilis, ſiue intelligibilis definitio, ratio eſſe poteſt ſed eorũ ex quib. eſt ipſa definitio conſtituta, non poteſt, quia ſunt ſimplicia. definitio aũt ſignificat aliquid de aliquo, id eſt formã de materia: quia oportet in definitione eſſe aliquid quod habeat rationẽ materiæ, & aliquid quod habeat rationẽ formæ. quare cũ in deſcriptione partium definitionis non poſsit eſſe aliquid quod ſe habeat ut materia, & aliquid ut forma, quia ſunt ſimplices, fieri nõ poteſt ut definiantur: & ita non eſt neceſſe proficiſci in infinitũ, ſed conſiſtendũ eſt in partibus deficientib. quia definiri non poſſunt, ob eam cauſam quæ dicta eſt. Patet igitur, Ariſtotelem, cũ dixit definitionẽ ſignificare aliquid de aliquo, non intellexiſſe definitionẽ eſſe prædicatũ: (hoc enim euerteret ea quæ alibi multis locis dixit) ſed uoluiſſe dicere, ut ipſe ſeipſum declarauit, in definitione eſſe aliquid quod ſe habet ut materia, & aliquid ut forma. hoc enim ad rem pertinebat: ad quam nihil faciebat dicere, quòd in definitione eſſet prædicatum de ſubiecto. dixit autem, loquens de materia & forma, quæ ſunt in definitione, quòd definitio ſignificat aliquid de aliquo, quia materia habet rationẽ ſubiecti, forma uerò prædicati. Forma enim eſt illa quæ recipitur, & materia quæ recipit: quare tex. allatus ex 8. Meta. nihil habet contra Ariſtotelem, quod eius inconſtantiam oſtendat, quia intelligitur eo modo quo diximus.

Sequebatur argumentũ quod maximè uidetur exercuiſſe ingenia doctiſsimorũ interpretũ, & in primis Themiſtij, qui non eſt auſus ipſum diſſoluere, ſed reliquit (ut inquit ipſe) alijs penſiculandũ. Dicerẽ igitur, ſaluo ſemper meliori iudicio, definitionẽ, ut definitio eſt, ex uerbis Ariſtotelis nõ eſſe actu, neq; principium ſyllogiſticũ, neq; propoſitionẽ, ſed ſolũ potẽtia: quia ſcilicet definitio, ut definitio, poteſt fieri ꝓpoſitio, & deinde principiũ ſyllogiſticũ. quod ex eis quæ dicta ſunt, ſatis patêre arbitramur. Non negamus quidẽ Ariſtotelẽ loco citato, ubi diuidit principiũ ſyllogiſticum in poſitionẽ & dignitatẽ, & poſitionẽ in definitionẽ & ſuppoſitionẽ, accepiſſe

definitionem

definitionẽ ut definitio eſt, quia accepit ipſam ut ſeiungitur à ſuppoſitione, quod eſt quatenus eſt definitio. accepit em̃ quatenus nõ dicit eſſe uel nõ eſſe, cũ diceret quod ſuppoſitio dicit eſſe uel nõ eſſe. Negare etiam non poſſumus, ſequi ex illa diuiſione, definitionẽ eſſe principium ſyllogiſticũ, ut ibi accepta eſt. Sed tñ niſi uelimus quòd Ariſtoteles, qui fuit philoſophorũ omnium quorũ noticiã habemus in doctrina ſua cõſtantiſsimus & prudẽtiſsimus, ſit in paucis uerbis omnium incõſtantiſsimus atq; imprudentiſsimus, cogimur eius uerba ſic interpretari, ut intelligamus eum ſenſiſſe, definitionem eſſe principium ſyllogiſticum eo modo quo fieri poteſt, ut dicatur uerè principium ſyllogiſticum. quod quidem dici non poteſt, ut definitio eſt, niſi quia, ut oſtendimus, poteſt eſſe principium ſyllogiſticum, non quia actu ſit tale.

Quòd ſi detur, ut quidem dandum eſſe omnino arbitramur, dicendum eſt neceſſariò, principium ſyllogiſticum diuiſum in eo loco fuiſſe acceptum, ut complexu ſuo contineat & cohibet tam id quod eſt actu principium ſyllogiſticũ, q̃ id quod eſt potẽtia. alioquin nõ cohererẽt inter ſe uerba Ariſtotelis, ſed maximè pugnarẽt. Neq; hoc abſurdũ eſſe, declarauimus in noſtra Inſtitutione in lib. Poſt. ſect. 3 ijs uerbis: Neq; uerò abſurdũ eſt, ſi id quod eſt potẽtia aliquid, dicat̃ eſſe illud ipſum quod eſt potẽtia. nã quod uel potẽtia, uel reipſa uidet, uidens dicitur eſſe: itemq; quieſcere tam id cui quies iam ineſt, q̃ id quod quieſcere poteſt. Et in 5. lib. Apolog. noſtræ, ad quos locos me reijcio. Eodem igitur modo eſt intelligendum, definitionem eſſe propoſitionẽ, quia poteſt eſſe propoſitio. Quòd ſi ita intelligat̃, perſpicuè patet, nihil ſequi quod euertat ea quæ dicta ſunt: quia diximus, definitionem ut eſt definitio, non eſſe propoſitionẽ actu: & hoc uerìſsimũ eſt: ac tum quidẽ nõ eſt ut cadauer definitionis, quia eſt ut definitio: cum uerò dicimus definitionẽ eſſe principium demõſtrationis, ut cũ ingreditur demonſtrationẽ, cogimur intelligere cadauer definitionis, quia eſt id quod fuit definitio. Bifariam igitur poſſumus intelligere definitionẽ eſſe principium demõſtrationis, & propoſitionẽ: uno modo, ut eſt definitio, & ſic dicitur principium demonſtrationis, uel ſyllogiſticũ, quia poteſt fieri principium demonſtrationis. altero modo, definitionẽ eſſe principium demonſtrationis, quia id quod eſt principium actu demõſtrationis fuit definitio. & hoc modo intelligendo, omnes Ariſtotelis tex. nobis uidentur inter ſe & cũ ueritate cõſentire. Quare nõ uideo cur Themiſtius nõ potuerit ſoluere hãc difficultatẽ, ſicut nos ſoluimus: quã quidẽ ſolutionẽ cogimur adhibere, niſi uelimus tãti philoſophi nomẽ & exiſtimationẽ ſine grauiſsima ratione omni ex parte uiolare, faciẽtes eum in paucißimis uerbis incõſtanter atq; imprudẽter à ſeipſo diſſentientẽ & diſcrepantẽ, quod eſt facinus omniũ indigniſsimũ.

Erat alia difficultas: quia ſi definitio ut definitio nõ eſſet propoſitio, uidebatur ſequi, non poſſe nos uenari ſcientiam ipſius quod quid eſt per primam figuram. Ad quam difficultatẽ reſpondẽtes, negamus conſequentiam. Ad probationẽ concedimus, concluſionẽ omnis ſyllogiſmi eſſe propoſitionẽ: & id quod nõ eſt propoſitio, nõ poſſe cõcludi per ſyllogiſmũ: itaq; definitionẽ ut eſt definitio, nõ poſſe cõcludi p ſyllogiſmũ. Quod oſtendũt etiam rationes omnes, quib. uſus eſt Ariſtoteles 2. Poſt. 2. ad probandũ quod quid eſt nõ poſſe haberi per demonſtrationẽ. Negamus tñ ſeq; ex hoc, ut nõ poſsimus per primam figurã uenari ſcientiam quid eſt: dico aũt uenari, non cõcludere ipſum quid eſt. quia ut diximus in ſect. 6. Inſtitutionis noſtræ, in 1. Poſter. & in 4. lib. Apolog. ſect. 5. prima figura cõcludit animal rationale ineſſe omni homini, ut prædicatum, non quatenus explicat quid eſt hominis, cum ſcilicet eſt ignotum. quod mox conſiderantes, intelligimus eſſe ſubſtãtiam hominis: quia cognoſcimus ſubſtantiam (uerbi gratia) hominis non poſse aliam eſse, præter illam: non tamẽ propriè ipſum quid eſt habetur ex demonſtratione. atq; ob hanc quidem cauſam mihi uidetur Ariſtoteles dixiſse 1. de Anima, tex. 11. in ſuperioribus citato, Accidentia magnam partem conferre ad ipſum quid eſt. Et non dixiſse quòd ipſum demonſtrant. quia ex accidentibus concludimus animal rationale ineſse homini, propterea quòd homo ſentit & intelligit: & ex illa concluſione poſtmodùm diſcurrimus, nihil poſse eſse ſubſtantiam hominis præter animal rationale: & quia prima figura dat nobis hanc occaſionem ex concluſione uniuerſali & affirmatiua. nam ſi non uniuerſaliter & affirmatiuè animal rationale diceretur de homine, non concluderetur ineſse homini, nunquam enim putaremus illud poſse eſse ſubſtantiam hominis propriam:

1. de Anima text. 11.

s 4 quod

quod neceſſarium eſt ad hoc, ut ſit idem quod homo. quoniam id quod alicuius ſub-
ſtantia, ineſt ei per ſe: quod aũt ineſt per ſe alicui, conuenit omni. Quia igitur dat no-
bis prima figura hanc occaſionẽ, proptèrea exiſtimamus Ariſtotelem aſſeruiſſe, per
primam tãtum figurã fieri poſſe ut uenemur ſcientiam ipſius quod quid eſt. & uſum
fuiſſe hoc uerbo Venari, & non Concludere: quia non concludimus ipſum quid eſt
per primam figuram, ſed uenamur: quandoquidem ex concluſione primę figuræ cõ
ſiderantes inuenimus ipſum quid eſt: & hoc modo uenamur omnes definitiones re-
rum naturalium, quia ex accidentibus ipſarum concludimus per demonſtrationem
cauſas quæ propriè illas conſtituunt: ex cuius demonſtrationis occaſione deinde co
gitantes uenamur rerum definitiones, ut diximus. Quare uidetur demonſtratio
1.Poſt.18. ſe habere ad quod quid eſt, ſicut dixit Ariſtoteles 1. Poſt. 18. ſuperius allato: ſenſum ha
bere ſe ad ſcientiam, qui non facit ſcientiam, ſed eſt occaſio ſcientiæ. ita enim demon
ſtratio nõ facit ſcientiam ipſius quod quid eſt, ſed præbet occaſionem cognoſcendi
ipſum. Atq; ita ſanè interpretando uerba Ariſtotelis, tollitur omnis difficultas. nihil
enim obſtare uidetur, quo minus omnia inter ſe omnino cohæreant, & cum ipſa ueri
tate cõſentiant. Soluta igitur uidetur iam ratio contra nos allata. Ad id uerò quod
poſtremo loco afferebatur, reſpondemus, concedentes ipſum quid eſt non poſſe ha-
beri per ſenſum. negamus tñ cõſequentiam. Ad probationẽ aũt dicimus, Ariſtote-
lem in locis citatis ex 6. & 11. Meta. & 2. Poſt. lib. accepiſſe definitionẽ: & quod quid
eſt non propriè, ſed ut ſunt principia demonſtrationũ, & pro eo quod fuit actu defi-
nitio, & quod quid eſt. & hoc patet, quia in 6. Meta. dixit, ut uidimus quòd ſcientiæ
accipiunt quod quid eſt per ſenſum, & demonſtrant ea quæ per ſe cõpetunt generi
circa quod uerſantur. Concedimus aũt, definitionẽ & ipſum quod quid eſt hoc mo-
do acceptũ, haberi poſſe per ſenſum, nõ tñ ut actu eſt definitio, & quod quid eſt. hoc
enim eſt illud quod negauit Ariſtoteles 2. Poſt. & nos quoq; qui eius doctrinã quan
to poſſumus ſtudio ſectamur, negamus. Sed anteq̃ ulterius procedamus, notãda
ſunt nõnulla in uerbis Ariſtotelis, quorũ unum eſt, quòd illa uerba (Neq; ipſius quid
eſt aliquam rationem faciunt) quæ ſunt in text. 1. 6. lib. Meta. non ſunt in 11. Meta. tex.
25. quo in loco poſuit eandem rationem. ſed ſunt tantùm hæc uerba, quę etiam allata
» ſuperius fuerunt: Dictarum autem ſcientiarum unaquæq; accipiens aliquo modo
» quod quid eſt, in unoquoq; genere conatur demonſtrare reliqua mollius uel exqui-
» ſitius. accipiunt autem quod quid eſt, alię quidem per ſenſum, alię per ſuppoſitionẽ.
» Ex quibus uerbis intulit hæc: Quapropter & manifeſtũ eſt ex tali inductione, quòd
» ſubſtantiæ & ipſius quid eſt non eſt demonſtratio, & nõ ex illis neq; ipſius quid eſt
» faciunt rationem aliquam. Itaq; uidentur hæc ipſa uerba ſuperuacaneè addita fuiſſe
in tex. 1. lib. 6. Confirmatur etiam, quia uidetur bis idem dicere. nam aſſerere, nul-
lam ſcientiam reddere rationem ipſius quod quid eſt, nihil (mea quidem ſententia)
uidetur eſſe, quàm dicere, nullam ipſius quid eſt eſſe demonſtrationem. non enim fie
ri poteſt, ut eo in loco per rationem intelligat aliud quàm demonſtrationem. Illa
quoq; uerba, Sed alius modus manifeſtæ demonſtrationis, non ſunt in tex. 25. unde-
cimi libri: & mihi etiam uidẽtur ſuperuacanea: quia iam dictum erat de modo mani-
feſtandi quid eſt per ſenſum: non opus igitur erat illum repetere. Mutanda uiden
tur etiam in textu ſexti Methaphyſ. illa uerba: Quapropter manifeſtum eſt, quòd
non eſt demonſtratio ſubſtantiæ, neq; ipſius quod quid eſt. uidetur enim his uerbis
Ariſtoteles ſignificare, ſubſtantiam aliud eſſe ab ipſo quod quid eſt: quod non uide-
tũr uerum. quia ſubſtantia & eſſentia, quod explicatur per definitionem, eſt ipſum
quod quid eſt. Itaq; longè melius in undecimo Meta. leguntur eadem uerba hoc mo
» do: Quapropter & manifeſtum eſt ex tali inductione, quòd ipſius ſubſtantiæ, & ip-
» ſius quod quid eſt non eſt demonſtratio. Vbi Quod quid eſt uidetur poni tanquam
ſynonymum ipſi ſubſtantiæ: quibus ſynonymis utuntur etiam ſcientiæ aliquando
gratia maioris declarationis. Concludo autem, mihi magis probari textum uige-
ſimumquintum undecimi libri, in quo non ſunt uerba dicta, quàm textum primum
ſexti Metaphyſ. in quo ſunt. non enim ſunt multiplicanda uerba ſine neceſſitate.
Hæc uolui animaduertetere, aliorum tamen ſit iudicium. Simili modo, neque ſi
ſit. Hæc item pars text. non reperitur in 11. Metaphyſ. licet Ariſtoteles utatur ibi ea-
dem ratione qua hic, atq; ijſdem ferè uerbis. & ſanè, iudicio meo, non multum facit

adrem

ad rem: quoniam, uti diximus, pars ſecunda tex.6. Meta. reſpōdebat quibuſdā tacitis dubitationib. & in primis ei quam diximus, per occaſionē uerò alteri. Itaq; minimè uidetur neceſſe fuiſſe hoc loco Ariſtotelē declarare, quòd ſimiliter nihil dicūt de ſubiecto, circa quod laborāt facultates propriè: præſertim cū id etiam quod ait, ingētes uideatur habere difficultates, ut uidebimus. Sed quoniā in libris Græcis & Latinis reperiuntur iſta uerba, & explanationes ab illuſtrib. expoſitoribus, faciendū etiam à nobis putauimus, ut ea ipſa (quantū quidem opera noſtra fieri poterit) explicemus. Grauiſsimū em̄ ſemp̄ duximus, ne tantillū quidē Ariſtotelis tex immutare, ſine maxima & grauiſsima cauſa. Dicimus igitur, quòd Ariſtoteles, cū dixiſſet ſcientias particulares nullā facere rationē ipſius quod qd eſt, in hac etiā parte uult exponere aliud, quod nō faciunt ſcientiæ dictæ: & innuit, quòd ſicut nō faciunt rationē ipſius quod quid eſt, ſimiliter etiam nihil dicūt utrū ſit nec ne genus circa quod laborāt. & reddit rationē dicens, quòd eiuſdē mentis eſt declarare & facere manifeſtū quid eſt, & ſi eſt hoc: Quæ uerba uidentur habere nō paruas difficultates. Primò, quòd attinet ad eorum inductionē, eſt dubitandum, quia inducuntur ad ea quæ non ſunt in tex. 11. Meta. & in hoc ipſo loco non ſunt poſita principaliter: quia concluſio principalis fuit, q̇ ſcientiæ demonſtrant per ſe accidentia de ſubiecto, circa quod uerſantur accipientes quod quid eſt, uel ex ſenſu, uel ſupponentes, cui concluſioni erant accōmodanda uerba dicta. Sed cum non uideantur poſſe accōmodari, reſtat ut ſine nefario ſcelere liceat exiſtimare ea eſſe ſuperuacanea. aliorum tamen, ut diximus, ſit iudicium.

Sed quod maximè uidetur urgere, eſt, quia dicit Eiuſdē mētis eſſe declarare quid eſt. & ſi eſt hoc. Etenim hoc uidetur omnino à ratione abhorrere. nā uidetur ſequi, ut ſi aliqua facultas quam in hoc loco appellat mentem, manifeſtū faciat quid eſt, uerbi gratia homo, manifeſtū etiam faciat ſi eſt homo. ac rurſus, ſi faciat manifeſtū ſi eſt homo, faciat etiam manifeſtum quia eſt homo: & ita de alijs. Sed hęc aſſerere, mihi quidem nihil aliud eſſe uidetur, quàm totius primæ & naturalis Philoſophię & aliarum facultatum rationem omnem & naturam euertere ac tollere. etenim philoſophia naturalis manifeſtum facit quid eſt homo, eo tamen modo quo diximus, & ita de alijs ſpeciebus ſpecialiſsimis ſubſtantiæ: nō tamen facit manifeſtum ſi eſt uel non eſt homo. ſed ſupponit ipſum eſſe. quod ſi daretur, falſum illud eſſet, quod tamen uerisſimum eſſe perſpicuum eſt, uidelicet primam philoſophiam contemplari ens, quatenus ens, & quòd hoc ſequatur, uidetur hoc modo colligi poſſe. Qui cōtemplatur aliquid eſse ut eſt, cōtemplatur ens quatenus ens. hæc perſpicua eſt. Philoſophia naturalis contemplatur ex dictis, uerbi gratia, hominem eſse ut eſt, quia contēplatur ſi eſt uel non eſt, & ita de alijs: ergo philoſophia naturalis contemplatur ens quatenus ens. Sed hoc uniuerſam primā philoſophiam deſtruere, in multis ipſius locis, & perſpicuè in lib. 4. 6. & 11. teſtatum reliquit Ariſtoteles: igitur falſum eſt, & à ratione prorſus alienum, philoſophiam naturalem manifeſtum facere ſi eſt, uel non eſt aliquid.

Præterea ſi ipſa contēplaretur ens, quatenus ens: neceſsitas cogeret, ut contēplaretur etiam cauſas entis, quatenus ens. Cōſequentia etſi ex ſe eſt perſpicua, quia neceſse eſt ut qui cōtemplatur aliquid, contempletur eius cauſas (tunc enim ſcimus, cū cauſas cognoſcimus) ſicut econtrario ualet, quòd qui contemplatur cauſas alicuius, neceſse eſt ut illud ipſum contempletur: tamen poteſt etiam colligi ex uerbis Ariſtotelis 4. Meta. tex. 1. quæ infrà recitabimus, ad quem locum nunc me reijcio. Adde *4. Metaphyſ.* quòd hoc planè euerteret hūc ipſum tex. Ariſtotelis, quē interpretamur. habet em̄, *tex. 1.* Principia & cauſæ quęrūtur entium. manifeſtū quatenus entia: quia nullę aliarū hoc efficiunt Ex quib. efficitur, philoſophiam naturalē nō poſse contēplari aliquid eſse: igitur falſum eſt, eiuſdē mētis eſse facere manifeſtū quid eſt, & ſi eſt hoc: quia philoſophia naturalis facit manifeſtū quid eſt homo, nō tn̄ facit manifeſtū ſi eſt homo: propterea quòd ſpeculari ipſum eſse rerum pertinet ad primum philoſophum, ut nemini in dubium uenire poteſt. Item falſum eſt, quæ facultas facit manifeſtum ſi eſt, eandem facere manifeſtum quid eſt. quia prima philoſophia facit manifeſtum ſi eſt omnium rerum: & tamen non facit manifeſtum quid eſt. Si enim hoc faceret, cæteræ facultates (ut exiſtimamus nos probaſse in tertio libro noſtræ Apologiæ) eſſent ſuperuacaneæ. etenim qui conſiderat definitionem alicuius rei, ut eiuſdem conſideret etiam accidentia propria neceſse eſt, explicat enim definitio cauſas ipſorum

rum

rum accidentium. quod cùm multis alijs in locis teſtatũ reliquit Ariſtoteles, tũ etiam
1. de Anima text. 11. colligi poteſt ex tex 11. primi de Ani. quem recitauimus in ſuperioribus. Alterum igi
tur duorum euenire neceſſe eſt, uel ut uerba dicta ſint ſuperuacanea (quod quidem
dari poſſe, imò etiã fortaſsis neceſſe eſſe, uidẽtur oſtendere uerba 11. lib. ſuperius cita-
ta, & rationes allatæ) uel ut redigenda ſint ad bonũ ſenſum, modò fieri poſsit. Quare
ad difficultatẽ dictam, ſi uelimus illa uerba eſſe Ariſtotelis, nihil aliud reſpõderi poſ-
ſe arbitramur, quàm id quod diximus in 3. lib. ſect. 1. Apolog. noſtræ, uidelicet hunc locũ
intelligi debere non abſolutè, ſed de definitionib. quæ ſunt principia cognoſcendi:
quæ definitiones uel habentur ex ſenſu, uel ſupponuntur. quoniam quæ mentes &
ſcientiæ ſupponunt has definitiones, coguntur eædem ſupponere ipſum eſſe ſubie-
ctorum illarum definitionum. Hic enĩ accipiuntur definitiones non ut definitiones,
ſed ut ſunt tanquàm cadauera definitionũ. nam qui ſupponit unitatem eſſe indiuiſibilẽ
ſecundum quantitatem, neceſſe eſt ut ſupponat etiam unitatem eſſe. niſi enim ſuppo
ſitum eſſet unitatem eſſe, ſupponi non poſſet unitatem eſſe indiuiſibilem ſecundum
quantitatem. quod uidetur oſtendi hoc modo. Eiuſdem mentis eſt ex uerbis Ariſto-
telis, declarare quid eſt, etſi eſt hoc: ſed mẽtes & ſcientiæ dictæ declarãt quid eſt ſuo-
rum ſubiectorũ: igitur declarãt eſſe. Verba igitur Ariſtotelis uidẽtur ob eas quas at-
tulimus rationes accipienda eſſe hoc ſenſu. Quòd ſi nõ hoc ſenſu accipiantur, fateor
me neſcire tueri Ariſtotelem, neque quò me uertã. nõ enĩ pudet me fateri ignorationẽ
meam. In hoc aũt loco Ariſtotelem loqui de definitionib. quæ ſunt principia cogno
ſcendi, & per ſe manifeſtæ ut ſupponuntur, in dubium ex dictis uenire non poteſt:
quare nemo admiratione affici debet, ſi interpretemur hunc locũ intelligi de eiuſmo
di definitionib. quia nõ occurrit aliud quod melius poſſit in medium afferri. Dico ta
men, me non memoria tenere aliquem locũ Ariſtotelis, qui his uerbis aliquo pacto
conſentire uideatur, imò qui non apertè repugnet, propter tex. 2. Poſt. quem etiã ob
aliam occaſionem attulimus in ſuperiorib. & hic etiã ut rem ante oculos magis pona
,, mus, eius uerba recitabimus quæ ſunt: Eſt aũt quorundã quidem altera cauſa, quo-
,, rundã aũt non eſt. quare manifeſtũ, quòd quid eſt, alia quidem ſine medio & princi-
,, pio ſunt, quæ & eſſe, & quid ſint ſupponere oportet, aut alio modo manifeſta facere.
,, Quod uerè Arithmeticus facit: & nanque quid eſt unitatẽ ſupponit, & quia eſt. Eiuſdẽ
igitur eſt mẽtis & ſcientiæ, uidelicet Arithmeticæ, ſupponere de unitate quid eſt, &
eſſe, cũ ſupponit ipſam eſſe indiuiſibilẽ ſecundũ quantitatẽ: quã definitionem perſpi
cuum eſt eſſe principium cognoſcendi, & per ſe notã. & dicit Ariſtoteles Arithmeti
cã ſupponere quid eſt, & ſi eſt de unitate. qui ergo ſupponit quid eſt unitas, cogitur
etiã ſupponere ſi eſt unitas: quia ſi nõ ſupponeret ſi eſt. nõ ſupponeret quid eſt. pro-
pterea eiuſdẽ mẽtis eſt declarare quid eſt aliquid, & ſi eſt illud. Si ergo oporteat de-
clarare quid eſt, oportebit etiã declarare ſi eſt. Sed ſupponũt mentes & ſcientię quid
eſt, ut dictũ eſt: ergo eas ſupponere ſi eſt etiã neceſſe eſt. Quare niſi tex. iſte 2. Poſt. fa
ueat uerbis dictis, non uideo quid ſit in Ariſtotele quod huic ſententiæ nõ repugnet.
Quãobrem cũ Ariſtoteles & in ipſo 2. Poſt. lib. ſemper dixerit, aliud eſſe, demõſtrare
ſi eſt, aliud quid eſt: & in uniuerſa prima philoſophia ſemper teſtatũ reliquerit, ipſum
eſſe rerũ, ut ſunt, nõ attinere ad particulares artifices, ſed ad primã philoſophiã, quæ
alioquin eſſet ſuperuacanea: & cũ uerba iſta quæ recitauimus tex. 1. 6. Meta. lib. non
multũ uideantur facere ad propoſitũ eorũ de quib. principaliter agitur in eo tex. ut
diximus, neque reperiantur in 25. tex. 11. Meta. in quo affert Ariſtoteles eandem omni-
no rationem, atque iiſdem ferè uerbis, quod ſanè mouere nos maximè debet: & cũ ex
illis uerbis ſequãtur abſurda ea quæ diximus, quæ reuera non uidentur euitari poſſe
ob has cauſas: tutior ſententia mihi uidetur eſſe, ut uerba illa tollãtur è textu ſimul cũ
illis quæ ſequuntur: neque ipſius quid eſt rationem aliquam faciunt, ac reiiciuntur tan-
quã aduenticia & ſpuria, & tanquàm addita ab aliquo interprete, nõ ab ipſo Ariſtotele.
quod ego quidem eo magis adducor ut credã, quia tex. ille 6. Meta. ſine his uerbis pro-
poſitũ ſuum omnino declarat, ut oſtendimus. Neque uerò quiſquã ob hãc rem admi-
ratione affici debet, propterea quòd multis in locis librorũ Ariſtotelis cogimur ita dice-
re, inter quos ſatis ſit pro hac occaſione admouere tex. illũ 1. Rhet. ult. ubi uerba facit
de cruciatib. in Græco codice habere multa uerba quę omnino iudicata ſunt (& non
ſine ratione, ut ego quidem arbitror) addita fuiſſe ab aliquo interprete, nõ ab Ariſtotele.
Quod

Quòd ſi aliquis ſit (ut multi reperiuntur) qui uelit tueri uerba illa eſſe Ariſtotelis,
neq; probet eorum interpretationem, quam nos tradidimus in 3. lib. Apol. noſtræ,
ſupponentes illa eſſe Ariſtotelis uerba, & in ſuperioribus is inueniat meliorē explica-
tionem, quā quidē cuperemus eiuſmodi inuenire, quæ nobis magis ſatisfieret. neq;
enim legimus unq; apud Ariſtotelem, eiuſdem eſſe mentis & ſcientiæ declarare quid
eſt, & ſi eſt alicuius rei, ſed contrarium: ita nos omnino opinamur. quod ſi detur, care
bimus difficultatib. ijs quas cōmemorauimus. Ac mihi quidem uidetur multo ſatius
eſſe abijcere illa uerba 6. Meta. innitendo auctoritate 11. lib. q; multa fatuè atq; ineptè
dicere: ut cogimur, ſi uolumus tueri Ariſtotelē, uel eò deduci, ut neceſſariò fatendū
ſit ipſum nō ſolū pugnātia, uerū etiā (quod multo grauius eſt) negātia loquutū eſſe.

SECTIO SEPTIMA.

SEd aliquis urgeret adhuc aduerſus tex. primū 6. & aduerſus tex. 25. undecimi pri-
mę Philoſophię libri, qui textus ſunt ijdem. & primò. quod uidetur à ratione ab-
horrere, unāquanq; ſcientiam particularem quærere principia & cauſas eorum circa
quæ uerſatur: & quandam ſcientiam eſſe quæ quærat cauſas entis, quatenus eſt ens,
ut dixit 9. Meta. tex. 25. quia per hæc principia quæ quæruntur, uel intelligit Ariſto- 9. Metaphyſ.
teles principia cognoſcēdi, uel principia eſſendi, uel principia cognoſcendi & eſſen- tex. 25.
di ſimul. At nulla iſtorum quæri poſſunt à ſcientijs, igitur falſum uidetur ſcientias
quærere principia & cauſas. Probatur id quod antecedit, & primùm de principijs
cognoſcendi. Nam fieri non poteſt, ut hæc ſcientiæ quærant: quoniam nihil eſt ipſis
notius, ut declaratum eſt 1. Poſt. 2. & 8. ijs uerbis: Si autem hoc manifeſtum eſt, mani- 1. Poſt. 2. & 8.
feſtum quod non eſt uniuſcuiuſq; propria principia monſtrare: erunt enim illa om- "
nium principia, & ſcientia illorū ſcientia omnium. Etenim ſi principia cognoſcen- "
di non poſſunt monſtrari, ergo non poſſunt quæri: quia quod quæritur, quæritur ut
monſtretur. Omnis enim quæſtio quærit medium quo declaretur, ex 2. Poſt. 1. Item
neq; principia eſſendi, neq; principia cognoſcendi & eſſendi quæruntur à ſcientijs:
ſiquidem hæc omnia ſupponunt mathematicæ, & non quærunt, ut dictum eſt.

Deinde, quòd falſum uidetur, unāquanq; ſcientiarum accipere quid eſt, & ex hoc
demonſtrare accidentia per ſe ſui generis: propterea quòd declaratum eſt 1. Poſt. 10. 1. Poſt. 10.
loco ſuperius citato, ſolas mathematicas accipere definitiones, reliquas uerò accipe-
re accidentia: ergo ſolæ mathematicæ accipiunt quod quid eſt. quia quod quid eſt,
eſt id quod explicat definitio, & hic accipitur pro ipſa definitione, ut eſt principium
demonſtrationis. Tertio loco, cum dixerit, omnem ſcientiam intellectiuam, uel
participem intellectus, uideri perperam uſum fuiſſe hac diſiunctione: quia nō uide-
tur dari aliqua ſcientia quæ non ſit intellectiua: ſiquidem ſcientia eſt uniuerſalium,
ut patet ex 1. lib. Poſt. Vniuerſale aūt pertinere ad intellectum, eſt ita notum, quàm
quod eſt notiſſimum. Primo enim Poſt. 18. loco ſuperius citato inquit: Neceſſe enim 1. Poſt. 18.
quidem ſentire ſingulariter, ſcientia autem & in cognoſcendo uniuerſale. Sed quo- "
niam putādum eſt, primum omnium magiſtrum nihil ſine grauiſſima ratione dixiſ- "
ſe, opus eſt ut reſpondeamus ad quæſtiones propoſitas.

Quare dicimus ad primam: Principia quæ propriè quęruntur, eſſe principia eſſen
di. & de his intellexiſſe Ariſtotelem in prima parte tex. 6. & 11. Meta. de quibus dixit
1. Phyſic. tex. 1. quòd erant inueſtiganda: ac modum etiam tradidit, quo inueſtigari ea 1. Phyſ. 1.
oporteret, qui modus erat ex nobis notioribus. Et declarās quæ eſſent nobis notio-
ra: Sunt autem, inquit, primùm nobis manifeſta & certa confuſa magis, poſterius aūt "
fiunt ex his nota elementa & principia diuidentibus hæc. Quibus uerbis oſtendit, "
principia & elementa nota fieri nobis ex diuiſione confuſorum quæ ſunt compoſi-
ta. Principia igitur quæ propriè quæruntur, de quibus loquutus eſt Ariſtoteles in
tex. citatis, ſunt principia eſſendi: quæ patet cognoſci ex eis quæ ex his ipſis princi-
pijs componuntur. etenim ex compoſitorum accidentibus cognoſcuntur principia
& elementa componētia ipſa compoſita: quæ quidem principia cum ſint nobis ali-
quo modo obſcura, quæruntur: quia tunc ſcimus, cum cauſas & principia cognoſci-
mus. Cum uerò afferebatur, mathematicas non quærere neq; principia eſſendi, neq;
principia cognoſcēdi, ſed illa ſupponere: Dicerē, mathematicas nō quærere propriè
ſua principia eſſendi, neq; etiā cognoſcēdi, quæ ſunt eadē in illis: quia ſint ita dubia,
ut indigeant aliqua ſpecie demōſtrationis, ſicut principia eſſendi aliarū facultatum:
ſed tamen

ſed tamē aliq̃ modo ea quærere, ut ſcilicet ex ſenſu reddāt notiora. Licet igiť nō quę-
rāt mathematici ſua principia eſſendi, ſicut quærūt cęteræ facultates quæ quærūt ip-
ſa, quęrūt ut demōſtrent demōſtratione ea quæ eſt ab effectib. & à poſteriori: quęrēt
tñ aliquo modo mediū aliquod quo illa notiora efficiant & ſtabiliora, quę ſunt etiam
principia cognoſcēdi. Neq; obſtat tex. allatus ex 1. Poſt. quia Ariſtoteles ibi declarat
ſe intelligere principia cognoſcēdi nō poſſe demōſtrari: ſed tñ non negat qn poſsint
cōfirmari aliquo modo ex ſenſu & inductione, & ita quęri ut cōfirmentur: ſicut oſtē
dit ipſe aliquo modo naturā eſſe principiū motus & quietis, ex differentia quæ ſenſu
apparebat eſſe inter illa quæ eſſent natura, & illa quę nō eſsent natura. quę definitio
naturæ eſt principiū cognoſcēdi in naturali philoſophia: nō tñ ob id putandū eſt illā
eſſe demōſtratā. Quod aptè uidetur ſignificaſſe Ariſtoteles, cū aduerſus eos q̄ puta-
bāt poſse demōſtrari naturā eſſe principiū, &c. hæc ꝓtulit uerba: Si aūt naturā tētare
„ demōſtrare ridiculū eſt, manifeſtū igiť eſt quòd huiuſmodi rerū ſunt multa: demon-
„ ſtrare aūt manifeſta & immanifeſta, eſt nō potētis iudicare ꝓpter ipſum, & nō ꝓpter
„ ipſum cognitū. Perſpicuum eſt igitur ex his, Ariſtotelē uelle, principia cognoſcēdi
poſſe aliquo modo declarari, ut ſenſu & inductione atq; etiā rationib. dialecticis: nō
tñ demōſtrari. Quod item colligitur ex eis quæ ſcripta reliquit 1. Phyſ. tex. 11. ad hunc
„ modū: Nobis aūt ſubijciantur quæ ſunt natura, aut omnia, aut quædā moueri. Mani-
feſtū aūt eſt hoc inductione. nā ſuppoſitionem illā quæ eſt principium cognoſcēdi
in ipſa naturali philoſophia, dicit tantū poſſe manifeſtari inductione. Hoc idē teſtatū
2. Prior. 23. reliquit 2. Prior. 23. ubi docēs redigere inductionē ad formā ſyllogiſticā: Eſt aūt, inq̄t,
„ huiuſmodi ſyllogiſmus primæ & immediatæ propoſitiones. Sunt aūt huiuſmodi ꝓ-
„ poſitiones principia cognoſcēdi. & hoc ſatis fuit Ariſtoteli, cū dixit, facultates parti-
culares quærere principia ſuorū ſubiectorū, licet interſit inter ipſas in his inueſtigan
„ dis. Quare uolēs fortaſſe hoc Ariſtoteles indicare, dixit, omnē ſcientiam intellectiuā
„ uel participē intellectus, eſſe circa cauſas & principia, uel exquiſita, uel ſimpliciora:
id eſt, nō ita exquiſita. Principia aūt exquiſita uidētur eſſe principia mathematicorū,
2. Meta. 19. de quib. 2. Meta. 19. Mathematicorū aūt, inquit, exquiſitā diſcuſsionem nō in uniuer-
„ ſis eſt flagitandū, ſed in ijs duntaxat quæ materia uacant. Principia igitur eſſendi, &
„ principia cognoſcēdi, poſſunt aliquo modo quæri. principia tñ eſſendi ſunt illa quæ
propriè quærūtur, maximè in prima & naturali philoſophia, & in cæteris facultatib.
exceptis mathematicis. nam propriè quæri dicuntur illa quæ fiunt ſcita: principia ue
rò prima quæ ſunt in mathematicis, non propriè fiunt ſcita: igitur nō propriè quęrū-
tur. tñ Ariſtoteles in textib. allatis uiſus eſt accepiſſe Quærere latius q̄; in 1. cap. 2. Po
ſter. quia uoluit omnia illa principia quæri quæ uel ſenſu uel inductione aliquo mo-
do poſſunt confirmari. quandoquidem fieri poteſt, ut quęramus illam confirmatio-
nem. Volens igitur oſtendere, omnē ſcientiam quærere ſua principia eſſendi, loquu-
tus eſt generali quadā cōprehenſione: q̄; quis, ut diximus, intereſſet inter modū quæ-
rendi. quoniam aliæ quærūt illa propriè, ut omnes facultates præter mathematicas:
aliæ uerò impropriè, ut mathematicæ: de omnib. tamen uerū eſt dicere, quòd aliquo
modo quærūt. Quare cōcedimus, in prima parte illorū textuū intelligere Ariſtotelē
de principijs eſſendi per ſe, quib. aliquādo accidit ut ſint principia cognoſcēdi, ut in
mathematicis: ſed negamus, loq̄ ibi generaliter & per ſe de illis ut ſunt principia co-
gnoſcēdi, ſed ut ſunt principia eſſendi: & dicimus falſum eſſe, mathematicas nō quę-
rere aliq̃ modo ſua principia eſſendi & cognoſcēdi, licet nō q̄rant ꝓpriè, ut diximus.

SECTIO OCTAVA.

ERat alia quæſtio, meo quidem iudicio nō negligenda, quæ aſſerebat, alienū à ra
tione uideri, unāquanq; facultatē accipere quid eſt, & ex hoc demōſtrare per ſe
accidentia ſui generis: propterea quòd declaratū fuit 1. Poſt. ſolas mathematicas ac-
cipere definitiones, reliquas uerò accipere accidentia, & ita nō accipere quod quid
eſt. Ad quā quęſtionem reſpōdentes dicimus, Ariſtotelem tex. citatis non accepiſſe
quod quid eſt propriè, ut eſt id quod explicatur per definitionē quæ conſtat ex cau-
ſis proximis & immediatis: & eſt uera definitio, quia falſum & à ſuaipſius ſentētia &
à ueritate alienū aſseruiſset, ut probat ratio allata, & tex. etiā ex 1. Phyſ. 1. ubi dicitur:
quòd ex notiorib. nobis, & prioribus, naturæ aūt poſterioribus proficiſcimur. Sed
accepiſse quod quid eſt latius, & ut complectitur non ſolū id quod eſt quid eſt pro-
priè, &

prię,& habetur per cauſam proximam & immediatam, uerùm etiam ipſum quid eſt
quod habetur per effectum, quod quidem eſt quod quid eſt impropriè. Solet enim
ſæpenumerò Ariſtoteles etiam deſcriptionem quę fit per effectus & per poſteriora,
appellare quod quid eſt,& dicere quòd explicat ipſum quid eſt: prę ſertim cum uerũ
quod quid eſt,& uera definitio non ita patet, ut perſpicuum eſt de definitione ſyllo-
giſmi,de definitione demonſtrationis,& de definitione naturæ,quæ omnes traditæ
ſunt ex effectibus. Etenim dicere ſyllogiſmum eſſe orationem quæ neceſſariò con-
cludit,eſt deſcribere ſyllogiſmum per effectum: efficit enim concluſionem.

Item dicere, demonſtrationem eſſe ſyllogiſmum facientem ſcire, nihil aliud uide-
tur eſſe quàm deſcribere ipſam demonſtrationem per effectum ſuum. quoniam effi-
cit ſcientiam. Dicere etiam, naturam eſſe principium motus & quietis, quid aliud
eſt quàm declarare naturam per effectum ſuum: quippe quæ efficit motum & quie-
tem in eis in quibus ineſt. Has tamen deſcriptiones Ariſtoteles dixit explicare quid
eſt,per quandam ſimilitudinem & impropriè. 1. enim Prior. 1. cũ dixiſſet, Deinde de- 1.Prior.1.
terminare quid eſt propoſitio,& quid terminus,& quid ſyllogiſmus: deſcripſit ſyllo- ““
giſmum eo modo in uirtute quo diximus. Et 2. Poſt. De ſyllogiſmo igitur, inquit, & 2.Poſt.
demonſtratione, quid utrunq;. & quomodo fit, manifeſtum eſt. Et 2. Phyſ. deſcripta 2. Phyſ. tex.6.
natura in tex. 6. ita ſcripſit: Quid quidem natura ſit, dictum eſt, & quid quidem natu-
ra,& ſecundum naturam. Hoc idem de animæ definitione, & de definitionibus o-
mnium ſimplicium dicit: quare nemo admiratione affici debet, ſi nos text. illos, 6. &
11. Meta. ita ſumus interpretati, ut dixerimus Ariſtotelem accepiſſe ipſum quid eſt la
tius, uidelicet ut exprimitur non tantùm per definitionem ueram, ſed etiam per de-
ſcriptionem. & ex effectibus neceſſarijs. nam præterquam quòd (ut diximus) falſum
aſſeruiſſet, & pugnaret cum ſuaipſius ſententia, ſi propriè accepiſſet ipſum quid eſt:
ſolitus eſt etiam nuncupare eiuſmodi deſcriptiones quæ ſunt ex effectibus proprijs
& neceſſarijs, quod quid eſt, & definitiones, propter ſimilitudinem quam habẽt ad
ueras definitiones, ad quas propius accedunt. hoc item facit propterea, quia illæ res
quæ ſunt deſcribendę, carent definitionibus, ut ſunt res ſimplices: uel quia cauſæ ea-
rum rerum quæ ſunt definiendæ, ſunt ignotæ. quod uiſus eſt innuere Ariſtoteles, di-
cens facultates accipere quod quid eſt, & ex illo demonſtrare accidentia per ſe illius
generis circa quod uerſantur mollius uel exquiſitius. nam ſi per quod quid eſt quod
facultates accipiunt, intelligeretur quod quid eſt uerè: negare non poſſemus, quin
omnes exquiſitè demonſtrarent ſua accidentia per ſe. eadem enim eſſet ratio, & eo-
dem modo eſſent omnes notæ: quippe cum acciperent ipſum quid eſt ſolùm ex ſen
ſu & ex ſuppoſitione. Sed quia mathematicæ facultates accipiunt uerũ quod quid
eſt, eiuſq; beneficio probant ſua accidentia, propterea dicuntur demonſtrare illa ex-
quiſitius, quàm eæ facultates quæ non ita accipiunt ipſum quid eſt, eoq; utuntur. ac
rurſus quoniam cæteræ facultates non accipiunt uerum quod quid eſt, ſed id inueſti
gant ex accidentibus proprijs, quę ſunt debiliora cauſis: idcirco mollius & infirmius
ac debilius dicuntur demonſtrare. Quæ differentia niſi eſſet inter ipſum quid eſt, ſed
eodem modo omnes facultates demonſtrarent per ueras cauſas, ſuperuacaneè & i-
naniter Ariſtoteles addidiſſet, quòd conantur demonſtrare mollius uel exquiſitius.
Quod cũ nõ ſit dicendũ, putandũ eſt ueritati conſentire & quadrare quod diximus.
Si igiť ita dicať, nõ uideo quid cõtra Ariſtotelẽ faciat ratio allata in cõtrariam partẽ.

Quare ad aliam accedendum eſt, quæ erat, cur dixerit Ariſtoteles, omnem ſcien-
tiam intellectiuam, uel participẽ intellectus: cum omnis ſcientia ſit intellectiua, quia
omnis ſcientia eſt uniuerſalium. Cui quæſtioni ego reſponderem, Ariſtotelem i-
deo loquutum eſſe cum illa diſiunctione, ut complecteretur omnes facultates tum
ſpeculatiuas, tum operatiuas: innuens ſimul differentiam quæ eſt inter ipſas. & per
intellectiuas intellexiſſe ſpeculatiuas, quia ſpeculatiuæ non ſe extendunt extra intel
lectum. non enim reſpiciunt aliquid quod ſit extra intellectum. Et per participes in-
tellectus intellexiſſe operatiuas, quia hę quatenus ipſæ quoq; ſunt ex uniuerſalibus,
& ita pertinent ad intellectum practicum, ut patet ex 6. Ethic. 2. In dirigendis enim
actionib. utũtur propoſitione uniuerſali, quæ eſt maior propoſitio ſyllogiſmi practi
ci: propterea dicuntur participes intellectus. Quoniã uerò eædem ſe extendunt ex-
tra intellectũ, reſpiciẽtes opus ad quod ordinãtur, quod eſt ſingulare, neq; pertinet

ad intellectũ: & in dirigendis ipſis actionib. in ſyllogiſmo accipiunt minorẽ propoſitionem, quæ eſt ſingularis: idcirco nõ uidentur omni ex parte intellectiuæ, ſicut ſpeculatiuæ, quæ non accipiunt propoſitiones ſingulares, ſed ſolũ uniuerſales, quia nõ dirigunt ad opus. non enim aliquid aſſumunt, quod non attinet ad intellectũ. Vt igitur Ariſtoteles cõplecteretur, ſicut diximus, omnes facultates, tam ſpeculatiuas ꝗ operatiuas, loquutus eſt diſiunctiuè: accipiens tamen nomen ſcientiæ etiam in hoc loco cõmuniori uocabulo nõ propriè: quia operatiuę facultates nõ ſunt propriè ſcientiæ, non enim ſunt propter ſcire, ſed propter operari. Nũ ergo uanè loquutus eſt Ariſtoteles, quoniam eo loquendi modo ſignificauit, ut oſtendimus, omnẽ facultatẽ tũ ſpeculatiuã tũ operatiuã, uerſari circa cauſas: ac licet facultates operatiuæ ſint intellectiuæ, quia ſunt ex uniuerſalib. quæ ſolùm attinent ad intellectũ: tamen quia (ut dictũ eſt) dirigunt ad opus, & ſunt factæ ut concludant ſingulares concluſiones, quæ ſunt actiones quæ non attinent ad intellectũ, dicuntur participes intellectus, & non intellectiuæ abſolutè, in comparatione ſcilicet ad ſpeculatiuas, quę nullo modo recipiunt aliquid extra intellectũ. Quòd aũt operatiuæ reſpiciant aliquid extra intellectum, patet: quia eorum finis eſt opus quod eſt extra intellectũ. Et hoc patebit etiam ex eis quæ à nobis in ſequentib. ſunt dicenda, cũ ſermonẽ habebimus de prudentia.

SECTIO NONA.

HIs igitur ita explicatis, reuertẽtes ad id unde digreſſi ſumus. more noſtro, ut explicaremus multa Ariſtotelis loca, quæ meo quidẽ iudicio ſunt difficillima, dicimus patêrẽ ſolutionẽ quęſtionis ſuperius propoſitę aduerſus 1. tex. 6. Meta. ex quo uidebatur ſeq, omnes facultates uti in demonſtrationib. ex cauſis proprijs & immediatis. aſſerebat enim, omnes facultates accipere quod quid eſt ex ſenſu, uel ſuppoſitione. Patet inquã huius quæſtionis ſolutio, quoniam declarauimus, Ariſtotelẽ per quod quid eſt non intellexiſſe uerũ quod quid eſt, quod uidelicet habetur ex cauſis proximis: ſed accepiſſe quod quid eſt cõmuniori uocabulo, & ut latius patet, ut uidelicet cõplectitur tã id quod habetur per cauſam proximã, ꝗ id quod habetur per effectus proprios & neceſſarios. & ita perſpicuum eſt, nõ ſequi, omnes facultates uti demonſtrationib. ex cauſis proprijs & immediatis, ſed aliquas uti demonſtrationib. ex effectib. eo pacto quo diximus: quandoquidẽ non omne quod quid eſt, cõſtat ex cauſis proprijs & immediatis. Patet etiam ex dictis non ſequi, falſa eſſe ea quæ di-
1. Phyſ. tex. 2. xit Ariſtoteles 2. tex 1. Phyſ. innatam eſſe in nobis uiam ex nobis notiorib. ad notiora naturæ, & notiora nobis eſſe compoſita, noſq; ex compoſitis inueſtigare cauſas: quia per quod quid eſt quod accipiunt dictæ facultates, intelligitur quod quid eſt ex prioribus nobis, quæ ſunt accidentia compoſitorum.

Negamus item, euerti ea quæ ſcripſit 1. Poſt. cap. 11. quia concedimus, ſolas mathematicas accipere definitiones ueras. Et ob hoc uidetur protuliſſe 1. Ethic. 2. Simile namq; uidetur eſſe, mathematicum ſuadẽtem probare, & ab oratore demonſtrationes exigere: cæteras uerò facultates, accidentia. quia illud quod quid eſt quod cæteræ facultates accipiunt, non eſt uerum quod quid eſt, ſed ſumptum ex accidentibus, ut oſtendimus. ob idq; dicimus, Ariſtotelem eo in loco nuncupaſſe cæteras facultates dialecticas, in comparatione ad mathematicas: quia ſcilicet non recipiunt ueras definitiones. Concedimus etiam uerum eſſe, non omne quod quid eſt haberi ex ſenſu & ex ſuppoſitione: quia quod quid eſt in philoſophia naturali & reliquis facultatibus præter mathematicas habetur ex accidentibus. ut pulchrè probat textus alla-
1. de Anima. tus ex primo de Anima. & dicimus Ariſtotelem in ſexto Meta intellexiſſe uniuerſaliter omnem facultatem accipere uel ex ſenſu, uel ſuppoſitione quod quid eſt: ſed non accepiſſe propriè quod quid eſt, ſed communiori uocabulo: atq; ita nihil ſequitur abſurdi. quare uidetur eſſe ſoluta quæſtio illa.

Erat alia quæſtio principalis, ſed poſtremo loco poſita, quare hæ definitiones, Triangulus eſt figura tribus lineis contenta, & Linea eſt lõgitudo ſine latitudine, & Circulus eſt figura à cuius centro ad circũferentiam omnes lineę dictę ſunt æquales, quæ definitiones ſunt principia in Geometria, ſint magis notæ, quàm motum eſſe, plura entia eſſe, & de quolibet dici affirmationẽ uel negationẽ: quæ ſunt principia in prima philoſophia. non eñ uiden illa etiam magis nota ꝗ hæc. Ex quo ſequebatur, ut pueri

ut pueri poſſent æquè fieri ſapientes ac mathematici, contrà quàm dixit Ariſtoteles.

Ad quam quæſtionem ego dicerem (ſaluo ſemper meliori iudicio) principia quæ prolata ſunt ex prima philoſophia, non ſolùm eſſe ita nota, ſicut ea quę ex mathematicis ſunt allata: ſed longè notiora. & hoc eſſe ex ipſo ſenſu perſpicuum: tamen nego ſequi ex hoc, pueros ita poſſe fieri ſapientes ſicut mathematici: propterea quòd etſi ſapientia habeat illa principia notiſſima, tamen hæc pauca ſunt præ multis alijs principijs quibus utitur ipſa ſapientia: quæ non ſunt ita nota, ſicut principia in mathematicis. Quare cum uideret Ariſtoteles, principia mathematicorũ maiori ex parte eſſe clariora, principia uerò ſapientiæ & philoſophiæ naturalis maiori ex parte non eſſe nota, licet minori ex parte ſint clariora, ſciens denominationem fieri debere ab eo quod eſt maiori ex parte, dixit pueros poſſe fieri mathematicos: quia ſcilicet maiori ex parte principia mathematica erant notiſſima & firmiſſima. Sapientes aũt & phyſicos fieri non poſſe, propterea quòd horum principia maiori ex parte non eſſent clara: licet minori ex parte, ut diximus, eſſent clariora. uerùm non ſpectatur id quod minori ex parte accidit. Ego ita dicerem: quia mihi uidetur hoc ueritati & Ariſtotelis ſententiæ mirum in modum conſentire, aliorum tamen ſit iudicium.

Ex eis igitur quæ longa digreſſione à nobis diſputata ſunt, patêre arbitramur, omnia principia, quæcunq; ſint illa, ex ſenſu ortum habere: & per id, quod neceſſariò ſequitur, ex experientia, licet non eodẽ modo omnia. Et ſi hoc modo exponũtur uerba Ariſtotelis, quæ uidebantur omnino inter ſe pugnare, uidebuntur mirum in modum, ut ego quidem arbitror, inter ſe con ſentire.

FINIS LIBRI DECIMI EVERSIONIS *Singularis certaminis.*

LIBER VNDECIMVS.

SECTIO PRIMA.

CVm demonſtratum ſit, omnes facultates quæ humana uia ſunt traditę, ortum habere ex principijs ijs quæ ſumuntur à ſenſu: uidetur rationi conſentaneum, ut oſtendamus, nullam uim habere contra ea quæ dicta ſunt, reminiſcentiam quam ponit Plato, qui uiſus eſt uelle, animam habere omnes habitus uirtutum & ſcientiarum ſibi innatos: obliuione tamen ſopitos, tum cũ ingreditur corpus, qui habitus exercitatione poſtmodùm excitantur. ex quo ſequitur apertè, ut addiſcere nõ ſit rem per cauſam cognoſcere, ſed reminiſci eorum quorum oblita erat anima mole corporis obruta & oppreſſa, cum in ipſa non eſſet habitus ſcientiæ.

Nam hæc opinio mihi non uidetur (pace tanti uiri dicam) digna eſſe homine philoſopho: ſed ijs potius conuenire, qui ſibi quiduis comminiſcuntur atq; confingunt. Etenim cum apertè uideamus, ſimulatq; ſenſus aliquis deficit, deficere ſcientiam illius ſenſus, neq; aliquid niſi ſenſu percipi & addiſci poſſe: ſenſibilia porrò producere ſpecies, quæ ſunt rerum ſenſibilium ſimilitudines in ſenſus exteriores, deinde in interiores: cumq; perſpiciamus nos, cum uolumus intelligere, ſpeculari neceſſariò ipſa phantaſmata: nulla mihi probabilis ratio, ac naturæ congruens uidetur, quæ demonſtret neceſſarium eſſe, ut in anima antè fuerint illæ ipſæ ſpecies: nec uideo quibus rebus homo qui naturalem philoſophiam profiteatur (qui non debet uaticinari, ſed moueri ratione quæ ſenſui quadret) impulſus fuerit ad illam opinionem inducendã. Quæ enim ratio quæ ſenſui innitatur, ei oſtẽdit animam antequã ingrederetur corpus, omnes iſtas ſpecies habuiſſe: qui ſciuit ex ratione naturali, Deum illas animæ dediſſe? quæ enim neceſſitas? ſiquidem ad intelligentiam conſequendam ſatis ſunt ſenſibilia. Deinde quæri poſſet, quomodo anima excitetur à ſenſibilibus? an id accidat, quia ſenſibilia gignãt ſuas ſpecies in ſenſibus exterioribus, exteriores in interioribus: hi autem ipſi in intellectu? Quod ſi ita eſt, ergo intellectus prius intelliget per ſpecies quæ ortæ ſunt à ſenſu: ergo fruſtra ſunt aliæ ſpecies.

Probatur conſequentia. Prius enim neceſſe eſt intellectum moueri ab his ipſis ſpeciebus, quàm earum reminiſcatur quæ in ipſa erant. nam ſi prius non moueretur, non excitaretur ad reminiſcendum. prius ergo accipit ipſas ſpecies à ſenſibus: ex quo fit, ut prius eas intelligat: ſiquidem intelligere nihil aliud eſt, quàm intellectum recipere ſpecies, & pati à ſpeciebus: ergo fruſtra ſunt priores ſpecies in intellectu.

Sin autem non fit hoc modo excitatio illa ad reminiſcendum, ſed propterea reminiſcimur, quia uidentes eas res quæ in uniuerſa natura ſunt, ad cognitionem expergiſcimur: profectò non magis excitaremur ad reminiſcendum unius rei quàm alterius, non enim id fieret per ſpecies proprias. Sed hoc eſt falſum: quia uidentes colores, comprehendimus ipſos colores, & non ſonos: & audientes ſonos, non comprehendimus colores. & ita de alijs ſenſibilibus. Itaq; iſta comprehenſio fit per ſpecies: ergo non datur reminiſcentia, neq; ſunt, ut diximus, ſpecies innatæ.

SECTIO SECVNDA.

NEq; ratio illa qua Plato uſus uidetur, de qua etiam mentionem fecimus ſuprà, cum conatus eſt probare, aut nihil diſci, aut ea tantùm quæ nota ſunt, ac propterea reminiſcentiam dari, ullam uim habere mihi uidetur: eamq; Ariſtoteles ita
1. Poſt. 1. diſſoluit, ut ipſa ratio ſenſus que iudicium poſtulabat. Licet hoc uidere in Mathematicis. ubi enim nobis cognitum eſt, lineam eſſe longitudinem ſine latitudine, & triangulum figuram tribus lineis contentam, quæ quidem cum inductione nobis apparent: tunc intelligimus contingere, ut ſuper datam lineam triangulus æquis lateribus collocetur: hoc enim neceſſariò ſequitur, eamq; concluſionem antequam concluderemus, poteramus dicere partim nos ſcire, partim ignorare. ſcire, quia cognitis principijs, in quibus uirtute & potentia cõtinebatur, aliquo modo ipſam ſciebamus: quippe quæ neceſſariò ex illis oritur. ignorare uerò in parte, quia nondum erat concluſa: quod quidem perſpicuè oſtendunt cùm omnes ſcientiæ, omnesq; artes, tum Rhetorica & Dialectica. nam uidemus multa principia eſſe nota: concluſiones uerò quæ etiam neceſſariò ſequuntur ex illis, eſſe ignotas: alioquin cognitis principijs, cognitæ ſtatim eſſent omnino & ipſæ concluſiones. quod quidem abſurdiſſimum eſt. Etenim multis ſunt nota principia in mathematicis & in naturalibus: paucis tamen notæ ſunt concluſiones. Et hoc accidere uidetur duabus de cauſis. quo-
1. Poſt. 13. rum una eſt, quia non cogitant, ut dicebat Ariſtoteles: quemadmodum illi qui contemplantur res uniuerſas, nonnullas ex ijs quæ ſingulares ſunt, prætermittunt. altera, quòd ſi maximè cogitent, tamen neſciunt eas expendere, uel quia rudes ſunt in illis facultatibus, uel quia non omnes ingenio ualent, & ſatis obſcurè uidentur oriri ex illis principijs. conſentit igitur ſenſui ac rationi, ut dicamus, antequam concludamus aliquid actu, illud nos partim ſcire, partim ignorare. ſcire, uirtute & potentia: ignorare, actu, & in particulari.

SECTIO TERTIA.

SEd quando in hunc locum incidimus, alienum fortaſſe non erit ab inſtituto noſtro, rationem exponere, qua uiſus eſt Ariſtoteles apertiſsimè hanc opinionem refellere, præſertim cum eam à paucis rectè perceptã arbitramur: multosq; ſciamus, atq; eos quidem non mediocriter eruditos, quiq; Ariſtotelis doctrinam profitētur, ueniſſe in eam ſententiam, ut exiſtimarent, Ariſtotelē ipſum conceſsiſſe aliquo modo hanc ſpecierum opinionem, & ipſam reminiſcentiam, eam quam dicebat Plato. quo, meo quidem iudicio, nihil quod magis Peripateticorum doctrinæ repugnet, excogitari aut fingi poteſt. Quare faciendum nobis omnino uidetur, ut Ariſtotelis rationem dictam explicemus, præſertim cum hac ipſa explicatione, animi etiam noſtri immortalitas ex ſententia Ariſtotelis oſtendi poſsit. id quod in primis nobis eſt propoſitum. Ex hac enim ipſa ratione ſequi, animum noſtrum eſſe immortalem, erit (ni fallor) perſpicuum. Etenim ab Ariſtotele ob hanc cauſam fuit poſita illa ratio,
3. de Anima text. 4. qua opinio Platonis conuellitur: quæ ratio mihi uidetur huiuſmodi eſſe.

Intellectus intelligit omnia: ergo eſt immixtus. Immixtum autem eſſe oportere, Anaxagoras etiam dicebat: ob eam rem, ut imperaret. Sed nos alia cauſa commouemur. ea uerò eſt, ut cognoſcat. nã ſi eſſet mixtus, non cognoſceret omnia, neq; omnia intelligeret:

intelligeret: quia haberet aliquid intus apparẽs quod prohiberet extraneum, & obſtrueret. hæc mihi uidetur ratio Ariſtotelis.

Sed Ariſtotelis uerba perpendamus. ac primò quidem inueſtigemus quid uoluerit ſignificare, cum dixit immixtum, cui ſcilicet rei immixtum intellexerit.

Auerroes ergo exponens hunc locum, inquit: Quum poſuit quòd intellectus materialis recipiens debet eſſe de genere uirtutum paſsiuarum, & cum hoc non tranſmutatur apud receptionem, quia neque eſt corpus, neque uirtus in corpore, dedit demonſtrationem ſuper hoc, & dixit: Neceſſe eſt igitur ſi intelligit, & cætera. id eſt, neceſſe eſt ſi comprehendit omnia exiſtentia extra animam, ut ante comprehenſionem ſit nominatus, & hoc modo in genere uirtutum paſsiuarum, non actiuarum: & ut non ſit mixtus cum corporibus, id eſt neque corpus, neque uirtus in corpore naturalis aut animalis, ſicut dixit Anaxagoras. Deinde dixit, ut cognoſceret: id eſt, neceſſe eſt ut ſit non mixtus, ut comprehendat omnia, & recipiat ea. Si enim fuerit mixtus, aut erit corpus, aut erit uirtus in corpore. Et ſi fuerit alterum iſtorum, habebit formam propriam, quæ forma impediet eum recipere aliquam aliam formã alienam. Ex quibus patet, Auerroem uoluiſſe, Ariſtotelem per immixtum intelligere non mixtum cum corporibus, uidelicet quòd non ſit corpus, neque uirtus cum corpore.

Deinde patet, ipſum exponere Omnia, id eſt omnes formas materiales; quia dixit: Quoniam autem ſubſtantia recipiens has formas, neceſſe eſt ut non ſit corpus, neque uirtus in corpore, manifeſta eſt ex propoſitionibus quibus Ariſtoteles uſus eſt in hoc ſermone: quarum una eſt, quòd iſta ſubſtantia recipit omnes formas materiales. & hoc notum eſt de hoc intellectu. Secũda autem eſt, quòd omne recipiens aliquid, neceſſe eſt ut ſit denudatum à natura recepti, & ut ſua ſubſtantia non ſit ſubſtantia recepti in ſpecie.

SECTIO QVARTA.

SEd pace tanti uiri, mihi huiuſmodi explicatio uidetur aliena à uerbis Ariſtotelis, imò ab ipſo omnino abhorrere. nam primò falſum eſt quòd Ariſtotoles probet aliud de ipſo intellectu in 4. textu, quàm quòd eſt immixtus. hoc enim conſpicuum eſt ex ipſo textu.

Item falſum eſt, quòd per immixtum intelligat, non mixtum cum corporibus: id eſt, quòd non ſit corpus. quia de intellectu hoc non erat dubium, cum manifeſtè ſit pars animæ, quam non eſſe corpus oſtenderat Ariſtoteles ijs uerbis: Quoniam au- 2. de Anima text. 4. tem eſt corpus, & huiuſmodi uitam habens, neq; uniq; erit corpus anima. non eſt enim eorum quæ in ſubiecto corpus, magis autem ſicut ſubiectum & materia eſt: neceſſe eſt ergo animam ſubſtantiam eſſe, ſicut ſpeciem corporis phyſici, potentia uitam habentis.

In dubium ergo ex illo loco ſecundi de Anima uenire non poterat, intellectum eſſe corpus: non oportebat ergo putare, Ariſtotelem illud demonſtraſſe quod iam erat demonſtratum, & in illo loco non erat dubium.

Item illud falſum eſt, ipſum demonſtrare intellectum non eſſe uirtutem in corpore: quia ſi eſſet uirtus in corpore, haberet formam propriam quæ prohiberet eum recipere alienam formam. nam phantaſia eſt uirtus in corpore: oritur enim ex potentia corporis, & tamen nõ habet formam propriam quę impediat ipſam recipere formam alienam. uirtus etiam oculi eſt uirtus in corpore, & tamen non habet propriam formam quæ impediat eum recipere aliquam formam alienam.

Item non ſequitur, quia intelligat omnia non eſſe uirtutem in corpore. cogitatiua enim quæ eſt phantaſia, ex Ariſtotele, ut ipſemet fatetur, intelligit omnia, & tamen eſt uirtus in corpore.

Illa uerò prima propoſitio quam accipit ad probandam ſuam concluſionem, cum dicit, Iſta ſubſtantia recipit formas omnes materiales: per quam uidetur exponere illud, intelligit omnia, id eſt recipit omnes formas materiales: non uidetur eſſe uera, neque uere explicare ſententiam Ariſtotelis, propterea quòd recipit intellectus etiam immateriales formas, & recipit eo modo quo materiales, uidelicet per ſuos

effectus: ergo non eſt ita contrahenda, atque in anguſtum adducenda propoſitio Ariſtotelis, ut ad formas materiales tantùm alligetur.

Præterea ſi quoniam intelligit ſeu recipit formas materiales, eſt immaterialis, & ab omni admixtione liber; quia recipiens eſt uacuum à natura recepti: ergo quia intelligit omnes immateriales formas, erit materialis, quia recipiens eſt nudum ac uacuum à natura recepti. ſimilitudo perſpicua eſt, quia hic eſt recipiens & receptũ: ſic ergo erit materialis & immaterialis, quod quidem fieri non poteſt.

Item phantaſia recipit omnes formas materiales, ergo eſt immaterialis: ac rurſus, quia recipit omnes formas immateriales, erit materialis. quæ omnia cum ſint abſurdiſsima, ut explicatio Auerrois ſit abſurdiſsima neceſſe eſt.

Item ſi per ipſum Auerroem demonſtratio Ariſtotelis nititur illa propoſitione, quòd omne recipiens ſit uacuum & nudum à natura recepti in ſpecie: ergo per illam non poteſt oſtendi, niſi quòd intellectus eſt alterius ſpeciei à formis quas intelligit: & tunc manifeſtum eſt, eum poſſe eſſe materialem, & recipere omnes alias formas materiales. differt enim ſpecie ab illis: ſicut phantaſia recipit omnes alias formas materiales, & tamen eſt materialis. non ergo probaret propoſitum ſuum.

Et poſito (ut eſt rei ueritas) quòd anima ſit immaterialis, & tamen recipiat formas immateriales: ſicut reuera intellectus eſt immaterialis, & tamen recipit formas immateriales, quia differt ſpecie ab illis, quod ſatis eſt recipienti ex ſententia Auerrois. qualiſcunque igitur ſit intellectus, ſiue materialis ſiue immaterialis, ſemper neceſſe eſt ut recipiat ea quæ ſunt eiuſdem generis, ut ſi materialis materialia, licet recipiat etiam immaterialia: & ſi immaterialis immaterialia, licet recipiat etiam materialia. Etenim concedit ipſe, ſenſum tactus percipere qualitates contrarias & extremas, cum tamen non careat omni qualitate: quia non caret medijs, quæ media dicit differre ſpecie à contrarijs, id eſt ab extremis. Nihil igitur etiam ex ſententia Auerrois obſtare uidetur, quin intellectus ſit materialis, & tamen recipiat & intelligat omnes formas materiales, quæ ſunt diuerſæ ab ipſo ſpecie: ſicut nihil prohibet, intellectum recipere & intelligere formas immateriales, & tamen poſſe eſſe immaterialem: & ſenſum tactus recipere qualitates extremas, licet habeat medias qualitates.

Præterea non rectè exponit uerba Ariſtotelis, dicens, Quoniam intellectus intelligit omnia, illum eſſe immixtum, ut cognoſcat, quia Anaxagoras dicebat intellectum eſſe immixtum, ut imperaret. hoc autem quod diximus (inquit) immixtũ eſſe, eſt ut cognoſcat: quia ſi eſſet mixtus, non cognoſceret, ſupple omnia.

Si ergo intellectus ob eam cauſam ut cognoſcat omnia, eſt immixtus, id eſt non eſt forma corporalis, per Auerroem: igitur nulla uirtus in corpore cognoſcet omnia. Conſequens eſt falſum: quia ſenſus interiores cognoſcunt omnia, ergo id etiam unde emanat.

Conſequentia probatur: nam ſi conuenit uirtuti quę eſt in corpore, quia eſt in corpore, non cognoſcere omnia: ergo nulla uirtus in corpore cognoſcit omnia.

Probatur conſequentia: quia ſi aliqua uirtus in corpore, cognoſceret omnia, falſum eſſet quòd conueniat uirtuti in corpore: quia eſt in corpore non cognoſcere omnia. Poterit ergo aliqua uirtus in corpore cognoſcere omnia. quod ſi detur, non uideo quomodo ſequatur, Intellectus cognoſcit omnia, ergo non eſt uirtus in corpore. quare Auerroes hoc aſſerens, manifeſto in errore ac turpiſsimo tenetur, uerbaq; Ariſtotelis perperam expoſuiſſe uidetur.

Item extorquet illa uerba, Intus apparens prohibet extraneum, & obſtruit. neceſſe eſt enim ut Ariſtoteles intelligat aliquid eſſe in intellectu, quod non ſit intellectus. alioquin non poſſet probare, quòd illud prohiberet extraneum, & obſtrueret. intellectus enim ipſe non prohibet extranea, neque obſtruit. ſi uerò aliquid intelligat, aliquid eſſe in intellectu quod non ſit intellectus: ergo non poteſt intelligere per hoc quòd dixit immixtum eſſe, quod non ſit forma in corpore, quia ſi intellexiſſet quòd non eſſet forma in corpore, ratio non eſſet ad propoſitum: quia ex hoc quod eſt forma in corpore, non ſequitur ut aliquid ſit in intellectu quod prohibeat extraneum, & obſtruat: quia phantaſia eſt forma in corpore,

& tamen

& tamen non habet aliquid quod prohibeat extraneum, & obſtruat: ergo ex hoc quod dixit, Intus enim apparens prohibet extraneum, & obſtruit, ſequitur, ut per intellectum immixtum non poſsit intelligere formam non exiſtentem in corpore. Ergo perperam expoſuit Auerroes illa uerba: ergo non ſequitur ex hoc ut intus non ſit forma in corpore. etenim omnes formæ in corpore haberent quod prohiberet extraneum, & obſtrueret.

Perſpicuum etiam arbitror eſſe, Ariſtotelem non inniti illi fundamento quod dixit Auerroes: uidelicet quòd recipiens ſit denudatũ à natura recepti: ſed huic (quod planè non eſt idem) quia non cognoſceret omnia: quandoquidem intus apparens prohiberet extraneum, & obſtrueret.

SECTIO QVINTA.

SEd quoniam quæſtio iſta maximi eſt momenti, multiq; decepti ſunt (mea quidem ſententia) ex uerbis Auerrois, ut ueritas magis eluceat (cuius tuendę ſtudio quid aliquis quamuis ſummus uir ſenſerit, ſpectare non debemus) non dubitabimus exponere uerba Ariſtotelis text. tertij de Anima, uſq; ad tex. ſeptimum: ex qua expoſitione ſperamus fore ut intelligatur, Auerroem in ſua explicatione tota (ut aiunt) uia ab Ariſtotelis ſententia aberrare.

Cum igitur Ariſtoteles in primo textu ſibi propoſuiſſet conſiderare quid differat illa pars animi qua animus cognoſcit & intelligit, à cæteris eiuſdem, ut à phantaſia (quod quidem nihil aliud erat, quàm cõſiderare eius naturam & ſubſtantiam, propriasque eius affectiones, & quomodo fiat aliquando ipſum intelligere) intendit probare hanc concluſionem, quòd illa pars animi qua cognoſcit animus & intelligit, eſt impaſsibilis, quia ex hoc etiam erit perſpicua differentia ipſius ab alijs partibus animi. & uolens declarare hoc, ſumit iſtam propoſitionem tertio de Anima textu ſecundo: Si ſanè eſt intelligere ſicut ſentire: neceſſe erit eam partem animi qua cognoſcimus & intelligimus, aut pati aliquid ab intelligibili, ſicut ſenſus à ſenſibili, aut aliquid huiuſmodi alterum, ſupple pati. *3. de Anima text. 2.*

Patet conſequentia: quia ſentire eſt pati. Sentire enim, inquit Ariſtoteles ſecundo de Anima textu centeſimo decimooctauo, quodam modo pati eſt: quare faciens tale, illud facit cum ſit potentia, quale eſt ipſum actu. Et paulo pòſt: Similiter autem ſenſus uniuſcuiuſq; ab habente calorem & humorem, aut ſonum, patitur. Quia paulo antè dixerat, ipſum ſenſum eſſe ſuſceptiuum ſpecierum ſine materia. *2. de Anima text. 118.*

Cum ergo ſentire ſit pati, res ipſa cogit ut intelligere etiam ſit pati: eſt enim perinde ac ſentire: itaque neceſſe eſt ut ſit ei ſimile, quatenus ad aliquam paſsionem, quia utrunque eſt recipere & cognoſcere. Si ergo intelligere eſt pati, neceſſe eſt ut intùs patiatur ab intelligibili aliquid, eo modo quo patitur ſenſus à ſenſibili, aut alio modo. alterum enim duorum euenire neceſſe eſt. Sed fieri non poteſt ut patiatur ab intelligibili, eo modo quo ſenſus à ſenſibili: ergo neceſſarium eſt ut patiatur alio modo. hoc autem contingit, quia ſenſus patitur à ſenſibili beneficio organi. ex quo efficitur ut intellectus ſit impaſsibilis corruptiuè. & ita ponit Ariſtoteles primam concluſionem huius libri, quæ declarat ſubſtantiam intellectus ex eo patiendi modo quo patitur ab intelligibili: qui quidem eſt modus diuerſus à paſsione, qua ſenſus patitur à ſenſibili. Sic ergo eſt impaſsibilis, paſsione ſcilicet corruptiua, non paſsione illa quæ eſt receptiua & perfectiua: quare non corrumpitur, erit ergo immortalis.

Dixi autem paſsione corruptiua, quia bifariam dici pati, ut infrà declarabimus, oſtendit Ariſtoteles ſecundo de Anima textu quinquageſimo [illegible], ijs uerbis: Non eſt ſimplex ipſum pati, ſed aliud quidem corruptum à contrario, aliud autem ſalus magis eius quod potentia, ab eo quod eſt actu, & ſimili. *2. de Anima tex. [illegible].*

Hoc igitur ſenſu intelligit Ariſtoteles, quòd illa pars animi eſt impaſsibilis, paſsione quæ eſt à contrario, & ita incorruptibilis.

Ratio igitur erit iſta: Si intelligere eſt ſicut ſentire, aut patietur intellectus aliquid ab intelligibili, ſicut ſenſus à ſenſibili, aut aliquo alio modo: ſed non patitur eodem modo: ergo patitur alio modo, qui alius modus eſt, quòd

t 4 ſenſus

ſenſus patitur paſsione corporis: intellectus autem non patitur paſsione corporis: ergo intellectus eſt impaſsibilis, ergo eſt impaſsibilis corruptiuè. Sic uidetur ordinanda eſſe ratio Ariſtotelis: alioquin textus ſecundus nihil ad rem faceret. Vt autem probet Ariſtoteles, quòd intellectus patitur ab intelligibili, alio modo quàm ſenſus à ſenſibili, propterea quòd non patitur paſsione corporis ſicut ſenſus: accipit hanc ſuppoſitionem, quòd eſt ſuſceptiuus, quia ſuſcipit ſpeciem uniuerſalem. & quoniam hoc potuiſſet negari, ex eo quòd haberet omnes ſpecies ſemper actu, ut dicebat Plato, neque eas tum primùm reciperet cum intelligeret, & ita nihil poſſet probare: ſubiungit Ariſtoteles, Quòd ita ſuſcipit ſpecies, ſupple uniuerſales: hoc enim ex ſe patet, ut ſit in potentia huiuſmodi ſpecies, & non hoc, id eſt non actu. & declarans per ſimilitudinem quomodo habeat huiuſmodi ſpecies potentia, non actu, dicit ſimiliter ſe habere ſicut ſenſitiuum ad ſenſibilia, ita intellectiuum ad intelligibilia: id eſt, quòd ſicut ſenſitiuum ſe habet ad ſenſibilia, ut ſit in potentia ad ipſa, antequam ſentiat actu, & non habeat illa in ſe: ita intellectus ſe habet ad intelligibilia, ut ſit uidelicet in potentia ad ipſa antequam actu intelligat, non autem habeat illa in ſe.

SECTIO SEXTA.

ET quia ſuppoſitio quam acceperat Ariſtoteles, ut probaret id quod antecedit, negabatur (ut diximus) à Platone, quippe qui dicebat animum noſtrum habere omnes habitus, tum ſpeculatiuos, tum actiuos & factiuos ſibi mixtos naturaliter: & ita non eſſe in potentia ad ipſas ſpecies, antequam eas reciperet & intelligeret, ſed actu ſemper habere illas ſecum mixtas. Quod ſi uerum eſſet, non potuiſſet Ariſtoteles probare hoc medio animi impaſsibilitatem. ideo antequam proficiſcatur ad ulteriora, uoluit probare ipſam ſuppoſitionem: & quia hæc probatur ex hoc, quòd intellectus eſt immixtus ſcilicet cum ſpeciebus, ſeu cum habitibus dictis, ſed caret ipſis à natura, utitur hac ratione: Illa pars animi qua intelligimus, intelligit omnia, ergò eſt immixta ſpeciebus, id eſt habitibus illis quos diximus: ſicut dicebat Anaxagoras de ſuo intellectu, quòd erat immixtus, ut imperaret, alioquin non potuiſſet imperare. Nos autem dicimus (inquit Ariſtoteles) illam partem animi eſſe immixtam, ut cognoſcere poſſet omnia: quia ſi eſſet mixta, non potuiſſet cognoſcere omnia.

Probat conſequentiam: Quia intus apparens prohiberet extraneum, & obſtrueret, ſupple extraneo additum. Ordo igitur rationis, mea quidem ſententia eſt talis: Sed tota difficultas eſt in hoc uerbo Omnia, quid nam intelligatur per Omnia. quia ſi per Omnia intelligantur omnes formæ materiales, ſequentur ea incommoda quę dicta ſunt ſuperius, & nihil probabit. Si uerò intelligantur omnes habitus actiui & factiui, & ſpeculatiui, nihil item concludet: propterea quòd Plato dicere potuiſſet, Concedo intellectum intelligere omnes illos habitus, tamen dico mixtum eſſe cum illis à natura: tantum ꝙ abeſſe ſi ſit mixtus, ut ex hoc ſequatur eum non intelligere omnia, ut ſequatur oppoſitum: quia ideo intelligit omnia, quoniam habet omnes iſtos habitus ſecum mixtos. Neque illud intus apparens eſſet ad rem: quandoquidem nihil eſſet extraneum quod poſſet excludi, quia cognitiones non proficiſcuntur extrinſecus, ſed omnes eſſent tantummodo intus. ex quibus ſequeretur, rationem Ariſtotelis nihil concludere. Sed quia minimè probandum eſt tantum philoſophum uſum fuiſſe ratione quæ nullis fundamentis inniteretur, facillimeꝙ labefactari ac funditùs euerti poſſet: operæprecium eſt eius uerba recta interpretatione explicare, quæ (meo quidem iudicio) talis eſſe debet, ut per omnia intelligat omnia contraria & contradictoria, & uniuerſaliter oppoſita: id eſt, omnia uera & falſa. Etenim in dubium uenire non poteſt, quin intellectus recipiat utramque partem contradictionis, & omnia oppoſita, quod idem eſt. Vtinam non eſſet uerum: non enim tantum laboraremus, quantum laboramus. hoc enim experimur in nobis, & Ariſtoteles oſtendens intereſſe inter ſenſum & intellectum. Senſus enim, inquit, propriorum ſemper uerus & omnibus ineſt animalibus: intelligere autem ſuſcipit & falſitatem: & nulli ineſt, cui non inſit & ratio.

3. de Anima tex. 152.

Ergò per Omnia accipit Ariſtoteles oppoſita, hoc ſenſu, quòd intellectus recipit uera & falſa, & tunc ratio ita ordinabitur: Intellectus recipit uera & falſa, ergò non eſt mixtus cum ſpeciebus dictis: quia ſi eſſet mixtus cum illis, non reciperet uera & falſa.

Probatur conſequentia: quia non haberet niſi ueras ſpecies ſecum mixtas à natura. fieri enim non poſſet, ut haberet à natura oppoſita: tum quia ſtare ſimul non poſſunt, tum quia natura non daret cognitiones falſas. natura enim nati ſumus ad ueritatem (ut dictum eſt primò Rhetoricorum cap. primo.) Neque conſentit rationi, ut 1. Rhet. 1.
natura (cuius propoſitum eſt, quantum eſt in ſe, dare omnem perfectionem quæ humanitùs haberi poteſt) daret nobis eas cognitiones quæ nos in maximos errores ac tenebras ducerent, maximeq́ imperfectos redderent. haberet igitur intellectus à natura ueras cognitiones: ſed ueræ cognitiones prohiberent falſas cognitiones, quæ ſunt extraneæ naturæ ipſius intellectus, quia non fuerunt ei à natura tributæ, & obſtruerent oſtium illis: ergo cum cognoſceret omnia oppoſita, ſequitur ut non ſit mixtus natura cum ipſis habitibus quos cognoſcit & intelligit.

SECTIO SEPTIMA.

QVòd autem ueræ cognitiones, ſi eſſent connaturales ipſi intellectui, prohiberent eum recipere falſas, patet: quia ſi intellectus reciperet falſas cognitiones, cum falſa & uera non poſsint ſimul eſſe (ſunt enim oppoſita) neceſſariò cogeretur abijcere ueras. quas cum poſitum ſit eſſe illi connaturales, non poſſet abijcere: quia quod eſt à natura, non mutatur, ut oſtendemus. Ergo ueræ cognitiones prohiberent recipi falſas. Sed uidemus quòd non prohibent: neceſsitas igitur cogit, ut ueræ cognitiones non ſint ei connaturales: non ergo eſt mixtus cum illis. quod eſt id quod uolebamus oſtendere. Si igitur intelligamus per hanc uocem Omnia, illud quod diximus, omnia uidentur quadrare. erit enim aliquid intus, ex ſententia Platonis, uidelicet ueræ cognitiones: & aliquid extrinſecus, nempe falſæ cognitiones.

SECTIO OCTAVA.

SEd ut melius ea quæ diximus uideantur conſentire uerbis Ariſtotelis & ueritati, oſtendamus eiuſdem rationis ui Ariſtotelem probaſſe, uirtutes morales non ineſſe nobis à natura, hoc modo: Nos recipimus bonitatem & prauitatē, id eſt ſumus boni & mali: ergo uirtutes non inſunt nobis à natura.

Probatur conſequentia: quia ſi uirtutes ineſſent nobis à natura, non poſſemus ex bonis fieri praui. nam, quoniam fieri non poteſt ut boni & mali ſimul exiſtamus, quia ſunt oppoſita, neceſsitas cogeret, ſi fieremus praui, & acquireremus uitia, ut abijceremus uirtutes. Sed uirtutes non poſſent abijci: ergo non poſſemus fieri praui.

Huius conſequentiæ antecedens probatur ex uerbis Ariſtotelis ſecundo Ethico- 2. Ethic. 1.
rum cap. primo, quippe qui dixit: Ex quo etiam patet, nullam ex moralibus uirtutibus natura nobis acquiri. nihil enim ex eis quæ natura fiunt, aſſueſcere aliter poteſt: ut lapis cum natura deorſum feratur, nunquam ſurſum ferri aſſueſcet, neque ſi millies eum quiſpiam ſurſum proijciendo uelit aſſueſcere: neque ignis deorſum ferri, neque aliud quippiam aliter quàm natura comparatum ſit unquam aſſueſcet. neque igitur natura, neque præter naturam, uirtutes hæ in nobis acquiruntur: ſed cum idonei ad ipſas ſuſcipiendas natura ſimus, aſſuetudine perficimur.

Patet igitur ex Ariſtotelis uerbis, quòd ſi uirtutes eſſent in nobis à natura, non poſſent mutari, neq́ abijci. Facit enim Ariſtoteles hanc conſequentiam: Quod naturale eſt, non poteſt mutari: ergo uirtutes non inſunt nobis à natura, quia mutantur: recipimus enim uitia, & abijcimus uirtutes: Eodem modo licet dicere de habitibus intellectus: Quod naturale eſt, non poteſt mutari: ergo habitus dicti non inſunt nobis à natura. quia ſi ineſſent natura, non poſsemus ab illis mutari: ſed mutamur, quia recipimus falſa: ergo non inſunt nobis à natura, ut dictum eſt. eandem enim omnino rationem eſse apparet.

Poſsemus item argumentari ſic: Recipimus uiciſsim uirtutes & uitia, ergo uirtutes non ſunt nobis mixtæ à natura, quia ſi eſsent mixtæ à natura, non reciperemus

uirtutes

uirtutes & uitia: quia intus apparens, id eſt uirtutes exiſtentes nobis mixtæ, prohibe-rent uitia quę eſſent extranea, & obſtruerent oſtium illis. Sed cum non prohibeant, cogimur dicere, uirtutes non eſſe nobiſcum naturaliter mixtas.

Eadem quoque ratione uidetur probare Ariſtoteles, materiam primam non habere propriam formam ſibi connaturalem, quia non poſſet recipere formas contrarias. non enim poſſet mutari, & contrarium non ſuſcipit contrarium.

Item, quòd elementa non habent figuram propriam cõnaturalem, quia non poſſent ſuſcipere alias. non enim poſſent mutari propria forma & connaturalis.

Tantum igitur uidetur abeſſe, ut falſa, & ab Ariſtotelis ſententia aliena dixerimus, explicantes uocem Omnia eo modo quo diximus, id eſt oppoſita, ut nihil uerius, nihil que quod magis uim demonſtrationis Ariſtotelis oſtendat, dici poſſe exiſtimemus: quicquid dixerit Auerroes, qui longè uidetur hac in re à ſententia Ariſtotelis diſceſſiſſe.

SECTIO NONA.

3. de Anim. 5. Quare neque ipſius, &c.

CVm Ariſtoteles probaſſet, partem animi dictam non eſſe mixtam cum ſpeciebus quas recipit in hac parte: concludit ex eis quæ dicta ſunt, id quod oſtendimus, eum uelle probare quod erat acceptum in textu tertio, uidelicet ipſum antece-
» dens. Si ergo non eſt mixtus cum ſpeciebus, inquit, neceſſe eſt ipſius non eſſe quan-
» dam aliam naturam, neq; unam niſi hanc naturam quòd ſit poſſibilis, qui uocatur a-
» nimæ intellectus.

Et quoniam dixerat, Qui uocatur animæ intellectus, quia etiam intellectus dicitur de phantaſia, & de agente. antequam declaret quid intelligat per uocem Poſſibilis, explicauit de quo animi intellectu intelligat, ne aliquis deciperetur promiſcuè
» intelligens, uniuerſali quadam comprehenſione. & ait: Dico autem intellectum nõ
» omnem, ſupple animi intellectum, ſed eum quo intelligit & opinatur animus.
» Et ut explicet quod dictum eſt: Dico autem, inquit, hunc poſſibilem nihil eſſe
» actu eorum quæ ſunt antequam intelligat. Quod ſequitur ex hoc, quòd non eſt mixtus cum ſpeciebus. Quæ uerba nihil aliud uidentur ſignificare, niſi quod eſt ſuſceptiuus ſpecierum, & potentia habet huiuſmodi ſpecies, non actu. eſt enim poſſibilis, quia non eſt actu ex natura ſua, ſed potentia: & nullam ſpeciem habet actu antequam intelligat, quia non eſt mixtus cum ſpeciebus: ſed ſe habet ad intelligibilia, ſicut ſenſus ad ſenſibilia, quantum ad hoc. & eſt id quod diximus ipſum uelle probare. Nam ſicut ſenſus, antequam ſentiat, eſt in potentia ad ſentiendum, & non habet actu aliquid eorum quæ ſentit: ita intellectus eſt in potentia ad intelligendum, neque habet actu aliquid eorum quæ intelligit, ut patet.

Conſequentia autem perſpicua eſt: quia ſi non eſt mixtus cum ſpeciebus à natura, & ipſas recipiat ut uidemus: neceſſitas cogit ut de nouo eas recipiat, & ab extrinſeco. Sed id quod recipit aliquid quod antè non habebat, neceſſe eſt ut prius fuerit in potentia ad illud, antequam actu haberet, alioquin non potuiſſet illud recipere.

Ex quibus patêre arbitror, explicationem Auerrois, qua interpretatus eſt intellectum eſſe immixtum, id eſt abſtractum à materia, non rectã fuiſſe: quia ex hoc quod eſt abſtractus à materia, non ſequitur ut ſit in potentia ad ea quæ intelligit: quia poſſet eſſe abſtractus à materia, & tamen habere actu omnes ſpecies, ut dicebat Plato, & ita non eſſet in potentia ad illas.

Item, ſi non eſſet abſtractus à materia, tamen ſequi potuiſſet, ut eſſet in potentia ad omnes formas: nihil ergo refert, quantum ad hoc ut ſit in potentia, utrum ſit abſtractus à materia, nec ne: imò ſi eſſet abſtractus, poſſet tamen habere ſpecies connaturales, ut diximus: & ſic in actu eſſe, & non in potentia. Sed ſi eſt immixtus ſpeciebus, neceſſarium eſt ut ſit in pura potentia ad eas ſpecies quas uidemus ipſum recipere. itaque mihi uidetur ex hoc etiam textu euerti manifeſtiſsimè Auerrois explicatio, & noſtra confirmari atque ſtabiliri. Textus item tertius qui habet

intellectum

intellectum eſſe ſuſceptiuum ſpeciei,& non hoc,id eſt non actu ſed potentia,apertè uidetur indicare, Ariſtotelem in 4. tex. per immixtum intellexiſſe, immixtum ipſis ſpeciebus: alioquin tex. quartus non faceret ad rem.

SECTIO DECIMA.

Vnde neque mixtum,&c.

POſtquam demonſtrauit Ariſtoteles, intellectum quem accepit eſſe ſuſceptiuum ſpeciei in potentia,& non actu, antequam recipiat & intelligat ipſam ſpeciem: in hac parte oſtendit, ex hoc quòd ita ſe habet, ſequi ratione ipſa docente & perſuadente, ut non ſit mixtus cum corpore. unde efficitur, eum non pati ad paſſionem corporis. Sed antequam probet hoc ea uia qua dictum eſt, ad aliam ſe conuertit, ut dicemus: ſed tamen uera ac germana uia eſt illa quam diximus. Inquit ergo, quia intellectus huiuſmodi eſt, ut demonſtrauimus, ideo rationi conſentit ut non ſit mixtus cum corpore: id eſt, non educatur ex potentia corporis, quod corpus eſt materia animi. & antequam hoc probet per illud medium unde defluxit, probat ut dictum eſt, alio medio ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis, dicens: Quia ſi eſſet mixtus corpori, qualis enim utique fieret, aut frigidus, aut calidus: ſed, ſupplendum eſt, non fit neque frigidus neque calidus: ergo non eſt mixtus corpori.

Conſequentia autem uidetur probari poſſe ex eis quæ ſecundo de Generatione & corruptione, textu quadrageſimoquinto ſcripta reliquit hoc modo: Inconueniens autem & ſi anima ex elementis, aut unum aliquid eorum. alterationes enim animæ quomodo erunt? ucrbi gratia, Muſicum eſſe, & rurſus non muſicum, aut memoria, aut obliuio. palàm autem quoniam ſiquidem ignis anima, paſsiones erunt ei, ſecundum quod ignis: ſi autem mixtus, corporales: harum autem nulla corporalis. *2. de Generat. & corrup. tex tu 45.*

Si igitur anima eſſet mixta cum corpore, haberet paſsiones corporales, & fieret frigida aut calida. ſed non habet paſsiones corporales, neque fit frigida & calida, ut patet: ergo non eſt mixta cum corpore.

Deinde pergit dicere: Quòd ſi eſſet mixta cum corpore, non ſolùm fieret qualis quædam, ut frigida uel calida: ſed etiam haberet organum corporale, id eſt haberet determinatam partem corporis qua intelligeret: ſicut habet anima ſenſitiua. potentiæ enim uiſiuæ oculus eſt organum quo uidet: potentiæ auditiuæ, auris qua audit: olfactiuæ, naſus quo olfacit: potentiæ guſtatiuæ, lingua qua guſtat. non enim in omni parte corporis eſt guſtatus. & ita de tactu, cuius organum eſt caro uel neruus. nunc enim non refert, hoc'ne an illo modo dicamus. Phantaſia etiam & ſenſus communis, & memoratiua habent partem determinatam, cor ipſum, ex ſententia Ariſtotelis. Si ergo intellectus eſſet mixtus cum corpore, haberet organum corporale, ſicut habent aliæ partes animæ quæ ſunt mixtæ cum corpore, ut oſtendimus. ſed non habet organum corporale: ergo non eſt mixtus cum corpore.

Probatur antecedens: quia ſi haberet organum corporale, igitur non eſſet ſuſceptiuus ſpeciei uniuerſalis, ad quam eſt in potentia, non actu, antequam intelligat: & non ſe haberet ad intelligibilia, ſicut ſenſus ad ſenſibilia. Conſequens eſt falſum, ut patet ex ſuperioribus: ergo neque id unde elicitur, uerum eſſe, ſatis apparet.

Conſequentia uerò probatur: quia quod habet organum corporale, non recipit niſi ſingularem ſpeciem. quia ſpecies exiſtens in organo, eſt ſpecies ſingularis neceſſariò. eſt enim extenſa ad extenſionem organi: quæ ſpecies non poteſt repræſentare uniuerſalem ſpeciem, quia eſt cum materia: non ergo reciperet intellectus ſpecies uniuerſales.

Item, non eſſet in potentia ad illas uniuerſales ſpecies, quia intelligeret in organo: ſiquidem potentiæ quæ habent organum, non poſſunt percipere aliquid niſi ipſius organi beneficio atque opportunitate: ſicut patet de potentijs quæ dictæ ſunt. igitur non poſſunt apprehendere niſi ſingulares ſpecies: ergo non ſunt in potentia ad uniuerſales: fruſtra enim eſſet illa potentia. neque poteſt dici quòd intellectus habeat illas ſpecies actu, quia hoc iam reiectum fuit.

Item,

Item, non ſe haberet ad intelligibilia, ſicut ſenſus ad ſenſibilia: quia cum ſenſus moueatur à ſenſibilibus, intellectus non poſſet moueri ab intelligibilibus. Sed in nobis experimur, quòd intellectus ſuſcipit ſpecies uniuerſales, & quòd eas non habet in actu, ſed eſt in potentia ad illas antequam intelligat: & quòd ſe habet ad intelligibilia ſicut ſenſus ad ſenſibilia. Ergo falſum eſt quod habeat organum corporale: igitur uerum eſt quòd non eſt mixtus cum corpore, id eſt cum materia: ergo nō patitur ad paſſionem corporis, ergo eſt impaſſibilis corruptiuè, quæ fuit noſtra concluſio principalis. quare uerum eſt quod diximus.

Probatur conſequentia hoc modo: Ea quæ non miſcentur cum corpore, ſunt impaſſibilia ad paſſionem corpotis: intellectus non miſcetur cum corpore, ergo eſt impaſſibilis ad paſſionem corporis.

Maior propoſitio eſt perſpicua. nam quæ nihil habent commune cum corpore, quomodo poſſunt pati ad paſſionem corporis? intellectus nō patitut ad paſſionem corporis ſeu materię. idem enim eſt: ergo eſt incorruptibilis. omne enim quod corrumpitur, ideo corrumpitur, quia patitur ex paſſione corporis. Quod licet per ſe clarum ſit (materia enim eſt cauſa generationis & corruptionis) tamen oſtendit Ariſtoteles ſeptimo Meta. ijs uerbis:
7. Meta. Omnia enim quæ fiunt natura uel arte, habent materiam, quia poſſunt eſſe, uel non eſſe. hoc autem eſt in unoquoque materia, id eſt cauſa, uidelicet ut ſint, uel non ſint. materia ergo eſt cauſa corruptionis: quæ erat noſtra cōcluſio principalis.

9. Meta. tex. 11. & 16. Idem etiam confirmat Ariſtoteles, ubi ait: Materia enim non eſt ſine contrarijs. igitur quod caret materia quæ eſt in potentia, de qua nunc loquimur, caret cōtrarijs. quod caret contrarijs, non corrumpitur, ut dicit Ariſtoteles: ergo quæ non habent
Lib. de cauſa lōgitud. & breuitatis uitæ. materiam, non generantur neque corrumpuntur: ergo non patiuntur.

1. Cœli. 2. Cœli. Quòd autem per impaſſibile intelligat Ariſtoteles incorruptibile, oſtendit multis in locis, ſed maximè ſecundo Cœli, ubi ait: Nunc autem teſtificatur ratio, quòd ſi incorruptibile, & ingenerabile, adhuc autē impaſſibile omnis mortalis difficultatis.
3. de Anima tex. 20. Et tertio de Anima, his uerbis: Non reminiſcimur autem, quia hoc quidem impaſſibile eſt, paſſiuus uerò intellectus corruptibilis eſt. Quo in loco manifeſtū eſt, ipſum ponere intellectum paſſiuum corruptibilem e regionè intellectus impaſſibilis.

SECTIO VNDECIMA.

DEmonſtratio igitur Ariſtotelis fuit huiuſmodi: Intellectus eſt ſuſceptiuus ſpeciei, ſcilicet uniuerſalis, ad quam eſt in potentia antequam intelligat, & non actu. & ſe habet ad intelligibilia, ſicut ſenſus ad ſenſibilia: ergo eſt impaſſibilis, id eſt incorruptibilis.

Probatur conſequentia: quia ſi eſt, ut diximus, non habebit organum corporale: ergo non erit mixtus cum corpore, itaque erit impaſſibilis.

Antecedens probatum fuit ex eo quòd non eſſet mixtus cum ſpeciebus quas intelligebat. Illud ergo eſt uerum medium, ad demonſtrandam animi noſtri immortalitatem. Et ſic exponendo omnia Ariſtotelis uerba quæ citata ſunt, ut mihi quidem uidetur, inter ſe conſentient. Hoc autem medium non fuit expreſſum in textu ſexto, quia aduerbium Vnde ſignificabat illam concluſionem, quòd intellectus nō eſt mixtus cum corpore, ſequi ex præcedenti concluſione: Quare neque ipſius, &c. Quod erat id quod in textu tertio proponit Ariſtoteles probandum: in textu uerò quinto ſumpſit ut probatum. Nō enim ex alio dicto priori ſequi poterat. Quod aduerbium non poteſt referre Auerroes & cæteri interpretes ad ſuperiora. & cum hic dicat Ariſtoteles, Neque mixtum corpori: Auerroes nō poteſt accipere illud, Neceſſe eſt quoniam omnia intelligit immixtum eſſe: hoc ſenſu, ut interpretetur nō mixtum corpori. quia hic non repetiſſet Ariſtoteles, non mixtum corpoti. id enim potius in textu quarto, ubi erat primò poſita concluſio, fuiſſet explicandum: non hoc loco. Satis enim fuiſſet, ſi dixiſſet, Probatur ſic: & adduxiſſet rationes, ſicut fecit in 6. tex. ubi poſtquam concluſiſſet non eſſe mixtum corpori, intulit duas rationes, ſine repetitione eiuſdem concluſionis.

Præterea ſi illud aduerbium Vnde ſignificat, ut diximus, illam concluſionem deduci ex ſuperioribus: ergo non erat alia ratio.

Item,

Item, cũ dicat Ariſtoteles hoc loco Mixtum corpori: ſuperius autem dixerit Mixtum tantùm, non addens uocem Corpori: ſatis apertè uidetur ſignificare, ſe intellexiſſe aliam mixtionem, ab ea quæ eſt mixtio cum corpore. in tex. 4.

Sed noſtram interpretationem, qua diximus Ariſtotelem probaſſe intellectum non habere organum corporale, ex eo quia recipit ſpecies uniuerſales, ad quas eſt in potentia, non actu, antequam intelligat, magis etiam confirmamus: cuius ſanè confirmatio (meo quidem iudicio) colligi poteſt ex eo quod addidit in eodem textu: Et bene iam dicentes ſunt, Animam eſſe locum ſpecierum: uerùm nòn totam, ſed intellectiuam: neq; actu, ſed potentia ſpecies. Non enim hæc uerba ad rem facerent, niſi mentio facta fuiſſet, animam ſuſcipere ſpecies uniuerſales. nam quid hoc in loco opus illis erat?

Item, niſi intellexiſſet Ariſtoteles de ſpeciebus uniuerſalibus, non potuiſſet laudã do antiquos dicere, animam eſſe locum ſpecierum, ſed non totam, uerùm intellectiuam: quia etiam anima ſenſitiua eſt locus ſpecierum, ſed non uniuerſalium, eſt enim ſingularium. Et quidem magis propriè uidetur dici locus ſpecierum, quàm intellectiua. nam intellectiua dicitur locus ſpecierum, quia ſolùm recipit ſpecies, non autem conſeruat: quoniam non datur ex ſententia Ariſtotelis memoria intellectiua per ſe, ut patet ex libro de Memoria & reminiſcentia, & ut dicemus. Senſitiua uerò non ſolùm poteſt dici locus ſpecierum, quia recipiat, uerùm etiam quia conſeruat: memoria enim eſt partis ſenſitiuæ. *in lib. De memoria & reminiſcentia.*

Item cum dixit, non actu, ſed potentia ſpecies: oſtendit ſe hæc uerba poſuiſſe propter cauſam dictam. repetit enim illa: Nam inductio ipſorum quam ponit Auerroes, mihi leuis admodum & inanis uidetur. Etenim ſi dixerat, intellectum non eſſe mixtum corpori: quomodo hinc potuit inferre, eos rectè loquutos eſſe qui dixerant animam eſſe locum ſpecierum? non enim ad rem pertinet. Potuiſſet etiam eorũ opinionem laudare qui dixerunt cœlum eſſe æternum, & materiam primam eſſe ingenerabilem & incorruptibilem. non enim minus hæc uidentur accõmodari poſſe ad illud, quòd intellectus non eſt mixtus cum corpore, quàm hoc, quòd ſit locus ſpecierum. Sed cum abſurdum ſit putare, Ariſtotelem temerè nulloq; conſilio illa uerba protuliſſe hoc in loco, & nuſquam melius poſsint referri quàm ad id quod dictum eſt, ut eò quidem referantur, maximè conſentaneum rationi uidetur.

Ea igitur quæ allata eſt demonſtratio, mihi uidetur omnium maximè animi noſtri immortalitatem conſtituere atq; confirmare, hiſq; niti fundamentis, ut nullam partẽ eſſe in philoſophia naturali (quæ quidem ex poſteriorib. & effectibus proficiſcatur) firmiorẽ. Duo enim maximè, eaq; longè clariſsima huic ſententiæ ſuffragantur. quorũ alterũ eſt, quòd anima intellectiua ſit ſuſceptiua ſpecierũ uniuerſalium, quas non habet actu, ſed potentia, à quibus mouetur ſicut ſenſitiua à ſenſibilibus: quod cùm apertiſsimè ſequitur ex eo, quia intellectus intelligit omnia, quę propoſitio eſt ualde perſpicua, ſi rectè intelligatur, ut diximus: tũ uerò ita eſſe experimur in uerbis ipſis. ſentimus enim, nos intelligere uniuerſaliter. Alterum eſt, quòd organum corporale non recipit ſpecies niſi ſingulares. quod item clarum eſt, ut qui id neget, ei negandum ſit ſe non ſentire quod ſentiat. non enim magis perſpicua eſt illa demonſtratio, qua probatur corpora habere materiam, quia mutantur ex contrario in contrarium: & contrarium non poteſt recipere contrarium, quoniam ſimul eſſe non poſſunt. aliquando autem uidemus contraria ſimul aliquo modo ſtare, ut patet in corruptione huiuſmodi.

Præterea, qui non credit per hanc demonſtrationem animi immortalitatẽ ex uia naturali, quomodo poterit fidem habere illis concluſionibus quæ concluduntur ex philoſophia ab Ariſtotele de Primo motore, quòd ſit abſtractus à materia, & quòd ſit intellectus purus? cõcluduntur enim ex hoc, quòd motus eſt æternus. non eſt autem euidẽtior motus æternitas, quàm quòd intellectus recipiat ſpecies uniuerſales, & quòd organum corporale recipiat ſpecies ſingulares. & breuiter, ſi percurramus omnes demonſtrationes quæ ſunt in Metaphyſicis, & in philoſophia naturali, non inueniemus aliquam earum hac ipſa firmiorem & clariorem. *8. Phyſ. 12. Meta.*

SECTIO DVODECIMA.

HAec ergo demonſtratio una ex omnibus rem ipſam maximè concludere mihi

 uidetur.

uidetur.etenim illa,quòd intellectus ſi miſceretur corpori,fieret calidus aut frigidus,
non mihi uidetur æquè dilucida:& ideo hanc Ariſtoteles non repetiuit 2.de Genera
tione animal.cap.3.cum uellet eandem concluſionem oſtendere:ſed eam quam dixi-
2. de Generat. anim. 3. mus.loquens enim de omni animi parte:Sed aut omnes(inquit) contingere cum an
tè non fuerint neceſſe eſt:aut omnes cum antè fuerint: aut partim cũ antè nõ fuerint,
& contingere:aut in materia non ſubeuntes ſemen maris: aut eò quidẽ inde uenien-
tes,ſed in mare:aut omnes extrinſecus contingere,aut nullã:aut partim extrinſecus,
partim non extrinſecus. Cæterùm omnes ante eſſe impoſsibile,rationibus his oſten
ditur. Quorum enim principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore non poſſe
certum eſt:uerbi gratia,ambulare ſine pedibus.itaq; ea extrinſecus uenire impoſsibi
le eſt:neq; enim ipſa per ſe accedere poſſunt,cum inſeparabilia ſint.neq; cum corpo-
re:ſemen enim excrementum alimenti mutati eſt.reſtat igitur ut mens ſola extrinſe-
cus accedat,eaq; ſola diuina ſit. nihil enim cum eius actione communicat actio cor-
poralis. Argumentatur ergo ſic:Intellectus operatio non fit organo corporali:er-
go intellectus non naſcitur ex corpore,neq; miſcetur cũ corpore:ergo deforis uenit:
ergo intellectiua anima ſola eſt inter cęteras animas diuina, quia nõ naſcitur ex cor-
pore,neq; miſcetur cum corpore,ſicut res diuinæ, ut intelligentiæ. ſunt enim abſtra-
ctæ à materia.

Probat deinde conſequentiam:quia ſi naſceretur ex corpore, aut miſceretur cum
corpore,actio corporalis communicaret cum eius actione. Quod idem eſt ac ſi dice
ret, eius actio uteretur organo corporali. nam antea dixerat: Quorum enim princi-
piorum actio eſt corporalis,hæc ſine corpore ineſſe non poſſe certum eſt.

Antecedens uerò reliquit, manifeſtum ex eis quæ dixerat de cæteris partibus ani
mi:quia conſtat actionem intellectus eſſe : quod recipit ſpecies uniuerſales, ad quas
erat in potentia. Eſt ergo iſta demonſtratio eadem quæ illa quam diximus, & expli-
cat mentis actionem, quæ eſt(ut diximus) intellectio uniuerſalium , ad quæ erat in
potentia. idq; confirmat noſtram ſententiam , quòd uidelicet intellectus , quoniam
eſt ſuſceptiuus ſpecierum uniuerſalium.ad quas erat in potentia,& non actu,nõ uta
tur organo corporali . Verba tamen citata in 2. lib. de Generat.animal. à nobis in
ſequentibus clarius explicabuntur:ſunt enim maximi momenti.

Eſt autem hæc demonſtratio ex poſterioribus , quia ab effectibus ducta eſt , qui
quidem ſunt euidentiſsimi.Et quoniam ita perſuaſum habemus, Ariſtotelem ex ra-
tione naturali putaſſe intellectum eſſe immortalem,poſtquam incidimus in hunc lo
cum.non dubitabimus, cum res ſit tanti momenti, neq; ob infirmitatem ualetudinis
noſtræ liceat nobis ſperare futurum,ut poſsimus interpretari tertium librum de Ani
ma, proferre multa Ariſtotelis loca, ex quibus facile erit intelligentia conſequi, cre-
bris eum ſignificationib.huius ſententiæ nos admonuiſſe: præſertim cum hæc etiam
omnia faciant ad noſtrum ultimum finem conſequendum,ut dicemus.

Ariſtoteles igitur primo de Anima tex. 49. refellens opinionem Platonis , qui in
Timęo fecerat animam naſci ex elementis,& eſſe mixtam corpori,quod ſequebatur
ex priore dicto (neceſsitas enim cogit, ut ſi naſcatur ex elementis , etiam corpori ſit
mixta)refellens inquam Ariſtoteles hanc Platonis opinionem,hęc uerba ſcripta re-
liquit : At uerò neq; beatum, quod non facile eſt , ſed uiolentum . ſi autem eſt motus
ipſius , non ſubſtantia extra naturam utiq; mouebitur. Laborioſum autem eſt,com-
mixtam eſſe animam corpori , nec poſsibile abſolui, & adhuc fugiendum. ſiquidem
melius eſt intellectui abeſſe à corpore,quod uulgò dici ſolet, & uidetur multis.

Si ergo ex ipſius ſententia, melius eſt intellectui non eſſe mixtum cum corpore:
ergo exiſtimat eum non eſſe corpori mixtum.

Probatur conſequentia,ex eis quæ dicta ſunt ab ipſo primo Ethic.cap.decimoter
1.Ethic.13. tio.etenim eo in loco loquens de felicitate,quęſiuit,poſſet'ne acquiri per diſciplinã,
an per conſuetudinem, an per quoddam aliud exercitium,an per aliquam cauſam di
uinam,an per fortunam.Et cum nonnulla dixiſſet,addidit:Fieri poteſt ut inſit omni-
bus illis qui non ſunt uirtute priuati, per quandam diſciplinam & curam. Si autem
eſt ſic melius quàm per fortunam fieri felicem , rationi conſentit ut ſic ſe habeat, ſci-
licet quòd non inſit per fortunam. ſiquidem ea quæ ſunt ſecundum naturam, ut poſ-
ſibile fuit ſe habere optimè,ita natura ſunt.

Si ergo ualet ratio Ariſtotelis de beatitudine, quòd non ſit per fortunam, quia ita melius eſt: ualebit etiam quòd intellectus non ſit mixtus cum corpore, quia melius eſt ipſi non eſſe mixtum.

SECTIO DECIMATERTIA.

CONfirmat poſtmodùm Ariſtoteles, intellectum nō eſſe mixtum cum corpore, ex eo quòd conſuetum erat dici, & uidebatur multis ita eſſe. His ergo uerbis uidetur non leuiter nos admonuiſſe ſuæ ipſius de intellectus immortalitate, ſententiæ. quæ quidem ſi ea fuiſſet, ut exiſtimaret intellectum mixtum eſſe cum corpore, fruſtra refutaſſet Platonis opinionem, & multorum præterea philoſophorum qui dicebant animam eſſe neſcio quid corporale, & ipſe in maxima opinionis inconſtantia manifeſtè teneretur.

Deinde cum argumentatus eſſet pro eis qui aſſerebant animam moueri, quia dolerer, gauderer, confideret, timeret, iraſceretur, ſentiret, & intelligeret (quæ omnia ui-
derentur eſſe motus quidam) rurſus ſic contrà diſſeruit: Hoc autem non eſt neceſſe, 1. de Anima
ſupple ipſam moueri. ſi enim & maximè gaudere, & aut dolere, aut intelligere, mo- tex. 63.
tus ſunt, & unumquodque moueri horum, moueri aut ab anima, ut iraſci, aut timere. “
Sed hoc eſt in eo quòd cor ſic mouetur: intelligere autem, aut tale forſitan, aut eſt al- “
terum aliquid.

Vbi patet uoluiſſe, animam ſenſitiuam moueri motibus dictis, quia eius organum mouetur & patitur: de intellectu uerò, & de ipſo intelligere, loquutus eſt disiunctiuè: uel ſic eſſe, quia cor mouetur, uel eſſe alterum aliquid. quod quidem uidetur innuere, non eodem modo moueri animam intellectiuam quo mouetur ſenſitiua. quia anima intellectiua ſi eſſet mortalis, dependeret ab organo, ſicut ſenſitiua, & non opus fuiſſet ipſum loqui diſiunctiuè. uidetur ergo ſignificaſſe, ſe opinari, eam non dependere ab organo.

Item paulo pòſt cum dixiſſet: Dicere animam iraſci, ſimile eſſe, ac ſi aliquis dixerit Ibid. tex. 64.
eam texere, uel ædificare, & quòd motus ſunt in ſenſibilibus organis, & quiete, addi “
dit: Intellectus autem uidetur in fieri ſubſtantia quædam inexiſtens, & non corrum- Ibid. tex. 65.
pi: maximè enim corrumperetur ab ea quæ eſt in ſenio debilitate. nunc autem, ſup- “
ple non corrumpitur: quemadmodum in ſenſitiuis accidit, ſi accipiat ſenior oculum “
iuuenis, uidebit ut iuuenis. quare non eſt in ſuſtinendo aliquid animam, ſed in quo, “
ſicut in ebrietatibus & infirmitatibus. Poſt quæ uerba ſubiunxit: Et intelligere ſa- Ibid. tex. 66.
nè, & ſpeculari marceſcũt, alio quodam intus corrupto: intelligere autem, aut ama- “
re, aut audire, non ſunt illius paſsiones, ſed huius habentis illum, ſecundum quod il- “
lum habet. quare & hoc corrupto, neque hoc memoratur, neque amat: non enim il- “
lius erat, ſed communis, quod quidem diſſolutum. Intellectus autem fortaſsis diui- “
num aliquid, atque impaſsibile. “

Ex hac autem intellectus ſimilitudine cum ſenſu noluit Ariſtoteles dicere, intellectum indigere organo, ſicut indiget ſenſus (alioquin à ſeipſo diſſentiret) ſed quòd ad intelligendum indiget phantaſia, quæ ſubminiſtret ſibi obiectum: non quòd tamen phantaſia ſit intellectus, aut quòd ipſe intelligat in parte determinata corporis. euerteret enim quod dixerat, intellectum non corrumpi, quia corrumperetur ab ea quæ eſt in ſenio debilitate, & ipſum intelligere eſſe impaſsibile. ac uoluit dicere ne ſenſum quidem corrumpi per ſe, ergo tanto minus intellectum. Sed de his in ſequentibus.

His igitur textibus non ſolùm innuit Ariſtoteles, ſed etiam uidetur probaſſe intellectus immortalitatem: quæ tamen probatio non erat firma & clara, niſi poſtquam adhibita fuit in tertio ea quam diximus demonſtratio: ab ipſa enim dependet. Sed ſatis eſt nobis hic quòd dixit intellectum non corrumpi, quia non mouetur per ſe, neque per accidens: quoniam erat fortaſſe diuinum aliquid & impaſsibile. Sed de hoc ipſo textu in ſequentibus pluribus agemus. Etenim ſemper Ariſtoteles ſeparat intellectiuam animam à ſenſitiua: quod non faceret, niſi demonſtraturus fuiſſet, ipſum intellectum eſſe ſeiunctum à ſenſu. fruſtra enim hoc faceret.

Item in eodem libro, textu octogeſimoſecundo: Anima autem, inquit, aliquid Ibid. tex. 82.

» melius eſſe & antiquius, impoſsibile eſt: impoſsibilius autem adhuc intellectu. ratio-
» nabiliſsimum enim, hunc eſſe nobiliſsimum ſecundum naturam. Quibus etiam
uerbis perſpicuè oſtendit, ſe ponere intellectum alterius naturæ ab anima ſenſitiua.

1. de Anima text. 92. Atque in eandem ſententiam textu nonageſimoſecundo hæc ſcripta reliquit: Du-
bitabit autem aliquis & de partibus ipſius, quam potentiam habet unaquæque po-
» tentia in corpore. Si enim tota anima omne corpus continet, conuenire, & partium
» unamquamque continere aliquid corporis. hoc autem aſsimilatur impoſsibili: qua-
» lem enim partem aut quomodo intellectus continebit, graue eſt fingere.

Innuit enim, intellectum nullam partem corporis continere, quod eſt, nullum or-
ganum habere: atque ita ſemper intellectum ſeiungit à ſenſu cuius item ſententiæ ui-
2. de Anima tex. 11. detur maximam ſignificationem dediſſe illis uerbis: Quòd igitur non ſit anima ſepa-
rabilis à corpore, aut partes quædam ipſius, ſi partibilis apta nata eſt, non immanife-
» ſtum eſt. quorūdam enim actio partium ipſarum. atq; uerò quaſdam nihil prohibet,
» propter id quòd nullius corporis ſunt actus. Amplius autem immanifeſtum, ſi ſit cor-
» poris actus anima, ſicut nauta nauis.

Etenim oſtendit, quaſdam partes animæ non eſſe ſeparabiles à corpore, quia ſunt
actus aliquarum partium corporis: & nihil prohibere, quaſdam ſeparari à corpore,
propterea quòd nullius partis determinatæ corporis ſunt actus. quod quidem nihil
aliud eſt quàm dicere, illas partes animæ quæ utuntur organo, id eſt parte determi-
nata corporis, non eſſe ſeparabiles à corpore: illas uerò quæ non utuntur parte de-
terminata corporis, eſſe à corpore ſeparabiles. & dixit nihil prohibere dari aliquas
partes animæ, quæ nullius partis determinatæ corporis ſint actus. Quòd ſi ita eſt, er-
go hæc erit uera eius opinio, præſertim cum ipſe hoc poſtea demonſtret.

Addit deinde, hoc eſſe obſcurum & incertum, an ſit anima actu corporis, ſicut
nauta nauis. quod non eſt accipiendum in eam ſententiam, ut exiſtimemus eum
dubitare, nunquid anima aſsiſtat ſolùm operationi corporis, & non det eſſe cor-
pori: ſicut nauta non dat eſſe naui, ſed ſolùm facit ut nauis moueatur atque opere-
tur: quia fieri non poteſt ut ſit aliqua forma quæ non det eſſe materiæ. refertur enim
forma ad materiam, & eſt qua aliquid eſt actu: alioquin euerteretur natura formę.
Sed ſunt accipienda illa Ariſtotelis uerba in eum ſenſum quem ipſe explicat in ter-
tio libro, & in alijs locis, ut dicat animam intellectiuam eſſe actum ſeparabilem à cor-
pore, ſicut nauta ſeparatur à naui: & extrinſecus accedat in corpus, ſicut nauta extrin-
ſecus accedit in nauim. etenim has duas omnino cōcluſiones Ariſtoteles, & has duas
ſimilitudines demonſtrat. De illa autem quam antè diximus, nuſquam ne minimum
quidem uerbum facit. Sequenda igitur uidetur eſſe ea ſententia, quam oſtendimus:
alioquin euerterentur omnia quæ de forma & materia dixit Ariſtoteles, qui qui-
dem mancus planè in ea quam de anima tradidit ſcientia fuiſſet, ſi hanc quæſtionem
quæ eſſet maximi momenti ad perfectam ipſius animæ cognitionem, in dubio
reliquiſſet.

Item ſequeretur, ut anima non eſſet corporis ſubſtantia, ſicut nauta non eſt ſub-
ſtantia nauis. quod eſt etiam Ariſtotelis ſententiam labefactare, ac penitus conuel-
lere: qui ſecundo de Anima textu quarto: Neceſſe eſt, inquit, animam ſubſtantiam
eſſe, ſicut ſpeciem corporis potentia uitam habentis.

Ibid tex 4. Item, non eſſet primus actus corporis phyſici potentia uitam habentis, ſed ſecun-
Ibid. tex. 6. dus actus: quod item eſt uerba Ariſtotelis prorſus euertere.

Poſſemus afferre ſexcenta alia Ariſtotelis loca, ad hanc ſententiam confirman-
dam & corroborandam: ſed nunc id non agimus. Verùm ut ad maiorem uerborum
Ariſtotelis explicationem uiam aperiamus, afferemus etiam quæ ipſe octauo Phy-
8. Phyſ. tex. 28. ſicorum textu uigeſimooctauo, loquens de motore & moto, ſcripta reliquit ad
» hunc modum: Sed quomodo oportet accipere mouens ipſum, & quod mouetur:
» uidetur enim quòd ibi ſit accipiendum, ut in nauibus, & in natura exiſtentibus. & ſic
» in animalibus eſſe diuiſum mouens, & quod mouetur.

Quibus uerbis apparet, eum non accepiſſe ſimilitudinem nauium eo ſenſu, ut
diceret, ſicut nauta non dat eſſe naui, ita mouens in animalibus non dare eſſe a-
nimali: ſed ſolùm ut oſtenderet, mouens ſeparari ab eo quod mouetur. Ita etiam
in loco ſuperius citato uidetur accipienda eſſe hæc ſimilitudo, quam in ſenten-
tiam

tiam uenit Auerroes, & rectè quidem meo iudicio: quem utinam mihi liceret æquè
in cæteris laudare, atque in hac re. exponens enim dicta Ariſtotelis uerba: Sed hóc,
inquit, manifeſtum non eſt in omnibus partibus eius, cum ſit poſsibile ut aliquis di- "
cat, quòd quædam pars eius non eſt perfectio alicuius membri corporis: aut dicat, "
quòd licet ſit perfectio, tamen quædam perfectiones poſſunt abſtrahi, ut perfectio "
nauis per gubernatórem. Propter igitur hæc duo, inquit Auerroes, non uidetur
manifeſtum ex hac definitione, quòd omnes partes animæ poſsint abſtrahi. & ita pa-
tet, ipſum ſequi eam interpretationem quam diximus.

Sed ſatis eſt nobis, ex Ariſtotelis uerbis quæ attulimus, conſtare, nihil próhibe-
re quaſdam partes animæ eſſe ſeparabiles à corpore: quam quæſtionem poſtea diſ-
ſoluit ipſe, ut oſtendimus, afferendo demonſtrationem. Illi uerò qui dixerunt ex e-
ius ſententia, nullas partes animæ eſſe ſeparabiles à corpore, afferant ipſi demon-
ſtrationem, qua Ariſtoteles hoc probauerit: ſed cum nullam poſsint afferre, ut ia-
ceat eorum interpretatio neceſſe eſt. non enim ſatis eſt ad ſuam opinionem confir-
mandam ac ſtabiliendam, ſi proferant quædam uerba quæ uidentur hoc innuere.
nam rationi conſentaneum eſt, ut illa uerba trahantur ad ſenſum demonſtrationis,
non ut demonſtratio trahatur ad faciem ipſorum uerborum. Demonſtratio enim ſo-
la eſt quæ facit ſcientiam firmam ac ſtabilem. Sed de his in ſequentibus.

Præterea cum Ariſtoteles propoſuiſſet hanc quæſtionem, utrum anima unum- 2.de Anima
quodque horum eſt, aut pars animæ, ut intellectus, ſenſus, uegetatiua, ſecundum text.19.
locum motiua: & ſi pars, utrum quidem ſic, ut ſit ſeparabilis ratione ſolùm, aut lo-
co (de quibuſdam autem horum non eſt difficile uidere, quædam autem dubitatio-
nem habent) & oſtendiſſet in plantis, & in entomis deciſis, quid eſſet dicendum, 3.de Anima
addit ſtatim hæc uerba: De intellectu autem & perſpectiua potentia, nihil adhuc tex.21.
manifeſtum eſt: ſed uidetur genus alterum animæ eſſe, & hoc ſolùm contingere ſepa- "
rari, ſicut perpetuum à corruptibili. "

Quibus uerbis apertè indicat, ſe opinari, intellectum eſſe diuerſum genus ani-
mæ ab alijs quas enumerauerat, ipſum'que ſolùm ab alijs partibus animæ ſeparari,
ſicut perpetuum ſeparatur à corruptibili: ita ut intellectus ſit perpetuus, aliæ uerò
partes animæ ſint corruptibiles. & ita ſit aliud genus animæ, ſicut perpetuum eſt al-
terius generis ab eo quod corrumpitur. niſi enim huius ſententiæ fuiſſet Ariſtote-
les, non addidiſſet illa uerba. nam ſequutum fuiſſet idem de intellectu, quod de a-
lijs partibus animæ, quod quidem à ueritate abhorret. Oportuiſſet deinde eum af-
ferre in aliquo loco demonſtrationem, quæ oſtenderet intellectum non eſſe alterius
generis, quam nuſquam attulit.

Præterea, non'ne fecit Ariſtoteles mentionem antiquorum qui dicebant, intel- 2.de Anima
ligere & ſapere eſſe idem quod ſentire? & protulit teſtimonium Empedoclis & Ho text.150.
meri, quos dixit eius fuiſſe ſententiæ, ut exiſtimarent intelligere eſſe corporeum,
ſicut ſentire: & ſentire & ſapere eſſe ſimile ſimili: eorum'que opinionem refellit.
quòd ſi hic oſtendit intereſſe inter ſenſum & intellectum, & (ut patet etiam ex tex-
tu centeſimo quinquageſimotertio) inter intellectum & phantaſiam: ergo neceſſi-
tas cogit, ut intellectus ſit abſtractus à materia, alioquin non eſſet diſtinctus à phan
taſia. nam ſi intellectus eſſet coniunctus materiæ, & poſſet recipere ſpecies uniuer-
ſales, ut patet, quia eas recipit: ergo & phantaſia poſſet eaſdem recipere: ergo fru-
ſtra diceremus has potentias eſſe diſtinctas. ſemper enim liceret dicere illam eſſe
phantaſiam, quia non haberet operationes diuerſas. non enim ex ipſa ſuſceptione
ſpecierum poſſemus inferre abſtractionem à materia. Sed cum hoc euertat ſenten
tiam Ariſtotelis, quippe qui oſtendit intereſſe inter phantaſma & intellectum: fa-
tendum eſt, falſum eſſe id etiam, ex quo tanquam ex fonte & capite fluxit.

Item fruſtra, poſtquam uerba feciſset de phantaſia, loquutus eſset Ariſtoteles de
intellectu: ſiquidem eſsent idem, nihilque inter ſe differrent.

Ex omnibus ergo iſtis, præter demonſtrationes adhibitas, intelligi licet, Ariſto-
telem ſemper apertè ſignificaſse, intellectum eſse alterius naturæ à ſenſu exteriori
& interiori: quæ quidem differentia cum non poſsit eſse alia, quàm quòd intellectus
ſit abſtractus: ut igitur ſit abſtractus neceſse eſt.

3.de Anima Sed ueniamus iam ad alias rationes. Cum oſtendiſſet Ariſtoteles, intellectum
tex.6. nõ neſſe mixrum cum corpore, ex hac concluſione, meo quidem iudicio, propoſi-
tum eſt ei remouere racitam bominum cogitationem, quæ ortum potuiſſet babere
1. de Anima ex eis quæ ipſe dixit textu ſexageſimoquinto, primi de Anima ſuperius citato, cu-
tex.65. ius hęc erant uerba: Intellectus autem uidetur in fieri ſubſtantia quædam inexiſtens,
» & non corrumpi. maximè enim corrumperetur ab ea quę eſt in ſenio debilitate. nũc
» autem, quemadmodum in ſenſitiuis accidit. ſi enim accipiat ſenior oculum talem, ui
» debit utiq; ſicut iuuenis. quare ſenium non eſt in ſuſtinendo aliquid animam, ſed in
» quo ut in ebrietatibus & infirmitatibus.

Quibus uerbis uiderur apertè oſtendiſſe, intellectum eſſe impaſsibilem: quia anima ſenſitiua de qua minus uidebatur, erar impaſsibilis. qua de re nos pluribus in ſequentibus agemus, ubi interpretabimur hos rextus, uidelicet textum ſexageſimum quintum, & ſexageſimum ſextum primi de Anima.

Irem, fortaſſe etiam ex illis uerbis, Si inrelligere eſt ut ſentire aut pati aliquid, eric ab inrelligibilibus, aut aliquid huiuſmodi alrerum.

Quoniam igitur ex his potuiſſet non ſine optima ratione aliquis uenire in eam o-
pinionem, ut exiſtimaret, uno eodemq; modo intellectum & ſenſum eſſe impaſsibi-
les, quæ opinio omnino aduerſatur ueritati & rationi: ideo Ariſtoteles in tex. 7. ter-
3.de Anima tij de Anima, uidetur eam remouere: eo'que conſilio non attigiſſe hanc rem priuſ-
tex.7. quam ad hunc locum perueniſſet. quia non alibi uidebatur eius mentio fieri poſſe,
niſi poſt demonſtrationem qua oſtendit intellectum non eſſe mixtum cum corpore: & ita non pati eo modo quo patitur ſenſus. Contra quod dubitandi occaſionem dederat in primo libro, ubi uiſus erat dicere eandem eſſe, ut ita dicam, impaſsibilitatem ſenſus & inrellectus. quod quidem, occaſione dubitandi remota, nulla mihi uidetur eſſe cauſa, quare de ea re hic loqueretur. quaſi ergo diceret, Quamuis uiſi ſimus in ſuperioribus aſſerere ſimilem eſſe impaſsibilitatem ſenſitiui & inrellectiui, ut apparuit in locis citatis, non eſt tamen ſimilis: ut ex organis & ex ipſo ſenſu manifeſtum erit. quòd ſi non eſt ſimilis utriuſque impaſsibilitas, neceſſe eſt ut alterum magis pariatur. & probat quòd magis patitur ſenſus. Senſus enim, inquit, non poteſt ſentire ex ualde ſenſibili: ut ſonum ex magnis ſonis, neque ex acribus odoribus & coloribus odorari & uidere. ſed intellectus cum intelligat aliquid ualde intelligibile, non minus tamen intelligit infima, ſed etiam magis ſenſitiuum quidem non ſine corpore eſt, intellectus autem ſeparabilis, magis ergo patitur ſenſus, quàm intellectus: quia ſenſus corrumpitur ad corruptionem corporis. non enim poteſt ſeparari à corpore, licet non corrumpatur per ſe: intellectus uerò non corrumpitur ad corruptionem corporis, neque per ſe, neque per accidens: licet corrumpatur intelligere, quod exercebat ipſo in corpore. huius quidem ratio eſt, quia quando corpus corrumpitur, intellectus ſeparatur ab eo: eſt enim natura ſeparabilis à corpore. inter eſt ergo inter impoſsibilitatem ſenſitiui & intellectiui, quæ uidetur ex organis. cuius rei cauſa eſt, quia intellectus eſt ſeparatus à corpore, ut oſtendir demonſtratio dicta. Ex quibus perſpicuè patet, intellectum eſſe immortalem, alioquin eadem eſſet impaſsibilitas ſenſus & intellectus: quia ſi intellectus non pateretur per ſe, pateretur per accidens: quippe qui corrumperetur per accidens, ſicut ſenſus.

Fortaſſe etiam illa quæ dicta ſunt, poſſunt referri ad textum ſecundum: ex quo ſequitur, ut aliter patiatur intellectus ab intelligibili, quàm ſenſus à ſenſibili.

1.de Anima Ariſtoteles igitur primo de Anima textu ſexageſimoquinto, comparans inter ſe
tex.65. ſenſum & intellectum, noluit aliud ſignificare, quàm neutrum ipſorum per ſe moue-
ri: quia ſi non mouetur ſenſus, tanto minus intellectus. Er quoniam uidebat non eſſe
Ibid.tex.66. omnino eandem utriuſq; impaſsibilitatem, addidit ibi etiam hæc uerba: Intellectus
autem fortaſsis diuinum aliquid, & impaſsibile.

Præterea, mea quidem ſententia colligi manifeſtiſsimè poteſt, intellectum poſsi-
3.de Anima bilem omnino non corrumpi, quia inquit: Dubitabit autem utique aliquis, ſi intel-
tex.12. lectus ſimplex eſt & impaſsibilis, & nulli nihil habet commune, ſicut dixit Anaxa-
» goras, quomodo intelliget, ſi intelligere pati aliquid eſt in quantum aliquid com-

mune

mune utriſque eſt, hoc quidem agere, illud uerò pati. Etenim apertè ſtatuit ip-
ſum eſſe ſimplicem & impaſsibilem, & nulli rei materiali habere quicquam commu-
ne unde poſsit pati. & quærit quomodo poſsit intelligere, ſi intelligere ſit pati, &
neceſſe ſit ut patiens communicet in materia cum agente, ipſe autem intellectus
non communicet, quia eſt ſimplex & impaſsibilis. ergo alterum duorum eueniat
neceſſe eſt: uel ut intelligere non ſit pati: uel ut falſum ſit, intellectum eſſe ſimpli-
cem, id eſt non mixtum cum corpore, & impaſsibilem, & nulla cum re materiali ha-
bere aliquid commune. Quare hanc quæſtionem diſſoluens Ariſtoteles, non ne-
gat quin uerum ſit quòd intellectus ſit ſimplex & immixtus, quod que nulla cum
re materiali habeat aliquid commune: ſed reſpondens ad id quod dixerat, Quomo-
do intelliget, ſi intelligere ſit pati: dicit pati diuiſum eſſe prius ſecundum commu-
ne. quod ita accipio, ut ſignificet ſe prius diuiſiſſe, pati dici communiter, & non u-
no duntaxat modo. quod non diſcrepat ab eo quod textu quinquageſimoſeptimo
ſecundi de Anima, quem locum etiam citauimus ſuperius, ita ſcripſit: Non eſt au- *2.de Anima*
tem ſimplex ipſum pati, ſed aliud quidem corruptio quædam à contrario, aliud au- *tex.57.*
tem magis ſalus, eius quod potentia, ab eo quod eſt actu, & ſimili ſic, ſicut poten- “
tia ſe habet ad actum. ſpeculans enim fit habens ſcientiam, quod uerè, aut non eſt “
alterari, in ipſum enim additio eſt, & in actũ antecedẽs alterũ genus alterationis eſt. “
Vnde addidit: Non bene habet, dicere ſapientẽ cũ ſapiat alterari. ſicut neq; ædifi- *Ibid.tex.58.*
catorem, cum ædificat. in actum igitur ducens ex potentia ente ſecundum intellige- “
re & ſapere, non doctrinam, ſed alteram habere determinationem, iuſtum eſt: ex “
potentia autem ente addiſcens & accipiens ſcientiam ab actu ente, & percipere, aut “
neque pati dicendum eſt, aut duos eſſe modos alterationis, & eas quæ in priuatiuas “
diſpoſitiones, priuationem, & eam quæ in habitus naturam. “

Quibus uerbis mihi uidetur Ariſtoteles uoluiſſe innuere, hos duos dictos paſ-
ſionis modos, quorum unus eſt corrumpi à contrario, alter pati, id eſt perfici ab
eo quod eſt actu, quia id quod eſt in potentia ad aliquid, ſi deducatur ad actum, ad
perfectionem perducitur. quia potentia tendit ad actum, quaſi dicat Ariſtoteles:
Dico ad propoſitam quæſtionem reſpondens, quòd pati diuiſum eſt bifariam. &
cum dicimus intelligere eſſe pati, non intelligimus eſſe pati à contrario: ſed pati il-
la paſsione, qua patiuntur res quæ ſunt in potentia, cum deducuntur ad actum. &
hoc oſtendit illis uerbis: Quoniam potentia quodammodo eſt intelligibilia intel- *3.de Anima*
lectus, ſed actu nihil antequam intelligat. oportet autem ſit, ſicut in tabula nihil eſt *tex.14.*
actu ſcriptum, quod quidem accidit in intellectu.

Significat ergo, intellectum pati ab intelligibili, ea paſsione, qua patitur id quod
eſt in potentia, ab eo quod eſt actu, quæ eſt paſsio perfectiua: & non requirit illud
commune quod requirit id quod patitur paſsione corruptiua. ex quo ſequitur, intel
lectum poſſe eſſe ſimplicem, & impaſsibilem, & nulla cũ re materiali habere aliquid
commune: & tamen intelligere eſſe pati, quia eſt perfici, non corrumpi.

Ex quibus duo nobis perſpicua ſunt. unum, quòd intellectus eſt ſimplex: quod ni
hil aliud ſignificat, quàm quòd nõ eſt mixtus cum corpore: & quòd eſt impaſsibilis,
ideoq; incorruptibilis. hæc enim ſupponit. Alterum, quod non poteſt dari remini-
ſcentia intellectiua, quia intellectus non habet actu intelligibilia, ſed prius eſt in po-
tentia ad illa: & eſt ſicut tabula antequam ſit picta, quæ quidem nullam actu habet
formam, ſed tantùm potentiam ad ipſas formas recipiendas. quòd ſi intellectus ha-
beret aliquo modo actu intelligibilia, nõ poſſet dici quòd intelligere ſit pati, ea paſ-
ſione qua aliquid deducitur de potentia ad actum: quia iam haberet illa actu. quod
enim habet aliquid actu, non dicitur perfici, quia ex potentia deducatur ad actum.
Sed Ariſtoteles uult hic, quòd intellectus patiatur tali paſsione, ut patet. ergo ſequi-
tur, ut quando intelligit, non recordetur, ſed tanquam nouum recipiat intelligibile,
quo carebat. quod eſt illud quod demonſtratum fuit in 4. & 5. textu.

Colligitur ergo manifeſtiſsimè, intellectum eſſe immortalem ex ſententia Ariſto- *Ibid.tex.20.*
telis: quippe qui poſuit illum eſſe ſimplicem & impaſsibilem, nihilq; habere com-
mune cum aliqua re materiali. unde neceſſariò efficitur, ut ſit abſtractus à materia,
ideoq; immortalis, alioquin quæſtio quam propoſuit & diſſoluit tertio de Anima,

textu duodecimo, & decimoquarto, non eſſet ad rem. ſequitur enim ex demonſtrationibus dictis,

SECTIO DECIMAQVARTA.

3. de Anima tex. 17. HOc idem mihi colligi uidetur apertiſsimè ex his etiam quæ ſcripta reliquit tertio de Anima, textu decimoſeptimo: quoniam niſi intellectus noſter eſſet immortalis, non indigeremus intellectu agente: ſicut non indigemus phantaſia agente, neque ſenſu agente. Quare faciendum nobis uidetur, ut explicemus eum textum, ut quiuis intelligere poſsit ita eſſe, ut diximus. Atque hinc incipiamus: cum dixiſſet Ariſtoteles intellectum eſſe impoſsibilem, & ſuſceptiuum ſpecierum uniuerſalium, illiſq; immixtum, quia recipiebat omnes: & per id quod neceſſariò ſequebatur, nullam habebat naturam, niſi hanc quòd poſsibilis dicebatur, & nihil erat actu eorum quæ intelligebat antequam intelligeret, proptereaq; immixtum eſſe corpori, & ita eſſe ſimplex, nihil'que habere commune cum aliqua re materiali: & hoc tamen non prohibere quin intelligere eſſet pati, non corruptiuè, ſed perfectiuè, quia intellectus redigebatur de potentia ad actum, quod quidem nihil aliud erat quàm perfici. Cum igitur hæc omnia dixiſſet Ariſtoteles, quia potuiſſet aliquis non ſine optima (ut mihi quidem uidetur) ratione quærere, quomodo intellectus iſte poſsibilis qui diceretur eſſe in potentia, & reliqua omnia quæ illi attributa fuerunt, poſſet ad actum redigi (non enim ſatis conſtare, quomodo hoc fieri poſſet) ideo uidetur Ariſtoteles in hoc textu decimoſeptimo uelle huic tacitæ cogitationi occurrere, demonſtrans in anima intellectiua eſſe ipſum agens, quod eſt cauſa ut intellectus poſsibilis recipiat dictas intellectiones, redigendo de potentia ad actum intelligibilia, apta ad mouendum ipſum intellectum, cum abſtrahat (ut probatum fuit) à materia. Sed quoniam demonſtratio qua utitur Ariſtoteles ad dictam concluſionem probandam, eſt ualde difficilis: eaq; intellecta facile erit uidere, neceſſarium eſſe ut ipſe Ariſtoteles ſuppoſuerit intellectus noſtri immortalitatem (quod eſt id quod in primis uolumus oſtendere) ut eius uis magis eluceat, conabimur eam redigere ad formam eo modo quo putamus redigi poſſe: atque ut appareat, ea quæ ſumus dicturi, conuenire ſingulis illius textus uerbis, ipſiſq; omni ex parte quadrare, ab eorum explicatione incipiemus. Inquit ergo Ariſtoteles: Sed quoniam ſicut in omni natura ſuſceptiua alicuius generis eorum quæ ſunt extrà, eſt aliquid hoc quidem materia, materia unicuique generi formarum, ſupple earum quas ſuſcipit, & hoc eſt potentia omnia illa ſuſcepta antequam illa ſuſcipiat. Sed & eſt alterum, quod eſt cauſa: & factiuum, id eſt quod dicitur in faciendo omnia, ſupple ſuſcepta, ut ars ſuſtinuit ad materiam, id eſt ut ars ſe habet ad materiam artis, quia facit ipſam ſuſcipere formas artificiales quas ſuſcipit: ita debet eſſe in anima, quæ eſt ſupple ſuſceptiua generis aliquarum ſpecierum uniuerſalium quibus caret, & eſt in potentia ad illas antequam illas recipiat. Ratio igitur Ariſtotelis ita uidetur ſe habere: Quoniam, inquit, ſicut eſt in omni natura dicta, ita debet eſſe in anima: neceſſe eſt ut in anima ſint hæ differentiæ, id eſt ut ſit aliquid ut materia, & aliquid ut efficiens.

8. Phyſ. Quod antecedit, uidetur eſſe perſpicuum: quia fieri non poteſt ut idem ſit materia & efficiens in comparatione eiuſdem. diuerſam enim uim & naturam obtinent: neque fieri poteſt, ut id quod mouetur, ſit mouens ſeipſum: & quod eſt potentia, ſit actu in comparatione ſuijpſius. eſset enim idem & actu, & non actu: quod planè nihil aliud eſt, quàm idem affirmare & negare. etenim materia prima, quæ eſt receptiua formarum materialium, ad quas antequam recipiat eſt in potentia, non poteſt ſola producere in ſeipſum formas illas, neque efficere ob ea quæ dicta ſunt abſurda: ſed indiget efficiente, quod ſit aliud ab ipſa: ut materia ex qua fit homo, indiget ſole & homine, quæ ſunt hominis efficientes cauſæ, & ſunt res diuerſæ à materia hominis. quia ſi eſsent idem re, licet differant ratione, ea quæ dicta ſunt abſurda ſequerentur, neque poſsent euitari. quare id quod antecedit, uidetur perſpicuum eſse, ut diximus.

Patet etiam ſimilitudo, propterea quòd ſentimus in nobis ipſis, animam rationalem ſuſcipere ſpecies uniuerſales.

Cum

Cum uerò conſtet ex demonſtratione quarti tex. tertij de Anima lib. intellectum noſtrum ſpeciebus illis carere ex ſua natura, ſed eſſe in potentia ad illas recipiendas: neceſſariò ſequitur, ut & ipſe habeat efficiens quod faciat ipſum eas recipere. de nouo enim recipit, quippe qui ex natura ſua illis carebat.

Sed omnis difficultas uerſatur in ultima concluſione quæ exprimitur in textu, uidelicet quòd neceſſarium eſt in anima has ineſſe differentias: quia apertè innuitur, eas eſſe partes animæ. & tamen ex ratione dicta, quòd uidelicet ſi in omni natura ſuſceptiua ſit aliquid ut materia & ut efficiens, ut eſt ars in comparatione ad materiam, neceſſe eſt in anima eſſe huiuſmodi differentias: ex hac inquam ratione ſequi uidetur, animam habere efficiens quod facit ipſam ſuſcipere formas quas recipit: ſicut materia prima habet ſolem & hominem, uerbi gratia, qui facit ipſam ſuſcipere formam hominis: & materia artis habet artem, quæ facit ipſam ſuſcipere formam artificialem. Sed non uidetur ſequi illud efficiens materiæ primæ, & efficiens materiæ artis eſſe in ipſis materiebus: quare uidendum eſt quomodo id ſequatur.

SECTIO DECIMAQVINTA.

Dicimus igitur, rationem explicatam in decimoſeptimo textu, oſtendere animam intellectiuam indigere efficiente, quod faciat ipſam recipere formas, quibus caret ob cauſas allatas. ſed quòd illud efficiens ſit in anima, hoc haberi ex textibus ſuperioribus hoc modo: quia cum conſtet ex demonſtratione dicta, intellectum indigere efficiente, ut intelligat: hoc efficiens neceſſariò uel erit in anima intellectiua, ita ut ſit pars eius: uel erit extra ipſam. Sed fieri non poteſt ut ſit extra animam intellectiuam: ergo erit in ipſa, ita ut ſit pars illius. Id quod antecedit, probatur: quia ſi eſſet extra animam intellectiuam, uel eſſet phantaſma, uel Deus: (non enim uidetur poſſe aliud eſſe) ſed non poteſt eſſe phantaſma, neque Deus: ergo non poteſt eſſe extra animam intellectiuam, ergo erit in ipſa.

Antecedens probatur, & primò quòd non poſſit eſſe phantaſma: quia phantaſma eſt materiale, eſt enim ſingulare: intellectus autem eſt immaterialis, & nullum materiale poteſt mouere immateriale: ſiquidem immateriale eſt non quantum, materiale uerò eſt quantum. & quantum non poteſt agere in non quantum, etenim quantum agit ratione partium diuiſibilium: quare neceſſe eſt, ut id in quod agit, habeat partes quæ recipiant actiones per modum quāti. Sed indiuiſibile non habet huiuſmodi partes, igitur non poteſt recipere actiones per modum quanti: non poteſt ergo pati à quanto. & ita quantum non poteſt ipſum mouere: quod eſt id quod uolebamus oſtendere.

Quòd autem indiuiſibile ſeu impartibile non poſſit pati à partibus, uel à quanto, neque recipere illud, neque moueri ab illo, colligi poſſe uidetur ex primo de Anima, textu quadrageſimooctauo, ubi diſputans Ariſtoteles aduerſus Timæum, hæc ſcripta reliquit: Si autem neceſſarium eſt intelligere toto circulo quis eſt partibus tactus? amplius autem quomodo intelliget partibile impartibili, aut impartibile partibili? Quibus uerbis ſignificat, partibile non poſſe intelligere impartibile, ſeu indiuiſibile, neque econtrariò. Non uult ergo impartibile ſeu indiuiſibile recipere & pati poſſe à diuiſibili. alioquin ratio eius contra Timæum inanis eſſet, nullamque uim haberet: etenim indiuiſibile intelligeret diuiſibile, & contrà. quod eſt id quod ipſe accipit aduerſus Timæum. 1. de Anima tex. 48.

Item, ſi phantaſma quod eſt materiale, poſſet mouere intellectum, non eſſet neceſſe ad intellectionem, ut ipſum phantaſma fieret uniuerſale.

Probatur conſequentia: quia poſſet ex natura ſua mouere intellectum, ergo efficeret intellectionem. Conſequens à ueritate alienum eſt, ergo & id unde fluxit.

Probatur id quod antecedit: quia ſi ita eſſet, non poſſet probare Ariſtoteles, intellectum non habere organum. quod probat ex eo, quia recipit ſolùm uniuerſaliter. reciperet enim ſingulariter: ſiquidem organum non poteſt repræſentare niſi ſingulare.

Item, non ſe haberet agens illud ut lumen, ſed ut color, Conſequens euertit ſententiam Ariſtotelis in tex. 18, ut patet: ergo & antecedens.

Præterea

Præterea intellectus agens, de quo loquitur in eo loco Ariſtoteles, eſt ſeparabilis & impaſsibilis, & immixtus, ut patet ex textu 19. eiuſdem tertij: ergo non poteſt eſſe phantaſma, etenim phantaſma non eſſe ſeparabile, neq; impaſsibile, neq; immixtum ex ſe, perſpicuum eſt: eſt enim materiale. non eſt ergo illud agens quod intellectionem efficit.

Item, phantaſma non eſt in anima intellectiua, ſed ſeorſum ab ea: ergo non poteſt eſſe efficiens intellectionis ipſius. Antecedens eſt manifeſtum: quia phantaſma ſeparatur ab anima intellectiua, ſicut corruptibile à perpetuo. neceſſe igitur eſt ut ſit ſeorſum ab ea. Conſequentia probatur: quia Ariſtoteles dicit illud efficiens eſſe in anima. & per animam non poteſt intelligere niſi eam animæ partem qua ſapit & intelligit anima. de hac enim ſola à principio 3. lib. ex diuiſione Auerrois, uſq; ad tex. 17. eum loqui, nemini poteſt eſſe dubium.

Item, ſcientia intellectus agentis eſt idem quod res ſcita: ſed phantaſma nõ habet ſcientiam, non eſt enim intellectus: ergo non poteſt eſſe illud agens, quod intellectionem efficit. Antecedens patet ex tex. 19. quo in loco ita ſcriptum reliquit Ariſtoteles: Idem autem eſt ſecundum actum ſcientia rei. *3. de Anima text. 19.*

Itẽ, illud agens eſt intellectus, ut perſpicuum eſt ex tex. 18. & 19. phantaſma non eſt intellectus, eſt enim ſpecies rerum exiſtentium extra intellectum: non ergo phantaſma poteſt efficere intellectionem, ſicut habitus & lumen.

Neque uerò uidetur fieri poſſe, ut illud agens ſit Deus: quod reſtat ut probemus, poſtquam oſtendimus non eſſe phantaſma, quæ duo erant probanda. Probatur autem ſic: Deus non eſt in anima, ſed agens illud ex Ariſtotelis ſententia eſt in anima: igitur non poteſt eſſe Deus.

Item, illud agens eſt in eo ut faciat omnia, ſicut habitus, & ſicut lumen: Deus non eſt in eo ut faciat omnia, ſicut habitus, & ſicut lumen: ergo Deus non eſt illud agens, quod intellectionem efficit. Maior propoſitio perſpicua eſt ex textu decimooctauo. Minor item clara eſt: quia non apparet quomodo Deus illuminet phantaſmata, ita ut ſe habeat ſicut habitus, & ſicut lumen: neque aliquod eſſe ipſi inſtrumentum quo hoc poſsit efficere, oſtendunt rationes quas in octauo Phyſicorum, & duodecimo Metaphyſic. de natura Dei, deq; eius efficientia poſuit Ariſtoteles. Quòd ſi ita eſt, in dubium uenire non poteſt, Deum non poſſe hoc efficere. etenim Deus, ex Ariſtotelis ſententia non poteſt relinquere ſuum orbẽ, ut phantaſmata noſtra illuſtret: propterea quòd non poteſt Deus in hæc inferiora aliquid producere, niſi beneficio & opportunitate cœli: igitur non poteſt illuſtrare phantaſmata. *8. Phyſ. 12. Meta.*

Antecedens perſpicuum eſt ex uniuerſa philoſophia. Conſequentia probatur: quia ſi poſſet illuſtrare phantaſmata, hoc efficeret beneficio cœli, & per conſequens beneficio inſtrumentorum ipſius cœli, ut beneficio motus & luminis, cœlum enim non agit in hæc inferiora, niſi beneficio & opportunitate motus & luminis, ut dicemus in ſequentibus. Sed motus cœli non poteſt illuſtrare phantaſmata, tũ quia non eſt eius naturæ ut illuſtret aliquid: tum quia non peruenit ad nos, ut ex 1. Mereo. colligi poteſt. neq; etiam lumen: quia ſi lumen eſſet illud quod illuſtraret phantaſmata, fieri nõ poſſet ut abſente lumine (ut in nocte) illuſtrarent phãtaſmata: ſicut abſente lumine nõ illuſtrat corpus diaphanũ, quæ eſt cauſa ut in tenebris non uideamus colores. at ſi abſente lumine nõ illuſtrarent phãtaſmata, ergo abſente lumine nõ moueret intellectus ab ipſis phãtaſmatib. & ſic abſente lumine nõ intelligeremus. Cõſequẽs à ueritate apertiſsimè abhorret, experimur eñ contrarium: igitur & id ex quo fluxit.

Item, demonſtrauit Ariſtoteles, intellectum agentem eſſe ſeparabilem, impaſsibilem & immixtum, ex eo, quia intellectus poſsibilis eſt ſeparabilis, impaſsibilis & immixtus: ergo non poteſt eſſe iſte intellectus agens Deus. Antecedens perſpicuum erit infrà, ubi explicabimus textum 19. Conſequentia patet, quia & in 8. Phyſ. & in 12. Meta. probatum fuit, Deum eſſe ſeparabilem à magnitudine, impaſsibilem & immixtũ. Itaq; ſuperuacaneum fuiſſet hoc loco id probare, quod iam erat conſpicuum. *ibid.*

Item huius loci non erat hoc probare, quia cum Deus ſit cauſa uniuerſalis, id non alibi oſtẽdi potuit quàm ut in eo libro quæreret cauſas uniuerſales: neq; alio medio, quàm eo quòd eſſet uniuerſale.

Item, iſte intellectus agens ab Ariſtotele ponitur ut principium & forma intelle-

ctus poſsibilis,in 19.tex.ut uidebimus:ergo non poteſt eſſe Deus.etẽm cõſtat Deum non poſſe eſſe forma intellectus poſsibilis.

Prætetea ſi eſſet intellectus iſte agens Deus, non magis illuſtrãret phantaſmata hominum,quàm animalium brutorum:habent enim & ipſa ſua phantaſmata. Conſequentia patet:quia eſt cauſa uniuerſalis. Conſequens ueritati apertè repugnat: ergo & id unde emanat.

Cum igitur fieri non poſſit (quemadmodum ex eis quæ dicta ſunt uidetur perſpicuum)ut iſtud agens ſit uel phantaſmata, uel Deus, uel aliquid aliud extra animam intellectiuam exiſtens:ſequitur,ut ſit in ipſa anima. ergo erit pars illius. Etenim non poteſt eſſe in anima intellectiua,niſi ſit eius pars:& cum ſit pars animæ,neque poſsit eſſe materia,quia ex duabus materiebus non fit unum per ſe: ergo erit forma intellectus poſsibilis: ergo intellectus poſsibilis erit pura potentia, ita ut nullum ex ſe habeat actum,ſed ſolùm puram potentiam in natura: (etenim ex duobus exiſtentibus actu,non poteſt fieri unum per ſe) quare neceſſe eſt ut duplicem habeat potentiam, quarum una ſit ad exiſtendum in natura,altera ad intelligendum. perſpicuum igitur eſſe arbitror ex eis quæ dicta ſunt,quomodo illa concluſio Ariſtotelis,Neceſſe eſt in anima has eſſe differentias, ſequatur ex ea demonſtratione qua uſus eſt in textu decimoſeptimo,& ex eis quæ dixerat prius, intellectum uidelicet poſsibilem eſſe abſtractum à materia.quod eſt illud quod maximè cupiebamus oſtendere.

Sed declaremus etiam nonnulla quæ ſunt in uerbis rationis dictæ. ut cum dicebatur,in omni natura:cui nos addidimus, ſuſceptiua: quia falſum uidetur eſſe,quòd in omni natura ſimpliciter & abſolutè ſit materia & efficiens:etenim intelligentiæ ſunt naturæ, & tamen ibi non eſt neque materia neque efficiens. non enim ſunt ſuſceptiuæ alicuius rei illarum quæ ſunt extrà, ut indigeant efficiente, quod redigat ipſas de potentia ad actum.neque uerò interpretati ſumus hoc de natura compoſita, ut uidebatur maximè interpretandum eſſe: quoniam in illa eſt materia & forma neceſſariò, quæ forma habet etiam aliquo modo uim efficientis,ex ſecundo de Anima,textu trigeſimoſexto,ubi inquit Ariſtoteles:Eſt autem anima uiuentis corporis cauſa & principium.hæc autem multipliciter dicuntur, attamen anima ſecundum determinatos tres modos cauſa dicitur. etenim unde motus, & cuius cauſa, & ſicut ſubſtantia animatorum corporum anima cauſa. Quod etſi rectè dicitur de natura compoſita, non poteſt tamen dici in hoc loco: quia Ariſtotelis ratio peteret id quod eſt in principio. ſumeret enim pro certo & conceſſo, quod maximè dubium & controuerſum erat,uidelicet animam intellectiuam eſſe compoſitam. 2.de Anima text.36.

Addidimus etiã,Alicuius generis: quia non datur natura ſuſceptiua, quę recipiat omnia genera eorum quæ poſſunt recipi, ſicut materia prima recipit tantummodo formas ſingulares, quæ ſunt generabiles & corruptibiles:& non recipit uniuerſales, quas ſolas recipit intellectus poſsibilis. & ita de cæteris naturis receptiuis.

Verba item illa, Vt ars ad materiam ſuſtinuit, uidentur oſtẽdere, Ariſtotelem per naturam intellexiſſe naturam receptiuam:quia materia in quam agit ars, recipit figuram, quæ fit ab arte.

Quæ omnia mihi quidem uidentur apertè oſtendere, ex tex. 17. colligi animi noſtri immortalitatem:quoniam niſi eſſet immortalis,& abſtractus à materia,non indigeremus intellectu agente:ſicut non indigemus phantaſia agente,neq; ſenſu agẽte.

Apparet etiam, rectè dictum fuiſſe ex ſententia Ariſtotelis, intellectum agentem eſſe formam ratione intellectus poſsibilis, & inſeparabiliter cum eo coniunctum:ſicut forma cœli dat eſſe materiæ ipſius,& inſeparabiliter eſt coniuncta cum illa.

SECTIO DECIMASEXTA.

CVm igitur probaſſet Ariſtoteles, ut diximus,in anima eſſe has duas differẽtias, quarũ una eſt ut materia,altera ut efficiens: declarans deinde quomodo intellectus ille qui eſt ut materia,dicať poſsibilis,& q̃modo ille qui eſt ut forma,dicať agẽs, inq̃t:Intellectus eſt talis.id eſt ut materia,& ut poſsibilis,quia fit omnia,id eſt recipit omnia intelligibilia. Alter uerò intellectus diciť efficiens,quia ſcilicet facit omnia intelligibilia. Sed quia aliquis potuiſſet quærere, quomodo faceret hoc? an faceret agendo 3.de Anima tex.18.

agendo in intellectum paſsibilem, ſicut agentia naturalia agunt in materiam, ex qua deducunt formas, an alio modo: declarat, alio modo efficere. & inquit: Efficit intelligibilia ut habitus quidam, & ut lumen. quaſi dicat, illuminat phantaſma, & facit ipſum quod mouebat in potentia, mouere actu, abſtrahens illud à ſingulari, & ab alijs conditionibus materię: & facit hoc ut lumen facit modo quodam colores exiſtentes potentia, actu colores: id eſt, ſicut lumen facit colores qui in tenebris mouent ſenſum potentia, ut moueant ipſum ſenſum actu: ita dicimus intellectum agentem nõ agere in poſsibilem eo modo quo agentia naturalia agunt in materiam, ſed agere ut ipſum lumen eliciendo intellectionẽ, quia illuſtrat phantaſma, quod eſt in potentia ad mouendum: & facit actu mouere, quoniam abſtrahit ipſum à materia, & ita facit ipſum uniuerſale. Sine ergo intellectu agente, poſsibilis non poſſet pati ab intelligibili: & ita non poſſet intelligere. non poſſet ergo operari: fruſtra igitur eſſet. ſublatis enim rerum operationibus, tollitur ipſarum eſſentia. qua de re pluribus agemus in eis quæ ſequentur. Itaq; ex hoc Ariſtotelis dicto colligendum non eſt, ipſum fuiſſe eius opinionis, ut exiſtimaret colores in tenebris non eſſe actu colores: ſed dixit, quòd aliquo modo lumen facit colores potentia, colores actu, quia non uidentur eſſe actu colores, niſi actu moueant.

Ex quibus omnibus ſequi arbitramur, id quod diximus: quòd ſi intellectus poſsibilis non eſſet abſtractus à materia, nos non indigeremus intellectu agẽte. quod eſt illud quod uolebamus probare. Videtur etiã Ariſtoteles in hoc tex. 18. innuere, intellectũ agentẽ eſſe formam, cum dicit: Sicut habitus quidam, & ſicut lumen: intelligẽs per habitum formam, quod apud ipſum frequentiſsimum eſt. etenim ſi per habitum non intellexiſſet rem diuerſam à lumine, dixiſſet: Sicut habitus & lumen. Sed cum dixerit, Sicut habitus quidam, & ſicut lumen: repetitio uocis Sicut, uidetur indicare id quod diximus. alioquin ſuperuacaneè poſita uideretur: quod de tanto philoſopho aſſerere, indignum eſſe exiſtimo.

Item probemus etiam, omnino ſententiam Ariſtotelis fuiſſe, intellectum poſsibilem eſſe ſeparabilem à corpore, & immixtum corpori, & impaſsibilẽ: & per id quod ſequitur, eſſe immortalem. Probatur autem ex eo, quia oſtendit intellectum agentẽ eſſe ſeparabilem, & immixtum, & impaſsibilem, propterea quòd intellectus poſsibilis eſt eiuſmodi. ſequitur enim neceſſariò, ut ipſe opinatus ſit intellectum poſsibilem eſſe, id quod diximus. inquit autem: Et hic intellectus exiſtens ſubſtantia actu, eſt ſeparabilis, immixtus, & impaſsibilis: quia ſemper honorabilius eſt agens patiente, & principium ipſa materia. Loco formę poſuit principium: quia forma eſt principiũ ex quo eſſe actu ducitur. Sed oportet, ſi uolumus Ariſtotelis uerba ad rem pertinere, ut ſubaudiamus quod ipſe ex ſuperioribus dictis ſuppoſuit: uidelicet, ſed intellectus poſsibilis eſt patiens, & eſt materia: agens uerò eſt agens, & non patiens, & forma, & non materia. Ergo ſi poſsibilis eſt ſeparabilis, & immixtus, & impaſsibilis, neceſſe eſt ut agens ob duas iam dictas cauſas ſit ſeparabilis, immixtus, & impaſsibilis: quia de quo minus uidetur ineſſe, & ineſt: ergo de quo magis. Sed minus uidetur ineſſe, ut intellectus qui patitur, & eſt materia, ſit ſeparabilis, & immixtus, & impaſsibilis: quàm qui eſt agens, & forma. & tamen eſt talis ut probatum eſt. ergo multo magis intellectus agens erit talis. Quòd autem minus uideatur hoc ineſſe de intellectu poſsibili, quàm de agente, probat: quia intellectus poſsibilis qui patitur, & eſt ut materia, minus honorabilis eſt, quàm intellectus agens qui agit, & eſt ut forma: quoniã agens ſemper eſt honorabilius patiente, & forma honorabilior materia: eſt ergo minus honorabilis intellectus poſsibilis. ergo minus deberent ei conuenire proprietates honorabiles, ꝙ agenti & formæ. Quòd ſi conuenit ipſi eſſe ſeparabilem à corpore, eſſe immixtum, & eſſe impaſsibilem, quæ ſunt proprietates honoratiſsimæ (conueniunt enim Deo opt. max.) ut multo magis eædẽ cõueniant intellectui agenti, & formæ, neceſſe eſt: quia eſt honorabilior & præſtantior ipſo. non enim conſentit rationi, ut quod ignobilius eſt à natura, nobiliores proprietates cõſequutum ſit quàm honorabilius. eſſet enim idem ignobilius, & non ignobilius: ac rurſus honorabilius, & non honorabilius: quod nihil aliud omnino eſt, quàm idem dicere, & idẽ negare. niſi ergo Ariſtoteles ſumpſiſſet hoc antecedens, Intellectus poſsibilis eſt ſeparabilis, immixtus & impaſsibilis, non probaſſet intellectum agentem eſſe talem: & ea quæ

dixit

dixit in hoc loco, quòd agens ſemper eſt honorabilius paſſo, & forma materia, non
conuenirent (ut apparet) ad id de quo agit. neq; etiam uidetur fieri potuiſſe, ut Ari-
ſtoteles alia uia probaret intellectum agentem dari, & habere tales proprietates, niſi
ex opere intellectus poſsibilis: quia opus intellectus agentis non eſt nobis perſpi-
cuum. Nemini igitur qui mente integra ſit, quiq; non neceſſe habeat (tanquam in
aliena uerba iurauerit) propoſitum defendere, in dubium uenire poteſt, quin Ariſto
telis ſententia firmiſsima fuerit, Intellectum agentem eſſe ſeparabilem à corpore, &
immixtum corpori, & impaſsibilem corruptiuè: quia talis eſt intellectus poſsibilis,
eſt ergo immortalis. Nihil unquam, meo quidem iudicio, fuit demonſtratum ab Ari
ſtotele clarius, ut dicemus. Et quia cum dixiſſet, intellectum agentem eſſe ſubſtan
tiam exiſtentem actu, ita ut nullam haberet potentiam: uidebatur quaſi deſignaſſe,
nullum eſſe intellectum: quoniam quod eſt intellectus, aliquid intelligit: & quod ali-
quid intelligit, uidetur prius eſſe in potentia ad illud. Addidit Ariſtoteles, ut tolle
ret hanc dubitationem, atq; etiam ut uberius declararet naturam intellectus agẽtis,
(ut dicemus etiam in eis quæ ſequentur) quòd ſcientia quæ eſt ſecundum actum, eſt
idem quod res, (quæ ſupple intelligitur) id eſt, ipſe intellectus agens intelligit ſeip-
ſum actu: quia eius ſcientia eſt ſcientia actu, & non eſt in potentia, & ideo eſt idem
quod res ſcita. Etenim in ſcientia actu, quæ non eſt potentia ad aliquid aliud, ſciens
& ſcitum ſunt idem: eſt ergo intellectus, & nullam habet potentiam. Ex his omnino
ſequitur, ut uerè abſtracta, quæ uidelicet non dependent à materia, neq; in eſſe, neq;
in operari, ut eſt intellectus agens, & cœleſtes formæ nihil extra ſe intelligant. eſſent
enim in potentia, & non actu puro, ſicut materia corporum cœleſtium, quę licet uia
naturali, falſa tamen æterno tempore fuerit ſub formis illis, tamen dicitur eſſe in potẽ
tia ad illas formas: quia ſi mundus initium habuiſſet, fuiſſet in potentia ad ipſas. nũc
uerò quia hac naturali uia non cepit eſſe mundus, ſecum ſemper habuit formas illas.

Item, ſcientia illarum non eſſet ſcientia actu, quia ſcientia actu eſt idem quod res
ſcita: ipſorum autem ſcientia non eſſet idem quod res ſcita, quoniam intellectum eſ-
ſet aliud ab intelligente: ſiquidem intelligerent aliquid extra ſe, quomodocunq; eſ-
ſet illud intellectum: ſiue nobilius, ſiue ignobilius. nihil enim refert, quantum ad hòc
attinet. Patet item, quòd intelligere aliquid extrà, oſtẽdit imperfectionem ex hac
uia, falſa tamen, ut diximus: quia ſignificat potentiam & paſsionem, quæ potentia &
paſsio dicit imperfectionem, tendit enim ad actum.

Ex quo uidetur perſpicuum eſſe, intelligentias inferiores non poſſe ſecundũ Ari-
ſtotelis ſententiam intelligere ſuperiores, ex ratione quidem naturali. In his enim, *3. de Anima 14.*
inquit, quę ſunt ſine materia, idem eſt intelligens, & id quod intelligitur. *12. Meta. t: 38.*

Quòd ſi inferiores intelligentiæ intelligerent ſuperiores, intellectum non eſſet i- *3. de Anima 15.*
dem quod intelligens, ut patet. Et hoc intelligitur, in his quæ materia omnino ca-
rent, id eſt potentia, quæ ſcilicet non indigent materia, neq; in operando, neq; in eſ-
ſendo, quemadmodum tradit Ariſtoteles duodecimo Metaphyſ. textu uigeſimoſex
to his uerbis: Atqui, ut nos optimè pro breui tempore degimus, ſic illud perpetuò *12. Meta. 26.*
degit. ſic enim illud ſemper, non uti nos perpetuò ita degemus, fieri inquit. at illud "
perpetuò degit, quippe qui cum & uoluptas ipſius ſit actus, & iccirco uigilia, ſenſus "
intellectio, iucũdiſsima ſunt: ſpes uerò atq; memoria intellectio, ut ea quæ per ſe eſt, "
eius ſanè quod per ſe optimum: & ea quæ maximè per ſe eſt, eius quod eſt maximè "
tale. mens uerò ſeipſam per intelligibilis ipſius aſſumptionem intelligit. fit enim in- "
telligibilis tangens, antequam intelligens. quare idem eſt intellectus atq; intelligibi "
le: eſt enim id intellectus, quod intelligibilis ipſius ſubſtãtiæ, quod eſt ſuſceptiuum, "
operatur autem habens.. "

Hæc enim omnia uidentur dici generali quadam comprehenſione de omnibus
mentibus: quòd uidelicet, quia omnes perpetuò degunt illam uitam, omnibus con-
uenit quod hic dicitur: neceſſe ergo eſt, ut intellectus, & id quod intelligitur, ſint idẽ
in omnibus. Intereſt tamen inter primam mentem, & inferiores mentes: quia primę
mentis intellectio inferiorum intellectionem tantùm honore & præſtantia ſuperat,
quantum eius ſubſtantia reliquarũ ſubſtantiam excellentia uincit. & ideo dixit Ari-
ſtoteles in loco proximè citato: Vt ea intellectio quæ per ſe eſt, eius eſt ſanè quod
per ſe optimum eſt: & ea quæ maximè per ſe eſt, eius eſt quod maximè tale eſt, id eſt *Ibid.*

maximè per ſe. Quibus uerbis indicat, ſe intelligere de mentibus etiã inferiorib.
quarum intellectio eſt per ſe, & quæ ſunt optimæ: quæ duo non poſſunt conuenire,
niſi eis formis quæ uere ſunt abſtractæ à materia: reliquarum enim intellectio non
eſt per ſe intellectio, neq; ipſæ ſunt optimæ. uerùm quia præter hanc intellectionem
per ſe dabatur alia intellectio, quę erat magis per ſe: imò maximè declarauit huiuſmo
di intellectionẽ eius eſſe quod eſſet maximè tale, id eſt maximè per ſe, quippe quòd
à nullo proficiſcereť in aliquo genere cauſæ, ſed ſolùm à ſeipſo, quæ erat prima mẽs:
quod non eueniebat alijs intelligentijs, quæ etſi reuera naturali ratione non depen-
dent ab aliqua uera cauſa efficiente, dependet tamen in genere cauſæ finalis à prima,
quia conantur imitari quàm maximè poſſunt illam mouendo. non tamen ex hoc ſe-
quitur, ut uia naturali eam cognoſcant: quia neceſſe non eſt, ut omnia etiam quæ a-
gunt naturaliter, propter primam cauſam cognoſcant illam. ſicuti multis in locis ſcri
2. de Anima tex. 34. ptum reliquit Ariſtoteles, inter quos ſatis erit citaſſe hæc uerba: Naturaliſsimum e-
nim operum uiuentibus eſt, quæcunq; perfecta, & non orbata, aut generationem
» ſpontaneam habent, facere alterum quale ipſum: animal quidem animal, planta au-
» tem plantam, quatenus ipſo ſemper & diuino participent, ſecundum quod poſſunt.
» omnia enim illud appetunt, illius cauſa agũt omnia, quæcũq; agunt ſecundũ naturã.

Si ergo omnia quęcunq; agunt ſecundum naturam, agunt gratia illius optimi: ne-
ceſſe non eſt quæcunq; ſecundũ naturam agunt alicuius cauſa, ut illud ipſum cogno
ſcant cuius cauſa agunt: quia multa ſunt quæ agunt ſecundum naturam propter finẽ
ultimum, & tamen non ſolùm non cognoſcũt illum finem, ſed omnino nihil cogno-
ſcunt, quo in genere ſunt plantæ. Poſſunt igitur multa naturaliter agere propter ali-
quem finem, & tamen non cognoſcere illum, quod nobis oſtendendũ propoſuera-
mus. Non ergo erit mirum, ſi ſubſtantię inferiores abſtractæ non intelligant ſuperio
res: neq; hoc arguit imperfectionẽ, quia hac una uia, naturali quidem, ſed falſa, ut di-
cemus in multis intelligere aliquid extra ſe, arguit potentiam, & per id quod neceſ-
ſariò conſequitur imperfectionem. ipſæ enim ſubſtantiæ inferiores, etſi non habent
omnem illam perfectionem quam habet prima ſubſtantia, tamen in ſuo genere ſunt
perfectiſsimæ, & nulla indigẽt (quantum ad ſuum genus attinet) meliori perfectio-
ne extrinſecus accedente: oporteret enim ut eſſent in potentia. nã intelligere aliquid
ab extrinſeco, eſt pati, & eſſe in potentia: omne autem illud quod eſt in potẽtia ad a-
12. Metaphyſ. tex. 20. liquid neceſſariò, poteſt non eſſe, ut declarauit Ariſtoteles 12. Meta. tex. 20. ijs uerbis:
Quod enim potentia eſt, id poteſt non eſſe: & quod huiuſmodi eſt, imperfectũ in ſua
» natura, & corruptibile. Hoc autem non cõceditur de ipſis intelligentijs, quòd in ſuo
genere ſunt perfectiſsimæ, & ſunt incorruptibiles. non ſunt ergo in potentia: non e-
nim eſſent puri actus, & nõ eſſent uerè ſimplices. Quod tamẽ ſequitur ex hoc, quòd
ſunt à materia ſeiunctæ: & iſta ſimplicitas ipſarum cognoſcitur eodem medio, quo
cognoſcitur primæ mentis ſimplicitas.

Ex quibus omnibus ſequitur, ut non intelligant orbes ſuos & motus ſuos: quia i-
dem non eſſet intellectus, & intellectum. etenim orbis nõ eſt intellectus, licet ſit in-
tellectum. ſequitur tamen earum perfectionem neceſſariò ut dent eſſe orbi, & mo-
ueant æterno tempore ipſum orbem, ex quo motu huius mundi ſalus exiſtit: easq; i-
pſe motus ſequitur, ut umbra neceſſariò ſequitur corpus, quam ſalutem natura uni-
uerſalis intendebat, id eſt ordo uniuerſi exigebat. Et hoc non ſolùm non eſt abſurdũ
hac uia naturali, ſed maximè neceſſarium. Etenim hæc inferiora producuntur ab illis
intelligentijs quæ ſunt intelligentes: non tamen ut intelligentes ſunt, ſed per modũ
conſequentię ad perfectionem ipſarũ. & propter hoc licet ſint in corpore cœleſti, &
dent eſſe illi, quia ibi non poteſt eſſe alia forma, quæ non ſit intellectus (eſſent enim
generabilia & corruptibilia, ut alibi oſtendemus) tamen eſſe per ſe & propriè dicun
tur, & ſeparatæ eſſe à corpore: quia neq; in eo quod ſunt, neq; in eo quod operantur,
dependent à corpore, ſed corpus ipſum indiget illis, quia ſequitur earum perfectio-
nem. ſi ergo inferiores intelligentiæ non intelligãt ſuperiores, multo minus ſuperio-
res, quæ ſunt longè præſtantiores, intelligent inferiores.

SECTIO DECIMASEPTIMA.

Ibid. tex. 38. EAndem côncluſionem uiſus eſt etiam attingere Ariſtoteles in 12. Meta. tex. 38. u-
bi poſtq; probauerat, primã cauſam ſeipſam ſolùm intelligere, his uerbis: Si autẽ

inte lligit

intelligit ſe, huius alius auctor non eſt, hoc, quod eſt ipſius ſubſtantia intellectio, ſed potentia eſſe: quæ ratio uidetur etiam poſſe de reliquis intelligētijs oſtendere, quòd nihil extra ſe intelligant, quia eſſent in potentia, ut dixit de prima: ſed quomodocunque ſit, nihil refert nunc: in his autem quæ ſequentur, pluribus de hac re agemus.

Poſtquam igitur probauerat de prima intelligentia, idem eſſe intellectionem, intellectum, & intelligens: & attulerat dubitationem de ſcientia, & ſenſu, & opinione, quæ uidentur eſſe alicuius ſemper, quod eſt aliud, ſubiecit: An in quibuſdam ſcientia eſt ipſa res, in effectricibus quidem ſubſtantia ipſaq; quiditas ſine materia: in contemplationibus ipſa ratio, id eſt res atq; intellectio. In his igitur quæ materiam non habent, cum alterum non ſit quod intelligit & intelligitur, idem erit & intellectio eius quod intelligitur una.

Quibus uerbis uidetur manifeſtè ſignificare, in abſtractis à materia eſſe idē quod intelligitur, & quod intelligit. quia ex hoc quòd non poteſt eſſe in illis diuerſum id quod intelligit, & id quod intelligitur, concluſit quòd erit idem, & quòd intellectio cum eo quod intelligitur unà. Quòd uerò dixit de effectricibus & ſpeculatiuis, pertinet ſolùm ad hoc, ut oſtendat ſcientiam in alijs eſſe idem quod eſt res ſcita, quia de hoc tantùm erat dubitatio propoſita, non quòd intellectus & res intellectiua ſint idem, quoniam non eſt idem in ipſis intellectus, & res quæ intelligitur, licet ſcientia & res ſcita ſint idem in illis modo quodam. Ideo dixit, in effectricibus ſubſtantia & forma idem eſt quod ſcientia. ars enim domus cōſtituendæ nihil aliud eſt quàm domus forma, atque eodem modo medicinæ forma ſanitatis. In ſpeculatiuis uerò, ut Geometria & Arithmetica, & ſimilibus, ratio, id eſt res, & intellectio idem eſt. nam &, ut rectè dixit Alexander, intellectio cur deficiat luna, idem eſt cur cauſa defectus efficitur. Porrò cauſa defectus idem eſt, quod ipſe defectus: quo fit, ut intellectio defectus idem ſit atq; ipſe defectus.

Quibus uerbis patet, uoluiſſe in iſtis ſolùm intellectionem & rem intellectam eſſe idem. ſed non loquutus eſt de intellectu, & de re intellecta: quia quæſtio propoſita fuerat ſolùm illa, uidelicet de intellectione & intellectu. Et cū dixit, In ijs quæ materiam non habent: deſignauit ea quæ uerè ſunt abſtracta. id autem ſic intelligēdum eſt, iſta abſtracta à materia, diuerſa eſſe ab eo quod dixerat in effectricibus & ſpeculatiuis, non enim illa ſunt abſtracta uerè propter naturam, ſed aliunde conſequuta ſunt abſtractionem. Verba igitur Ariſtotelis uidentur oſtendere, fieri non poſſe ut intelligentiæ inferiores intelligant ſuperiores, quia intellectum, & id quod intelligit, non eſſent idem: hinc autem ſequitur, non eſſe idem intellectionem eius quod intelligitur, & non eſſe unà.

SECTIO DECIMAOCTAVA.

RAtio item naturalis, præter eam quæ dicta eſt, quòd eſſent in potentia, uidetur hoc idē oſtendere, quia uel intelligerent inferiores intelligentiæ ſuperiores per eſſentiam ſuam, uel per eſſentiam ſuperiorum: neutrum horum euenire poteſt: ergo non intelligunt ſuperiores. Quòd autē non intelligunt per eſſentiam propriam, patet, quia ipſæ ſunt imperfectiores: & imperfectius nō poteſt referre perfectius. Neq; per eſſentiam ſuperiorum, quia eſſentia primæ cauſæ non poteſt deſcendere in intelligentiam lunæ: diſtat enim maximè ab ipſa, ſuntq; multa corpora interpoſita: & ita de cæteris. Hoc autem neceſſarium eſſet: debet enim naturalis eſſe intellectio illa, & ſolida, non adumbrata & commenticia. intelligere autem aliquid extrà, eſt recipere illud & pati ab illo eo modo quo diximus. Neq; ipſis ſunt oculi quibus poſsint aliæ aliarum eſſentias percipere. neq; uerò ex hoc quòd primam intelligētiam non intelligunt inferiores, eſt opinādum, ipſas non mouere motu diurno: quia omnes illi motus quibus mouent, exiſtunt ex perfectione ipſarum, neq; ab ipſis cognoſcūtur: imitantur tamen primam intelligentiam naturaliter, quantum attinet ad primam ipſarū operationem. Quomodo autem poſſint mouere motibus illis quibus mouent, & an ſuper diuerſos polos, ut uidetur, nec ne, ſi Deo placebit, dicemus quid ſentiamus. Satis eſt nobis dixiſſe nunc, quod ſequitur ex uerbis Ariſtotelis, nō poſſe inferiores intelligentias intelligere ſuperiores, neq; econtrariò.

Sed diceret quiſpiā hoc repugnare Ariſtoteli, quippe qui 2. Cœli tex. 66. oſtendit, *2. Cœl. tex. 66.*

omnes inferiores intelligentias eo citius moueri, quo propinquiores ſunt primæ: &
2. Cœli tex. 66. quòd mouentur, ut imitentur primam. inquit enim: Maximè quidem illo ſortiri fine,
„ optimum omnibus. ſi autem non ſemper, melius erit, quanto utiq; propinquius pri-
„ mo. & propter hoc terra totaliter non mouetur, propinqua autem paucis motibus
„ mouentur: non enim attingũt ad extremum, ſed uſq; quò poſsint ſortiri diuiniſsimo
„ principio. primum autem cœlum confeſtim ſortitur per unum motum: quę autem in
„ medio primi & extremorum, attingunt quidem, per plures autem attingunt motus.
2. Cœli tex. 53. Quod itẽ uiſus eſt ſignificare, cũ dixit: Quæ non uidẽtur poſſe fieri ſine cognitione.

Quibus uerbis reſpondemus, neceſſariò intelligendum eſſe, quod imitentur per modum naturæ, ſicut dictum eſt in ſuperioribus: quia eodem modo loquitur de motibus cœli, ſicut loquitur de eis quæ ſunt inter primum cœlum ſeu primã intelligentiam & terram: quæ omnia non poſſunt cognoſcere, ut diximus. Fieri non poteſt ex principijs quæ poſita ſunt ab Ariſtotele, ut ea quæ ſemper ſunt actu, intelligant aliquid extra ſe. recipiens enim nõ eſſet idem quod receptum: & quod eſt actu ſemper, non eſſet actu ſemper. Cum igitur prima intelligentia non poſsit intelligere ſuum orbem, neq; ſuum motum (non enim tantùm ſeipſum intelligeret) neceſſe eſt ut moueat per motum naturæ, & eius bonitatem ſequatur motus, quem conſequitur ſalus mundi.

2. Cœli tex. 64. Hoc autem quod dicimus, uidetur oſtendiſſe Ariſtoteles, cum inquit: Quòd antè
„ eſt, ut optimè habens, nihil indiget actione. Etenim ipſum eſt, cuius gratia cætera a-
„ gunt. Actio enim ſemper eſt in duobus, cum & cuius gratia fit, & quod huius gratia.
„ aliorum autem animalium pauciores, plantarum autem parua quædam, & una fortè,
„ aut unum aliquid eſt quo ſortitur utiq;, quemadmodum & homo, aut & multa alia
„ præuia ſunt ad optimum. Hoc quidem igitur habet & participat optimo: hoc autem
„ attingit propè per paucos motus, hoc autem per multos. hoc autem neq; participat,
„ ſed ſufficiens ad propè extrema uenire. Puta ſi ſanitas finis, hoc quidem ſemper ſanũ
„ eſt, hoc quidem extenuatum, hoc autem currens & extenuatum, hoc autem & aliud
„ aliquid operans currendi gratia. quare plures motus, alterum autem non poteſt ad
„ ſanari peruenire, ſed ad currere, ſolùm autem extenuari, & horum alterum.

Quæ uerba indicant, neceſſariam non eſſe cognitionem ad iſtam imitationem: multa enim dicit imitari optimum, quæ ipſum non cognoſcunt. ita enim intelligi oportet factum eſſe à natura, perinde ac ſi ipſa cognouiſſet. Ideo non eſt mirũ ſi agunt
1. Cœli tex. 20. multa non cognoſcentes, cum ſic loquutus ſit Ariſtoteles 1. Cœli tex. 20. Similiter au
„ tem rationabile de ipſo, & quod ingenitum, & incorruptibile, & inaugumentabile,
„ & inalterabile, propter fieri quidem omne generabile ex contrario & ſubiecto quo-
„ dam, & corrumpi: ſimiliter ſuppoſito quodam, & à contrario in contrarium, quemad
„ modum in primis dictum eſt ſermonibus. contrariorum autem, & lationes cõtrariæ.
„ Si autem huic nihil contrarium continget eſſe, eo quòd circulationi alicui non eſt
„ contrarius motus, rectè uidetur natura futurum ingenitũ & incorruptibile exemiſſe
„ à contrarijs. Inter contraria enim generatio & corruptio.

Hic enim dicit, naturam uideri rectè exemiſſe à contrarijs futurum ingenitum & incorruptibile, non quòd reuera exemerit (quia ſi exemiſſet uerè, non fuiſſet ingenitum) ſed quòd ita eſt cœlum ſine contrarijs, perinde ac ſi fuiſſet factum ſine contra-
2. Cœli tex. 13. rijs. idq; eſt ei ſimile quod dixit his uerbis: Eſt autem cœlum animatum, & habet motus principium manifeſtum, quod habet ſurſum & deorſum, dextrum & ſiniſtrum. non oportet enim dubitare propter ſphæricam eſſe totius figurã, quomodo erit huius hoc quidem dextrum, hoc autem ſiniſtrum, ſimilibus exiſtentibus partibus omnibus, & motis omni tempore. Sed intelligere oportet, ſicut utiq; ſi quis, in quib. habet dextrum ad ſiniſtrum differentia in figuris, deinde circumponat ſphæram, habebit quidem enim uirtutem differentem, uidebitur autem nõ propter ſimilitudinem figuræ. eodem autem modo & de principio eius, quod eſt moueri. Etenim ſi nequaquam incipiat, tamẽ habetur neceſſarium principium unde incipit, ſi incipiebat moueri quod mouetur, & utiq; ſi ſteterit, mouebitur utiq; iterum.

Etenim cum ſtatuat in cœlo principium motus neceſſariò, licet nunquam incepe rit moueri, neceſſe eſt ut intelligatur hoc dictũ perinde ac ſi incepiſſet: ita licet dicere intelligentias inferiores mouere propter primã cognoſcẽtes ipſam, quia ita mouent

perinde

perinde ac ſi cognoſcerent. rationes enim allatæ in ſuperioribus cogunt ita dicere, præſertim illæ quibus uſus eſt Ariſtoteles 8. Phyſic. ad probandum, primum motorem eſſe ſine magnitudine, indiuiſibilem & impartibilem, & ſemper actu, & nullam habere potentiam. ita enim probant de intelligentijs inferioribus, ſicut de ſuperioribus: & nulla eſt, quantum ad hoc pertinet, diſsimilitudo. ordo uerò ipſarum oſtendit, ſuperiores eſſe perfectiores. & quantum ad hoc ipſum quidem, non uideretur abſurdum, ut inferiores intelligerent ſuperiores: ſed hoc illa ratione prohibetur, quia fieri non poſſet ſine potentia, id eſt abſq; eo ut inferiores haberent potentiam, quæ potentia tolleret earum perfectionem. non enim eſſent puri actus, & cætera ſequerentur abſurda quæ dicta ſunt in ſuperioribus. Reliquas autem præter eas quas commemorauimus quæſtiones, quæ uidentur exiſtere, ex ea quã explicauimus ſententia facilè erit diſſoluere, ſi quis bene conſideret uerba Ariſtotelis, & ea quæ nos diximus. non enim locus eſt recenſendi hic omnia quæ ad hanc rem attinent: ſed ſatis eſt notaſſe quæ ſequi uidentur ex uerbis Ariſtotelis, de quibus etiam in eis quæ ſequuntur uerba faciemus. 8.Phyſ.

Item ſequitur, ut intellectus agens non cognoſcat poſsibilem. eſſet enim imperfectior, & ſcientia eius non eſſet idem quod res ſcita: tamẽ eius perfectionẽ ſequi uidetᷣ ut det eſſe ipſi poſsibili, & ſua præſentia illuminet phantaſmata, licet ea non cognoſcat: ſicut lumen non cognoſcit diaphanum, neq; colores. poſsibilis uerò ex agentis operatione intelligit ipſum agentem: uidet enim fieri non poſſe ut ipſe intelligat eo modo quo intelligit, niſi habeat agentem, ut eſt agens, & ut forma: & intelligit alia exteriora, quia eſt impura potentia, & eſt in genere abſtractorum imperfectius. ideo indiget intellectione plurium ut perficiatᷣ quantũ poteſt perfici. Quare intellectus illius qui plura intelliget, erit magis perfectus. Ex uerbis igitur Ariſtotelis, dũ naturaliter loquitur, & ex ratione naturali ſequi opinamur, ut intelligentiæ inferiores non intelligant ſuperiores, & multo minus ſuperiores inferiores, ſicut oſtendimus ſuprà.

Sed dicet quiſpiam, Ex dictis uidetur ſequi, ut anima noſtra rationalis ſit compoſita ex materia & forma, quod uidetur abſurdum: quia quod eſt compoſitum, non uidetur eſſe actus corporis phyſici & organici.

Cui quæſtioni reſpondeo, neceſſarium eſſe ut anima noſtra ſit compoſita, ut probauit demonſtratio, quæ oſtendit dari intellectũ agentẽ: & ut etiam probauit illa demonſtratio quæ oſtendit, intellectum agentem eſſe ſeparabilem, immixtum, & impaſsibilem: quia principium erat honorabilius materia. quod nomen principij non poteſt eo in loco intelligi niſi de forma, quia materia dicitur ad formam: non enim eſſet ad rem, & demonſtratio nihil probaret.

Ad rationem dico non eſſe abſurdum, ut compoſitũ ſpiritualiter, quod non depẽdet à materia, neq; extenditur ad extenſionem materiæ, quod compoſitum quidem non eſt corpus, ſed uelut una forma, ſit actus corporis. nã compoſitũ ex forma & materia quanta, neceſſariò eſt corpus. Sed compoſitũ ex materia ſpirituali & forma ſpirituali, non poteſt eſſe corpus: non enim diuiſibile eſt in partẽ poſt partem. Nuſquã præterea apud Ariſtotelem reperitur aliquid quod hoc prohibeat. Non ergo alicui mirum uideri debet, cũ hoc habeatur ex operatione, quã facit intellectus poſsibilis, quam operationem nulli alij rei conuenire compertum eſt. Itaq; non erit mirandum, ſi eius ſubſtantia ſit diuerſa à ſubſtantijs cęterarum rerum. eſt enim ſubſtantia media inter non abſtracta ſimpliciter, & abſtracta ſimpliciter: quandoquidẽ non erat conſentaneũ rationi, ut natura à ſimpliciter abſtractis, ad ea quæ ſunt ſimpliciter immerſa materiæ, ſine medio proficiſceretur: etenim natura non ſolet tranſire ab extremo ad extremum ſine medio, ut in ſequentibus declarabimus. Neceſſe fuit igitur, ut tranſiret per medium: quod nõ eſſet ſimpliciter abſtractũ, neq; etiam ſimpliciter immerſum. Tãtum ergo mihi uidetur abeſſe, ut ſit abſurdum concedere uia naturali animã noſtram intellectiuam eſſe compoſitam ex materia & forma, & eſſe actum corporis, ut ex rationibus dictis exiſtimem id eſſe maximè neceſſarium.

SECTIO DECIMANONA.

SEd reuertamur iam unde egreſsi ſumus, & dicamus, ex textib. & rationibus allatis ſequi apertiſsimè iudicio noſtro, animã noſtrã intellectiuã omnino ex Ariſtotelis ſentẽtia eſſe immortalẽ. Rationes aũt quæ à nõnullis recentiorib. cõtrà ſunt allatæ, 3.de Anima tex.17.19.

latæ, quia facilè diſſoluuntur & ex uerbis Ariſtotelis, & ex eis quæ dicta ſunt, ſi bene
perpendantur, miſſas faciendas eſſe duximus. præſeferunt enim ignorationẽ demon
monſtrationis Ariſtotelicæ, & tam de ijs loquor qui uoluerunt intellectum agẽtem
eſſe re diuerſum à poſsibili, neq; indigere nos agente: q; de ijs qui dicunt eſſe idem re,
ſed ratione differre: nobis enim uidetur ſuperuacaneum, cũ exiſtimemus nos confe-
ciſſe demonſtrationẽ Ariſtotelis, & explicaſſe eius uerba, recenſere ſeparatim illorũ
rationes, quę ex demõſtratione facta non ſolũ diſſolui poſſe uideantur, ſed ne dignę
quidẽ ut earũ mentio fiat. Etenim nõnulli argumẽtantur de intellectu poſsibili, ſi po
natur æternus: idẽ quod dicunt de ſubſtãtijs, quæ ſimpliciter abſtractæ ſunt: ob idq;
negant eum indigere intellectu agente. & quod peius eſt, uoluerunt eius æternitatẽ
eadẽ uia demõſtrari, qua demonſtratur æternitas illarũ ſubſtantiarũ quæ ſimpliciter
ſunt abſtractæ: quæ res eiuſmodi eſt, ut nulla magis ridicula eſſe poſsit, & quę magis
Ariſtoteli repugnet, ut fuſius declarabimus in ſequentibus. etenim ex proprio ope-
re demonſtrauit Ariſtoteles eius æternitatẽ, quam non alio medio demonſtrare po-
tuit. Siquidem ex operationibus proprijs cognoſcuntur rerum ſubſtantiæ. Quis ue-
,, rò ex Peripateticorum familia diceret quod iſti aſſerunt? Si intellectus potẽtia ſub-
,, ſtantia eſt, & intellectus quòd erit intelligentia, & quòd habebit ſuperiorem naturã
,, quàm ſit res materialis: ergo ſua natura ſeipſum citra cuiuſquam interuentum prius
,, intelliget, quàm materiales ſubſtãtias: cumq; intus ſecum habitet, antè ſe rimabitur,
,, quàm foràs ad peregrinas ſubſtantias intelligendas progrediatur: non igitur habet
,, opus intellectu agente. etẽ hoc aptiſsimè aduerſaẽ cùm multis alijs locis Ariſtote-
3. de Anima lis, tũ uerò maximè textui 6. tertij de Anima, ubi ait: Cognoſcimus q; eſt ſubſtãtia ab-
tex. 6. ſtracta, quia nõ miſceẽ cũ corpore. & cognoſcimus q; nõ miſceẽ cũ corpore: quia nõ
habet organũ. cognoſcimus uerò hoc, quia recipit ſpecies uniuerſales ad quas eſt in
potẽtia, quas nõ poſſet recipere ab organis: ſcimus ergo q; eſt abſtractus, quia intelli
git ea quę ſunt foris. Nulla igiẽ ratio eſt dicere, eſt abſtractus, ergo intelligit prius ſei-
pſum, ergo nõ indiget intellectu agẽte. Falſum eñ eſt q; abũdet lumine ad cognoſcẽ-
dũ materialia ſine intellectu agente. hæc enim apertè euertunt ſententiã Ariſtotelis.

Qui uerò dicunt, eſſe idem re intellectum poſsibilem & agentem, differre autem
ratione, repugnant & fundamẽtis naturalib. & uerbis Ariſtotelis citatis: ad quæ uer-
ba reijcio lectorẽ Peripateticũ, id eſt lectorẽ ꝓbè natura ad intelligendũ conſtitutũ.

Item, ſi intellectus eſt generabilis & corruptibilis, ergo dabitur per ſe memoria
intellectiua. Conſequens eſt falſum, ergo & antecedens.

In lib. De memoria & reminiſcentia. Quòd conſequens ſit falſum, oſtendit Ariſtoteles in lib. de Memoria & reminiſcẽ
tia his uerbis, poſt nonnulla alia ad hoc propoſitum dicta: Quare manifeſtum, quòd
primo ſenſitiuo horũ cognitio eſt. Memoria aũt, & ea quæ eſt intelligibiliũ, non ſine
,, phantaſmate eſt, quare intellectui ſecundũ accidẽs erit. Vnde & alijs quibuſdã ineſt
,, animalium, & nõ ſolùm hominib. & habentib. opinionẽ & prudẽtiam. ſi aũt intelle-
,, ctiuarũ partium eſſet, nõ utiq; ineſſet multis aliorũ animalium. Fortè aũt nulli morta-
,, lium, quoniam nec nũc omnib. propter id quòd non omnia tẽporis ſenſum habent.

Ex his eñ perſpicuum eſt, nõ dari memoriã intellectiuã. Quòd ſi intellectus eſſet
generabilis & corruptibilis poſſet dari, & ita probaẽ cõſequentia. eſſet eñ de ipſa, ſi-
cut de alijs partib. animę generabilibus & corruptibilib. & ſic poſſet fieri per ſenſum
in anima, & in parte corporis ipſam habente uelut pictura quædã paſsio, cuius dici-
mus habitũ eſſe memoriã. Factus eñ motus imprimit ueluti figurã quandã ipſis ſen-
ſorijs, ſicut ſigilla annulis. quod quidẽ ita in prõptu eſt, ut nulla demõſtratione indi-
gere uideaẽ. has aũt cõditiones haberet ipſa intellectiua memoria, cũ eſſet extẽſa ad
extẽſionẽ corporis. ſed cũ dicat Ariſtoteles, nõ dari ꝑ ſe hãc memoriã intellectiuã, ut
opineẽ ipſam nõ eductã ex potẽtia materię, neceſſe eſt & ꝑ cõſequens eſſe imortalẽ.

SECTIO VICESIMA.

IAm uerò multis alijs omiſsis, quæ ex ipſa naturali philoſophia ad animi noſtri im-
mortalitatem probandã poſſent afferri, trãſeamus ad primam philoſophiam, & ui
deamus an alicubi Ariſtoteles aliquã nobis dederit huiuſce ſentẽtiæ ſignificationẽ.
8. Meta. tex. 1. inquit igiẽ 8. Meta. tex. 1. Nunc aũt de hiſce ſubſtãtijs pertractemus, quas omnes eſ-
,, ſe fatẽtur: eæ uerò ſunt ſenſibiles ipſæ ſubſtãtiæ, quas quidẽ uniuerſas habere cõſtat.

eſt autem

eſt aūt ipſum ſubiectum ſubſtātię, alio quidē modo ipſa materies. atq; materiam eam dico quæ non actu hoc aliquid, ſed potentia eſt, alio uerò modo ratio atque forma, quod quidē eſt hoc aliquid, atq; ſeparabili ratione. Tertium aūt eſt, id quod ex hiſce conſtat. cuius generatio ſolius eſt atq; corruptio, quodq; ſimpliciter eſt ſeparabile. ſubſtantiarum enim earum quæ ad rationem accommodantur; quędam ſeparantur, quædam non ſeparantur. Quibus uerbis uidetur ſignificare, quaſdam formas poſſe ſeparari, quod quidem eo loco (ut patet ex ijs quæ poſtea dicit) non poteſt intelligi, niſi de anima noſtra intellectiua. Item tex. 9. Mouētes igitur cauſæ antecedūt. at hæ quæ ſunt ut ratio cauſæ, ſimul ſunt. cum enim homo eſt ſanus, tunc eſt ſanitas. Figura etiam æneæ pilæ; & ipſa ænea pila ſunt ſimul. Si uerò & poſterius quippiam permanet, conſiderare oportet. in quibuſdam enim nihil prohibere uidetur: ueluti ſi anima tale ſit, non omnis, ſed mens ipſa. ut enim omnis permaneat anima fieri fortaſſe non poteſt. Quæ uerba apertiſsimè declarant, nihil prohibere, mētem noſtram poſt mortem remanere poſſe, neq; unà cum corpore interire. quod planè nihil aliud eſt, quàm ipſam immortalem ſtatuere.

Clarius etiam uidetur hanc rem ſignificare tex. 39. ubi ait: Reſtat igitur dubitatio, Si id quod intelligitur ſit compoſitum, in totius partis intelligendis mutabitur, an id omne eſt indiuiſibile, quod materiam non habet, ut mens humana. Dat enim exēplum, ut oſtendat quæ ſint indiuiſibilia, quia materiam non habent, mentem humanam: uult ergo ipſam non habere materiam. hinc autem ſequitur, eſſe indiuiſibilem. Quòd ſi hoc, immortalem etiam: alioquin exemplum fuiſſet falſum.

12. Metaphyſ. tex. 39.

Item 2. de Part. animal. cap. 10. inquit: Quæ autem unà cum uita, ſenſu etiam prædita, hæc ſpeciem multiformiorem, numeroſioremq; uarietatem recipiunt, atq; inter ea alijs alia magis, & eo amplius, quòd non ſolùm uiuendi, ſed etiam bene uiuendi rationem natura eorum obtinuit: quale hominum genus eſt. quippe quod aut unū ex omnibus animalibus nobis cognitis diuinitatis particeps ſit, aut omnium maximè. Vbi appellat hominem participem diuinitatis: quod quidē non poteſt aliunde proficiſci, quàm ab æternitate animi.

2. De part. animal. cap. 10.

Item 2. de Generatione animalium, cap. 3. ubi hæc ſcripta reliquit: Corpus autem genituræ in quo ſemen animalis principij contentum unà prouenit, partim ſeparabili à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur (qualis eſt quę mens appellatur) partim inſeparabile, hoc inquam genituræ ſemen diſſoluitur, uerſumq; in ſpiritum euaneſcit, cum naturam humidam aquoſamq; habeat. Apertè uidetur dicere, mentem noſtram eſſe diuinam, & ſeparabilem à corpore: ergo non poteſt interire. quia omnis formæ interemptio eſt à corpore & à materia.

2. de Generat. animal. cap. 3.

Item, ſi ſeparatur à corpore, profectò non unà cum corpore occidit: ergo non moritur. cauſa enim mortis eſt ea materia quæ eſt in potentia. Si ergo ſeparatur ab ipſa potentia, certè quidem à mortis cauſa ſeparatur: ergo mori non poteſt.

Probatur antecedens ex Ariſtotele 7. Meta. tex. 20 & 21. Conſequentia autem perſpicua eſt: quia effectus ſine cauſa cōſtare nullo pacto poteſt. Dicant mihi quæſo, qua ratione probauit Ariſtoteles, intelligentias eſſe æternas, niſi quòd à corpore erant abſtractæ, nullamq; magnitudinem habebant?

7. Meta. tex. 20. & 21.

Item, quanam uia probat potentias ſenſitiuas corrumpi, niſi quia ſunt inſeparabiles à corpore? nulla enim ratio probare poteſt nobis alicuius rei æternitatē, pręter illam quę oſtendit, illā rem non eſſe mixtā cum corpore. ex quo ſequitur, quòd nō poteſt pati corruptiuè, neq; poteſt interire. materia enim & potentia ſunt cauſa omnis mali & peccati. Et ideo dicebat Ariſtoteles: Patet ergo, malum ipſum nō eſſe pręter res ipſas malum, neq; potentia poſterius eſt natura, nec in ijs: ergo quæ ſunt perpetua, mali quicquam eſt, aut peccati, aut corrupti. Etenim mali rationem corruptio ſubit: & hæc omnia eis accedunt, quia non ſunt mixtę cum corpore, & nullam habent potentiam penitus.

9. Meta. tex. 21.

SECTIO VIGESIMAPRIMA.

ITem, nuſquam demonſtrauit Ariſtoteles intellectus mortalitatem: certè igitur non opinatus eſt ipſum eſſe mortalem.

1. de Anima tex. 30.

Probat̃ conſequētia: quia mācus fuiſſet, ut dicemus etiā in ſequentib. dū traderet

proprietates ipſius, quemadmodum pollicitus eſt, utq; ad eum pertinet, qui uelit tradere cognitionẽ alicuius rei. non enim res cognoſcuntur, niſi cognita earũ ſubſtãtia & proprietate. neq; ullam uim habet, quòd dixerit quædam, ex quibus id uidebatur ſequi. iſtud enim non fuit afferre demonſtrationem. atq; ut quædam dixiſſet de mortalitate animæ, longè plura ſunt illa & clariora quæ de immortalitate dixit, & tamen attulit demonſtrationem: hæc enim res tanti momenti erat, ut eius demonſtratio prætermitti ſine grauiſsimo ſcelere non poſſet. Neq; ulla grauis cauſa affertur, cum dicitur, quòd religionis ſuæ uim atque auctoritatem uereretur, auſum non eſſe, quid ſentiret palàm & apertè proferre. nam multo maiora & grauiora protulit, ut mundi æternitatem, & Deum hæc inferiora non cognoſcere, & alia huiuſmodi, de quibus etiam in eis quæ ſequentur uerba faciemus. Non poſſunt igitur (meo quidem iudicio) fugere, quin Ariſtoteles peccauerit omittens dictam demonſtrationem, cum eiuſmodi opinionem ipſi attribuunt. Iam uerò quid euidentius? quidq; magis hominum obſtinatorum mentes ad hanc rem percipiendam mouere poſsit, quàm quòd

10.Ethic.11. Ariſtoteles 10. Ethic. 11. ſcriptum reliquit, cum de perfectiſsima felicitate, quæ eſt contemplatiua ſermonem haberet, quam contemplationem dixit eſſe operationem intellectus? Certè meo iudicio nihil. nam cum multa in eam ſententiam differuiſſet, tũ
,, hæc etiam addidit: Hæc perfecta ſanè felicitas, hæc hominis eſt ubi uitæ longitudinẽ
,, perfectam eſt nacta: nihil enim eorũ quę ſunt felicitatis imperfectum eſt. ac talis qui-
,, dem uita præſtantior eſt, ꝙ homini conueniat: non enim quatenus homo ita uiuet,
,, ſed quatenus diuinũ, quod in ipſo ineſt. quantũ aũt id pręſtat cõpoſito, tanto quoq;
,, eius operatio ab operatione diſtat, quæ ex uirtute alia exiſtit. Sicut igitur intellectus
,, diuinũ quid eſt, ſi ad hominẽ reſpiciamus: ſic uita quæ ex intellectu traducitur, ſi hu-
,, manę uitę cõparetur, diuina ipſa etiam eſt. Vult ergo intellectũ eſſe diuinũ, eiusq; operationẽ longè aliarũ uirtutũ operationib. excellere. ſed operationes aliarũ uirtutũ ad animã quæ corrũpitur pertinent: ergo neceſſariò efficiť, ut ſpeculatio ſit animæ quę nõ corrũpiť: alioqn ratio nõ reperiret; quare una exiſtẽs opatio, ſit aliȷs pſtãtior.

Item, nihil appareret, quare mens eſſet diuina, & aliæ animæ partes nõ eſſent diuinæ, ſi omnes eſſent perituræ, quia naſcũtur ex potẽtia materiæ: tñ aliarũ uirtutũ operationes in eodẽ loco appellat humanas, huius aũt mẽtis diuinas. Neceſſe igitur eſt, ut hæc ſit diuina, cum æterna ſit: aliæ humanæ, quia nullã habent ſimilitudinẽ cũ diui
,, nis. Quare Ariſtoteles paulo pòſt ſubiecit: Quinetiam prudentia cum morũ uirtute,
,, atq; hæc cũ prudẽtia coniuncta eſt: ſiquidẽ prudentia principia ex uirtutib. morali-
,, bus, rectitudo uerò moralium uirtutũ ex prudentia exiſtit. at hæ cõnexę cũ affectib.
,, ſunt, & circa cõpoſitum uerſantur. Virtutes uerò cõpoſiti humanæ ſunt: & uita igiť,
,, quæ ſecundum has traducitur, & felicitas huiuſmodi erit, mentis autem ſeparata eſt.

Si ergo mentis uirtus eſt ſeparata à compoſito, ergo & à corpore: certè igitur immortalis. Poſſemus præter ea quæ dicta ſunt, afferre multa alia uerba Ariſtotelis, ex quibus facilè eſſet intelligentia conſequi, eum rationem quæ oritur ex ſenſu, contemplatum ac ſecutum, ſine aliquo dubio animi noſtri immortalitatem confirmaſſe, ut ſunt omnia quæ ab ipſo dicuntur de uirtutibus moralibus, & de intellectiuis: quę quidem oſtendunt, intereſſe uerè inter morales & intellectiuas: atq; etiam quæ dicũtur de continentia, quæ eſt uirtus mixta. nonnihil ad hanc rem pertinere uidentur.

Sed ȷs quæ iam dicta ſunt contenti, nihil addendum putamus: quandoquidem ad demonſtrationem dictam illud accedit quod Ariſtoteles nunquam ferè ulla in re quamuis magna ac difficili, tam multus & creber fuit, quàm in animi noſtri immortalitate explicanda. Etenim omnia hæc de ipſo intellectu dixit, quòd uidelicet nõ corrumpebatur, quòd erat perpetuus, quòd erat impaſsibilis, quòd non erat mixtus cũ corpore, quòd erat ſeparabilis à corpore, quòd erat ſimplex, quòd erat ſolus diuinus, quòd extrinſecus accedebat, & quòd erat indiuiſibilis, quòd erat immortalis: quę omnia uerba, ut oſtenſum eſt ſupra, deſignant atque declarant immortalitatem. Etenim ſi non corrumpitur, ergo immortalis: ſi eſt perpetuus, ergo immortalis. hæc em̃ patẽt: ſi eſt impaſsibilis, ergo im̃ortalis: patereť em̃ ſi eſſet mortalis, et em̃ corrũpereť. ſi nõ eſt mixtus cũ corpore, ergo im̃ortalis: qa ſi eſſet mortalis, eſſet mixtus cũ corpore. ſi eſt ſeparabilis à corpore, ergo im̃ortalis: quia ſi mortalis, piret ad interitũ corporis. ſi eſt ſimplex, ergo im̃ortalis: qa ſi mortalis eſſet, nõ eſſet ſimplex, ſed mixtus.

ſi eſt ſolus diuinus, ergo immortalis: quia ſi mortalis, certè quidem uel non diuinus, uel non ſolus: etenim aliæ etiam partes poſſent eſſe diuinæ. Si uenit deforis, ergo immortalis: quia ſi mortalis, non poſſet uenire deforis.

Item, ſi indiuiſibilis, ergo immortalis: quia ſi mortalis, eſſet diuiſibilis. Quòd uerò dixerit Ariſtoteles, ipſum eſſe immortalem, in dubium (ut oſtendemus) uenire nõ poteſt. Quid ergo clarius de aliqua alia re dixit Ariſtoteles, dicant mihi quæſo? quæ cum ita ſint, tamen nonnulli contendunt, eum animi noſtri mortalitatem probaſſe: quæ opinio, quantum ad hoc attinet, non minus hæretica in philoſophia Ariſtotelis, quàm in noſtra ſancta religione, mihi quidem uidetur. 3. de Animá tex. 20.

FINIS LIBRI VNDECIMI EVERSIONIS

Singularis certaminis.

LIBER DVODECIMVS.

SECTIO PRIMA.

PRofectò nihil unquam tam clarum tamq́; apertum fuit, quin illud idem à multis in controuerſiam uocatum ſit, & grauiter exagitatũ. Etenim quid clarius, quàm motum eſſe, & plura entia eſſe, & de quolibet dici affirmationem uel negationem? Nihil, mea quidem ſententia: ut diximus in ſuperioribus. Reperti tamen ſunt multi, & hi quidem egregij philoſophi, qui hæc maniſeſtiſsima principia auſi ſint euertere, ita ut ea à ueritate abhorrere contenderint. Quod cum ita ſit, homines non deterreri debent, quin putent ea eſſe uera, & uera rationi innitantur: licet à multis qui etiam in maximo honore atq; exiſtimatione habentur, ea uexari, & in dubium uocari perſpiciant. Quandoquidem non modò uerbis, ſed ne cogitatione quidem explicari ſatis poſsit, quàm uariæ ſint hominum naturæ, atq; omnino diuerſæ: & quàm multi reperiantur qui peruerſè omnia intelligant. Cum igitur ita natura comparatũ ſit, ut homines clariſsima quæque in dubium reuocare non uereantur: mirum uideri non debet, ſi nõ defuerint qui hanc concluſionem quam diximus, apertam eſſe, Animum uidelicet noſtrum ratione naturali ex ſententia Ariſtotelis eſſe immortalem, euertere conati ſint. Quorum ſententias, præſertim eas quæ ſpeciem, inanem eam quidem, ſed tamen ſpeciem quandam habent, in medium afferemus: ut omni erroris tanquam nebula diſcuſſa, certam de immortalitate ſententiam tenere poſsimus. ſimul etiã afferemus auctoritates Ariſtotelis, quæ nonnullos commouerunt, ut ueritatem in contrariam partem raperent.

Primùm igitur, quiſpiam aduerſus ea quæ dicta ſunt contenderet, & diceret, Ariſtotelis uerba quæ ſcripta reliquit in 1. de Anima, tex. 12. & 13. repugnare illi ſententię, quæ poſuit animam eſſe à corpore ſeparabilem. Etenim inquit: Dubitationem autẽ habent & paſsiones animæ, utrum communes omnes & habentis, an ſit & aliqua ipſius animæ propria. Hoc autem accipere quidem neceſſarium eſt, non autem leue: uidetur autem plurimorum quidem nullum ſine corpore pati, aut facere, aut iraſci, confidere, & omnino ſentire, maximè autem ſimile proprio intelligere. Si autem & hoc phantaſia quædam, aut non ſine phantaſia, non cõtingit utiq; neq; hoc ſine corpore eſſe. 1. de Anima tex. 12. & 13.

Cum Ariſtoteles propoſuiſſet ſe uelle quærere, nunquid omnes paſsiones animę & operationes ſint communes animæ, cum habente animam: an ſit aliqua, & animę propria ipſius, id eſt, an ſit aliqua operatio animę, quæ fiat à ſola anima ſine corpore: & oſtendiſſet, plura horum eſſe communia cum corpore: & dixiſſet, ſolùm intelligere uideri propriam ipſius animæ operationem: tamen ſi hoc fuiſſet uel phantaſia, uel non ſine phantaſia, non contingere, neq; hoc ſine corpore eſſe: addidit ſtatim, quaſi uolens oſtẽdere quid uoluerit ſignificare per quæſtionẽ propoſitã. Quòd ſi dabitur aliquod opus propriũ ipſius animæ, uel aliqua paſsio ꝓpria, cõtinget ipſam ſeparari ab ipſo, ſcilicet corpore: ſi nullum eſt proprium, non contingit ipſam ſeparari.

Sed diceret aliq́s, nullũ eſt aliquod opus propriũ ipſius animæ, neq; aliqua paſsio propria:

propria: ergo non contingit ipſam ſeparari à corpore, ergo interibit corpore interēpto. Quòd autem non habeat opus proprium, uidelicet ſeorſum à corpore, probatur: quia ſi aliquod eſſet, maximè eſſet intelligere: ſed intelligere non eſt ſine phantaſia, ergo non poteſt eſſe ſine corpore: quia phantaſia non eſt ſine corpore. Ergo intelligere non poteſt eſſe proprium opus ipſius animæ.

3. de Anima tex. 39. *in lib. De memoria & reminiſcentia. c. p.* *3. de Anima tex. 20.*

Quòd autem non poſsit eſſe ſine phantaſia, multis in locis teſtatū reliquit Ariſtoteles: ſed maximè loco 3. de Anima ſuperius citato, ad aliud tamen indicandum, ubi ait: Et quæcunq; ſenſibilium habitus & paſsiones, & ob hoc neq; non ſentiens, nihil utiq; addiſcet, neq; intelliget: & cum ſpeculetur, neceſſe ſimul aliquod phātaſma ſpeculari: phantaſmata enim ſicut ſenſib ilia ſunt, prẹterquàm quòd ſunt ſine materia. Item dixit: Intelligere non eſt ſine phantaſmate. Quod etiā ſignificauit 3. de Anima tex. 20. Ex his ergo Ariſtotelis uerbis uidetur apertiſsimè ſequi, intellectum noſtrum non eſſe à corpore ſeparabilem, ex quo ſequitur, eſſe generabilem & corruptibilem, & ita mortalem.

Confirmatur ex definitione animæ. Anima enim eſt actus corporis phyſici organici, potentia uitam habentis. Ergo non poteſt ſeparari à corpore: quia ſi poſſet ſeparari à corpore, non eſſet actus corporis: & ſi non eſſet actus corporis, nō eſſet anima: ſicut quod non eſt rationale, non eſt homo. Si ergo ſubſtantia animæ conſiſtat in hoc ut ſit actus corporis, non poteſt eſſe quin ſit actus corporis: quia ſi eſſet, & non eſſet actus corporis, ſubſtantia illius non cōſiſteret in eo ut eſſet actus corporis. Sed probatum eſt ab Ariſtotele, quòd ſubſtantia eo modo quo ſimplicia habent ſubſtantiam, eſt in hoc ut ſit actus corporis: ergo non poteſt eſſe ſine hoc quòd ſit actus corporis, ergo non poteſt ſeparari à corpore: ergo eſt generabilis, & corruptibilis ad generationem & corruptionem corporis. Quod enim non poteſt eſſe ſine corpore, ut ſequatur generationem & corruptionem corporis neceſſe eſt.

2. de Anima tex. 26.

Cōfirmatur ex uerbis Ariſtotelis in 2. de Anima tex. 26. ubi inquit: Et propter hoc bene opinantur, quibus uidetur neq; ſine corpore eſſe, neq; corpus aliquod anima. corpus quidem non eſt, corporis autem aliquid eſt. Quo quidem nihil uidetur clarius exprimi potuiſſe: ergo non eſt ſeparabilis à corpore.

2. de Anima tex. 31.

Item, intellectus continet in potentia omnes alias partes animæ, quæ educuntur ex potentia materiæ: ergo & ipſe educitur ex potentia materiæ. Probatur conſequentia. Etenim non contineret in potentia alias animæ partes, niſi eſſent eiuſdem generis. hoc enim perſpicuum eſt. Antecedēs colligitur ex eis quæ ſcripta reliquit Ariſtoteles ad hunc modum: Similiter autem ſe habent, & quod de figuris eſt, & quẹ circa animam ſunt. Semper enim eo quod eſt conſequenter eſt in potentia, quod per prius eſt in figuris & in animatis: ut in tetragono quidem trigonum eſt, in ſenſitiuo autem uegetatiuum. Et paulo pòſt: Senſitiuorum autem alia quidem habent ſecūdum locum motiuum, alia uerò nō habent: ultimum autem & minimum, ratiocinatiuū & intellectū. Quibus em̄ ineſt ratiocinatio corruptibilium, his & reliqua omnia.

2. de Anima text. 32.

Patet ergo, intellectiuū cōtinere potentia ſenſitiuū & uegetatiuū: ſicut ſenſitiuū, uegetatiuū. Sed ſenſitiuum eſt eiuſdē generis cū uegetatiuo, quod cōtinet potentia: ergo & intellectiuū erit eiuſdē generis cū ipſo ſenſitiuo, quod cōtinet potētia. ergo erit eductum ex potētia materiæ, ſicut ſenſitiuū: ergo corruptibile ſicut ſenſitiuum.

Item, ſi intellectus non poteſt eſſe ſine ſenſitiuo, ergo non poteſt ſeparari à corpore, quia ſenſitiuum non ſeparatur à corpore.

3. de Anima tex. 36.

Hanc eandem ſententiam uidetur Ariſtoteles clariſsimè ſignificaſſe, cum inquit: Non ſeparata, tanquam ſi ſeparata intellectum intelligat illud. omnino autem intellectus eſt, qui ſecundum actum res eſt intelligens. utrum autem contingat aliqua ſeparatarum intelligere ipſum exiſtentem, non ſeparatum à magnitudine, aut non, conſiderandum poſterius. Statuit enim, ipſum non eſſe ſeparatum à magnitudine: alioquin quæſtio ad rem non pertineret. ergo eſt generabilis & corruptibilis, ad generationem & corruptionem magnitudinis.

6. Meta. tex. 2.

Item Ariſtoteles apertā uidetur huius rei ſignificationē dediſſe, ubi ita ſcriptū reliquit: Quare ſi mēs omnis aut actiua eſt, aut effectiua, aut contēplatiua, naturalis profectò facultas contēplatiua quædā ſcientia eſt: ſed circa ens tale contēplatiua quod motu cieri poteſt, & circa ſubſtantiam eam plerūq; quẹ ad rationē accōmodatur, in-

ſeparabilē ſolùm. Nā ſi anima eſt cōſiderationis philoſophi naturalis: ut ſit inſeparabilis à corpore, ex eis quę loco citato dixit Ariſtoteles, neceſſe eſt: ergo corruptibilis.

Item paulo pòſt: Quòd ſi (inquit) naturales res omnes, perinde atq; ſimum, ut naſus, oculus, facies, os, caro, omnino animæ: folium, radix, cortex, omnino planta. nullius enim ipſorum ratio motionis eſt expers, ſed materiam ſemper habet. Patet, quonam pacto naturalib. in rebus ipſam quidem quærere definireq; oportet: & quamobrem ad naturalem philoſophum conſideratio & contemplatio animæ pertinet, quæ non ſine materia eſt. Si ergo animam contemplari ad philoſophum naturalē attinet, ut non ſit ſine materia neceſſe eſt.

SECTIO SECVNDA.

ITem, ſi intellectus eſſet abſtractus & ſeparatus à materia, non eſſet naturalis conſiderationis. eſt autem naturalis conſiderationis, ut patet ex lib. de Anima: ergo nō eſt abſtractus à materia.

Probatur conſequentia. ſi enim eſſet abſtractus, moueret corpus, & non moueretur ad motū corporis, ut patet. quia quod non dependet à natura, non mouetur. ſed quæ mouent cū ſint immobilia, nō ſunt naturalis conſiderationis: ergo ſi intellectus eſſet abſtractus à materia, non eſſet naturalis conſiderationis. Antecedēs probatur
ex uerbis Ariſtotelis, ſuperius etiam ad aliud propoſitū citatis: Et tenetur Phyſicus *2. Phyſ. tex. 71.*
(inquit) conſiderare, quæcunq; mota mouent: quæcunq; aūt non, nō amplius Phyſicę ſunt. non enim in ſcipſis habentia motū, neq; principia motus mouent, ſed immobilia ſunt. Vnde & tria negocia ſunt, hæc quidem circa immobile, alia uerò circa mobile quidem incorruptibile, quædam autem circa corruptibilia.

In multis item alijs locis hanc eandem ſententiam teſtatam reliquit Ariſtoteles, quos nunc proferre opus non eſt.

Item, homo maximè homo eſt propter intellectum: ergo intellectus eſt generabilis & corruptibilis. Antecedens colligitur ex 2. de Generat. anim. cap. 3. quod cita- *2. de Generat.*
uimus in ſuperioribus, & citabimus infrà, & ex 10. Ethic. cap. 9. *animal. 3.*
Probatur item conſequentia ex Ariſtotele, quippe qui dicit: Homo enim hominē *10. Ethic. 9.*
generat ex materia, & ſol. Etenim ſi homo eſt homo propter intellectum, & homo generat ex materia hominem, ergo neceſſe eſt ut generet intellectum: quia niſi generaret intellectum, non generaret hominem. nam homo eſt homo propter intellectū.

Item, anima hominis eſt à mare, ergo generabilis & corruptibilis. Antecedens
probatur ex ijs Ariſtotelis uerbis: Itaq; corpus & magnitudinem præberi à fœmina *2. de Generat.*
neceſſe eſt. à mare nihil tale neceſſariò deſideratur: nec enim inſtrumenta in ijs quæ *animal. 4.*
efficiuntur ineſſe, neq; ipſum efficiens neceſſe eſt. Corpus igitur ex fœmina eſt, anima ex mare: ſubſtantia enim corporis alicuius anima eſt.

Item, ex ijs quæ in 3. de Anima, tex. 61. ita ſcripta reliquit: Non poteſt autem cor- *3. de Anima*
pus habere quidem animam, & intellectum diſcretiuum: ſenſum autem non habere *tex. 61.*
non manſiuum, exiſtens generabile autem, at uerò neq; ingenerabile. Quare non habebit. aut enim animæ melius, aut corpori. Nunc autem neutrum eſt: hoc quidem enim non magis intelliget, hoc autem nihil erit magis propter illud. Ex his (inquā) licet argumentari ad hunc modum: Si intellectus eſſet æternus, ergo nō haberet ſenſum. Probatur conſequentia: quia ſenſus eſſet ei impedimento ad intelligendum, ut inquit Ariſtoteles de corpore ingenerabili, nihilq; adiumēti afferret illi ad ipſum eſſe. eſt aūt profectò abſurdiſsimum, quippiam indigere aliquo, quod eius perfectam operationē impediat, nullumq; ei ad ipſum eſſe adiumentum afferat: ſed intellectus non conſtat niſi ſenſus adſit, & tanquam prægrediatur. æternus igitur non eſt.

Hac enim uia oſtendit Ariſtoteles, corpus ingenerabile non habere ſenſum: quia non indiget ſenſu, cum ſit æternū. Sicut ergo ſenſus impediret animam illius corporis æterni, & nihil faceret ad eius æternitatem: ita etiam impediret intellectū, ſi eſſet æternus. Sed uidemus quòd intellectus indiget ſenſu, ergo ſenſus non impedit eius operationē. natura enim non dediſſet indigentiam ſenſus ipſi intellectui, ut eius optimā operationē impediret. Ex hoc ergo tex. colligi uidet animi noſtri corruptio.

Itē, animæ ſequuntur corpora, & ipſæ ſecundū ſeipſas non impaſsibiles à motib. corporis: ergo neceſſe eſt ut intereāt ſimulatq; corpus diſſolutū fuerit, alioqn nō ſequerent corpora, neq; ipſę ſecundū ſeipſas nō eſſent impaſsibiles à motib. corporis.

Antecedens

1.Phyſionom. Antecedens probatur ex ijs quæ Ariſtoteles in 1. Phyſionomiæ libro ita ſcripſit: Quoniam & animæ ſequuntur corpora, & ipſæ ſecundum ſeipſas non impaſsibiles à motibus corporis. hoc autem manifeſtum fit ualde in ebrietatibus & ægritudinib. multum namq; animæ mutatæ uidentur à paſsionibus corporis, & econtrariò utiq; corpus comparatur paſsionibus animæ. manifeſtum fit per amores & timores, triſtitias & delectationes. Amplius autem & natura factis uel generatis, magis utiq; aliquis conſpiciet, quòd corpus & anima ita ſe habent connaturalia, quòd fiunt cauſæ plurimarum paſsionum ad inuicem. Nunquam enim animal factum generatum eſt tale, quod formam haberet alterius animalis, animam uerò alterius. Sed ſecundum eiuſdẽ in animalis corpus & animã, quę neceſſarium eſt conſequi tali corpori talẽ formam. Amplius aũt & ſcientes corpora animalium ex forma poſſunt conſiderare. equites aũt equos, & uenatores canes. ſi aũt hæc uera ſunt, erit itaq; phyſionomizare.

Item: Videtur autem mihi anima & corpus compati ad inuicem: & animæ habitus alteratus ſimul alterat corporis formam: & iterum forma corporis alterata ſimul alterat animæ habitum. Quoniam enim animæ eſt triſtari & lætari, manifeſtum eſt quòd triſtes obſcuræ faciei ſunt, gaudentes autem bilaris. Siquidem igitur adhuc omnia, diſſoluta forma quæ eſt in corpore exiſtente, contingit diſſolui: ſiquidem & ita anima & corpus compatiuntur, non tamen conferentes ad inuicem. nunc autem manifeſtum, quòd utrunque utriq; conſequitur. Maximè quidem igitur ex hoc manifeſtum fiet. Mania uidetur eſſe, & medici medicinis purgantes corpus, & diætis utentes in ipſis, permutant animam à mania, curationibus autem corpus: & ſimiliter corporis forma ſoluitur, & anima à mania permutatur. Quoniam quidem utraque ſoluuntur, palàm ſit, quoniam conferunt ad inuicem. Manifeſtum autem eſt, quod uirtutibus animæ ſimiles corporis formæ fiunt: quare erunt omnia ſimilia in animalibus eiuſdem cuiuſpiam declaratiua. Multa autem animalia ſunt, & quæ operantur: hæ quidem propriæ paſsiones uniuſcuiuſque ſexus animalium ſunt, aliæ uerò communes. In proprijs igitur operibus animæ propriæ paſsiones ſecundum corpus, in communibus autem communes. Communes quidem ſunt, iniuria, & quæ eſt circa uenerea exceſſus: laceratarum & uilium communis eſt iniuria: porcorum & aſinorum habitus qui eſt circa uenerea, maſticando coeunt. Proprium autem eſt in canibus quidem contumelioſum, in aſinis autem non triſte. Qualiter quidem igitur commune quidem conuenit diſtingui, dictum eſt. opus autem eſt multa conſuetudine, ſi quis debet eſſe ſufficiens ad dicendum ſingula de his. quoniam enim ea quę uidentur, dicuntur referri ad ſimilitudines, quæ fiunt ab animalibus, & à talibus, & propriè quædam aliæ à caliditate & frigiditate fiunt.

2.Prior.ult. Hoc idem tradidit ſecundo Priorum cap. ult. Ex quibus omnino uidetur eſſe perſpicuum, Animam pati ex paſsionibus corporis, ſicut corpus ex paſsionibus animæ. ait enim, quòd forma corporis alterat animæ habitum, & econtrariò: quod quidem indicat, neceſſarium eſſe ut ex ſe inuicem dependeant.

Deinde inquit: Siquidem igitur anima diſſoluta, formam quæ eſt in corpore exiſtente, contingit diſſolui. Diſſoluto ergo corpore, ut diſſoluatur anima, ex Ariſtotelis ſententia neceſſe eſt. Etenim ſi anima non conſequeretur corpus, non poſſemus uti uerè phyſionomia, quæ ex paſsionibus corporis intendit animi mores declarare. quod cum ſit euertere doctrinam Ariſtotelis, neceſſe eſt concedere, animam ſequi paſsiones corporis. ex quo poſtmodùm apertè ſequi uidetur, ut ſit corruptibilis ad corporis corruptionem: alioquin non ſequeretur corporis paſsiones.

Item, pondus corporis tardiorẽ reddit & mentem ad intelligendũ, & ſenſum cõmunem: ergo neceſſe eſt ut anima patiaẽ à paſsionib. corporis, ab ipſoq; dependeat. Conſequẽtia eſt perſpicua: aliter eñ põdus corporis operationẽ eius nõ impediret.

4.De part. animal.cap.10. Antecedẽs probatur ex uerbis Ariſtotelis, quippe qui dicit: Solus enim omnium animalium homo erectus eſt, quoniã eius ſubſtantia atq; natura diuina eſt: officium autem diuini eſt, intelligere atq; ſapere. Quod non facile eſſet, ſi uaſta corporis moles aſsideret: pondus enim tardiorem reddit & mentẽ & ſenſum cõmunem. Quamobrẽ cõcretione & põdere grauiore opprimẽte, corpora urgere in terrã neceſſe eſt.

Item, excellentia animæ in animalib. ſpectatur ex copioſiori caliditate corporis, ergo anima neceſſariò oritur ex corpore. Conſequentia perſpicua eſt. Antecedẽs oſtendit

oſtēdit Ariſtoteles in lib. de Spiratione, cum ait: De refrigeratione autem quo'nam fit modo, tum ſpirantibus, tum ijs qui branchias habent, poſthac dicendū eſt. Quòd igitur ex animalibus ſpirent, quæcunq; pulmonem habēt, dictum eſt prius. Quamobrem autem hanc habent partem nonnulla, & quapropter quæcunq; habent, reſpirationε indigent, cauſa quidem eſt quòd habeant, quoniam præſtantiora animalia copioſiorem aſſequuta ſunt caliditatem: ſimulq; neceſſe eſt animam ſortitam eſſe excellentiam. talia nāq; ſtirpium natura ſunt præſtantiora. *In lib. de Spiratione.*

Quòd ſi excellentia animæ in animalibus habetur ex copioſiori caliditate. Ergo anima naſcitur ex corpore: ergo generabilis & corruptibilis.

SECTIO TERTIA.

PRæterea, ſi anima eſſet immortalis, idem numero homo poſſet infinities reuerti, ut Socrates. Probatur conſequentia: quia facta diſſolutione remaneret materia, quæ eſt æterna, & forma, quæ eſt æterna: ergo poſſent componi iterum, & ita infinitum præcederet. at falſum ergo eſt.

Probatur conſequentia: quia ita eſſet de Socrate, ſicut dixit Ariſtoteles de Mūdo, de quo in 1. Cœli tex. 103 cum nonnulla alia dixiſſet, hæc ſubiungit: Si autem prius ex aliter habentibus conſiſtit mundus, ſiquidem ſemper ſic ſe habentibus, & impoſsibilibus aliter ſe habere, non utiq; fieret. Si autem factus eſſet, neceſſe ſcilicet & illa poſſibilia eſſe aliter ſe habere, & non ſemper ſic ſe habere. itaq; conſtantia diſſoluentur, & diſſoluta conſiſterent prius, & hoc infinities: aut impoſsibile erat. Si dicit hoc, nō utiq; erit incorruptibile, neq; ſi aliter habebat aliquando, neq; ſi poſsibile aliter ſe habere poterit. Ergo reuerti Socrates idem numero infinities poterit. Sed hoc abhorret à ſententia Ariſtotelis: ergo intellectus non eſt æternus. *1. Cœli tex. 103.* *1. de Generat. & corrup.*

Item, operatio intellectus noſtri non eſt æterna, ergo intellectus noſter nō eſt æternus. Conſequentia perſpicua eſt: quia qualitas operationis naſcitur ex qualitate eſſentiæ operantis. Si enim operatio non eſt æterna, ſubſtantia operans non poteſt eſſe æterna: alioquin poſſet eſſe ſubſtantia ſine operatione, quod falſum eſt. Tolle enim operationes à rebus, tolles eſſentias, ut multis in locis ſcriptum reliquit Ariſtoteles, & præcipuè in 2. Cœli tex. 17. ubi dicit: Vnumquodq; enim eſt, quorum eſt opus gratia operis. Item 1. Polit. 2. cū ait: Et prior eſt natura ciuitas, quàm domus, quàm ſinguli noſtrûm: totum enim prius neceſſarium eſt eſſe quàm partes. ablato enim toto, non erit pes, neq; manus, niſi æquiuocè: quemadmodum ſi quis dicat, lapideam. nam corrupta quidem erit talis: omnia enim opere determinãtur & potentia. Quare quæ non amplius talia ſunt, exiſtentia non dicenda ſunt eadem eſſe, ſed æquiuocè. quam ſententiam confirmauit etiam in 7. Meta. tex. 30. ut dicemus ob aliam occaſionem. Antecedens uerò patet ipſum per ſe: quia non uidemus aliquam hominis operationem eſſe æternam, ſed omnes interire ad interitum ipſius hominis. Intellectus ergo non erit æternus. *2. Cœli text. 17.* *1. Polit. 2.*

Item ſi intellectus noſter eſſet æternus, falſa eſſet illuſtris ac peruagata illa propoſitio: Motis nobis, mouentur omnia quæ ſunt in nobis. nam ſi intellectus eſſet æternus, eſſet indiuiſibilis: ideoq; immobilis per ſe & per accidens. nō enim dependeret à materia: itaq; falſum eſſet, quòd motis nobis, mouerētur omnia quæ ſunt in nobis: ſiquidem intellectus ipſe eſſet in nobis: & tamen motis nobis non moueretur. Sed quia illa propoſitio eſt uera, & ab Ariſtotele poſita: ergo neceſſe eſt ut intellectus non ſit æternus. *2. Top.*

Item ſic arguunt nonnulli, & putant hoc argumentum nullo modo poſſe diſſolui: Si rationalis anima æterna eſt: igitur uia qua uſus eſt Ariſtoteles, ad demonſtrandas formas materiæ expertes æternas eſſe, non modò non demōſtrat, ſed falſa quoq; exiſtit. Quod cum abſurdiſsimum ſit, neceſſariò & id quod eſt poſitum, erit falſum.

Item argumentantur hoc modo: Si intellectus poſsibilis eſſet æternus, non indigeret agente. quia cum ſua natura ſit longè ſuperior quàm res ipſa materialis, prius intelliget ſeipſam ſine auxilio alicuius, q̄ intelligat formas materiales. nō ergo indigebat intellectu agente qui ipſum perficiat intelligibilibus materialibus, cum eius ſubſtantia ſit longè ſuperior materialibus, & abundet lumine ad cognoſcenda ea.

Item, cum intelligentiæ ſint eiuſdem rationis, ergo omnia quę de intelligentijs inueſtigauit Ariſtoteles, erunt attribuenda intellectui potētia, ſi eſt æternus: ergo nō *8. Phyſ.* *12. Meta.*

erit intellectus potentia,ſed actu:quod eſt ſententiam Ariſtotelis euertere.Non erit ergo æternus.

Item,intellectus agens eſt cauſa, ut intellectus poſsibilis intelligat res materiales. ergo multo magis eas ipſe intelligit: quia q̄cquid eſt cauſa ut illud intelligat aliquid, illud ipſum magis intelligit. ac prius: ꝓpter quod ẽm unũquodq; tale, & illud magis.

Item arguunt nonnulli:Si intellectus eſſet abſtractus à materia,non poſſet perfici à rebus materialibus.Conſequens eſt apertè falſum,ergo & illud unde fluxit. Probatur conſequentia:quia prædicata quę conueniunt omnibus intelligentijs in ratione generis,hoc eſt ex ea parte qua ſunt intellectus abſtracti, ſi de una dicuntur,de omnibus dici neceſſe eſt. Sed non perfici,& non moueri à materialibus formis,proprium eſt intellectus abſtracti, ſecundum cõmunem rationem intellectus abſtracti. igitur ſi hæc de uno intellectu negetur,idem de omnib. & de toto ordine intelligentiarum negandum erit.

Item,intellectus perficitur à formis materialibus:ergo non poteſt eſſe immaterialis,etenim perfectius perficeretur ab imperfectiori.

Item,hac ratione demonſtrauit Ariſtoteles,Deum nõ intelligere aliquid extra ſe. Si ergo ualet ratio de Deo,ualebit etiã de intellectu noſtro: quippe qui ſi eſſet æter-
12. Meta. nus, lõgè perfectior eſſet reb.materialibus. Sicut enim probauit Ariſtoteles, Deum
tex. 36. nihil poſſe aliquid extra ſe intelligere,quia omnia eo ſunt imperfectiora:ita probabimus,intellectum non poſſe intelligere res materiales: quia res materiales ſunt longè ipſo intellectu imperfectiores, ſi intellectus ſit æternus:ſed cum ab ipſis illum perfici conſtet,ut non ſit æternus neceſſe eſt.

Item,intellectus habet temperamentum ex ſanguine,ergo non eſt æternus. An-
2. de Generat. tecedens probatur ex uerbis Ariſtotelis 2. de Generat. animal.ubi dicit:Cerebrũ hu-
animal. 4. midiſsimum & maximum omnium animalium homines habent. cuius rei cauſa eſt, quòd calorem etiam cordis puriſsimum obtinet: quod temperamentum intellectus planè ſignificat.homo ẽm omnium animaliũ prudẽtiſsimus eſt. Quib.uerbis uult, intellectum cõſtare ex tẽperamento,ergo ex quatuor qualitatib. ergo nõ eſt æternus.

Itẽ, ſi intellectus poſsibilis & agens eſſet æternus,daretur reminiſcentia ex ſententia Ariſtotelis. Cõſequens eſt falſum:ergo & id unde emanat falſum eſſe neceſſe eſt. Conſequentia probatur: quia ſi intellectus poſsibilis eſt æternus, & agens eſt æternus: ergo res intellecta cum ſit uniuerſalis, erit æterna. nam cum patiens eſt æternũ, & agens eſt æternum,neceſſe eſt quod ab illis fit, ſit ipſum etiam æternũ. Ergo ſi poſsibilis & agens deſinerent informare Socratem,& unirentur Ariſtoteli habitus uniuerſalium qui erant in Socrate, erunt in Ariſtotele, licet phantaſmata eſſent ſingularia. ergo dabitur reminiſcẽtia, quia Ariſtoteles reminiſcetur omnium habituum qui fuerunt in Socrate:non poteſt ergo eſſe æternus,ex ſententia Ariſtotelis.

Item,quod læditur & laceratur non eſt æternum, mens læditur & laceratur,ergo mens non eſt æterna. Maior perſpicua eſt:quæ ẽm ſunt æterna,nõ læduntur,neq; lacerantur, non enim eſſent æterna. Minor uerò declaratur ab Ariſtotele 30. ſect. Poblematũ,prob. 4. ubi cum quæſiſſet, cur ſeniores amplius mente ualeamus, & iuniores ocius diſcamus,ita ſubdit:Quia natura parens & auctor omnium, inſtrumẽta duo nobis inſeruit, quorum opera inſtrumentis extraneis uti ualeremus:manum inquam corpori dedit,animo mentem.Eſt enim mens quoq; rebus à natura nobis impartitis,uicem ſanè gerens inſtrumenti. Cęteræ omnes ſcientiæ arteſq; noſtra opera ſunt,mentem ipſam opus eſſe naturæ fatendum eſt. Vt igitur manu non iam inde ab ortu naturæ uti poſſumus,ſed cum ea natura abſoluit perfecitq; (procedente namq; ætate manus ſuum opus maximè efficere poteſt) ita etiã mens quæ res naturalis eſt, nõ protinus,ſed in ſenectute maximè nobis cõtingit: atq; tunc potiſsimùm conſummatur atq; abſoluitur,niſi detrimento aliquo lacera læſaq; ſit: quemadmodũ cætera quoq; opera naturæ. Mens uerò poſterior, q̃ manuum facultas, accedit:quoniam etiam inſtrumẽta mẽtis poſteriora ſunt, q̃ manuum inſtrumẽta. Eſt enim mẽtis inſtrumentũ ſcientia. mẽti nãq; utilis ſcientia eſt, ut tibicini tibia. Manuum inſtrumẽta res pleræq; naturales ſunt: eiuſq; res omnes priores ſunt, q̃ ſcientia. Quorũ aũt inſtrumenta priora ſunt,facultateſq; eorundẽ prius cõtingere cõgruum eſt. His enim crebrò utẽtes, cõficere habitũ ſolemus, & ita ſic reciprocãtur, ut quam uicẽ hæc inter ſe gerunt,

gerunt, quorum inſtrumenta ſunt, eadem inſtrumenta quoq; inter ſe habeant: uiciſſimq; quam inſtrumenta inter ſe, eadem illa quorum ſunt inſtrumenta. Mens igitur ea de cauſa nobis ſenioribus potius contingit. diſcimus autem ocius iuniores, quia rem fermè nullam tenemus. Cum enim res pleraſq; ſcimus, non æquè præterea capere alias poſſumus. Quomodo etiam meminiſſe melius ea ualemus quæ mane primùm percepimus, deinde procedẽte die memoria hebetamur, quoniam multa iam perreptauimus. Mens ergo, ex ſententia Ariſtotelis, læditur & laceratur: ſequitur igitur, eam non eſſe æternam.

¶ Item, animæ ſedes eſt cor: ergo habet organum corporale, ergo eſt mixta cum corpore. Conſequentia manifeſta eſt. Antecedens probatur ex multis Ariſtotelis locis, inter quos citabitur unus ex lib. de Iuuent. & ſeneƈt. ubi apertè dicit, Cor eſſe ſedem animæ. Ergo anima eſt ibi tanquam in ſuo organo.

Lib. de Iuuent. & ſeneƈt.

Hoc uidetur confirmare Ariſtoteles ijs quæ in lib. de Communi motu animalium ſcripta reliquit, ad hunc modum: Animal ſanè ita conſtitutũ eſſe iudicare debemus, ut ciuitatẽ legib. bene inſtruƈtã & temperatã. In hac eñ poſtq; adminiſtrationis ratio ſemel inſtituta eſt, nihil oportet abſentẽ principem reb. ſingulis quę gerãtur interesse: imò uerò quiſq; officijs fungitur ſuis, & mandatũ eſt, & aliud poſt aliud adminiſtratur, ex cõſuetudine & inſtituto. In animalib. hoc ipſum tum per naturã efficitur, tum quòd ſingula quæ ita cõſtituantur ad munera ſua exequẽda probè affeƈta ſunt. Quocirca opus nõ eſt in unoquoq; mẽbro animã ineſſe: ſed cũ in certo principio cõſiſtat, & reliqua mẽbra quod illi adiungant uiuunt, atq; officia per naturã obeũt ſua.

Lib. de Communi motu animalium.

Videtur enim apertè indicare, animam eſſe in certa quadam corporis parte, & ita eſſe in organo: ex quo poſtea ſequitur, eam cum corpore mixtam eſſe.

Item Ariſtoteles 3. Ethic. 9. ita ſcripſit: Mors autem eſt forti doloroſiſsima: finis enim eſt, & nihil amplius mortuo uidetur eſſe neq; bonum neq; malum. Ergo animus eſt mortalis: alioquin eſſet neceſſarium ut mortuo eſſet aliquid boni uel mali.

¶ Item, Anima eſt in loco per accidens, ergo dependet ſecũdum eſſe à corpore: ergo eſt generabilis & corruptibilis. Conſequentia perſpicua eſt: non enim eſſet in loco per accidens, neq; per ſe ſicut intelligentię, niſi dependeret à corpore. Antecedens probatur ex 4. Phyſ. 45. ubi dicit Ariſtoteles: Cœlum autem, ſicut diƈtum eſt, nõ eſt alicubi totum, neq; in quodam loco, ſiquidem nullum ipſum continet corpus: ſecundum autem quod mouetur, ſic & locus eſt partibus. altera enim ab altera habita partium eſt, alia uerò ſecundum accidens. ſicut anima & cœlum. Ex quibus perſpicuè patet, Ariſtotelem ſentire, animam eſſe in loco per accidens, ex quo poſtea ſequitur quod diximus.

4. Phyſ. 45.

¶ Item, anima noſtra mouetur, ergo eſt generabilis & corruptibilis. Antecedens probatur: quia corpus eius mouetur, ergo & ipſa mouetur. Conſequentia probatur ex uerbis Ariſtotelis, dicentis: In omnibus autem ijs primum mouẽs, & cauſa ipſum ſeipſum mouendi mouetur à ſeipſo, ſecundum accidens tamen: mutat enim corpus locũ. Quare & quod in corpore eſt ſit, & neceſſe eſt mutãs ſeipſum, & quæ ſequunt.

8. Phyſ. tex. 51. *Ibid. tex. 52.*

¶ Præterea dicunt quidam, in mortalibus intelleƈtiuum non poteſt eſſe ſine ſenſitiuo: ergo intelleƈtus eſt inſeparabilis: ergo ſequitur ut ſit in eodem loco & in eadem particula corporis, in qua eſt ſenſitiuum & uegetatiuum. non enim fieri poteſt ut ſit in alia, & alia, propter argumentum Ariſtotelis contra Platonem.

1. de Anima tex. 90.

¶ Itẽ, ſicut materia non poteſt ſeparari ab omni forma, quia ſequeretur id quod non eſt aƈtu, eſſe aƈtu: ergo intelleƈtus non poteſt ſeparari ab omni materia, quia id quod non eſt aƈtu, eſſet aƈtu. eſt enim intelleƈtus in pura potentia, ut declaratum eſt ſuprà: nulla enim ipſius eſt alia natura, niſi quòd poſſibilis eſt.

¶ Item, ſi intelleƈtus eſt æternus, ergo eius materia deberet eſſe æterna. Sed materia non eſt æterna, neq; ergo intelleƈtus. ſingularia enim ſunt corruptibilia.

¶ Item, nihil uidetur prohibere quin intelleƈtus ſit generabilis & corruptibilis, & tamen ſit tantæ perfeƈtionis: ergo eſt ponendus talis. Probatur antecedens: non enim plus in perfeƈtione diſtant oſtreę & uermes ab equis & elephãtis, & ab alijs animalib. perfeƈtis, quàm equus & elephas & ſimia diſtet ab homine. Sed illa oſtrearũ uermiumq; imperfeƈtio non obſtat quin forma equi & elephantis ſit generabilis & corruptibilis: ergo ne forma quidem equi & elephantis impedit, quominus forma

hominis, quæ tantum excedit formam equi & elephantis, quãtum equus & elephas oſtreas & uermes, ſit generabilis & corruptibilis.

Præterea nihil repugnat, ut dicebat Alexander, quin forma hominis quæ eſt perfectiſsima, fiat ex perfectiſsima mixtione elementorum. Ergo ita ponendum eſt: nõ enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſsitate.

Probatur antecedens: quia ex parua mixtione quatuor qualitatum fit tanta differentia inter elementa, ut unum ſit ignis, & aliud aer. Ergo poterit fieri tanta mixtio, ut ſit perfecta in homine & in animalibus, ut fiant uirtutes perfectiores.

Itẽ, intellectus eſt in corde primo, ergo in determinata parte corporis, ergo ei ineſt organum. habere enim organum nihil aliud eſt, quàm eſſe & operari, non in toto corpore, ſed in aliqua parte corporis. Antecedẽs probatur ex Ariſtotele, qui 7. Meta. tex. 30. ita ſcriptũ reliquit, cum de toto & parte loqueretur: Hæ igitur tum priores, tum nõ priores ipſo toto, ſunt ipſo toto: cum ſeparantur enim, nequeunt eſſe. nõ eñ
,, qui quouis modo ſe habet digitus, eſt animalis: ſed qui mortuus eſt, nomine tãtùm,
,, non ratione digitus eſt. nonnullæ etiam cum ipſo pereunt toto, quæ quidẽ pręcipuè
,, partes ſunt, ea quæ maximè in qua ratio ipſa ſubſtantia inſidet primo, ſi illa cor aut ce
,, rebrum ſit: nihil enim refert hoc an illud rationem iubeat talem. Quibus uerbis apertiſsimè indicat, rationem inſidere in corde, uel in cerebro. quod idem eſſet, quantum ad hoc attinet. Quam item ſententiam uiſus eſt deſignare in multis alijs locis, ut lib. de Communi motu animal. lib. de Iuuen. & ſpirat. lib. de Morte & uita.

7. Metaphyſ. tex. 30.

Præterea argumentatur ſic: Anima rationalis interit ad interemptionẽ corporis, igitur eſt mortalis. Antecedẽs probatur ex eis uerbis Ariſtotelis quæ ſcripta reliquit in lib. de Cauſa longitudinis & breuitatis uitæ, ad hunc modum: Propter quod &
,, de anima rationabitur quis utiq; ex his. Si enim eſt non natura, ſed quemadmodum
,, ſcientia in anima, ſic & anima in corpore erit utiq;, & ipſius alia corruptio præter cor
,, ruptionem, quia corrumpitur corrupto corpore. itaq; quoniam nõ uidetur talis exi
,, ſtens, aliter utiq; habebit ad corporis corruptionem. Quibus uerbis perſpicuè patere uidetur, ipſum ponere animam corrumpi, ad corruptionem corporis: & etiam indicat ſe loqui de anima intellectiua, quia loquitur de ea anima ex qua eſt ſcientia.

Item, Si intellectus eſt æternus, ergo uel eſt unus numero in omnibus hominibus, uel numeratur ad numerum ſingulorum hominum. Alterum enim duorum euenire neceſſe eſt, ut patet, ſiquidem eſt æternus. Sed neutrum iſtorum poteſt eſſe, ergo nõ eſt æternus. Sed primò oſtendamus, quòd non ſit numeratus ad numerum ſingulorum hominum. Etenim cum ex ratione naturali mundus ſit æternus, infiniti homines iam fuerunt: ergo infinitæ animæ. Ergo datur infinitum in actu, & in infinitum infiniti erũt homines. Ergo dabitur infinito infinitius: quod quidẽ abſurdiſsimũ eſt.

Item, daretur forma ſine materia: quod eſt abſurdum.

Item, ſi eſſet multiplicatus & æternus, intelligeret ſine phantaſmate. Cõſequentia probatur, quia eſſet ſine corpore, ergo operaretur ſine corpore: etenim quod nõ poteſt operari ſine corpore, non poteſt eſſe ſine corpore, ergo operaretur ſine phantaſmate. Conſequens aduerſatur ſenſui: quia nullus ſenſus nobis oſtendit quòd intelligat ſine phantaſmate. & pugnat cum Ariſtotele, quippe qui dixit: Neceſſe eſt intelligentem ſimul phantaſmata ſpeculari. Ergo nõ eſt multiplicatus, ſi eſt æternus.

3. de Anima.

Item, non eſſet pura potentia, ſed eſſet actus, ſi poſſet ſeorſum exiſtere & operari: quod tollit ſententiam Ariſtotelis.

Item, non indigeret intellectu agente, tum qui illuſtraret phãtaſmata, tum qui daret ei eſſe actu: quia ex ſe poſſet & intelligere, & exiſtere. quæ omnia omnino conuellunt ſententiam Ariſtotelis, idq; apertiſsimè.

Item, multiplicatio indiuiduorum in eadem ſpecie non eſt data à natura, niſi quia illa indiuidua ſunt materialia & corruptibilia, ergo intellectus non poteſt eſſe incorruptibilis & multiplicatus in numero. quia ſi ſic eſſet, propoſitio illa eſſet falſa: ſed non eſt falſa, ergo uerum eſt quòd intellectus non poteſt eſſe multiplicatus & incorruptibilis.

Quòd autem illa propoſitio ſit uera, multis in locis teſtatum reliquit Ariſtoteles, & maximè in 1. Cœli, tex. 92. cum inquit: In omnibus enim ſic uidemus, quorumq;
,, ſubſtantia in materia eſt plura & infinita, etiamq; eiuſdem ſpeciei. Itaq; aut ſunt plures cœli,

1. Cœli tex. 92.

res cœli, aut contingit plures eſſe. Materia ergo eſt cauſa multiplicationis ſingularium in eadem ſpecie. ergo ubi erunt ſingularia plura in eadem ſpecie, erit materia. Quod ſi plures ſunt intellectus in eadem ſpecie, ergo ſunt materiales, ergo generabiles & corruptibiles. Si ergo intellectus eſt æternus, non poteſt eſſe multiplicatus.

Item 2. de Generat. & corrupt. tex. 59. poſtquam dixerat, Semper enim (ut dictum eſt) continua erit generatio & corruptio, & nunquam deficiet, propter quam diximus cauſam: ſtatim adiunxit: Hoc autem rationabiliter contingit, quoniam in omnibus dicimus, quod melius deſiderare naturam. ſemper autem melius eſt eſſe, quam non eſſe. eſſe autem quot modis dicimus, in alijs dictum eſt. hoc autem in omnibus impoſsibile exiſtere, propter longè à principio diſtare. reliquo modo compleuit omne Deus, faciens continuam generationem: ita enim maximè continuabitur eſſe: quia proxima eſt ſubſtantiæ, fieri ſemper per generationem. Quibus uerbis perſpicuè patet, eum uoluiſſe, Deum, ea quæ non poterāt habere eſſe perpetuum, in ſingulari dediſſe multiplicationem in eadem ſpecie per generationem: & ita quod multiplicatio ſingulorum in eadem ſpecie, non eſt niſi quia ſingularia ſunt corruptibilia. quia ſi ſingulare aliquid eſt incorruptibile, habet eſſe perpetuum abſque generatione. *2. de Generat. & corrup. tex. 59.*

Quòd uerò inquit, Deum compleuiſſe omne faciens continuam generationem, eſt intelligendum (ut diximus in ſuperioribus de oriente & occidente ex parte rei, & de natura quæ futurum ingenerabile exemit à contrarijs) quod uidelicet ita eſt, ac ſi Deus feciſſet continuam generationem. Etenim illud uehementer repugnat, quòd generatio & corruptio ſit æterna, & quòd à Deo factæ ſint. Semper enim hic loquitur Ariſtoteles ex fundamentis naturæ, non ex ueritate ipſa.

Eandem ſententiam de multiplicatione indiuiduorum in eadem ſpecie, uiſus eſt Ariſtoteles cōfirmare in 2. de Anima, tex. 33. & 34. quos textus in ſuperioribus etiam ad aliud probandum citauimus, cum inquit: Naturaliſsimum enim operum uiuentibus, & quæcunque perfecta, & non orbata, aut generationem ſpontaneam habent, facere alterum quale ipſum, animal quidem animal, planta autem plantam, quatenus ipſo ſemper & diuino participent: ſed quoad poſſunt. omnia enim illud appetunt, illius cauſa agunt omnia quæcunque agunt ſecundum naturam. Id autē quod cuius cauſa ſit, dupliciter eſt: hoc quidem cuius, id uerò cui. Quando igitur communicare non poſſunt ipſo ſemper & diuino, continuatio eſt propter id, quod nihil contingit corruptibilium idem & unum numero permanere: ſecundum quod poteſt participare unumquodque, ſic cōmunicat, hoc quidem magis, illud uerò minus: & non permanet non ipſum, ſed ut ipſum, numero quidem non uerum, ſpecie autem unum. *2. de Anima tex. 33. & 34.*

Item in 2. de Generat. anim. cap. 1. ubi dixit: At uerò quoad melioris rationē & cauſam, cuius gratia pertinet, cœlitùs principium ducitur. Cū ēm rerū aliæ ſint ſempiternæ, ſummeque diuinæ: aliæ quæ poſſunt & eſſe, & non eſſe, pulchrum autem diuinumque illud cauſa ſemper ſua natura melioris cōditionis in rebus cōtingentibus ſit: quod uerò ſempiternum non eſt, id & eſſe, & particeps tum deterioris conditionis, tum melioris eſſe poſsit. Cumque anima ſit corpore melior, animatūque inanimato præſtet propter animā, & eſſe quàm non eſſe, & uiuere quàm nō uiuere melius ſit, efficitur his de cauſis, ut generatio ſit animalium. Cū ēm natura eius generis eſſe, ſempiterna eſſe nō poſsit, quomodo fieri poteſt eo ſempiternū, quod gignit: numero igitur nō poteſt. ſubſtantia enim rerum in ſingularibus eſt, quæ ſi talia eſſent, ſempiterna eſſent. Specie uerò poteſt: itaque genus hominum ſemper, & beſtiarum, & plantarum eſt. His enim uerbis apertè oſtendit Ariſtoteles, naturam dare pluralitatem indiuiduorum in eadem ſpecie, quia numero non poſſunt ſeruari: & propter hanc cauſam eſſe generationem, per quam ſemper eſt genus hominum, & beſtiarum, & plantarū: quia ſeruantur per ſucceſsionem indiuiduorum, quæ quotidie generantur. *2. de Generat. animal. cap. 1.*

Item Ariſtoteles in Problem. ſec. 4. probl. 16. cum loqueretur de concubitu, inquit: Rei uerò cuiuſpiam gratia eſt, ut ortus ſit animantium perpetuus. Facit enim uoluptas, ut animantes ad coitum ardentius excitentur. Patet ergo, quòd hoc ſit ſolùm, ut perpetua ſint ſpecie illa quæ numero eſſe non poſſunt. *Sect. 4. Probl. probl. 16.*

Quod etiā declarat Ariſtoteles 12. Meta. tex. 35. ijs uerbis: Atque cœlū unū eſſe, perſpicuum eſſe uidetur. nā ſi plures ſint cœli, perinde ut homines, principium id quod cuique accōmodatur, ſpecie quidē nō erit, numero aūt plura: ſed quę ſunt numero plu- *12. Meta. tex. 35*

» ra,ea materiam habent. Vna enim eſt ratio,eademq́ multorũ, ut hominis: Socrates
» aũt unus eſt. at quiditas prima marenici eſt expers, eſt enim actus. id ergo quod pri-
» mum mouet,unum eſt & ratione & numero,nulloq́ modo ſubiens motum:& id er-
» go quod ſemper cõtinueq́ mouetur, unũ eſt ſolũ. Vnum ergo tantũmodo cœlũ eſt.

1. Oeconom. 3. Præterea non minus hanc rem manifeſtam fecit 1. Occonom.3.cum dixit:Pręmiſ-
» ſum eſt enim à nobis, & alijs locis, deſiderare natura multa efficere talia, ueluti unũ-
» quodq́ animaliũ.eſt enim impoſsibile fœmina ſine mâre, aut mare ſine fœmina hoc
» adimplere:quare eorum ſocietas neceſsitate conſtituta eſt.Enimuero in cæteris ani-
» malib. ſine ratione id fit, & in quantũ natura capacia ſunt, & procreandi gratia ſolũ.
» In cicurib.aũt & prudentiorib.diſtinguũtur magis. Apparẽt eñ in his magis mutua
» auxilia,& dilectiones,& cooperationes:maximeq́ in homine id conſpicit,quòd nõ
» eſſendi ſolùm,uerùm etiã bene eſſendi,mas & fœmina ope mutua coniunguntur:fi-
» liosq́ procreant, nõ ſolùm ut id naturæ tributũ ferãt, uerùm etiã ut cõmoda exinde
» ſuſcipiant.ualẽtes eñ ipſi,imbecilles ſuo labore tuent & alũt. Mox imbecilles ob ſe-
» nium facti,à ualentib.eadẽ reportãt,& ſimul natura per hunc circuitũ adimplet ſem-
piternitatẽ.Ex quo ſecundũ numerũ nõ poteſt,at ſecundũ ſpeciem. Sic enim diuina
prouidẽtia utriuſq́ natura ordinata eſt,uiri ſcilicet & mulieris,ad ſocietatem. Et 2.

2, Oeconom. 2. Oeconom.2. Cũ ergo tãta adhibeat cura pro corporis eſca,quid pro liberis,& matre
» educatrice?non'ne protinus omne ſtudium fuerit adhibendũ? hoc eñ ſolo hominũ
» cõditio mortalis per ſucceſsionẽ ſempiternitatẽ cõſequitur, omniumq́ parentũ uo-
» ta huc tendunt. Quibus omnib. Ariſtotelis locis luce clarius apparet, multiplica-
tionẽ indiuiduorũ à natura eſſe inſtitutã. quia cũ ſibi propoſitũ habeat res ſempiter-
nas facere, nec poſsit in indiuiduo,in ſpecie ſaltẽ æternitatẽ dare conatur: ex quo ſe-
quitur,multiplicationem indiuiduorum in eadem ſpecie nõ eſſe à natura datam, niſi
quia illa indiuidua erant materialia & corruptibilia, quæ erat propoſitio accepta ſu-
prà:ex qua poſtmodùm ſequebatur, ſi intellectus eſſet æternus, non poſſe eſſe mul-
tiplicatum ad numerum indiuiduorum, quod eſt illud quod uolebamus probare.

Neq́ reſponſio nõnullorum ad tex. dictos ferenda eſt, quod uidelicet intellectus habet materiam, id eſt hæccaitatem (ita enim loquuntur) & huiuſmodi alia: quandoquidẽ tex. illi per ſeipſos ita ſunt perſpicui, ut nulla interpretatione indigere uideantur. nihil enim eſt tam clarũ tamq́ apertum, quàm ex locis ſuperius citatis hanc cõſequentiam confirmari, planeq́ ſtabiliri. in hac ſpecie ſunt multiplicata numero indiuidua: ergo ſunt generabilia & corruptibilia. Niſi enim ita ſit, non eſſent multiplicata, quia nullam aliam ob cauſam natura multiplicat indiuidua in eadem ſpecie. Etenim natura non facit per plura, quod melius poteſt efficere per pauciora. Cum uerò perpetuitati conſultum uelit, ſi daret in ſingulari perpetuitatem uni ſpeciei, longè melius eſſet, quàm ſi daret per ſucceſsionem indiuiduorum: ſeruaretur enim melius perpetuitas, ſicut in intelligentijs quę ſunt perpetuæ, quia una tantùm eſt in una ſpecie. Si igitur homines bene animaduertant ipſa uerba Ariſtotelis, facilè intelligent, omnes interpretationes quas multi in locos citatos commenti ſunt, delirãtium ſomnia eſſe, ut prorſus ſtultum uideatur contrà aliquid proferre.

SECTIO QVARTA.[1]

Reliquum modò eſt ut probemus, intellectũ non poſſe eſſe unum numero in omnibus hominibus. Hanc enim ſententiam multa ſequuntur abſurda. quorũ primum erit, quòd ſemper intellectus intelligeret idem, & intellecta eſſent æterna: quia patiens eſt idem, agens eſt idem: ergo erit idem effectus. Sed hoc eſt alienum à ueritate: ergo & id unde fluxit eſt falſum, alienumq́ à ratione.

Item, tu eſſes per eſſe mei, & ego eſſem per eſſe tui. Probatur conſequentia: quia illa ſunt eadem, quorum ſubſtantia eſt una. Intellectus enim eſt ſubſtantia, quia eſt anima, ut declarauimus ſuperius ex uerbis Ariſtotelis.

Item, homo non eſset generabilis & corruptibilis in eo quòd homo, ſed in eo ſolũ quòd animal. Conſequens eſt falſum: quia uult Ariſtoteles, homines in eo quòd ſunt homines, eſse generabiles & corruptibiles, ergo & antecedens.

Probatur cõſequentia: quia homo eſt homo per intellectum, eſt etiam homo per phantaſiam. Si ergo intellectus eſset unus, & homo periret, non periret intellectus: ſed intel-

ſed intellectus eſt id quo homo eſt homo:ergo non periret homo in eo quòd homo.
Item, illud ſequeretur, cum tu intelligas aliquid, me etiam illud idem intelligere, & cōtrà. Cōſequens eſt falſum, ergo & id unde emanat. Probat̃ cōſequentia, propterea ꝙ nos intelligimus, quia intellectus noſter recipit ſpecies. Quòd ſi eſt idē intellectus meus numero, ꝗ tuus: ergo meus intellectus recipiet illud intellectū quod tuus. Sed recipere aliꝗd intellectū, eſt intelligere illud: ergo ipſe intelligā idē ꝗd tu intelligis.
Item, ſi meus intellectus obliuiſcetur alicuius rei, ergo & tuus, hęc ſunt manifeſtiſſimè falſa: ergo ut ſit falſa opinio dicta neceſſe eſt.

Præterea ſi intellectus eſſet corruptibilis & unus: ergo in homine eſſent duæ animæ, & duæ formę ſubſtantiales, diſtinctæ re, quarum una non contineret alteram in uirtute: & diſtinctę etiam ſubiecto, cum forma incorruptibilis nō poſſet eſſe in eodē ſubiecto, in quo forma corruptibilis. ſiquidem forma corruptibilis eſſet in ſubiecto, quod eſſet organum, quia ſubiectum & organum uirtutis materialis eſt idē. Sed conſequēs eſt falſum. quia homo eſſet homo per duas animas & per duas formas ſubſtātiales: quod quidē fieri non poteſt, ut declarauit Ariſtoteles 9. Meta. tex. 38. oſtendēs, *9. Meta. tex. 38*
nullum cōmune poſſe eſſe ſubſtātiam, his uerbis: Præterea Socrati, qui quidē eſt ſubſtantia, ſubſtantia erit, uti patet: quare duabus ſubſtantijs Socrates ſubſtantia erit.

Eſt ergo abſurdum, quòd unum ſit ſubſtantia à duabus ſubſtantijs: ergo abſurdum eſt, quòd in homine ſint duæ animæ re diſtinctæ, quæ ſint ipſius ſubſtantiæ.

Item, non poſſemus comparare uniuerſale ad ſingulare, neq; ſingulare ad uniuerſale, & ponere differentiam inter ipſa. Cōſequens eſt falſum, ergo & illud ex quo ſequitur. Cōſequentia probatur, quia eſſet in nobis anima rationalis abſtracta à materia, quę non poſſet intelligere ſingulare: non enim indigeremus intellectu agente, ut patet ex ſuperioribus. in eſſet etiam phantaſia educta ex potentia materiæ, quæ non poſſet intelligere uniuerſale: non enim eſſet organica. Ergo non poſſemus ipſa cōparare inter ſe: quandoquidē neceſſe ſit, ut ponentes differētiam inter duo, cognoſcamus utrūq; ſub propria ratione. alioquin euerterētur illa 2. de Anima: Quoniam aūt *2. de Anima tex. 145. 146.*
& album & dulce, & unūquodq; ſenſibilium ad unumquodq; cōparando diſcernimus, & ſentimus quia differūt, neceſſe eſt igitur ſenſu: ſenſibilia enim ſunt. Quare & manifeſtū, quoniam caro nō eſt ultimū ſenſitiuum: neceſſe enim eſſet tangere ipſam, diſcernens diſcernere. neq; utiq; ſeparatis contingit diſcernere, quòd alterum ſit dulce ab albo: ſed oportet uno quodam utraq; manifeſta eſſe. Sic enim, etſi hoc quidē ego, illud uerò tu ſentis: manifeſtū utiq; erit, quoniam altera ad inuicē ſunt. oportet autem unū dicere, quoniam alterum: alterū enim dulce ab albo. dicit ergo idē, quare ſicut dicit, ita ille intelligit & ſentit. Quod quidē igitur nō poſsibile ſeparatis iudicare ſeparata palàm: quia aūt neq; in ſeparato tēpore, hinc habitū eſt. ſicut enim idē dicit, quod alterum bonū & malū: ſic & quando alterū dicit. Quoniam enim alterū nunc, & alterum nō ſecundum accidens ipſum. quando autem dico, puta nunc, dico quoniam alterum, non tamen quoniam nunc alterum, ſed ſic dicit & nunc, & quoniam nunc, ſimul ergo, quare in inſeparabile, & ſeparabili tempore.

Item, conuellerentur ea quæ dicuntur in lib. de Somno & uigilia, ad hunc modū: *Lib. de Som. & uigil.*
Quoniam autem exiſtit unumquemq; ſenſum hoc quidem aliquid proprium, illud uerò aliquid commune. proprium quidem ueluti uiſui uidere, auditui autem audire, & alijs ſecundum eundem modum: erit utiq; quædam & communis potentia, quæ ſequitur omnes, qua quod uideat, & audiat, & ſentit, nō uiſu quidem uidet, quod uidet & iudicat. itaq; & poteſt diſcernere quòd alia quidem dulcia ſunt ab albis, nec uiſu, nec guſtu, nec ambobus, ſed quadam communi particula ſenſoriorum.

Neq; uerò licet illud dicere, hominem eſſe hominem per unam formam quæ det eſſe, & per aliam quæ aſsiſtat, ſicut nauta naui, quia hoc eſſet abſurdiſsimum, ut ex eis quæ dicta ſunt in ſuperioribus perſpicuè patere poteſt. Etenim 10. Ethic. cap. 9. dixit Ariſtoteles, hominem maximè eſſe hominem per intellectum. *10. Ethic. 9.*

Item, anima intellectiua non eſſet cauſa hominis, & non eſſet anima, quia non eſſet actus primus. & nullius eſſet ſubſtantiæ, neq; principium eſſendi: quod quidem eſt euertere ea quæ dixit Ariſtoteles, ubi aſſerit ſubſtantiam dici de forma. *2. de Anima tex. 16.*

Item cū inquit: Cum autē animalium anima ſit forma ipſorū, quid eſt enim ſubſtantia ipſorum, quod ſubſtantia eſt ad rationē accōmodata, atq; quiditas corporis talis. *7. Meta. 7. Meta. tex. 30*

Item illa, Anima autem hæc qua uiuimus, & ſentimus, & intelligimus: quare ratio quædam erit & ſpecies, ſed non ut materia, & ſubiectum.

Cum igitur anima intellectiua ſit anima, ergo eſt forma, ergo ſubſtantia hominis, non ergo aſsiſtit ſolùm operationibus hominis.

Item, ponitur in definitione declarante quid eſt homo, ergo eſt de eius eſſentia, ergo de ſubſtantia. Antecedens patet, quia rationale ponitur maximè in definitione hominis. niſi enim poneretur, non declararet definitio quid eſſet homo. Rationes uerò quę afferuntur à Marc. Antonio Zimarra, pręceptore etiam meo, uiro quidem in doctrina Auerrois excellentiſsimo, ut hanc opinionem tueretur, ex eis quæ à nobis dicentur, facile diſſolui poſſe arbitramur.

Sequetur ergo quod diximus, ut homo ſit homo per duas formas, & duas ſubſtantias actu exiſtentes. quod uidetur abſurdiſsimum, pręſertim cum neceſſe uideatur alteram ipſarum eſſe ſuperuacaneam.

Item, uel phantaſia eſt idonea ponere aliquid in ſpecie, uel non eſt. Si non eſt idonea: ergo neq; forma aſini & equi, & aliorum brutorum deberent eſſe idoneæ. Conſequens eſt falſum, ergo & id quod antecedit falſum eſſe neceſſe eſt.

Probatur cõſequentia: quia phãtaſia hominis eſt perfectior, & magis actu quàm forma equi & aſini, & brutorum. ipſa enim obedit rationi. quòd ſi illę ſunt idoneę ad id quod diximus, ergo phantaſia erit idonea. ſi erit idonea, ergo poterit ponere hominem in ſpecie hominis: alioquin minus poſſet, quàm forma aſini & equi.

Item, intellectus erit accidens hominis, quia aduenіet enti in actu. Etenim anima
ſenſitiua, uel homini adiungitur prius quàm intellectiua, ut uiſus eſt dicere Ariſtote-
7. Polit. les 7. Politic. uel eodem tẽporis momento. Si prius, ergo homo prius eſt actu homo,
quàm adſit anima intellectiua: ergo ipſa erit accidens. Si uerò eodem momento ad-
2. de Generat. animal. 3. ueniat, tamen natura prius erit, ut ſignificauit Ariſtoteles 2. de Generat. animal, cap.
3. & tunc idem ſequitur.

Item, ex duobus entibus actu, fieret unum per ſe actu: quod dari non poteſt.

Item, homo definietur per duas formas, quia eius ſubſtantia eſt ex duabus formis.

Item, ſi iſte intellectus eſt indiuiſibilis & impartibilis, & uenit deforis: ergo indiuiſibile mouebitur. non enim fieri poteſt, ut ueniat in corpus Socratis, in quo non erat prius, niſi moueatur ex eo loco in quo erat. Conſequens eſſe falſum, oſtendit Ariſtoteles 6. Phyſic. ergo falſum eſt & illud unde ſequitur.

6. Phyſ. Item, erit in pluribus indiuiduis loco diſtinctis: quod eſt abſurdũ. Etenim fieri nõ
poſſe uidetur, ut idem numero ſit æqualiter in plurib. loco diſtinctis, & nõ diuidatˀ.

Item, mouebitur ad motum indiuiduorum: quia motis nobis, ut dictum eſt, mouebuntur omnia quæ ſunt in nobis. & hoc ſequitur, ſiue ineſt nobis ut forma, ſiue ut aſſiſtens operationibus, quæ aſsiſtentia meo iudicio eſt figmentum apud Ariſtotelẽ.

Item, ſi anima intellectiua eſſet una numero in omnibus hominibus, non poſſet eſſe ſubſtantia ſingulorum. Conſequens eſt falſum, ut dictum eſt: ergo & id unde emanat, falſum eſſe neceſſe eſt. Conſequentia probatur: quia nullum commune poteſt eſſe ſubſtantia: intellectus eſt communis ex hac opinione omnibus hominibus: ergo non poteſt eſſe ſubſtantia, ſi ſit unus in omnibus.

7. Metaphyſ. Prima propoſitio declaratur ab Ariſtotele, cum inquit: Impoſsibile eſſe uidetur,
tex. 38. quoduis uniuerſalium ſubſtantiam eſſe. primò namq; ſubſtantia cuiuſq; rei propria
8. Meta. tex. 6. cuiuſq; eſſe, quæ quidem, ut patet, nulli alij ineſt. uniuerſale autem eſt commune: id
,, enim uniuerſale dicitur, quod pluribus ineſſe eſt aptum. Cuius igitur ſubſtantia hoc
,, ipſum erit? aut enim omnium, aut nullius erit. at omnium eſſe non poteſt. Vnius ue-
,, rò ſi fuerit, & cætera ſanè hoc erunt: nã aut omnium, aut nullius erit profectò. Quo-
,, rum enim ſubſtantia & quiditas eſt una, & ipſa etiam unum eſſe uidentur, & quæ in
eo loco ſequuntur, magis confirmant hanc rem.

Maior ergo propoſitio clara eſt ex uerbis Ariſtotelis.

Item, ſi intellectus eſſet unus numero, eſſet in omnibus hominibus: ſed non eſt in
omnibus hominibus, ergo non eſt unus. Probatur id quod antecedit, ex eis quæ
1. de Anima dixit Ariſtoteles 1. de Anima, tex. 24. ad hũc modũ: Anaxagoras aũt minus certificat
tex. 24. de ipſis, multotiens quidẽ cauſam huius quod bene & rectè dicit eſſe intellectũ. Ali-
,, bi aũt, intellectũ hũc eſſe animã. in omnib, eñ ipſum ineſſe animalib, magnis & par-
uis, &

uis & honorabilib. & inhonorabilib. nõ uidetur aũt iſte ſecundũ prudentiam dictus intellectus, omnibus ſimiliter animalib. ineſſe: ſed neq; omnibus hominib. nõ uult ergo Ariſtoteles intellectũ noſtrũ ineſſe omnib. hominib. nõ eſt igit̃ unus in omnibus.

Præterea, ſi intellectus eſſet unus in omnib. hominibus, duo contradictoria eſſent in eadem parte animi, & eadem pars animi duo intelligeret cõtradictoria in eodem inſtanti. Conſequens à ueritare abhorret, ut perſpicuè patet: ergo & id unde emanat, à ueritate abhorrere neceſſe eſt. Conſequentia probatur: quia unus in hoc inſtãti intelliget ſolem eſſe maiorem uniuerſa terra, atq; ita credet: alter uerò intelliget (hoc enim fieri poteſt) in illo eodem inſtanti ſolem non eſſe maiorem uniuerſa terra, ſed minorem: quę ſunt contradictoria (ut multi reperiuntur qui in hoc errore uerſantur) ergo idem intellectus in eodem inſtanti intelliget duo contradictoria, eaq; in ipſo erunt, uidelicet & ſolem eſſe maiorem tota terra, & ſolem non eſſe maiorem tota terra. & iſtis fidem adhibebit idem intellectus, quod planè à natura abhorret; nõ ergo intellectus poteſt eſſe unicus in omnibus hominibus.

Cum igitur ex eis quæ dicta ſunt, perſpicuè pateat, neq; intellectũ poſſe eſſe multiplicatum ſi eſt æternus, neq; etiam unum in omnibus hominibus: ut igitur non ſit æternus neceſſe eſt.

Hæ ſunt rationes, quibus uidetur adduci poſſe aliquis, ut opinetur animi noſtri mortalitatem: quippe quę uidentur euertere contrariam opinionem, quam diximus ſequi ex demonſtratione Ariſtotelis, uidelicet animum noſtrum eſſe immortalem.

FINIS LIBRI DVODECIMI EVERSIONIS
Singularis certaminis.

LIBER DECIMVSTERTIVS.

SECTIO PRIMA.

SEd cum reperiantur auctoritates Ariſtotelis, quæ apertè conſentiunt demonſtrationi, qua ille animi noſtri immortalitatem probauit: & illæ quæ nunc prolatæ ſunt, omnino ab ea diſſentire uideantur: neceſſarium eſt, ut ad bonum redigantur ſenſum. alioquin nõ ſolùm pugnãtia, uerùm etiam (quod multo fœdius eſt) negantia aſſeruiſſet Ariſtoteles: quod de tanto philoſopho dicere, maximè indignũ eſſe arbitror, præſertim cum eam ipſe attulerit immortalitatis animi noſtri demonſtrationem, ex qua facile erit omnia diſſoluere oppoſita. ita enim ex ipſa natura conſtituta eſt, ijsq; nititur fundamentis, ut non poſsit ei falſitas cohærere. Sed antequam ad eorum quæ contrà facere uidentur, diſſolutionem ueniamus, faciendum eſſe nobis in primis iudicamus, ut de quibuſdã philoſophis, atq; etiam theologis dicamus, quid ſentiendum ſit: ne quis miretur, ſi nonnullas reſponſiones afferemus ad dictas quæſtiones, quæ in errorem trahere fortaſſe uidentur: & ut intelligant omnes, quantum utriq; & Philoſophiæ & ſacrę Theologię obfuerint.

SECTIO SECVNDA.

DIcimus igitur fuiſſe nonnullos philoſophos, & illos quidem magni nominis apud multos, qui in eam opinionem uenerint, ut exiſtimarent nihil eſſe uerum, niſi id ex principijs naturalibus ortum haberet: quæ principia ita uera ac firma duxerũt, ut ea nunq; mutari poſſe arbitrarentur: & ab hac inſcitia profecti, bellum quoddam impium ac deterrimum Religioni indixerunt. Quorum error maximè deteſtabilis ac peſtifer, & antea ſemper inuexit, & poſthac etiã (niſi omni diligẽtia declinetur) maxima inuehet hominib. detrimẽta atq; perniciem. Cõtrà inuẽti ſunt quidam Theologi, & hi quidẽ ſumma doctrina prędìti, qui omnia ferè quę de Deo opt. max. à ſanctiſsima religione noſtra, & ab oraculis noſtris piè tradunt, ex fundamẽtis naturę demõſtrari omnino exiſtimauerint: atq; in eo ſummè elaborauerũt, ut hominibus pſuaderẽt rationes Ariſtotelis illud idẽ ꝓbare atq; cõcludere, quod ſanctiſsima fides noſtra nobis credendũ proponeret. quę opinio non minus fortaſſe quàm illa altera, generi humano uidetur obeſſe, nam cum inſtituant rem quæ nullum exitum habere poſsit,

poſsit, eò demùm ſe compellunt, ut quò ſe uertant, aut quid agant penitùs neſciant: nulloq; pacto facere poſſunt, quin & illis qui in rerũ naturalium ſtudio uerſati ſunt, ridiculi uideantur: & cæteris locũ aperiant dubitandi, ne ſicut in hac parte decipiuntur, ita & in reliquis hallucinentur.

Hos igitur cùm Philoſophos cũ Theologos miſſos facere conſilium eſt. Quid enĩ per Deum immortalẽ ſtultius aut infelicius excogitari poteſt homine illo, qui cum philoſophiam profiteatur, tantum ſenſui tribuat? quem ſenſum, ſeruatis etiam illis tri-

2. de Anima bus conditionib. quæ ex Ariſtotele intelliguntur, tamen falli poſſe clariſsimè uideamus, ut audeat ea pro falſis habere quæ ſanctiſsimis oraculis nobis tradita ſunt, tot miraculis ipſiuſmet IESV Chriſti redemptoris noſtri comprobata, tot ſeculis cõfirmata & ſtabilita ſunt, ut à nemine (niſi mentis inope) negari aut labefactari poſsint. Nihil meo quidem iudicio ſtultius eſt, nihil miſerius. hunc enim planè cõſtat animi perdẽdi, beatitudinisq; perpetuę amittẽdæ periculũ maniſeſtiſsimè ſubire. Leuibus aũt cõiecturis & incertis teſtib. (quales ſunt ſenſus & naturales rationes, quas multis in locis Ariſtoteles propter infirmitatẽ ſermones & dialecticas rationes nominauit) fidẽ habere: firmiſsimis aũt ſignis & declarationib. quas non à ſenſib. ſed à Deo ipſo accepimus, nõ ſtare, ſcelus eſt profectò maximũ & inexpiabile facinus. Hi ſanè philoſophi tanꝗ importuni homines, ac minimè ſani, prorſus dimittendi ſunt, nec ullo modo audiendi. Etenim euertũt illa etiam, ut uberius dicemus, quæ tradidit Ariſtoteles: ſimilesq; illis ſunt qui de Geometria diſputãt cũ ijs qui geometræ non ſunt, & de philoſophia cũ ijs qui philoſophiam nõ tractãt: & ad ea deſcẽdunt quæ ad ipſorũ artẽ minimè pertinent. quod quidẽ perperàm fieri declarauit Ariſtoteles. Illi etiam quos diximus Theologi nullo modo probãdi uidẽtur, quippe qui eius ipſius quam profitẽtur ſcientiæ ignorationẽ uel maximã præſeferant: quòd cũ ijs qui Theologi nõ ſunt, de Theologia diſſerãt. Deinde quia uidẽtur timere, ne ea de quibus agit ſancta noſtra Theologia, niſi demõſtrarentur ex fundamẽtis naturalib. corruãt, nullaq; ratione ſtare poſsint: quod quidẽ putare, eſt omnium in Theologia abſurdiſsimum. Non enim ignorare deberẽt, fas non fuiſſe, ſummũ numen, maximeq; admirabile & incõprehenſibile principium in iſtis rebus generabilib. & corruptibilibus, & in eis quę ſenſu percipiuntur, ea ſigna ponere, quibus omnẽ naturæ ipſius atq; efficientiæ uim, nos homũculi intelligentia cõſequi poſſemus. pares enim propemodũ illi eſſemus, & æquè beati: quippe cũ præpotẽtis Dei uita, omnib. illa quidẽ gaudijs afflucẽs & expleta, atq; omnib. bonis accumulata in eo conſiſtat, quòd ſeipſa ſine interpellatione fruitur, & ſuum præſtantiſsimũ numen contẽplatur. Porro minimè neceſſarium fuiſſet, Chriſtũ redemptorẽ noſtrũ in hunc mundũ uenire, ut nobis & Patrem, id eſt Deum opt. max. ſeq; ipſum eius filium Spiritu ſancto mentes noſtras illuſtrãte oſtẽderet, & ſanctiſsimæ fidei noſtræ myſteria (unde noſtra pendet ſalus) traderet, ſi hæc eadẽ ſignis & rationibus naturalib. cognoſci ac perſpici potuiſſent. quod quidẽ putare, eò uſq; eſt abſurdũ, ut nihil abſurdius (mea quidẽ ſententia) fieri poſsit. Homines igitur ab huiuſmodi inani cogitatione, tanꝗ à peſtifero quodam ueneno, ſibi caueant. ſatis enĩ fuit, imò pluſꝗ ſatis, quòd Deus ea ſigna in iſtis rebus tam caducis poſuit: quibus res materiales, quantum ad hunc mundum inferiorem attinet, propter noſtrã utilitatem cognoſceremus. eis enim ad bene beateq; uiuendum utimur.

Iam uerò, quod nobis præmium deberetur, ſi humana ratio omnino perſuaderet, ea quæ ſanctiſsima religio noſtra nobis credenda proponit? fides enim non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.

Hoc ipſum præcepit Eccleſia noſtra catholica, quæ quidem ſi uſquam aliàs, eo in loco apertiſsimè declarat, quàm nihil prorſus in rationibus naturalibus ponat, cum lætitia geſtiens illud canit: Quod nõ capis, quod nõ uides, animoſa firmet fides, prę-terrerum ordinem. Quid? cum illud nunꝗ ſatis laudatum Symbolum præcinit? CREDO in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, &c.

Certè ſi ratione naturali hęc oſtẽdi poſſent, nõ iuſsiſſet nos ea credere. nõ enĩ pręcepit ut crederemus ignẽ calefacere, neq; plura entia eſſe, neq; motũ eſſe: ſed ea quæ à ſanctiſsimis oraculis noſtris primò prædicta, deinde à Chriſto ſeruatore noſtro comprobata fuerunt: demùm ea quæ illi qui Spiritus ſancti lumen acceperunt, nobis tradiderunt, nihil ſcilicet curantes quid ratio naturalis ſuaderet: imò etiam ipſam ne-

ſam negligentes,ſi contraria aſſereret:ſin minus,ferentes. Gaudeamus igitur, gaudeamus inquam, qui Chriſti ſeruatoris noſtri religionē ſectamur : gratiasq; ei quàm poſſumus maximas agamus, qui pro ſua immenſa benignitate ea nobis reuelauit,ad quorum intelligentiam humana ratio aſpirate nullo modo poſſet, & è maximis errorum tenebris in clariſsimam ueritatis lucem nos traduxit. Quid enim eſt cur dubitemus de Dei opt.max.potentia, atq; prouidentia? de mundi creatione? de eſſentia diuinorum, quòd ſit una in tribus perſonis, uidelicet in Patre, Filio,& Spiritu ſancto? & de reliquis ſanctiſsimæ fidei noſtræ articulis:ſi hæc ipſa filius, qui neq; ſalli, neq; fallere potuit,nobis ſuo teſtimonio confirmauit,totq; miraculis illuſtrauit ac patefecit: ut qui aliquid horum negare aut in dubium reuocare audeat,omni is quidem pœna, omniq; ſupplicio dignus ſit. Age uerò , mentes noſtras ad Chriſtum ſeruatorem & redemptorem noſtrum tollentes,eius uerbis omnino fidem habeamus:præcepta ipſius & inſtituta, quantum patitur fragilitas humana,ſequendo : hæc autem negligendo mortalia , quæ fallere poſſunt , & ſæpenumerò fallunt.. Quæ omnia ſi planè perſpicere uolumus, neceſſe eſt ut bifariam Dei opt. max. poteſtatem cōſideremus. uno modo,cum ea perpetuum quendam ordinem ſeruat, quam poteſtatem ordinariam fortaſſe uocare poſſumus : altero , cum illum omittit , quæ eſt ſumma poteſtas, quippe quæ poteſtatem ordinariam peruertere poteſt. Atq; huius rei exemplum cernimus in Pontifice max.qui leges curiæ imponit ordinatas & limitatas, quas miniſtri tranſgredi ſua auctoritate nequeunt:ipſe tamen ſolus poteſt,ſiquādo uult, peruertere iſtam ordinariam & limitatam poteſtatem.idq; facit,cum inquit : Motu proprio,& ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis decernimus ita fieri,non obſtātibus quibuſcunq; in cōtrarium factis.quo dicto aufertur omnis ordinaria poteſtas.

Item, Deus opt. max. res omnes condidit , eiſq; dedit poteſtatem certis terminis circumſcriptam, ut maiori ex parte ſeſe gererent eo ordine & eo modo,quo eas condidit:ut calida calefacerent,frigida frigefacerent, humida humectarent, & ſicca exſiccarent. non tamen ea re ſummæ ſuæ poteſtati aliquid detraxit, ſed more optimi principis fecit,(licet enim ex nobis notis,ad nobis ignota proficiſci) qui utendo liberalitate aliqua,non tamen de ſuo iure decedit. Deus igitur opt.max. cum uult,ſuſpendit res quas condidit,à proprijs motibus: & aliquando non uult calida calefacere,frigida frigeſacere, & huiuſmodi alia.

Viam igitur illam quam diximus uocari poſſe ordinariam,philoſophi tractāt:qui quidem res contemplantur ex illis ſignis,quæ placuit Deo opt.max.in iſtis rebus caducis ponere,ne omnino,ſicut animalia bruta,eſſemus expertes omnis beatitudinis: ultra quam ſi progredi audent,in maximos ac turbulentiſsimos errores incidant neceſſe eſt,pręſertim cum limites ſuæ artis tranſgrediantur. Poteſtatem uerò ſummā, & extra ordinem conditarum rerum poſitā, Theologi contemplantur. Qui quidē ſi eam ex ſignis naturalib. intelligi poſſe arbitrentur(mea quidē ſentētia)iniuriā faciūt ipſi Chriſto ſeruatori noſtro, ſanctęq; Eccleſię catholicę:quib. nō fuit ꝓpoſitū hominib. hāc demōſtrare ꝓpter cauſas dictas, ſed uoluerūt eos religione ductos credere.

Peccare igitur mihi uidētur philoſophi illi, qui putāt principia ſua nō poſſe impediri:ueluti ex nihilo nihil fieri,mortuos reuiuiſcere nō poſſe: quandoquidē hoc ipſis ſenſus nō oſtēderit uia naturali.quia nos etiā Chriſtiani, & Paulus ipſe uas electionis hoc idē aſſerere nō dubitauit, apertè dicens,hoc fieri nō poſſe uia ordinaria,ſed alio modo pro ſumma diuini numinis poteſtate fieri:neq; illa principia eiuſmodi eſſe, ut nunquā interrūpantur. quod quidē iam ita clarū atq; firmū eſſe debet , ut nemini nō ſtultiſsimo dubitādi locus relictus ſit,maximè poſt aduentū Seruatoris noſtri.Nō minus itē Theologi(ut dictū eſt)uidētur labi,exiſtimātes ea quę nobis,ſi Chriſtiani eſſe uolumus,neceſſariò credēda ſunt,haberi poſſe ex ſignis naturalib. Sunt ergo philoſophia & Theologia facultates diſtinctæ, & una nō poteſt deſcendere in alterā,ut ꝓbet aliquid:tātoq; eſt ſuperior Theologia,quāto ſumma omniū rerū poteſtas, quæ nullis tanq; finib. ac terminis cōtinetur, præſtat ei quæ certis quibuſdā limitib. incluſa,ulterius progrediendi nullam facultatem habet. Theologia namq; philoſophiam regit,atq; errantem coercet.Philoſophia uerò nihil habet quod Theologiæ pręſcribat. Non enim fas eſt, ut ſeruus legem imponat domino : neque conuenit, ut is dominum tanquam errantem redarguat, Contrà autem ratio poſtulat , ut ſeruo dominus,quid

nus,quid agat imperet,eumq́ in officio contineat. Quòd ſi aliqui philoſophi contrarium oſtendere conabuntur,ego illis conſilium dabo,ut ad Paulum accedant qui ipſorum opinioni occurrens,inanem philoſophiam appellauit:cum tamen ei propoſitum non eſſet,ut diceret philoſophiam,quòd calida calefacere, & frigida frigefacere,& huiuſmodi dicat,inanē eſſe:ſed quòd opinet̃ nulla potētia fieri potuiſſe,ut mortui reuiuiſcerent, quia ratio naturalis hoc non demonſtrabat. Neq́ uerò, ſi nōnullis philoſophia erroris anſam præbuit,ob hanc cauſam ipſa eſt reijcienda:non enim ipſius id culpa accidit, ſed eorum qui perperam & ineptè, ſtulteq́ illam interpretantur. Nā ſi ita eſſet,reijcienda eſſent omnia bona, præter uirtutes: quoniam omnibus poſſumus abuti. Quid?reijciendus eſſet etiam Paulus,qui ita loquutus eſt,ut multis cauſam dederit incidendi in manifeſtiſsimas ac turbulentiſsimas hæreſes,ſicut etiam teſtatus eſt beatus Petrus in quadā ſua epiſtola. Sed hæc ipſius culpa non euenerū̃t, ſed eorum qui eum temerè,indoctè & imperitè interpretati ſunt. Vix enim fieri poteſt,ut qui ſcribunt, ita clarè & apertè ſcribant, ut non reperiantur multi qui ex eorū uerbis non decipiantur:tanta eſt in hominum ingenijs uarietas ac diſsimilitudo. Ac ſi ob eam cauſam reijcienda eſſet philoſophia, quia nonnulla in dubium trahere poteſt eorum quæ nobis religio credenda propoſuit:non uideo ſanè, quare non multo magis reijciendæ ſint hiſtoriæ antiquæ:narrāt enim ea quæ niſi firmi in fide eſſemus, tanto facilius poſſent nos in errorem trahere,quàm philoſophia, quanto plures ſunt in illis res & exempla quæ ab omnibus intelligi poſſunt:neq́ fieri poſſe uidetur,ut illis dentur illæ interpretationes quæ poſſunt dari rebus naturalibus, quæ à paucis poſtea intelliguntur.

Sanctiſsima tamen religio noſtra,quæ non timet elephantes,nedum culices,rerū ueterum monumenta recepit, ex quibus hominum genus multis cōmodis afficitur. Quod item de philoſophia fecit: quam ſi quis uult omnino hanc ob cauſam tollere, idem tollat oportet omnes ſenſus noſtros, quippe qui nobis oſtendunt contrarium eorum quæ iubet fides Catholica,ut credamus. Etenim philoſophia(ut dictū eſt ſuperius) nihil aliud eſt quàm ſcientia rerum quæ natura conſtant, quæ ſcientia nobis ex ſenſu gignitur. Quod cum intelligeret B. Paulus,admonuit nos,ut noſtra ingenia quaſi uinculis quibuſdam in obſequium fidei conſtringeremus. Et quoniam uidebat ob hanc cauſam credere eſſe omnium difficillimum, ideo uidetur multis in locis adeò extuliſſe fidem, cum tamen illud propoſitum non haberet,quemadmodū nonnullis in locis teſtatū reliquit, ut actiones reijceret. Sed facile erat multis perſuadere, ſi rectè facerent,poſſe ipſos cōſequi beatitudinē perpetuā: quia uidetur cōſentire etiam rationi naturali,ut qui rectè operētur,mercedem accipiant: alioquin tolleretur ſocietas humana. Cum igitur ad perſuadendum hoc facile eſſet,illud omnium difficillimum:quòd alterum humanę rationi & ſenſui conſentiret,alterū ualde repugnaret: ideo diuinus ille homo multis in locis, ubi res poſtulabat, fidē uiſus eſt ita extollere, ut multis qui id quod diximus nō animaduerterūt,errādi fortaſſe cauſam prębuerit.

SECTIO TERTIA.

His igitur ad hunc modum explicatis, non dubitabimus uenire ad diſſolutionem quæſtionum propoſitarum, nihil uerentes dicere ea quæ ex ratione naturali ſequuntur,etſi fidei noſtræ aduerſari uideantur. Siquidem iam à nobis oſtenſum eſt, principia rerum naturalium non eſſe ſimpliciter uera, ſed ſolùm ex potentia ordinata:quæ ea conditione eſt, ut reſtringatur à potentia abſoluta, eiq́ omnino pareat: cuius quidē abſolutę potentię cognitio non oritur ex ſenſibus, ſed ex maiori & perfectiori lumine, quod neq́ ipſum ulla erroris quaſi caligine obſcurari poteſt, neq́ alios in tenebris errare ac labi ſinit.

Id autem eſt(neq́ enim aliud eſſe poteſt)Spiritus ſancti æternum lumen.

Sed antequam ad particularem diſſolutionē quæſtionum ueniamus, faciendū nobis uidetur,ut nonnulla etiam declaremus,quibus declaratis facile(meo iudicio)erit, quæſtiones propoſitas aduerſus animi immortalitatem diſſoluere. Quorū primū er'.,nos putare ex ratione naturali,animi noſtri immortalitatē ita demonſtrari, ut nihu ferè unq́ ex ea fuerit clarius demonſtratum. Multiplicationem uerò animorū ex multiplicatione indiuiduorum non demonſtrari, ſed contrarium ; ita ut animi noſtri multipli-

multiplicatio non habeatur ex fundamentis uiæ ordinariæ, quatenus eſt ordinaria,
ſed quatenus corrigitur à potentia abſoluta. & hęc res eſt ex ijs in quibus uia natura-
lis peruertitur: ſicut ignis, in quē detruſi fuerūt tres illi pueri, cuius natura eſt ſemper
urere combuſtibilia, quæ in ipſum proijciuntur, fuit impeditus à Deo opt. max. quo
minus ſuam uim obtineret, itaq; eos non combuſsit. non eſt tamen falſum, ſi eius na-
tura conſideretur, eos combuſturū fuiſſe. Ita dicimus, naturam non ſolere ui ſua mul-
tiplicare res in eadem ſpecie, cum poteſt eorum perpetuitatem in indiuiduo ſeruare:
ſed impeditur iſta natura à Deo opt. max. in cuius poteſtate eſt omnia facere ut ſibi
placet. Si quis tamen naturali ratione tantùm loqui uellet, quod eſt loqui uia ordina-
ria, & diceret, Naturam non multiplicare entia in ſpecie, cum poteſt eorum perpetui
tatem in indiuiduo ſeruare: non mihi uideretur errare. ſicut ſi quis diceret, ignem ad-
motum rei combuſtibili ſemper urere, niſi impediatur.

Si quis tamen (ut diximus) putaret ita eſſe uerum, quòd uia ordinaria docet, ut id
non poſsit mutari: hic (meo quidem iudicio) in maximo errore uerſaretur, ob eas ra-
tiones quas attulimus. Dicimus ergo ex ſententia Ariſtotelis, uia & ratione natu-
rali loquentis, ſequi immortalitatem animi: non tamen eius multiplicationem, ſed u-
nitatem. Quare autem dicamus, Ariſtotelē loquentem ratione naturali, oſtēdemus:
quandoquidem unitas ſequatur ob eas rationes, quæ in ſuperioribus allatæ fuerunt.
Quantum enim eſt ex ui ſua, illæ concludunt unitatem: ſicut ignis ui ſua urit quod-
cunq; combuſtibile ſibi admotum, niſi impediatur.

SECTIO QVARTA.

ET quoniam iſta unitas animi non ſolùm uidetur ſequi ex eis quæ dicta ſunt, ue-
rùm etiam ex uerbis Ariſtotelis 3. de Anima: hęc ipſa nūc interpretabimur, quā- *3. de Anima*
tum ſatis erit, ut res melius percipi poſsit, in ſequentibus etiam reuerſuri ad eadē ma- *tex. 19. & 20.*
gis explicanda: etenim ualde difficilia ſunt. inquit igitur Ariſtoteles: Idem autem
eſt ſecundum actum ſcientia, quod res. quę uerò ſecundum potentiam, tēpore prior
in uno eſt, omnino autem neq; in tempore, ſed non aliquando quidem intelligit, ali-
quando uerò non intelligit. ſeparatus enim eſt ſolùm hoc, quod quidem eſt: & hoc
ſolùm immortale & perpetuum eſt. Non reminiſcimur autem, quia hoc quidem im-
paſsibile: paſsiuus uerò intellectus corruptibilis, & ſine hoc nihil intelligit.

Cum dixiſſet intellectum agentem eſſe ſubſtantiam actu exiſtentem, ita ut nul-
lam haberet potentiam, uidebatur quaſi deſignaſſe, nullum eſſe intellectum: quia
quod eſt intellectus, aliquid intelligit: & quod aliquid intelligit, uidetur prius eſ-
ſe in potentia ad illud. Addidit Ariſtoteles, ut tolleret hanc dubitationem, atq; e-
tiam ut uberius declararet naturam intellectus agentis, ut diximus etiam in ſuperio-
ribus, quòd ſcientia quæ eſt ſecundum actum, eſt idem quod res, ſupple quæ intelli-
gitur: id eſt ipſe intelligit ſeipſum actu, quia eius ſcientia eſt ſcientia actu, & non eſt
in potentia. Poſſemus etiam dicere, ſed eôdem recidit, quòd cum dixiſſet Ariſtote *ibid.*
les intellectum agentem eſſe nobilius poſsibili, quia agens erat nobilius paſſo, & for
ma materia, quoniam potuiſſet aliquis dicere, intellectum agentem etiam ipſum pa-
ti, quia intelligit: & quod intelligit, eſt in potentia: ideo reſpōdet, quòd ſcientia quæ
eſt ſecundum actum, eſt idem quod res ſcita. Quod item ſuprà dixit illis uerbis: In *ibid. tex. 15.*
ijs quę ſunt ſine materia, idem eſt intellectus, & quod intelligitur. Et ſignificat, quòd
etſi intellectus agens intelligat, tamē eius intellectio nō eſt paſsio: quia non eſt ſcien
tia in potentia, ſed eſt ſcientia in actu, quæ quidem eſt idem quod res ſcita. ex quo pa
tet, quòd intellectus agens eſt intellectus: & quòd intelligit tantùm ſeipſum, ut di-
ctum eſt ſuprà: & eſt ſimul tempore cum re ipſa quæ intelligitur.

Scientia uerò, inquit, quæ eſt in potentia, non actu, eſt prior tempore in uno indi-
uiduo: quia illud indiuiduum prius tempore ſcit in potentia, quàm ſciat in actu: quia
illa ſcientia non eſt idem quod res ſcita. Si enim ita ſe haberet, eſſet in potentia. Sim-
pliciter tamen inquit: Omnino autem neq; in tempore eſt prior, quia reſpectu om-
nium indiuiduorum non eſt prior tempore, & eius quod eſt ſimpliciter. in quam in-
terpretationem impellunt nos uerba illa tex. 27. quæ habent eandem ſententiam: Sic *ibid. tex. 27.*
autem ſe habent, quæcunq; ſine materia ſunt. Idem autem eſt ſecundum actum ſcien
tia quod res ſcita: quæ uerò ſecundum potentiam, tempore prior eſt in uno: omnino

autem neq; tempore. Fiunt autem ex actu ente omnia quæ fiunt. Quibus uerbis
oſtendit, quomodo eſt prior tempore. & hoc intelligitur ratione habita ad unum,
utpote ad Socratem: generaliter autem & ſimpliciter non eſt prior tempore, ſicut de-
9. Meta. tex. 14 claratum eſt etiam ab Ariſtotele.

Deinde quia aliquis potuiſſet dicere, Si ſcientia quæ eſt in potentia, eſt prior tem
pore in uno, ſimpliciter uerò non eſt prior: & ſcientia quæ eſt in potentia, neceſſariò
eſt intellectus in potentia, ut patet: ergo fieri poterit, ut iſte intellectus aliquādo qui-
dem intelligat, utpote cum ſit ſciens actu: aliquando autem non intelligat. Reſpō
det, quòd non aliquando quidem intelligit iſta intellectus potentia, aliquando qui-
dē non intelligit: ſed ſupple ſemper intelligit. Hoc enim modo loquendi uſus eſt mul
1. Poſt. 4. tis in locis, cum uellet hoc idem deſignare, & maximè cum dixit: De omni igitur hoc
» dico, quod utiq; eſt, non in quodam quidem ſic, in quodam autem non: nec aliquan-
» do quidem ſic, aliquando uerò non: ut de omni homine, Animal. & ſi uerū eſt dicere
» hominem, eſt uerum dicere, animal: & ſi nunc alterum, & alterum. &c. quę ſequunt.

Et quoniam adhuc potuiſſet quiſpiam quærere, quomodo hoc ſit uerum, ut intel-
lectus iſte poſsibilis ſemper intelligat: perſpicuum eſt enim quod loquitur de intelle
ctu poſsibili, quia loquitur de intellectu cuius ſcientia eſt in potētia: addidit rationē,
Quia uidelicet hic intellectus inter intellectus receptiuos alicuius extrà, ut eſt phan-
taſia & ſenſus cōmunis, quātum eſt ex ſubſtantia, ſeparatus enim eſt ſolùm hoc, &c.
» Quod intellexit, cum inquit: Hoc autem ens quod dicitur intellectus poſsibilis, ſolū
» eſt ſeparabilis à corpore, inter alios intellectus receptiuos alicuius extrà ſe, & alios
» intellectus potentia: & eadē ratione ipſe ſolus eſt immortalis & æternus. Ex quo ſe-
quit̄, ut ſemp̱ intelligat: quia ſi eſt æternus, opus eſt ut ſemp̱ intelligat: aliter em̄ cor-
rueret. nam cū à rebus actiones abſtuleris, nihil quo illæ eſſe poſsint reliqueris. Quo-
niam aūt nō poteſt ſemper intelligere, ſi eſt alius & alius, quia phātaſmata corrūpun
tur, neceſſe eſt ut ſit unus in omnibus hominib. quia ſemper intelligit in aliquo: ſem-
per em̄ dat̄ aliquod ſingulare, in quo eſt. Et cū ita ſit, poſſet quęrere aliquis, ſi ſemper
intelligit, quia eſt æternus, quare non reminiſcatur eorum quæ ſemper intellexit? &
quare intellectus qui eſt in aliquo, non reminiſcitur eorum quæ intellexit in alijs?

Reſpondet, ipſum nō reminiſci, quia eſt impaſsibilis. ſed paſsibilis intellectus eſt
corruptibilis, ſine quo intellectu paſsibili nihil intelligit mens, quæ eſt dicta impaſsi
bilis. & patet ipſum per intellectum paſsibilem intelligere phantaſiam, quia ipſe ſem
per dixit: Neceſſe eſt intelligentem ſimul phantaſmata ſpeculari. Et quòd ipſe in-
telligat in hoc tex. de intellectu qui eſt in potentia, patet cum dicit: Quæ uerò ſecun-
dum potentiam. Et cum addit: Sed non aliquando quidem intelligit, aliquando ue
rò non intelligit. Quòd autem ſit ſolus ſeparatus, & immortalis, & æternus, ratione
habita ad reliquas potentias animi quæ cognoſcunt, probatum eſt.

Item cum dicit, Non reminiſcimur autem: oſtendit ſe intelligere de hoc intellectu
in potentia, quia intellectus agens non reminiſcitur, non enim intelligit extra ſe.

Hæc igitur meo quidem iudicio uidetur eſſe ſententia Ariſtotelis, nō ea quam af-
fert Auerroes, & iſti interpretes. neq; quod dicit Io. Gram. uidetur probādum, quòd
uidelicet intellectus paſsibilis ſit prior in uno, quàm intellectus agens: quia licet in-
ter ſe haberent iſtum ordinem, tamen ratione habita ad unum indiuiduum, non ha-
bent hunc reſpectum: quia ſunt partes animæ, quarum una non poteſt eſſe ſine alte-
ra, ſicut materia non poteſt eſſe ſine forma.

Item, operatione non eſt prior, cum intellectus in potentia non poſsit operari, ni-
ſi intellectus agens prius operetur.

Præterea animaduertendum eſt, Ariſtotelem reddere cauſam, cum dicit, Separa-
tus autem. nam illud Autem, accipiendum eſt pro enim: ſicut in tex. Græco particu-
la δὲ accipitur frequentiſsimè pro γὰρ. quod hinc colligi poteſt, quia nō eſſet ad pro-
poſitum hic loqui de hac re: & fortaſſe poſſemus dicere, quòd illa uerba, Separatus
enim, ſolùm hoc, &c. ſic ordinantur: Hoc enim quod quidem eſt ſemper intelligens,
eſt ſeparatum à materia, & hoc tale ſolùm immortale & æternum, ratione habita ad
intellectus receptiuos. Ex quibus patet (ut diximus) unum eſſe in omnibus homini-
bus intellectum: quia ſi non eſſet unus, non ſemper intelligeret. non enim intellige-
ret cum deſtrueretur Socrates, quia non haberet phantaſiam: eſſet enim corrupta
phantaſia,

phantaſia,& ſine ipſa non poſſet intelligere. Item nihil eſſet quod diceret, Non re-
miniſcimur autem: quia ſi anima intellectiua eſſet multiplicata,nihil loci nobis dare-
tur putandi ipſam habere eas cognitiones quę fuerunt in uno. Neq; eſt conſentaneū
ut quæratur, Cur poſt mortē non reminiſcitur? quia neſcimus,an reminiſcamur poſt
mortem nec ne. Quæſtio enim non eſt ad rem,niſi anima ſit una,ex ſententia Ariſto
telis naturaliter loquentis,ut dictum eſt in ſuperioribus.

Illud uerò quod dixit Ariſtoteles in loco citato 3. de Anima, eſt idem ferè cum eo *3.de Anima.*
quod dixit 1. de Anima, tex. 65. & 66. Intellectus uidetur in fieri ſubſtannia quædā in- *tex.20.*
exiſtens,& non corrumpi. & paulo pòſt: Intelligere aūt & conſiderare marceſcunt, *1.de Anima*
alio quodam interius corrupto,ipſum autem impaſsibile eſt. Ex hoc dictū eſt,quòd *tex.65.66.*
intellectus intelligit ſemper in aliquo indiuiduo,& ita in ſe non marceſcit: marceſcit
uerò in uno,quia marceſcit corpus illud, cuius erat paſsio intelligere. Marceſcente
autem corpore,neceſsitas cogit ut marceſcat ipſa phantaſia,ſine qua intellectus non
poteſt intelligere: nihil igitur refert, utrum dicamus intelligere marceſcere, quia cor
pus marceſcit,an quia phantaſia marceſcit: quia non intelligit quatenus ſunt paſsio-
nes animi,ſed eius quod habet animum,id eſt corporis: quia paulo antè dixerat hæc
uerba,quæ etiam citauimus in ſuperioribus ad aliam rem: Dicere aūt iraſci animam, *1.de Anima*
ſimile eſt ſi quis dicat eam texere uel ædificare. Melius autem eſt fortaſſe non dicere *tex.64.*
animā miſereri,aut addiſcere,aut intelligere,ſed hominē anima: quo corrupto,neq; “
memoratur, neq; amat. nō enim illius erant, ſed cōmunis,quod quidē deſtructū eſt. “

Addidit deinde, quòd intellectus eſt diuinum & impaſsibile: quod eſt illud quod
dicit hoc loco. nā inquit, quòd in ſe non marceſcit, quia intellectus ſemper intelligit.
ſed quod marceſcit in aliquo,quod corrūpitur interius, & non memoratur,quia cor-
rumpitur compoſitum, & ita phantaſia. Et ſubiungit, quòd intellectus eſt diuinus &
impaſsibilis, quæ non poſſunt eſſe ſine animi noſtri unitate. Iſte ergo tex. oſtendit a- *3.de Anima*
pertè,quomodo ſit interpretandum id quod dixit de intellectu poſsibili, quem in lo *tex.20.*
co citato 1. de Anima dixit non memorari: quia ſi non memoratur,non etiam remini- *1.de Anima*
ſcitur. Qui ergo rectè uerba Ariſtotelis perpendet, eum exiſtimaturū arbitror, tex. ci *tex. 65. & 66.*
tatos idē omnino deſignare: quod quidē eſt, tandē animi noſtri unitatē confirmare.

Quòd autem phātaſia dicatur intellectus, præter alia quæ dicta ſunt in alijs locis,
oſtendit Ariſtoteles ijs planè uerbis: Animaduertimus autem, intellectum, phanta- *Lib. de Com-*
ſiam, electionem, uoluntatem, & cupiditatem animal mouere: hæc aūt omnia ad in- *muni motu ani*
tellectum referuntur, & appetitionem. Phantaſia autem & ſenſus referuntur ad intel *malium.*
lectum, cum iudicandi habeant facultatem. attamen ijs diſtāt quæ in alijs dictæ ſunt “
differentijs. Voluntas uerò, & ita & cupiditas, omnia cum appetitione faciunt: ele “
ctio autem communis eſt intellectus & appetitionis. Quare & ipſum quod eligi po “
teſt, non autem omne excogitabile, eligibile eſt, ſed rerum agendarum finis. “

Patet ergo, ijs uerbis ipſum uocaſſe ſenſum & phantaſiam, intellectum. Non eſt
ergo mirandum, ſi nos interpretantes illa uerba, Quòd ſolus eſt ſeparabilis, & ſolus *3.de Anima*
æternus: intelleximus de poſsibili, qui ſolus eſt æternus, ratione habita ad alios intel- *tex.20.*
lectus, qui aliquid extra ſe recipiunt, non ſimpliciter & abſolutè, quia de nullo intel-
lectu ſimpliciter poteſt eſſe uerum, quòd ipſe ſolus ſit ſeparabilis & æternus & im-
mortalis: quandoquidem multi ſint tales intellectus ſeparabiles, æterni & immor-
tales. Ex uerbis igitur Ariſtotelis, innixis rationi naturali, ſequitur quod dixi-
mus, uidelicet animum noſtrum, ſi eſt immortalis, eſſe unicum in omnibus. quæ ta-
men opinio re ipſa ex fundamentis ſanctiſsimæ religionis noſtrę, eſt omnium falsiſ-
ſima. Sed in ſequentibus diſputabimus, nunquid illi Ariſtoteles crediderit, etſi ratio
naturalis hanc ipſam oſtendere uideatur. Sed nunc ſint ſatis ea quæ diximus, ut diſ-
ſolueremus quæſtiones propoſitas.

SECTIO QVINTA.

INter dictas quæſtiones autem cum nonnulla ſint quę omnino uidentur tollere a-
nimi noſtri immortalitatem ex eo, quia ſequeretur eius contemplationē non per-
tinere ad naturalē philoſophum, quippe qui nullo modo uidetur res à materia ſeiun
ctas ac ſegregatas contemplari poſſe: non alienum ab inſtituto noſtro nos facturos
exiſtimamus, ſi diſputabimus, antequam ad illarum diſſolutionem pergamus, quid-

nam conſideret philoſophus naturalis, quid primus philoſophus, & (ut uno uerbo dicam) quid contemplentur ſingulæ ſcientiæ, quidq́ inter ipſas interſit, præſertim cum res ſatis ambigua ſit, neq́ (ut mihi quidem uidetur) ex ſententia Ariſtotelis adhuc explicata. Etenim his declaratis, facile erit (ut arbitror) quæſtiones dictas diſſoluere: & per id quod ſequitur neceſſariò, animi noſtri immortalitatem conſtituere. Hic autem uberius & fuſius hanc rem ideo pertractabimus, quàm fortaſſe in præſentia neceſſe eſſet, quia in doctrina Ariſtotelis maximi momenti eſſe nobis uidetur: nosq́ infirmitate ualetudinis noſtræ, qua quotidie uexamur, impediti timemus, ut nobis non concedatur facultas exponendi libros Phyſicorum. quare melius iudicauimus fore, ut hic ſententiam noſtram explicaremus, quàm nuſquam: ſicut diximus etiam de Rhetorica, & de animi noſtri immortalitate, quæ magis aptè conueniebat alibi diſputari. Res tamen difficiles, quocunq́ modo tractentur, & ubicunq́, modò rectè de ijs agatur, non omittendas cenſeo. non enim locus per ſe præſtantiores illas reddit, ſed accommodatiores.

Cum igitur nobis propoſitum ſit, ea quæ diximus de ſcientijs contẽplari: faciendum nobis uidetur, ut primùm ante oculos, tanquam in tabula quadã, ponamus ordinem omnium rerum, quæ natura conſtant. Scientiæ enim excogitatę ſunt propter res ipſas, ut ſcilicet rerum omnium quæ natura conſtant, nobis firmam & ſtabilem cognitionem traderent. Incipientes igitur ab uniuerſalioribus rebus, ad particulariores proficiſcamur. hoc enim naturæ ordo, ratioq́ ipſa, quæ ex natura ortũ habet, exigere poſtulareq́ uidetur. Sit ergo primum ens, quod etiam poſuimus in Apologia noſtra, cuius hæc eſt diuiſio:

ENS diuiditur in
- SVBSTANTIAM.
  - *Incorruptibilem: qualia ſunt corpora cœleſtia.*
  - *Corruptibilem*
    - *Simplicia elementa.*
    - *Mixta*
      - *Imperfecta: ut grando, nix.*
      - *Perfecta*
        - *Inanimata, ut metalla.*
        - *Animata anima.*
          - *Vegetatiua, ut plantæ.*
          - *Senſitiua*
            - *Irrationali.*
            - *Rationali.*
- QVANTITATEM.
- QVALITATEM.
- AD ALIQVID.
- VBI.
- QVANDO.
- SITVM.
- HABERE.
- FACERE.
- PATI.

Iſta ſunt omnia quæ in uniuerſo reperiuntur, quæ declarauit Ariſtoteles, inueſtigando eorum cauſas & proprietates. Cauſæ autem quatuor ſunt, quarum una eſt altera uniuerſalior: & unumquodq́ genus harum rerum, ſeu unaquæq́ ſpecies, habet cauſas, præter communes, etiam proprias. Ideo ponamus etiam exemplum harum cauſarum, & deſignabimus numeris, quæ cauſæ quibus effectibus accommodentur eorum quæ ſunt compoſita.

1 MATERIA, *ut communis eſt entis & ſubſtantiæ:*
- 2 *Incorruptibilium.*
- 3 *Corruptibilium.*
  - 4 *Simplicium. Elementorum.*
  - 5 *Compoſitorum ſeu mixtorum.*
    - 6 *Imperfectorum.*
    - 7 *Perfectorum.*
      - 8 *Inanimatorum.*
      - 9 *Animatorum.*
        - 10 *Vegetatiuorum.*
        - 11 *Senſitiuorum.*
          - 12 *Irrationalium.*
          - 13 *Rationalium.*

Neceſsitas igitur cogit,ut putemus tot dari materias,quot dantur ſubiecta uniuer
ſalia:quia fieri nõ poteſt, ut diuerſa genera & diuerſæ ſpecies habeãt eaſdẽ materias.
quomodo aũt ſint,nõ eſt huius loci diſputare:hæc em̃ exẽpli cauſa tantũ poſuimus.

Eodem modo de fine dicendum eſt, quia datur finis uniuerſalis,qui nunc dicatur
Primus, 2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13. Vnaquæq; enim ſpecies ſuum habet proprium
finem,prætet uniuerſalem:& ita de forma,& efficiente.

SECTIO SEXTA.

CVm igitur homines taperẽtur cupiditate ad ſciendũ tes dictas, & earũ acciden
tia & cauſas contẽplari neceſſe habebãt(tunc enim ſcimus unũquodq;, cũ cau
ſas contẽplamur)cumq; omnes illę tes inter ſe haberẽt generũ & ſpecierũ ordinẽ ſi-
ue rationẽ(quandoquidẽ res magis uniuerſales,quę cõtinent minus uniuerſales,prę
illis quæ minus uniuerſales ſunt,dicũtur geneta: minus uerò uniuerſales,quæ conti-
nentur à magis uniuerſalib.ſi cũ magis uniuerſalib.cõparentur, ſpecies:)incipiendo
ab ente,uſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas,coacti fuerũt homines, ſi rerũ intelligẽtiam cõ
ſequi uoluerũt,ut maximè debebãt(quippe cũ in harum retũ ſpeculatione cõtinere-
tut uera felicitas humana)inuenire unã ſcientiam,quæ omnes iſtas res perfectè,quã-
tum quidẽ ingenij humani imbecillitas ferret,doceret. Nã ſi bene res dictas perpen-
damus, nullã profectò rationem reperiemus quæ impellat ad efficiendũ plures ſcien
tias:præſertim cũ res intet ſe ab ente uſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas habeant rationem
generũ & ſpecierũ,ut dictũ eſt.Etem̃ nulla eſt maior ratio,quare homo & aſinus atti
neant ad eam ſcientiam,ad quã attinet genus ipſorũ proximũ,q; ſubſtãtia incorrupti
bilis & corruptibilis,ad eam facultatẽ ad quam attinet ſubſtãtia generalis,quæ in di-
ctas ſpecies diſtribuitur : & quã ſubſtãtia generalis,& cætera decẽ prædicamenta ad
eam ſcientiam,ad quã pertinet ens. Omnia em̃ habent eandẽ rationẽ ad unũ genus:
adeò ut ſi uolumus iſtas ſpecies attinere ad eam ſcientiam,ad quã pertinet ipſarũ ge-
nus, nõ uideas cur omnes res quæ enumeratæ ſunt, nõ attineant ad eandẽ facultatẽ:
quia ab ente, uſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas,habẽt inter ſe rationẽ generũ & ſpecierũ:
ut perſpicuè ex eis quæ dicta ſunt eſt manifeſtũ. Quod cũ cõſtet, nulla apparet cau-
ſa, quare debeamus ſeiungere ſubſtãtiam corruptibilẽ & incotruptibilem, à ſcientia
quæ ſubſtãtiam generalẽ contẽplatur:ſi fieri nõ poteſt,ut ſeiungamus decẽ prędica-
menta à ſcientia,quę ens,quatenus ens,contemplatur.Ea em̃ omnino eſt proportio
ſubſtãtiæ corruptibilis & incorruptibilis ad ſubſtantiam generalẽ, quæ eſt ſubſtãtiæ
generalis & reliquorũ prędicamentorũ ad ipſum ens. Eſt em̃ proportio utrobiq; ſpe
cierũ ad genus: & ita dicendũ eſſe arbitror de alijs, uſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas. O-
ptima igitur ratione (meo quidẽ iudicio) dictũ uidet eſſe, omnes tes attinere per ſe
ad unã ſcientiam genete : ex quo ſequitur neceſſariò, eſſe tantùm unã ſcientiam uerè
& ex natura ipſarum terum. Quam opinionem, præter rationes dictas, uidentur 4 Meta.tex.6.
cõfirmare etiam illa uerba Ariſtotelis : Quapropter & eius quod eſt,ut eſt ens, quæ-
cũq; ſunt ſpecies,unius eſt ſcientiæ genere,& ſpecierũ ſpecies contemplari. Etem̃
ſi quæcũq; ſunt ſpecies entis,& ſpecierũ ſpecies,attinẽt ad unã ſcientiam genere: er-
go decẽ prędicamẽta ad unã ſcientiam genere pertinere dicendũ eſt:ſunt em̃ ſpecies
entis. Itẽ quęcunq; ſunt à decẽ prędicamentis,uſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas:ſunt em̃
ſpecies ſpecierũ entis.quia ſubſtãtia incotruptibilis, & ſubſtantia corruptibilis,ſunt
ſpecies ſubſtãtiæ quę eſt ſpecies entis , & ita deinceps uſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas.
quæ enim ſunt ſpecies ſpeciei ſubalternatæ , ut generis quoque illius ſint ſpecies ne-
ceſſe eſt.Ergo quęcũq; ſunt à decẽ prędicamẽtis uſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas, attine
bũt ad eandẽ ſcientiam genere:nõ ergo ex ratione naturali poteſt eſſe niſi una ſcien-
tia genere. Neq; uerò arbitror locũ citatũ in eam ſentẽtiam trahi poſſe,ut illis uer-
bis Ariſtoteles ſignificet,ſpecies ſpecierũ entis attinere ad unã ſciẽtiam genete,qua-
tenus ſcilicet conueniunt in eo genere ut ſint entia: quandoquidem nihil poſſet dici
ab Ariſtotele quod magis ridiculũ & ineptũ eſſet.Etenim illud,Scientia eſt una quę 1. Poſt. ...
eſt unius generis partes & paſsiones conſiderans: intelligitur quòd ſcientia illa quæ
cõſiderat genus, debet etiã cõſiderare ſpecies in ſua propria natura. alioquin fruſtra
dixiſſet Ariſtoteles,eam cõſiderare ſpecies.ſatis em̃ fuiſſet dicere quòd conſideraret
genus,ſi nollet ſignificare quòd cõſideret ſpecies illas in propria natura: quia qui cõ
ſiderat animal,quatenus eſt animal,idẽ neceſſariò cogitur cõſiderare hominẽ & aſi-

num,ut ſunt animalia:alioquin nõ cõſideraret animal,quatenus eſt animal.Sicut pr
ma philoſophia nõ diceretur cõſiderare omnia quatenus entia, niſi cõſideraret om-
nia quę ab ente cõprehenduntur,ex ea parte quatenus eſt ens.Fruſtra eñ diceret cõ
ſiderare ens,quatenus ens eſt:& decẽ prędicamẽta,quę ſunt uelut ſpecies entis, qua
tenus ſunt decẽ prædicamẽta.qa q̃ dicit Primã philoſophiã cõſiderare ens,quatenus
ens,is planè ſignificat,eã cõſiderare omnia quæ ipſo ente continent̃,quatenus entia
ſunt:alioqn nõ cõſideraret ens quatenus ens,ſi daret̃ aliquod ens,quod nõ eſſet cõ-
ſideratũ quatenus eſt ens.Hoc igit̃ apparet in philoſophia naturali.nã ubi cõſiderat̃
animal,cõſiderat̃ homo,aſinus & bos,p̃ter rationẽ cõmunẽ,ut homo,aſinus & bos.

Præterea quod dicitur tex.citato,de ſpecieb.ſpecierũ,ſi intelligatur ꝙ conſiderãt̃
quatenus entia,idẽ eſſet intelligendũ de ſpecieb.immediatis entis.& tũc ſequeretur,
decẽ prędicamenta non cõſiderari ſecundũ propriam naturã in ea ſcientia,in qua cõ
ſideratur ens,ſed ſolũ quatenus entia.Quod quidẽ eſſe abſurdiſſimũ ita cõſtat,ut ridi
culũ ſit uelle id oſtẽdere. Quòd aũt idẽ ſit dicendũ de ſpecieb.entis, quod dicitur
de ſpecieb.ſpecierũ,in dubium uenire nõ poteſt: quia cũ dicat Ariſtoteles,quæcũq;
ſunt ſpecies entis,attinere ad unã ſcientiam genere, & ſpecies ſpecierũ: nulla eſt ma-
ior ratio, cur interpretemur ſpecies immediatas entis cõſiderari in propria forma,ꝗ̃
ſpecies ſpecierũ cõſiderari ut entia tantũ.neceſſe eñ eſt ut intelligamus utraſq; eodẽ
modo cõſiderari,ut uidelicet ſi ſpecies immediatæ cõſiderentur in propria,ſic etiam
cõſiderentur ſpecies ſpecierũ:ac rurſus,ſi ſpecies ſpecierũ cõſiderentur ut entia,ita e-
tiam ſpecies immediatæ cõſiderentur ut entia:alioquin nõ cohærẽt inter ſe illa uer-
ba,& nihil diceret Ariſtoteles.nõ cohæret eñ,dicere ſpecies entis cõſiderari in pro-
pria forma,& ſpecies ſpecierũ ſub ratione generis.nã ſecundũ debet neceſſariò intel
ligi ut primũ. Alterũ igitur duorũ euenire neceſſe eſt,uel ut Ariſtoteles ſignificaue-
rit ſpecies ſpecierũ cõſiderari in propria forma,ſicut ſpecies entis,quod ipſum eſt q̃d
uolumus: uel ut decẽ prædicamẽta nõ cõſiderentur in Prima philoſophia in propria
natura,ſed ſolũ ex natura generis:quod eſt abſurdiſſimum,& à tanti philoſophi,om-
niumq; magiſtri artificio penitùs abhorret. in dubiũ eñ uenire nõ poteſt, quin quæ
ſcientia unũ aliquod genus contẽplatur,eandẽ oporteat cõſiderare omnia quæ cõti
nentur eo genere, ex natura illius generis: alioquin nõ contemplaretur illud genus,
quatenus eſt illud genus. Præterea tex.præcedẽs,ex quo Ariſtoteles concluſionẽ
illã cõcluſit,omnino uidetur oſtẽdere,ipſum in ea ſentẽtia fuiſſe,ut opinaret̃ ſpecies
ſpecierũ attinere ex propria natura ad eandẽ ſcientiam genere,ad quã attinerent ſpe-
4.Meta.tex.5. cies entis.inquit enim: Omnis aũt generis unius,ſenſus eſt unus atq; ſcientia:uelut
Grammatica, quæ eſt una, contemplatur uoces. Si ergo omnis generis ſenſus eſt
unus,& una ſcientia,ergo(uerbi gratia) omnium colorum in propria natura erit ſen
ſus unus,& una ſcientia. Probatur conſequentia:tum quia perſpicuum eſt,ſenſum
uiſus eſſe omnium colorum in particulari,ut albedinis,nigredinis,rubedinis,& reli-
quorum:nec minus clarè patet,unam ſcientiam eſſe in particulari omnium colorum,
& Grammaticam omnium uocum:tum quia,niſi ita eſſet,ſenſus non eſſet omnis ge-
neris,neq; Grammatica omnium uocum: etenim hęc non eſſet uocum in particula-
ri,neq; illæ colorum in particulari:non ergo omnis generis ſenſus eſſet unus,& ſcien
tia una:quod quidem eſt textus Ariſtotelis euertere. Neceſſitas igitur cogit ut aſſe-
ramus, ſenſum unum eſſe omnis generis illius quod attinet ad ipſum, & ſcientiam u-
nam eſſe omnis generis illius circa quod uerſatur. Nihil ergo reperietur illius gene-
ris, quod non conſideretur ab illa ſcientia, ſed ſpecies illius generis continentur ſub
illo generè: ergo neceſſe eſt ut illa ſcientia contempletur illas ſpecies ex natura ſua
propria,ut probatum eſt:alioquin non contemplaretur omne illud genus: ſicut non
contemplatur omne animal, qui non contemplatur hominem quatenus homo eſt,
& aſinum quatenus eſt aſinus. qui enim dicit Omne animal currere, dicit hominem
Prior. aſinum,& ſingulas animalis ſpecies currere,ut habetur ex primo Priorum. quo in lo
co diſſoluẽs Ariſtoteles hoc ſophiſma,Ariſtomenes intelligibilis ſemper eſt,Ariſto-
menes eſt Ariſtomenes intelligibilis, ergo Ariſtomenes ſemper eſt (cuius quidem
ſophiſmatis concluſio eſt falſa,propoſitiones tamen ueræ)reſpondet(ut diximus in
Apologia noſtra) Quòd ſi addamus ſignum uniuerſale primæ propoſitioni, dicen-
tes,Omnis Ariſtomenes intelligibilis ſemper eſt,ſequetur cõcluſio, Sed prima pro-
poſitio

poſitio erit falſa, quia ſenſus eſt, quòd ille Ariſtomenes intelligibilis ſemper ſit: quod
quidem falſum eſt, quia corruptibilis eſt. Oportet igitur, ſi conſideret ſcientia omne
illud genus, non genus tantùm, ut cõſideret neceſſariò omnes ſpecies illius generis
in particulari: alioquin non cõſideraret omne illud genus. quia dicere omne genus,
nihil aliud eſt quàm dicere omnes eius ſpecies.

Si ergo textus citatus ita intelligatur, quemadmodum nos probaſſe exiſtimamus:
neceſſitas cogit, ut tex. 6. Quapropter, &c. intelligatur, quòd ſpecies entis, & ſpecie-
rum ſpecies, in particulari conſiderentur in ſcientia entis. Probatur conſequentia:
quia concluſio eo modo eſt intelligenda, quo modo intelliguntur propoſitiones, ex
quibus deducitur, ut patet etiam ex Ariſtotele. Sed propoſitio ex qua deducitur, in- 1.Poſt.1.
telligitur de omnibus unius alicuius generis ſpeciebus, & de ſpecierum ſpeciebus in
particulari: ergo & concluſio eſt intelligenda de omnibus illius generis ſpeciebus,
& de ſpecierum ſpeciebus in particulari. Ergo Ariſtoteles uoluit eo loco omnes ſpe- 4.Meta.tex.6.
cies entis, & ſpecierũ ſpecies in particulari, attinere ad ſcientiam de ente, ex propria
ipſarum natura, non quatenus ſolùm continentur in natura generis, quia de illo non
poteſt eſſe dubium.

Item colligi poſſe uidetur inducendo textus qui præcedunt, hoc modo: Dixerat
Ariſtoteles in principio quarti Primæ philoſophię, eſſe quandam ſcientiam quæ id
quod eſt, ea ratione qua eſt ens, & ea quæ huic inſunt, per ſe cõtemplaretur: & quòd ‘‘
talis ſcientia non erat aliqua earum quæ ſcientiæ particulares dicũtur, quoniam nul- ‘‘
la cæterarum id quod eſt, quatenus eſt ens, conſiderat: ſed partem quæque aliquam ‘‘
accipiens, id quod accidit de hac contemplatur. Et tandem concluſerat, quod ipſius ‘‘
entis, ea ratione qua eſt ens, primæ cauſæ erant ſumendæ. Cum igitur aſſeruiſſet,
ens eſſe unum circa quod uerſaretur quædam ſcientia, aliquis dubitatione oblata, po
tuiſſet quærere, nũquid eſſet uniuocum, an æquiuocũ. et ſi eſſet æquiuocum, caſu'ne,
an ab uno, an ad unum, an ſecundum analogiam: tot enim modis dici æquiuoca, de-
claratũ eſt in 2 huius 4. Meta. & in 1. Ethic. 7. Vt igitur tolleret Ariſtoteles hanc quę- 4.Meta.tex.2.
ſtionem, oſtendit ens non dici uniuocè, ſed multipliciter: & quia omnia æquiuoca di 1.Ethic.7.
cuntur multipliciter, addidit quod erat ex eis quæ dicuntur multipliciter ad unam
quandam naturam, non analogicè, neq; æquiuocè, id eſt à caſu: quæ appellauit æqui
uoca: quoniam hæc quæ ita dicuntur à caſu, ſunt propriè æquiuoca. quia non habent
niſi tantùm nomen commune. Cætera uerò æquiuoca, etſi non habeant naturã ſub-
ſtantialem communem ex parte rei, habent tamen naturam quandã accidentalem.

Et quoniam potuiſſet aliquis dicere, iſta quæ ſic multipliciter dicuntur, non poſſe
pertinere ad unam ſcientiam, propterea quòd non dicuntur per unam naturam: id
eſt, non dicuntur habere unam naturam ſubſtãtialem, ſicut uniuoca: ut hanc difficul-
tatem remoueret, ſubiunxit, quòd attinent ad unam ſcientiam, licet non habeant u- 4.Meta.tex.9.
nam naturam ſubſtantialem: quia non ſolùm eorum quæ per unam naturam dicun-
tur, una ſcientia eſt: uerùm etiam eorum quæ dicuntur ad unam naturã, quandoqui-
dem & hæc una ratione quodammodo dici uidẽtur. Cum igitur ſcientia ſit circa illa
etiam quæ dicuntur quodãmodo una ratione, & ens ex talibus ſit: Patet (inquit Ari
ſtoteles) unius etiam eſſe ſcientiæ, ea quæ ſunt, ut entia ſunt, contemplari.

Deinde quoniam iſta dicuntur multipliciter, cum poſſet quæri nunquid ſcientia
talis ſit omnium illorum eodem modo: reſpondet eſſe propriè primi, ex quo cætera Ibid.tex.4.
pendent, & propter quod cætera dicuntur: & ſi hoc ſit ſubſtantia, oportere philoſo-
phum habere principia ſubſtantiarum, & cauſas.

Quia uerò ex dictis in primo textu potuiſſet opinari quiſpiam, plures eſſe ſcien-
tias ex ratione & natura rerum, non ex cõmoditate diſcendi: dixerat enim, ſcientias
particulares conſiderare partes entis, & non ens ipſum uniuerſale, quod erat abſur-
dum: ſiquidẽ (ut alibi dixit) Vna ſcientia eſt unius generis, partes & paſſiones illius 1.Poſt.i
generis conſiderãs. unde ſequitur, ut ex ratione & natura rerũ non ſit niſi una ſcien- ‘‘
tia in genere, ad quam omnia quæ dicta ſunt pertineant: habent enim omnia inter ſe
rationem generis & ſpecierum. Idcirco ut erroris cauſam tolleret, addidit: Omnis au ‘‘
tem generis unius ſenſus eſt unus, atq; ſcientia: ut Grammatica, quæ eſt una, contem ‘‘
platur omnes uoces.

Deinde intulit: Quapropter eſt eius q̃d eſt, ut eſt ens, quæcũq; ſunt ſpecies, unius ‘‘

„ eſt ſcientię genere,& ſpecierum ſpecies contemplari. Ex quo colligitur,rationem
exigere ac poſtulare, ut omnes res attineant ad unam ſcientiam genere. habēt enim
eam inter ſe rationem quam diximus: qua non poſſumus ſeiungere ſpecies alicuius
generis à contemplatione illius facultatis, quæ illud genus omnino contemplatur:
neq; aliquas ipſarum ſpecierum, quandoquidem nō ſit maior ratio, quare hæ ſpecies
ſeiungi poſsint à genere, quàm illæ: ſunt enim omnes eiuſdem ex hac parte rationis.
tex.5.&6. Hæc uerò noſtra uerborum Ariſtotelis explicatio uidetur cōfirmari poſſe ex eo,
quia niſi uellet Ariſtoteles eam quam diximus tacitam hominum cogitationē remo
uere, non cohærerent quæ dicit cum præcedentibus: quādoquidem non ſequantur
ex illis, neq; declarent ipſa ſi bene perpendantur pręcedentia. Quod colligitur ex eo
4.Meta.tex.5. quod ait: Omnis autem generis unius ſenſus eſt unus, atq; ſcientia. Quod deſignat,
ut diximus, omnium rerū particularium, quæ ſub aliquo genere cōtinentur, eſſe unū
ſenſum & unam ſciētiam. Hoc uerò nihil facit ad id quod paulo antè dixerat. Quòd
Ibid.tex.4. ſi hoc eſt ſubſtātia, ipſum philoſophū principia ſubſtātiarū, cauſasq; habere oportet.
Ibid.tex.7. Deinde quæſtione illa remota, reuertitur Ariſtoteles ad ipſum ens quod propo-
„ ſuerat, & inquit: Atq; id quod eſt, ac unum ipſum, idē ſunt ex eo atq; una natura, quia
„ mutuò ſe conſequuntur, &c. Ex uerbis igitur Ariſtotelis quæ attulimus, ſequi pu-
tamus, id quod ratione prius nos demonſtraſſe arbitramur, ut ex ueritate & ex na-
tura ipſarum rerum ſit una tantū ſcientia genere: quod ipſum eſt quod nobis propo-
ſueramus oſtendere. Quòd ſi uerba Ariſtotelis non uideantur alicui hoc apertè ſi-
gnificare, erimus contenti ratione dicta, quæ eſt ita firma (meo iudicio) ut nullum
relinquat de hac re dubitādi locum. Sed tamen nihil uidemus quod prohibeat, quin
uerba Ariſtotelis eam habeant, quam diximus, ſententiam.

Sed ſtatim quærat quiſpiam, quomodo nuncupabitur iſta ſcientia? & quod'nam erit eius ſubiectum, quod conſiderabit? non enim poterit res mathematicas conſiderare, quippe quæ non continentur ſub ipſa ſubſtantia. Huic quæſtioni reſpondemus, hanc ſcientiam appellari debere Philoſophiam, non primam: quia prima dicitur ratione ſecundæ, eiusq; ſubiectum eſſe ens, quod eſt ueluti genus omnium rerum: & ab ipſa conſiderari omnes ſubſtantias, & ſubſtantiarum accidentia, & pariter quantitatem abſtractam à materia, eadē ratione uſq; ad ſpecies ſpecialiſſimas quantitatum. etenim quæ ratio probat quantitatem, quæ eſt unū ex decem prædicamentis, attinere ad ſcientiam entis, quia eſt ſpecies entis: eadem eſt idonea ad probandū, quantitatem continuā & diſcretam, quę ſunt ſpecies quantitatis, attinere ad eandem facultatem, ad quam attinet quantitas, quæ eſt earum genus. nulla enim conſpicitur maior ratio unius q; alterius, ſi bene res conſideretur. Et hoc modo ſequitur deſcendendo uſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas quantitatum: ex quibus apertè efficitur, omnes res ex ui naturæ ſuæ attinere ad unam ſcientiam genere. Et quod dictum eſt de quantitate, idem dici oportet de reliquis prædicamētis: ſunt enim omnia ſpecies entis, eo modo quo ens habet ſpecies: quandoquidem nihil referat ad id de quo agimus, utrū
Ibid.tex.20. ſint ueræ ſpecies, an ſecus: cum omnes tam ueræ ſpecies, quàm non ueræ, ſint eiuſdē ſcientiæ, ut ex eis quæ citata ſunt perſpicuum fuit. Sed cum ipſa quantitas intellectu abſtrahi poſsit à materia (caret enim ſubiecto proprio) cui quantitati inſunt accidentia propria, quatenus eſt quantitas, præter ſpecies illius: uidetur nō futurū fuiſſe fortaſſis à ratione alienum, ut euitaretur confuſio, quam poſſet afferre una illa ſcientia, ſi redigerētur omnes res ad duas ſcientias, quarum una diceretur ſcientia de ſubſtantia, altera de quantitate.

SECTIO SEPTIMA.

CAeterùm quia diuiſio hęc rerū in duas omnino ſcientias nimium uidebatur generalis, & per id quod neceſſariò ſequitur, magis cōfuſa, exiſtimauit opinor Ariſtoteles, res omnes eſſe diſtribuendas in tres ſcientias, nō ex ui quidē rationis, & ex natura ipſarū rerum (quandoquidē hoc fieri nō poſſit, ut demonſtratū eſt) ſed ſolùm ob commoditatē tractandi res, & ſpeculandi: ſimiliter enim ſe habet, ac de agricola, qui multo melius ampli alicuius agri partem aliquā mediocrē colit, q; totum, uel maximā partē, in eaq; excolenda minus laborat ac defatigatur, & facilius finē ſuum aſſequitur. Diſtribuit igitur Ariſtoteles res omnes in tres partes: quarum prima complexa eſt ens, & decē prædicamenta, & ſubſtātiam incorruptibilē & corruptibilem.

Altera,

Altera,cœlum,& quatuor elementa,& mixta,uſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas cum ſuis accidentibus. Tertia,quantitatem diſcretam & continuam: idq; contingit quantitati, non qualitati, ob cauſam dictam: redigendæ tamen ſunt quantitates eo modo, quo ſubſtantiæ.

Et ex hac rerum diuiſione conſtituit tres ſcientias: quarum,quæ Ens,& decē prædicamenta,& ſubſtātiam incorruptibilem & corruptibilem, quatenus hæ tales ſunt, ſpeculabatur,nuncupauit Primam philoſophiam: quam & in locis citatis,& in multis alijs(quos longum eſſet recenſere)dixit contemplari ens,quatenus ens,& decem prædicamenta: & oſtendit etiam contemplari ſubſtātiam incorruptibilem & corruptibilem, quatenus tales ſunt. inueſtigat enim earum cauſas, ut ſunt tales. Alteram uerò, quæ contemplabatur corpora cœleſtia, & quatuor elementa,& mixta, uſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas cum ſuis accidentibus, uocauit Philoſophiam naturalem: ſicut declarat ipſe,ubi agit de corporibus cœleſtibus, ut talia ſunt,& de elementis,ut ſunt *1.Cœli tex.1.* talia. Tertiam,quæ conſiderabat quantitates & cōtinuas & diſcretas,generali quodam nomine uocauit Mathematicā: quæ diuiſio ex multis Ariſtotelis dictis colligit̄.

Sed quoniam quantitas eo ipſo quod quantitas eſt,unum eſt ex decem prædicamentis,quæ attinent(ut dictum eſt)ad Primam philoſophiam,ſuasq; habet proprietates, quatenus eſt quātitas, ſeparatas à proprietatibus quas eadem habet quatenus eſt diſcreta & continua: ſicut ſubſtantia habet alias proprietates quatenus eſt ſubſtātia, alias quatenus eſt corruptibilis & incorruptibilis: cogimur dicere, quòd ipſa ut talis,attinet ad Primæ philoſophię conſideratione̅,non ſolùm ut terminus illius ſubſtantiæ quam Prima philoſophia contemplatur(quæ eſt ſubſtantia cōpoſita eo modo quo dicemus)uerùm etiam ut talis. Etenim,ut diximus,eſt unum prędicamentū, & una entis ſpecies: & propterea in prædicamentis quantitatis fuerunt declaratæ proprietates eius, ut quòd ſecundum ipſam dicimur æquales & inæquales. quæ declaratio,ut multis in locis oſtendit Ariſtoteles,attinet ad Primam philoſophiam.

Hanc trium ſcientiarum diuiſionem reſpexit Ariſtoteles,cum dixit: Tres ſunt Phi *6.Meta. tex.1.* loſophiæ contemplatrices,Mathematica,Metaphyſica,& Philoſophia naturalis. Et *& 11.Meta.26.* accepit Mathematicam ex ea parte etiam, quatenus complectitur alias particulares quātitates,eo modo quo liber Phyſicorum habitus eſt pro philoſophia naturali. Ac *1.Poſt.* ſecundum hanc diuiſionem maiori ex parte loquutus eſt Ariſtoteles,& ſcientias di- *1.Ethic.* ſtinxit, licet ibi impropriè ſcientias acceperit, & in alijs infinitis locis: ſed in quibus ſignificauit ſolam eſſe unam ſcientiam, uel duas, uel plures quàm tres, uoluit indicare, diuiſionem rerum in tres ſcientias fuiſſe factam ob maiorem commoditatē: quippe quæ non eſſet neq; nimium generalis diuiſio, neq; nimium particularis. Videtur enim medium tenere, ob rationes dictas,ut uidelicet euitaretur confuſio.

FINIS LIBRI DECIMITERTII EVERSIOnis *Singularis certaminis.*

LIBER DECIMVSQVARTVS.

SECTIO PRIMA.

HIs explicatis,antequam ad alia proficiſcamur,non erit alienum à propoſito noſtro, quæſtiones quaſdā in medium afferre. Diceret ergo aliquis: Tu feciſti arborē in ſuperiori libro, qua diſtribuiſti ens in ſubſtantiam, & quantitatem,& qualitatem,& in cætera decem prædicamenta: & ſubſtantiam etiam in ſuas ſpecies,& ſpecierum ſpecies,uſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas. & tu dixiſti,uerba Ariſtotelis,& etiam rationem exigere, ut ſit tantùm una ſcientia genere, propterea quòd omnes illæ res dictę habebant inter ſe generum & ſpecierū ordinē, ſeu rationem: plures tamen ſcientias ab Ariſtotele poſitas fuiſſe,propter cōmoditatem noſtram. His autem ita poſitis,idem uidetur ſequi de eis facultatibus quæ docēt conficere orationes, ut ſit uidelicet ipſarum orationum ars una in genere, & non plures artes: propterea quòd omnes orationes ſunt ſub oratione generali,tanquam ſpecies ſub ſuo genere, & inter ſe habent rationem generum & ſpecierum. Eadem ergo erit in orationibus cauſa unitatis artis, quæ in rebus unitatis ſcientiæ.

Et ut

Et ut cognoſcatur ita eſſe, conficiamus etiam arborem ex ipſis orationibus: unde facile erit intelligentia conſequi, idem ſequi in artibus quæ docent conficere orationes, quod ſequebatur in ſcientijs quæ docent ſcire res: & tunc, ſicut poſita eſt una ſcientia genere, ita erit etiam una ars genere. Arbor ergo ipſarum orationum huiuſmodi erit.

- ORATIO
  - Alia cum uerbo
    - Enunciatiua
      - Vna
        - Per ſe una
          - Affirmatio.
          - Negatio.
        - Cōiunctione una
          - Syllogiſmus categoricus
            - Demonſtratiuus.
            - Dialecticus, Rhetoricus, Poeticus.
          - Syllogiſmus hypotheticus.
      - Plures
        - In qua plura de pluribus.
        - Plura de uno.
        - Vnum de pluribus.
        - Plura inconiunctè.
    - Imperatiua
    - Optatiua
    - Subiunctiua
    - Infinitiua.
  - Alia ſine uerbo ſignificans
    - Vnum: ut Definitio
    - Plura: ut homo, aſinus, muſicus. — In qua licet ſit uerbum, intelligitur tamen perinde ac ſi non eſſet, ponitur enim in ea per modum explicationis, & ſecundum noſtrum intelligendi modum: alioquin eſſet propoſitio. Sed de hac re in ſuperioribus loquimur.

Cum

Cum ergo perſpicuum ſit ex hac arbore, omnes orationes eſſe ſub oratione generali, tanquam ſpecies ſub genere, omnesque orationes inter ſe habere ordinẽ ſiue rationẽ generum uel ſpecierum: neceſsitas cogit ob rationes dictas, quibus probaſti unã tantùm eſſe ſcientiã genere, ut facultates omnes quę docent conficere orationes dictas, attineant ad unam artem genere. et cum non poſsint attinere niſi ad eam, ad quã attinet ars illa quæ docet conficere orationem, quæ ars Logica, ἐκ τοῦ λόγου (omnes enĩ aliæ ſunt de oratione, ſicut ipſa Logica) neceſſe eſt ut reliquæ itẽ facultates quæ docent conficere cęteras ſpecies orationum, dicantur Logicæ, ſpecies enim omnes attinent ad eandem facultatem, ad quam attinet genus ipſarũ, & una aliqua earum. Eadem enim eſt ratio omnium ſpecierum eiuſdem generis. Sed conſequens manifeſtè à ſententia Ariſtotelis, & à ueritate abhorret: ergo & id unde emanat.

Quòd autem conſequens ſit falſum, & contra ſententiam Ariſtotelis, ex eo perſpici poteſt, quòd Grammatica, quæ docet conficere orationem congruam, nõ dicitur Logica: neque pars illa Rhetoricæ quæ docet cõficere enthymemata & exempla, quę ſunt orationes, aut illa quæ docet cõficere elocutiones, & ordinare partes orationis, eſt Logica, ſed Rhetorica: neque ars Poetica, neque Hiſtrionica, neque Metrica, quæ omnes docent conficere orationes, eſt Logica: neque ulla reliquarum facultatũ, quæ docent cõficere & regulare orationes: ſimiliter etiam neque illa pars Dialecticæ quæ docet conficere ſyllogiſmos dialecticos, & inductiones, aut illa quæ docet interrogationes & reſponſiones, Logica eſt, ſed Dialectica. dictæ enim facultates non ſunt eiuſdem artis genere, ſiquidem omnes tanquam ſub genere diuerſo poſuit Ariſtoteles, ut ex libris ipſius perſpicuum eſt. Ergo in dubium uenire non poteſt, quin & à ueritate & ab Ariſtotelis ſententia abhorreat quod dixiſti, omnes uidelicet res eſſe unius ſcientiæ, propterea quòd inter ſe ſpecierum & generũ rationem habeant: quia artes quæ docent conficere orationes, quæ talem & ipſæ inter ſe ordinem habent, non ſunt unius artis genere, cum tamen eadem ſit ratio.

Item diceret aliquis, Si omnes orationes eſſent eiuſdem artis genere, ea quæ dixiſti in eo exordio Inſtitutionis tuæ in Logicam facultatem de eius ſubiecto, à ueritate abhorrerent. dixiſti enim, in Logica facultate orationem ſimpliciter non poſſe eſſe ſubiectum: quia ipſa non propter ſe, ſed ob definitionem & demonſtrationem, & cæteros ſyllogiſmos conſideratur, ſed eſſe modum cognoſcendi: non ergo fieri poterit, ut omnium orationum ſit una facultas genere quæ dicatur Logica.

SECTIO SECVNDA.

ITa poſſet aliquis inſtare contra ea quæ de unitate ſcientiæ diximus. Sed quoniam arbitramur nos uerè & ex Ariſtotelis ſententia loquutos eſſe, faciendum nobis uidetur, ut ad diſſolutionem quæſtionum propoſitarũ ueniamus. Atque ut facilius hęc res quæ maximam uidetur ambiguitatem hominibus afferre poſſe, intelligatur, & etiam ut multa alia declaremus, quæ & eis quæ diximus, & Ariſtotelis doctrinæ lucem allatura eſſe putamus: hinc incipiemus, dicẽtes quòd uniuerſa arbor orationum poſita, ſimpliciter & abſolutè conſiderata à principio uſque ad finem, attinet ad primã philoſophiã, propterea quòd omnia ea quę illa ipſa arbor cõplectitur, ſunt affectiones entis, quatenus ens eſt. Vniuerſis enim quæ ſunt (ut inquit Ariſtoteles 4. Meta. 4.Meta.tex.21
tex.21.) ut non generi cuipiam accommodatur. In ordine uerò ad opus attinet ad artem unã genere: quia facultas quæ docet conficere orationes dictas, eſt factiua: poſt enim illius operationẽ remanet aliquid in re: etenim remanẽt orationes factæ. Quareuerum erit dicere, unam eſſe ſcientiam quæ ſpeculatur omnes orationes ſimpliciter, & unam eſſe artem genere quæ docet conficere omnes orationes. Sunt enim omnes orationes eiuſdem generis, quia omnes ſunt ſub oratione generali: ſicut omnes res ſunt ſub ente, quod ens omnia quæ ſunt complexu ſuo continet & cohibet. eandemque habent orationes inter ſe rationem, quam diximus habere res poſitas in arbore dicta ipſius entis. Quare concedimus, argumentum concludere, ita eſſe de orationib. quòd uidelicet ſint omnes ſub una arte genere: ſicut diximus de reb. ipſis, quas poſuimus ſub una ſcientia genere. & cõcedimus, cæteras partes quæ docẽt cõficere orationes. poſſe dici Logicas eadẽ omnino ratione, qua illa pars quę docet cõficere inſtrumẽta cognoſcẽdi, dicitur Logica. Cũ uerò dicebatur, hoc manifeſtè abhorrere à ſententia Ariſtotelis, hoc eſt quod non damus; imò planè aſſerimus conuenire eius ſen-

eius ſententiæ, ſicut oſtendunt rationes allatæ. Ad probationem autem cum dice batur, neque Grammaticam, neque eas partes Rhetoricæ quæ docent ea quæ pertinent ad orationem, neque illam partem Dialecticæ quę docet conficere ſyllogiſmum dialecticum & interrogationes & reſponſiones, neque artem Poeticam, neque Hiſtrionicã, neque Metricã, ac denique nullã facultatẽ quæ docet ex arte conficere orationes, poſſe dici Logicã, ſicut dicitur facultas illa quæ docet conficere inſtrumenta cognoſcendi. Hæc uerò maximè negamus: & dicimus, omnes dictas facultates rectè uocari poſſe Logicas, quia docent conficere orationes. Illa tamen facultas quæ docet conficere inſtrumenta cognoſcendi, quæ continet libros Perihermenias, libros Priorum, & libros Poſteriorum, conſequuta eſt apud interpretes nomen generale Logicæ, non apud Ariſtotelem, ut ſæpe diximus, fortaſſe ob eius præſtantiam: diuiſa autem fuit facultas ipſa generalis, cuius erat docere conficere omnes orationes tanquam in partes quaſdam: in Grammaticam, in Logicam, & in reliquas facultates dictas, propter noſtram commoditatem, & noſtrum cognoſcendi modum, quatenus in ipſa oratione conficienda poteramus errare. Quot igitur errores diuerſi poterant contingere in efficiendis orationibus, tot fuerunt inuentæ facultates quæ docerent rectè conficere has orationes. Et quia in oratione poteramus errare in congruitate, ideo inuenta fuit facultas quæ doceret congruè loqui: quæ ut ſeiungentur à cæteris, quæ docet conficere orationem, ſed non quatenus eſt congrua, fuit nominata Grammatica. Poteramus etiam errare in oratione conficienda, quatenus concludit neceſſariò, & quatenus facit ſcire & opinari: ob id inuenta fuit illa facultas, quę docet conficere inſtrumenta cognoſcendi: quam facultatem propter præſtantiam ipſius inter cæteras partes eiuſdem generis (etenim cæteræ ad hanc ipſam ordinatæ ſunt) fortaſſe interpretes Ariſtotelis uocauerunt nomine generis, ſicut multis in locis factum fuiſſe ab ipſo Ariſtotele ſæpe declarauimus. In eadẽ etiam oratione poteramus errare quatenus eſt iucunda uel triſtis, quatenus eſt interrogatiua & reſponſiua, quatenus narrat aliquid, quatenus eſt procemium, epilogus, & huiuſmodi: ob hanc cauſam fuit inuenta facultas illa, quæ dicta eſt Hiſtrionica. Et quia in eadem poteramus errare, quatenus aliqua oratio habet numeros, uel non habet: ideo fuit inuenta ars Metrica, & ita de alijs ex proportione.

In dubium igitur uenire non poſſumus, quin omnes facultates quæ docent conficere orationes, neceſſariò dicantur Logicæ: ſicut facultas dicta, quę docet conficere inſtrumenta cognoſcendi: ſunt enim omnes eiuſdem generis ſpecies, & habent eandem proportionem. Quòd ſi conſequutæ ſunt nomina diuerſa, hoc factum fuit ob noſtram commoditatem, ut diximus, ne confunderemur. ſicut accidit ſcientijs, quæ diuiſæ fuerunt in tres, licet ex ueritate ſit tantùm una. Eadem omnino eſt ratio.

Concedimus ergo, reſpondentes ad argumentum, omnes dictas facultates dici Logicas, & Grammaticam eſſe Logicam: conſequutam tamen eſſe nomen proprium, præter commune, ob cauſas dictas: & ita de reliquis facultatibus dictis. Etenim uerum eſt, ſpecies attinere ad eandem ſcientiam, ad quam attinet genus: negamus tamen, conſequens abhorrere à ſententia Ariſtotelis. Et ad probationem dicimus, falſum eſſe, Grammaticam nõ dici Logicam, licet dicatur etiam Grammatica nomine proprio, ut ſeiungeretur à reliquis ſpeciebus generalis Logicæ facultatis. Negamus etiam partem illam Rhetoricę quæ docet conficere enthymemata & exẽpla, non eſſe partem Logicæ: quia ſicut illa pars quæ docet conficere demonſtrationes, dicitur Logica: ita etiam pars illa quæ docet conficere enthymemata & exẽpla, eadem ratione dicetur Logica. ſunt enim ſpecies orationis, ſicut eſt demonſtratio. Idem etiam dicendum eſt de ea parte Dialecticæ, quæ docet conficere ſyllogiſmum dialecticũ & inductionem. Quòd ſi dicantur partes Dialecticæ & Rhetoricæ, ideo dicuntur, quia ſeruiunt ipſi Rhetoricæ & Dialecticæ.

Rhetorica uerò & Dialectica, dum pertractant de iſtis, dicuntur induere perſonã
1.Rhet.2. ipſius Logicæ: ſicut dixit Ariſtoteles 1.Rhet. ipſam Rhetoricam, dum agit de affectibus, induere ueſtem Politices, quam tamen partem nuncupauit Rhetoricã. Etenim
1.Rhet.4. dixit Rhetoricam eſſe compoſitam ex reſolutiua ſcientia, & ex ea ciuili quæ eſt de motibus: quem locum ſæpe iam citauimus, ob uarias occaſiones. Quare nihil abſurdi ex ſententia noſtra ſequi uidetur, quod opinionem Ariſtotelis euertat.

Negamus etiam illã partẽ Rhetoricæ quę docet conficere elocutiones & procœmia,& narrationes & reſponſiones,& illam partem Dialecticæ quæ docet inrerrogare & reſpondere,non eſſe partem Logicę.docent enim dirigere orationes.

Idemq́ omnino dicimus de arte Hiſtrionica,& Metrica,& breuiter de omnibus illis facultatibus quæ docent ex arte conficere orationem: cadem enim eſt ratio de omnibus,quæ eſt de illa parte quæ docet conficere inſtrumenta cognoſcendi.

Falſum item eſt,quòd non ſint eiuſdem artis genere:& falſum eſt eriam, Ariſtotelẽ poſuiſſe omnes has facultates, tamq́ ſub genere diuerſo, quia poſuir omnes ſub oratione:poſuit tamẽ ipſas ſicut ſpecies aliquo modo diuerſas inter ſe.ſicut illa pars philoſophiæ quæ loquitur de homine, uidetur ſpecie differre aliquo modo ab illa quæ uerba facit de equo, quia homo & equus differunt ſpecie: continetur tamen utraque ſub nomine generali Philoſophiæ.Quare ſequitur, uerum eſſe quod diximus,omnes uidelicet res, propterea quod habenr inrer ſe rationẽ generum & ſpecierum, ad unam attinere ſcientiam genere, & nihil abſurdi ex hac poſitione ſequi apparet.

SECTIO TERTIA.

SEd adhuc aliquis dubitaret, quærens an ex Ariſtotele poſſit colligi, quòd illa pars Rhetoricæ, quæ docet conficere enthymemata & exempla, elocutiones, procœmia,narrationes,interrogationes & reſponſiones, non ſit uerè pars Rhetoricæ,& ita Dialecticæ,ſicur aſſeruimus?

Huic quæſtioni reſpõdemus,perſpicuè hoc haberi ex Ariſtotele.Ac de ipſis quidem enthymematibus & exemplis, habetur & ex fine ſecundi libri Priorum, & ex rationibus dictis:ſunt enim ſpecies ſyllogiſmi, uel modi cognoſcendi,ſicut demonſtratio. Quemadmodum ergo facultas illa quæ docet cõficere demonſtrationem, attinet ad Logicam:in dubium uenire non poteſt,quin item facultas illa quę docet conficere enthymemata & exempla,ſit per ſe ipſius Logicę.eadẽ enim eſt omnino ratio,ut diximus: quare ſi ſunt Dialectica & Rhetorica, quæ ſunt facultares ſpecie diſtinctæ ab ipſa Logica, neceſſitas cogit ut Rhetorica & Dialectica induãt (quatenus ad illam partem attinet) perſonam ipſius Logicæ.non enim fieri poteſt,ut ea quæ per ſe attinent ad unam facultatem,quatenus ad illam attinent, poſſint pertinere ad aliam facultatem.non enim licet deſcendere de genere in genus. Quare ſi tractentur in alia facultate, opus eſt ut hæc facultas induar perſonam illius facultatis, ad quam per ſe attinẽt.Sicut accidit etiam Rhetoricæ,quod artiner ad affectiones, de quibus agit,quæ tractantur in Rhetorica cum eadem ratione, cum qua in Politica.Ideo protulit (ut dicimus) Ariſtoteles,Rhetoricam uerba facientem de ipſis, induere ueſtem politicæ. Sic igitur, cum regulæ conficiendi enthymemata & exempla ſint in Rhetorica, cum eadem oratione, id eſt in ordine ad opus, cum qua ſunt in Logica:neceſſe eſt ut Rhetorica ſermonem habens de iſtis, induat ueſtem ipſius Logicæ,ad quam per ſe attinent regulæ conficiendi illa inſtrumenta.Quod non accidit Medicinæ in comparatione ad philoſophiam naturalem, neq́ alijs facultatibus,ſubalternatis,in comparatione ad ſubalternantes:quoniam ea quæ accipiunt à ſubalternanribus,non ſunt in ipſis cum eadem ratione,cum qua ſunt in ſubalternantibus:propterea quòd in ſubalternantibus conſiderãtur ſimpliciter, & per ſe ut ſciantur,& cognoſcantur:In ſubalternatis uerò, in ordine ad opus, qui ordo ad opus facit candem rem ſpecie differre à ſe ipſa, cum conſideretur propter ipſum ſcire. Quare magis intereſt inter facultates ſubalternatas & ſubalternantes, quàm inter ſcientias inter ſe. Vnde magis diſtat Medicina à philoſophia naturali, quàm philoſophia naturalis à Mathematica:propterea quòd Medicina differt forma à philoſophia naturali, philoſophia uerò naturalis differt à Mathematica tantum materia. habenr enim eundem finem,ergo eandem formam,ut ſępe declarauimus.Quare licet Medicina conſideret ea quæ ſunt in philoſophia, non tamen dicitur proprie induere ueſtem philoſophiæ naturalis:quia non eſt cadem res omnino, etenim nõ habet eandem formam. Imò res conſiderata in ordine ad opus, eſt tanquam cadauer rei conſideratæ ſimpliciter, ur diximus in ſuperioribus. Sed facultas aliqua dicitur induere ueſtem alterius facultatis, cum ab ca accipit aliqua ſub eadem ratione, cum qua conſiderantur ab illa,id eſt ſub eadem forma. Perſpicuum igitur eſt, ex Ari-

ſtorele colligi, partem illam Rhetoricæ, quæ docet cõficere enthymemata & exempla, nõ eſſe partem Rhetoricæ: ſed ſolum eſſe poſitam in Rhetorica, ut ſeruiret ipſi: & ita Rhetoricam induere, quatenus ad illam partẽ attinet, ueſtem Logicæ facultatis. Statuimus enim hic, Rhetoricã & Dialecticam nõ eſſe Logicam: quod quidem ex ſe perſpicuum eſt, & ex eis quæ multis in locis declarauimus.

Idq́ præter cætera, maximè declarat definitio ipſius Rhetoricæ, quæ dicitur eſſe facultas perſpiciendi probabilia, quæ ſunt in unaquaq; re. Sequit̃ enim ut non poſſit tradere regulas conficiendi aliquod inſtrumentum, quippe quæ non ſunt ex probabilibus in unaquaque re: ſunt enim neceſſariæ, & determinati generis, ut alibi fuſius diximus.

SECTIO QVARTA.

QVod uerò attinet ad elocutiones, & ad reliqua de quibus egit Ariſtoteles in tertio lib. Rhetoric. dicimus, nihil eorum attinere propriè ad Rhetoricã, ſed tamen tractari in Rhetorica: ſicut etiam affectus, qui propriè ad ipſam non pertinerent, ſed ad Politicam, ut ſuprà diximus, quia magis ſeruiebãt ipſi Rhetoricæ, quàm alijs facultatibus. quare Rhetorica ſermonem habens de illis, dicitur ueſtem induere illius facultatis, ad quam illa propriè attinent, quæ quidem facultas nomine generali nuncupari debet Logica. Omnis enim ille ſermo docet conficere & dirigere orationes, ſed nomine particulari. & dicitur attinere ad artem Hiſtrionicam, quia hiſtrionum eſt magis, quàm alterius cuiuſquam artificis, quærere elocutiones ſuaues & iucundas, procœmia & narrationes, interrogationes & reſponſiones. Quàre hæc magis attribuuntur illi arti, quàm alijs: ipſa enim, quatenus ad hoc attinet, eſt architectonica.

Sed probemus, totam hanc partem, quæ continetur tertio libro Rhetoricorum, non eſſe propriè Rhetoricam. Dicimus igitur, hoc primum colligi ex definitio-
1. Rhet. ne Rhetoricæ iam dicta. deinde ex Ariſtotele, ubi inquit: Quicunq; igitur ſermonũ
cap. 1. artes uſq; ad præſens tempus compoſuerunt, paruam ipſius particulam effecerunt:
» quia perſuaſiones ſunt ſolum artificiales, alia autem ſunt additiones. Omne enim quod eſt in Rhetorica, aut eſt perſuaſio, aut additio, ex uerbis Ariſtotelis. Sed elocutiones, procœmia, & narrationes, & huiuſmodi, non ſunt perſuaſiones propriè, & ſunt in Rhetorica: igitur ſunt additiones. Ergo non propriè attinent ad Rhetoricam, cuius finis eſt perſuadere: quia ſi propriè pertinerẽt, non eſſent additiones, ſed partes Rhetoricæ artificiales. Per ſe enim pertinerent ad finẽ ipſius Rhetoricæ.
1. Rhet. Quod aũt nõ ſint propriè perſuaſiones, perſpicuè habet̃ ex ipſo Ariſtotele, cum
cap. 1. dixit, enthymemata eſſe corpus perſuaſionis, & alia omnia extra rem.
» Item ubi ita ſeipſum reliquit: Eorum autem quibus demonſtramus, uel uidemur
» demonſtrare, ut in Dialecticis, aliud inductio eſt, aliud ſyllogiſmus. nam enthyme-
» ma quidem ſyllogiſmus rhetoricus, exemplum autem rhetoricum inductionem:
» omnes autem perſuaſiones faciunt demonſtrando, uel exempla dicẽtes, uel enthy-
» memata, & præter hæc aliquo modo nihil. Cum ergo hæc non ſint enthymemata, neq; exempla, neceſſitas cogit ut nõ ſint perſuaſiones. Etenim ſi eſſent perſuaſiones, falſum eſſet, omnes facere perſuaſiones, uel exẽpla dicentes, uel enthymemata.
3. Rhet. Hoc idem confirmat etiam, cum ait: Quoniam autem tria ſunt quæ oportet ela-
cap. 1. borare circa orationem: unum quidem, ex quibus perſuaſiones erũt: ſecundum, cir
» ca elocutionem: tertiũ, quoniam oportet ordinare partes orationis. Ex his enim ſequitur, illa quæ ſcribuntur in tertio libro Rhetoricorũ, non facere perſuaſionem: quia ſolum poſuit primã partem eſſe ea ex quibus erunt perſuaſiones, & de hac parte uerba fecit in primo & ſecundo libro. neceſſe igitur eſt, ſecundam & tertiam partem, quæ erant circa orationem, non eſſe de illis, ex quibus fierent perſuaſiones. & cũ de ijs duabus partibus agatur in tertio libro Rhetor. neceſſitas cogit, ut illa pars quæ continetur tertio libro Rhet. non ſit propriè Rhetorica.

SECTIO QVINTA.

1. Rhet. SEd ſtatim diceret aliquis, hoc euertere ſententiam Ariſtotelis: quippe qui in ſe
cap. 2. cundo cap. poſuit tria perſuaſionum genera, dicens: Harum igitur quæ ratione
» parantur perſuaſionum genera ſunt tria. nam alia ſunt in moribus eius qui dicit, alia

in auditore modo quodam afficiendo, alia in demonſtratione ipſa, cùm demonſtre "
mus, uel demonſtrare uideamur. "

Nam ſi mores dicentis perſuadent, & affectio iudicis, ergo nō tantum enthyme-
mata & exempla perſuadent, igitur Ariſtoteles ſibi ipſi repugnat, & eo quidem ma
gis, quod paulo pòſt ſubiungit: Nam probitas dicentis, non ut quidam eorum "
qui artes ſcripſerunt, nihil refert ad probandum, ſed ferè (ut breui abſoluam) præci- "
puam mores faciunt fidem. ſunt ergo & hæ partes artificiales.

Confirmatur idem ex ſecūdo Rhetor. cap. primo, quem locum citauimus etiam 2.Rhet.
in ſuperioribus ob aliam occaſionem, inquit enim: Vt igitur dicentes ipſi fide digni cap.1.
uideantur, tres cauſæ ſunt. tria enim ſunt, quæ præter demonſtrationem fidem faci- "
unt: Prudentia, Virtus, & Beneuolentia: Nam qui dicunt, aut conſulunt, uel pro- "
pter hæc omnia, uel propter aliquid horum fallunt. aut enim propter ſtulticiam nō "
rectè opinantur: aut rectè ſentientes, propter improbitatem non dicunt ut ſenti- "
unt. aut quamuis rectè ſentiant, uirtuoſiq; ſint, tamen cùm beneuoli non ſint, facile "
creduntur ſponte, non optimè conſulere. Hæc igitur ſunt quare fallunt, & præterea "
nihil. Quare neceſſe eſt, ſi quis omnia hæc uidetur habere, fide dignum eſſe apud "
audientes.

Perſpicuè igitur patet, alias eſſe perſuaſiones præter enthymemata & exempla,
quæ ſunt demonſtrationes Rhetoricæ: quare non uidetur ſequi ex auctoritate A-
riſtotelis allata, ea quę tractanẽ in tertio libro, non eſſe perſuaſiones: & per id quod
neceſſario ſequitur, eſſe additiones, quia ſola enthymemata & exempla ſint perſua-
ſiones, quandoquidem Ariſtoteles cum ſua ipſius ſententia apertè pugnaret.

Idem uidetur confirmare in eodem tertio Rhetoricorum, poſt uerba paulo an- 3.Rhet.
tè allata, cùm addidit: Ac de fide iam dictum eſt, ex quibus, & ex quot, quod ex tri- cap.1.
bus, & cur tot ſolum. nam aut quia ipſi qui iudicant, quodam modo affecti ſunt: aut "
quia quales quoſdam eos qui dicunt, arbitrantur: aut quia quod demonſtratum eſt, "
omnibus perſuadetur: Conſequens eſt dicere de eloquutione. Iis enim uerbis
planè ſignificat, alia eſſe quæ fidem faciunt præter enthymemata & exempla. ac li-
cet uideatur innuere etiam contrarium, cùm ait, Ac de fide iam dictum eſt, ex qui- "
bus, & quot, quòd ex tribus: Et deinde addidit, Conſequēs eſt dicere de eloquu- "
tione: quòd uidetur indicare, tradere præcepta eloquutionis nō eſſe docere perſua
ſiones, tamen hoc non facit, quin ſequatur quod diximus.

Quod item confirmatur ex eis quæ dixit tertio Rhet. cap. decimo tertio: Acci- 3.Rhet.
dit enim auferētes magnitudinem, partes neceſſarias orationis eſſe propoſitionem cap.13.
& demonſtrationem, hæc enim ſunt propria. plurimæ autem ſunt, Procemium, pro "
poſitio, demonſtratio, Epilogus. Nam quæ feruntur in aduerſarium, ſunt ipſarum "
perſuaſionum: Collatio autem eſt, amplificatio eorum quæ ſunt ipſius. Quare eſt "
aliqua pars perſuaſionum. "

Ex quibus uerbis ſequitur, eſſe aliquas partes perſuaſionis, præter exempla &
enthymemata: quia mouere iudicem in affectus contra aduerſarium, & amplifica-
re, dicit eſſe partes perſuaſionis, & tamen non ſunt neque enthymemata, neque ex-
empla.

Ad has difficultates dicerem, ſaluo ſemper meliori iudicio, quòd aliquid dici ar-
tificiale in Rhetorica, bifariam poteſt intelligi. Vno modo, ut per ſe faciat ad finem
illius artis: & hoc modo intellexit Ariſtoteles, cùm dixit primo Rhetoricorum, Fi 1.Rhet.
dem facere eſſe tantummodo artificioſum, & cætera accedere, & enthymemata eſ-
ſe corpus perſuaſionis: & cùm dixit, omnes fidem facere demonſtrando, uel exem-
pla dicēdo, uel enthymemata, & præter hæc penè nihil: Ac ſi omnino neceſſe eſt ſyl
logiſmo uel inductiones quodcunq; oſtendere, ut in Reſolutiuis expoſuit, neceſſa
rio alterum ipſorum alteri eſſe idem.

Secundo modo dicitur artificioſum, non quòd per ſe faciat ad artem, & ad finem
ipſius artis: ſed id quoq; quod à nobis poteſt excogitari, & hoc modo intellexir in
primo libro Rhet. cùm dixit: Perſuaſionum autem aliæ ſine arte, aliæ artificioſæ. ſi- 1.Rhet.
ne arte illas appello, quæ non à nobis excogitantur: ſed cùm extra ſunt aſſumuntur, cap.2.
ut teſtes, cruciatus, ſcripta. Artificioſas enim perſuaſiones nuncupauit eas, quæ ra- "
tione & uia à nobis excogitari poſſunt. Itaq; ipſarum alijs uti (inquit) oportet, alias

inuenire. & ſic diſſoluitur contradictio Ariſtotelis, quòd uidelicet eloquutiones & reliquæ partes dictæ ſunt artificioſæ, & nō ſunt artificioſæ. Non ſunt artificioſæ quidem, quia per ſe non attinent ad finem artis Rhetoricæ: ſunt autem artificioſæ, quia ratione & uia à nobis excogitari poſſunt. quæ duo inter ſe non pugnant.

Item aliquid facere fidem, bifariam intelligi uidetur apud Ariſtotelem. Vel quòd per ſe, & ex natura ſua, & uerè facit fidem. & hoc modo intellexit Ariſtoteles in omnibus locis, in quibus explicauit ſola enthymemata & exempla facere fidem, & reliqua eſſe additiones. Vel quòd efficit & diſponit auditores ad recipiendas demonſtrationes & ueritatem, ac facit dicentes apparere auditoribus quales quoſdam, ex ui ipſius orationis impellendo in affectus. Sed hoc non ſua eſt facere fidem per ſe, & ex natura ſua, ſed per accidens, & ratione auditorum: nihil enim ex ijs probant. Et hoc modo intellexit Ariſtoteles in omnibus locis, in quibus protulit mores dicentis, & affectus iudicis facere perſuaſionem. Et quod hæc non faciant per ſe perſuaſionem, præter ea quæ dicta ſunt, uidetur ipſe apertè oſtendere in principio ſecundi libri Rheto. ubi hæc ſcripta reliquit: Ex quibus quidem oportet & ſuadere & diſſuadere, & uituperare & laudare, & accuſare & defendere, & quales opiniones & propoſitiones ſint utiles, ad horum perſuaſiones: quia de ijs & ex eis ducuntur enthymemata, ut circa unumquodque genus orationis priuatim dicatur.

2. Rhet cap. 1.

Significat enim clariſſimè in primo libro habitum fuiſſe ſermonem de eis quæ per ſe fidem faciunt: quia enumeratæ ſunt propoſitiones, ex quibus ſeparatim poſſumus concludere unumquodque genus Rhetoricæ: quod uerè eſt propoſitum ipſi Rhetoricæ. unde ſequebatur, ut quæ dicturus eſſet de affectibus & de eloquutionibus, non facerent ad hæc genera concludenda per ſe, ſed tantum ad diſponendum auditoris animum, & ad ipſum delectandum. Etenim poſtquam oſtendit ſe egiſſe de ijs quæ facerent fidem, paulo pòſt addidit: Verùm quoniam iudicij cauſa Rhetorica eſt (nam & in deliberationibus iudicãt, & in foro iudicium eſt) neceſſe eſt nō ſolum uidere circa orationem, ut oratio uideatur demonſtratiua & perſuaſiua, ſed neceſſe eſt ſe ipſum qualem quendã, & iudicem cōſtituere. Valde enim differt ad perſuaſionem, maximè autem in deliberatiuis, deinde in iudicialibus, dicentem apparere qualem quendam: putetur que ab auditoribus affectus quodammodo eſſe ad hæc, ut ipſi auditores affecti quodam modo ſint.

Perſpicuè igitur patet ex uerbis Ariſtotelis, nihil eorum, quæ ſunt præter enthymemata & exempla per ſe facere fidem. quia probauit huiuſmodi eſſe tractanda, poſtquam egerat de eis, ex quibus perſuadebamus, & diſſuadebamus, & uituperabamus & laudabamus, accuſabamus & defendebamus: quæ ſunt illa, ex quibus fiunt enthymemata & exempla. & poſt hæc dixit accipienda eſſe alia, quæ non ſunt per ſe perſuaſiua, quia non ſunt demonſtratiua: ſed ſolum ſunt ad conſtituendum ſeipſum qualem quendam, & ad iudicem, afficiendum: quæ ſi dicuntur perſuaſiones, neceſſe eſt ut per accidens dicantur, non per ſe, quatenus ſcilicet qualem quendam reddunt auditorem. quia probauit huiuſmodi eſſe tractanda, poſtquam egerat de omnibus eis ex quibus perſuadebamus omnia genera Rhetoricæ, licet inter iſta quæ per accidens faciunt fidem ſit differentia. Quare Ariſtoteles nihil uolens omittere eorum quæ aliquo modo conferunt ad perſuadendum in Rhetorica, dixit in primo libro, loco citato, ea quæ faciunt perſuaſiones, eſſe tria: mores uidelicet dicentis, affectus iudicis, & demonſtrare, uel apparere demonſtrare: accipiens ea, quæ faciunt perſuaſiones communiori uocabulo, ut complexu ſuo continent ac cohibent ea quæ per ſe, & ex natura ſua, & uere omni extrinſecus exiſtente remotò faciunt perſuaſiones: & ea, quæ per accidens. Cuius rei hæc fuit cauſa, quòd cum Rhetorica eſſet inuenta iudicij gratia, neceſſe erat ut ratio haberetur etiam iudicū: quam rationem oſtendit habendam, cum dixit, oportere dicentem ui orationis eius uideri hominem probum, & in ipſos bene affectum. & cùm docuit impellere iudices in affectus, atque eos delectare, quæ non ſunt demonſtrationes, non ergo per ſe, neque uerè faciunt fidem, ſed per accidens: hoc enim accidit ipſi Rhetoricæ, extrinſecus enim eſt: & cauſa huius rei eſt ignoratio, & prauitas ipſorū iudicum. Etenim ſi non eſſent ignorantes iudices, & eſſent probi, & non uerſarentur maiori ex parte

in affectionibus,non indigeremus iſtis. enthymemata enim & exempla ſolum ſunt idonea per ſe,ad perſuadendum. Sed quia Iudices maiori ex parte ſunt ignorantes & praui (quippe qui ex utilitate,& ex amore,& ex odio, & ex multis alijs affectionibus animi commouentur ad iudicandum,ut dicemus) neceſſarium fuit ut ab Ariſtotele fierent uerba de illis quæ dicta ſunt, præter demonſtrationes. Nullus ergo admiratione affici debet,ſi Ariſtoteles ſermonem in Rhetorica habuerit de eis,quę ipſe dixit eſſe præter rem, & non eſſe honeſtum de ijs ipſis in Rhetorica uerba facere.Etenim cùm natura hominum maiori ex parte ſit perperā affecta,neceſſitas coëgit illum, ut doceret eam redigi ad talem affectionem atque diſpoſitionem, quia ueritatem ſine aliquo impedimento, quæ ex enthymematibus & exemplis oritur, poſſent recipere. non enim docuit dicentem apparere qualem quendam auditoribus, & impellere ipſos in affectus, & delectare, ut eos deciperet (hoc enim alienum eſt ab arte) ſed ut redderet ipſos aptos ad recipiendum demonſtrationes, & ueritatem.

SECTIO SEXTA.

SEd ſtatim diceret aliquis,Si hoc eſſet uerum, liceret aliquādo mouere affectus, & delectare, & facere ea quæ dicta ſunt: quod tamen euertit ſententiam Ariſtotelis primo Rhet. ubi hæc ſcripta reliquit: Quare ſi,quemadmodum in nonnul- 1.Rhet.
lis ciuitatibus fieri ſolet, ſic in omnibus quoque Iudicijs eſſet, nihil profectò habe- "
rent quod dicerent. nam omnes oportere legibus eſſe ita conſtitutum arbitrantur, "
partim etiam utuntur, ac prohibent præter rem quicquam dicere, ut Areopagitæ, "
rectè id ita putātes: non enim oportere in iram,aut inuidiam,aut miſericordiam im- "
pellēdo,à recto Iudicem inflectere,ne ſimiles ei ſimus, qui eam qua uſurus eſt regu "
lam inflectit.

His enim uerbis uidetur Ariſtoteles omnino indicare, non licere unquam impellere Iudices in affectus,quia nunquam licet à recto Iudicem inflectere:ſicut nunquam licet inflectere eam,qua uſurus ſis,regulam, ad dirigendum aliquid. Etenim ipſi Rhetoricæ eſt propoſita ueritas,ut ipſe teſtatum reliquit primo Rhetoricorum his uerbis, quæ ſuprà etiam citauimus ad aliam rem: Vtilis enim Rhetorica eſt, tum 1.Rhet.
quoniam uera & iuſta, ſecundum naturam, ſunt meliora contrarijs, ita ut niſi Iudi- cap.2. "
cia decenter fiant,neceſſe ſit in eis uinci,quod uituperatione dignum eſt. "

Ex quo loco apertè colligitur, Rhetoricam eſſe inuentam ad perſuadendum uerum & iuſtum:non ergo licebit unquam à recto in flectere Iudicem, non ergò licebit impellere ipſum in affectus.

Item falſum eſt,mores dicentis per ſe nō facere fidem.Etenim quod præcipuam, & maximè propriam facit fidem, dicitur per ſe facere fidem: hæc uidetur perſpicua. Mos dicentis talem facit fidem, ut dixit Ariſtoteles primo Rhet. cap. ſecundo. Igi- 1.Rhet.
tur mos dicentis per ſe dicitur facere fidem, pertinet igitur ad artem per ſe. cap.2.

Ad has igitur quæſtiones reſpondentes, & primò ad primam, dicimus licere aliquando mouere affectus, & delectare auditores: quamuis non ſit honeſtum,ex re ipſa,ſi rectè conſideremus,ut reddamus Iudices idoneos ad perſpiciendas demonſtrationes, & ueritates ex demonſtrationibus proficiſcentes. Imò ſæpe hoc neceſſarium eſt:quia aliter Iudices, qui maiori ex parte ſunt ignorantes, & in affectibus contrarijs perperam,uel non intelligerent demonſtrationes, uel contrarijs illis affectibus prohiberētur demonſtrationes & ueritatem ex illis proficiſcentem percipere: Quare neceſſe eſt, ut remoueantur huiuſmodi impedimenta. Quam rem uidetur oſtendere Ariſtoteles in libro de Inſomnijs,ubi ait: Ad hæc autem, quòd fa- lib.de Somnijs.
cile decipimur circa ſenſus, cùm in paſſionibus exiſtimus, alij autem in alijs, ueluti "
trepidus in timore, & qui amat in amore, ita ut uideatur ex modica ſimilitudine hic "
quidem hoſtem uidere, ille uerò dilectum: eodem modo in ira,& in omnibus con- "
cupiſcentijs facile decipiuntur omnes, & magis, quanto utriq; in paſſionibus ma- "
gis fuerunt. Ne ergo decipiantur Iudices in huiuſmodi paſſionibus uerſantes, neceſſitas cogere uidetur, ut impellamus ipſos in contrarios affectus, eoſq; delectatione uel triſticia afficiamus,ut mentem eis quæ demonſtramus adhibeant. Etenim ſæpe illi amantes aduerſarios noſtros, & nos odio proſequentes, non poſſunt de-

monſtrationes percipere. Remouendi ſunt igiť ab illo affectu, non ut decipiantur,
ſed ut ueritatem percipere poſſint, & impellendi oratione in contrarium affectum.
2.Rhet. Etenim dicebat Ariſtoteles ſecũdo Rhet. cap, primo: Affectus igiť ſunt, quibus ho
cap.1. mines cõmoti differenter iudicant: quos quidem affectus uoluptas, & dolor conſe
» quitur, ut paulo antè dixerat. Non enim eadẽ Iudicibus uidentur, cùm diligant, &
» cùm oderint, nec iratis & quietis: ſed uel omnia diuerſa, uel magnitudine diuerſa.

Cùm igitur illi qui uerſantur in ijs affectibus aliter iudicent, atq; facerent ſi non
eſſent in illis affectibus: rectum uidetur eſſe, ſi ſint in affectibus, quibus moti contra
ueritatem eſſent iudicaturi, ut ipſos remoueamus ab illis affectibus: uel etiã impel-
lamus ui orationis in contrarios affectus, ut rectè iudicare poſſint. & ob hanc cau-
ſam protulit Ariſtoteles tertio Rhet. cap. primo hæc uerba, quæ alibi quoq; citaui-
3.Rhet. mus ad aliud oſtendendũ: Quoniã, inquit, illud quod eſt circa eloquutionem tarde
cap.1. aduenit, uideť q; parum honeſtũ, uel oneroſum eſſe, ſi rectè conſideretur: ſed tamen
» cùm uniuerſum negotiũ circa Rhetoricã exiſtat ad opinionem, non tanquã ſe rectè
» habeat, ſed tanquam neceſſarium, habenda eſt cura: Quoniam iuſtum eſt nihil plus
» quęrere circa orationem, quàm quod neq; dolore afficiamus, neq; delectemus. Ete
» nim iuſtum eſt certare ipſis rebus, quare cætera præter demonſtrare ſuperuacanea
» ſunt. ſed tamen ualde poſſunt (ut dictum eſt) propter auditorum prauitatem.

Dicit igitur, non eſſe honeſtũ dare præcepta eloquutionis, ut delectemus, & do
lore afficiemus. Neq; etiã uult licere oratori, elaborare ut qualis quidã uideať, & ut
Iudices aliquo modo afficiat: omnia enim ſunt, præter demonſtrationes, ſuperuaca
nea, quia ſolum iuſtũ eſt rebus ipſis certare quod nihil aliud eſt, quàm rationibus &
demonſtrationibus agere. Sed tamen cõcedit, neceſſariũ eſſe ut huiuſmodi utamur
aliquando, ſcilicet propter auditorũ prauitatem. Neceſſitas igitur cogit ut intelliga
mus, hoc fieri debere non ut Iudicem à recto inflectamus, ſed ut (ſi opus eſt) ipſum
ad rectitudinem redigamus. Etenim non ſibi propoſitum eſſe in Rhetorica docere
huiuſmodi, ut Iudicem à recto inflectamus, planè oſtendit, cùm dixit: ſe non docere
in Rhetorica contraria perſuadere, ut utraq; agamus. Etenim nõ oportet mala per-
1.Rhet. ſuadere, ſed ut ſciamus mala fugere, in quã quidẽ ſententiã uſus eſt in primo Rhet.
cap.1. cap. primo his uerbis: Præterea oportet contraria poſſe perſuadere, ſicut & in ipſis
» ſyllogiſmis, non ut utraq; faciamus (non enim oportet mala perſuadere) ſed ut non
» lateat quomodo ſe habeãt: & quo modo, alio utente orationibus iniuſtè, poſſimus
» ſaluere ipſas.

Clariſſimè igitur ſignificat id quod diximus, ſe non docere, quomodo is qui di-
cit, ſe oſtendat bene affectum erga Iudices, eosq; impellat in affectus, ut à recto in-
flectat: quia non eſt ipſi hoc propoſitum, ut perſuadeamus falſa, & utamur oratione
iniuſtè, ut patet ex uerbis citatis. Ergo neceſſe eſt, ut intelligamus Ariſtotelem hæc
docuiſſe, ut ad ueritatem percipiendam & ad iuſtè iudicandum diſponantur Iudi-
ces, quippe qui maiori ex parte in affectibus uerſantur: qui ſunt in cauſa ut aliter iu-
dicent, quàm iudicarent ſi non eſſent in illis affectibus. licet ergo mouere aliquãdo
affectus, & facere huiuſmodi alia quæ dicta ſunt.

SECTIO SEPTIMA.

AD uerba autẽ Ariſtotelis quæ ſumpta ſunt ex primo cap. primi Rhet. quibus
uidebatur innuere, nunquã eſſe impellendos Iudices in affectus, & huiuſmo-
di: Dicerẽ, impulſus rationibus dictis, ipſum uoluiſſe ſignificare, nunquam Iudices
eſſe impellendos in affectus, ut à recto iudicio inflectantur. Etenim ei qui hoc ſibi
propoſitum habeat, idem accidere quod illi, qui eam qua uſurus ſit regulam ad ali-
quid dirigendum, inflectat. Hoc igitur redarguit omnino Ariſtoteles, propter illos
oratores qui utebantur huiuſmodi præceptis, ut inflecterẽt Iudices à recto iudicio:
& hoc modo nunquã liceret mouere affectus. Quare Ariſtoteles rectè laudauit ci-
uitates illas, quæ prohiberent dicentem hoc agere, ut uidelicet Iudices à recto infle
cterent: & quòd ob hanc ipſam cauſam prohiberetur extra rem dicere, uiſus eſt ipſe
» oſtendere, cùm ſubiunxit: quod non licer peruertere Iudicẽ, ſicut non licet flectere
» regulam, qua quis uſurus ſit ad dirigendũ aliquid: quod idem paulo pòſt etiã indica
» uit, cùm inquit: In iudicialibus aũt hoc non eſt ſufficiens, ſed opus eſt accipere Iudi-
» cem, quia de alienis eſt Iudicium. quare ea quæ ſunt ipſorũ conſiderantes, & ad gra

tiam

tiam audientes,dant ſe litigantibus,& non iudicant:Quapropter multis in locis, ut dictum eſt,lex prohibet dicere extra rem.

Etenim apertè ſignificat, prohibitũ fuiſſe dicere præter rẽ:quia oratores abducebant oratione iudices à retro,& in hoc non rectè faciebant. Cùm hoc tamen ſtat, ut liceat mouere affectus,ut diſponant iudices eo modo quo diximus, ad iuſtè iudicãdũ. Et licet aliquando poſſit cõtrà accidere, non tamen ob hanc cauſam reijcienda eſſe à Rhetorica huiuſmodi præcepta, indicauit ipſe his uerbis apertè, cũ inquit:Si aũt, quia maximè nocet qui utitur iniuſtè tali potentia orationis,hoc cõmune omnibus bonis eſt præter uirtutes,& maximè prȩſtantiſſimorũ,ut roboris,& ſanitatis, & diuitiarum,& imperij.Nam his omnibus maximè proderit,cùm iuſtè utitur:& lȩdet,cùm iniuſtè:hoc enim neceſſarium eſt intelligere.Non ergo uult, præcepta eorum quæ ſunt extra rem, eſſe repudianda in Rhetorica, quia ſint huiuſmodi ut aliquis poſſit eis iniuſtè uti,& plurimùm nocere,ac peruertere recta iudicia. Concedimus igitur,nunquã licere inflectere iudicem à ueritate,& à recto iudicio, quia finis Rhetoricæ(ut oſtendimus) eſt uerum & iuſtũ. & concedimus,peruerti poſſe iudicium,impellendo iudicem in affectus,& delectando: eoſq́ oratores qui hoc efficiunt,eſſe reprehendendos,& eſſe prauos homines. negamus tamen quòd nõ ſit utile etiam ciuitatibus quȩ bonis legibus reguntur,propter hominum ignorationem, negligentiam,& prauitatem, afficere & præparare iudices, & quòd non liceat eos impellere in affectus:quia hoc maxime licet, non ut ipſos quidem deflectamus à recto,ſed ut ab obliquo ad rectum iudicium trahamus.

Ariopagitæ enim uidentes ſuos oratores ita perperã uti Rhetorica,ut plerunque abducerent iudicum animos à recto iudicio,prohibuerunt eos loqui prȩter rem:& in hoc rectè fecerunt.Simpliciter autẽ non eſt rectè factum,propter hominũ prauitatẽ,& propter alias cauſas dictas. Maior enim pars hominũ affectibus ducit, iiſq́ paret:quare longè melius eſt docere,mouere ipſos in contrarã partẽ ut bene agant, quàm non docere:licet aliquando aliquis poſſit abuti huiuſmodi prȩceptis: hoc tamen non tollit quin illa præcepta ſint bona.Etenim quamuis aliqui Medici utantur medicina ad interficiendos homines,non eſt tamen uerũ,artem medicinæ non eſſe tradendã:finis enim artis eſt bonum,ſicut finis Rhetoricæ eſt bonum & iuſtum. Nihil ergo abſurdi ſequi uidetur ex uerbis Ariſtotelis (ut nos quidem opinamur)ſi intelligantur eo modo,quo diximus.

Erat alia difficultas, quòd mores dicentis uidebantur facere per ſe fidem, idq́ ex uerbis Ariſtotelis oſtendebatur: Ego dicerem, ſaluo ſemper meliori iudicio, quod mores dicentis non faciunt per ſe fidem,eo modo quo intelleximus.

Ad auctoritates aũt Ariſtotelis dico,quod Ariſtoteles nõ dixit abſolutè & ſimpliciter,mores dicẽtis proprijſſimè facere fidẽ(uſus eſt enim his uerbis) ſed ferè(ut ita ſit dicere)proprijſſimam habet fidem mos.quibus uerbis ſignificat, ſe nõ loqui ſimpliciter,ſed per quendam modum dicendi.atq́ ita quidem uerum eſt quod dicit, in cõparatione ſcilicet ad ea quæ ſunt præter rem. Etenim inquit ſecundo Rhet. loco ſuperius citato ad aliud propoſitũ:Huius autem, quòd dicentes uideantur digni fide,tres cauſȩ ſunt.tot enim ſunt per quæ credimus prȩter demonſtrationes,ſunt autem hæc: Prudentia, Virtus, & Beneuolentia. Quòd ſi hæc tria omnino ſunt per quæ credimus præter demonſtrationem: ergo non credimus per impulſionem in affectus,non eſt enim demonſtratio. Ergo in comparatione eorum quæ ſunt præter rem,mores præcipuam faciunt fidem,non tamen ſimpliciter. 2.Rhet. cap.1.

Sed ſtatim diceret aliquis,Ariſtoteles uerbis modò citatis uidetur apertè euertere ea quæ tu dixiſti,& quæ dixit ipſe in ſecundo cap. primi Rhet. & etiam in primo cap.tertij libri.Quibus in locis apertè dixit,tres eſſe perſuaſiones: & duas eſſe præter demonſtrationes,mores dicẽtis,& affectus iudicis. hic autem dicit, tres eſſe cauſas quare dicẽtes ſint fide digni,quia tot ſunt per quæ credimus extra demonſtrationes:in quibus non enumerat impulſionẽ in affectus,ergo per ipſam non credimus. 1.Rhet. ca. 2 et 3.Rhe. cap.2.

Reſpondeo, mores dicẽtis inter ea quæ ſunt præter rem,prȩcipuam & maximè propriam fidem facere, quia directè faciunt fidem. & ſic intellexit Ariſtoteles in ſecundo libro, loco citato. Impellere autem in affectus iudicem non dicitur facere fidem,quia perſuadeat directè,& probet aliquid:ſed quia diſponit auditorem ad re-

cipiendum demonſtrationes. & hoc modo intellexit duas eſſe perſuaſiones præter demonſtrationes: communiori enim uocabulo accepit nomen perſuaſionis. Mos tamen dicentis uidetur magis directè, quàm impulſio in affectus, aliquid probare, & obtinere aliquo modo locum demonſtrationis. Etenim quos bonos uiros exiſtimamus, eos putamus in nulla re poſſe decipere, & maximè in rebus dubijs: ſicut dixit Ariſtoteles in primo libro Rhet. loco ſuperius citato. Quare moribus dicentis maxima habetur fides, perinde ac ſi eſſent demonſtrationes. in eo enim qui dicit, idem facit probitas. quod ſexto Ethic. dixit Ariſtoteles, experientiam facere in

6. Ethi. cap. 14.

ſenibus: Quare (inquit) oportet mentem adhibere expertorum & ſeniorum & pru
» dentũ ſententijs & opinionibus, ſine demonſtrationibus, non minus quàm demon
» ſtrationibus ipſis. ueluti enim oculũ per experientiã habentes, principia diſcernũt.

Mores ergo dicentis non ſunt demonſtrationes, ſed dicuntur facere fidem, quia habent uim demonſtrationum: ſunt enim ueluti principia cõcludendi aliquid, quia ipſis adhibent fidem homines, ſicut adhibent principijs. impulſio uerò in affectus per accidens, ſicut diximus, uidetur fidem facere: idq; ſolum, quia remouet contrarios affectus, & diſponit animos auditorum ad recipiendam ueritatem. Quia ergo adiuuant perſuaſionem mores & affectus, ſicut diximus, ponuntur inter perſuaſiones: uera tamen, & per ſe perſuaſio eſt, ſola demonſtratio: Nihil ergo habent textus citati, quod ſententiam Ariſtotelis & noſtrã euertat, ſolutio igitur quam attulimus, ueritati & Ariſtoteli conuenire uidetur.

SECTIO OCTAVA.

REuertamur iam unde egreſſi ſumus, ad probandum uidelicet illã partem, quæ continetur tertio libro Rhet. non eſſe propriè Rhetoricam, ſed poſitam eſſe in Rhetorica, quia maximè ſeruiret ipſi Rhetoricæ. Diximus enim, uerba illa Ariſtotelis, quibus oſtendit neceſſarium eſſe propter prauitatem auditorum dare huiuſmodi præcepta, apertè ſignificare, præcepta eloquutionum non eſſe propriè partem Rhetoricæ, propterea quòd ait, Talia præcepta tardè perueniſſe, & non eſſe honeſtum ipſa tradere, eſſe tamen neceſſarium ob prauitatem auditoris. quod ſi honeſtè non traduntur in Rhetorica, ergo neceſſitas cogit ut non ſint partes ipſius, quia totius partes non ſolum honeſtè ponũtur cum ſuo toto, uerùm etiam neceſſariò, alioquin non poſſemus ipſum totum cognoſcere. Quare cùm præcepta illa non ponantur honeſtè in Rhetorica, ut non ſint propriè partes illius neceſſe eſt. Erunt ergo in generali ob rationes dictas Logicæ partes, id eſt eius facultatis quæ eſt de oratione in generali, ut diximus. attinent enim ad aliquam facultatem.

1. Rhet. cap. 1.

Hanc item ſentẽtiam declarauit Ariſtoteles primo Rhet. cap. primo, his uerbis: Si ſanè hæc ſic ſe habent, manifeſtum eſt, quòd extra rem tradunt, quicunq; alia de
» terminant: ut quod oportet procœmium uel narrationem habere, & unaquæq; alia
» rum particularum. nihil enim aliud in ipſis laborãt, præterquàm ut iudicem qualem
» quendam reddant.

Nam ſi præcepta procœmiorũ & narrationum, & reliquarum partium ſint preter rem in Rhetorica, ex uerbis Ariſtotelis: non ergo per ſe attinent ad finem Rhetoricæ, ergo non ſunt per ſe partes Rhetoricæ, ergo erunt Logicæ in generali: nõ enim poſſunt accommodari alijs facultatibus, ut perſpicuum eſt.

Sed probandũ modò nobis reſtat, hæc præcepta eloquutionũ, procœmiorum, & narrationũ, in particulari attinere ad Hiſtrionicam. quam rem luce clarius uidetur

Poetica.

oſtendiſſe Ariſtoteles, in Poëtica, ubi ait: Horum aũt quæ circa eloquutionem, una
» eſt ſpecies cõſiderationis τὰ σχήματα, id eſt figuras eloquutionis, quas ſcire attinet
» ad ipſam Hiſtrionicam, & ad eum qui habet talem architectonicam, ut quid præce
» ptum, & quid optatio, & quid narratio, & quid minæ, & interrogatio, & reſponſio,
» & ſi aliquid tale. propter enim talium cognitionem, uel ignorationẽ, nulla increpa
» tio fertur in Poëticã, quę quidem ſit digna conſideratione. Quid enim quis putaret
» peccatum eſſe in eis quæ Protagoras increpat, quòd putans precari imperat, dicẽs:
» Irã cane Dea? Etenim, inquit, iubere facere aliquid, uel nõ facere, eſt imperare. Qua
» re omittatur, tanquam alterius facultatis, & non Poëticæ ſit ſpeculatio.

Ex his enim uerbis planè colligitur, omnia quæ continentur tertio lib. Rhet. attinere ad Hiſtrionicam facultatem, & non ad Rhetoricam. nam figuræ eloquutionis,

nis, & quid ſit præcipere & optare, & quid narratio, & minæ, & interrogatio & reſponſio, & reliqua huiuſmodi, ſunt eiuſdem rationis. hæc porrò omnia continentur tertio libro Rhet. quæ ſi attinent (ut ipſe aſſerit) ad Hiſtrionicam facultatem, in dubium uenire non poteſt, quin eadem non poſſint per ſe attinere ad Rhetoricam. artem enim Hiſtrionicam differre à Rhetorica, ita eſt in promptu ex doctrina Ariſtotelis, & etiam ex ipſa ratione, ut nulla oſtenſione indigere uideatur. Quare uidetur rectè à nobis in ſuperiotibus concluſum fuiſſe, huiuſmodi præcepta non attinere propriè ad Rhetoricam: quam dicimus, dum uerba de ijs facit, induere ueſtem Logicæ in generali, & Hiſtrionicæ in particulari. Etenim nõ mutatur ratio formalis ipſius Logicæ & Hiſtrionicæ, quæ ratio eſt propter opus.

Hoc idem colligi poteſt ex ijs quæ dixit Ariſtoteles tertio Rhet. loco ſuperius citato, ad quem locum me reijcio.

Artem etiam poëticam attinere ad eandem facultatem quæ eſt de oratione in genere, ad quam attinet Grammatica, & pars illa quam omnes nuncupant Logicam, oſtendit Ariſtoteles paulo pòſt, loco citato, cum dixit: Elocutionis autẽ omnis hæ ſunt partes, Elementũ, ſyllaba, coniunctio, nomen, uerbũ, articulus, caſus, oratio.

Et definiuit unumquodq; horum. Etenim neceſſitas cogit, ut hæc omnia contineantur ſub eodem genere, ſub quo continetur Grãmatica, & ea quæ dicitur Logica: ſi quidem oratio, & partes orationis, ad utrãq; pertinent. itaq; neceſſe eſt, ut omnes hæ facultates contineantur ſub una generali facultate.

SECTIO NONA.

SEd ſtatim contrà inſtaret aliquis: Quod dixiſti præcepta eloquutionũ & partiũ orationis attinere ad artem Hiſtrionicã in particulari, hoc uidetur euertere ſententiam Ariſtotelis, qui in eodem libro Poëticæ, eodem loco, cùm enumeraſſet partes eloquutionis, nonnullasq; definitione explicaſſet, addidit: Hæc aũt differunt figuris oris, & locis, & denſitate & tenuitate, & longitudine & breuitate, & mediocritate: de quibus ſingulis, in Metricis, conuenit ſpeculari.

Deinde cùm ita definiſſet ſyllabã: (Syllaba aũt eſt, uox ſine ſignificatione, compoſita ex muta, & habẽte uocem. Etenim G & R ſine A, ſyllaba: & cum ipſo A, ut hoc gra:) ſubiunxit: Sed conſiderare has differentias, attinet ad ipſam Metricam. Quod ſi ita eſt, nõ ergo pertinet ad Hiſtrionicam. ſunt enim Hiſtrionica, & Metrica, facultates diuerſæ: ergo falſa ſunt quæ aſſeruiſti.

Item quod dixiſti, pertinere ad Hiſtrionicam, conſiderare optandi & imperandi orationem, hoc item uidetur conuellere ea quæ dixit Ariſtoteles primo Perihermanias: Enunciatiua uerò non omnis, ſed illa, in qua uerum uel falſum eſt. nõ autem in omnibus eſt, ut deprӕcatiua quidem oratio eſt, ſed neq; uera, neq; falſa, & cæteræ quidem relinquuntur. Rhetoricæ enim ut Poëticæ conuenientior conſideratio eſt, enunciatiua uerò præſentis ſpeculationis. 1. Periher. 3.

Ex his enim perſpicuum eſt, orationem optatiuam attinere ad Rhetoricam, uel ad Poëticam.

Patet etiam, enunciatiuam orationem non attinere ad Rhetoricam, quia ad Logicam: & tamen dixiſti, enthymemata pertinere per ſe ad Rhetoricam, quorum tamen partes ſunt enunciationes.

Præterea, ſi præcepta eloquutionum attinerent ad Hiſtrionicã, quare de his non ſcripſit Ariſtoteles artem ſeparatam à Rhetorica, ſicut fecit de Logica? Hoc enim uidebatur rationi conſentaneum.

Ad primam dictarum difficulratum reſpondeo: negari non poſſe, præcepta illa non attinere ad artem Hiſtrionicam. Hoc enim aperte dixit Ariſtoteles, & ratió etiam exigere poſtulareq; uidetur: quia Hiſtriones magis quàm quicunq; alij artifices, debent quęrere eloquutiones ſuaues & iucũdas, procœmia, narrationes, interrogationes & reſpõſiones. in his enim uidet̃ ars eorum propriè uerſari. Cùm dicebat̃ hæc ex uerbis Ariſtotelis pertinere ad artẽ Metricam, cõcedo. cum inferebat̃, Ergo nõ pertinẽt ad Hiſtrionicã: id uerò nego. Ad probationem dico, quòd hę facultates non ſunt omnino diuerſæ, ſed ſolum quatenus pars eſt diuerſa à ſuo toto. Vult igitur Ariſtoteles dicere, ea quæ dicta ſunt attinere ad illam Hiſtrionicam quæ eſt

Metrica,

Metrica, non ad Hiſtrionicam abſolutè, quæ contemplatur non ſolum ea quæ ſunt ipſius artis Metricæ, uerùm etiam plura: quod indicauit loco ſuperius citato, cùm dixit, Hiſtrionicam eſſe architectonicã, habet enim multas partes ſub ſe, inter quas eſt Metrica. ſic enim cogimur interpretari, niſi uelimus eum pugnare cum ſua ipſius ſententia.

Ad ſecundam difficultatem reſpondẽtes aſſerimus ex uerbis Ariſtotelis, orationem optatiuam & imperatiuam attinere ad Hiſtrionicam.

Ad Ariſtotelis uerba dicimus, ipſum intellexiſſe magis conuenire, in Rhetorica & in Poetica conſiderari huiuſmodi orationes, quàm in libro Perihermanias, quia magis ſeruiebant ipſi Rhetorice & Poeticæ ad mouendos affectus, cùm liber Perihermanias tantummodo conſideraret propter demonſtrationem eas orationes in quibus reperiebatur ueritas uel falſitas. cùm hoc tamen ſtat, ut dictæ orationes per ſe & principaliter attineant ad artem Hiſtrionicam, ſicut diximus. uerba enim Ariſtotelis quę hoc indicant, ſunt ita perſpicua, ut (meo quidem iudicio) non poſſint in aliam trahi ſentẽtiam. Nuncupauit tamen ſermonem illum Rhetoricam & Poeticam, quia in ipſis maior facta erat mentio de his. Quod tamen propriè non attinere ad Poëticam, declarauit ipſe locis citatis ex Poëtica in ſuperioribus, dum inquit: Non attinere ad ipſam Poëticam, ſoluere rationem Protagoræ aduerſus Homerum, & ob hanc cauſam protulit illa uerba in lib. Perihermanias. Sentẽtia tamen ſua non fuit negare ipſas attinere ad Hiſtrionicam.

Ad tertiam difficultatem dico, Ariſtotelem illis uerbis non negaſſe, quin oratio etiam enunciatiua pertineat ad Rhetoricam: hoc enim euertiſſet ipſius ſententiam, & alienum à ueritate fuiſſet. ſed intellexiſſe, orationem optatiuam & imperatiuã in comparatione illius, magis attinere ad Rhetoricam & Poëticam. quod non prohibebat, quin Rhetorica etiam & Poëtica uterẽtur oratione enunciatiua: licet ad Logicam attineret eius conſtitutio, quam docet liber Perihermanias.

Ad quæſtionem ultimo loco propoſitam dicerem, Ariſtotelem non feciſſe facultatem ſeparatam de præceptis eloquutionis, ſicut de ea parte quæ nuncupatur Logica: quia illa præcepta magis ſeruiebãt Rhetoricæ, quàm cæteris facultatibus. quare uiſum eſt ipſi, ea commodius tradi in ipſa Rhetorica. nec fecit poſtea facultatem ſeparatam, ne bis idem ſine neceſſitate repeteret. Sic egit de affectibus, qui cùm ad naturalem philoſophiam primò attinerent, deinde etiam ad Politicam: tamen quia maximo uſui erant Rhetoricæ, fuſius ibi & perfectius eos pertractauit ac definiuit, quàm uel in naturali Philoſophia, uel in Politica, in quibus non ita multa de illis ſcripſit, ne bis eadem diceret. Earum autem orationum regulas, quas tradidit in ea parte Logicæ quæ nomen generale obtinuit, quia ſine ullo diſcrimine ſeruiebãt omnibus ſcientijs, & habitibus actiuis & factiuis, non potuit ſimul ponere cum eis quæ regulabantur ex ipſis: Nihil igitur (meo iudicio) prohibere uidetur, quin uerũ ſit quod diximus, artem Poëticam attinere ad illam artem, ad quam attinet grãmatica, & illa pars quam omnes nuncupãt Logicam. itaq; ſolutum uidetur iam primum argumentum principale.

SECTIO DECIMA.

ERat ſecundum, quòd ſi illa quæ poſita fuerũt, eſſent uera, ſequeretur, ut ea quæ diximus in exordio Inſtitutionis noſtræ in Logicam facultatem, de ſubiecto illius facultatis, à ueritate abhorrerẽt. Nam cùm dixerimus, in Logica facultate ſubiectum non poſſe eſſe orationem ſimpliciter, quia ipſa nõ propter ſe, ſed propter definitionem & demonſtrationem, & cæteros ſyllogiſmos conſideratur, ſed eſſe modũ cognoſcendi: fieri non poſſe, ut ſit una facultas genere, quæ dicatur Logica.

Reſpondemus, nos ita loquutos eſſe, perinde ac ſi facultas illa quæ docet conficere enunciationes, ſyllogiſmos ſimpliciter, demonſtrationes, ſyllogiſmos dialecticos, ſophiſticos, & definitiones, eſſet facultas per ſe exiſtẽs, cui propoſitum eſſet docere, conficere inſtrumenta cognoſcendi, ſicut exiſtimatur communiter. & ob hanc cauſam definiuimus ipſam, ſicut fecimus in eo exordio, accipientes ſolum nomen Logicæ, ut cõplectebatur inſtrumenta cognoſcendi: nihil tamen propter hoc obſtat, quin detur Logica generalis, id eſt facultas de oratione in generali.

Quare

Quare ſi ponamus, illam eſſe partem huius Logicæ generalis, oratio ſimpliciter non poteſt eſſe illius ſubiectum, tum quia principaliter non intenditur: tum quia ex cidit illam ipſam partem & facultatem, cum cõtineat omnes facultates quę docent conficere orationem. ſicut fieri non poteſt, ut ens, quatenus ens, ſit ſubiectum eius partis philoſophiæ, quę animalium tradit doctrinã. Cum eo igitur quod de illa par te Logicę dictum eſt, ſtare uidetur, ut ſit una facultas genere, quæ dicatur Logica: poſita enim una ſcientia genere, quę contineat omnes res, nihil prohibet ponere, eius unum eſſe ſubiectum generale, uidelicet genus illud quod omnes complecti tur ſpecies: & ponere ſingulas ſpecies eſſe ſubiectum ſingularum eius ſcientiæ par tium, in quibus pertractantur. exempli cauſa, Decem prędicamenta continentur in libro prædicamẽtorum: huius igitur non eſt unum ſubiectum, ſed decem ſubiecta: quia ſubſtantia eſt ſubiectum in ea parte quæ docet proprietates ſubſtãtiæ, & quan titas in ea parte quę tradit affectiones quantitatis, & ita de reliquis. non enim eſt ne ceſſe, ut in ſingulis alicuius ſciẽtię partibus ſit ſemper unum ſubiectum: ſed poſſunt plura eſſe ſubiecta. ut in libris de Cęlo, non eſt neceſſe ut ponatur unum tantũ ſub iectum, ſed poſſunt poni duo ſubiecta: Cęlum in primo & ſecundo libro, in tertio uerò & quarto Elementũ. quod uidetur innuiſſe Ariſtoteles, inſcribens illos libros de Cœlo & mundo. Patet enim ex multis locis, eum per mundũ ibi intellexiſſe ele menta. hoc autem accidit, quia hęc pars complectitur duas ſpecies illius generis, quod continetur in libris Phyſicorum. Quod ſi uellemus hanc ipſam partem à reli quis ſeparare, eamq́ ad unitatem redigere, poneremus corpus ſimplex eſſe ibi ſub iectum. ſic fecimus in illa parte Logicę, quę docet conficere inſtrumenta cogno ſcendi. eum enim illi attribuimus ſubiectum, perinde ac ſi eſſet una facultas ſepara ta, cuius finis eſſet ille quem diximus. ſic in libris Poſteriorum, qui in ſe conſiderati, & ut una eſt facultas, ſubiectum habent modum ſciendi. Sin autem conſiderentur ut pars Logicæ in generali, eorum duo ponenda erunt ſubiecta: demonſtratio ui delicet, & definitio. quia definitio ibi conſideratur per ſe, & primò ut definitio (acci dit enim ipſi, ut ſit medium) ita patet, ea quæ nunc diximus, non repugnare ijs quæ in exordio Inſtitutionis noſtræ ſcripſimus: etenim diuerſo modo loquuti ſumus. Si igitur illa facultas quæ docet conficere inſtrumenta cognoſcendi, ponatur ut pars Logicæ generalis, tot erunt ſubiecta, quot partes eius principales erunt: ut in libris Perihermanias enunciatio, in libris Priorum ſyllogiſmus ſimpliciter, in primo libro Poſteriorum demonſtratio, in ſecundo definitio: & in ea parte in qua traduntur re gulæ & proprietates ſyllogiſmi dialectici, ſyllogiſmus dialecticus: & in qua ſyllo giſmi ſophiſtici, ſyllogiſmus ſophiſticus. non enim ſunt plures libri eius doctrinæ, quam interpretes nuncupant Logicam. Etenim in Commentario noſtro, & in A pologia, exiſtimamus ſatis nos oſtendiſſe, librum Prędicamentorũ non eſſe partem illius doctrinæ, ſed attinere ad primam philoſophiam: libros uerò Topicorum, & Elenchorum, eſſe Dialecticam: quam quidem oſtendimus non minus diſtare ab ip ſa Logica, quàm diſtet à prima Philoſophia, & à Philoſophia naturali, ut diximus etiam in ſuperioribus. Veritati igitur, & ijs quæ à nobis nunc poſita ſunt, conſenti re uidentur ea quæ in exordio Inſtitutionis noſtræ diximus.

SECTIO VNDECIMA.

SEd urgeret etiam aliquis dicens, ſi detur iſta facultas generalis quam nuncupas Logicã, & quam uis complexu ſuo cohibere & cõtinere omnes orationes, qua tenus arte docentur conſtitui: diuidi autem in multas partes, ſicut diuiditur philoſo phia generaliter accepta, nempe in Grãmaticam, in Logicam, in artẽ Metricam, in Hiſtrionicam, & in cæteras partes quæ docent cõſtituere orationes uniuerſæ: cùm iſtę partes doceant cõſtituere omne genus orationis, quæ tandẽ oratio attinebit ad Logicã in generali: neceſſe eſt enim aliquam ei materiam aſſignari, in qua uerſetur: alioquin nihil eſſet. ſed non uidetur poſſe aſſignari ulla materia diuerſa ab eius par tibus, non ergo uidetur rectè diuidi in illas partes, ſicut diuiditur genus, uerùm in ſuas ſpecies. Etenim uerum genus ſignificat naturam quãdam communem, aliquo modo ſeiunctã à ſuis ſpeciebus: ut animal naturam ſenſitiuam, animal enim eſt ani-

mal

2. de genere animali lib. cap. 3. mal per ſenſum, ut patet ex Ariſtotele in mũltis locis, & maximè in ſecundo de Generatione animalium: ipſa autem Logica in generali nihil tale ſignificat.

Dicerem (ſaluo ſemper meliori iudicio) eius materiam eſſe orationem ſimpliciter, & omnes ſpecies orationis, nullamq́ aliam materiam ipſam habere. non enim dantur plures orationes, quàm quot explicauimus in arbore: ad quam uerò facultatem ſpectat genus, ad eandem ſpectant & ſpecies generis, & ſpecierum ſpecies. Quare concludimus, non eſſe neceſſarium ut Logicæ in generali detur alia materia, ſeorſum ab illa quam conſiderant ſingulæ eius partes: quia nihil hæ addunt ipſi generi ex natura rei. Etenim ſunt partes integrales, quæ diuiſæ fuerunt, ac diſtributæ eo modo quo dictum eſt, ſine aliqua rerum neceſſitate, ſed tantum ob commoditatem: & ideo dicimus, diuiſionem Logicæ in illas partes non eſſe diuiſionem ueri generis in ſuas ſpecies: ſed illas dici orationis ſpecies ſimilitudine quadam, & ex noſtro cognoſcẽdi modo, non ex natura ſua, quia ſunt partes integrales, de quibus in recto non prædicatur totum.

Idem dicendum eſt de philoſophia ſpeculatiua in generali, cuius ſubiectum eſt ens, quatenus ens: quæ contemplatur res ab ente, uſq; ad ſpecies ſpecialiſſimas. Etenim ſi diuiditur in Theologiam, naturalem philoſophiam, & mathematicam, non habet materiam ſeiunctam à materiebus quas contemplantur illæ tres ſciẽtiæ: quia tres illæ ſcientiæ contemplantur omnes res quæ natura conſtant. Etenim philoſophia contemplatiua in generali non eſt uerum genus illarum, neque ipſæ ueræ ſunt ſpecies illius generis, quæ addant differentiam ſubſtantialem ipſi generi: ſunt enim ſolum partes integrales. ſed dicuntur partes illius, quaſi ſpecies, ex noſtro modo cognoſcendi. Quare non eſt neceſſe, ut ſcientia illa in genere contempletur aliquam materiam ſeorſum à ſuis partibus, quãdoquidem nihil eſt aliud niſi partes illę ſimul ſumptæ: quia res quas ipſa contemplatur, diuiſæ fuerunt eo modo quo in ſuperioribus diximus, ob noſtram commoditatem, & noſtrum cognoſcendi modum, nõ ex natura rei. Non ergo neceſſe eſt, neq; Logicæ in generali, neq; philoſophiæ in generali aſſignare aliquam materiam ſeiunctam ab illa quam contemplantur ſingulæ earum partes: ſicut accidit ipſi enti, de quo probãtur multa ut eſt ſeiunctum à ſuis ſpeciebus. habet enim naturam quandã, non ſubſtantialem quidem, ſed accidentalem, diuerſam tamen à ſuis ſpeciebus, atq; illis neceſſariam, nec ſunt integrales Entis partes. At Logica & Philoſophia, ex parte rei non dicunt aliquam naturam à ſuis ſpeciebus diuerſam, uel ipſis neceſſariam, propterea quòd nõ ſunt ſpecies ueræ ſed tantum partes integrales, quæ ſimilitudine quadam dicuntur ſpecies, & ex noſtro cognoſcendi modo, ut dictum eſt. Nihil ergo contra nos concludit argumẽtum: quia non eſt neceſſe ut ipſi Logicæ attribuatur ulla pars orationum, quæ non conſideretur ab aliqua ſuarum partium: neq; tamen ob hoc ſequitur ipſam nihil eſſe, quia omnes dictæ orationes ſunt eius materia. dicimus tamen ipſam non diuidi in illas partes, ſicut uerum genus diuiditur in ſuas ueras ſpecies, & negamus hoc eſſe abſurdũ, quia quod nõ habet ueras ſpecies, nõ poteſt in eas diuidi: ſicut accidit philoſophiæ
6. Meta. contemplatiuæ. neq; obſtat illa diuiſio, quam adhibuit Ariſtoteles in ſexto Meta. quia eſt diuiſio totius in partes integrales. & ex noſtro cognoſcendi modo, ut ſæpe iam diximus, non eſt ex natura rei.

Veruntamen licet dicere, omnes illas partes eſſe philoſophiam. ſed iſta prædicatio non eſt per ſe, & ſubſtantialis: ſed accidentalis, & in obliquo. Etenim dicuntur eſſe philoſophia, quia ſunt partes philoſophiæ, non quòd re uera ſint philoſophia: nulla enim illarum partium eſt philoſophia in recto propriè. ut Theologia non dicitur uere philoſophia contemplatiua, quia philoſophia contemplatiua prædicetur de ipſa, ſicut animal prædicatur de homine. quod fieri nõ poteſt. Etenim tota natura animalis eſt in homine: ſed tota natura philoſophiæ contemplatiuæ non eſt in Theologia, quia natura illa philoſophiæ contemplatiuæ quæ eſt in philoſophia naturali, & in Mathematica, nõ eſt in Theologia: quare neceſſe uidetur, cum dicimus Theologiã eſſe philoſophiã cõtemplatiuã, ut intelligamus ita eſſe, quia eſt pars philoſophiæ contemplatiuę, nõ in recto. & ita dicendũ eſt de Logica in generali. Grãmatica enim eſt Logica, quia eſt pars Logicæ, & ita de reliquis eius partibus. Non ergo eſt uerũ genus. Quo ſtante, argumentum allatũ nihil abſurdi cõtra nos arguit.

FINIS LIBRI DECIMIQVARTI

Euerſionis Singularis certaminis.

LIBER DECIMVSQVINTVS.

SECTIO PRIMA.

SEd reuertamur iam illuc, unde longius nos peruexit diſputatio de facul-
tatibus, quæ orationem pertractant, nempe ad diuiſionem ſcientiarum in
decimotertio libro poſitum. Cùm igitur ibi dixerimus, philoſophiam
naturalem initium capere à Cœlo, & ab elementis: id mirari poſſet ali-
quis, & contrà ſic inſtare. Si hoc detur ſequi, naturalem philoſophiam incipere à
libris de Cœlo & mundo, & ſic phyſicam non eſſe partem per ſe philoſophię natu-
ralis, imò non eſſe philoſophiam naturalem. id autem planè repugnare & ueritati,
& ſententiæ Ariſtotelis.

Item ſequi, naturalem philoſophiam non eſſe unam ſcientiam: quia nullum habe-
ret ſubiectum commune, quod ei daret unitatem. nam præter cœlum & elementa,
conſiderat etiam mixta: in philoſophia autem nullum eſt ſubiectum commune Cœ
lo, elementis & mixtis, ut patet: non ergo fore unam ſcientiam, quod omnium uide
tur abſurdiſſimum.

Hæc obijci poſſunt cõtra ea quæ à nobis dicta fuerũt. ſed quoniã putamus uera
eſſe quæ diximus, reſpondentes primæ quæſtioni dicimus: tantũ abeſſe ut ſit abſur-
dum, philoſophiam naturalem initium capere à libris de Cœlo & mundo, ut ſit ſum
mè neceſſarium. Quam in opinionem cùm multæ me impulerũt rationes, tum uerò
maximè uerba Ariſtotelis quæ in procœmio primi libri de Cœlo ita ſcripta reliquit:
Scientia de natura ferè plurima uidetur circa corpora & magnitudines, & horum 1.Cœli tex.1.
exiſtentes paſsiones & motus: adhuc autem & circa principia, quæcunq; talis ſub- "
ſtantiæ ſunt. Natura enim conſtantia, hæc quidem ſunt corpora & magnitudines: "
hæc autem habent corpus, & magnitudinem, hæc autẽ principia habentium ſunt. "

Ex his enim uerbis perſpicuè patet, hoc eſſe principium philoſophiæ naturalis
generalius, quàm procœmium libri Phyſicorum: quod planè argumento eſt, uolu-
iſſe Ariſtotelem philoſophiam naturalem hinc initium ſumere. aliter enim rationi
conſentaneum non erat, ut in ſecunda parte philoſophiæ naturalis poneret exordi-
um uniuerſalius, quàm in prima. Neq; id ualet quod dixit Auerroes, eũ hic primum
incipere narrare ſubiectum huius artis: quia iſte liber eſt primus in quo loquitur de
rebus ſenſibilibus naturalibus, ſcilicet in ſingulis partibus iſtius mundi, quarũ quæ- "
libet continetur in uno libro, de ſuis libris in hac ſcientia. Primo, quoniam ſi in ſin- "
gulis libris loquitur de partibus huius mundi, quarum quælibet continetur in uno
libro: ergo in libro Cœli non continetur ſubiectum philoſophiæ naturalis, quia in
ipſo loquitur de partibus ſubiecti. Eademq; ratione non continebitur in reliquis li-
bris, qui librum de Cœlo ſequuntur: ergo nuſquã ex ſententia Auerrois agetur de
ſubiecto philoſophiæ naturalis, quia ex eius ſententia nõ agetur de eo in libro Phy
ſic. cùm liber de Cœlo ſit primus in quo loquit̃ de rebus ſenſibilib. naturalibus. nã ſi
de eo ageret̃ in libris Phyſicorũ, ille liber eſſet primus, in quo loqueret̃ de reb. ſenſi
bilibus naturalibus. Corpus enim quod prædicatur de cœlo, & elementis et mixtis,
eſt ſenſibile: nullo igitur loco agetur de ſubiecto philoſophiæ naturalis, quatenus
tale in ipſa naturali philoſophia tractatur: neq; de eius proprietatibus, quod qui-
dem eſt abſurdiſsimum. Vt ergo ſit abſurdiſsima huius procœmij cauſa quam reddit
ipſe, neceſſe eſt.

Itẽ dicere, quòd liber de Cœlo eſt primus, in quo Ariſtoteles loquitur de corpo
re (ſiquidem numeretur liber Phyſicorũ inter partes philoſophiæ naturalis) eſt ſen
tentiam Ariſtotelis omnino euertere. hoc enim ſignificat, in libr. Phyſicorũ, non a-
gi de corpore, ſed ſolum de cauſis, contraq; ex procœmio primi Phyſic. apertiſsimè
colligitur. nam cùm oſtendat ibi Ariſtoteles, quòd primò in ſcientia quæ eſt de natu "
ra, erat tentandum determinare circa principia, (quia tunc ſcimus unumquodq;, "
cùm cauſas cognoſcimus) clariſsimè indicat quærere cauſas, ut ſciamus compoſita:
non ergo cauſæ poſſunt eſſe ſubiectum in libro Phyſicorũ, quippe quæ non quæ-
runtur propter ſe: ergo neceſſe eſt ut in eo libro ſubiectum ſit corpus, cuius quæ-
runtur cauſæ, quæ ſunt materia & forma.

Item,niſi in eo libro ageretur de compoſito, uel confuſo, cauſæ non poſſent inueſtigari:Conſequens eſt falſum,ergo & antecedens. Conſequentia probatur:quia
1.Phyſ.tex. cauſæ ex ſententia Ariſtotelis inueſtigantur ex eis quæ nobis notiora ſunt: Sunt au
1.2.3. tem(inquit)primum nobis manifeſta & certa confuſa magis, poſterius fiunt ex eis
» nota elementa & principia,diuidentibus hæc.

Niſi ergo in eo libro ageretur de compoſitis,non ageretur de notioribus nobis: ergo non poſſemus inueſtigare cauſas. Conſequens eſt falſum, ex ſententia etiam Auerrois:ergo falſum eſt etiam,quod in libro Phyſic.non agatur de corpore. ergo perperam reddit Auerroes cauſam procemij libri de Cœlo & mundo.

1. Phyſic. Item,Ariſtoteles poſuit hoc ut principium:Nobis autem ſubijciantur omnia,aut
tex.11. quædam moueri. Quæ quidem non poſſunt eſſe niſi corpora.

Item ſequeretur,ut prius loquutus eſſet Ariſtoteles de accidentibus, quàm de ſubiecto ipſorum accidentium.Conſequens abhorret ab omni artificio,& eſt abſurdum,quia ſubiectum præcedit natura,& cognitione,& definitione, ſua accidentia.

Conſequentia probatur,quia tēpus,locus, & motus ſunt accidentia corporum: & de ipſis egit in libro Phyſicorum,quo in libro ex ſententia Auerrois non egit de corpore,quod eſt eorum ſubiectum:ergo prius egit de accidentibus,quàm de ſubiecto accidentium.

Item,cauſæ corporis,ſeu ſubſtantiæ uniuerſalis, inueſtigantur in libro Phyſic. & ſubſtantiæ corruptibilis & incorruptibilis,ut tales ſunt:ergo corpus uniuerſale, ſeu ſubſtantia compoſita uniuerſalis, & ſubſtantia ut incorruptibilis , & ut corruptibilis,eſt in libro Phyſic. conſiderata. Probatur conſequentia ex ipſo Ariſtotele, qui
12.Meta. duodecimo Meta.inquit:Præſens contemplatio de ſubſtantia eſt,quia principia &
tex.1. cauſæ ſubſtantiæ quæruntur.

Neq; dici poteſt,non eſſe eandem rationem.nam qui hoc dicunt, pauca illi quidem ſe conſiderare præ ſe ferunt, eſt enim apertiſsima eadem ratio.

Quod ſi diceret Auerroes in libro Phyſic.non agi de corpore,ut ex ipſius uerbis
2.Phyſic. patet illum dicere,etenim inquit: Et ſciendum eſt,quòd ſubiectum iſtius libri eſt na
com.3. tura,& principia naturalia,cum ſint communia rebus omnibus naturalibus:& ideo
» in hoc libro non definit corpus,neq; alia de quibus conſiderat naturalis, ſicut fecit
2.Phyſic. in principio Cœli & mundi:Et alibi: Et expreſsit ſuam intentionem in hoc libro,&
com.2. illa quæ ſunt ſubiecta,ſunt iſtius conſiderationis,ſunt cauſæ communes,& acciden-
» tia communia.Si ergo diceret Auerroes, ut dicit,non agi in lib.Phyſic. de corpore:
» fieri non poſſet ut redderet cauſam Procemij dicti.cùm ipſe eius ſit ſententiæ,ut patet, librum Phyſicorum eſſe per ſe partem philoſophiæ naturalis: quocunq; igitur ſe uerterit,ut iaceat eius ſententia neceſſe eſt.

Ex quibus omnibus planè effici uidetur, non eſſe redditam ab Auerroe bonam cauſam,quare Ariſtoteles in primo de Cœlo & mundo poſuerit procemium uniuerſalius, quàm in libro Phyſicorum. Reſtat igitur opinio noſtra, quòd hoc fecerit,quia liber ille de Cœlo, erat principiū uerum per ſe philoſophiæ naturalis:ut uidelicet hoc indicaret,librum Phyſic. quia poſitus fuit in principio, philoſophiæ naturalis,non eſſe uerè partem philoſophiæ naturalis, ſed ipſi maximè utilem ac neceſſarium,utpote qui ſubijci debet ab ipſa philoſophia naturali,ſicut minus uniuerſale ſupponit magis uniuerſale,ut det unitatem illi ſcientiæ.

SECTIO SECVNDA.

PRæterea clarè(mea quidem ſententia)hoc intelligi poteſt ex eo rerum ordine ac ſerie,quam poſuimus,ſic enim argumentor:Inter ens, & corpora Cœleſtia, & elementa,& mixta,non eſt aliud corpus interiectum ac medium, niſi ſubſtantia quæ eſt prædicamentum,& ſubſtantia incorruptibilis & corruptibilis, ſicut apparet ex libris Ariſtotelis,& ex ratione etiā,ut dicemus. Ergo oportet ut liber Phyſicorum contempletur ſubſtantiam,quæ eſt prædicamentum, & ſubſtantiam incorruptibilē & corruptibilē: alioquin quæreret cauſas nullius ſubiecti, & nullius compoſiti. Probatur.quia non poteſt quærere cauſas corporis cœleſtis, ut eſt cœleſte:neq; elementorum,ut talia ſunt, neq; mixtorum:quia cauſæ, quas quærit, ſunt magis

magis uniuerſales ergo neceſſe eſt quòd diximus, ut quærat cauſas ſubſtantiæ, quæ eſt prædicamentum, & ſubſtantiæ incorruptibilis & corruptibilis, ut tales ſunt: ſed ſubſtantia quæ eſt prædicamentum, & incorruptibile & corruptibile, attinent ad primam philoſophiam: Ergo liber Phyſicorum attinet ad primam philoſophiam primò & per ſe. uel cogimur dicere, nihil illum quærere: & per id quod ſequitur neceſſario, eſſe ſuperuacaneum: quia omnes res quas diximus, erunt conſideratæ à prima philoſophia, & à philoſophia naturali, incipiendo à primo Cœli, uſq; ad ſpecies ſpecioſiſsimas. Nam prima philoſophia contemplabitur ſubſtantiam quæ eſt prædicamentum, & ſubſtantiam incorruptibilem & corruptibilem: Philoſophia uerò naturalis, cœlum, elementa, & mixta, & ſic nihil reſtabit libro Phyſicorum. Neceſſe ergo erit, ut uel contempletur res particulares, quæ attinent ad philoſophiam naturalem: quod fieri non poteſt, cùm ipſe loquatur de uniuerſalibus, uel res uniuerſales, quæ à prima philoſophia conſiderantur. non ſunt enim aliæ res: non ergo ad philoſophiam naturalem attinebit. Quia ſi ad philoſophiam naturalem primò & per ſe attineret, fieri non poſſet ut contemplaretur res quæ primò, & per ſe attinent ad primam philoſophiam: Quandoquidem una & eadem res ſciendi cauſa conſiderata, non poſſit attinere ad duas ſcientias. Eſſet enim, ut patet, altera omnino ſuperuacanea. Quod ſi accidit, ut una, & eadē res conſidereť in duabus ſciētijs ſciendi cauſa, neceſsitas cogit, ut una induat ueſtē alterius, quatenus adiuuatur ab illa, ſicut fit.

Item, illæ ipſæ cauſæ quæ ſunt in libro Phyſicorum, ſunt in prima philoſophia: ergo neceſſariò ſequitur, ut illa ipſa ſubſtantia quæ eſt ſubiecta in prima philoſophia, ſit ſubiecta etiam in libro Phyſicorum.

Probatur conſequentia: quia cauſæ eædem neceſſariò referuntur ad idem ſubiectum: cauſæ enim ſunt ipſius ſubſtantiæ. neceſſe igitur eſt, ut referantur ad id quod efficitur ex ipſis. quæruntur enim cauſæ, ut ſciamus ea quæ efficiuntur ex ipſis. Hoc idem probatur eadem ratione, ut dictum eſt, qua Ariſtoteles probauit primam philoſophiam contemplari ſubſtantiam: Cauſæ enim (inquit) ſubſtantiæ & principia quæruntur, ergo præſens contemplatio eſt de ſubſtantiá. 12. Meta. tex. 1.

Arguo item ego ſic: In libro Phyſicorum quæruntur cauſæ ſubſtantiæ, igitur ſubiectum in libro Phyſicorum eſt ſubſtantia. Conſequentia perſpicua eſt. Antecedens probatur: Primum efficiens, & primus finis, & prima materia & forma generalis, ſunt cauſæ ſubſtantiæ, quatenus eſt ſubſtantia, & inueſtigantur in libro Phyſicorum, ut patet: ergo in libro Phyſic. conſideratur ſubſtantia, quatenus eſt ſubſtantia.

Quòd autem cauſæ illæ ſint cauſæ ſubſtantiæ, quatenus ſubſtantia eſt, & ſubſtantia incorruptibilis, & corruptibilis, manifeſtum eſt: quia ſunt prima materia, & forma generalis: & materia cœli, ut materia, non ut materia particularis cœli: & forma, ut forma, nō ut forma particularis cœli. quia ut forma, facit cœlū eſſe ens, & ſubſtantia: ut uerò forma particularis, facit cœlum eſſe cœlum. Iſtæ uerò cauſæ ut ſic, ſunt cauſæ ſubſtantiæ, quatenus eſt ſubſtantia: quia non poſſunt ita adiungi ut propriæ ſint, niſi ſubiecto generali: & ut primæ materiæ (ut dicemus) incorruptibilium, quę & ipſæ differunt ſpecie, cauſæ corporum ſunt, & prima materia quæ eſt in potentia, præterq; quod ut materia eſt cauſa entis & ſubſtantiæ, ut prima eſt cauſa corruptibilium, ut corruptibilia ſunt, tum partim colligitur ex libro primæ Philoſophiæ. Non enim doceret cauſas uniuerſales entis, & ſubſtantiæ incorruptibilis & corruptibilis. Itidem dicatur de libro Phyſicorum: niſi etiam declararet ultimum finem, & primum, non explicaret cauſam uniuerſalem generalem, quod eſt euertere ueritatem: quia in eo libro, & ex eis quæ ibi perſpicue traduntur, perſpicuum eſt, agi de cauſis uniuerſalibus omnium rerum naturaliū: quicquid dicat Auerroes de prima forma, & ultimo fine, ridicula enim mihi uidentur eſſe quæ dicit, & conuellere ſententiam Ariſtotelis, & ueritatem, ut oſtendemus. nā quo medio liber Phyſicorum probat ſubſtantias eſſe abſtractas, ex eodem medio ſequitur ut ſint finis, & prima forma: quemadmodum ex eis etiam quæ dicentur erit perſpicuum.

SECTIO TERTIA.

NEq; enim fieri poteſt ut dicatur, quòd nonnulli alioquin illuſtres philoſophi dixerunt, in libro Phyſicorum conſiderari cauſas uniuerſales, in cæteris uerò

libris philoſophiæ naturalis cõpoſita ex illis cauſis. nam præter quàm quod dictum eſt, cauſas illas eſſe cauſas primi philoſophi, ut patet: nihilominus hoc aſſerere, eſt (meo quidem iudicio) præ ſe ferre ignotionem philoſophiæ naturalis: quippe quæ non progreditur in rerum cognitione, ſicut progreditur natura in rerum generatione, quæ quidem primum efficit (ut ita nunc dicamus) cauſas, deinde ex cauſis efficit compoſita: ſicut ars etiam quæ imitatur naturam, primò efficit lapides, cementum, deinde parietes, poſtremò efficit domum. Etenim non mouentur homines à cauſis ad philoſophandum: ſed à compoſitis, quæ per ſe exiſtunt, & quærimus cauſas ipſorum. alioquin nunquam philoſophati eſſemus. neceſſe enim fuit, ut ſenſus primò mouerentur: niſi enim aliquid ſenſiſſemus, nunquam ad diſcendum commoti fuiſſemus. Vt igitur ſe habent primò compoſita in natura, ita per ſe proficiſcimur ad cauſas inueſtigandas: & ſicut eſt ordo compoſitorum in natura, ita erit per ſe ordo in inueſtigatione cauſarum. alioquin cauſæ inueſtigarentur propter ſe, & ſine compoſitis: quod eſt non ſolum pugnantia, uerùm etiam (quod multo magis abſurdũ eſt) negantia aſſerere. Fieri enim non poteſt, ut cauſæ propter ſe inueſtigentur: quia fieri non poteſt, ut per ſe moueant ſenſum & intellectum. nuſquam ergo cauſæ poſſunt eſſe ſubiectum. Quòd ſi inſcribuntur aliqui libri ab ipſis cauſis, ut liber de Principijs & de Anima, non inſcribuntur, quia in eis libris anima ſit ſubiectũ, neque principia propter rationem dictam: ſed ut notetur differentia aliarum cauſarum, quæ inueſtigantur in alijs libris.

Neque illud obſtat, quòd cauſæ eſſent imperfectiores compoſitis, ut deus cœlo: quia alia eſt ratio perfectionis in natura, alia ſcientiæ. etenim ſciẽtia fit propter nos, & propter noſtram imbecillitatem. accidit autem, ut non moueamur à cauſis, ſed à compoſitis. Admirantes enim cõpoſita, & accidentia compoſitorum, moti ſunt phi-
1. Meta. loſophi ad philoſophandum. Non eſt ergo ordo in philoſophia naturali, cauſarum ad compoſita: ſed cauſarum ad cauſas, & compoſitorum ad compoſita, ut patet ex ea arbore quam in ſuperioribus poſuimus. & compoſita ſunt ſemper in tota prima philoſophia, & in tota philoſophia naturali ſubiecta, & in ſingulis partibus ipſius: quia in ijs uel quæruntur cauſæ compoſitorum, uel accidentium quę inſunt compoſitis. itaque ſemper compoſita ſunt ſubiecta, quia propter ipſa omnia quæruntur. Qui ergo uelit inuenire ſubiecta in Meth. & in philoſophia naturali, ubique inſpiciat ordinem illum rerum, ac ſeriem, quam deſcripſimus: & attẽdat cuiuſnam compoſiti cauſæ quærantur in illis libris, & accidentium: & pro certo habeat, illud compoſitum eſſe ſubiectum, cuius quæruntur cauſæ. ut in libro de Anima, quia quæruntur cauſę ex forma corporis animati, & accidentium ipſius, non debemus dicere animam eſſe ſubiectum, ſed corpus animatum: quantum pertinet ad illa principia, quæ ſunt ex forma. non enim unquam nos moti fuiſſemus ad quærendam noticiam animæ, niſi uoluiſſemus ſcire naturam corporis animati, quod ſenſibus noſtris medio ſuorum accidentium occurrit. Qui ergo dicunt, id quod retulimus, non defendunt, librum Phyſicorum non eſſe primæ philoſophiæ.

Item, oportuiſſet præcedere alios libros particulares philoſophiæ, antequam cógnoſceremus cauſas libri Phyſicorum. Ergo perperam dicunt, quòd in illo libro de cauſis, & in alijs libris de eis quæ fiunt per illas cauſas, agatur. Probatur antecedens: quia cauſæ non poſſunt, ex ſententia Ariſtotelis inueſtigari, niſi ex compoſitis, quæ tractantur in alijs libris. ſtultè igitur Ariſtoteles egiſſet de cauſis in prima parte philoſophiæ naturalis, ſiquidem non poſſent ibi cognoſci.

Item, illæ cauſæ de quibus agitur in libro Phyſicorum, non poſſunt eſſe propriæ cauſæ eorum compoſitorum de quibus agitur in alijs libris philoſophiæ: ergo non poteſt dici, quod in libro Phyſicorum agatur de cauſis, & in alijs libris de compoſitis quæ fiunt ex illis cauſis. Antecedens perſpicuum eſt: etenim ſunt communes cauſæ, & uniuerſaliores illis compoſitis. Patet etiam conſequẽtia: quia compoſita, de quibus agitur in cæteris libris philoſophiæ naturalis, ſunt compoſita particularia, quæ fiunt ex cauſis proprijs: (etenim unumquodque eſſe habet à ſua cauſa propria) non ergo fieri poteſt ut fiant à cauſis illis uniuerſalibus, quippe quæ non idoneæ ſunt.

Item, illæ cauſæ uniuerſales, aut conſtituunt aliquod proprium compoſitum, aut non

non conſtituunt. ſi non conſtituunt, ergo fruſtrà de illis agitur. quia cauſæ, tum demum cauſæ dicuntur, cùm aliquem effectũ conſtituunt: uel uniuerſalem, ſi ſint uniuerſales: uel particularem, ſi particulares. ſin autem proprium aliquem effectũ conſtituunt, uel de ipſo agitur in philoſophia naturali, uel non agitur. ſi nõ agitur, ergo fruſtrà quæruntur eius cauſæ in philoſophia naturali. cauſæ enim quæruntur, ut ſciamus unũquodq;. Sin autem de ipſo agitur in philoſophia naturali, uel in libris particularibus agitur, uel in libro Phyſicorum. at non in libris particularibus agitur, in quibus tractatur de compoſitis particularibus: ergo in libro Phyſicorum agetur de corpore compoſito, quod eſt contra id quod aſſerunt.

Item, compoſitum quod fit ex illis cauſis, uel eſt idem quod ſubſtantia compoſita, uel non eſt idem. ſi non eſt idem, detur iſtud: non enim patet ſenſui. quia nos non uidemus niſi ſubſtantiam compoſitam inter ens, & Cœlum & Elementa, & mixta: & Ariſtoteles in ſuis libris nõ declarat aliud. Mancus igitur fuiſſet Ariſtoteles in rebus pertractandis: non enim declaraſſet hoc ſubiectum, ſiquidem eſt idẽ quod ſubſtantia compoſita: nec poteſt alibi de eo agi, ꝙ in lib. Phyſicorum: ergo liber Phyſic. eſt pars primæ philoſophiæ: non igitur eſt pars philoſophiæ naturalis.

Item, illæ cauſæ proprie attribuuntur ſubſtantiæ, quatenus eſt ſubſtantia, quæ conueniunt in faciendo aliquid eſſe ens & ſubſtantiam: & ut ſunt primæ cauſæ, ſunt propriè attributæ ſubſtantiæ incorruptibili & corruptibili, ut dicemus: ergo non poſſunt propriè conuenire alteri ſubiecto ab illis. ergo attinent ad primum philoſophum, quia adiunguntur illis quæ attinent ad primam philoſophiam. Probatur antecedens: quia materia, ut materia, & forma, ut forma, ſunt cauſæ ſubſtantiæ, quatenus eſt ſubſtantia & materia in actu, ut ita nũc dicamus: ut prima eſt cauſa ſubſtantiæ incorruptibilis, ut incorruptibilis eſt: et materia in potentia, ut in potentia. & ita ut prima materia in hoc genere eſt cauſa ſubſtantiæ corruptibilis, ut eſt corruptibilis: ipſę enim nõ habent alias cauſas: ſunt ergo attributę, & adhęrent illis ſubſtantijs, quas diximus. Quare concludendum mihi uidetur, eas ſubſtantias, quæ ſunt conſideratæ in libro Phyſicorum, & eas quæ ſunt conſideratæ in prima philoſophia, eſſe eaſdem: quia ſunt eædem cauſæ, & principia in utriſq;.

Neq; illud audiendum eſt, quod nonnulli ſolent dicere, uidelicet eandem eſſe ſubſtantiam quæ conſideratur in libro Phyſic. & quæ conſideratur in prima philoſophia. Item, eaſdem eſſe cauſas quæ utrobiq; conſiderantur, ſed non eodem modo conſiderari: quia in libro Phyſic. conſideratur ſubſtantia, ut eſt tranſmutabilis: & mutabilis: & cauſæ, ut ſunt cauſæ talis ſubſtantiæ. in prima autem philoſophia conſideratur ſubſtantia, non ut eſt tranſmutabilis, ſed ut eſt ſubſtantia: & cauſæ, ut ſunt cauſæ ſubſtantiæ ſimpliciter. & hoc modo putant ſe fugere argumenta à nobis allata.

Sed hæc opinio uidetur omnino omnem Ariſtotelis doctrinam euertere. & primò ſic argumentemur, qua ratione ſuprà etiam uſi ſumus: Principia ſubſtãtiæ, quatenus eſt ſubſtantia, conſiderantur in libris Phyſicorum: ergo hæc conſideratio eſt ſubſtantiæ, ut ſubſtantia eſt. Antecedens concedunt illi ipſi qui dictam reſponſionem afferunt: quanq; ita perſpicuum eſt, ut à nemine negari poſsit. Conſequentia item manifeſta eſt. nam ſi non ualet hæc, non ualebit etiam illa, qua probauit Ariſtoteles ſubſtantiam conſiderari in prima philoſophia. ratio enim diuerſitatis nulla deſignari poteſt. nam cùm ſint eadem principia ut ad eandem referãtur naturam (12. Meta. tex. 1.) neceſſe eſt. Principium enim dicitur eius, cuius eſt principium. ſemper enim intelligamus de principali conſideratione: quia non eſt dubium quin inferiores facultates conſiderent aliquando id quod ſuperiores, applicando illud ſibi ipſis (ut dicemus) & induendo ueſtem ſuperiorum. quod quidem poſſunt facere, quia ſunt poſteriores: ſuperiores uerò non poſſunt ſic accipere à poſterioribus ex natura rei, & per ſe, quia ſunt natura priores. in illo enim priori natura intelliguntur eſſe facultates ſuperiores, non exiſtentibus etiam inferioribus: ſicut in illo priori naturæ poteſt eſſe animal, non exiſtentibus ſuis ſpeciebus. neq; enim animal, quod eſt ſuperius, & re ipſa debet eſſe prius, naturà poteſt petere ſuam ſubſtantiam, & ſui noticiam à ſpeciebus ſuis, quæ ſunt poſteriores natura: eſſet enim idem prius & poſterius naturà, quod eſt negantia aſſerere,

Item, ad eam facultatem ad quam attinet ſubſtantia, neceſſariò attinent proprietates quæ conueniunt ſubſtantiæ. hæc ita in prompta eſt, ut nulla oſtenſione indigere uideatur: alioquin alia facultas conſideraret ſubſtantiam alicuius rei, alia proprietates: quod quidem eſt omnem Ariſtotelis doctrinam euertere.

Sed eſſe tranſmutabile, eſt proprietas ſubſtãtiæ: ergo ad illam attinet facultatem, ad quam ipſa ſubſtantia. At hæc facultas eſt prima philoſophia: ergo nulla alia facultas, præter primam philoſophiam, poteſt primò cõſiderare ſubſtãtiam, ut eſt tranſmutabilis: alioquin confunderentur ſcientiæ. Quod autem eſſe tranſmutabile ſit proprietas ſubſtantiæ, probatur ex uerbis Ariſtotelis in prædicamento ſubſtantiæ, » quæ ſunt huiuſmodi: Maximè uerò ſubſtantiæ proprium eſſe uidetur, quod cùm » unum & idem numero ſit, contrariorum ſuſceptibile eſſe: ut homo cùm unus & » idem numero ſit, aliquando quidem niger, aliquando autem fit albus, & calidus, & » frigidus fit.

Vult enim, proprium eſſe ſubſtantiæ ſuſcipere contraria: ergo propriũ eſt illius tranſmutari, quia tranſmutatio eſt ad contraria: ergo attinebit ad illam facultatem, ad quam attinet ſubſtantia. Ergo nihil eſt quod eam contempletur philoſophia naturalis: quia ſubſtantia, ut cætera prædicamenta, attinet ad primam philoſophiam, ſicut alibi ſatis nos oſtendiſſe arbitramur: at de hoc quòd ſubſtantia tranſmutetur, agitur in libro Phyſicorum: ergo liber Phyſicorum non eſt pars per ſe philoſophiæ naturalis, ergo primæ philoſophiæ.

Item, prima philoſophia conſiderat ſubſtantiam compoſitam ex materia in potentia, & ex forma generali: ergo conſiderat ſubſtantiam, quatenus eſt generabilis & corruptibilis & tranſmutabilis. Conſequentia ſatis clara eſt: quia omne compoſitum ex materia in potentia, & ex forma generali, eſt generabile & corruptibile, ut patet. Antecedens uerò probatur: quia in prima philoſophia Ariſtoteles inueſtigat
7. Meta. materiam, quæ eſt in potentia, & formam generabilem & corruptibilem, ut patet
tex. 4. ex uniuerſo proceſſu illo, ubi declarat materiam etiam in potentia, & probat mate-
8. Meta. riam non generari, neq; formam generari, ſed compoſitum.

12. Meta. Item, niſi ſubſtantia generabilis & corruptibilis conſideraretur in prima philoſophia, fruſtrà in eo libro refelleret Ariſtoteles ideas hac ratione, quòd non ſint cauſa generationis & corruptionis ſubſtantiarum. non enim hoc ad rem pertineret, ſi qui-
7. Meta. dem ibi non ageretur de ſubſtantia tranſmutabili: ſed Ariſtoteles refellit ideas ratione dicta: ergo ſubſtantia generabilis & corruptibilis attinet etiam ad primam philoſophiam. Antecedens declarauit Ariſtoteles multis in locis, & maximè ubi dicit:
7. Met. Patet ergo formas ipſas (ut quidam dicere formas conſueuère) ſi ſint præter ſingula-
tex. 33. ria quædam, non utiles ad generationes, atq; ad producendas ſubſtantias eſſe, neq; » ob hæc ipſas ſeparatas in ratione rerum ſubſtantiarum eſſe ponendas.

5. Meta. Item, luce clarius oſtendit, quòd ſubſtantia generabilis & corruptibilis attinet » etiam ad primam philoſophiam, cùm ait: Subſtantiæ enim dicuntur & ſimplicia » corpora, ut ignis, terra & aqua, & quæ ſunt ſimilis generis, & corpora omnino: & » ea quæ ex his conſtant, animalia inquam, & dæmonia, & cætera. Etenim hic diſtinguit ſubſtantiam quæ attinet ad primum philoſophum, & oſtendit ipſam dici de generabilibus & corruptibilibus: ergò primus philoſophus cõſiderat etiam ſubſtantiam generabilem & corruptibilem.

Item, uniuerſus liber primæ philoſophiæ quærit eadem principia quæ liber Phyſicorum, & ponit eaſdem opiniones de illis, atq; eodem modo refellit, quia uidelicet non ſint idonea ad res generandas: ergo neceſſe eſt ut prima philoſophia conſideret res generabiles & corruptibiles: alioquin fruſtrà & uanè quæſiſſet illa principia, & ea refelliſſet, ut nõ idonea ad res generabiles & corruptibiles conſtituendas. Conſequentia perſpicua eſt. Antecedens patet legentibus illum primum Meta. librum. Quæ omnia cùm ita ſint, profectò non licet dicere, hoc intereſſe inter librum Phyſic. & primam philoſophiam, quòd liber Phyſic. conſiderat ſubſtantiam tranſmutabilem, prima uerò philoſophia non conſiderat. nam utrobique agitur de eadem ſubſtantia: ſunt enim eadem principia, & eædem cauſæ. Quod item oſtendit
7. Meta. Ariſtoteles in Meta. in uniuerſo illo proceſſu, in quo loquitur de generatione ſub-
tex. 15. ſtantiæ, & maximè cùm hæc uerba concludit: Patet autem ex his quæ diximus, & uniuer-

uniuerſâ quomodo ſi non per accidens fiant, ex eo quod eſt eiuſdem nominis rationiſq; fieri, ut res naturales, aut aliqua ex parte tali, ut domus ex domo, aut à mente.

Hanc eandem ſententiam uidetur ſignificaſſe ijs uerbis: Nunc autem de his ſub- 8 Meta. ſtantijs pertractemus, quas omnes eſſe fatentur. hæ uerò ſunt ſenſibiles ipſæ ſubſtan- tex. 1. tiæ, quas quidem materias uniuerſas habere conſtat. eſt autem ipſum ſubiectum ſubſtantia, alio quidem modo ipſa materies. atq; materiam eam dico, quæ non actu hoc aliquid, ſed potentia eſt. alio uerò modo ratio atq; forma, quidem eſt hoc aliquid, atq; ſeparabile ratione. tertium autem eſt id quod ex hiſce conſtat, cuius generatio ſolius eſt, atq; corruptio, quodq; ſimpliciter eſt ſeparabile.

Proponit enim, ſe uelle loqui de ſubſtantia generabili & corruptibili: ergo ſubſtantia generabilis & corruptibilis, & tranſmutabilis, attinebit ad primam philoſophiam, ut perſpicuum eſt ex ipſo Ariſtotele.

Item, cùm ex cauſarum conſideratione concludit Ariſtoteles, ſubſtantiam conſiderari: neceſsitas cogit ut etiam nos concludamus, illam ſubſtantiam conſiderari in ordine ad illas cauſas. ex quo poſtea neceſſariò ſequitur conſiderare ſubſtantiam corruptibilem, quia eſſe ipſius & ratio formalis ducitur ac dependet ex illis cauſis: ergo ſua definitio accipietur ex illis cauſis, non ex accidentibus ſuis, ut eſt tranſmutatio. definitio enim declarat ſubſtantiam. Miſſum etiam facio, quod hæc reſponſio eſt uoluntaria.

Item, conſiderare aliquid in ordinem ad ſuas paſsiones, non eſt conſiderare illud in diuerſa ſcientia ab ea quæ conſiderat ſubſtantiam ipſius. ergo quantum ad hoc attinet, liber Phyſic. nõ erit diuerſa ſcientia à prima philoſophia. quod eſt illud, quod uolumus.

Item Ariſtoteles primo Cœli oſtendit, quòd in philoſophia naturali quæruntur 1. Cœli. principia ſubſtantiæ, non ut ſubſtantia eſt, ſed particularis: ergo non ut tranſmuta- tex. 1. tur. Antecedens probatur ijs uerbis, quæ citauimus etiam in ſuperioribus ob alias occaſiones: Scientia de natura ferè plurima uidetur circa corpora & magnitudines, & horum exiſtens paſſiones & motus, adhuc autem circa principia quæcunq; talis ſubſtantiæ ſunt.

Vult ergo, quòd uerſetur circa principia ſubſtantiæ talis, quæ eſt ſubſtantia corporea particularis. alioquin philoſophia naturalis non traderet cognitionem ſubſtantiarum, ſed quatenus ad accidentia referuntur, ut dicemus.

Item contemplatio ſubſtantiæ, quatenus ſubſtantia eſt, de qua agit Ariſtoteles in Metaphyſica, eſſet imperfecta & manca. Conſequens eſt falſum: ergo & id unde fluxit. Antecedens probatur: quia non declaraſſet omnia eius accidentia, & proprietates: quod quidẽ abſurdũ eſt. Cõſequentia probatur: quia illa ſubſtantia, cuius naturam & formam inueſtigat, eſt corpus: ergo eſt mobilis, & eſt in loco.

Etenim oportet ut ſit ſenſibilis: Ariſtoteles autem dicit, quòd omne corpus ſen- 3. Phyſ 54 ſibile eſt in loco. Et paulo pòſt, quòd omne corpus eſt in loco, quandoquidem hæc accidentia ſint communia omnibus corporibus. ſi ergo non eſſet eadem ſubſtantia, cognitio ipſius in prima philoſophia eſſet imperfecta, quia non tradidit Ariſtoteles cognitionem horum accidentium in prima philoſophia, quod eſt abſurdum de tanto philoſopho affirmare.

Præterea illi ſubiecto, cui primo conuenit materia prima, dicitur conuenire primò tranſmutatio: Subſtantia, quæ conſideratur in prima philoſophia, eſt illa, cui primò conuenit materia prima: de hac propoſitione ambigi non poteſt, quia nulla ſubſtantia eſt ipſa uniuerſalior. & quod cõuenit uniuerſalori, & inferiori per prius, conuenit ſuperiori: ut ſi ἰσοσκελεῖ καὶ σκαληνῷ tres angulos habere conuenit, neceſſe eſt ut id ipſum prius conueniat. triangulo, ut patet ex ipſo Ariſtotele. Ergo ſubſtan- 1. Poſt. tiæ, quæ conſideratur in prima philoſophia, primò conuenit tranſmutatio. Ergo cap. 17. conſentit rationi, ut illa ſit prima, quæ conſideretur in ordine ad ipſam tranſmutati- 4. Meta. onem. Ergo philoſophus naturalis non poteſt differre à primo philoſopho: quia tex. 22. conſideret res, quatenus tranſmutantur. quoniam hæc tranſmutatio prius conuenit ſubſtantiæ, quæ à prima philoſophia conſideratur: quæ ſubſtantia, quia eſt uni-

uerſalior,eſt prior natura rebus naturalibus. et ita in illo priori eſt tranſmutatio,cùm nondum ſint res naturales.

Item,tranſmutatio pertinet ad primam philoſophiam primò, ergo non poteſt pertinere ad philoſophiam naturalem, niſi quatenus philoſophia naturalis induit ueſtem primæ philoſophiæ. Antecedens ex eis quæ dicta ſunt patet. Conſequentia probatur: quia una res non poteſt pertinere ad diuerſas ſcientias: quandoquidem cùm omnes ſcientiæ habeant eandem formam,ſi etiam haberent eandem materiam,non eſſent inter ſe diuerſæ,ſed una eſſet tantum ſcientia. At philoſophia naturalis,& prima philoſophia,iam ſunt poſitæ ut duæ ſcientiæ inter ſe diuerſæ: ergo tranſmutatio conſiderata in utraq;,eſt alterius. Primò itaq;,ſi conſideratur in philoſophia naturali,accipitur à prima philoſophia ex ſuppoſitione, ut poteſt colligi ex

4. Meta. ipſo Ariſtotele.

tex. 21. Item,in libro Phyſicorum ſunt eædem omnino cauſarum definitiones, & eædem omnino demonſtrationes, quæ ſunt in Metaphyſica: ergo non poteſt liber Phyſic. differre à Metaphyſica. eo quòd conſideret illas cauſas ut referũtur ad tranſmutationem,Metaphyſica uerò non ita conſideret,ſed neceſſe eſt ut eadem ſit omnino ſcientia. Conſequentia nullam habet controuerſiam. Antecedens patet ex ipſis definitionibus illarum cauſarum,quæ ponuntur in libro Phyſicorum,& in prima philoſophia. Demonſtrationes item eaſdem eſſe,apparebit inſpicienti illas aliarum. nunc ſatis erit ponere quæ ſunt principaliores.

Corpora tranſmutantur: Ergo habent materiam in potentia ſubiectam, quæ eſt illius tranſmutationis cauſa. ſic autem uidetur ad formam ſyllogiſticam redigi poſſe.

Omne quod tranſmutatur de contrario in contrarium, dicitur habere materiam in potentia ſubiectam,quæ eſt cauſa illius tranſmutationis. Corpora ſublunaria tranſmutantur de contrario in contrarium,ut de caliditate in frigiditatem. Ergo corpora ſublunaria dicuntur habere materiam in potentia ſubiectam,quæ eſt cauſa illius tranſmutationis. Minor propoſitio clara eſt. Maior item perſpicua eſt, quia contrarium non poteſt recipere contrarium. Ergo neceſſe eſt,ut reperiatur aliquod ſubiectum ſub illis contrarijs,quod recipiat utrumq;.

Item,motus cœli eſt æternus: ergo formæ cœleſtes, quæ intelligentiæ dicuntur, ſunt abſtractæ à materia. Quæ ratio pro tempore redigatur ſic ad formam ſyllogiſticam. Omne quod mouet æterno tempore,eſt abſtractum à materia: niſi enim à materia eſſet abſtractum,non moueret æterno tempore,quia defatigaretur. Formæ cœleſtes,quæ dicuntur intelligentiæ,mouent æterno tempore. Ergo ſunt abſtractæ à materia.

Hæ demonſtrationes omnino ſunt eædem & in libro Phyſicorum, & in prima philoſophia. ergo neceſſe eſt ut uel ſcientia illa ſit eadem, uel una ſit pars alterius, neq; differant: eo quòd una conſideret res quatenus tranſmutantur, altera non ita conſideret.

1. Poſt. Probatur conſequentia: quia ratio Ariſtotelis, qua concludit non licere ex alio

cap. 7. genere in aliud deſcendentem demonſtrare, nihil probaret. eius autem hæc ſunt „ uerba,quæ attulimus etiam in ſuperioribus ob aliam occaſionem. Tria ſunt in de- „ monſtrationibus: unum quidem quod demonſtratur, Concluſio. hoc autem eſt, „ quod alicui eſt per ſe: unum autem, dignitates. Dignitates autem ſunt, ex quibus. „ tertium genus autem ſubiectum, cuius paſſiones, & per ſe accidentia, oſtendit de- „ monſtratio.

Ex quibus igitur demonſtratio fit,in ijs contingit eandem eſſe cauſam. Cauſa ergo cur non poteſt demonſtratio ex genere in genus deſcendere,hæc eſt: quia medius terminus,& extrema inter ſe cohærent, & proprietate conueniunt. & per id quod neceſſariò ſequitur,ſunt eadem. Quare in priore demonſtratione quam attulimus: ſi medius terminus, uidelicet illud quod tranſmutatur de contrario in contrarium, reciprocat cum eo,quod habet materiam in potentia: ac rurſus illud quod habet materiam in potentia, reciprocat cum eo quod tranſmutatur de contrario in contrarium: igitur proprietate conueniunt. Minor enim extremitas ut conuertatur cum medio termino,& cum maiori extremitate,oportet.

Eadem eſt ratio alterius demonſtrationis: quia medius terminus, uidelicet quòd eſt mouens æterno tempore conuertitur cũ maiori extremitate, id eſt cum eo quòd eſt abſtractum à materia, & è contrario. igitur ut proprietate conueniant, neceſſe eſt. & licet ſint demonſtrationes à poſterioribus, non uideo quomodo poſſint deſcendere de genere in genus. quod ſi deſcendunt, concidet demonſtratio Ariſtotelis loco citato. Neceſſitas igitur cogit, ut dicamus, quòd non deſcenditur, ſed quod eſt eadem ſcientia. & ita duo habebimus: alterum, quòd liber Phyſicorum eſt pars primæ philoſophiæ, quod eſt illud ipſum quod nos oſtendere inſtituimus: alterum, quòd non licet dicere ſubſtantiam conſiderari in libro Phyſicorum, quatenus tranſmutatur. in Metaphyſica uerò alio modo: quia cùm utrobique ſint eædem met demonſtrationes, & eædem met concluſiones, ut eodem modo utrobiq; conſideretur neceſſe eſt.

SECTIO QVARTA.

Neq; illud dici poteſt, quod dixit Auerroes, qui hæc ſcripta reliquit: Et conſideratio uniuerſalis in omnib. cauſis, in eo quod ſunt cauſæ, eſt huius ſcientiæ: & Ariſtoteles quamuis utatur hic demonſtrationibus ſcientiæ naturalis, tamẽ inducit eas uniuerſalius. quoniam quanto fuerit demõſtratio uniuerſalior, tanto magis erit proprior huic ſcientię. & Ariſtoteles obſeruat, ſe in hac iteratione, ſcilicet inducẽdo demonſtrationes uniuerſales, alio modo quàm in ſcientia naturali. & hæc eſt cauſa in iteratione illarum demonſtrationum in hac ſcientia, ut fecit in tractatu primo. Auer 2. Meta. com. 6.

Quia fieri non poteſt, ut illæ demonſtrationes ſint uniuerſaliores in prima philoſophia, quàm in lib. Phyſicorum, cùm utrobiq; (ut diximus) ſit idem medius terminus, eadem maior extremitas, & eadem concluſio. neq; enim ea quę conuertuntur, ex ea parte qua conuertuntur, poſſunt non eſſe æqualia: non ergo poterunt ſic ſe habere, ut uniuerſaliori modo accipiantur in uno quàm in alio loco, cùm ubiq; reciprocentur.

Quare fieri non poteſt, ut hæ propoſitiones, Omne quod tractatur, habet materiam in potentia: &, Omne quod æterno tempore mouetur, eſt abſtractum à materia, cùm conuertantur, ut dictum eſt, cõſiderentur uniuerſalius in uno loco quàm in alio, ſed ſemper erunt ueræ in illa ampla ſignificatione, in qua intelligũtur ex ui ſua: & cùm ſint eædem demonſtrationes appropriatæ, utrobiq;, & in libr. Phyſicorum, & in Meta. neceſſariò ſequitur, ut ſubſtantia, cuius illæ ſunt demonſtrationes, ſit eodem modo utrobiq; conſiderata: quandoquidem neceſſe ſit, ut quo modo quiſque demonſtratur, eo modo conſideretur. Naturam enim concluſionis ſequi naturam demonſtrationis, oſtendit Ariſtoteles in multis locis, ut diximus ſuperius.

Præterea quærimus ab Auerroe, nunquid demonſtrationes illæ quæ conſiderantur in Meta. uniuerſaliori modo ſint ſeiunctæ à demonſtrationibus philoſophiæ naturalis, nec ne. ſi non ſunt ſeiunctę, ergo nihil refert utrum cõſiderentur uniuerſaliori modo, nec ne: quia ſemper erunt demonſtratiões philoſophiæ naturalis. ergo fruſtra dat iſtam diſtinctionẽ. Si ſunt ſeiunctæ, idq; per motum uniuerſalem, ergo prima philoſophia nõ accipit ipſas à philoſophia naturali: quia motus uniuerſalior eſt prior motu particulariori, & non eſt idem. 1. Poſt. cap. 1.

Item prima philoſophia conſideraret motum, ergo haberet medium terminum ad inueſtigandas ſubſtantias abſtractas. quod cùm euertat ſententiam Auerrois, ut nihil ſit quod reſpondet neceſſe eſt. ſequitur ergo, nos rectè ipſum dixiſſe, philoſophiam naturalem initium capere à libro de Cœlo. Vnde neceſſariò efficitur librum Phyſicorum non eſſe uerè et per ſe partem philoſophiæ naturalis, ſed primæ philoſophiæ, loquendo ex diuiſione trium ſcientiarum, facta propter eam cauſam quam diximus. 1. Phyſic. com. ult.

FINIS LIBRI DECIMIQVINTI EVERSIONIS *Singularis certaminis.*

LIBER

LIBER DECIMVSSEXTVS.

SECTIO PRIMA.

SED ſtatim diceret quiſpiam,præter ea quę allata ſunt:Quod dixiſti primã philoſophiam cõſiderare cauſas entis quatenus eſt ens,et ſubſtantiæ quatenus eſt ſubſtantia,& cauſas ſubſtãtiæ incorruptibilis & corruptibilis,& omnes cauſas intrinſecus exiſtẽtes,nõ uidetur carere maxima difficultate:quia cùm ens & ſubſtantia non ſint uniuoca, neq; genera(non enim reſpondet eis in re una natura ſubſtãtialis)ergo non poſſunt habere cauſas intrinſecus ipſa componentes,ut animal, & homo : quia accidentia intrinſecus non componuntur ex cauſis quæ ſunt ſubſtantiæ,ſicut ſubſtantiæ non componũtur ex cauſis quæ ſunt accidentia.Ergo fieri poteſt, ut philoſophia prima quærat has cauſas, cùm ens non poteſt eſſe ex illis compoſitum . Quod autem ſint accidentia,patet:quia non ſunt uniuoca . Quòd autem non ſint uniuoca,patet,quia ens prius dicitur de ſubſtantia, quàm de cæteris prædicamentis. Imò ratione ſubſtantiæ dicitur de alijs prædica-
4. Meta. tex.2. mentis,ut patet ex Ariſtotele. & ſubſtantia dicitur de incorruptibili,prius quàm de
1.Ethi. cap.7. corruptibili:Priori autem & poſteriori nihil eſſe cõmune uniuocum,multis in locis teſtatum reliquit Ariſtoteles,& conſtat ratione.

Præterea corruptibili & incorruptibili nihil poteſt eſſe cõmune uniuocum: corruptibile enim eſſet incorruptibile, & ẽ contrario. Deinde ens eſt eorũq; multipliciter
2.Polit. dicuntur,ergo non poteſt eſſe uniuocũ.Conſequentia patet. Antecedẽs perſpi-
3.Meth. cuũ eſt ex uerbis Ariſtotelis: Ens enim,inquit,eſt eorũ quæ multipliciter dicuntur.
4.Meta. tex.2. Item,nulla eſt cauſa,quare prædicamenta ſint entia,& unum:Ergo ens,quatenus eſt ens, non habet cauſas: quia ſi haberet cauſas,daretur cauſa quare eſſet ens, quia eſſet illa cauſa.ſed non datur iſta cauſa, quia prædicamenta ſtatim ſunt entia. Ergo
8.Meta. ens,ut ens,non habet cauſas. Antecedens probatur ex Ariſtotele,quippe qui di-
tex.14. xit: Quæ uerò neq; intelligibilem,neq; ſenſibilem materiam habent, eorum unum»
» quodq; ſtatim,unumquodq; propriè,quemadmodum & ens quid propriè,ſubſtan
» tia inquam,qualitas,quantitas.atque,non ſunt in eo quod eſt,& in uno tanquam in
» genere.Iccirco ut in definitionibus,nec id quod eſt,nec ipſum unũ accipitur.Quidi
» tasq; unum quod eſt continuo,quemadmodum & quippiam ens. Quapropter &
» nil aliud eſt cauſa,& unumquodq; iſtorum ſit unum,aut etiam ens. Continuò enim
» unumquodq; iſtorum, & unum quid, & ens, quid etiam eſt:non tamen à ſingulari-
» bus ſeparabilia ſunt.

Hinc enim colligitur ens non eſſe genus, neq; habere cauſas intrinſecus. Ita poſſet aliquis argumentari contra id quod à nobis dictũ eſt, cui difficultati reſpondentes dicimus,eam non ſolum eſſe contra nos,ſed etiam contra Auerroem, & contra omnes qui exiſtimant primam philoſophiam inueſtigare cauſas entis quatenus eſt ens,& ſubſtantiæ quatenus eſt ſubſtantia:& contra ipſummet Ariſtotelem,qui hoc
8.Meta. multis in locis clariſſimè ſignificauit,ut oſtenſum eſt in ſuperioribus.Et quia hęc eſt
2.Poſt. res admodum digna conſideratione,& à paucis(meo quidẽ iudicio)explicata,non
tex.36. dubitabimus tentare,ſi poſſimus afferre ſolutionem ex ſententia Ariſtotelis. Quid
60. poſtmodũ pręſtiterimus,aliorũ,qui in aliena uerba non iurauerunt,erit iudicium.
4. Top. Dicimus ergo:Ens non eſſe uniuocum,neq; uerè genus:& ita de ſubſtantia,pro-
cap.12. pter uerba Ariſtotelis,& ea quæ citauimus,& ea quæ multis alijs locis in eandẽ ſen
6.Top. tentiã ſcripta reliquit,& propter rationes dictas.ideoq; in definitionibus ueris non
cap.3. aſſumitur neque ens,neq; unum:quippe quæ non ſunt uniuoca uerẽ, neque æqui-
3.Meta. uoca fortuitò, ſed ex ijs æquiuocis quæ dicuntur ad unum, & ad unam naturam,
tex.39. quibus non reſpondet natura aliqua ſubſtantialis, ſed accidentalis , ut patet ex Ari-
7.Meta. tex.45. ſtotele,unde ſequitur neceſſariò,ens & unum et ipſam ſubſtantiam non habere cau
10.Meta. ſas componentes intrinſecus ipſa,quia ſunt accidentia. Sed ut diſſolutio huius quæ
tex.6. ſtionis melius percipiatur,altius incipiẽtes dicamus: Quod reperitur in re materia
11.Met. cœli,et forma cœli,quę conſtituũt ipſum cœlũ,et materia prima horũ inferiorũ,quę
tex.4.9. eſt in potentia,itẽq; forma quæ conſtituunt elementa, & mixta, & præter hæc nihil
4.Meta. reperitur in natura ſeparatum,& per ſe exiſtens, Non ergo illę cauſæ poſſunt pri-
tex.2. mum componere ens & ſubſtantiam. Quia

Quia non reperiũtur in re, ens & ſubſtantia ſeorſum exiſtentia. Itaq; cogimur concedere, quòd non ſunt compoſita intrinſecus. reſtat ut declaremus, quomodo tamen dicantur habere cauſas intrinſecus exiſtentes. Quod ſic uidetur explicari: quia materia Cœli, & materia horum inferiorum, itemq; forma cœli & forma horum inferiorum, conueniunt in hoc, quòd non ſolum conſtituunt ſua ſubiecta talia, ſed faciunt ut exiſtant in rerum natura, & per ſe exiſtant: & quatenus in hoc communi conueniunt, dicuntur eſſe cauſæ entis & ſubſtantiæ, quia uidelicet ſunt cauſæ corporum, quæ ſequuntur ens & ſubſtantia, ut ſint exiſtentia in rerũ natura. Itaq; ens & ſubſtantia dicuntur compoſita, & habere cauſas intrinſecus exiſtentes: quia illa corpora, quæ neceſſariò ipſa ſequuntur, ſunt compoſita: Et de hac compoſitione intelleximus, cùm diximus, Ens eſſe compoſitum: quia eius quod eſt ſimplex, non 1. Apol. ſunt cauſæ componentes: dicunturq; illæ cauſæ propriè cauſæ entis, quatenus eſt Sec. 1. ens: & ſubſtantiæ, quatenus eſt ſubſtantia: quia materia Cœli, ut talis, non eſt propria cauſa, quare omnes res ſint entia: quia multa ſunt entia, & ſubſtantiæ, quorum ipſa non eſt cauſa. Sed illud commune, quod eſt in materia Cœli, & in materia horum inferiorum, in quo utraq; conuenit, dicitur eſſe cauſa entis, & ſubſtantiæ. & iſtę cauſæ, ut ſic inueſtigãtur in prima philoſophia, & in lib. Phyſicorum. & ita rectè dictum eſt ab Ariſtotele, Prædicamenta nõ habere cauſas, quare ſint entia, ſed ſtatim eſſe entia. quia ens non dicit aliquam naturam ſubſtantialem præter ſuas ſpecies, quæ reperiatur in ipſis ſpeciebus: eſſet enim uerè genus.

Reſpondentes ergo ad formam argumenti. Concedimus, ſubſtantiam et ens non eſſe uniuoca, neque habere cauſas ſubſtantiales intrinſecus ipſa componentes.

Quod addebatur, Accidentia intrinſecus non componi ex cauſis, quæ ſint ſubſtantiæ: ſicut ſubſtantiæ non componuntur ex cauſis, quæ ſint accidentia: id quoq; concedimus.

At cum inferebatur, Ergo fieri non poteſt, ut philoſophia prima quærat illorum cauſas: nego argumentum. quia ſatis eſt, quòd ea quæ ſequuntur ens, & ſubſtantia, habeant illas cauſas. nam quicquid eſt cauſa cauſæ, uidetur aliquo modo eſſe cauſa effectus. Atque ipſum ens & ſubſtantia dicuntur compoſita, quia propriè non ſequuntur niſi compoſita ex materia & forma. neque enim proprie ac uerè dicitur aliquid exiſtere niſi per ſe exiſtat, quod propriè ſoli conuenit corpori. etenim cauſæ dicuntur entia, quia ſunt cauſæ entis, quod eſt ſubſtantia: & accidentia dicuntur entia, quia accidunt illis corporibus quæ per ſe exiſtunt, quæ uerè dicuntur ſubſtantia: ac Deus, qui dicitur propriè ENS (ut patet ex Ariſtotele) quia non dependet neq; in eſſe, neq; in operari à corpore, dicitur ens 8. Meta. etiã, quia eſt cauſa entis: qui licet, quantũ eſt ex ui ſua, per ſe exiſtat, tamen quia ad eius bonitatem ſequitur ut det eſſe orbibus, & ita in natura eſt ſemper in orbibus quos ſequitur, ut per ſe & ſeorſum exiſtant, ens non prædicatur de ipſo in recto: eſt enim compoſitum: quia ſenſus eſſet, quòd Deus per ſe exiſteret in natura, præter corpus: quod eſſet falſum uia naturali. Sed dicitur ens & ſubſtantia, ut in primo Apologiæ noſtræ libro declarauimus, quia eſt cauſa formalis cœli. ex quo ſequitur, ut ſit ens & ſubſtantia: & ideo dicitur etiam ipſe cauſa entis & ſubſtantiæ. quæ cauſa, uidelicet materia & forma, & ſi ſint aliæ in generabilibus & corruptibilibus quàm in æternis, tamen cùm habeant hoc commune, quòd ſunt cauſæ: ut illud quod efficiunt tale, ſit etiam in rerum natura, & ſit ſubſtantia, quantum ad hoc ipſum commune attinet, dicuntur cauſæ uniuerſales, et nõ particulares, (ut dictum eſt paulo antè) quia materia Cœli ut eſt materia cœli, efficit cœlum: ut uerò eſt materia, conuenit cũ materia quæ eſt in potẽtia: quæ etiã ipſa ut ſic, eſt ſolũ cauſa generabiliũ & corruptibiliũ. Tamẽ quia ſicut materia Cœli eſt cauſa, quare cœlũ ſit in rerũ natura, & exiſtat, & per ſe exiſtat in genere cauſæ materialis: ita materia in potentia eſt cauſa generabiliũ & corruptibiliũ. quare ſint in rerum natura, & exiſtant, & per ſe exiſtant in genere cauſæ materialis. Ideo dicimus materiam, ut eſt materia ſimpliciter, non ut hæc, uel illa, eſſe cauſam entis, quatenus eſt ens: & ſubſtantiæ, quatenus eſt ſubſtantia: quia materia Cœli, ut materia Cœli, non eſt cauſa communis, ut aliquid exiſtat in rerum natura: quia non eſt cauſa uniuerſalis omnium.

Siquidem

Siquidem etiam materia in potentia eſt talis cauſa, ut uidelicet aliquid exiſtat. Ideo primus philoſophus, qui cōſiderat cauſas entis quatenus eſt ens, & ſubſtātię quatenus eſt ſubſtantia, dicit̃ cōſiderare materiā ut materia eſt: tamē quia ipſa materia in re non eſt ſola generalis, ſed reperitur, & in incorruptibilibus, & in corruptibilibus, propter iſtam cauſam cùm de ipſis materiebus agitur in prima philoſophia, neceſſe eſt ut ſeorſum agatur de iſta materia in potentia, & ſeorſum de illa, quæ eſt materia cœli: quia ex iſtis poſtmodum colligimus conuenientiam, quam habent quatenus ſunt cauſæ entis & ſubſtantiæ: & dicimus materiam in generali eſſe cauſam entis & ſubſtantiæ. et hoc modo dictum eſt ſuprà, ipſam non eſſe propriam corporibus particularibus, ſed ſolum uniuerſalibus, & ideo ſolum attinere ad primum philoſophum. et diximus ens & ſubſtantiam eſſe compoſita, quia ſolum ſequuntur uerè compoſita, & ſolum prædicantur uerè de compoſitis. ſed quoniam materia cœli, ut materia cœli, non ut materia ſimpliciter, eſt cauſa omnium corporum cœleſtium, quæ differunt ſpecie: alioquin eſſent ex fundamentis naturæ, quæ recitaui in ſuperioribus generabilia & corruptibilia: neceſſe eſt, ut illa quatenus etiam eſt materia cœli, non ſit propria alicui unius orbis, ut lunæ uel ſolis, ſed communis omnium. Ergo neceſſe eſt, ut ſit propria unius alicui corporis, quod latius pateat quàm ſingula corpora cœleſtia. huiuſmodi autē eſt corpus incorruptibile, quod prędicatur de omni corpore cœleſti: ergo huius erit propria. eſt enim ipſa magis uniuerſalis, quàm materia, quæ conuenit propriè ſingulis corporibus cœleſtibus: & corpus etiam incorruptibile eſt magis uniuerſale, quàm ſingula corpora cœleſtia. Item materia in potentia, non ut materia generaliter ſumpta, cùm ſit cauſa elementorū & mixtorum in genere cauſæ materialis, neceſsitas cogit ut non ſit propria neq; elemētis, neq; mixtis, ſed cōmunis. Ergo neceſſe eſt, ut ipſa quatenus eſt in potentia, dicatur eſſe cauſa unius alicuius corporis, quod latius pateat ꝙ elementum, & quàm mixtum. oportet enim cauſas eſſe proximas, ut ſint cauſæ rerum. ergo neceſſe eſt ut ſit cauſa proxima corporis corruptibilis, quod prædicatur & de elementis, & de mixtis proximè, nullaq; re interiecta, cùm nullum aliud tale inueniatur corpus. ergo corpus generabile & corruptibile, et corpus incorruptibile, attinebunt ad primam philoſophiam. Probatur conſequentia, quia materia proxima corporum incorruptibilium inueſtigatur in prima philoſophia, nō ſolum ut materia (quia ex eo quod ita ſe habet, eſt cauſa entis, quatenus eſt ens: & ſubſtantiæ quatenus eſt ſubſtantia) ſed etiam ut materia corporum incorruptibilium.

Item, materia in potentia non ſolum ut materia inueſtigatur in prima philoſophia, quia ex eo quod ſic ſe habet, eſt cauſa entis, quatenus eſt ens, & ſubſtantię, quatenus eſt ſubſtantia: ſed ut materia in potentia, quæ ex eo quod ita ſe habet, eſt cauſa proxima corporis corruptibilis, quatenus corruptibile eſt. ergo corpus generabile & corruptibile cōſideratur in prima philoſophia. Quod autem conſiderentur iſtæ materiæ modo dicto in prima philoſophia, patet ex eis quæ citata ſunt in ſuperioribus ex libro primæ philoſophiæ: unde ſequitur, primam philoſophiam contemplari ens quatenus ens, & ſubſtantiam quatenus eſt ſubſtantia, & cætera prædicamenta quatenus talia, & corpus corruptibile quatenus corruptibile, & incorruptibile quatenus incorruptibile: quæ cōſiderantur etiam in libro Phyſicorū, quia cauſæ dictæ in eo quæruntur. Neceſſitas igitur cogit, ut philoſophia naturalis incipiat à ſpeciebus corporis incorruptibilis, qualia ſunt corpora cœleſtia: deinde dependat ad ſpecies corporis corruptibilis, quæ ſunt elementa, & mixta, uſq; ad ſpecies ſpecialiſſimas. quod eſt illud ipſum quod uolebamus, ut oſtēdimus in ſuperioribus.

Quod uerò dicitur de materia, idem debet dici de omnibus quatuor cauſis: quia oēs ſunt proprię ſuo ſubiecto, quia tamen conueniunt in eo quod ſunt cauſæ, ut omnia ſint entia & ſubſtantiæ, ob hoc conſideramus ipſas in uniuerſali, & dicimus eſſe cauſas entis quatenus ens, & ſubſtantiæ quatenus eſt ſubſtantia, & ſingularum ſubſtantiarum, uti diximus. Et iſtæ ſunt cauſæ, quas primam philoſophiam dixit Ariſtoteles conſiderare. nihil ergo obſtat, quantum ad iſtam cōſiderationē pertinet, quod ens & ſubſtantia non habeant iſtas cauſas, intrinſecus: quia ſatis eſt ut illa habeant, ad quæ ipſa ſequuntur. Manet igitur, meo quidem iudicio, ſententia Ariſtotelis integra & uera, & ita uidetur mihi diſſoluta eſſe hæc quęſtio. Atq; illud patere arbitror, rectè à nobis concluſum fuiſſe, lib. Phyſicorū eſſe partem primę philoſophię.

SECTIO

SEd adhuc contrà aliquis inſtaret dicens: hanc ſententiam omnino euertere Ari 6.lib 18.
ſtotelis opinionem, & ſic arguetur: Ariſtoteles manifeſtè poſuit librum Phyſic. fol.648.
per ſe partem philoſophiæ naturalis, ergo nō poteſt eſſe pars primæ philoſophiæ.
Conſequentia perſpicua eſt: quia fieri non poteſt, ut unus liber ſit per ſe pars duarū
ſcientiarum. Antecedens uerò declaratur ex uerbis Ariſtotelis. Is enim cùm propo 1.Phyſic.
ſitum uniuerſæ philoſophiæ naturalis poneret, concluſit, laborandum eſſe, ut inue- Tex.1.
ſtigarentur cauſę ſcientię quę eſt de natura. Deinde tradidit uiam, qua illę ipſę cau-
ſæ inueſtigari poſſent, erat enim dubia. Poſtremò indicauit ordinem, quo uti ne-
ceſſe eſſet ad has cauſas indagandas: quarum aliæ eſſent uniuerſaliores, aliæ minus
uniuerſales. & dixit, primò inueſtigandas eſſe magis uniuerſales, quia eſſent notio-
res, procedendo ad minus uniuerſales. quod quidem non eſſet uerum de ſola ipſa
phyſica, de prima philoſophia: quoniam cauſę quę conſiderantur in illis libris, non
ſunt neq; magis uniuerſales, neq; minus uniuerſales, ſed omnes ſunt æquè uniuerſa
les. Cùm igitur Ariſtoteles in illo prooemio indicauerit ordinē totius philoſophiæ
naturalis, in qua cauſę ſe habent inter ſe ut magis uniuerſales, & minus uniuerſales,
neceſſitas cogere uidetur, ut lib. Phyſicorum ſit pars per ſe philoſophię naturalis:
alioquin potuiſſet Ariſtoteles in illo prooemio ordinē eorū quæ eſſent diuerſarum
ſcientiarum: & illud prooemium non eſſet propriū philoſophiæ naturalis, ſed com
mune etiam primæ philoſophiæ. quod nihil aliud eſt, quàm ſententiam Ariſtote-
lis dictam labeſactare & euertere: quippe qui præcepit laborandum eſſe, ut inue-
ſtigemus cauſas eius ſcientię quæ eſt de natura: ſcientia enim de natura nulla eſt alia
quàm philoſophia naturalis: quia prima philoſophia non dicitur ſcientia de natura.

Item, ſi res quę ſunt in libro Phyſic. attinent ad primam philoſophiam, ſicut dixi-
ſti: ergo perperàm inſcripſit Ariſtoteles primā philoſophiam poſt phyſicam. Con
ſequentia probatur, tum quia prima philoſophia diceretur & ipſa phyſica, quod eſt
falſum: tum quia ſignificaretur primā philoſophiam eſſe poſt primā philoſophiam,
quod aſſerere planè eſt omnium abſurdiſſimum.

Item perperam Ariſtoteles, uolens ſeiungere philoſophiam naturalem à prima
philoſophia, uocaſſet ipſam phyſicam: ergo falſum eſt, quòd phyſica non ſit pars
naturalis philoſophiæ. Conſequentia patet. Probatur antecedens: quia nominaſſet
philoſophiam naturalem nomine alterius facultatis: quod quidem à natura abhor-
rere, in dubium uenire non poteſt.

Item ubi ait, Id quidem unum & immobile ſit, quod eſt intendere, non de natura 1 Phyſic.
eſt intendere. ſicut enim Geometræ non amplius ratio ad deſtruentē principia ſua, Tex.8.
ſed aut alterius eſt ſcientię, aut omnibus communis, ſic neque ei quę de principijs. "

Item cùm dicit (quę uerba protulimus etiam in ſuperioribus, ad aliam rem pro- 1.Phyſic.
bandam:) Nobis autē ſubijciantur omnia quę ſunt natura, aut omnia, aut quædam Tex.11.
moueri. Item cùm addidit paulo pòſt: Sed quoniam de natura quidem non natura- "
les aut oppoſitiones aut defectus cōtingit ipſos dicere, fortaſſe enim bene ſe habet "
aliquantulum diſputare de ipſis, habet enim philoſophiam hic reſpectus. His o- "
mnibus locis uidetur apertiſſimè ſignificare, principia eſſe naturalis philoſophiæ,
quòd motus ſit, & quòd plura ſint entia. ait enim, philoſophiā naturalem non poſſe
diſputare aduerſus negantes ipſa: ſicut nō poſſunt Geometrę aduerſus eos qui non
concedunt ipſorum principia, ergo motus & reliqua pertinent ad philoſophum na
turalem, ergo non ad primum philoſophum: quia uult Ariſtoteles primum philoſo
phum poſſe diſputare de eis.

Item cùm inquit: Omnia igitur quieſcere, & huius rationem quærere dimitten- 8.Phyſic.
tes ſenſum, infirmitas quędam intellectus eſt: & de toto aliquo, & non de parte, am Tex.22.
biguitas eſt, neq; ſolum ad phyſicum, ſed ad omnes ſcientias, ut eſt dicere, & ad om "
nes opiniones propter id quod motu utuntur omnes. Amplius autem de princi- "
pijs importunitates, ſicut in ratiōibus circa doctrinas, nihil ſunt ad mathematicum: "
ſimiliter autē & in alijs. ſed ſic neq; de eo quod nunc dicitur, ad phyſicum. ſuppoſi- "
tio enim eſt, quod natura principium motus ſit. Vult eſſe principium cognitio- "
nis in philoſophia naturali, quòd natura ſit principium motus, cùm phyſicus non "
poſſit de hac definitione diſputare.

1.Meta. tex. 21. Item ubi ita ſcriptum reliquit: Quamuis conſiderauerimus has res in libris qui ſunt de Natura, nihilominus in conſideratione entis accepimus illos qui ante nos » fuerunt, & philoſophati ſunt de uirtute. His uerbis apertè ſignificauit, eas res de quibus habitus fuit ſermo in Phyſica, cõſideratas fuiſſe propter corpus naturale: in Metaphyſica autem, propter ens. & ſic Ariſtoteles uidetur ipſe tollere difficultatẽ, reddens cauſam repetitionis: atq; ita uerum eſſet quod dixit Auerroes.

Item, dixiſti ſubſtantiam, quæ eſt prædicamentum, diuidi in corruptibilem, & in incorruptibilem: ſed in Apologia diuiſiſti eam in ſimplicem & mixtam: ergo in altero ex iſtis locis falſum aſſeruiſti, non enim eſt eadem diuiſio.

Item Ariſtoteles diuiſit ſubſtantiam in prædicamentis, in primam & ſecundam: ergo diuiſio quam feciſti, non conſentit doctrinæ Peripateticæ.

Item, aperte Ariſtoteles oſtendit lib. Phyſic. non eſſe partem primę philoſophię, 1. Phyſic. tex. ult. ergo perperam aſſeruiſti contrarium. Antecedens probatur ex primo Phyſic. ubi inquit: De principio autem ſecũdum formam, utrum unum aut plura, aut quot, aut » quæ ſunt, per certitudinem primæ philoſophiæ eſt opus determinare. ergo in aliud » tempus opponatur. De phyſicis autem & corruptibilibus ſpeciebus, in poſterius » demonſtrandis dicemus. Iis enim uerbis apertè declarat, ſe in Phyſica uelle agere de formis corruptibilibus: in prima autẽ philoſophia, de formis incorruptibilibus, quam diſputationem differt in aliud tempus. ergo uult, quod Phyſica non ſit prima philoſophia, quia non differret illam diſputationem in aliud tẽpus, ſed poneret in Phyſica.

Itẽ, citans Ariſtoteles ea quæ ſunt dicta in lib. Phyſ. dicit eſſe dicta in philoſophia naturali. Ergo uult quod ille liber ſit pars philoſophiæ naturalis. alioquin non rectè loquutus eſſet, nuncupans philoſophiã naturalẽ eum librũ, qui neq; ſit philoſophia naturalis, neq; pars ipſius. Antecedens patet ex ipſo Ariſtotele, quippe qui inquit: 11. Metà. tex. 19. Cùm igitur ex perfectè albo, minimeq; non albo, fiat ac oriatur non albũ, ſi nunc generetur non albũ, ex eo quod eſt non album, ex non ente ipſum illorũ ſententia fiet: » niſi idem & non album eſſet, & album. at non difficile eſt hanc ſoluere dubitationẽ. » Dictum eſt enim in Naturali ſcientia, quo'nam pacto ex non ente, & quo pacto ex » ente fiunt ea quæ generantur. Hoc autem primum dictum eſt in lib. Phyſic. ut perſpicuum eſt: ergo uult, quod lib. Phyſicorum ſit ſaltem pars philoſophiæ naturalis.

2. Phyſic. tex. 16. 17. 18. 19. & 20. Itẽ, quorſum ſpectaret inquirere quomodo mathematicus differt à phyſico, cùm per phyſicum intelligat philoſophũ naturalem, ſi Phyſica eſſet prima philoſophia? debebat enim perſcrutari, quomodo mathematicus differt à primo philoſopho: quia in mathematicis non eſt quærendum, qua in re alius artifex differt ab alio. in geometria enim non ſunt diſſoluendæ quæſtiones eæ, quæ geometricæ non ſunt.

2. Phyſic. tex. 21. & 22. Item, fruſtra quęreret ſecundo Phyſicorum, utrum oporteat phyſicũ cognoſcere unamquanq; naturam, & fruſtra ibi diſſolueret iſtam quæſtionẽ, cum phyſicum nominet philoſophum naturalem, ſi in eo loco ageret primum philoſophum.

2 Phyſ. tex. 26. Item, eadem ratione fruſtra quæreret, quouſque oporteat phyſicum cognoſcere ſpeciem, & quod quid eſt.

2. Phyſic. tex. 71. Item, fruſtra oſtenderet oportere phyſicum cognoſcere omnes quatuor cauſas: & perperàm diceret phyſici eſſe, conſiderare quæcunq; mota mouent, quæcunq; » autem non, non amplius phyſicæ ſunt.

Item, quomodo natura agat propter finem, & quæ neceſſitas reperiatur in rebus naturalibus. hæc enim omnia alieno loco, ac præter rationem quærerentur ſi Phyſica eſſet prima philoſophia: ergo abſurdum eſt hoc dicere, & à ueritate abhorret.

SECTIO TERTIA.

Sed quoniam rationes illæ, quas in ſuperioribus attulimus, & uerba Ariſtotelis nobis uidentur omnino concludere id quod diximus, conabimur quantum poterimus, rationes & auctoritates in contrariam partem nunc allatas diſſoluere: præſertim cùm ex earum diſſolutione futurum ſit, ut clarius noſtra ſententia appareat. prius tamen nonnulla repetemus eorum, quæ pro illa facere uidentur: & primum ſic argumentor.

Inter ens, ex una parte: & corpora cœleſtia, & elementa, & mixta, ex altera parte, nihil intercedit medium, præter ſubſtantiam quæ eſt prædicamentum, & ſubſtantiam

etiam incorruptibilem & corruptibilem: ergo liber Phyſic. non eſt pars philoſophię naturalis, ſed primæ philoſophiæ. Conſequentia perſpicua eſt, quia liber Phyſic. Si non eſſet pars primæ philoſophiæ, uel nullam rem conſideraret, uel illud ipſum quod cõſiderat prima philoſophia, & propter eundem finem, cùm philoſophia naturalis ſit ipſa etiam ſcientia, quod eſſet ſuperuacaneũ. & hoc patet, quia probatum eſt, primam philoſophiam conſiderare omnino cauſas proximas omnium eorum quæ diximus. cogebatur ergo illa compoſita conſiderare.

Antecedens etiam manifeſtum eſt, tum quia non apparet ſenſui, quòd detur illud medium, ſi bene conſideremus ordinem & ſeriem, quam in ſuperioribus poſuimus omnium rerum quęcunq; ſunt: et tamen deberet apparere, quia res compoſitę ſunt ſenſui manifeſtæ ut dixit Ariſtoteles: & fieri non poſſet, ut inueſtigaremus cauſas, niſi compoſita eſſent ſenſui nota. Oporteret ergo, ut illud medium eſſet ſenſui notum. ſed cùm hoc non appareat ſenſui, ut non ſit in natura neceſſe eſt: Tum quia ex uerbis etiam Ariſtotelis non colligitur dari illud medium. itaq; non eſt ponendum. mancus enim fuiſſet Ariſtoteles in rebus pertractandis. Non colligitur autem, quia cùm non poſſit dici aliquid eſſe in rerum natura, niſi id cuius cauſæ conſiderantur, nullas alias cauſas inueſtigauit Ariſtoteles, niſi eorum corporum quæ poſuimus: non ſunt ergo ex eius ſententia plura corpora, niſi uelimus eius doctrinam, atq; adeò ipſam rationem & ſenſum, quibus illa tota innititur penitus euertere.

Item, ſi daretur illud medium, uel eſſet magis uniuerſale quàm ſubſtantia, quarenus ſubſtantia, uel quàm ſubſtantia incorruptibilis & corruptibilis, uel æquale, uel minus uniuerſale. non eſt autem magis uniuerſale, quia inter ens & ſubſtantiam, quæ eſt prædicamentum, non eſt aliquod medium: neq; poteſt eſſe æquale, quia fruſtra eſſet. haberet enim eaſdem cauſas appropriatas, & eſſet idem: neq; minus uniuerſale, quia non haberet cauſas aliquas appropriatas. ſiquidem non reperiuntur apud Ariſtotelem plures cauſæ, quàm quot diximus, quarum nullæ poſſenr ei medio eſſe propriæ. itaq; daretur aliquod compoſitum ſine cauſis proprijs, quod quidem eſſet abſurdiſſimum. ſequitur ergo, rectè dictum fuiſſe, librum Phyſicorum nõ eſſe partem philoſophiæ naturalis, ſed primæ philoſophiæ.

Item, ſubſtantiæ abſtractæ, quæ ſunt cauſæ uniuerſales, & reliquæ uniuerſales cauſæ, non poſſunt primo conſiderari à philoſophia naturali: ergo liber Phyſicorum non poteſt eſſe pars philoſophiæ naturalis. Conſequentia oſtenditur, quia ſi liber Phyſicorum eſſet pars philoſophiæ naturalis, cùm in ipſo agatur de cauſis uniuerſalibus & abſtractis, ſequeretur, ut ſubſtantiæ abſtractæ, & reliquæ uniuerſales cauſæ (eadem enim eſt ratio) primò poſſent conſiderari à philoſophia naturali. Antecedens uerò ex multis Ariſtotelis locis colligitur, quorum nõnullos proferemus, ut res iſta facilius percipi poſſit, licet quoſdam etiam in Apologia noſtra *1.Apol.*
citauerimus.

Hoc igitur oſtendit tex. ille primi Phyſicorum, quem in ſuperioribus recitaui- *1.Phyſ.*
mus, in quo manifeſtè dixit Ariſtoteles, primum principium ſecundum formam at- *text.ult.*
tinere ad philoſophum primum: naturalis autem philoſophi eſſe, demonſtrare ſpecies corruptibiles.

Idem confirmat tex. ſecũdi Phyſic. quem etiam in ſuperioribus ad aliam rem pro *2.Phyſ.*
tulimus: Amplius eorum quæ ſunt ad aliquid, materia eſt: in alia autem ſpecie, a- *text.26.*
lia materia, uſq; ad quantum. ergo phyſicum oportet cognoſcere ſpeciem, & quod "
quid eſt: aut quemadmodum medicum neruum, aut fabrum æs, uſq; ad quendam "
terminum alicuius: cuius enim cauſa unumquodq; rei, & circa hæc quæ ſunt ſepa- "
ratę ſpecies in materia: homo enim hominẽ generat, & ex materia, & ſol. quomodo "
aũt ſe habeat hæc ſeparabilis, & quid, philoſophiæ primę eſt determinare. Oſten "
dit enim clariſſimè, quòd ſubſtantiæ abſtractæ attinent ad primũ philoſophum.

Item ubi ait (quę uerba ſuprà etiã ob uarias occaſiones citauimus) Vt teneť phyſi *2.Phyſ.*
cus cõſiderare omnino quæcunq; mota mouent: quæcunq; aũt non, non amplius *text.71.*
Phyſicæ ſunt. non enim in ſeipſis habentia motũ, neq; principia motus mouent, ſed "
immobilia ſunt. unde tria negotia ſunr, hæc quidem circa immobile, alia uerò circa "
mobile quidem incorruptibile, quædam autem circa corruptibilia. Vult has ſub "
ſtantias pertinere ad primam philoſophiam.

2.Phyſ. Item cùm paulo pòſt addidit: Duplicia autem ſunt principia mouentiũ, quorum
text.73. alterum non Phyſicum eſt. non enim habet motus principium in ſeipſo: huiuſmodi
» autem eſt, ſi aliquod mouet, quod non mouetur: ſicut eſt quod & penitus immobi-
» le, & omnium primum. Nihil clarius proferre potuiſſet, quàm quod primũ prin-
cipium non attinet ad philoſophiam naturalem.

1. de gen. et cor. tex. 14. Item cum inquit: Exiſtente autem cauſa, una quidem unde principium motus di
cimus eſſe, una aũt materia, talem autem cauſam dicendum eſt, de illa quidem dictũ
eſt prius in de motu ſermonibus, quod hoc quidem immobile per omne tempus,
» hoc autem mouetur ſemper, horum autem de immobili principio quidẽ diuidere
» alterius philoſophiæ eſt opus. De continuè autem moueri alia mouente, poſt hæc
» dicendum, quod tale ſingularium dictorum cauſa eſt. Oſtendit his uerbis princi-
pia immobilia attinere ad primam philoſophiam, ergo nõ ad naturalem. & cum di-
cat hanc perſcrutationem fuiſſe factam in libro de Motu, & liber de Motu ſit liber
phyſicus: ergo liber Phyſicorum eſt liber primæ philoſophiæ, alioquin pugnãtia lo
queretur Ariſtoteles. Ex quo etiam perſpicuum eſt, in lib. Phyſic. tractatum eſſe de
corpore cœleſti.

Quod uerò dicit, ſe uelle in eis quæ ſequuntur, loqui de eo quod mouendo mo-
1 de genere. tex. 14. uetur, non tollit, quin de illo corpore actum ſit in prima philoſophia, & in lib. Phyſ.
& in libro de Cœlo: actũ eſt aũt in prima philoſophia, & in lib. Phyſic. de eo ut eſt
cauſa uniuerſalis entis, quatenus ens eſt, & ſubſtãtię quatenus eſt ſubſtãtia, & ſubſtã
tiæ corruptibilis quatenus corruptibilis, & ut eſt illud ſine cuius motu, non poterat
ueniri in cognitionẽ principij immobilis: in lib. uerò de Cœlo, ex natura ſua propria
& particulari: & in lib. de Generatione, ut de cauſa applicata rebus particularibus.
» Huc reſpexit cum dixit: De continuo autem mouente, alia mouent, poſt dicen-
» dum, quòd tale ſingularium dictarũm cauſa eſt. Vt fecit etiã de materia prima in
eodem libro, quoniam cauſæ uniuerſales poſſunt reſtringi à particularibus: imò ue
rò omnia quæ tractantur in prima philoſophia, ſupponuntur à philoſophia natura
li, & ab alijs particularibus facultatibus, quia particulares facultates utuntur illis ex
4. Meta. ſuppoſitione, ut declarauit Ariſtoteles his uerbis: Et idcirco Geometræ non eſt,
tex. 19. quód nam ſit cõtrarium, aut perfectum, aut ens, aut unum, aut idem, aut diuerſum,
» conſiderare, niſi ex ſuppoſitione.

Vtuntur ergo ijs ex ſuppoſitione, & applicant ea ſibi ipſis, ut demonſtrationis
principia. ut de quolibet dicitur affirmatio uel negatio: &, Si ab æqualibus æqualia
demas, quæ remanent ſunt æqualia, ut dixit Ariſtoteles primo Poſt. & clariſſimè ui
detur etiam oſtendere quarto Meta. ijs uerbis:

1. Poſt. capite 8. Poſt hæc autem dicendum eſſe uidetur, utrum unius an diuerſarum ſcientiarum
ſit, de hiſce principijs quæ in Metaphyſicis appellantur, ac de ſubſtãtijs contempla
4. Meta. tex. 21. ri. Patet itaq;, nõ ad diuerſas, ſed ad unã horum etiã conſiderationem, & ad philoſo
phi ſcientiã pertinere. uniuerſis enim quæ ſunt, ſed non generi cuipiã ſeorſum à cæ-
» teris accõmodantur: atq; utuntur quidem his omnes ex eo, quia ſunt eius quod eſt,
» qua ratione eſt ens: eò uſq; tamen utuntur, quò uſq; ſatis eſt ipſis, id eſt, quoad occu
» pat genus, quo de afferunt demonſtrationes. Quare cum pateat, hæc ipſis ut entia
» ſunt uniuerſis cõpetere, hoc eſt enim ipſis cõmune, horum quoq; cõtemplatio eius
» profectò qui id quod eſt, ea ratione qua eſt ens contemplaẽ. Quocirca nemo eorũ
» qui partes conſiderant, de his ipſis quicquã dicere aggreditur, ſi ſint uera inquã, nec
» ne. nec aritmethicus in Geometra, ſed naturalium quidã duntaxat, ad ipſum nõ in-
» congruè facientes. ſoli namq; de natura tota, & de eo quod eſt, cõſiderare putabãt.
» Verùm cum ſit quidã ſuperior naturali (natura namq; genus eſt unum quoddã ipſi
» quod eſt uniuerſale ſanè, atq; ad eum qui primæ eſt ſubſtantiæ contemplator) horũ
» quoq; conſideratio pertinebit. Facultas autem naturalis eſt quidem, & ipſa ſapien-
» tia quædam, ſed non prima.

Multa hinc colligi licet: ac primùm, quod eis quæ ſunt, cõmunia ſunt illa princi-
pia, & per id quod neceſſariò ſequitur ad primã philoſophiam attinẽt: deinde quòd
ijs utuntur particulares artifices, ea ſibi ipſis accõmodãtes, nec aliter de illis tractan
tes. unde ſequitur, non eſſe mirum ſi materia prima, & cœlũ, & huiuſmodi, quæ ſunt
cõmunia reperiaẽ in particularibus facultatibus: poſtremò, quòd illæ cauſæ quæ
con-

conueniunt ſingulis eorum quæ ſunt, neceſſariò conueniunt ipſi enti, & ſunt cauſæ entis quatenus ens eſt. nam uniuerſis quæ ſunt, conueniunt, & non generi alicui determinato. Materia ergo prima erit cauſa entis, quatenus ens eſt, in eo quod materia, ut dictum eſt ſuprà: & cauſa ſubſtantiæ corruptibilis, ut eſt in potentia, & ita de materia cœli. Ex quo ſequitur, ut ipſa prima materia attineat ad eam facultatem ex eis quæ dicit Ariſtoteles in hoc tex. de principijs mathematicis, & de ſubſtantijs, ad quam attinet ens, quatenus ens. Ergo cùm dicit de ipſa ſic agi in lib. Phyſic. nihil eſt quod dicamus eum librum attinere ad aliam facultatem ab ea quæ contemplatur ens, quatenus ens, quæ quidem eſt prima philoſophia.

Item ſequitur, artifices particulares non poſſe agere de ijs cõmunibus: ſicuti non poſſunt (ut inquit Ariſto.) agere de principijs, quę appellãtur in mathematicis, neq; de ſubſtantijs: eadem enim eſt ratio. quia & iſta principia, & cauſæ, de quibus nunc ſermonem habemus, conueniunt uniuerſis quæ ſunt, & non generi cuiq; ſeorſum à cæteris accõmodantur. nõ ergo philoſophia naturalis, quę eſt ſcientia diuerſa à prima philoſophia, poteſt agere de cauſis uniuerſalibus. alioquin uerba Ariſtotelis quæ recitauimus, eſſent inania. quod cùm ſit falſum, ut illud antecedens quod accepimus ſit uerum neceſſe eſt.

Præterea licet confirmare hoc idem, ex his quæ ſexto Meta. ad hunc modum ſcripta reliquit: Quod ſi quippiam ſit in ratione rerum immobile, ſempiternum ac ſeparabile, patet ad contemplatricem quidem ſcientiam illius cognitionem ſpectare, non tamen ad naturalem: quippe cùm naturalis facultas circa mobilia quædam uerſetur. neq; ad mathematicam, ſed ad aliam his utriſq; priorem. Naturalis enim circa inſeparabilia quidem, ſed non immobilia uerſatur. *6. Meta. tex. 4.*

Cùm igitur ſit probatum, talia entia ſeparabilia & immobilia reperiri: in dubium uenire ex uerbis Ariſto. nõ poteſt, quin illa ſpectent ad primũ philoſophum, nõ naturalem. Patet ex hoc etiam, Ariſtotelem nolle ipſum naturalem omnino contemplari immobilia.

Deinde cùm paulo pòſt addidit, Si igitur nulla ſit alia ſubſtantia, præter eas quæ natura conſtant, naturalis ſanè facultas prima ſcientiarum erit. ſin uerò ſubſtantia ſit in ratione rerum quædam immobilis, hæc erit profectò prior, philoſophiaq; prima, & uniuerſalis hoc pacto: quia eſt prima, atq; de eo quod eſt, ut ens eſt, & quidnam ſit, & ea quæ ipſi competunt, ut ens eſt, & ad hanc profectò ſcientiam pertinet contemplari. *6. Meta. tex. 5.* Ex his uerbis planè efficitur atq; concluditur, fieri non poſſe ut philoſophia naturalis contempletur ſubſtantias abſtractas. etenim ſi eas contemplaretur, ipſa etiã eſſet prima philoſophia. Cõſequens eſt cõtra Ariſtotelẽ ergo & antecedẽs.

Conſequentia probatur, quia non eſt prima: quoniam dantur huiuſmodi ſubſtantiæ immobiles, & ſunt illæ quæ faciunt illam facultatẽ, quæ ipſas contemplatur, primam & uniuerſalem. ſed ſi non darentur, ipſa eſſet prima: quia contẽplaretur res magis particulares, quæ ſunt perfectiores. Verba igitur Ariſtotelis citata, omnino euerterentur, ſi ad naturalẽ philoſophum ſubſtantiæ abſtractæ pertinerẽt. Ergo debemus cõcludere, illas ad primã philoſophiam ſpectare. Quod ſi in quadam parte philoſophiæ naturalis reperiuntur, dicendum eſt id accidere, quatenus naturalis philoſophus induit perſonam primi philoſophi (ut dicemus) & ex ſuppoſitione, ut dictũ eſt in ſuperioribus.

Hanc item opinionem luce clarius uidetur oſtendere Ariſtoteles undecimo Meta. ubi ait: Quoniam autẽ eſt ſcientia quædam ipſius entis, ea ratione qua eſt ens, ac ſeparabile, conſiderandum eſt, utrum eadem, an diuerſa potius à naturali ſcientia ſit ponenda. naturalis itaq; circa ea uerſatur, quæ motionis in ſeipſis principiũ habent: Mathematica uerò eſt quidem contemplatrix quædã, & circa immobilia uerſatur & ipſa, at non ſeparabilia, uti patet. Eſt ergo circa ens ſeparabile atq; immobile. alia quidem ab his utriq; diuerſa, ſi ſit in ratione rerum quædam ſubſtantia talis, ſeparabilis inquam, atq; immobilis, quod quidẽ enitemur poſtea demonſtrare. At ſi qua eſt in ratione rerum talis natura, ibi profectò & ipſum diuinum erit, idq; erit principium primũ, atq; principium maximè. Patet igitur, genera contemplatiuarum tria ſcientiarum eſſe: naturalem, mathematicam, theologiam. atq; genus quidem ſcientiarum contemplatiuarũ eſt præſtantiſſimum: harum autem ipſarum pręſtantiſſima *11. Meta. tex. 26.*

C iij eſt ea

» eſt ea quam ultimò diximus. circa namq; præſtabiliſsimum earū quę ſunt in ratione
» rerum uerſatur. Præſtabilior enim atq; deterior quęq; ſuo dici ſubiecto ſolet. Dubi
» tauerit aūt quiſpiam, ſi eius quod eſt ſcientiā, ut eſt ens, uniuerſalē ponere, oportet,
» nec ne: Mathematicarū enim quoq; ſcientiarū, circa quod definitū genus uerſatur:
» uniuerſalis aūt de omnibus eſt cōmunis. ſi ſubſtantię igitur naturales primę ſint om
» nium, naturalis quoq; prima ſcientiarū omnium erit. ſin uerò ſit alia quædā natura,
» ſubſtantiaq; ſeparata, atq; immobilis, aliam ipſius ſcientiā eſſe, prioremq́ue ſcientia
» naturali, atq; uniuerſalē hoc ipſo quod antecedit. His enim uerbis apertam dat ſi-
gnificationem Ariſtoteles, fieri non poſſe ut ſcientia naturalis ſubſtantias abſtractas
contēpletur: quia ſi eas contēplaretur, non eſſet diuerſa à prima philoſophia, ut pa-
tet ex uerbis dictis. quod quidē aſſerere nihil aliud eſt, quàm uerba Ariſtotelis quæ
citauimus labefactare, ac penitus conuellere.

12. Meta. tex. 2. Idem uiſus eſt indicare, cùm inquit: Subſtantiæ aūt tres ſunt. una eſt ſenſibilis, cu-
ius alia eſt perpetua, alia corruptibilis, quam omnes eſſe fatētur: quales ſunt plantæ,
» ac animalia. atq; huius elementa ſumantur neceſſe eſt, ſiue unum, ſiue multa. Alia eſt
» immobilis, hanc quidem inquiunt ſeparabilē eſſe. alij diuidentes in duas, alij in una
» natura ponentes formas, & Mathematica: alij Mathematica ſolum eſſe dicentes. Illę
» igitur naturalis ſcientiæ ſunt, ſunt enim cum motu: hæc ad aliam ſcientiā ſpectat, ſi
» principium nullum eſt ipſis cōmune. Innuit igitur, corpora cœleſtia, & animalia,
& plantas, attinere ad philoſophiā naturalem: ſubſtantiam uerò immobilem, ad fa-
cultatem quæ eſt alia à philoſophia naturali, ſpectare.

1. de anima tex. 17. Itē in primo de Anima ita ſcriptū reliquit: Aut non aliquis qui eſt alius circa paſsi
ones materiæ non ſeparabiles. ſed non quatenus ſeparabiles, ſed Phyſ. circa omnes
» quæcunq; huius corporis & huius materiæ opera & paſsiones ſunt. circa quaſcūq;
» aūt non huius alius, ut circa aliqua quidem artifex eſt, ſi contingat ut inſtructor, &
» medicus, non ſeparabiliū quidem: in quantum aūt talis corporis paſsiones, ut ex ab
» ſtractione mathematicus ſecundum quod omnino ſeparatæ. primus philoſophus.

Ex quibus omnibus perſpicuè patère arbitramur, antecedens illud acceptū ſupe
rius eſſe uerißimū, quòd uidelicet ſubſtātiæ omnino abſtractæ, quę ſunt cauſæ uni-
uerſales, et cęteræ uniuerſales cauſæ quęcūq; ſint, nō poſſint à philoſophia naturali
primò cōſiderari: & tunc ſequitur cōſequentia facta in ſuperioribus, lib. in Phyſ. in
quo agitur de huiuſmodi cauſis uniuerſalibus, non poſſe eſſe partem philoſophiæ
naturalis. quod ipſum erat nobis propoſitum declarare.

SECTIO QVARTA.

SEd ut quæſtio iſta expediatur, tum quòd ex uarijs Ariſtotelis uerbis ualdè mihi
perplexa, tum quòd maximi momenti uidetur (niſi enim ſit rectè explicata, fieri
iudicio meo) non poteſt, ut Ariſtotelis intelligentiā plurimis in locis cōſequamur,
non alienum putamus, nonnullas alias Ariſtotelis auctoritates in medium afferre,
ex quibus planè cōſtabit ipſum ſemper dixiſſe philoſophiam naturalē conſiderare
naturalia, & materiā, & motū: nunq; immaterialia, quandoquidē per illa ſegreget ac
1. Phyſic. tex. ult. ſeiungat ipſam à prima philoſophia. hós aūt locos citabimus ad clariorē doctrinā:
licet ex multis etiā quos citauimus in ſuperioribus, idē colligi poſſit. Volumus eñ
2. Phyſic. tex. 26. 70. 73. ad hanc rem coprobandā ac ſtabiliendā, idem prorſus inculcare & confirmare: præ
ſertim cùm id quod in ſuperioribus ꝓtulimus eò tantū ſpectauerit, ut oſtēderemus,
1. de genere & cor. tex. 14 Ariſtotelē ſemper dixiſſe, ſubſtantias abſtractas ad primum philoſophum attinere.
& nunq; illas à naturali philoſopho cōſiderari primò debere. Quod uerò nunc affe
remus, eò pertinebit, ut demonſtremus Ariſtotelē rurſus ſemper dixiſſe philoſophū
naturalem conſiderare immerſa materiæ, & ipſum motum, nunq; hæc ad primum
philoſophū pertinere: ut omnibus poſtmodū inter ſe collatis deligi poſſit ea ſenten
2. Phyſic. tex. 18. tia, quæ magis rationi & uerbis Ariſtotelis erit conſentanea. Is igitur primū in ſecun
do Phyſ. hęc ſcripta reliquit: Latent aūt hoc facientes, & ideas dicentes, Phyſica eñ
» abſtrahunt, cùm minus ſint abſtracta mathematicis. Fiet aūt ubiq; hoc manifeſtum
» ſi aliquis utrorumq; tentauerit dicere terminos, & ipſorū, & accidentiū. Impar qui-
naris sima » dem eñ, & par, & rectum & curuū, & os, homo, non adhuc, ſed hæc ſicut nariſſima,
» ſed non ſicut curuū dicitur. Item primo de Anima: Videtur aūt, inquit, & animæ
1. de an. 14. » paſsiones cum corpore eſſe, ira, manſuetudo, timor, miſericordia, cōfidentia, adhuc
» gaudium, & amare. & odiſſe. ſimul enim hic patitur aliquid corpus: indicat aūt hoc,
aliquan-

aliquando à duris quidem & manifeſtis paſsionibus confidentibus,nihil exacerba- “
ti,aut timere:aliquando autem ex paruis,& debilibus moueri, cùm accendatur cor “
pus:& ſi ſic,ſe habere cùm iraſcitur. adhuc autē magis hoc manifeſtum : nullo enim “
terribile imminente in paſſionibus fiunt timentes. Ibidem : Si autem ſic ſe habet, 1. de anim.
manifeſtum quoniā paſſionum rationes in materia ſunt,quare termini tales : ut ira- tex. 15.
ſci motus quidem talis corporis,ait potentia ab hoc & gratia huius.& propter hoc “
igitur iam phyſici eſt,conſiderare de anima,aut omni,aut tali. Et hoc ſequitur,quia “
anima aliqua eſt immerſa materiæ.eodem etiam loco oſtendens differentiam inter 1. de anim.
naturalem et dialecticum,declarat quòd philoſophus naturalis definit per materiā, 13.16.18.
& non abſtrahit à materia. “

Præterea inquit ſexto Meta. quem locum citauimus etiam ad demonſtrandam 6. Meta.
animi mortalitatem: Cùm aūt & naturalis ſcientia,circa genus quippiam eius quod tex 2.
eſt uerſetur (circa namq; ſubſtantiam uerſari talem uidetur,in qua principiū ipſum “
motionis ineſt,atq; quietis) patet,neq; actiuam , neq; effectricem ipſam ſcientiam “
eſſe.nam efficiendarū quidem rerum principium ſiue ſit mens, ſiue ars, ſiue potētia “
quædā,& ipſo eſt ut patet,efficiente. Agendarum aūt rerum in ipſo agente,ipſa in- “
quā electio. res enim eſt eadē,quæ ſub electionem actionemq; cadit. Quare ſi mēs “
omnis aut actiua eſt,aut effectiua,aut contemplatiua ſcientia quædam eſt:ſed circa 6. Meta.
ens tale contemplatiua,quod motu fieri poteſt. & circa ſubſtantiam eam plerunq;, tex 3.
quæ ad rationē accommodatur.inſeparabilem ſolum. Item : Non lateat aūt opor- “
tet,quomodo quiditas atq; ratio ſeſe habet in naturalibus rebus. nam abſq; hoc ta- “
lium rerū quære re orationem, perinde eſt, atq; ſi nihil prorſus agatur. Definienda- “
rum enim rerum,& quarū ipſum quid eſt aſſignamus,aliæ uti ſimum, aliæ uti conca “
uum eſſe uidentur. Hæc aūt differunt,propterea quòd ſimum,ſiquidem cum mate- “
ria eſt comprehenſum:eſt enim ſimum concauus naſus , at concauitas ſine ſenſibili “
materia eſt. Quod ſi naturales res omnes perinde atq; ſimum dicitur,ut naſus,ocu- “
lus,facies,os,caro,omnino animal,foliū,radix,cortex, omnino planta:nullius enim “
ipſorum ratio motionis eſt expers,ſed materiam ſemper habet:patet, quo nam pa- “
cto naturalibus in rebus ipſum quid eſt quærere, definireq; oportet:& quamobrem “
ad naturalem philoſophum pertinet de aliqua anima contemplari, quæ non ſine “
materia eſt. “

Eandem ſententiam & uerba ferè uidetur alibi etiam poſuiſſe Ariſtoteles,ut cùm 11. Met. 26.
ait: Naturali namq; ſcientiæ nemo eorum quæ ſunt ut entia,ſed potius ut motū ha- 11. Met. 12.
bebunt,tribuet contemplationem. Ex omnibus igitur Textib. allatis, & ex multis “
alijs,quos longū eſſet proferre, perſpicuū eſſe poteſt,philoſophum naturalē ſolum-
modò ea contemplari,quæ ſunt cum materia & cū motu,& mobilia:ex quo ſequit̃,
ut contēplari non poſſit ea quæ ſunt abſtracta à materia.non enim ſeiungeret̃ à pri-
mo philoſopho,& ſic uana & falſa eſſent omnia illa, quæ tex. citatis ſcripſit Ariſto-
teles, ex quo poſtremo ſequitur,lib. Phyſ. in quo egit de his quę ſunt ſine materia &
ſine motu,non poſſe eſſe partē philoſophię naturalis:ergo erit primę philoſophiæ.

SECTIO QVINTA.

SEd facile occurreret aliquis,et diceret,nihil à me cōclusum fuiſſe,quia Auerroes
omnes locos illos,quibus Ariſtoteles uiſus eſt ſignificare, primū philoſophum
conſiderare ea quæ omnino ſunt abſtracta,& non philoſophū naturalem, ita inter-
pretat̃, ut dicat hoc intelligi debere quoad quiditatem, & non quoad eſſe in rerum
natura:quia hoc probat̃ medio naturali , quod mediū eſt motus, & ideo ſpectat ad
philoſophum naturalem. Quare ſi in lib. Phyſ. agitur de ſubſtantijs abſtractis,agitur
non quoad quid eſt,ſed quoad ſi eſt,& quoad eſſe in rerum natura,neq; hoc præſta
re potuit prima philoſophia:quippe cùm ſubſtātiæ illę abſtractę ſint eius ſubiectū,
id quod declarauit Auerroes primo Phyſ. com. ultimo: quē locum citauimus in pri
mo Apologię noſtrę,& citabimus etiā nunc,ut facilius hęc res percipi queat,quam
quidē uberius hoc loco et fuſius ptractare nobis ppoſitū eſt. inquit ergo Auerroes: 1. Apol.
Sed notandū eſt,ꝙ iſtud genus entiū,eſſe ſcilicet ſeparatū à materia,nō declarat̃ niſi “
in hac ſciētia naturali. & qui dicit ꝙ prima philoſophia nitit̃ declarare entia ſepara- “
bilia eſſe,peccat. hęc eñ entia ſubiecta primæ philoſophię. & declaratū eſt in poſte “
rioribus Analyticis, ꝙ impoſſibile eſt aliꝗ ſcientiā declarare ſuū ſubiectū:ſed conce “
dit ipſum eſſe,aut ꝗa manifeſtū eſt per ſe,aut ꝗa demonſtratū eſt in alia ſcientia. Ean 2. Phyſic.
dem ſcientiā oſtendit 2. Phyſ. com. 26. com. 26

LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

SECTIO PRIMA.

HAE ſunt quæſtiones quæ uidentur diſſoluendæ, antequã ad eas quæ po-
tiores ſunt accedamus. Quare reſpondentes ad primam, dicimus: Solutio
nem illam Auerrois eſſe figmentum, propterea quod repugnat ſibi ipſi,
& rationi, & uerbis Ariſtotelis. Quod autem ſibi ipſi repugnet, oſtendi-
mus in primo Apologiæ noſtræ libro. etenim inquit: Diuinus autem ſuſcipit ab ea 1. Apol.
ſubſtantiam ſui ſubiecti. hic enim declarabitur, quoniam formæ abſtractæ ſunt intel ſec. 4.
ligentes, & alia multa de cognitione diſpoſitionum conſequẽtium intelligentiam, Auer. 1. de
in eo quod intelligentia & intellectus. aïa co. 2.

Ergo ex eius ſententia naturalis conſiderat ipſum quid eſt ſubiecti primæ philo
ſophiæ. Conſequentia patet: quia qui explicat ſubſtantiam alicuius ſubiecti, conſi-
derat quid eſt illius: ſiquidem ſubſtantia alicuius exprimit, quid eſt. ſed probatur eti
am à ſimili, ex auctoritate Ariſtotelis, quippe qui ait: Inquirimus autem conſidera- 1. de aïa
re & cognoſcere naturam ipſius, & ſubſtantiam, poſtea quæcunque accidunt circa tex. 3.
ipſam. Quibus uerbis oſtendit, naturalem conſiderare quid ſit anima, dicens eum «
inquirere ipſius animæ ſubſtantiam. Quod ſi diuinus philoſophus, ut inquit Auer-
roes, petit à naturali ſubſtantiam ſui ſubiecti, petit ergo ipſum quid eſt: ergo petit
quid eſt ſubſtantiæ abſtractæ. Naturalis igitur conſiderat quid eſt ſubſtantiarum
abſtractarum: ergo primus philoſophus non conſiderabit neq; quid eſt, neq; ſi eſt
ſubſtantiarum abſtractarum. quare ſibi non conſtat Auerroes, quippe qui contra-
rium dixerat, ut oſtenſum eſt. Quod ſi naturalis conſideret quid eſt ſubſtantiarum
abſtractarum, earumq; accidentia, ſequitur ut cõſideret primam formam quatenus
prima forma eſt, et ultimũ finẽ quatenus eſt ultimus finis: non eñ deeſt illi medium.

Quod uerò dicit Auerroes, genus illud entium non probari eſſe niſi in philoſo-
phia naturali: id penitus à ueritate abhorrere, ex eo facile intelligi poteſt, quòd cùm
Ariſtotelis auctoritatibus, tum etiam rationibus repugnat. nam ad primum philo-
ſophum pertinere, oſtendere ſubſtãtias ſeparatas eſſe, tradit Ariſtoteles his uerbis:
Et ſi ſit huiuſce ſcientiæ circa ſubſtantias uerſari, utrum una ſit circa omnes, uel plu- 3. Meta.
res: & ſi ſint plures, utrum omnes generis ſint eiuſdem, an aliæ ipſarum ſapientiæ, a- tex. 5.
liæ aliquo nomine ſint appellandæ: hoc etiam ipſum quęrere, neceſſarium eſſe uide «
tur, utrum ſubſtantias ſenſibiles ſolum, an præter has alias eſſe, ſit aſſerendum, & u- «
trum unum ſit genus an genera ſubſtantiarũ ſint plura: ut ij qui formam faciunt, cen «
ſent, ac inter has & ſenſibilia res mathematicas medias collocant. De his igitur con «
ſiderandum eſſe uidetur. «

Item cùm inquit: Maximè uerò quærendum eſt, atq; tractandum, ſi præter mate- 3. Meta.
riam ſit aliqua per ſe cauſa, atq; hæc ſit ſeparabilis necne: & utrum una, an plures nu tex. 9.
mero ſint. Proponit enim in prima philoſophia quærendum eſſe an ſit aliqua ſepa «
rabilis cauſa, atq; hæc utrum una ſit.

Item cùm dicit: Præterea utrum ſolas ſubſtantias ſenſibiles eſſe, an pręter haſce di 3. Meta.
cendum eſt alias eſſe: & utrum unum ſit genus, an plura ſubſtantiarum ſint genera, tex. 28
ut ij putant qui formas inquiunt, & res eas medias eſſe, circa quas mathematicam «
uerſari dicunt. Has enim conſtat eſſe ſubſtantias ſeparatas: ergo ſentit ad primam «
philoſophiam pertinere non modò quid ſint ſubſtantiæ ſeparatæ, ſed an ſint etiam,
inquirere & probare. omnis enim quæſtio, ut patet ex Ariſtotele, eſt medij quęſtio.

Idem cõfirmat Ariſtoteles his uerbis, quæ citauimus etiã in ſuperioribus: Quod 2. Poſt.
ſi quippiam ſit in ratione rerum immobile, ſempiternum ac ſeparabile, patet ad cõ- cap. 1.
templatricem quidem ſcientiam illius cognitionem ſpectare, non tamen ad natura 6. Meta.
lem: quippe cùm naturalis facultas circa mobilia quædam uerſetur, neq; ad ma- tex. 4.
thematicum, ſed ad aliam utriq; priorem. «

Item cùm dicit: Sed de his quid rectè dicitur, quid nõ rectè, & quæ ſubſtãtię ſunt, 7. Meta.
& utrum ſint quędã pręter ſenſibiles, an non ſint, & eæ quomodo, utrũ ſit quædam tex. 4.
ſeparata ſubſtantia, & cur ſit, & quo pacto ſit, ac nulla ſit præter ſubſtantias ſenſui «
ſubiectas, cõſiderandum deinceps eſt, antea quid'nam ſit ipſa ſubſtantia deſignata. «

Nam

Nam ſi ſpectat ad primum philoſophum quærere nunquid aliæ ſubſtantiæ ſint
pręter ſenſibiles,ad eundem ſpectat etiam ob eam quam attulimus rationem,oſten
dere ipſas eſſe.

7.Meta. Item cùm ait:Quod autem et quale quid ſubſtantiam dicere oporteat,rurſus alio
tex.46. quaſi principio ſumpto dicamus. ex his enim, & de ſubſtantia illa patebit, quæ à
» ſenſibilibus ſubſtantijs eſt ſeparata. Perſpicuè enim oſtendit, uelle ſe de ſubſtantijs
paratis ex eis,quæ ad primam philoſophiam attinent agere.

11.Meta. Item ubi inquit: Verum aliquam ſubſtantiam ſeparatã præter ſenſibiles ſubſtan-
tex.6. tias, & eas quæ ſunt hic, putandũ eſſe, an non putandum:ſed hæc eſſe ea quæ ſunt,
» & circa hæc ſapientiam ipſam uerſari putare oporteat. Quærere enim alia quædam
» uidemus. & hoc eſt propoſitum nobis, uidere inquam ſi quippiam ſit in ratione re-
» rum ſeparatum per ſe,quòd quidem nulli rerum ſenſibilium idem ſint.

Ex quibus uerbis facile conſtat,uelle eum inquirere, nunquid ſint huiuſmodi ab
ſtracta. quod ipſum apertius declarat undecimo Meta. loco ſuprà etiam citato ob
11.Meta. aliam occaſionem. eius autem hæc ſunt uerba:Naturalis itaq; circa ea uerſatur,quæ
tex.26. motionis principium in ſeipſis habent. Mathematica uerò eſt quidem contempla-
» trix quædam,& circa immobilia uerſatur & ipſa,at non ſeparabilia, uti patet. eſt er-
» go circa ens ſeparabile atq; immobile,alia quædam ab his utriſq; diuerſa, ſi ſit in ra-
» tione rerum,quædam ſubſtantia talis ſeparabilis inquam,atq; immobilis,quod qui
» dem enitemur poſtea demonſtrare. Quibus uerbis oſtendit ſe poſtea conaturum
demonſtrare,an ſit in ratione rerum quædam ſubſtantia talis,quę ſit ſeparabilis atq;
immobilis.Quod ſi philoſophia naturalis demonſtraret ſubſtantias abſtractas eſſe,
quatenus ſunt cauſę entis ut ens eſt,cùm ipſa præcedat ob eas rationes quæ à me &
in Cõmẽt. allatæ ſunt,& afferentur:dubiũ non fuiſſet, quin tales ſubſtantię in ratione rerum eſ-
ſent. Itaq; fruſtra Ariſtoteles hoc loco hanc quæſtionem proponeret.

Adde quod his ipſis locis ita loquitur de ipſis ſubſtantijs, ac ſi nunquam de illis
antè uerbum feciſſet :quo planè oſtendit ſentire ſe, illas ad primam ſpectare philo-
ſophiam.

12.Meta. Item duodecimo Meta.tex.ſecundo,quem locum ſuprà etiam ad aliud tamen o-
tex.2. ſtendendum,citauimus,inquit: Subſtantiæ autem tres ſunt: una eſt ſenſibilis,cuius
» alia eſt perpetua,alia corruptibilis,quam omnes eſſe fatentur,quales ſunt plantę ac
» animalia : atque huius elementa ſumantur neceſſe eſt,ſiue unum ſit, ſiue multa. alia
» eſt immobilis: hanc quidam inquiunt ſeparabilem eſſe, alij diuidentes in duas, alij
» in una natura ponentes formas ipſas,& mathematica, alij Math.ſolum eſſe dicẽtes.
» Illæ igitur naturalis ſcientiæ ſunt, ſunt enim cum motu : hæ ad aliam ſcientiam ſpe-
» ctant,ſi principium nullum eſt ipſis commune. Quibus uerbis ſignificant,has ſub-
ſtantias ad primam ſpectare philoſophiam, reliquas ad philoſophiam naturalem.
quæ quidem cùm ita ſpectent ad ipſam naturalem philoſophiam,ut demonſtret ea
rum cauſas eſſe,quia ſunt ignotæ : eodẽ modo ſpectabũt ad primam philoſophiam
ſubſtantiæ abſtractæ,ſic ut probentur eſſe cauſæ.eadem enim eſt ratio.

15.Meta. Item duodecimo Meta.tex. uigeſimo,oſtẽdit Ariſtoteles illas eſſe cauſas, his uer
tex.20. bis: Cùm autem tres ſint ſubſtantiæ,duæ quidem naturales, una immobilis,de hac
» deinceps dicendum eſſe uidetur:Neceſſe eſt itaq; perpetuam aliquam ſubſtantiam
» immobilem eſſe.namq; omnia cætera quæ ſunt,antecedunt:atq; ſi omnes ſunt cor-
» ruptibiles,uniuerſa profectò corruptibilia ſunt. at impoſſibile eſt motũ aut ortum,
» aut corruptionẽ ſubire.ſemper enim erat,& tempus ſimili modo: eſt enim impoſſi-
» bile,ſi tempus non ſit,prius aut poſterius eſſe. & motus ergo perinde cõtinuus eſt,
» ut tempus.unde tempus antè eſt idẽ quod motus,aut eſt quidã motus affectus. Mo
» tus aũt non eſt continuus ullus,niſi ipſe qui loco accommodatur, & huiuſce qui eſt
» conuerſio.nam ſi ſit motiuum, aut affectiuum,nihil aũt operetur,motus non erit. fi
» eri enim non poteſt,ut id quod potentiam habet,omnino nõ operetur. Nulla ergo
» prorſus erit utilitas,etſi ſubſtãtias ſempiternas fecerimus:perinde atq; ij qui formas
» in ratione rerum introduxerunt,niſi quippiam principium ſit mutare potens. neq;
» igitur ipſa ſufficiens, neq; aliqua ulla ſubſtantia præter formas. ſi enim non opera-
» bitur motus,profectò non erit: nec etiam ſi operabitur,ſubſtantia autem ipſius po-
» tentia eſt. non enim perpetuus motus erit.quod enim potẽtia eſt, id poteſt nõ eſſe.

ſit ergo

ſit ergo principium tale oportet, ut ſubſtantia ipſius ſit actu, has inſuper ſubſtantias «
materiæ expertes eſſe oportet: perpetuas enim eſſe quidem, quod operatur eſſe. «
Item textu uigeſimooctauo eiuſdem libri: Eſſe igitur ſubſtantiam quandam, im- 12. Meta.
mobilemque, atque à ſenſibili ſeparatam, ex his quæ dictæ ſunt patet. tex. 28.
Item tex. trigeſimo: Eſſe igitur ſubſtantias, & harũ quænam ſit prima, quæ ſecun 12. Meta.
da, eodem ordine, quæ inter ſe lationes ſtellarum habent, dilucidum eſſe uidetur. tex. 30.
His omnibus locis luce clarius teſtatur Ariſtoteles, id ſe præſtitiſſe, quod erat 30. Meta.
pollicitus, ut uidelicet oſtenderet ſubſtantias abſtractas eſſe. ſi ergo in prima philo- & 6. & 7.
ſophia dicit Ariſtoteles ad primũ philoſophum pertinere, oſtendere ſubſtantias ſe- & 11. Met.
paratas eſſe, idque facit, nunquam autem in philoſophia naturali hoc illum dixiſſe appa-
ret: rationi omnino conſentaneum eſt, eius illum ſentẽtiæ fuiſſe, ut exiſtimaret ipſas
ſubſtantias ad diuinam philoſophiam pertinere, non ad naturalem. aliter enim per-
peram dixiſſet, quæ locis citatis eum dixiſſe oſtendimus.

Idem uerò ſic etiã confirmatur: Ad eã facultatẽ ſpectat ꝓbare ſubſtantias abſtra-
ctas eſſe, ad quã ſpectat uidere an ſin ideę. At hoc ſpectat ad primã philoſophiam,
ut ex iis ubique conſtat, quæ in ipſa prima philoſophia tractantur: ergo ad primam
philoſophiam ſpectat conſiderare, an ſubſtantiæ abſtractæ ſint.

Probatur prior propoſitio ex eo quòd in prima philoſophia quæritur, utrum ſint
ideæ, quas exiſtimabunt ii qui illas ponebant eſſe cauſas eorum quæ ſunt, ut patet
ex Ariſtotele. Quæruntur enim in prima philoſophia cauſæ rerum. reiectis autem
ideis, poſtquam demonſtratum fuit non eſſe cauſas, quęrit deinceps Ariſtoteles an ſint 1. Met. te.
alię cauſę prę ideas: ut ex iis q citati ſunt, quique citabunt, locis pſpicuũ eſſe poterit. 28. 39. 41.
Præterea ſi philoſophus naturalis probare poſſet ſubſtãtias ſeparatas eſſe, ut ſunt 7. Met. te.
cauſæ entis quatenus ens eſt, nulla eſſet ratio illa Ariſtotelis, diuinam philoſophiam 38.
quærere cauſas entis quatenus eſt ens: quia nulla alia facultas poteſt hoc præſtare, 6. Met.
id enim præſtaret philoſophia naturalis. tex. 1.

Item euerterentur illa uerba Ariſtotelis: Quoniã autẽ principia, ſummasque cau- 4. Meta.
ſas quærimus, patet ipſas neceſſariò per ſe eſſe cuiuſpiam naturæ. Quod ſi & ii qui tex. 1.
eorum quæ ſunt elementa quærebant, neceſſe eſt & elementa eius quod eſt, aut eſt «
ens, & non per accidẽs eſſe. quapropter & à nobis eius quod eſt, ea ratione qua ens, «
primæ cauſæ ſunt ſumendæ. Falſum enim eſſet, quòd ſumendæ fuiſſent cauſæ eius «
quod eſt, quatenus eſt, à primo philoſopho, quia ſumerẽtur à philoſopho naturali. «
Item oporteret facultatem priorem natura accipere ſuum ſubiectum à facultate
poſteriori naturà: quod tam abſurdum eſt, quàm quod abſurdiſsimum. ac tum qui-
dem philoſophus naturalis quæreret cauſas entis quatenus eſt ens, quod eſt totam
primam philoſophiam euertere, ipſa enim nihil eſſet.

Item ſi philoſophia naturalis poſſet probare cauſas entis quatenus ens eſt, diuina
autem philoſophia cauſas entis particularis, altera eſſet ſuperuacanea. quæreret enim
cauſas ſubiecti alterius. At conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Probatur
autem ipſa conſequentia: quia tales cauſæ ſunt eædẽ in utraque philoſophia. & cum
hac tantum ratione diſtinguantur, ſi una demonſtraret, quod ad alteram ſpectat fru
ſtra laboraret.

Prima igitur philoſophia nõ poteſt agere de cauſis corporis naturalis philoſophię:
neque rurſus philoſophia naturalis poteſt quærere, an ſubſtantiæ abſtractæ ſint, qua-
tenus ſunt cauſæ entis, ut eſt ens. Primę igitur philoſophię erit, quod ad hæc ipſum
attinet, demonſtrare illas eſſe cauſas.

SECTIO SECVNDA.

QVam uerò cauſam Auerroes reddidit, cur prima philoſophia non poſſit pro
bare ſubſtantias abſtractas eſſe, quia uidelicet ſunt eius ſubiectum, cùm eam
ſatis nos refelliſſe putemus in primo Apologię noſtrę libro, ubi oſtẽdimus eũ nõ ſo
lum pugnãtia dixiſſe, uerũ etiã, (quod multo grauius eſt) negãtia affirmaſſe, neque id
multũ referat ad hũc locũ, eã rẽ miſſam faciemus: reiicientes lectorem ad illũ librũ, in
quo multa diximus de ſubiecto, et declarauimus nullũ artificẽ poſſe ꝓpriè oſtẽdere
aliquid eſſe ſimpliciter in rerũ natura, p̃ter primũ philoſophũ, alioqn nõ eſſet uerũ
quòd primus philoſophus conſideraret ens quatenus ens: quod ſententiam Ari
ſtotelis euertit in multis locis, ut dictum eſt, & maximè in undecimo Meta. cùm
inquit:

» inquit: Sic & circa id quod eſt, rectè ſe habere uidetur. nam ea quæ huic accidunt ea ratione qua ens eſt, et contrarietates ipſius ut ens eſt, non ad aliam ſcientiam, ſed ad philoſophiam ipſam pertinet contemplari. naturali namq; ſcientię, nemo eorum quæ ſunt ut entia, ſed potius ut motum ſubeunt, tribuet contemplationem. Diſſerendi quoq; facultas, atq; ſophiſtica, circa accidentia quidem eorum quæ ſunt, non tamen ut entia ſunt, neque circa ipſum ens, ut eſt ens, uerſantur. . Quare reſtat, circa ea quæ dicta, ut ſunt entia, philoſophum ipſum eſſe contemplatorem. Et paulo pòſt addidit: At philoſophia de ſingulis quidem, ut horum cuiq; quippiam accidit, non conſideret: circa uerò id quod eſt, ut eſt ens, unumquodq; talium contemplatur.

Quod ſi cauſæ demonſtrantur eſſe, non demonſtrantur ſimpliciter & abſolutè: quia ſolum illud quod per ſe exiſtit, demonſtratur exiſtere. ſed demonſtrant quòd ſunt cauſæ, quæ ideo dicuntur demonſtrari eſſe, quia prius non erant nobis perſpicuæ: uerũ de ipſis non poteſt demonſtrari, niſi quòd ſint cauſæ illius, cuius ſunt cauſæ. demonſtrantur enim ineſſe in illis, quorum ſunt cauſę, per ipſorum accidentia. Etenim ſi cauſę demonſtrarentur eſſe ſimpliciter et abſolute, cùm demonſtrentur in uniuerſa philoſophia naturali, in dubium uenire non poſſet, quin philoſophia naturalis contẽplaretur, & ipſa ens, quatenus ens: & tunc conuelleretur neceſſario uniuerſa prima philoſophia, ut perſpicuum eſt ex eis quæ & dicta ſunt, & citata ex ſententia Ariſtotelis.

Item quòd ſubſtantiæ abſtractæ non poſſint eſſe ſubiectum primæ philoſophię, & quòd Auerroes in hac re à ſeipſo diſſentiat, & quomodo non ſint ſubiectum primę philoſophiæ, neque ſpecies ſubiecti, ſed principia ipſius: & quomodo intelligatur illa præpoſitio, Deus eſt ens: & quomodo illa quæ ſunt cauſæ entis, dicantur
1. Apolog. entia: quia hęc omnia uberrimè putamus nos tractaſſe in primo Apologię noſtrę libro, ita ut eorum ueritas facilè poſſit inde colligi, ad illum etiam locum lectorem reijciendum arbitramur, repetentes ſolummodo ea quę ad intelligentiam rerũ quas diximus conſequendam uidentur eſſe magis opportuna & neceſſaria.

Falſum igitur eſſe apparet, quod dixit Auerroes loco citato, quòd uidelicet qui dicit primam philoſophiam conari declarare entia ſeperabilia eſſe, is peccet: quandoquidem fieri non poteſt ex uerbis Ariſtotelis, & rationibus allatis, ut alius artifex hoc oſtendat præter primum philoſophum.

Præterea uidetur ſibijpſi repugnare, cùm ait:

» Conſideratio autem de diſpoſitionibus formarũ abſtractarum ſententiarum ſe-
» cundum quod ſunt abſtractæ, & de quietatibus earum, eſt propria primæ philoſophiæ, non ſcientiæ uniuerſalis. Etenim ſi eſt uerum, quòd conſideratio formarum abſtractarum quatenus ſunt abſtractæ, ſit propriæ primę philoſophiæ, ergo falſum eſt id quod alibi dixit, huiuſmodi genus entium ſeparatum à materia, non declarari eſſe, niſi in philoſophia naturali. quia ſi philoſophus naturalis ſolus probat hoc genus entium abſtractum à materia eſſe, ergo conſiderat ipſum ut eſt abſtractum: et ſi conſiderat ut eſt abſtractum, ergo non attinet ad primum philoſophum, tractare de diſpoſitionibus iſtorum abſtractorũ, quatenus ſunt abſtracta. quia conſiderare ipſa ut ſunt abſtracta, nõ eſt conſiderare quiditatis abſtractorum. quiditas enim pertinet etiam ad philoſophum naturalem, quod ipſe negauit. Deinde ſeipſum declarat cùm ſubiungit, Et de quiditatibus earum: uult ergo, quòd ſint diuerſæ.

Falſum item eſſe, & à ratione alienum uidetur, quod dicit, Si in philoſophia naturali non demonſtraretur hoc genus entium, quod non eſſet niſi ſcientia naturalis, & doctrinalis. etenim demonſtraretur in prima philoſophia, ſicut demõſtratur.

Patet etiam ex eis quę dicta ſunt, abſurdum eſſe, quòd materia prima non poſſit declarari niſi per ſignum naturale, intelligendo per ſignum naturale, medium ſpectans ad philoſophiam naturalem. oſtenſum eſt enim, quòd non poteſt demonſtrari per illud medium, quoniam philoſophus naturalis non habet medium proprium ad illam oſtendendam, ſed primus philoſophus: quandoquidem uniuerſalior eſt, quàm corpus naturale, quod attinet ad philoſophiam naturalẽ, quippe cùm ſit cauſa entis quatenus ens eſt, & ſit ſubſtantiæ compoſitæ ut eſt ſubſtantia, & ſubſtantiæ corruptibilis eo modo quo dictum eſt ſuprà.

Item Auerroes exponens hæc Ariſtotelis uerba, Naturam autem habent quæ- 2.Phyſ.
cunq; habent huiuſmodi principium, & ſunt hæc omnia ſubſtantia, ſubiectũ enim tex.3.
eſt quoddam, & in ſubiecto eſt natura ſemper: Euertit ſententiam ſuam. dicit enim «
materiam primam, ex eo ipſo quòd materia prima eſt, attinere ad primum philoſo-
phum: & formam, quatenus forma eſt, ſimiliter. eius autem hæc ſunt uerba: Sed ui- «
detur quòd hoc ſit concedendũ à naturali, & accipit à philoſopho, ſcilicet quòd na- «
tura, quæ dicitur de forma, ſit ſubſtantia. & uniuerſaliter conſiderare de ſubſtantia, «
non eſt proprium huius ſcientiæ: ſubſtantia enim, & accidens, ſunt differentiæ en- «
tis, quatenus ens. & apparet illic quòd materia eſt ſubſtãtia in potentia, & quod for «
ma eſt illa propter ens eſt ſubſtantia in actu. compoſitum igitur eſt dignius habere «
hoc nomen ſubſtantia, quàm materia, quia eſt in actu, & materia eſt in potentia: & «
forma eſt dignior habere hoc nomen ſubſtantia, quàm compoſitum, quoniam per «
illam eſt compoſitum in actu. cauſa autem rei eſt dignior, quàm illud quod ex ea ef- «
ficitur. Et omnes iſtæ præpoſitiones ſunt communes & eſſentiales, enti: & ideo po «
nendum eſt in hac ſcientia poſitione. Quam ſententiam multis in locis, quos longũ
eſſet proferre, teſtatum reliquit Auerroes.

Perſpicuum igitur eſt ex uerbis ipſius Auerrois, quod materia, ut materia, decla-
ratur in prima philoſophia, & ita de forma. quandoquidem materia, ut materia, ni-
hil aliud eſt quàm ſubſtantia in potentia: & forma, quatenus forma, eſt illa propter
quam eſt ſubſtantia in actu. Ergo euertit ſuam ſentẽtiam, quòd materia, ut materia,
attineat ad philoſophiam naturalem: & per id quod ſequitur neceſſariò, quòd lib.
Phyſ. in quo declarat̃ ipſa materia, ſit pars philoſophiæ naturalis per ſe. omnia enim
quæ tractantur in eodem libro, accipit naturalis à primo philoſopho.

Item ex uerbis Auerrois ſequitur, ut prima philoſophia non abſtrahat à materia
in potentia, & per conſequens à motu. Materia enim eſt cauſa motuum in ſuo gene
re. ex quo deinde efficitur, ut primus philoſophus habeat medium ad declarandam
materiam primam: quod euertit ipſius ſententiam.

Item ſequitur, ut materia prima attineat prius ad primum philoſophũ, quàm ad
naturalem. Probatur conſequentia: quia ad cognoſcendam naturam primæ ma-
teriæ, oportet prius cognoſcere quod ſit ſubſtantia, quàm quod ſit aliquid aliud: er-
go prius attinebit ad primum philoſophum. Antecedens eſt clarum: uniuerſalio
ra enim ſunt priora naturæ, & notiora. Conſequẽtia patet: quia nemo ex ipſius uer-
bis poteſt declarare materiam eſſe ſubſtanniam, niſi primus philoſophus.

Item, potentia quæ cadit in definitionẽ materiæ, attinet ad primum philoſophũ:
ergo & materiæ. Probatur ex ui uerborum eius, quia actus & potentia ſunt diffe
rentiæ entis, in eo quòd ens, ut patet ex Ariſtotele, ex uerbis ipſius: Potentia enim, 9. Meta.
& actus, inquit, Auerroes, ſunt differenntiæ quæ contingunt omnibus prædicamen tex.1.
tis, & cõueniunt enti in eo quod ens. ut patet ex eis quæ dicta ſunt in ſuperioribus, 1 de Ani.
& ex Ariſtotele etiam, & in multis alijs locis hoc idem aſſeruit Auerroes. Si ergo tex.6.
ſubſtannia & accidens attinent ad primũ philoſophum, quia ſint differẽtiæ entis: er- 1.Ethi.
go potentia & actus attinebunt ad primũ philoſophum, quia ſunt differẽtiæ entis, cap.7.
eo ipſo quod ens eſt ex eius ſententia. Si ergo ſubſtantia & potennia attinent ad pri Auer. 2.
mum philoſophum, ergo materia prima pertinebit ad primũ philoſophum: quod Phy.tex.3.
eſt illud quod ipſe negauit.

Item, ſi potẽtia attinebit ad primum philoſophũ: ergo declarare quod aliquid ſit
ens, & in potẽtia, pertinebit ad primũ philoſophũ, ex ſententia Auerrois: quia uult,
quòd declarare aliquid eſſe ſubſtantia, attineat ad primũ philoſophum: ergo decla-
rare motũ eſſe actum entis in potentia, ſecundũ quod in potentia, pertinebit ad pri
mum philoſophũ. Conſequentia perſpicua eſt. Antecedẽs eſt Auerrois: ergo mo-
tus pertinebit ad primum philoſophum, quatenus motus. ergo falſum eſt quod ma
teria prima non poſſit declarari niſi per ſignũ naturale, quia declaratur per motum,
qui quidem eſt primi philoſophi.

Item falſum eſt, quòd primus philoſophus non habeat medium ad declarandum
ſubſtantias abſtractas eſſe: quia declarat per motũ, ex uerbis Auer. ſequitur ut mo-
tus ſit primi philoſophi. quod omnino ſententiam ipſius labefactat & cõuellit. tan-
ta enim eſt uis ueritatis, ut aliquando qui contra eam dicunt, imprudentes tamen,

opinionẽ quam tuentur euertant. Sequitur etiã ex dictis Auerrois, et in loco cita
to, & in multis alijs locis, quos longum eſſet recenſere, ſubſtantiam generabilem &
corruptibilem attinere ad primam philoſophiam: quia uult, ſubſtantiam compoſi-
tam ex materia prima, & forma illius materiæ, attinere ad ipſam: ergo non attinebit
primo ad philoſophiam naturalem: ergo non abſtrahet à motu primus philoſo-
phus, quod repugnat eius ſententiæ.

1. Phyſ. com. ult. Item euertit id quod dixit contra Auicennã, quem accuſauit quòd diceret philo
ſophiam naturalem accepiſſe à primo philoſopho, corpora componi ex materia &
forma: quia ſi prius conſiderat materiã eſſe ſubſtantiã in potentia, & formam eſſe il-
lam per quam ens, id eſt cõpoſitum eſt in actu, neceſſe eſt ut cõſideret corpora eſſe
compoſita ex materia & forma: tum quia qui conſiderat materiã & formã, neceſſe
eſt ut idem conſideret cõpoſitum ex illis. qui enim inſpicit cauſas, neceſſe eſt ut idẽ
effectus inſpiciat, non enim fieri poteſt ut ſeparentur: tum etiam, quia nõ poſſet ſci-
re primus philoſophus, quòd forma eſſet illa, per quam ens eſt acta, niſi cognoſce-
ret illud quod eſt actu. Sed illud ens eſt cõpoſitum, neceſſariò ergo cognoſcet illud
compoſitum eſſe ex materia & forma. ſibi ergo ipſi repugnat.

Quod uerò ſubiungit, impoſſibile eſſe declarare abſtractum eſſe niſi per motum
aſſentimur: at cùm aſſerunt motum eſſe tantum philoſophi naturalis, id negamus:
Auer. 2. Met cõ. 6. quod quidem tum ratione, tum Ariſtotelis uerbis, atq; adeò ipſius Auerrois confir
mari poſſe exiſtimamus. Etenim ex eis quæ dixit, quæq; in ſuperioribus citauimus,
colligitur apertiſſimè, motum uniuerſalem attinere ad primum philoſophum.

Item, mutatio in omnibus prædicamentis reperitur: ergo eſt affectió entis, quate
1. Ethi. cap 7. nus eſt ens, eſt enim æqualis enti. Probatur conſequẽtia ex ipſo Ariſtotele, quip-
pe qui probauit bonũ eſſe æquale enti, quia reperiebat̃ in ſubſtantia, in quantitate,
4. Meta. tex. 21. in qualitate, &c. Et patet etiã ex eis quæ ex ipſo Ariſtotele citauimus. Antecedens
perſpicuum eſt, quia Ariſtoteles dixit, Motus ſpecies ſunt ſex, generatio & corru-
Ariſto. in Poſtpræd. c. 4. ptio, augmentatio & diminutio, alteratio ſecũdum locum, mutatio. motus ergo eſt
in omnibus prædicamentis, in omnibus enim eſt aliqua ſpecies motus.

11. Meta. c. 10. Hoc item confirmat Ariſtoteles decimo Meta. cum dicit: Atqui eorũ quæ ſunt,
» quædã actu tantum, quædam potẽtia ſunt atq; actu: Horũ aliud eſt ens, aliud quan-
» tũ, aliud ex numero cæterorum. nõ eſt autem ullus motus præter res ipſas. mutatur
» enim ſemper id quod mutatur, per ipſius entis prędicamenta. atq; in hiſce cõmune
» nihil eſt prorſus, quod nullo eſt in prædicamento. Vnumquodq; aũt dupliciter cun
» ctis ineſt, ut hoc. aliud enim eſt ipſius forma, aliud eſt priuatio. & quale, aliud enim
» eſt album, aliud nigrum: & quantum, aliud enim eſt perfectum, aliud imperfectum.
» & in latione ſimili modo, aliud eſt ſuprà, aliud infrà, aliud leue aut graue. quare tot
» ſunt ſpecies ipſius quod eſt, quot motus mutationis úe ſpecies ſunt. Cùm autem eo
» rum quæ in unoquoq; genere collocantur, quoddam actu, quoddam potentia ſit,
» actum eius quod eſt potentia, ut eſt tale, motum eſſe dico.

Quibus uerbis apertiſſimè oſtendit ſe ſentire, mutationẽ & motũ, & omnes eius
ſpecies attinere ad primam philoſophiam, tum quia in eo libro definit motum: tum
11. Meta. c. 10. quia oſtendit, mutationem & eius ſpecies eſſe in omnibus prædicamentis. ex quo
ſequit̃, ut ſit accidens entis: ergo pertinet ad eam ſcientiam, ad quam ens pertinet.

4. Meta. tex. 20. Conſequẽtia probatur his uerbis Ariſtotelis: Perſpicuum igitur eſt ad unam ſci-
entiam pertinere id quod eſt, ut eſt ens: & ea quæ inſunt ipſi, ut tale eſt contempla-
» ri: & non ſolum ſubſtantiarum, ſed etiam eorum quæ competũt ſcientiam eandem
» eſſe, contemplatricem eorum inquã quæ diximus: & de priore, poſteriore úe, & ge
» nere, & toto, ac ſpecie, ac parte, & huiuſmodi cæteris.

Ad illam igitur ſcientiam, ad quam pertinet ens, pertinebit mutatio, & eius ſpe-
cies: ſunt enim affectus entis. Atq; hic eſt tex. ex quo cõcluſimus genus & ſpeciem,
& uniuoca & æquiuoca, & nomina & uerba, & oppoſita, & breuiter omnia quæ
ſunt in Logica, per ſe ſimpliciter attinere ad primã philoſophiam, propterea quòd
erant affectiones entis, quatenus eſt ens, & ſic reiecimus ſecundas intentiones tan-
quã figmẽta excogitata ab expoſitoribus. nam ab Ariſtotele quidem nunquã tradi
in com. tę fuerunt. De quibus quoniã ſatis multa diximus in Cõmentario noſtro, et in Apo
in Apol. logia, nihil eſt quod hic pluribus uerbis agamus, ſatis eñ eſt admonuiſſe lectores.

Quod item motus ſit quædam affectio cõmunis, & non ſit tantum philoſophi
naturalis, non erit ſuperuacaneum oſtendere ex uerbis Ariſtotelis, quæ etiam in ſu
perioribus protulimus ad aliam rem probãdam. is igitur octauo Phyſic. ſit ait: Om 8. Phyſ.
nia igitur quieſcere, & huius rationem quærere dimittentes ſenſum, infirmitas quæ tex. 22.
dam intellectus eſt: & de toto aliquo non de parte, ambiguitas eſt: neq; ſolum ad “
Phyſicam, ſed ad omnes ſcientias, ut eſt dicere, & ad omnes opiniones propter id “
quod motu utuntur omnes. Quod ſi omnes ſcientiæ utunẽ motu, non eſt motus “
tantum philoſophi naturalis, ſed reliquarũ etiam ſcientiarum & opinionum. neceſſi
tas etiam cogit ut ſit ſcientiæ uniuerſalis: alioquin non omnibus congruere, & apte
conuenire poſſet. Sed præter ea quæ diximus, uidetur Ariſtoteles ponere motũ
unum ex prædicamentis. ergo & ſi non eſſet affectus entis, attineret ad primam phi
loſophiam. Prędicamenta enim attinere ad primam philoſophiã, in dubium uenire
non poteſt: ſunt enim ſpecies entis. Antecedens cõprobant hæc uerba Ariſtote- 7. Meta.
lis: Cùm autem ſint cæteris in prædicamentis compoſita, eſt enim aliquid cuiq; ſub tex. 3.
iectum ut quiditati, & quantitati, & ubi, ac motui. Videntur enim ſignificare, “
motum eſſe unum ex prædicamentis, ſicut eſt ſubſtantia, quantitas, & reliqua: atq;
ita eſſe ſpeciem ipſius entis. erit ergo motus philoſophiæ primæ.

Præterea actus, & potentia pertinẽt ad primum philoſophũ, ergo & motus. Pro
batur conſequentia ex eo, quod ad quam facultatẽ ſpectant partes definitionis, &
definitio, ad eandẽ ſpectat & ipſum definitum. hoc ita in promptu eſt, ut ridiculum
ſit uelle eam probare. Motus autẽ definitio hæc eſt: uidelicet motus eſt actus entis
in potentia, quatenus eſt in potentia. Antecedens Ariſtoteles oſtendit, cum inquit: 3. Phyſic.
Cum autem id quod eſt partim ſubſtantia aut qualitas, partim potentia, atq; actu 9. Meta.
dicatur, de potentia etiam & actu determinemus oportet. Confirmatur, quia ip- tex. 1.
ſam potentiam diſtinxit ac definiuit, ubi poſuit nomina attinentia ad primam phi- 1. Meta.
loſophiam. Præterea potentia definitur per motum, & ſpectat (ut dictum eſt) ad
primum philoſophum: ergo & motus. Antecedens patet ex eis quæ ſcribit Ariſto- 5. Meta.
teles, inquit enim: Potentia dicitur alia quidem principium motus, mutationiſue, text. 21.
quod eſt in alio, aut quippiam aliud eſt. Item: Cùm potentia tot modis dicatur, 5. Met.
poſſibile quidem ac potens, uno quidem modo dicetur; ad quod motus aut muta- tex. 22.
tionis principium habet. etenim id à quo ſtatus, quieſue proficiſci poteſt, poſſibile “
quippiam eſt in alio, aut aliud quippiam eſt. Item: Ea uerò quæ per potentiam di 5. Met.
ci ſolent, omnia ad potentiam unam primam dicuntur: hæc aũt eſt mutationis prin tex. 23.
cipium, in alio, aut in aliud quippiam eſt. Et poſt nonnulla ſubiunxit: Quare pro “
pria definitio potentiæ primæ hæc erit: principium inquam mutandi in alio, aut in “
aliud quippiam. “

Neceſſariò igitur motus pertinet ad primum philoſophum. aliter enim ignora-
to motu, ignoraretur & potentia: & ad aliam facultatem pertineret definitum, ad
aliam definitio, quod eſt omnium abſurdiſſimum.

Item cum dicit Ariſtoteles: Actus autem nomine & ad perfectionem ipſam, & 5. Met.
ad cætera ex motibus maximè ipſis acceſſit. Motus enim actus maximè uideẽ. Qua tex. 6.
propter quæ non ſunt, non motum, ſed alias quaſdã prædicationes tribuere ſolent. “
Intelligibilia autem illa, & deſiderabilia dicunt eſſe, moueri autem non dicunt. idq; “
propterea quòd quidem non ſunt, eſſe autem actu poſſunt. Quædam enim eorum “
quæ non ſunt, potentia ſunt: non ſunt autem ex eo quæ non actu ſunt. Declarat “
motum eſſe actum. atq; hæc quidem declaratio, ut patet, eſt primi philoſophi: ergo
& motus. Quando uerè fiat, ut in motus definitionem cadat potentia, & in defini-
tionem potentiæ motus, non eſt hic docendi locus. ſatis enim eſt demonſtraſſe, ne-
ceſſarium eſſe ut utrumq; ad eandem facultatem attineat. et cum perſpicuum ſit pò
tentiam pertinere ad primum philoſophum, in dubium ſanè uenire non poteſt;
quin & motus pertineat ad primum philoſophum.

SECTIO TERTIA.

CONfirmatur autem quod proximè dictum eſt, ad hũc modum: Quicquid con
ſideratur à philoſopho naturali, particulariter conſideratur, & à primo philo-
ſopho ratione uniuerſali. eſt enim naturalis philoſophus artifex particularis, qui
partem entis conſiderat, nõ totum ens. ergo ſupponit neceſſariò ipſum ens in om-

nibus conſiderationibus,ut patet etiam ex Arbore,quã conſcripſimus. At motus conſideratur à philoſopho naturali: ergo conſideratur etiam à primo philoſopho, ratione uniuerſali. Motus enim eſt ens: ens autem eſt uel actus,uel potentia. Itaque conſideratur ab ipſo ſecundum id quod eſt, Quod ita confirmatur. ſubſtantiæ abſtractæ ſunt cauſę effectiuę entis,quatenus eſt ens:ergo & à primo philoſopho cognoſci debent eo modo quo ſunt cauſæ.aliter enim deciperetur. At ſunt cauſæ per ipſum motum: ergo ita cognoſci debent. Motus igitur debet à primo philoſopho cognoſci:aliter enim non cognoſceret cauſas ſui ſubiecti.

5. Primæ philoſ. Item, omnes termini qui quæruntur & diſtinguuntur ab Ariſtotele in quinto primæ philoſophiæ(ut ſentit Auerroes cæteriq́ interpretes quemadmodum à nobis in cõmentario noſtro dictum eſt) ſpectant ad primum philoſophum: ergo & cauſa,quæ ibi diſtinguitur. Itaq; cauſa efficiens, atq; eius definitio, & partes definitionis.aliter enim non poſſet primus philoſophus cognoſcere cauſas, quas conſiderat ergo motus etiam ad ipſum primum philoſophum ſpectat,propterea quia cauſa efficiens eſt unde motus.

3 Phyſ. 2. Meta. tex. 21. Item natura pertinet ad primum philoſophum,ergo & motus. Quã item ratione probauit Ariſtoteles motum pertinere ad lib. Phyſic. Oſtenditur autem antece-
» dens ex ipſo Ariſtotele, qui inquit:Idcirco eruditum eſſe quemq; oportet,quónam
» pacto quæq; ſint acceptanda: quoniam abſurdum eſt, ſcientiam ſimul, & ſcientiæ
» quærere modum:ubi ne alterum quidem conſequi facile eſt. Mathematicorum au-
» tem exacta diſcurſio, non in uniuerſis eſt efflagitanda: ſed in hiſce duntaxat, quæ
» materia uacant: quapropter modus ille non naturalis eſſe uidetur. Vniuerſa nanq;
» natura materiam fortaſſe habent. Quamobrem quid ſit natura cõſiderare oportet.
» hoc enim pacto,& quibus de rebus eſt ſcientia naturalis,& ſi unius facultatis an plu
» rium ſit cauſas principiaq́ contemplari,profectò patebit.

Quibus quidem uerbis luce clarius oſtendit Ariſtoteles ſentire ſe,naturã ad primam philoſophiam ſpectare.neq; enim difficile eſt, ut ego quidẽ opinor,intelligere expoſitionem diui Thomæ, illorum uerborum, nihil ad rem facere.non enim in prima philoſophia illud dicendum fuit, ἀκριβολογίαν mathematicam non eſſe in omnibus expetendam:& poſtmodum, hanc non eſſe expetendam in philoſophia naturali.id enim quod uniuerſaliter probatum eſt,ut ad rem faciat, neceſſe eſt ita accipi, ut intelligatur de ipſa prima philoſophia: quemadmodum hoc idem repetitum intelligitur de ipſa morali philoſophia,primo Ethic.cap.ſecundo.

1. Ethic. cap 2. Præterea, quam ſimilitudinem in demonſtrando habet philoſophia naturalis cum mathematica, eandem habet diuina philoſophia cum ipſa mathematica. hoc enim ex eo patet, quod utraq; ex notioribus tantummodo nobis demonſtrat. Vt igitur conuenit illud philoſophiæ naturali,ſi conferatur cum mathematica:ita conuenit primæ philoſophiæ,ob eandem rationem. Hoc idem ergo uidetur dicendum de prima philoſophia.

2 Met. tex. 21. Item ait Ariſtoteles perſcrutandum eſſe quid ſit natura.hoc enim pacto cõſtabit, inquit, etiam quibus de rebus ſit ſcientia naturalis, atque utrum unius ſit facultatis an plurium,cauſas principiaq́ contemplari.at conſiderare utrum ſit unius facultatis an plurium,cauſas principiaq́ contemplari, pertinet ad primã philoſophiam: ergo loquitur de ipſa prima philoſophia. Hoc autem ita eſſe, oſtendit ipſe his uerbis:

3. Meta tex. 3. Eſt itaq; dubitatio prima de ijſce quæ in exordijs dubitauimus,utrum unius an plurium ſcientiarum ſit cauſas contemplari.

Conſtat igitur huiuſmodi quæſtionem pertinere ad primã philoſophiã, ipſumq́ Ariſtotelẽ citare locum hunc in lib. quem collocat inter exordia, ut infrà magis etiã oſtendemus. quæ enim ibi conſiderantur ab initio ſecundi libri, uſq; ad tertium librum,tradita ſunt uberioris perfectioriſq́ doctrinæ cauſa. Neq;,mea quidem ſententia,quod ait Alexander uerba illa exponens,probandum eſt,nam illam non eſſe
» præfectionem philoſophiæ contemplatricis, cuius prima pars,quod ad nos attinet,
» ſit naturalis, propterea quòd qualis illa ſit, & quibus de rebus differat, inueſtigari
» non poteſt, niſi prius quid ſit natura conſideratum ſit: Ex eo colligi poteſt quod huic libro nullus eſſet locus:aliter enim ante philoſophiam naturalem collocandus eſſet, quod tamen fieri non poteſt, uel quia illa eſt perfecta, uel quia liber hic nihil

ad

ad rem faceret. ſupponit enim mentionem antè factam eſſe de quatuor cauſis. non
enim illud quæri poteſt, an cauſę & principia in infinitum progrediantur, niſi prius
conſtiterit & quot ſint, & quæ. Eò accedit, quòd quicquid attigit Ariſtotcles, fecit Meta. 3.
(quemadmodum apparet) ut diſſolueret obiectiones: non ergo poteſt ab eo libro
philoſophia naturalis initium ducere, cùm uideatur aliquid ſupponere. Neq; illud
obſtat, quod opponit Alexander initio tertij Meta. quem ſecundum ipſe uocat, ni-
hil agi de natura: hoc enim fit in ſequentibus: ibi enim tollitur difficultas illa, quam 1. Meta.
ait ipſe nullam fore, tum cum oſtenſum fuerit quid ſit natura, neceſſe enim fuit alia 4. Met.
præcedere. tex.23.

Neq;, ut ego quidem arbitror, cohęret initium tertij libri cum fine primi: neq; co 11. Meta.
hęrent ea quæ ſecundo libro tractant. nam cum dicit Ariſtoteles: De talibus igitur tex.12.
oſtenſum eſt & prius. quæcunq; autem de ipſis dubitaret aliquis, reſumamus iterū. 1. Meta.
Fortaſſe enim ex ipſis ſuppeditabimus aliquid ad poſteriores dubitationes.

Illud ſignificat, uelle ſe de eiſdem agere, de quibus antè egerat: hoc eſt, de cauſis.
Itaq; ſignificat dicturum ſe de cauſis ea, de quibus aliquis dubitare potuit.

In his autem erat, an cauſæ eſſent infinitæ. Vult ergo loqui de cauſis, an ſint infi-
nitæ. huiusq; rei illam rationem affert, quòd ex his (inquit) ita declaratis, ſubaudi
ſuppeditabimus aliquid ad poſteriores dubitationes, quæ ſubaudi afferūtur in ter-
tio libro. poterimus enim multas de huiuſmodi cauſis proferre dubitationes, cum
intelligemus eas eſſe finitas, nō infinitas, & uniús ne an plurium ſcientiarum ſit cau
ſas contemplari.

Quod ſi eſſent infinitæ, nullam haberet huiuſmodi quęſtio rationem: propterea
quòd infinitum, cum percipi nullo modo poſſit, non poteſt etiam ſciri. Hæc recta
quidem mihi uidetur huiuſce loci interpretatio, ut ſi aliter exponatur totius illius li
bri ſenſus maximè perturbetur.

Adde quòd mirificè quadrat uerbis Ariſtotelis, Quod ſi ab hoc libro initiū non
ducit Philoſophia naturalis, qui poterit Alexander ita exponere, ut ſenſus ſit, non 2. Meta.
hoc quidem loco quid ſit natura differendū eſſe, ſed ante hanc doctrinā oportere cap.21.
de rebus naturalibus diſputari: quòd qui fuerit in pertractatione rerum naturalium
exercitatus, is facile aſſequi poterit, quæ ad diuinam diſciplinam pertinent.

Præterea huiuſmodi ſenſus nihil quadrat huic loco, ubi quidē Ariſtoteles huius
conſuetudinis mentionē facit, ut oſtendat homines ab ipſo non debere expecta-
re demonſtrationes mathematicas: propterea quòd Mathematicorū contemplan-
di ratio uerſatur in eis quæ carent materia. quæ enim conſiderant, hæc ipſa conſide
rant ut abſtracta ſunt à materia. ac ita quidem fit, ut non ſit naturalis eorū contem-
plandi ratio, quod omnis fortaſſe natura prædicta eſt materia. Quod niſi ita accipe
ret Ariſtoteles naturalē conſiderationem, ut ipſam diuinā philoſophiam intellige-
ret, aliena ab hoc loco forent ea quæ de cōſuetudine illa diſſeruit. Quare altera etiā
Alexandri expoſitio uidetur improbanda. At cum liber ille nullo alio cōſtitui poſ-
ſit loco, ſi quis diligenter attendat ea quæ dicta ſunt, neceſſe eſt Ariſtotelē ita ſenti-
re, naturam pertinere ad primā philoſophiam. Quod quidē ſi ita eſt, motus etiā ſi-
ne dubio pertinebit ad eandem primā philoſophiam. natura enim eſt principium
motus: eoq; ignorato, ut ipſa quoq; ignoretur neceſſe eſt.

FINIS LIBRI DECIMISEPTIMI
Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER DECIMVSOCTAVVS.

SECTIO PRIMA.

Qvod autem hic ſecundus primæ philoſophiæ liber præponi non debeat
ſecundo Phyſ. libro, ut quidam uidentur exiſtimare, ſatis cōſtat. Primùm
quia pertractatio illa, ut dictum eſt, ſupponit mentionem factam eſſe de
quatuor cauſis, quæ ſecundo Phyſ. libro enumeratæ ſunt, & non primo.
Deinde quia primo Phyſ. lib. tradidit Ariſtotcles doctrinam de ueris principijs re-
rum generabilium & corruptibilium, quæ ſunt, materia, forma, priuatio: quam do-
ctrinam apparet non ſequi ea quæ tractantur in ſecundo libro Meta. tum quia (ut

oſtenſum eſt, & oſtendetur (natura ſpectat ad primum philoſophum, ut eſt princi
» piũ motus. Neq; illa uerba, (Rurſus aliud principium incipientes dicamus) iecit
co dixit Ariſtoteles, ut exiſtimãt qui hanc ſequuntur opinionem, quòd ueterũ allà
tis & confutatis de principijs tam mobiliũ quàm immobiliũ rerum opinionibus,
quæ nec ueræ eſſent, & admodũ imperfectæ, uerã ipſe atq; perfectã traditurus eſ-
ſet eorum principiorũ notitiam. hoc enim primo Phyſ. lib. ita præſtitit, ut nullo alio
philoſophię libro illa ipſa principia copioſius tractarit. oſtendit enim tria eſſe rerũ
naturaliũ principia, materiam, formam, priuationem: quorũ duo illa, materiam &
formam, dixit eſſe per ſe, tertiũ uerò per accidens. uerùm hoc (mea quidem ſenten
tia) ideo fecit Ariſtoteles, quòd cũ initio primi Phyſ. demonſtraſſet philoſophi na
turalis eſſe inueſtigare cauſas rerũ naturaliũ, docuiſſetq; huiuſce rei uiã & ordinẽ,
conſentaneũ rationi fuit, ut ipſe prius de cauſa efficiente ageret, quàm de cauſa mate-
riali. eſt enim illa natura prior. Quoniã tamẽ facilior erat materiæ cognitio, eiuſq;
pertractatio breuius abſolui poſſet, uiſum eſt Ariſtoteli faciendũ eſſe, ut prius de
cauſa materiali diſſereret, quàm de efficiente. quod cum feciſſet tanquã obiter eo locò
(nõ enim ſuus ille ſecundũ naturam erat locus) atq; alterã cauſam pertractaturus,
efficientẽ ſcilicet & perpetuã: Rurſus, inquit, incipientes dicamus aliud principiũ,
ſubaudi cognoſcendi. Quod idẽ eſt ac ſi dixiſſet, ponamus aliud principiũ cogno-
ſcendi, perinde ac ſi ad philoſophiã naturalem aggrederemur. Hactenus enim tan
quã præter ordinẽ loquuti ſumus de principijs illis, materia, forma, priuatione, ob
facilem eorũ cognitionẽ. Ponamus igitur aliud cognoſcẽdi principiũ, quod quidẽ
principiũ eſt definitio naturæ. Nã cũ natura ſit principiũ motus & quietis. Motus
aũt ſit æternus, natura quæ erit huiuſmodi principiũ, erit æterna. Itaq; motores cœ
leſtes erunt æterni. atq; ita quidẽ perinde facit, ac ſi philoſophiã naturalem auſpica
1. Rhet. retur, ad quam ordinatus eſt lib. Phyſ. Quod idẽ feciſſe Ariſtotelẽ etiam in primo
cap. 1. Rhet. apparet ex his uerbis: Sed iam de ipſa methodo conabimur dicere, quomo-
» do et ex quibus poterimus aſſequi propoſitũ. Rurſus igit̃ tanquã ex principio defi
nientẽ ipſam quid ſit, & reliqua. Cum multa ergo ante dixiſſet, innuit uelle ſe defi
. nire Rhetoricã, quaſi hoc eſſet illius lib. initiũ, propterea quòd ea quę dixerat, erãt
» tanquã obiter dicta: neq; ſecundus liber, cuius initiũ eſt, Eorũ quæ ſunt, alia quidẽ
» ſunt natura, alia uerò propter alias cauſas, mancus eſt, ac dempto capite mutilatus,
ut iſti exiſtimant. nam cũ illaturus eſſet Ariſtoteles eo modo quo fieri potuit defi-
» nitionem illã, (Eſt igit̃ natura principiũ alicuius, & cauſa mouendi, in eo in quo eſt
» primò per ſe, & non ſecundũ accidens) neceſſariò præponenda fuit diuiſio illa, ut
liquet, quod ex ea illã ipſam definitionẽ intulit. Eò accedit, quod primus item lib.
» ab hac diuiſione initiũ ducit: Neceſſe eſt aũt, aut unum eſſe principium, aut plura.
» nec obſtat quod ita incipiat, Quoniam aũt ſcire & intelligere, &c. Nam hoc proœ
mium cõmune eſt: atq; ita ſe habet initium ſecundi libri, quemadmodũ primi. Vt
igitur primus liber ab illa diuiſione exordiũ ſumit, ſic item ſecundus à ſimili diuiſio
ne initium capere poteſt. Neq; ideo præpoſterè poſt ipſum primum librum collo-
catur, quòd diſſoluatur Ariſtotelis contextus: maximè enim connectitur. Iam
ad illud primi primæ philoſophiæ lib. reſponſum eſt. Verùm ut huiuſmodi conne-
1. Apol. xionem ſeruari maximè appareat, uidenda ſunt ea quæ diximus in primo Apolo-
ſec. 29. giæ noſtræ libro: quæ noluimus hic repetere, quia non uidentur hoc loco eſſe ual-
de neceſſaria. ad illum tamen librum me reijcio.

SECTIO SECVNDA.

REctè igit̃ nos negaſſe arbitramur, motum ſolum & primò attinere ad philoſo
phum naturalẽ: imò neceſſariũ eſſe ut primo & principaliter ſit primi philoſo
phi. & rectè fuiſſe dictũ ab Auicenna quod ad hoc ipſum attinet, primum philoſo-
phũ demonſtrare primum principium, eſſe eo modo, quo in ſuperioribus diximus
cauſas demonſtrari. & rectè etiã eundem dixiſſe, philoſophiã naturalẽ accipere à
prima philoſophia, corpora componi ex materia & forma: quia materia & forma
ſimpliciter accepta, ſunt propriè primi philoſophi, ut demonſtratũ eſt in ſuperiori-
bus. & aſſentimur, quod hoc nõ poſsit haberi niſi uia motus. Dicimus tamẽ motũ
eſſe primò primi philoſophi: & falſum eſſe, primũ philoſophũ nõ habere medium
ad illas cauſas demonſtrandas. Miſſum etiã facio, quòd philoſophus naturalis nõ
poteſt

poteſt demonſtrare illas eſſe cauſas ſubſtãtiæ, quatenus eſt ſubſtantia & ens, niſi per ſigna ſuæ ſubſtantiæ, quam contemplatur. non enim fieri poteſt, ut ſigna naturalia demonſtrẽt alias cauſas, quàm ſui ſubiecti. hoc enim eſt euertere rationem omnino ſcientiarum, & illud Ariſtotelis dictum, quòd prima philoſophia conſideret cauſas entis quatenus eſt ens, quia nulla alia facultas poteſt hoc præſtare. hoc oſtendit: etenim diceremus philoſophiam naturalem hoc poſſe. neq; ualeret, quòd conſideret quoad eſſe, non quoad quid eſt: quia cauſæ cognoſcuntur eſſe cauſæ ex illo primo ſigno, quod nobis eas demonſtrat. & omnia quæ dicuntur de cauſis, ſequuntur ex prima concluſione, ut patet de cauſis abſtractis: quia ex hoc quod formæ cœleſtes demonſtrantur eſſe abſtractæ à materia, ut dicemus, etiam ſequiť ut ſint puri actus, ut ſint intelligentes, ſeparabiles, indiuiſibiles, immobiles. omnia enim iſta ſunt uera, propter illam primã concluſionẽ: ergo ad eam pertinent facultatẽ, ad quam pertinet prima illa concluſio. ſi ergo ad naturalem pertineret: ergo quidquid eſt, pertineret ad naturalem: quod eſt contra id quod aſſerunt iſti.

Item, ſi ad philoſophiam naturalẽ attineret eſſe ſubſtãtiarum abſtractarum, & ad primum philoſophum quid eſt: ergo ad philoſophum naturalẽ attineret eſſe ipſius materiæ, & quid eſt ad primũ philoſophum, & ita de alijs cauſis. Probatur conſequentia: quia illæ non quæruntur niſi ut ſunt cauſæ ſui ſubiecti: non enim attinerẽt ad primũ philoſophum, niſi quęrerentur propter hoc. Quòd ſi opus eſt primos philoſophos cognoſcere eſſe ipſarum: ergo eidem opus eſt cognoſcere quid eſt materiæ primæ, propter cognitionem ſui ſubiecti. eſt enim eadem ratio omnino: neq; dici poteſt, quòd primus philoſophus non poteſt hæc cognoſcere, quia ipſa materia demonſtratur per motum, quoniam etiã ſubſtantiæ abſtractæ per motum demonſtrantur: & omnia quæ ſciuntur de illis, ſciuntur per ipſum motum. Vel ergo eſſe, & quid eſt omniũ cauſarum uniuerſaliũ, pertinent ad primũ philoſophum ſolum, uel pertinent ad philoſophum naturalem. eadem eñ eſt ratio, ut patet ei, qui recte hanc rem ſpeculatur: quorum utrunq; omnino labefactat atque conuellit Auerrois ſententiam. Non ergo hac eius reſponſione diſſoluunť omnes illę auctoritates, quibus in ſuperioribus uſi ſumus, ad oſtendendũ ſubſtantias abſtractas principaliter pertinere ad primũ philoſophum: & per id, quod neceſſariò ſequitur, lib. Phyſ. non eſſe partẽ philoſophiæ naturalis. Sed mihi uidetur remanere earum uis interea: quia primus philoſophus habet medium, quo poteſt ipſas demõſtrare. Quod idem dicitur de omnibus cauſis uniuerſalibus. nullus enim ipſas poteſt primò inquirere, niſi ille artifex, qui ſubiecta uniuerſalia contemplať. alij uerò artifices, ſicut accipiunt à ſuperiore artifice ſubiecta uniuerſalia, ita accipiunt cauſas uniuerſales: & eſt, ut ſi li. Phyſ. eſſet pars philoſophiæ naturalis, & liber de Cœlo, & de Generatione & corruptione, loquentes de materia prima, & de primo efficiente, acciperent illam cognitionẽ à libro Phyſic. tanquam à libro uniuerſaliori: non enim attinet ad illos, perſcrutari de materia prima, et primo efficiente, cùm præſupponãt has cauſas. loquuntur ergo de illis ex ſuppoſitione, & applicant propoſito ſuo. Sed cùm ille liber non poſſit eſſe pars philoſophię naturalis, ut oſtẽſum eſſe arbitramur, neceſſitas cogit ut fateamur, alios artifices qui mentionẽ faciunt de iſtis cauſis uniuerſalibus, accipere eas à ſuperiori artifice, easq; ſibi ipſis applicare eo modo quo diximus in ſuperioribus.

Item, ſi demonſtrationes quæ ſunt in prima philoſophia, eſſent naturales, quia utraque & naturalis & prima philoſophia utitur motu, prima philoſophia, nullas haberet demonſtrationes, nullas concluſiones proprias. Quod conſequitur, eſt apertè falſum: quia non eſſet ſcientia, & nihil eſſet niſi quædã repetitio, quia medium eſſet naturale, ergo & demonſtrationes. fiunt eñ ex medijs, ergo & concluſiones: ſequantur enim naturã medij, ex ſententia Ariſtotelis multis in locis, ſed pręcipuè ubi ait (quæ uerba attulimus etiam in ſuperioribus, ob uarias occaſiones:) Vna aũt eſt *1. Poſt.*
ſcientia, quæ unius eſt generis, quæ cõponunť ex primis, & ſunt partes, aut affectus *cap. 18.*
horum per ſe. Diuerſæ uerò ſcientiæ ſunt, quarum principia non ſunt ex eiſdẽ, nec “
ex unius principijs principia proficiſcuntur alterius. huius autem eſt ſignum, cùm “
ad ea quæ non demonſtrantur, fuerit uentum. oportet enim ipſa eadem in genere “
eſſe, in quo ſunt ea quæ ſunt demonſtrata. eſt autẽ & huius ſignum, cum ea quæ de- “
monſtrantur per ipſa, eodem in genere ſunt, atq; propinqua. “

1. Rhet. cap. 2. Item ubi inquit: Sunt enim propoſitiones de phyſicis, ex quibus nec enthymema, nec ſyllogiſmus de moralibus eſt, & de his aliæ, ex quibus non erit ſyllogiſmus de „ phyſicis, eodemq; modo de cæteris. & illa quidem nullo in genere facient pruden- „ tem, cùm non ſint circa ſubiectum ullum. ex his uerò ſi diligentius quiſpiam propo „ ſitiones deligat, faciet ignorans aliam quàm dialecticam, ac rhetoricam ſcientiam. „ non ſi principia fortè habebit, non amplius Rhetorica uel Dialectica, ſed illa erit cu „ ius principia poſſidebit.

Cùm igitur demonſtrationes & concluſiones ſequantur naturam medij, patet, ſi medium quo utitur prima philoſophia ad demonſtrãdum, eſſet naturale, naturales item fore eius demonſtrationes & concluſiones: ergo nulla eſſet propria illius demonſtratio, neq; concluſio.

Sed conſequens eſt falſum: ergo & id unde fluxit, falſum eſſe neceſſe eſt. Item negari non poteſt, quin cauſæ omnes ut materia prima, & cæteræ cauſæ & oppoſita, & opiniones antiquorum de principijs rerum naturalium, utrobiq; ſint propter ſcire, & in lib. Phyſ. & in prima philoſophia: ergo neceſſariò pertinent ad unam tantum ſcientiam. quia quæ habent eandem materiam, & eandem formam, ut ſint eiuſdem ſcientiæ neceſſe eſt. Iſta omnia ſunt eiuſdem materiæ, & eiuſdẽ formæ: habent
In 1. lib. enim eundem finem, quem quidem eſſe formam habituum, & ſuperioribus, & alibi
In comen. etiam declarauimus. ergo ad eandem pertinent ſcientiam.

In Apol. Quod autem utrobiq; ſint propter ſcire, perſpicuũ eſt. ſunt enim & prima philo-
1. Meta. ſophia, & naturalis philoſophia, ſpeculatiuæ: ut ex ipſo Ariſtotele. pertinent ergo
6. Meta. illa omnia ad unam ſcientiam: ergo neceſſe eſt, cùm una ipſarum facit uerba de his
11. Meta. rebus, ut induat alterius ueſtem, quia diuerſæ ſunt ſcientiæ, & non licet (ut dictum eſt) tranſcendere de genere in genus. neceſſitas igitur coget, uel ut prima philoſophia induat perſonam philoſophię naturalis, uel contrà. ſed prima philoſophia non poteſt induere perſonam philoſophiæ naturalis, tum quia ipſa naturalis eſt de poſterioribus natura, prima uerò philoſophia de prioribus: poſteriora aũt natura non faciunt, neq; poſſunt facere ad cognitionem ſuperiorum: & priorum natura, quandoquidem hæc in illo priori ſunt in rerum natura, non exiſtenſtibus poſterioribus. ergo cognoſcuntur ſine poſterioribus. unumquodq; enim quemadmodũ ſe habet in eſſe, ita ad cognoſci. ſicut animal intelligitur eſſe in rerum natura, non intellecto homine: tum etiam, quia nullam propriam materiam haberet ipſa prima philoſophia: & ſic eſſet ſuperuacanea. etenim ſi materia prima, & cauſæ efficientes uniuerſales & per id quod ſequitur neceſſariò (ut oſtẽſum eſt) alię cauſę uniuerſales eſſent
1. Apol. quærendæ à philoſopho naturali, primus philoſophus nihil haberet quod quæreret: quia omnis eius per ſe contemplatio tantummodo uerſatur in iſtis cauſis inueſtigandis, quæ ſunt cauſæ ſubiecti ſui, & accidentum ſui ſubiecti: cætera enim quæ in ea ſcientia tractantur, ipſarum cauſarum gratia tractantur. Nihil ergo ei remaneret. etenim declaratum eſt in ſuperioribus, & perſpicuũ eſt dici non poſſe, illa remanere quid eſt, quoniam philoſophus naturalis contemplaretur ipſum quid eſt omnium. nam ſi contemplatur eſſe materiæ primæ ex ſcientia Auerrois, & quid eſt eiuſdem, idq; agitur facere ut intelligat ſuum ſubiectum, quia non ſufficit ſcire ſi eſt cauſæ: ergo de omnibus cauſis eadem ratione cogitur cognoſcere ſi eſt, & quid eſt, ſi ſunt cauſæ ſui ſubiecti, alioquin ſcientia illa non poterit dare perfectam cognitionem ſui ſubiecti. & ſi poterit dare ſine illa cognitione, ergo poterit facere ſine ipſo quid eſt materiæ: quod non facit ſi li. Phyſ. eſt pars philoſophiæ naturalis. ergo cogitur cognoſcere etiam cauſam efficientem ſui ſubiecti, & formalem, & finalem quod ad eſſe attinet, & quod ad quid eſt. habent enim omnes has quatuor cauſas, ea quæ cõſiderat. ſicut ergo cogitur cognoſcere materiam, cogetur cognoſcere & omnes alias cauſas. non enim eſt maior ratio unius, quàm alterius cauſæ, quatenus eſt cauſa. Neq; dici poteſt quòd medio careat: quoniam omnia quæ dicuntur de materia, oriuntur ex eo medio, quo probatur ipſam eſſe cauſam rerum generabilium. ita etiam omnia quæ dicuntur de primo efficiente, naſcuntur ex eo medio, quo probatur ipſum eſſe abſtractum à materia, ut dictum eſt ſuprà. Ita de primo fine, & prima forma. Qui poterit ergo demonſtrare primam illam concluſionem, poterit demonſtrare omnia quæ ex illa prima concluſione neceſſariò depen-

dependent. Etenim quicquid eſt cauſa antecedentis, dicitur eſſe cauſa eius quod neceſſariò conſequitur ex illo antecedente: ut patet in mathematicis, in quibus prima concluſio demonſtratur ex primis principijs: ex prima concluſione poſtmodum demonſtratur ſecunda. ex ſecunda uerò tertia, ex tertia quarta, & ſic quodammodo uſque in infinitum, ut uiſus eſt innuere Ariſtoteles primo Poſteriorum cap. undecimo ijs uerbis, cùm de matematicis ſermonem haberet: Augetur autem non *1. Poſt.* per media, ſed in poſt ſumere, ut a de b. hoc autem de c, & iterum hoc de d, & hoc in *cap. 11.* infinitum. "

Item ſecundo Topic. cap. decimoquinto, ubi inquit: Amplius omnis, qui dixerit *2. Top.* unum quidlibet, quodammodo multa dixit, ex eo quòd plura ſunt ex neceſſitate *cap. 15.* unicuiq; conſequentia, ut qui hominem dixerit eſſe, & quoniam animal eſt dixit, & " quoniam animatum dixit, & quoniam bipes, quoniam mentis & diſciplinæ ſuſce- " ptibile. quare quolibet uno conſequentium in intercmpto, eo interemitur quod in " principio eſt dictum. Ex quibus uerbis colligitur, ſi in lib. Phyſ. probatur, intelligen " tias eſſe abſtractas à materia: probari ibidem omnia quæ conſequuntur hoc prædicatur. ſed iſta ſunt omnia quæ dicuntur de intelligentijs, & ſunt in earum ſubſtantia eo modo quo habent ſubſtantiam, & quid eſt: ergo ad illum librum pertinet etiam quid eſt intelligentiarum, non ſolum ſi eſt, ut dixit Auerroes.

Quod ergo eſt cauſa cognitionis primæ concluſionis, ut idem neceſſariò ſit cauſa cognitionis omnium eorum quæ ex prima concluſione dependent, neceſſe eſt. & ad eam facultatem, ad quam attinet prima concluſio, quin & cæteræ omnes quæ ex illa neceſſariò proficiſcuntur, attinent ex ipſis mathematicis in dubium uenire non poteſt. Etenim concluſiones ſequi ſua principia, declarauit Ariſtoteles ut dixi mus in ſuperioribus. Si igitur ad naturalem philoſophum attineret primo & pro ſe *1. poſt.* liber Phyſ. philoſophus naturalis contemplaretur omnia quæ attinent ad cauſas u- *cap 18.* niuerſales. Nihil ergo remaneret primo philoſopho, itaq; ſuperuacanea eſſet prima *1. Rhet.* philoſophia. Quod ſi philoſophus naturalis dicatur induere in primo Phyſ. lib. per- *cap. 2.* ſonam primi philoſophi, nō ſequetur hoc abſurdum, quia ei reſtabunt omnia à cœlo & elementis, uſq; ad ſpecies ſpecialiſſimas. Cùm igitur philoſophus primus non poſſit induere perſonam philoſophię naturalis, ut probatum eſt: neceſſitas cogit, ut philoſophus naturalis induat perſonam primi philoſophi: & hanc ſententiam nullum abſurdum ſequi poteſt, propterea quòd facultati poſteriori, quę neceſſariò ſupponit priorem. non ſolum licet induere ueſtem prioris facultatis, imò aliquando neceſſariò cogitur: quia in inferioribus neceſſariò continentur ſuperiora, ſicut in homine continetur animal.

Rectè igitur concluſum eſſe arbitramur, motum primò & principaliter ad primam philoſophiam attinere.

SECTIO TERTIA.

Sequebatur in decimoquinto lib. alia quæſtio, quòd ſi lib. Phyſ. eſſet pars primæ *6. li. 15. ſol.* philoſophiæ, ipſa contemplaretur res quę in mouendo mouentur. Conſequens eſſe falſum, quia euerteret multa eorum quæ dicta ſunt ab Ariſtotele, & à nobis citata: ergo & id unde emanauit à ueritate abhorrere.

Reſpondeo, ut planè aſſentior, primam philoſophiam contemplari ea quæ eſt in mouendo mouentur, itemq; materiam quæ eſt in potentia, ut & rationes & tex. Ariſtotelis allati demonſtrant. eandemq; contemplari etiam compoſita ex materie & forma, & ita mobilia: & definire aliquando per materiam & formam, ut patet ex Ariſtotele, quemadmodum oſtendimus. ac rurſus dicimus, philoſophiam natura- *8. Met.* lem contemplari ſimpliciter abſtracta etiā à materia, ut formas cœleſtes, & animam *tex. 4.* intellectiuam. neq; uoluiſſe Ariſtotelem ſeparare philoſophiam naturalem omnino à prima philoſophia, eo quòd una contempletur mobilia, altera immobilia, quia & ipſa naturalis philoſophia contēplatur immobilia. Sed has concluſiones, præter probationes quas attulimus, conemur magis etiam corroborare, & ex uerbis Ariſtotelis & rationibus Ariſtotelis. Igitur in lib. de cōmuni motu animalium ita ſcriptū reliquit: De primo quidē & moto, & ſemper moto, quonam modo mouetur, *de com. mo* & quomodo mouet primum mouēs, determinatū eſt prius in his quæ de prima phi *tu animal.* loſophia. Quibus uerbis uult, primam philoſophiam egiſſe, de eo quod in mouen- *c. 7.* do mouetur,

Item

1. de Gen et cor. 28. Item in primo de Generatione & corruptione (quem locum citauimus etiam in ſuperioribus, ad aliud oſtendendum) cùm inquit: Exiſtente autem cauſa, una quidem unde eſt principium motus, dicimus eſſe, una autem materia. talem autem cauſam dicẽdum eſt. de illa quidem enim dictũ eſt prius in de motu ſermonibus. quod autem hoc quidem immobile per omne tempus, hoc autem mouetur ſemper, horum autem de immobili principio diuidere, alterius philoſophiæ eſt opus. de continuò autem moueri, alia mouente, poſthæc dicendum, quid tale ſingularium dictarum cauſa eſt.

Apertè oſtendit, librum de motu pertinere ad primam philoſophiam: quia dicit ibi tractatum fuiſſe de immobili principio, quod immobile principium paulo pòſt ait pertinere ad aliam philoſophiam, quàm ad philoſophiam naturalem, nempè ad primam philoſophiam.

Nec obſtat quod addit: De cõtinuò autem moueri alia mouente poſt hæc dicendum, quid tale ſingularium dictarum cauſa eſt. Quia expoſuimus ſuprà quid uoluerit dicere: ex quo ſequitur, ut primus philoſophus etiam agat de eo quod in mouendò mouetur. Quæ uerba exponẽs Auerroes, ueritate coactus traxit in eam ſententiam, quam diximus nos. inquit enim: Et quia cauſæ generationis ſunt duæ, motor, & materia: quærendum eſt de ipſis propter cauſam materialem. cauſa enim mouẽs aut eſt prima et uniuerſalis, aut nõ prima neq; uniuerſalis. prima uerò eſt uniuerſalis, declarata eſt in Phyſicis eſſe. declarantur enim illic duo modi eſſe mouentium, quorum unum eſt, quod nunq; mouetur, ſed ſemper mouet: ſecundum autem eſt, quod ſemper ab eo mouetur. primam autem philoſophiam oportet determinarè ſubſtantiam iſtorum duorum mouentium. mouentia autem particularia quæ ſemper mouent, ex quibus generatio eſt, ſemper determinanda ſunt poſterius.

Ex uerbis igitur Auerrois patet, Ariſtotelem uoluiſſe, illud quod mouetur, ſemper pertinere ad primam philoſophiam. ergo non diſtinguitur philoſophia prima à naturali, quia prima philoſophia non conſideret motum. Auerroes igitur ſuam ipſius euertit ſententiam. Neq; ſenſus quem tradit M. Antonius Zimarra in ſolutionibus contradictionum Auerrois, eſt alicuius momenti. quia Auerroes inquit: Declarantur hic duo modi entium, quorum unum eſt, quod nunq; mouetur, ſed ſemper mouet: ſecundum eſt, quod ſemper ab eo mouetur.

Vult ergo, quòd prima philoſophia conſideret illud quod ſemper mouetur, & mouet. Verùm iſti qui iurarunt in uerba alicuius, ita efficiuntur, ut manifeſta etiam uelint obumbrare. Quaſi uerò ſubſtantia etiam quæ conſideratur à prima philoſophia, non ſit ſenſibilis, cùm ſit compoſita: & quaſi Ariſtoteles non dicat ipſam eſſe ſenſibilem, qui octauo Meta. (quem locũ citauimus etiam in ſuperioribus ad aliud oſtendendum) ſcribit quaſdam formas poſſe ſeparari, & primam philoſophiã con-

8. Meta. 1. templari etiam res generabiles & corruptibiles. inquit enim: Nunc autem de hiſce ſubſtantijs pertractemus, quas omnes eſſe fatentur. eæ uerò ſunt ſenſibiles, ipſæ ſubſtantiæ, quas quidem materiam uniuerſas habere conſtat. eſt autem ipſum ſubiectum ſubſtantia: alio quidem modò ipſa materies. atq; materiam eam dico, quę non actu hoc aliquid, ſed potentia eſt. Alio uerò modo ratio atq; forma, quod quidem eſt hoc aliquid, atq; ſeparabile ratione. Tertium autem eſt, id quod ex hiſce conſtat, cuius generatio ſolius eſt, atq; corruptio, quodq; ſimpliciter eſt ſeparabile. ſubſtantiarum enim earum quæ ad rationem accomodantur, quædam ſeparantur, quędam non ſeparantur.

Patet ergo Ariſtotelem uelle, quòd primus philoſophus conſideret ſubſtantiam ſenſibilem, nempe compoſitam ex materia in potentia, & ex forma, quæ ſunt cauſæ huius ſubſtantiæ ſenſibilis.

Falſum item eſt quod dicit Zimarra, corpus cœleſte conſiderari à diuino philoſopho, ut eſt cauſatũ à principijs ſubſtantiæ, in eo quod ſubſtantiæ: & entis, ut eſt ens: quia corpus cœleſte non poteſt cauſari à principijs ſubſtantiæ, ut ſubſtantiæ: neq; entis, ut eſt ens: quia efficitur à principijs corporis cœleſtis, quatenus eſt corpus cœleſte. neceſſariò enim efficitur à principijs proprijs, quandoquidem principia communia non ponunt in eſſe aliquod corpus particulare, in eo quod tale eſt.

Relin-

Relinquitur ergo Auerroen uoluiſſe, illud quod mouetur æterno tempore, ut eſt mouens, pertinere ad primam philoſophiam. quod ſi euertit eius ſententiam, uiderit ipſe: nos ſequimur ueritatem.

Item ſi Cœlum pertinet ad librum Phyſic. qui liber ſit pars philoſophię naturalis, non poteſt pertinere niſi quia per ipſum uenimus in cognitionem cauſæ efficientis uniuerſalis: aliter enim pertineret omnino ad librum de Cœlo. per hanc eandem rationem oportebit ipſum pertinere ad primam philoſophiam: quia ſi philoſophia naturalis indiget cognitione primi efficientis, multo magis ipſa prima philoſophia indigebit: eſt enim prius cauſa ſubiecti ſui, quàm illius quod cōſiderat philoſophia naturalis, quia illud ſubiectum eſt uniuerſalium. pertinebit ergo eadem ratione ad primam philoſophiam.

Confirmatur, quia eædem ſunt demonſtrationes in utraq; philoſophia, & una per Auerroen eſt uniuerſalior altera. ergo corpus cœleſte eodem modo conſiderabitur utrobiq; in eo quod mouetur. quod eſt contra id, quod dixit M. Antonius Zimarra, uir quidem egregius, ſed nimium addictus Auerroi. Perſpicuum igitur eſt ex dictis, primum philoſophum contemplari etiam mobilia. ex quo ſequitur, ut non poſſit uere ſeiungi prima philoſophia à philoſophia naturali, eo quòd ipſa contempletur ſolum immobilia, philoſophi autem naturales ſolum mobilia.

Sed contrà urgeret aliquis, & diceret, Corpus cœleſte eſſe corpus particulare, & motum illius, eſſe motum particularis corporis. ergo nō attinere ad primam philoſophum, propterea quòd primus philoſophus non conſiderat corpora particularia, neq; accidentia particularia, eſſent enim ſuperuacaneæ cæteræ ſcientiæ.

Ad quam quæſtionem reſpondeo: corpus cœleſte, & eius motum conſiderari à primo philoſopho: quod planè corpus, eſt corpus particulare: & eius motus, eſt motus corporis particularis. ſed tamen non conſideratur quatenus particulare, ſed quatenus eſt cauſa ſubſtantiæ, in eo quod ſubſtantiæ: & entis, in eo quod ens eſt, quæ ſunt uniuerſaliora omnibus. & quod maius eſt, dico ſi corpus cœleſte, & eius motus non eſſent cauſæ uniuerſales, quòd philoſophia naturalis eſſet prima philoſophia, quia conſideraret primò corpus cœleſte: ergo & illius cauſas primò, at hę ſunt ſubſtantiæ abſtractæ. ergo conſideraret primò abſtracta à materia: & prima philoſophia non conſideraret ipſa, quia non eſſent cauſa ſui ſubiecti: eſſet ergo imperfectior philoſophia naturali: etenim ſicut non conſiderat formas particulares aliorum corporum particularium, ita non contemplaretur abſtracta, quia eſſent particulares formæ. Cauſa igitur, ob quam inter omnes formas particulares, quatenus particulares, prima philoſophia, ſola ea quæ ſunt ſeiuncta à materia contemplatur, non eſt niſi quia inter alias formas, ſola abſtracta ſunt cauſę uniuerſales. alioquin nō poſſet reddi ratio, quare has in particulari conſideraret, & non item alias. Etenim cùm primo philoſopho neceſſe ſit, cognoſcere cauſas ſui ſubiecti, quod eſt uniuerſalius: & iſtæ cauſæ ſint ſubſtantiæ abſtractæ, fuit coactus cognoſcere ipſas. Sed fieri non potuit, ut eas perfectè cognoſceret, niſi cognita eorum definitione, eo modo quo habent in particularibus. Opus igitur fuit, ut in particulari traderet ſcientiā ſuarum quiditatum, ut ita dicamus. quod non potuit fieri de alijs formis, quia non cogebatur illas cognoſcere, propterea quòd non erant cauſæ in aliquo genere ſui ſubiecti, quatenus particulares. ſuperuacaneæ enim fuiſſent aliæ ſcientiæ. Licet ergo corpus cœleſte ſit corpus particulare, & eius motus ſit motus corporis particularis: non ſequitur ex eo tamen, ut non attineat ad primum philoſophum. quia quamuis ſit in ſe particulare, eſt tamen beneficio ſui motus, & luminis cauſa uniuerſalis omniū quæ generantur & corrumpuntur, & eorum quæ ſunt. & quod ad hoc attinet, eſt primi philoſophi. Vt uerò particulare corpus, & in ſe ipſo eſt philoſophi naturalis, & idē de ipſo egit in primo Cœli. non ergo quæſtio dicta labefactat noſtram ſententiam.

Iam uerò quòd Ariſtoteles noluerit ſeparare primam philoſophiam à philoſophia naturali, eo quòd altera contempletur immobilia tantum, altera mobilia tantum, ita ut motus ſit ratio formalis philoſophiæ naturalis, probemus, & arguamus ſic: Corpora naturalia prius natura habent ſuam ſubſtantiam, quàm moueantur: ergo prius debent conſiderari à philoſopho naturali, quoad ſuā ſubſtantiam, quàm quoad motum. etenim ſic ſunt prius in eſſe: ergo prius in cognitione. ergo prius cognoſcun-

gnoſcuntur diſtinctæ à philoſophia naturali, quàm cognoſcantur moueri. in illo e-
nim priori ita ſe habent. prius enim diſtinguũtur ab illis corporibus quoad ſubſtan
tiam, quàm quoad motum. ergo motus non poteſt eſſe ratio formalis illius conſide
rationis: eſt enim poſterior. & hoc intelligitur, etiam ſi motus non attineret ad pri-
mum philoſophum. Neq; fieri poſſe ut motus ponatur in definitione rerum natura
6. Top. lium, oſtendere uidetur Ariſtoteles ſexto Topic. cap. ſexto, ubi dixit: Fieri nõ poſſe
cap. 6. ut definiatur homo, quod habeat tres dimenſiones, neq; quod ſciat numerare, quia
hæc non dicunt quid eſt ipſius hominis. Eâdem igitur ratione cùm motus non di-
cat quid eſt rerum naturalium, fieri nõ poteſt ut ponatur in earum definitione. itaq;
neceſſe eſt, cùm Ariſtoteles dicit, res naturales definiri per motũ, ut nolit intellige-
re ſicut ſonant ipſa uerba, ſed uelit ſignificare aliquid aliud: alioquin falſa & ſecum
pugnantia aſſereret. non poteſt ergo motus eſſe uera ratio formalis rerum natura-
lium, quæ debetur à philoſopho naturali conſiderari ex ratione formali, quę eſt ipſa
rum ſubſtannia. Deſcripſit autem Ariſtoteles ſubiectũ philoſophi naturalis, illo mo
do ob eas cauſas, quas in libris ſequentibus exponemus.

Item ſi uera ratio formalis corporum, quæ attinent ad philoſophiam naturalem,
eſſet motus: omnia quæ conſiderantur à philoſopho naturali, conſiderarẽtur ut mo
ta. ergo homo, aſinus & bos, & cæteræ, conſiderarẽtur ab ipſo ut mota. Conſequen
tia patet: quia omnia quæ attinent ad philoſophum naturalem, cadũt ſub rationem
formalem ipſius, ratio enim formalis eſt ratio, qua artifices cõſiderant ea circa quæ
uerſantur: quare quæ non cadunt ſub rationem formalem alicuius artificis, non poſ
ſunt ab ipſo conſiderari, conſiderarentur ergo à naturali philoſopho, homo & aſi-
nus, & bos & planta, & cætera, ut mota: ergo nuſquam conſiderarentur quod ad
ſuam ſubſtantiam. Conſequens eſt falſum ex uerbis Ariſtotelis, & ex uniuerſa philo
ſophia, quæ quærit cauſas ſubſtantiales ipſorum corporum, ut ſint materiæ propin
quæ, & formæ propinquæ. nihil enim aliud laborat philoſophia naturalis, ut patet,
1. Phyſic. quàm ut quærat iſtas cauſas: aliter nõ ſciremus corpora naturalia. non enim, ut per-
tex. 1. ſpicuum eſt, ſcientes quod mouentur, ſimus corpora naturalia: ſed ſcientes cauſas,
2. Phyſic. quæ ea conſtituunt, dicimur illa cognoſcere & ſcire. Conſequens igitur eſt falſum,
euertit enim uniuerſam philoſophiam naturalem: ergo & id, ex quo ſequitur.

Conſequentia probatur: quia neq; philoſophus naturalis conſideraret illam quo
ad ſubſtantiam ipſorum. conſiderare enim aliquid ut mouetur, nõ eſt illud conſide
rare quo ad eius ſubſtantiam, ſed quo ad accidẽs, ut perſpicuum eſt: neque primus
philoſophus, quia non conſiderat res in particulari, ut patet ex locis citatis. contem
platur enim uniuerſaliora, ut ens. Quod ſi præſtaret hoc, cæteræ ſcientiæ eſſent ſu-
3. Apol. peruacaneæ, ut alibi à nobis declaratum eſt: quia non contemplatur ſubſtantias, er-
go nuſquã conſiderarentur. Ergo doctrina Ariſtotelis eſſet manca, propterea quòd
non doceret naturas omnium rerum, imò paucarum: itaq; oporteret excogitare a-
liam philoſophiam, quæ cognitionem ſubſtantiæ horum corporum traderet: quod
quidem uidetur labefactare doctrinam Ariſtotelis, quam ſolam in hac diſputatione
nos ſequi profitemur, atq; ex ſcientia ipſius Ariſtotelis loqui.

Item, ſicut ratio formalis primi philoſophi eſt ens & ſubſtantia, quatenus ſubſtan
4. Meta. tia, non quatenus immobilis (eſt enim reduplicatio ſui ſubiecti, ut patet ex ipſo Ari
6. Meta. ſtotele:) ita ratio formalis eius quod conſideratur à philoſopho naturali, ut (uerbi
gratia) cœli erit quatenus cœlũ, & elementorũ quatenus elementa, & plantæ quate
nus planta, & hominis quatenus homo, & aſini quatenus aſinus. ſed cœlũ quatenus
cœlum, & homo quatenus homo, non mouetur, & ita de alijs: ergo motus non po-
teſt eſſe ratio formalis eorum quæ à philoſopho naturali conſiderantur: ſicut etiam
immobilitas non poteſt eſſe ratio formalis eorum quæ conſiderantur à primo phi-
loſopho, licet conſideret immobilia.

Item, motus eſt uniuerſalior corporibus quæ conſiderantur à philoſopho natu-
rali: ergo non poteſt eſſe ratio formalis, per quam illa diſtinguuntur à cæteris. Con-
ſequentia perſpicua eſt, quia ratio diſtinctionis debet eſſe propria, ut conſtat. An-
tecedens patet ex eis quæ dicta ſunt, quia ſubſtantia quæ eſt ſubiectum primi philo
loſophi mouetur: eſt enim cõpacta ex materia & forma. ergo eſt corpus, ergo mobi
lis. itaq; motus non eſt propria ratio philoſophi naturalis.

Quod autem prima philoſophia contempletur materiam, quæ eſt in potentia, & formam generabilem: & compoſita ex materia & forma ita in promptu eſt ex eis quæ dicta ſunt, ut ſuperuacaneum eſſe iudicem uelle hoc iterum probare. & quòd conſideret definitiones ex materia & forma compoſitas, oſtendit Ariſtoteles ijs uerbis: Quorundam enim eſt compoſitio, quorundam mixtio, quorũdam aliquid iam dictorum. iccirco definientium domum, qui quidẽ lapides ipſam inquiunt eſſe, lateres atq; ligna: ij eam dicunt quæ eſt potentia. hæc enim materia ſunt, ut patet. Qui uerò eas inquiunt eſſe, quod tegere ſupellectilem ac corpora poteſt, aut aliud quippiam tale addentes, ij dicunt actum. atq; hęc ambo componentes, ij tertiam ſubſtantiam dicunt, & eam quæ ex his ipſis conſtat. nam ea quidem ratio quæ per differentias fit, formæ ac actus: ea uerò, quæ ex his quæ inſunt extruitur, materiæ magis eſſe uidetur. Similiter ſeſe habent & eæ definitiones, quas Architas probabat: Sũt enim ex utriſq;. ueluti quid eſt uacuitas uenti? quies in aëris multitudine. aër enim materies, quies actus atq; ſubſtantia eſt. Quid eſt tranquillitas maris? atq; mare quidem eſt ſubiectum uti materies, æqualitas autem actus atq; forma. Patet igitur ex hiſce quæ dicta ſunt, quænam ſit ipſa ſenſibilis ſubſtantia, & quo ſit pacto: etenim alia ut materies, alia ut forma, quippe cùm actus ſit. & tertia ex hiſce duobus conſtat.

8. Meta. tex. 4.

Perſpicuum igitur eſt, primam philoſophiam contemplari materiam & formam, & ſubſtantiam ſenſibilem, & definitionem compoſitam ex materia & forma: & per id, quod neceſſariò ſequitur, non abſtrahere à materia ſemper.

Item aſſerit etiam in octauo primæ philoſophiæ libro, loco etiam in ſuperioribus citato ob aliam occaſionem: Quare ea dubitatio, quam Antiſthenis ſequaces & tales ineruditi homines dubitabant, nunc ſolui poteſt, qui quidem definitiones aſſignari non poſſe cenſebant. Definitionem enim longam orationem eſſe dicebant. ſed fieri quidem poteſt, ut doceas quale quid quippiam eſt: ut definias uerò, minimè fieri poteſt. etenim quidnam ſit argentum, non dixeris unq;: at eſſe tale, quale eſt ſtannum, dicere potes. Quare cuiuſdam quidem ſubſtantiæ ceu compoſitæ, ſiue ſit ſenſibilis, ſiue intelligibilis, definitio atq; ratio eſſe poteſt. ſed eorum ex quibus hæc primis conſtant, eſſe non poteſt. ſed definitiua ratio quippiam de quopiam ſignificare uidetur, atq; alterum ut materiam, alterum ut formam eſſe oportet.

Prima philoſ.

In dubium igitur (ut opinor) uenire non poteſt, quin prima philoſophia contempletur materiam & formam, & compoſitam ex utraq;, nempè ſubſtantiam ſenſibilem, itemq; definitionẽ ex ipſa materia et forma: et ita neceſſariò non abſtrahere ſemper à materia, & à motu, neq; ſeiungi à philoſophia naturali, eo quòd altera conſideret quæ ſunt cum motu & cum materia, altera non conſideret.

SECTIO QVARTA.

PRobemus iam, philoſophum naturalem contemplari etiam ſimpliciter abſtracta à materia, & animã intellectiuã, & argumentemur ſic: Philoſophus naturalis conſiderat per ſe cœlũ, quatenus cœlũ, ut ſciat ipſum: ergo debet cõſiderare & cauſas proximas cœli, quatenus eſt cœlũ. Probatur cõſequentia: quia aliter ad eum non attineret conſiderare cœlũ, quatenus cœlum, ut ſciret ipſum. nõ enim eius cognitionem aſſequeretur: quandoquidem tunc ſcimus, cùm cauſas cognoſcimus. Item non probaſſet Ariſtoteles oportere philoſophum naturalem inueſtigare cauſas rerum naturalium, ut cognoſceret ipſas, ſi fieri poſſet ut conſideraret res naturales, & eas cognoſceret, non cognitis ipſarum cauſis. hoc enim ſequi, neminem (modò ſit ſanus) latere arbitror.

Sed ſubſtantiæ abſtractæ ſunt cauſæ cœli, quatenus eſt cœlum: quod idem eſt, ac ſi diceremus eas eſſe cauſas cœli proximas. Ergo oportet philoſophum naturalem conſiderare cauſas ſimpliciter, & omnino abſtractas. hæc enim ueriſſima ſunt.

Eadem ratione licet probare philoſophum naturalem contemplari primum efficiens, & primum finem, quia uidelicet ſunt cauſæ rerum naturalium. ſequitur enim, ut philoſophus naturalis debeat eas cognoſcere: ſiquidem tũc ſcimus unũquodq;, cùm cauſas cognitas habemus. Antecedens patet ex eis quæ alibi diximus, ubi citauimus etiam multa loca Ariſtotelis, quæ in ſuperioribus quoq; ferè citauimus omnia. Quare perſpicua eſt iſta concluſio.

1. Apol. 2. de aĩa. tex. 34. & 35. 2. de gene. & cor. t: 59.

E Item

Quod ſi accipiatur illa ratio ut demonſtratiua, tamen eam non concludere, ſic ui
detur oſtendi: quia concedimus, qui agit de intellectu, eundem agere de omni in-
telligibili, & agere de omni re, quia omnes res ſunt intelligibiles: & nõ agere de om
nibus rebus ſimpliciter, & abſolutè, ſed quatenus intelligibiles ſunt. Itaq; cùm infer
tur, Ergo non dabitur niſi illa ſcientia: negatur argumentum. nam cùm dicitur non
remanent res cognoſcendæ: negatur hoc, quia remanent res cognoſcendæ, non ut
intelligibiles, ſed ex ſua propria natura. & hoc perſpicuè apparet ex eo, qu òd cæte
ræ ſcientiæ, quę non agunt de intellectu, agunt tamen de rebus quæ ſunt intelligibi
les, non quidem ut intelligibiles, ſed quantũ attinet ad propriam ipſarum naturam
& eſſentiam, propriaq; earum accidentia.

Adde quòd ipſemet Ariſtoteles agit de intellectu in philoſophia naturali, ſimul
cum cæteris partibus animæ: de quibus nullum erat dubium, quin attinerent ad phi
in. lib. de loſophiam naturalem. ergo exiſtimandum eum ita ſenſiſſe, animam rationalem atti
anima. nere ad philoſophiam naturalem: alioquin omnia quæ de ipſa tractauit, eſſent reijci
enda. quod quidem abſurdum eſt de eo philoſopho, qui cùm excelluerit in rerũ om
nium quæ natura conſtant inueſtiganda atq; enucleanda ueritate, & in actionibus
humanis tractandis: tum uerò omnes alios quicunq; ante ipſum & poſt ſcripſerũt,
in ordine tractandi ita ſuperauit, ut longè fuerit à primo, quiſquis ſecundus erit.

FINIS LIBRI DECIMIOCTAVI,
Euerſionis Singularis certaminis.

LIBER DECIMVSNONVS.

SECTIO PRIMA.

HIS igitur ſic explicatis, nemini mirum uideri debet, ſi diximus Ariſtotelẽ
uſum fuiſſe illa ratione, non ut demonſtraret, ac uerè concluderet, ſed ut
quandam afferret probabilitatẽ. eſt enim mos illius, ſæpenumero ad exer
cenda hominum ingenia ponere rationes probabiles: quę ſcilicet eſt una
1. Top. ex eis utilitatibus, quas dixit habere dialecticam, ut in ſuperioribus oſtendimus.
cap. 2. Atq; hanc quidem ſententiam noſtram uidetur etiam corroborare illud quod eo
» ipſo loco ſtatim ſubiunxit, quaſi innuens ſe uelle reſpondere. inquit enim: An non
» omnis anima principium motus eſt? quaſi cum dubitatione loqueretur. Adde ue
rò, quòd falſum eſt, animam rationalem non eſſe principium motus. hoc enim aper
3. de an. tè repugnat & Ariſtoteli multis in locis, & rationi. Ariſtoteli quidem ubi ita ſcriptũ
tex. 48. reliquit: Videntur autem hæc duo mouentia, aut appetitus, aut intellectus ſi quis
» phantaſiam poſuerit ſicut intelligentiam quandam: multa enim præter ſcientias ſe-
» quuntur phantaſias: & in alijs animalibus non intelligentia, neq; ratio eſt, ſed phan
» taſia: utraque ergo motiua ſecundum locum, intellectus & appetitus.
» Item cùm inquit: Intellectus autem qui propter aliquod ratiocinatˀ, & qui practi
3. de an. cus eſt, differt autem à ſpeculatiuo fine, & appetitus omnis propter aliquod eſt. eu-
tex. 49. ius enim appetitus, hoc principium practici intellectus. ultimum aũt principium a-
» ctionis eſt: quare rationabiliter hęc duo uidentur mouentia, appetitus & intelligen
» tia practica. & propter hoc intelligẽtia mouet, quia principiũ huius eſt appetibile.
Item ubi ait, (quem locum citauimus ſuperius etiam, ad aliud tamẽ propoſitum:)
de motu in Animaduertimus autem cogitationem, phantaſiam, ſelectionem, & uoluntatem, et
com. anim. cupiditatem mouere. hæc autem omnia ad mentem referuntur, & appetitionem.
» phantaſia autem & ſenſus cum mente eundem habent locũ, cùm indicandi habent
» facultatem: attamen cum ijs diſtant, quæ in alijs dictæ ſunt differentijs. Voluntas ue
» rò, & ira, & cupiditas, omnia cum appetitione: ſelectio autem communis eſt, cogita
» tionis & appetitionis. Quapropter & ipſum quod ſeligi poteſt: non autẽ omne ex-
» cogitabile ſeligibile eſt, ſed rerum agendarum finis. His igitur locis apertè ſignifi-
» cat Ariſtoteles intellectum eſſe principium motus.

Repugnat item rationi: quia niſi intellectus eſſet principium motus, non poſſet
eſſe ſyllogiſmus practicus principium motus noſtri, & rerum agendarum. Conſe-
quens euertit ſententiã Ariſtotelis multis in locis, & maximè in libro de Communi
motu

De com. mo:u animal.

motu animalium, ubi hæc protulit uerba: quomodo autē intelligens aliàs quidem operatur, aliàs uerò non operatur, & mouetur interdum, interdum non mouetur: eodem ſanè modo contingere uidetur, quo ea quæ immota ſunt cogitatione, ratiocinationeq́ꝫ comprehenduntur. Verùm in illis quidē cōtemplatio eſt finis. cum enim duas intellexit propoſitiones, concluſionem ſanè intellexit & coniunxit. hic autem ex duabus propoſitionibus concluſio fit operatio: uerbi gratia, cū nouerit quoniam omni deambulandū eſt homini, ipſe autē eſt homo, illico deambulabat. ſi autem quod nulli nunc incedendum eſt homini, ipſe autem homo confeſtim quieſcit, & utrunqꝫ facit, niſi à quopiam prohibeatur aut cogatur: commoda res eſt mihi facienda, domus commoda eſt, domum confeſtim facit: integumento corporis indigeo, tunica eſt corporis tegumentum, tunica indigeo: quo indigeo eſt mihi faciendum, tunica indigeo, tunica eſt mihi facienda. & ea concluſio, Tunica mihi facienda, operatio eſt. operatur autem à principio: Si tunica eſſe debet, neceſſariū eſt eſſe primum. ſi autem illud, & aliud: & id illico operatur, quod quidem operatio ſit concluſio manifeſtum. propoſitiones autem factitiæ ex duobus conſtāt generibus, ex bono ſcilicet, & ex eo quod fieri poteſt. Quæ item ſententia colligi poteſt, ex eis quæ ſeptimo Ethic. ab Ariſtotele de incontinente dicuntur.

7.Eth.ca.5

Perſpicuè igitur patet conſequens eſſe falſum, ergo & illud ex quo emanauit falſum eſſe neceſſe eſt.

Conſequentia uerò probatur: quia ibi non poſſet eſſe ſyllogiſmus, quandoquidē non poſſet eſſe propoſitio uniuerſalis: quoniam ibi non eſſet operatio intellectus, ſine qua non poteſt eſſe propoſitio uniuerſalis. ſenſus enim non percipit uniuerſalia. Quòd ſi ibi nō eſſet ſyllogiſmus, nō eſſet practicus ſyllogiſmus: ergo principiū motionis noſtræ, & rei agendæ fieret ſine intellectu practico. Quod aſſerere, eſt ſententiam Ariſtotelis in multis locis, ſed præcipuè in ijs qui citati ſunt labefactare, & omnino conuellere. Intellectus ergo ex ſententia Ariſtotelis erit principium motus.

Quod deinde infert, cōſtare igitur non de omni anima diſſerere oportere, quandoquidem non anima omnis natura eſt, ſed aliqua eius pars una, aut etiam plures: hoc item adeò repugnat, & ipſius ſentētiæ & rationi, ut nihil magis repugnare poſſet. Iam enim ſequitur ex dictis, ut ſit natura: propterea quòd probatum eſt ipſam eſſe principium motus. & conſtat etiam eſſe principium quietis.

Alia item eſt ratio, qua probat Ariſtoteles etiam animam rationalem non eſſe naturam, quia natura rei alicuius gratia facit omnia. rebus uerò abſtractis non conuenit illud, quod ſub hoc Cuius gratia uerbo intelligimus: ut igiť abſtractæ ſubſtantiæ non ſint naturæ neceſſe eſt. & cū anima ſit abſtracta, neceſſitas cogit ut nō ſit natura: non igitur ad naturalem philoſophiam attinere poteſt.

3. Mete. tex.14.

Quod autem abſtractorum non ſit finis, uidetur etiam declaraſſe Ariſtoteles ubi ait: Præterea compluribus eorum quæ ſunt, nō omnia cōpetunt. qui namqꝫ fieri poteſt, ut immobilibus ſit principiū motus, aut boni natura? ſi omne quid eſt, quod eſt per ſe atqꝫ ſuapte natura bonum finis ſit, atqꝫ adeò cauſa ut illius gratia cætera ſint atqꝫ fiant: Finis autem, & id cuius gratia cætera fiunt, actionis ſit cuiuſpiam finis: actiones uerò omnes efficiantur cum motu: quare fieri non poteſt, ut in immobilib. hoc principium, aut ullum ſit per ſe bonum. Quapropter in Mathe. nihil omnino per hanc oſtenditur cauſam, neqꝫ ulla prorſus ex eo fit demonſtratio, quia ſic eſt melius, aut deterius, quia nemo mentionem ullam omnino facit: iccirco ſophiſtarum quidam, ut Ariſtippus, in ipſa inuehebatur, in cæteris quidem (inquiens) artibus, & etiam ſordidis, ut in ædificandi facultate, atqꝫ ſciendi, omnia dici, quia ſic eſt melius, aut deterius, mathematicas uerò nullam bonorum malorumq́ꝫ curam habere.

His enim uerbis apertè uidetur indicare, in rebus abſtractis non eſſe cauſam finalem. quia in immobilibus non eſt finis: abſtracta autem ſunt immobilia, ergo in abſtractis non eſt finis.

SECTIO SECVNDA.

SEd iſta quæ ijs in locis dicit Ariſtoteles uidentur habere ingentes difficultates. etenim ſi abſtracta non eſſent natura, propterea quia natura faciat omnia alicuius rei gratia: Abſtracta autem non agant gratia alicuius rei: (neceſſe enim eſt ut minor propoſitio ita explicetur, ſi uolumus dictam concluſionem concludi) ergo

abſtracta non eſſent principiũ motus & quietis, eius in quo ſunt. Conſequens eſt falſum: ergo & id unde fluxit, à ueritate abhorrere neceſſe eſt.

Quod aũt conſequens ſit falſum, ex eo colligi poſſe arbitror, quòd Ariſtoteles fruſtrà poſuiſſet naturã eſſe principiũ motus & quietis, ut principiũ cognoſcendi in illa ſcientia, quod tamen fuit poſitũ ibi ut ſuppoſitio, ſicut explicauit ipſemet Ariſtoteles loco ſuperius citato, quę ſuppoſitio ſeruiebat ad demonſtrandũ ſubſtantiàs ab 8. Phyſ. ſtractas eſſe: quia ſi natura erat principiũ motus & qetis eius in q̃ erat, & motus erat tex.22. ęternus, neceſſitas cogebat ut natura illa quę producebat illũ motũ, eſſet ęterna, & per cõſequens abſtracta à materia: neceſſe eſt igiẽ ut ſint natura: alioquin nõ mouerent, id eſt nõ eſſent principiũ motus corporũ cœleſtiũ, & ita definitio naturę nõ eſſet principiũ cognoſcendi in illa ſciẽtia, & non poſſent demonſtrari eſſe abſtracta.

Itẽ ſi nõ eſſent naturę formę cœleſtes, corpora cœleſtia nõ ptinerẽt ad philoſophiam naturalẽ. conſequẽs eſt falſum, ut perſpicuũ eſt: ergo id unde emanat, à ueritate abhorrere neceſſe eſt. Probaẽ cõſequẽtia, quia ſi formę cœleſtes nõ eſſent naturę, corpora cœleſtia non eſſent corpora naturalia. qđ ſic oſtenditur, corpora naturalia dicũtur habere naturã, corpora cœleſtia nõ habẽt naturã per ſe, ergo corpora cœle- 2. Phyſ. ſtia nõ ſunt corpora naturalia. maiorẽ declarauit Ariſtoteles, ijs uerbis: Eorũ quæ tex.1. ſunt, alia quidẽ ſunt natura, alia uerò ꝓpter alias cauſas. natura ſunt animalia quęq́,
» & partes ipſorũ, & plãtę, & ſimplicia corpora: ut terra, ignis, aër & aqua. Hæc enim
» & huiuſmodi natura eſſe dicimus. omnia enim quę prędicta ſunt uidẽtur differẽtia
» à nõ natura exiſtẽtia. quæ quidẽ natura ſunt, omnia uidenẽ habentia principiũ mo-
» tus & ſtatus, hæc quidẽ ſecũdũ locũ, illa uerò ſecũdũ augmẽtũ & decrementũ, quæ dã aũt ſecũdũ alterationẽ. Vocat enim naturalia, quę habẽt principiũ motus, qđ quidẽ nihil aliud eſt dicere, q̃ quod habeant naturã. Iã uerò quę nõ ſunt corpora naturalia, nõ conſideranẽ à philoſopho naturali. hæc pſpicua eſt. Corpora cœleſtia non ſunt corpora naturalia: ergo corpora cœleſtia non conſiderantur à philoſopho naturali. Conſequens eſt falſum, ut diximus: ergo & id ex quo ſequitur.

Item, ſi nõ haberẽt naturã, eſſent à uoluntate, uel à caſu, ex eis quæ dixit Ariſtoteles tex. citato. Cũ igiẽ manifeſtũ ſit corpora cœleſtia eſſe naturalia, neceſſe eſt ut falſa ſit illa minor ꝓpoſitio, quę dicit corpora cœleſtia nõ habere naturã. erit ergo illa uera, quæ dicit corpora cœleſtia habere naturã. ſed nõ habẽt aliã naturã ſecũdũ formã, quàm intelligẽtiã abſtractã: ergo neceſſe eſt, ut intelligẽtia abſtracta ſit natura.

Quod autem non habeãt aliam naturã quæ ſit forma, præter intelligentiã, ex eo colligi poteſt, quòd illa forma uel eſt abſtracta à materia, uel non eſt abſtracta, ſed educitur ex potẽtia illius materiæ. ſi nõ eſt abſtracta: ergo generabilis & corruptibilis: ergo cœlũ erit generabile & corruptibile naturaliter, quod abſurdũ eſt. ſi eſt abſtracta, ergo eſt intellectus. Probatur cõſequentia: quia nihil eſt abſtractũ à materia, quòd nõ ſit intellectus. Materia enim eſt cauſa quę impedit intellectionẽ: et ſi eſt intellectus, ergo duo intellectus erũt in eodẽ orbe: ergo alter ipſorũ erit ſuperuacaneus, unus enim, ut patet, ſatis eſt: ergo non habet cœlum aliam naturam, quæ ſit forma, præter intelligentiam.

Abſtractũ uerò à materia eſſe intellectũ, patet: quia nõ haberemus uiã probandi formas cœleſtes eſſe intellectus, niſi illud quod eſt abſtractum eſſet intellectus.

Item, multa abſtracta niſi eſſent intellectus, eſſent imperfectiora multis non abſtractis. intelligens enim eſt perfectius & præſtabilius non intelligente.

Neq; illud dici poteſt, cœlum eſſe corruptibile per ſe, ſed perpetuum effici ab ex- 1. cœli & trinſeco: quia hoc perſpicuè deſtrueret ſententiam Ariſtotelis. etenim ſequeretur, mundi. ut idem eſſet corruptibile, & non corruptibile, quod eſt abſurdiſſimum, ſicut indicauit Ariſtoteles decimo Meta. tex. ultimo. Cogimur ergo dicere, intelligentiam eſſe naturam: quod eſt illud, quod uolebamus.

SECTIO TERTIA.

SEd ſtatim diceret aliquis, ego uellẽ ſcire quomodo intelligẽtiæ ſint naturę: etenim eis non uideẽ cõuenire definitio naturę: ergo nõ ſunt naturę. Antecedens ꝓbaẽ: qa natura definiẽ eſſe principiũ, & cauſa motus & qetis eius in quo eſt primò per ſe, & nõ ſecũdũ accidẽs. ſed intelligẽtiæ nõ ſunt principiũ & cauſa qetis eius in quo ſunt, cœlum enim nunquam quieſcit: ergo non poſſunt eſſe naturæ.

Huic

Huic quęſtioni uidet̃ Ariſtoteles reſpõdiſſe multis in locis, & maximè cũ inquit: *.5. Cœli.*
Omnia enim q̃eſcũt quę mouent̃, quãdo uenerint in locũ ꝓpriũ. eius aũt ꝙ circum *tex.100.*
corporis, idẽ locus, unde incepit & in quem conſumat. Quibus uerbis negat cœ
lum mutare locum. ſed quod non mutat locum, uidetur aliquo modo quieſcere: er-
go cœlum uidetur aliquo modo quieſcere.

Hoc idem uidetur confirmare, cùm dicit: Et propter hoc medium cœli, & ul- *4. Phyſ.*
timum ad nos circularis loci mutationis uidetur eſſe, hoc quidem ſurſum, illud ue- *42.*
rò deorſum, maximè omnibus propriè quia hoc ſemper manet: circuli aũt ultimum "
ſimiliter ſe habẽs, manens eſt. Nam ſi cœlum manet ex eius ſententia, ergo quieſcit. "

Item cùm ait: Quare ſemper ſunt quæ mouentur in principio, in medio, & in fi *1. Phyſ.*
ne, & nunquam in uno tantum. Vnde mouetur & quieſcit quodam modo ſphæra, *tex.26.*
eundem enim cõtinet locum: cauſa aũt eſt, quod omnia hæc acciderũt centro. prin "
cipium enim, & medium magnitudinis, & finis. Quapropter quia hoc extra circu- "
lationem eſt, non eſt ubi quod fertur quieſcat. ſemper enim fertur circa medium. "
Propter ipſum aũt hoc in mouendo ſemper quieſcit quodammodo totũ & moue- "
tur continuè. Perſpicuum igitur eſt Ariſtotelem ſenſiſſe, cœlũ quieſcere: non mu "
tat locum, & mouetur maximè circa idem.

Quibus fortaſſe auctoritatibus adductus Alexãder, optimus inter græcos expo
ſitores, dixit reſpondens ad hanc quæſtionẽ, An cœlum quoq; habet principium *6. Meta.*
quieſcendi. nam circa idẽ conuerti, neq; locum mutare, idipſum quieſcere eſt. itaq; *com. 2.*
immobiliter mouetur: & cùm mirabiliter moueretur quieſcit. Conuenit ergo in- "
telligentijs definitio naturæ. Intelligentiæ ſunt igitur naturæ, & cùm ſint abſtractæ,
non repugnat abſtractis ut ſint naturæ: imò uero tantum abeſt ut ipſis abſtractis re-
pugnat hoc, ut ſint etiã ex ijs quæ dicũt maximè naturæ, quippe quæ ſunt maximè
principiũ motus & quietis. Atq; ut non eſſent etiã principiũ quietis, tamen nihil
obſtaret fortaſſe q̃n eſſent naturæ: q̃a diceremus naturã oportere eſſe principiũ mo
tus neceſſariò, & quietis, eorũ quæ poſſunt quieſcere, & ſunt capacia quietis. Sed
quoniã habemus reſponſionẽ Ariſtotelis, nõ eſt cur quæramus meliorẽ. nemo eñ
melius Ariſtotele ipſo intelligit Ariſtotelẽ. Cùm igit̃ perſpicuũ ſit ex eis, quæ dicta
ſunt, abſtracta eſſe naturæ: in dubium uenire non poteſt, ex eis etiã quæ loco citato
ſcripſit Ariſtoteles, quin abſtracta agãt propter finẽ. Quare illud quod dicit, Re-
bus abſtractis abiunctũ id eſſe, quod ſub hoc Cuius gratia uerbo intelligimus: ita ac
cipiendũ eſt, ut uel ſit, propoſitio probabilis, & non uera: uel ſenſus ſit, abſtracta nõ
habere finem, ex quo fiat demonſtratio, quòd ſic melius ſit aut deterius, ſicut repe-
ritur in rebus naturalib. & artificialibus. At dicere, quòd abſtracta nullo modo a-
gant ꝓpter finẽ, hoc eſt euertere ſententiã Ariſtotelis, & ueritatẽ: quia Deus agit ꝓ-
pter ſeipſum: eſt eñ forma & finis, & efficiens. ac finis quidem ſui ipſius, quoniã eſt
propter ſe: cętera aũt abſtracta ſunt propter ſe, et propter primum motorẽ, ut oſten
dimus ex ſentẽtia Ariſtotelis in ſuperiorib. Neceſſe eſt igit̃ intelligere illud Ariſto
telis dictũ, eo modo quo diximus. atq; ita nõ cogimur negare, ſubſtãtias abſtractas
eſſe naturas, ꝓpterea q̃a nullũ habent finẽ. habẽt eñ quẽ diximus, licet careãt illo ex
quo fiat demõſtratio, ſicut in reb. naturalibus, quod ita melius fuit, uel ꝙ deterius fu
iſſet. id quod uidet̃ ſignificaſſe Ariſtoteles, cùm ꝓtulit hæc uerba: Ad hęc cũ plures *1. de part.*
cauſas generatiõis naturalis eſſe uideamus, ſcilicet eã cuius grã res gignant̃, atq; eã *ail. cap. 1.*
mouẽdi principiũ ſit, definiendũ de ijs etiã eſt, quæ nam prima, quæ ſecũda haberi "
debeat. principatum illa ſanè obtinere uidet̃, ꝗ ſub hoc uerbo Cuius grã ſignifica- "
mus. hæc eñ ratio eſt. ratio aũt principium eſt, pariter in rebus tã arte quàm natura "
conſtituendis. ubi enim uel per ſe intellectum, uel per ſenſum medicus ſanitatem, "
opifex ædes definierit, rationes & cauſas rei quam facit reddere ſolet. "

Er cur ita faciat, ſubiungit: Quanquam illa cuius gratia cauſa. et ratio boni & pul "
chri naturæ operibus potius ꝗ artis coniuncta eſt. neceſſitas uerò non æquè in re- "
bus naturæ omnibus ineſt: ea uidelicet ad quam omnes ferè auctores rationes refer "
re tentãt, priuſꝗ doceãt, quot modis accipi neceſſarium debeat. ineſt id ipſum reb. "
æternis ſimplici, abſolutaq; ratione, ſed caducis etiam gignendiſq; omnibus ex ſup "
poſitione tribuitur, quomodo in artificioſis, ut ædibus, & quibuſuis alijs generis "
eiuſdem. materiam enim talem adeſſe neceſſe eſt, ſi domus, aut quiuis alius finis fu- "
turus ſit, atq; etiam fieri, moueri illud primum oportet, deinde hoc, ac deinceps. ad "

» hunc aũt modum itur ad finem, cuius gratia res quoqꝫ & efficitur, & eſt. eodẽqꝫ mo
» do in rebus quoqꝫ natura gignendis agitur, quam demonſtrandi modus, neceſſita-
» tiſqꝫ ratio in naturali doctrina diuerſa, atqꝫ ſcientijs ſpeculatiuis eſt. principiũ enim
» alterius quod erit accommodatur. quod enim talis ſanitas, aut homo hoc uel factũ
» iri neceſſe eſt, non quia hoc uel eſt, uel fuit, illud neceſſariò uel erit: neqꝫ huiuſmodi
» demonſtrationis neceſſitatem, ita perpetuitati annectere poſſumus, ut dicere li-
» ceat hoc eſſe, quoniam illud eſt.

Quibus uerbis apertiſſimè oſtendit, ſe ademiſſe & Mathematicis & æternis cauſam illam finalem, ex qua fit demonſtratio, quia ſic eſt melius aut deterius: non cauſam finalem ſimpliciter detraxiſſe ipſis abſtractis. quod cum ita ſit, nihil eſſe uidetur, quod prohibeat animam eſſe naturam, cum declarauerit Ariſtoteles neceſſitatem non æquè in rebus naturæ omnibus ineſſe, eam uidelicet ad quam omnes auctores rationes referre tentant, priuſquam doceant quot modis neceſſarium accipi debeat. non enim negat, ut diximus, abſtracta agere propter finem ſimpliciter: ſed negat agere propter illum finem, ex quo fit demonſtratio. quia ſic eſt melius, aut peius. Et hoc ſenſu uidetur Ariſtoteles accepiſſe illud dictum in tex. citato, ad probandum animam non eſſe naturam: ex quo tamen non ſequitur omnino, ut anima non ſit natura. Quod ſi intelligeret naturam omnem agere propter finem, ex quo fit demonſtratio talis, repugnaret eis, quæ dixit in tex. proximè citato, ubi negauit in æternis eſſe hunc finem: uel illud quod dixit, Abſtracta non agere propter finem, eſſet probabile, & nõ uerum: & ita nihil contra nos. ac de hoc quidem fine intellexiſſe ibi
3. Meta. Ariſtotelem patet, quia idem dixit de Mathematicis quod de immobilibus: etenim
tex. 14. ab illis aufert finem, quem diximus. inquit enim: Quapropter & in Mathematicis ni
» hil omnino & hanc oſtenditur cauſam, neqꝫ ulla prorſus ex eo fit demõſtratio, quia
» ſic melius & deterius.

Atqꝫ in hoc conuenit mathematicis cum immobilibus, ut declarauit Ariſtoteles
12. Meta. duodecimo Meta. his uerbis: Atqꝫ id cuius gratia cæteræ ſunt, uel fiunt in ipſis im-
tex. 25. mobilibus, ſeſe declarat ipſa diuiſio. eſt enim alicui id cuius gratia agitur quorum
» aliud eſt, aliud non eſt. mouet autẽ ut à motu, atqꝫ per id quod mouetur cætera mo-
» uet. nõ negauit aũt Ariſtoteles immobilia agere propter finẽ, & in ipſis eſſe finem.

Propoſitio igitur illa minor, quod abſtracta non agunt gratia alicuius, ſi intelligatur de fine, ex quo poſſit fieri demonſtratio, quod ſic eſt melius aut deterius, uera eſt. ſed nihil concludit aduerſus noſtram ſententiam: quia maior propoſitio, quæ dicit naturam facere omnia alicuius gratia, non intelligitur de fine ex quo fit demonſtratio, ſed de fine ſimpliciter. & tunc argumentum eſt in quatuor terminis. Si uerò intelligatur quòd abſtracta non agunt gratia alicuius abſolutè, concluſio ſequitur: ſed minor eſt falſa, ut oſtendimus.

SECTIO QVARTA.

1. de part. animal. cap. 1. CONcludimus ergo, Ariſtotelem noluiſſe illis rationibus uerè reijcere animam rationalem à contemplatione philpſophi naturalis: ſed attuliſſe illas rationes probabiles, ut ingenia hominũ exerceret, quę eſt una utilitas ex ijs quas affert Dialectica, ut dictum eſt ſuprà. atqꝫ ut intelligatur hoc non eſſe præter Ariſtotelis conſuetudinem, proferemus aliã demonſtrationem, quam cogimur dicere eſſe probabilẽ. alioquin non poſſemus ipſum liberare à manifeſta contradictione.

1. de Gene. animal. cap. 1. Hæc igitur in primo de Generatione animaliũ ſcripta reliquit: Eorũ aũt ipſorum
quę ex coitu cognatorũ animalium gignũtur, ipſa quoqꝫ ſibi cognata progenerant:
At uerò quę nõ ex coitu, ſed putri materia oriũtur, ea generant quidẽ, ſed genus di-
» uerſum: quodqꝫ ꝓducit, non mas eſt, neqꝫ fœmina. talia ſunt nõ nulla in genere inſe-
» ctorũ, quod iuſta euenit ratione. nã ſi ex coitu eorũ quę ex non animalib. orta ſunt,
» animalia orirentur: hęc ſi eiuſdem generis eſſent, primũ quoqꝫ ortum parentũ tale
» eſſe oporteret. quod rectè ita cenſemus, quando ſic euenire in cæteris animalib. pa-
» tet. ſed ſi diſſimilia quidem, ſed quæ coire inter ſe poſſent, gignerentur, rurſus ex ijs
» alia quædã natura ꝓcrearetur, & alia ex ea, idqꝫ in infinitũ procederet. at natura infi-
» nitum uitare ſolet: infinitum enim fine caret, natura autem ſemper finem quærit.

Quibus uerbis, ut probet quæ non ex coitu, ſed ex putri materia oriuntur, ea generare genus diuerſum, iam affert rationem: quã niſi dicemus eſſe probabilem, &

non

nō ueram, non poterimus ipſum tueri, quin à ſe ipſo apertè diſſentiat multis alijs in locis quos citabimus. ut planè appareat neceſſarium eſſe ad perfectam uerborū Ariſtotelis intelligentiam, uerba ipſius inter ſe cōferre, & ex eorū collatione ſenſum uerū [illegible] firmū elicere. Primū igitur in Problem. ſec. decima, Probl. ſexageſimoquarto, ſic ait: Quā ob cauſam animantium alia non ſolum coitu, ſed etiam ſponte natura procreantur, alia coitu duntaxat proueniunt, ut homo & equus? An quòd, etſi non aliam ob cauſam, tamen quòd alijs gignendi tempus breue ſtatutum eſt? Itaq; fieri non poteſt, ut tempus, quod uim obtinet generandi, amplificetur, prorogeturq;, ſed temporum uiciſſitudine commutationeq; ut procreentur cōtingit. Alijs multo generatio ampliari ſolet. etenim uel anno, uel decē menſium ſpacio confici ſolet: quapropter uel nullo pacto, uel ex coitu procreentur illa neceſſe eſt. Ex quib. patet eū ſentire, eadē animalia ſpecie fieri, & coitu, & ſpōte: alioquin nihil dixiſſet.

Probl. ſec. proble. 64.

Item cum dicit: Sed ſunt qui & limo, & arena proueniant, etiam ex ijs generibus quæ per coitū & oui primordio generentur. quod tū alijs locis paluſtribus, tū uerò apud Gnidum factū olim memoratur. ſtagnis enim ſub canis ortu reſiccatis, & limo iam arido, ubi primùm imbribus reſtagnare loca inciperent, piſciculi naſcebantur generis mugilum, quòd per coitū procreantur magnitudine baleculæ paruæ, nec in his aliquid uel oui uel ſeminis continebatur. Quin etiā in nonnullis Aſiæ amnibus, quà effluunt in mare, piſciculi quidam magnitudine maricarū modo eodē proueniunt. Sunt qui omne mugilum genus ſponte oriri opinantur; ſed nō rectè. nam & oua eorū fœminæ, & ſemen genitale mares habere cernūtur. Verùm genus quoddam eorum eſt, quod non coitu, ſed ex limo, arenáue naſcatur. Apertiſſimè ſignificat, quædam animalia generari ex arena, & ex coitu, eiuſdemq; eſſe ſpeciei. alioquin nihil diceret.

6. de natura animal. cap. 16.

Item ubi inquit: Gignit etenim homo hominem. itaq; certus talis euenit ſpecie, quoniam talis qui gignit eſt. quin etiam de ijs quæ ſponte fieri uidentur, pariter atq; de artificioſis animaduertere licet. nōnulla enim uel ſponte, eadē quæ arte fieri poſſunt: ut ſanitas. his igitur cauſa efficiens ſimilis antecedat neceſſe eſt. ut ars condendarum ſtatuarum prior ſtatuis eſt, quādo ſponte fieri nequeunt. artem aūt operis eſſe rationem, omni abiuncta materia certum eſt. intuitis quoq; ratio ſimilis eſt: ut enim ars ſe habet, ita exiſtunt.

1. de part. animal. cap. 1.

Eandem dicit eſſe ſimilitudinem eorum quæ ſponte fiunt, & eorum quæ ex arte, ex quo argumentatur, ſicut eadem ſanitas poteſt ſponte & ex arte fieri, ita idem animal poſſe aliquando fieri ſponte, & coitu.

Item ubi hæc ſcripta reliquit: Sed generationes plantarū accepiſſe hoc loco congruit. oriūtur enim earum aliæ ſemine, aliæ conuulſione: nonnullæ etiam ſobole, ut cepæ. hoc igitur tertio modo in tali gignuntur: quippe qui minores ſubinde iuxta principiū adnaſcuntur, buccina, purpure, & quæ fauore dicūtur, quaſi à ſeminali natura humores quoſdam muccoſos emittūt. ſemen enim nullū eſſe eorum putandum eſt. ſed quo diximus modo plantis aſſimilantur. Quamobrē larga eorum copia prouenit, cū primùm conſtiterit aliquid. hæc enim omnia uel ſponte ut oriātur euenit. itaq; ratione tunc magis, cū origo præceſſerit, cōſiſtunt. aliquid enim excremēti ſingulis proficiſci credendū merito eſt ab eo principio, cui ſoboles quæq; adnaſcitur.

3. de Gene. animal. cap. 11.

Vult buccinas & purpuras, & quæ fauare dicuntur, fieri ex humoribus quibuſdam, ſicut quædam plantæ: quod nihil aliud ſignificat, quàm fieri propagatione. Deinde ait euenire, ut hæc omnia oriantur ſponte: uult ergo eiuſdem eſſe generis.

Item cum ait: Cæteræ uerò generationes affectiones dicuntur, atq; omnes affectiones, aut ab arte, aut à potentia, aut à mente proficiſcuntur: harum aūt quædam & à caſu fiunt atq; fortuna, perinde atq; in hiſce quæ natura fiunt: & illic enim nonnulla eadem ex ſemine, & ſine ſemine fiunt, ſed de hiſce quidem poſterius eſt conſiderandum: nulli poteſt eſſe dubium, quin, uelit, eaſdem ſpecies poſſe aliquando fieri, & ex ſemine, & ſponte.

Meta. tex. 18.

Item ubi ita ſcriptum reliquit: Dubitauerit autem non iniuria quiſpiam, cur quædam fiunt & arte, atq; etiam caſu, ut ſanitas: quædam non fiunt, ut domus. atq; cauſa huius eſſe uidetur. materia namq; quæ eſt princeps generationis, ut efficiatur & fiat aliquid eorum quæ ab arte proficiſcuntur, in qua pars eſt aliqua rei talis eſt, ut à

3. Met. 24.

ſe ipſa

„ ſe ipſa moueatur: alia talis non eſt. & huius alia hoc modo moueri poteſt, alia nō po
„ teſt: complura namq; moueri quidem à ſe ipſis poſſunt, at non hoc pacto: uelut ſal-
„ tare. quia igitur ſunt & quorum materia talis eſt, ut ſic moueri nō poſſit niſi ab alio,
„ quales ſunt lapides, atq; ignis, & quorum materia talis eſt ut ſic moueri poſſit, ideo
„ alia non erunt, ſine eo quod autem habet. poſſunt autem ipſa aut ab alijs non haben
„ tibus artem, aut experte moueri. Oſtēdit, eandem ſanitatem fieri ab arte et à natura.
7. Meta. ita ergo erit de quibuſdam animalibus, ut dictum eſt: Simili modo res ſeſe habet, ut
tex. 25. in hiſce quæ natura conſtant. ſemen enim perinde atq; artifex facit. habet enim po-
„ tentia ipſam formam. & id à quo eſt ſemen, uniuocum eſt quodam modo, niſi ipſum
„ ortum ſit læſum. Quocirca non ex mulo naſcitur mulus: non enim ita omnia ſunt fla
„ gitanda, ut ex homine naſcitur homo. etenim ex uiro mulier oritur. atqui quorum
„ materies ut ibi, & à ſe ipſa eo motu moueri poteſt, quo ſemen mouet, ea à caſu fiunt.
„ quorum uerò non poteſt, et nullo alio modo quàm ex generationibus fieri poſſunt.
Apertè ſignificat quædam animalia poſſe fieri à caſu & ſponte, & ex propagatione.
alioquin non eſſet differentia inter materias illas. neceſſe enim eſt, ut una ſit materia
quæ poſſit moueri & à ſemine & à ſe ipſa, ex qua gignuntur quædam animalia: quia
illa quorum materia non poteſt moueri niſi à ſemine, non poſſunt gigni niſi per pro
pagationem. contrà uerò illa quorum materia non poteſt moueri niſi à ſe ipſa, non
poſſunt gigni per propagationem.

Theo. 1. de Itē Theophraſtus hæc ſcripta reliquit: Cōſtat igitur generationē quę ſemine aga
cauſis plan tur, plantarum omnium eſſe communem. ſin autem pleraq; non deſint, quæ modo
tarū cap. 1. utroq;, uidelicet ex ſemine & ſponte, ualeant procreare: abſurdum id haudquaq;
„ putari oportet: quandoquidem & animalia quædam tam ex coitu uenereo, quàm
„ ex terra creantur. Ita fit, ut generationes pro ſingulorum propria natura ſequantur.
„ Quæ enim ſicca ſimplicia, minusq; plantigera extant, hæc (ut ita loquar) nullum ſe-
„ rendi admittunt: neq; enim conuulſionis, neq; rami. Quibus perſpicuè oſtendit
ſe ita ſentire, quaſdam plantas & quædam animalia fieri & ex ſemine & ſponte. uult
ergo eiuſdem eſſe ſpeciei: non enim illud in dubium uenire potuit, quin alia fierent
ſpontè, alia ex ſemine, quæ eſſent diuerſa ſpecie, quoniam hoc erat nimis perſpicu-
um: ſed de eo ambigebatur, an quædam ſpecies fierent utroq; modo.

Ex quibus omnibus uidetur ſequi, ſi uolumus tollere hanc Ariſtotelis diſcrepan
tiam, ut neceſſe ſit dicere rationem illam quam attulit, ut probaret ea generari diuer
ſum genus, quę nō ex coitu, ſed ex putri materia oriūtur, eſſe ꝓbabilē, nō neceſſariū.

SECTIO QVINTA.

EOdem loco nonnulla etiam dicit, quæ ſi attentè conſideremus, reperiemus for
taſſe non eſſe generaliter uera: ut quòd omnia illa generent, quæ ſolum fiunt ex
putri materia: & quòd generent diuerſum genus: & quòd nec mas, neq; fœmina ſit
quod prodijt. quia culices & uermiculi quidam non naſcuntur ex animalibus, na-
ſcuntur ergo ex putri materia: neq; coeunt, ergo non generant: neq; idem genus,
neq; diuerſum. non ergo illud Ariſtotelis dictum poteſt uniuerſaliter intelligi: parti
culariter autem poterit eſſe uerum, ut in muſcis, & alijs quibuſdam.

1. de Gene- Atq; ut huius rei ueritas perſpici poſſit, citabimus Ariſtotelem ipſum teſtèm, qui
rat. anim. hæc uerba ſcripta reliquit: Inſectorum aliqua coeunt, atq; ex animalibus eiuſdem
cap. 16. generis oriuntur, modo eorum quibus eſt ſanguis: ut locuſtæ, cicadæ, phalangia, ue-
„ ſpæ, formicæ. aliqua coeunt quidem, & generant, ſed non ſui generis animal, ſed uer
„ miculos tantum. neq; ex animalibus procreantur, ſed ex putreſcente humido, aut
„ ſicco: ut pulices, muſcæ, ſcarabei. quædam nec ex animalibus naſcūtur, neq; coeunt,
„ ut culices: & uermiculi, & plura eiuſmodi genera. interea uerò quæ coeunt fœminę,
„ maxima ex parte maiores maribus ſunt, nec meatus ulli ſeminales in maribus eſſe
„ uidentur: nullum, parte plurima dixerim, membrum fœminæ à mare inſeritur, ſed
„ mari à fœmina ſurſum de parte inferiore. quod conſpectū in pluribus eſt, nec de ſu-
„ peruentu ambigitur: ſed contrà ut mas fœminæ inſerat, uiſum in paucis eſt. neq; ad-
„ huc ita exploratum habetur, ut genere poſſimus diſtinguere.

1. de Gene. Hoc idem confirmat, ubi ait: Item nonnulla animalia oriuntur ex nullis uel eiuſ-
animal. dem uel diuerſi generis animalibus, ut muſcæ & genera papilionum: ex quibus gi-
cap. 18. & gnuntur quidem animalia, ſed non ſimilis naturæ, ſed genus quoddam uermiculi.
cap. 1.

Patet

Patet igit̃, nõ ſemine, qđ ex cunctis partibus ſeceſſerit, generari quęcũq; diuerſi generis ſunt. nã ſimilia eſſent: ſiquidẽ ſimilitudo indicio eſſet, quòd ex cũctis ſeceſſerit.

Item illud, quòd ea quæ ex coitu cognatorum animalium gignuntur, ipſa quoq; ſibi cognata progenerent, non uidetur uerum generaliter, quia duces generant ſibi cognata: & aliud genus, ut apes: & tamen generantur ipſi ex coitu cognatorum animalium, nempe ex ducibus, qui quidem non poſſunt generare duces, niſi creant. ergo non eſt uerum uniuerſaliter illud Ariſtotelis dictum.

Quòd autem duces, ut diximus, generentur ex ducibus, & tamen generẽt diuerſum genus, nempe apes oſtendit Ariſtoteles, ijs uerbis: Duces enim ijdẽ ſimiles ſunt generi utriq;, qua enim aculeum gerũt, apibus: qua magnitudine præſtant, fucis aſſimilantur. ſed duces etiam ipſos ex aliquo gigni neceſſe eſt. Itaq; cùm nec ex apib. neq; ex fucis creentur, ipſos ſe etiam generare neceſſe eſt. cellulæ eorum nouiſſimę cõſtruuntur, nec multæ numero. Itaq; euenit ut duces generarẽt, & ſe ipſos, & aliud genus quod apũ eſt, apes aliud generent, id eſt fucos: ipſi uerò fuci nõ inſuper generent, ſed hoc ipſi priuentur. cùm enim ſemper quod ſecundũ naturã eſt, ordinem habeat: ideo fucos ea quoq; facultate priuari, ut aliud generent neceſſe eſt. Et quidem ita hoc euenire uidemus. ipſi enim generantur, nihil uerò aliud generant, ſed in ternario numero finem generatio recipit. atq; adeò bene inſtitutũ eſt à natura, ut ſemper hæc genera ſeruentur, & nullum deficiat, quanq; non omnia generent. Ratione illud etiam euenit, ut annis proſperis copia mellis proueniat, & fucorum: imbribus uerò crebris, fœtus omnino ſuperet. humor enim facit plus excrementi in corporibus ducum, anni uerò temperies facit hoc idem in apibus. cùm enim corpore ſint minore, temperie magis deſiderant. Rectè enim Reges manent intus, immunes omnino negocio neceſſario, quaſi nati ad ſobolis procreationem. magnitudine idem præſtant, quaſi ad prolem generandam corpus eorum ſit inſtitutum. conuenit & fucos ocioſos inerteſq; eſſe, cum nulla habeant arma, quib. de cibo poſſint dimicare.

3. de Gene. animal. cap. 10.

Idem uidetur Ariſtoteles cõfirmare, cũ ait: Fœtus apum & fucorum candidus eſt, ex quo uermiculi fiunt, qui in apes fucoſq; tranſeunt. Primordiũ regum colore cernitur fuluo, corpulentia mellis craſſioris, magnitudine illicò proxima ſuæ futuræ ſoboli: nec primum ex eo uermiculus gignitur, ſed ſtatim apis, ut aiunt: qua autem parte fœtus conſtitutus ſit, mel ibi è regione conficitur. ſcadones, ſi fœtus oppreſſus intercipiatur, truncatæ ſine pennis & cruribus prodeunt: ſed ſi liberè ad finem generationis uenerint, rupta quæ gignuntur membra euolant.

1. de Gene. animal. cap. 22.

Videamus iam quomodo ualeat ratio illa, qua conatur oſtendere, ea quæ non ex animalibus orta ſunt, ſed ex putri materia, generẽt diuerſum genus. eſt enim huiuſmodi: Nam ſi ex coitu eorum quæ non ex animalibus orta ſunt, animalia orirentur, hæc ſi eiuſdẽ generis eſſent, primùm quoq; ortũ paternũ talem eſſe oporteat. quod rectè ita cenſemus, quando ſic euenire in cæteris animalibus patet. ſed ſi diſsimilia quidem, ſed quæ coire inter ſe poſſunt, gignerentur: rurſus ex ijs alia quædam natura procrearetur, & alia ex ea, idq; in infinitum procederet. at natura infinitum uitare ſolet, infinitum enim fine caret, natura autem ſemper finem quærit.

Ex qua ratione uidetur ſequi, ut nulla eorum quæ ex materia putreſcentè oriuntur, poſſint eſſe eiuſdem generis ſeu ſpeciei, cum ijs quæ generantur ex propagatione: quoniam ſi eſſent eiuſdem ſpeciei, generarent ſibi ſimilia ſpecie. ſed cùm generare nõ poſſint ſibi ſimile in ſpecie, ut uidetur ratio probare: cogimur negare, eiuſdem eſſe ſpeciei. At contrariũ apertè aſſerunt auctoritates Ariſtotelis allatæ, atq; etiã experientia ipſa oſtẽdit: quia in nauib. recenter ędificatis reperiuntur mures ex putri materia nati, ſiquidẽ nulli ante erant unde naſcerentur. atq; ex ijs ipſis deprehẽduntur naſci, alij ex coitu, quia mus fœmina interfecta inuenitur habere mures in utero. quare cogimur fateri, quoſdam mures gigni ex propagatione, quorũ tamẽ parẽtes ex putreſcẽte humido orti fuerint: & ita rationẽ illam Ariſtotelis eſſe probabilem. quia ſcilicet probabile eſt, filios eodem modo naſci, quo nati ſint parentes: apes autem quæ oriuntur ex apibus, etiam gignuntur ipſæ ex ſimili ſpecie: earum tamen parentes generati fuerint ex ducibus, qui ſunt diuerſi in ſpecie. Nihil autem referre uidetur, utrum parentes nati ſint ex alio genere, an ex putreſcenti materia. ſatis enim eſt quòd ortus parentum aliquando non ſit ſicut ortus filiorum,

& quod ortus filiorum non ſit ſicut ortus parentum. Ratio igitur illa probabilis ui-
detur. etenim uериſimile eſt, ut ortus filiorum ſequatur ortum parentum, & econ-
trariò.

Item eſt ex communibus & uniuerſalibus, non ex proprijs: inanis ergo poteſt eſ-
ſe, & quod ita ſit, apertam nobis huius rei ſignificationem dediſſe uidetur Ariſtote-
les ijs uerbis, quæ ad hunc modum habet: Cùm itaq; mulus mas & fœmina, ſine ſpe
2. de gene/ re animal. cap. 6. cíei differentiæ gignantur ex equo & aſino, quæ diuerſæ ſpecie ſunt: impoſſibile eſt
ut aliquid ex mulis gignatur. nec enim diuerſum ſpecie prouenire poteſt, quando
ex mare ac fœmina ſpeciei eiuſdem idem ſpecie generatur. neq; idem hoc eſt mu-
» lus: gignitur enim mulus ex equo & aſino, quæ diuerſa ſpecie ſunt. ex diuerſis autẽ
» ſpecie diuerſum animal gigni, poſitum eſt. ſed enim hæc ratio admodum uniuerſa-
» lis, inaniſq; eſt. Rationes enim quæ non ex proprijs ducũtur principijs, inanes ſunt:
» & rerum eſſe uidentur, cùm longè aberrẽt. ſunt profectò geometricæ rationes, quæ
» ex principijs geometricis afferuntur. Idemq; in cæteris eſt intelligendum. uidentur
» tamen eiuſmodi rationes, quamuis inanes, aliquid eſſe. nam & inane ſiue uacuum
» illud, aliquid eſſe uidetur, cùm tamẽ nihil omnino ſit. Nec uerũ eſt quod cõcluditur.
» multa enim ex ijs quæ non eadem ſpecie progenerantur, fœtifera prodeunt, ut antè
» expoſui: hoc igitur modo nec de cæteris rebus, neq; de naturalibus indagandum
» eſt: ſed ex ijs, quæ in genere tum equorum tum aſinorum inſunt, conſiderando po-
» tius acceperis cauſam.

Nam ratio qua hoc loco probat Ariſtoteles mulos non generare, quam lógicam
appellat, & inanem, eſt ſicut illa, qua probauit, genita ex putri materia generare ge-
nus diuerſum, quod neq; eſt mas neq; fœmina: ergo ſicut hæc eſt inanis, itidem po-
terit illa eſſe inanis. De his autem rationibus logicis longum habuimus ſermonem
in octauo libro, ubi declarauimus quam utilitatẽ afferant huiuſmodi rationes com-
munes. ad quem locum me reijcio.

Hanc igitur rationem, qua oſtendit Ariſtoteles mulos non generare, uocat ina-
nem: quoniam cauſa cur muli generent, non eſt, quia diuerſum ſpecie nõ poſſit pro-
uenire ex mare & ex fœmina eiuſdem ſpeciei: quandoquidem ex ducibus qui ſunt
eiuſdem ſpeciei, generantur apes quæ ſunt diuerſæ ſpeciei. non eſt ergo ſemper ue-
rum quod dicit Ariſtoteles, poſſunt enim muli ex iſta ratione generare diuerſum
ſpecie. uidẽtur etiam poſſe generare idem ſpecie, licet generati ſint ipſi ex diuerſa
ſpecie, ut ipſe tex. citato declarat. Quòd igitur non generent, neceſſe eſt ut id ex ali-
qua alia cauſa propria oriatur.

Quare ſi uolumus ſcire, nunquid ea quæ ex putreſcente materia orta ſunt, gene-
rent idem ſpecie nec ne: indagandum eſt hoc ex genere eorum quæ ex putreſcente
materia oriuntur: quod cùm fieri generaliter nõ poſſit, neceſſitas cogit ut dicamus,
nihil prohibere quin aliqua eorum quæ ex putreſcente materia oriuntur, poſſint ge
nerare ſibi ſimile in ſpecie. & hęc ſunt illa quæ ex putri materia genita, poſſunt item
generari ex propagatione. Demonſtratio igitur Ariſtotelis non concludit illud,
quod uidebatur concludere ex ui ſua: eſt ergo probabilis, ut diximus.

SECTIO SEXTA.

SEd contrà urgeret aliquis dicens: hanc ſententiam (uidelicet quòd aliqua geni-
ta ex putri materia, poſſint generare ſibi ſimile in ſpecie) euertere uerba Ariſto-
2. de anima tex. 34. telis, quæ citauimus in ſuperioribus ad aliud probandum, cùm inquit: Naturaliſſi-
mum enim operum uiuentibus eſt, quæcunq; perfecta, & non orbata, aut generati-
» onem ſpontaneam habent, facere alterum quale ipſum, animal quidem animal, plan
» ta autem plantam, quatenus ipſo ſemper & diuino participent, ſecundũ quod poſ-
» ſunt. omnia enim illud appetunt, illius cauſa agunt omnia quæcunq; agunt ſecun-
» dum naturam.

Etenim ſi ita eſſet ut dictum eſt, quòd ea quæ ſponte oriuntur, poſſent ita ipſa ge
nerare ſibi ſimile in ſpecie: non opus fuiſſet ut Ariſtoteles adderet, Generationem
ſpontaneam habent.

3. de anima tex. 35. Item eſſent animalia perfecta, quod quidem uidetur abſurdum. Conſequentia
probatur ex uerbis Ariſtotelis, ubi ait: Similiter autem neq; ſenſitiuum, multa enim
anima-

animalium ſunt quæ ſenſum quidem habent, manentia autem & immobilia: ſunt "
enim per finem. Si igitur natura nihil fuit fruſtra, neq; deficit in neceſſarijs niſi in or- "
batis & imperfectis: huiuſmodi autem animalium ſunt perfecta, & non orbata: ſi- "
gnum autem eſt, quia generatiua quidem ſunt, & augmentum habēt, & decremen- "
tum. Quare & haberent utiq; partes organicas proceſſionis. "

Eodem modo licet argumentari de iſtis: Sunt generatiua, & augmentum habēt, & decrementum: quare & haberent utique partes organicas proceſſionis: ergo eſſent perfecta.

Item confirmatur ex eis quæ ad hūc modum ſcripta reliquit: Animalia uerò quorum natura imperfectior, conceptum cùm perfectus iam eſt, ſed nondū animal perfectum, foras mittunt. quod quas ob cauſas ita fiat, antè diximus. Perfectum autem eſt animal, cùm conceptus iam aut mas aut fœmina eſt, ſcilicet in quibus ſexus hæc "
differentia habetur. Sunt enim quæ nec marem, neq; fœminam generant, uidelicet "
quæ & ipſa ex fœmina mareq; & coitu animalium procreantur. "

2. de gen. anial. text. 40.

Auerroes autem in paraphraſi ſua in primo de Generatione animalium, oſtendens fieri non poſſe ut animal ortum ex putredine generet ſibi ſimile in ſpecie, ſic uidetur argumentari: Quia ſi ita foret, eius generatio eſſet à natura, nō à putredine: quoniam quod generatur ex eo quod ortum ſit ex propagatione, eſt idem ſpecie.

Auer. in paraphraſi ſua in 1. de Gen. anim.

Idem probat alio argumento ſic: In ijs quæ eiuſdem ſunt ſpeciei, ſpecies eſt una, quia forma eſt una, & materia eſt una. Sed ſic non eſt una materia, ergo non eſt una forma, ergo non eſt una ſpecies. Quod autem materia non ſit una, uidetur clarū: quia unius eſt putris materia, alterius uerò eſt ſanguis menſtruus.

Item, una forma non poteſt reperiri niſi in una materia: Ergo fieri non poteſt, ut genita ex putri materia, & ex propagatione, ſint eiuſdem ſpeciei. Probatur Conſequentia: quia aliter una forma reperiretur in materia putri, et in materia ſeminis. Antecedens uerò perſpicuū eſt, propterea quòd niſi ita eſſet, daretur tranſmigratio formarum de corporibus in corpora, quod quidem omnium eſt abſurdiſſimum.

Item, ſi una & eadem ſpecies poſſet habere duas diuerſas materias, una & eadem ſpecies poſſet habere diuerſas definitiones. definitiones enim ſumuntur etiam ex materiebus, ut diximus in ſuperioribus. Conſequens eſt falſum: ergo id unde emanat falſum eſſe neceſſe eſt.

Item, non poteſt dari unum & idem factum ab arte & à natura, ut commenti ſunt Alchimiſtæ: ergo non poteſt dari, unum & idem in ſpecie fieri ex putri materia, & ex propagatione. Antecedens probatur: quia ex cauſis diuerſis non poteſt proficiſci effectus unus in ſpecie. Natura & ars ſunt cauſæ diuerſæ: ergo non poteſt ab ipſis proficiſci effectus idem in ſpecie. Probatur Conſequētia: quia materia putris, & ſanguis menſtruus, ſunt cauſæ diuerſæ: ergo ex ipſis non poteſt eadē ratione proficiſci effectus idem in forma & in ſpecie.

Item, ſi una & eadem ſpecies, quatenus eſt una, poſſet fieri ex propagatione, & non fieri ex propagatione: natura egiſſet ocioſè generās marem & fœminam in illa ſpecie. Conſequens eſt falſum: ergo & illud ex quo fluxit falſum eſſe neceſſe eſt.

Conſequētia perſpicua eſt: quia fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora, & æque bene, hęc autem ſpecies poteſt fieri ex putri materia, & æquè benè: ergo fruſtra fieret ex mare & fœmina.

Quòd autem conſequens ſit falſum, oſtendit Auerroes, dicens manifeſtum eſſe, quod generatio quę fit ex mare & fœmina, ineſt per ſe generationi neceſſariò: quia non poteſt (inquit) dari aliqua ſpecies à caſu & à fortuna. ideoq; non poteſt aliquis dicere, fieri aliquam ſpeciem ex propagatione, ut in pluribus. ex non propagatione autem, ut in paucioribus: quia, ut in lib. Poſt. dictum eſt, illud quod eſt per ſe, habet in ſe quid ſempiternum & neceſſarium: quod ſi res ita ſe haberet, non poſſet componi aliqua propoſitio per ſe neceſſariò, & ita tolleretur tota natura.

Item, ſi ex putri materia & ex ſanguine menſtruo poſſet fieri eadem ſpecies, ergo ex qualibet poſſet fieri quodlibet. Probatur Conſequentia: quia non eſſet neceſſe formas habere proprias materias, & ita ex qualibet fieret quodlibet: quia cauſa quare hoc non fiat, eſt diuerſitas materiæ. Conſequens eſt falſum, ergo & id unde ſequitur.

8. Phyſ. com. 46. Hæ ſunt rationes, quas Auerroes attulit in ſua paraphraſi in ſecundum de Generatione animalium, ut oſtenderet, non poſſe animal ex putri materia genitum, generare ſibi ſimile in ſpecie. In eandem ſententiam multa alia diſputat cõtra Auicennam octauo Phyſ. com. ſexto, in quibus hoc dicit: Si fieri poteſt ut homo generaretur ex non ſemine hominis, neceſſariò ille homo diceretur æquiuocè cum homine ex propagatione genito. quoniam cum materia fuerit diuerſa, diuerſa item erit forma: alioquin non eſſent materiæ propriæ, nec formæ propriæ, & ita quodlibet generaretur ex quolibet, atq; uniuerſaliter materiæ eſſent ocioſæ & ſuperfluæ.

Item, ſi fieri poſſet ut homo generaretur è terra ſicut uermis hoc uel eſſet neceſſarium, uel ex maiori parte, uel ex minori parte. Si eſſet neceſſarium, homo non generaretur ex homine omnino: quod quidem apparet eſſe falſiſſimum. ſi eſſet ex maiori parte, homo generaretur ab homine ex minori parte: quod item falſum eſt. ſin autem eſſet ex minori parte, eadẽ ſpecies inueniretur & à natura, & à caſu. quod autem fit caſu, ſemper eſt oppoſitum ei quod fit natura.

Multa præterea affert, quæ eò pertinent, ut oſtendat ſequi, quodlibet fieri ex quolibet: & ita concludit, unam ſpeciem gigni non poſſe ex ſemine & ex putri materia. Et quia aliquis potuiſſet aduerſus ipſum afferre ſenſum, ſuſpicariq; eandem ſpeciem generari utroq; modo, ut mures: Reſpondet, hanc ſuſpicionem eſſe errorem, qui error prouenit (inquit) propter nimiam ſimilitudinem ſenſu apparentem inter rem genitam ex propagatione, & ex putredine, in quibuſdam harum ſpecierum. ſenſus tamen nequit iudicare id in quo ſpecies eſt una uel plures, in omnibus locis. & hoc totum nõ latet, aſſuetum in his rebus. Similiter autem ſi datur aliquod artificiale ualde ſimile naturali, tanta poterit eſſe ſimilitudo, quod exiſtimabitur ipſum eſſe idem ſpecie: etſi ars Alchymiæ, inquit ipſe, habet eſſe, hoc eſt quod poteſt fieri in ea.

Ex his igitur rationibus cõcludit Auerroes, nullo modo fieri poſſe, ut una & eadem ſpecies oriatur & ex putredine, & ex propagatione.

SECTIO SEPTIMA.

SEd cũ uerba Ariſtotelis & Theophraſti apertiſſimè repugnent ſententiæ Auerrois, & ipſa etiam experientia de muribus qui naſcũtur in nauibus recenter ædificatis, ut diximus: neq; dici poſſit quòd non ſint eiuſdem ſpeciei, quia apparet eos generare ſibi ſimile in ſpecie: Hæc igitur cum ita ſint, neceſſariò efficitur, ut rationes allatæ ab Auerroe non concludant, quibus ita reſpondendum uidetur. & primum dicimus, Ariſtotelem addidiſſe illa uerba, Aut quæ ſpontaneam generationem habent: quia non omnia ſpontanea generat ſibi ſimile in ſpecie. itaq; coactus eſt coarctare illam propoſitionem: non tamen ei propoſitum fuit negare, quin aliqua ſpontanea poſſent hoc præſtare.

2. de ani. tex. 34.

Ad ea uerò quę ſequuntur, concedimus illa eſſe animalia perfecta, quia efficiunt illas operationes, quas Ariſtoteles textibus citatis dixit requiri ad animalia perfecta. nihil enim abſurdi ex hoc ſequitur.

Ad illud autem quod dicit Auerroes fieri non poſſe ut animal generatum ex putredine, generet ſibi ſimile in ſpecie: reſpondemus, non omne quidem animal natũ ex putredine poſſe generare ſibi ſimile in ſpecie, ſed aliquod poſſe, ut diximus & dicemus. Probationem etiam dicimus falſam eſſe, quòd ſi animal natum ex putredine generaret ſibi ſimile in ſpecie, eius generatio fuiſſet à natura: quia illud quod generatur ex propagatione, generatur idem ſpecie. hoc enim abhorret à ueritate, quandoquidẽ quæ generantur ex propagatione, non ſemper ſunt eiuſdẽ ſpeciei.

Præterea ſi aliquod animal poteſt per propagationẽ generare alteram ſpeciem, quæ non ſequitur naturam generantis, ut dictum eſt de ducibus qui generant: non uideo cur non poſſit eadem ſpecies generari ex aliquo quod non ſit eodem modo genitum.

Ad aliud uerò cum dicit, Species eſt una, quia forma eſt una, & eius materia eſt una: concedimus hanc propoſitionem, ſed cum addit hic non eſſe materiã unam, hoc negamus.

Ad probationem, quòd eſt clarum materiam eſſe diuerſam, quia materia putris &

& ſanguis menſtruus ſunt materiæ diuerſæ: reſpõdeo, Quòd licet in principio ſint diuerſæ materiæ, tamẽ per diſpoſitionem corporis cœleſtis fit eadẽ materia. quod quidem non uniuerſaliter accidit omnibus, ſed aliquibus: ut declarauit Ariſtoteles *7. Meta.* loco ſuperius citato. etenim ſi non ex diuerſis materiebus in principio, non poſſet *tex. 25.* fieri idem eiuſdem ſpeciei, eadem caro non poſſet fieri ex carne, & ex ouo, & ita de alijs: quod quidem eſt abſurdiſsimum.

Ad aliud quod ſubdit, negamus conſequentiam. Ad probationem dicimus, formam illam reperiri in eadem materia, quæ in principio erat diuerſa: ut caro & ouum in principio erant diuerſa, in fine tamen eadem materia: quod ſi non fieret eadem materia, ſequeretur illud abſurdum quod diximus.

Argumentum item quod ſequitur, eodem modo diſſoluitur: quia non dicimus quòd una, & eadẽ ſpecies poſsit habere diuerſas materias cum eſt ſpecies, ſed unã & eandem ſpeciem poſſe fieri ex eis quæ primò erant diuerſæ materiæ, & poſt uirtute agentium fiunt una materia.

Ad illud uerò, quòd non poſsit dari unum & idem factum ab arte & à natura, hoc negamus: quia declarauit Ariſtoteles in ſuperioribus, eandẽ ſanitatem ſpecie poſſe fieri ab arte & à natura. negamus item probationem, quia fieri poteſt ut cauſæ diuerſæ in ſpecie, producant effectum qui ſit idem in ſpecie. ut motus, lumen & ignis ſunt cauſæ diuerſæ, tamen producũt ignem, qui eſt eiuſdẽ ſpeciei: item ignis idem ſpecie, elicitur ex diuerſis materiebus ſpecie, ut ex lapide ex lignis, & ex multis alijs materijs quæ ſpecie differunt.

Quod addit Alchimiſtis, dicimus ueram eſſe eorum opinionem, quòd aurum poſsit fieri & ab arte & à natura: quia transmutare poſſunt argẽtum uiuum, & alia quæ ad id requiruntur, ita ut fiat eadem materia: ſicut fieri poteſt ut arte generentur animalia, ut ſcorpiones, & à natura etiam: ſed quoniam illud aurum fit rariſsimè, & cum maxima difficultate, quia multa neceſſariò concurrunt quæ poſſunt facile impediri: non uidetur fieri poſſe. Sed alicuius rei difficultas non arguit, quòd effici non poſsit. Quare non eſt danda illi arti opera: non quia non ſit uera, ſed quia eſt tantæ difficultatis, ut utilius ſit ipſam omittere, quàm exercere. Multi enim, & illi quidem ditiſsimi, ad maximam inopiam redacti ſunt: quia exercentes hanc artem conſequuti ſunt aliquando quod ſibi erat propoſitum, deinde nunquam potuerunt aſſequi: quia maxima cum difficultate tam multa poſſunt concurrere, quot requiruntur ad inducendam auri materiam. Quare melius eſt eam non profiteri, & alijs artibus certioribus, quæ maiori ex parte præſtant ſuum finem, operam dare, quàm huic, quæ rariſsimè propter res naturæ abſconditas finem ſuum aſſequitur.

Ad aliud, quòd natura ageret aliud ocioſum, ſi una & eadem ſpecies poſſet fieri ex propagatione & ſponte, quia generaret marem & fœminam, quæ non eſſent neceſſaria: negamus conſequentiam, & dicimus, Aliquod animal poſſe pluribus *Theo. 1. de* modis generari, ut patet ex Theophraſto: non tamen ex hoc ſequi, ut fœmina & *cauſis plã-* mas in huiuſmodi ſint ſuperflua, licet fortaſſe in omnibus non ſint neceſſaria, quia *tarum.* in his non fit ſpecies & conſeruatur per pauciora æquè bene. Sed melius utroque modo fieri. natura autem intendens quantum poteſt, multiplicationem entium eam quibuſcunque poteſt modis facit: ſed non poteſt in omnibus, quia non poſſunt materiæ omnium eodem modo moueri, ſicut dixit Ariſtoteles loco ſuperius *7. Meta.* citato his uerbis: Atqui quorum materies, ut ibi à ſe ipſa eo motu moueri poteſt *tex. 25.* quo ſemen mouet, à caſu fiunt: quorum uerò non poteſt, ea nullo alio modo quàm « ex generationibus fieri poſſunt. Homines ergo, & aſini, & huiuſmodi non poſ- « ſunt generari niſi ex propagatione: quia eorum materia non poteſt moueri niſi eo motu, quo ſemen mouet. Sunt etiam in genere animalium uilium quædam, quæ naſcuntur ſolum ex putrefactione, ut culices: quia eorum materia non poteſt moueri, niſi eo motu quo mouetur putris materia. etenim licet uilia ſint quæ generantur ex putri materia, & ex propagatione, tamen non poſſunt omnia uilia utroque modo generari: uilioribus enim hoc non contingit. ſunt ergo ex animalibus quædam perfectiſsima, quæ nullo alio modo gigni poſſunt quàm ex propagatione: ac rurſus quædam imperfectiſsima, quæ non poſſunt naſci niſi ex pu-

tredine:alia uero medio modo ſe habent, ut uidelicet neq; perſectiſsima ſint, neq;
uiliſsima, quæ utroq; modo naſcuntur. uidentur etiam conſentire ipſi naturæ, quæ
non ſolet ab extremo ad extremum proficiſci ſine medio. Atq; hæc ipſa quidem
rerū diuerſitas naſcitur ex diuerſitate materiæ. Accidit ergo materiebus, quæ me
dio modo ſe habēt, id eſt quę neq; omnino uiliſsimæ ſunt, nec perfectiſsimę, ut poſ
ſint moueri utroq; motu, & ita poſsit ex ipſis naſci animal utroq; modo. Hanc ego
quidem puto eſſe cauſam. Sed quomodocunq; ſit ſatis eſt dicere quòd ſignifica-
uit Ariſtoteles, nō ergo fruſtrà generatur in his mas & fœmina, cum poſſunt utro-
que modo naſci propter finem naturæ, quę intēdit multiplicationem quantum pō
teſt. Falſum item eſt generationem quæ fit ex mari & fœmina, ineſſe generatio-
ni per ſe ac neceſſariò in omnibus. ineſt enim tantum modo in perfectiſsimis, atq;
ita ſoluitur difficultas quæ ſequebatur, quia generatio ex mare & fœmina non eſt
per ſe generationi.

Quod uerò ſubiungit, futurum ut quodlibet fieret ex quolibet: hoc negamus.
Ad probationem, quia neceſſe non eſſe nō eſſet formas habere proprias materias,
ſiquidem eadem ſpecies fieri poſſet ex putri materia, & ex propagatione: iam re-
ſponſum eſt, quod illa materia diſponitur & corpus cœleſte, quia eſt apta moueri
diuerſis illis motibus: & fit eadem materia, ita ut poſſit recipere eandem formam
Auer. in pa in ſpecie. & hoc modo diſſolutę mihi uidentur eſſe rationes Auerrois, quas attigit
raphraſi 1. in ſua paraphraſi in primum de Gener. animalium.
de gen. aia.

Reſtat iam, ut ad alias diſſoluendas accedamus, quas contra Auicennam attu-
lit. Et primò dicimus, fieri non poſſe ut homo generetur ex non ſemine hominis:
quia eius materia moueri nō poteſt alio motu, quàm motu ſeminis. Quod ſi gene
rari poſſet, negamus tamen futurum ut ille diceretur æquiuocè homo, cum eo qui
generatus eſſet per propagationem, quandoquidem materiæ non eſſent diuerſæ,
neq; etiam formæ, ut de muribus dictum eſt. & ita falſum eſt quòd non eſſent ma-
teriæ propriæ, nec formæ proprię, & quòd ex quolibet generaretur quodlibet, &
quòd materiæ eſſent ocioſæ & ſuperfluæ.

Nullam uim item uidetur habere ſequens ratio: quia liceret idem dici de homi-
ne quod de muribus, quod uidelicet æquè generaretur ex putredine atq; ex pro-
pagatione, prout res ipſa ferret. & ita neq; eſſet omnino neceſſe eum generari illo
modo: neq; ex maiori, neq; ex minori parte ſemper ita generaretur, ſed aliquādo.

Nec uerò quod fit à caſu, ita eſt oppoſitum illi quod fit natura, ut non poſsit ali-
quando fieri idem utroq; modo: ut ſanitas, quę fit natura, fit aliquando etiam caſu,
& aliquando ab arte, licet ſint cauſæ diuerſæ.

Dicimus etiam falſum eſſe, quod ſenſus non poſsit hoc indicare: quia ſatis indi-
cat in muribus, qui generantur in nauibus recenter ædificatis, ut dictū eſt. uident
enim nautæ eos generare ex propagatione, cum fuerint ipſi ex putredine geniti:
appareretq; eiuſdem eſſe ſpeciei cum ijs qui generantur ex propagatione, quia cum
illis conueniunt in omnibus operationibus. nihil ergo uidet̄ prohibere, quin ali-
qua ſpecies poſsit eadem & ex propagatione & ex putri materia, exiſtere. itaq; cō
gimur dicere, demonſtrationem illā Ariſtotelis, qua uiſus eſt probare contrarium,
eſſe probabilem, & non neceſſariam. alioquin ſuam ipſius euerteret ſcientiam. ex
quo quidem intelligi poteſt, non eſſe præter illius conſuetudinem, uti hoc genere
demonſtrationum: quare non erit mirū, ſi in primo etiam de Partibus animalium,
loco citato, fuerit eodem demōſtrationis genere uſus, quod ipſum eſt quod nobis
erat propoſitum oſtendere. ſed de eadem re in ijs etiam quæ ſequentur, ſermonem
habebimus.

Equidem puto ita dicendū eſſe, uidelicet demonſtrationem illam Ariſtotelis in
primo de Partibus animalium, eſſe probabilem, & non neceſſariam. non enim ui-
deo aliter poſſe dici, niſi uelimus Ariſtotelem à ſeipſo diſſentire, ut oſtenſum eſt.
nihilominus tamen meliori iudicio me ſubijcio. Video abſtracta agere propter fi-
nem, & in abſtractis nō poſſe fieri demonſtrationem illam ex fine, quia melius ſit,
uel deterius: propterea quòd ſunt immobilia, & neceſſaria. quæ cum ita ſint, nihil
mihi quidē uidetur prohibere, quo minus reſpōſio quę data eſt (uidelicet demon
ſtrationem illam Ariſtotelis in 1. de Part. animaliū, eſſe probabilem, & non neceſ-
ſariam)

ſariam conſentiat ueritati, & uerbis ipſius Ariſtotelis: & ita animã rationalem conſiderari à philoſopho naturali. quod eſt illud quod in lib. ſuperioribus aſſeruimus. Concluſio ergo noſtra eſt uera.

SECTIO OCTAVA.

Sed diceret aliquis: Quid dicemus ad auctoritates Ariſtotelis, qui uidetur omnibus locis apertè dicere, primã philoſophiam cõtemplari abſtracta à materia, philoſophiam autem naturalem non poſſe illa contemplari? ac rurſus, philoſophiã naturalem contemplari materiam & motum, & definire per illam, primam autem philoſophiam non poſſe? ac uidetur ſemper ſeiungere philpſophiam naturalem à prima, eo quòd philoſophia naturalis contemplatur ea quæ ſunt cum materia & cum motu, ipſa uerò prima philoſophia illa quæ ſunt abſtracta à materia.

Profectò res iſta eſt difficillima, quia in utramq; partem ſunt auctoritates ſatis claræ. ſed tamen cùm ratio exigere poſtulareq; uideatur, ut quotieſcunq; auctoritates Ariſtotelis inter ſe pugnare uideantur, eas accipiamus quæ rationibus ueris magis conſentiunt: illas uerò quæ repugnare uidentur interpretemur & ad bonũ redigamus ſenſum. non enim poteſt uerum repugnare uero, ſed neceſſe eſt ut uerũ uero conſentiat. Neq; etiam fas eſt opinari, tantum philoſophum in re tam aperta, tamq; manifeſta non ſolum pugnantia, uerùm etiam (quod multo fœdius eſt) negantia aſſeruiſſe. Faciendum nobis uidetur, ut conemur omnia ad bonum ſenſum redigere. Quare dicimus, concluſiones illas, quas in libro decimoſeptimo poſuimus, ueritati conſentire: uidelicet quod prima philoſophia conſideret non ſolũ immaterialia & immobilia, ſed & compoſita ex materia & forma, & ita mobilia: & aliquando definiat per materiã & formã. quòd item philoſophia naturalis conſideret non ſolũ immerſa materię, & mobilia, ſed etiã immaterialia, & ita immobilia, & animã rationalẽ: quia rationes & auctoritates Ariſtotelis quas attulimus, omnino uidentur hanc ſententiã confirmare. Sed ne faciamus Ariſtotelẽ pugnare cum ſua ipſius ſententia, cùm uideatur alibi contrariũ aſſerere, ita dicimus: Cùm ille uidiſſet cauſas abſtractas eſſe illas quæ primæ philoſophiæ perfectionẽ afferrẽt (ut colligi
tur ex ipſo, ubi dixit: Si nõ eſſent ſubſtantiæ abſtractę, naturalẽ futurã eſſe primam 1.Met.
philoſophiam) & cùm uideret etiam neceſſarium eſſe, ut cauſæ abſtractæ primò & tex.16.
principaliter attinerent ad primam philoſophiam (quippe quæ eſſent cauſæ entis 6.Meta.
quatenus eſt ens, & ſubſtantiæ quatenus eſt ſubſtantia, quæ erant uniuerſaliora re- tex.5.
bus quæ conſiderarentur in philoſophia naturali & per id quod neceſſariò ſequi- 12.Meta.
tur, priora natura, ab eis enim non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia) hæc in- tex.26.
quam cùm intelligeret Ariſtoteles, protulit generaliter, ſubſtantias abſtractas attinere ad primam philoſophiam, quia primò, & principaliter attinerent ad ipſam. negauitq; eas attinere ad philoſophiam naturalem, non quòd non attinerent aliquo modo, ſed quia primo et principaliter nõ attinebant. ſicut dixit aliquando definitionem eſſe ſubſtantiarum, & non accidentium: non quod definitiones non ſint etiã accidentium (definitiones enim, ut perſpicuum eſt ex ſe, & ex uerbis Ariſtotelis
multis in locis, ſunt in omnibus prædicamentis) ſed quia non erant primò acciden 7.Top.
tium, ſed ſubſtantiarum. ideo loquutus eſt Ariſtoteles ad hunc modũ. Quod idem cap.3.
fecit multis alijs in rebus, quæ huiuſmodi naturam & rationem inter ſe obtinerent, quas longum eſſet recenſere. Sed ne uideamur nobis finxiſſe hanc ſententiam, prę ter rationes & auctoritates allatas, afferemus etiã ea quæ ſcripta reliquit Ariſtote-
les tertio Cœli, tex. ſecũdo, quem locum ad hoc idem probandum alibi quoq; cita 3 Cœli
uimus, cuius hæc ſunt uerba: Eſſe enim quædã entia ingenita, et totaliter immo- tex.2.
bilia, magis eſt alterius, & prioris, quàm phyſicæ conſiderationis. in Apolo.

Quo in loco aduerbiũ (magis) uidetur indicare, abſtracta dici primò attinere ad primam philoſophiã, quia magis attinerent ad ipſam. ſimulq; innuit manifeſtè, ipſa attinere etiam aliquo modo ad philoſophiam naturalem. nam iſta comparatio non eſſet ad rem, ſi nullo modo attinerent: quia ergo prima philoſophia contemplatur ipſa abſtracta primò, naturalis autem philoſophia ſecundo loco, ideo dicuntur magis ad illã quàm ad hanc pertinere. quæ enim alicui cõueniunt primò, magis ei dicuntur conuenire, q̃ alteri, cui ſecundo loco conueniãt: quia hoc eſt quaſi per

accidens, et nõ per ſe. ut habere tres magis dicitur conuenire triangulo quàm Iſo-
ſcheli, quia conuenit primo ipſi triangulo.

Concludimus igitur, quia ſubſtantiæ abſtractę erant illæ quę perfectionẽ tribue
rẽt primæ philoſophiæ. nõ materia prima, nõ formæ generabiles, & corruptibiles,
et cætera de quibus agit prima philoſophia. & quia illæ primo ei cõueniebant, ſeiũ
xiſſe Ariſtotelẽ multis in locis. primam philoſophiã à philoſophia naturali, et à ma
thematica, & à cęteris facultatibus, eo quòd ipſa cõtemplaretur abſtracta: noluiſſe
eũ tamen negare, quin prima philoſophia cõtemplaretur etiã materiam primam,
& materialia motum, & mobilia, ſicut probatum eſt ſuprà. neq; enim, niſi ita eſſet,
potuiſſet contemplari prima philoſophia ens quatenus ens, & ſubſtantiam quate
nus eſt ſubſtantia: quod quidem à uero longiſsimè abeſt.

Probatur conſequentia: quia ens & ſubſtantia continent corruptibilia, et incor
ruptibilia: ens autem & ſubſtantia ſunt ſubiectum in prima philoſophia: contem-
platur ergo illa quæ continentur ſuo ſubiecto. Subſtantia uerò dicitur ſubiectum
in prima philoſophia, quia ita eſt pars principalis ſubiecti. Ariſtot. enim in quarto
„ primæ philoſophiæ libro, tex. tertio, cùm dixiſſet: Patet igitur unius eſſe ſcientiæ,
„ ea quæ ſunt ut & entia ſunt, cõtemplari: addidit & in tex. quarto, Vbiq; aũt ſcientia
„ ipſius eſt propriè primi, et ex quo cætera pendẽt, et propter quod dicuntur. Quod
ſi hoc eſt ſubſtantia, ipſum philoſophum principia ſubſtantiarum cauſasq; habere
oportet.

11. Meta. Quare illud quod alibi uidetur Ariſtoteles dicere, abſtracta ſubiectum eſſe in
tex. 21. prima philoſophia: declarauimus in Apologia ita intelligi oportere, quòd abſtra-
in Apol. cta ſunt ſubiectum, quia ſunt cauſæ principales ſubiecti: nõ quod re uera ſint ſubie
ctum (implicat enim contradictionem, dicere aliquid eſſe ſubiectum, & cauſam
ſubiecti, quandoquidem ſignificatur aliquid eſſe ſubiectum, & non eſſe ſubiectũ:
quia ſi eſt ſubiectum, conſideratur propter ſe: ſi eſt cauſa, non cõſideratur propter
ſe, ſed gratia illius cuius eſt cauſa.) ſolet igitur ſic loqui Ariſtot. quippe qui demon-
ſtrationem etiam nuncupauit demonſtratiuam ſcientiam, nõ quòd re uera ſit ſcien
1. Poſt. tia demonſtratiua, ſed quia efficit demonſtratiuam ſcientiã. idq; apud Ariſtotelem
cap. 2. eſt frequentiſsimum: neceſſe eſt igitur, ut philoſophia prima contempletur mate-
riam & formam generabilem, & corruptibilem, & cõpoſita ex illis & per id quod
neceſſariò ſequitur motum: ut probatum eſt ſuprà, & præſertim cùm dixerit Ari-
ſtoteles ipſam contemplari ens quatenus ens, & ſubſtantiam quatenus ſubſtan-
tia. ex quo ſequitur, primam philoſophiam ſeiungi à cæteris facultatibus primò
per ipſum ens quod eſt eius ſubiectum, et per ſubſtantiam quæ eſt principalis ſpe-
cies ſubiecti, ut ipſe etiam aliquando ſeiunxit: tamen propter cauſas dictas ſępiſ-
4. Meta. ſimè ſeiunxit primam philoſophiam à cæteris ſcientijs, per ſubſtantias abſtractas,
6 Meta. ut indicaret illas principaliter conſiderari ab ipſa. Conſentire igitur rationi uiden-
11. Met. tur ea quæ diximus.

SECTIO NONA.

EX quibus ſequitur, ſubſtantias abſtractas attinere ad philoſophiam primam,
non quia ſint abſtractæ: ſed quia ſunt cauſæ uniuerſaliores, quæ attinent ad
primam philoſophiam. niſi enim hoc eſſet, non attinerent ad ipſam primam philo-
ſophiam, ſed ad philoſophiam naturalem: propterea quod ad hanc attinet cœlum,
quatenus cœlũ: ergo eius cauſæ propriæ. quare nõ rejciunt à philoſophia naturali
abſtracta omnia, ſed ſolũ ea quæ ſunt uerè & penitus abſtracta: quæ non indigent
corpore neq; in eſſe, neq; in operari, quia non conſiderantur ab ipſa primò quod
ita accidit, quia huiuſmodi abſtracta ſunt cauſæ uniuerſales. Itaq; non eſt mirum, ſi
de anima agat philoſophus naturalis, licet abſtracta ſit à materia: quia abſtracta, ut
abſtracta, non adimuntur illi. ſed abſtracta, quæ ſunt cauſæ uniuerſales, quibus ac-
cidit ut ſint penitus abſtracta, quæ quoniam erant plura numero, quàm ea quæ at-
tinerent primò ad philoſophiam naturalem, & erant principaliter ac penitus ab-
ſtracta (quod non cõtingit animæ rationali, quippe quæ in operando indiget cor
pore) ideo dixit Ariſtoteles, abſtracta pertinere ad primam philoſophiam, & non
ad naturalem: ſeiunxitq; eadem ratione ipſam primã philoſophiam à mathemati-
ca, quæ conſiderat immobilia, ſed nõ ſeparata ſecundũ eſſe. Quemadmodum er

go philoſophia prima, ut oſtendimus, dicitur conſiderare abſtracta, quia ſunt per-
fectiora inter illa quæ ab ipſa cōſiderantur, & quia primò & principaliter hæc con
ſiderat: & hoc poſito non repugnat tamen quin contempletur etiam primam ma-
teriam & formam generabilem & corruptibilem, & compoſita ex materia & for-
ma, & per id quod neceſſariò ſequitur motum: ſic philoſophia naturalis poteſt di-
ci contemplari materialia, & ea quæ mouentur, & definire per materiam: quia illa
quæ uel maiori ex parte, uel primo, & principaliter ab ipſa conſiderantur, ſunt ma
terialia. ſimpliciter, uel aliquomodo pendent à materia: ut anima rationalis, quæ li-
cet non in eſſe, in operari tamen pendet à materia. Et quia generaliter licet dicere,
omnia quæcūq; primò cōſiderantur à philoſopho naturali, pendere aliquo modo
à materia: ideo uidetur Ariſtoteles ſemper dixiſſe, Quæcunq; mota mouent ſunt
phyſicæ conſiderationis. & fuerunt dictæ etiam illæ auctoritates, quæ enumeratæ
ſunt ſuprà in libro decimo: quæ debent intelligi eo modo, quo iſta, Quæcunq; mo
ta, &c. & naturalem philoſophiam definire per materiam in cōparatione etiam ad
mathematicā. quod tamen non eſt, quia ipſa primò & principaliter conſideret om
nia mobilia (ſi quidem mobilia uniuerſaliora, ut probatum eſt, attinent ad primam
philoſophiam) ſed quia omnia quæ ipſa primò conſiderat, quæ quidem ſunt parti
cularia, ſunt mobilia. Quare ferè ſemper deſcripſit Ariſtoteles ſubiectum philoſo-
phiæ naturalis per motū: quia omnia ferè quæ cōſiderantur ab ipſa, pendent à ma
teria aliquo modo, & maiori ex parte ſunt mobilia. idq; fecit, ut indicaret ea quæ
naturalis philoſophia principaliter conſiderat in cōparatione eorum quę non con
templatū primò, ut ſunt ſubſtantiæ penitus abſtractæ. ſicut philoſophiam primam
dixit conſiderare ſubſtantias abſtractas: quia in cōparatione reliquorum, quæ con
templatū, ſunt perfectiores, & in cōparatione philoſophiæ naturalis eas primò con
ſiderat: cùm hoc tamē ſtabat, ut ens uerè eſſet ſubiectū primæ philoſophiæ. Qua-
re dicendum eſt etiam corpus naturale, intelligendo per ipſum corpora quæ con-
templatur philoſophus naturalis, conſiderari ab eo per ſe & primò, licet circūſcri-
pſerit ipſum Ariſtoteles per motū, ob cauſas dictas. Declaratū eſt enim ſuprà, mo-
tū non poſſe uerè eſſe rationē formalem rerum naturaliū. alioquin nulla ſubſtantia
eſſet cōſiderata à philoſopho naturali, ex ratione & natura ſua ſubſtātiali. Et quòd
iſta interpretatio nemini debeat admirationem afferre, præter ea quæ dicta ſunt, in
ſequentibus etiam oſtendemus. Dixi aūt, per corpus naturale me intelligere cor
pora quæ conſiderantur à philoſopho naturali: quia corpus naturale quatenus di-
citur de cœlo, & de elementis & mixtis, et eſt generale quoddam, non eſt propriè
philoſophia naturalis, ut probatū eſt: ſed de ipſo agitur in lib. Phyſ. acceptū tamen
fuit in philoſophia naturali, ut daretur unitas illi ſcientię. Sed non illud eſt ex ratio
ne ipſius, ſed quatenus accipit ipſum à prima philoſophia, eo modo quo dictum
eſt, & dicetur.

Sed diceret aliquis: ut auctoritates Ariſtotelis in cōtrariam partē allatæ opinio
ni tuę nō repugnent, & cum ijs auctoritatibus cōſentiant quæ tecum facere uiden
tur, Quid dices ad illa Ariſtotelis uerba, quæ ſcripta reliquit ad hūc modū: At uerò 11. Meta.
neq; circa mathematica quæſita, ſcientia nunc uerſatū: nihil aūt ipſorum eſt ſeparabi tex. 3.
le, atq; neq; ſubſtantiarum ſenſibilium, corrumpuntur enim. Perſpicuè enim ui-
dentur oſtendere philoſophiam primam, ut nō eſt circa mathematica, quia nō ſunt
ſeparabilia, non eſſe etiam circa ſenſibilia, quia ſunt corruptibilia. At rurſus phi
loſophiam naturalē nullo pacto uerſari circa immobilia, declarat quod paulo pòſt
addit: Omnino aūt dubitauerit quiſpiā, qualis ſcientię ſit de mathematicarū mate- 11. Meta.
ria dubitare. neq; enim naturalis facultatis, propterea quòd omnis tractatio natu- tex. 3.
ralis philoſophi circa ea uerſatur, quę in ſeipſis principium motus ſtatusq; habent.
Nam ſi omnis tractatio naturalis philoſophi circa ea uerſatur, quę in ſeipſis princi
pium motus ſtatusq; habent: ergo non poteſt contemplari immobilia. aliter enim
non eſſet omnis eius tractatio, circa ea quæ habent principium motus in ſe.

Reſpondeo: interpretationē eam, quam ſuperiorū textuum attulimus, ſatisface-
re etiam his textib. quia quod habet textus tertius, primam philoſophiam nō uer-
ſari circa ſenſibilia, propterea quòd ſunt corruptibilia, intelligendū eſt, non uerſari
principaliter circa hæc, ſed circa immobilia & ſeparabilia. quippe quæ omnem illi

præſtantiam tribuũt & quod in tex. quarto dicitur, omnem tractationẽ naturalem eſſe circa ea quæ habent principium motus & quietis in ſe. intelligi debet principaliter, & maiori ex parte. et ita nihil prohibet, quo minus principaliter uerſetur circa immobilia & ſeparabilia, ut diximus. Atq; hic quidem uidetur aduerſari nõ magis nobis, quàm eis qui ſentiunt librũ Phyſicorũ eſſe partẽ philoſophię naturalis. in eo enim agitur de ſubſtantia immobili, quomodocunq; agatur. quare ipſi quoq; coguntur huic tex. quarto reſpondere: quia illæ ſubſtantiæ, de quibus agitur in libro Phyſic. non habent in ſe principium motus & quietis. Quòd ſi intelligamus omnes textus Ariſtotelis eo modo quo dictum eſt, tolli uidetur omnis repugnantia atq; dubitatio.

SECTIO DECIMA.

At rurſus inſtabit aliquis dicẽs: Te ipſum compuliſti in neceſsitatem interpretandi hoc modo, quam neceſsitatem non ſuſtinet Auerroes, neq; alij. Ego uere non me impuli in hanc neceſsitatem, ſed impulerunt rationes et uerba Ariſtotelis, quem non reperiebam quomodo aliter defenderem, quin nõ ſolum pugnantia loquutus eſſet, uerùm etiam (quod multo fœdius eſt) negantia affirmaſſet. Tantum autem abeſt ut Auerroes & cæteri, qui in contrariam ſententiam uenerunt, non conſimilem in neceſsitatem inciderint, ut in maiori etiam difficultate uerſentur. quod facile præter ea quę dicta ſunt, ex his quoq; intelligi poteſt. Etenim nónne cogitur Auerroes interpretari uerba Ariſtotelis tot in locis, ubi negauit ſubſtãtias abſtractas pertinere ad philoſophum naturalem, ut dicat Ariſtotelem intelligere quoad quid eſt, non quoad ſi eſt. Si licet ipſi in hunc ſenſum trahere illas auctoritates, cur non liceat alijs, & nobis etiam, interpretari hæc uerba, Quæcunq; mota mouent ſunt phyſicæ conſiderationis, eo modo quo diximus?

Deinde cùm ſubdit Ariſtoteles, Quæ uerò nõ, non amplius phyſicæ: nónne idẽ cogitur dicere hoc eſſe uerum quoad ſi eſt, non quoad quid eſt? quippe cùm ſentiat, librũ Phyſic. eſſe partem philoſophiæ naturalis, qui liber cõtemplatur ea quæ mouent non mota. Item demonſtrationes quę ſunt in prima philoſophia, & in philoſophia naturali, cùm ſint eædem, nónne cogitur ſic interpretari, ut oſtendat quo modo ſint eædem, & quomodo non ſint? Nónne cogitur idẽ, ut ſuam tueatur opinionem, in bonum ſenſum trahere illa quæ dicit Ariſtoteles in prima philoſophia de quatuor cauſis, & de rebus generabilibus & corruptibilibus, de natura, & huiuſ modi? certè cogitur, ut ſuprà uidimus ex ipſius uerbis. Plura igitur illi ſunt interpretanda, quàm nobis: quæ perſpicuè oſtendunt, eius ſententiam omnino uerbis Ariſtotelis repugnare, & rationibus, quas arbitramur ſatis nos in ſuperioribus explicaſſe, ſimulq; refelliſſe eius interpretationes.

Nemini igitur mirum uideri debet, ſi nõ ipſa ratione coacti, interpretati ſumus eo modo, quo dictum eſt, illa uerba Ariſtotelis, quæ uerba ſi diligenter perpenderint ij qui ueritatem ante oculos propoſitam habent, neq; ſint auctoritati alicuius addicti, futurum eſſe confido, ut facile intelligant, non poſſe doctrinam Ariſtotelis incolumem atq; integram ſeruari, quod attinet ad ea quæ diximus: niſi eius uerba in eum ſenſum trahantur, quem demonſtrauimus. Quòd ſi aliter euenerit, non mihi arrogantiæ tribui debet, quod in uerbis Ariſtotelis interpretandis, ubi ratio ita cogere uideretur, à cæterorum ſententia diſceſſerim: ſed amori maximo, quo ueritatem proſequor, pro qua etiam uitam ipſam amittere non dubitarem.

SECTIO VNDECIMA.

Erat alia obiectio, Quòd omnes ij textus quos attulimus, ad probandũ ſubſtantias abſtractas nullo modo attinere ad philoſophiam naturalem, itemq; cauſas uniuerſales, perſpicuè uiderentur euertere: id quod ſcriptum reliquimus in primo Apologiæ, ubi diximus philoſophum naturalem cõtemplari quatuor cauſarum genera, & quoad eſſe, & quoad quid eſt: eodemq; modo ſubſtantias abſtractas, quia erant propriè cauſæ ſubiecti illius: & corpus naturale, quod cõſideratur in lib. Phyſic. eſſe ſubiectum in philoſophia naturali, propterea quod in ipſa inueſtigarentur eius cauſæ.

Item in eodem libro diximus, philoſophum naturalem cogi conſiderare illas cauſas

cauſas uniuerſales, ut ſciat ſua ſubiecta: eundemq́ ſpeculari ſubſtantias abſtractas eſſe, quatenus ſunt cauſæ entis mobilis, ſeu naturalis: hæc uideri repugnare ijs quę ſupra diximus contra Auerroem & alios.

Huic obiectioni reſpondentes dicimus, quòd illa ſubſtantia compoſita, de qua agit in lib. Phyſ. per ſe & ex ſua natura eſt primi philoſophi, ob eas quas attulimus rationes: & per id quod neceſſariò ſequitur, lib. Phyſ. eſt uerè & per ſe pars primæ philoſophiæ. Sed tamen ſermo de illa ſubſtãtia poſitus eſt in philoſophia naturali, ut tribueret unitatem illi ſcientiæ, & daret ſubiectum unum. nam cum ea primo & per ſe cõtemplaretur ſolum corpora quodammodo particularia, ut cœlum & quatuor elementa, & mixta, quæ non haberent aliquid cõmune in quo conuenirent, quod attineret ad philoſophiam naturalem: accepta eſt à primo philoſopho illa ſubſtantia, et nuncupata fuit corpus naturale, propterea quòd de ipſa ageret in lib. Phyſ. ut ſeruiret philoſophiæ naturali tanquã eius ſubiectũ. & ideo nos loquuti ſumus perinde ac ſi attineret ad ipſam. Hoc aũt coactus eſt facere philoſophus naturalis, quia corpora quæ cõtemplatur, neceſſariò ſupponunt ens, & omnem illã ſubſtantiam quam contemplatur primus philoſophus. inferiora enim ſupponunt neceſſariò ſuperiora. & hoc non eſt mirum, ſi conſideremus ea quę dicta ſunt in ſuperioribus, nullam uidelicet eſſe rationẽ qua poſsimus probare res ipſas attinere ad diuerſas ſcientias, ſed ſolum ad unam: & diuiſionẽ ſcientiarum factam fuiſſe tantũ modo ob cõmoditatem, & ut uitaretur confuſio. Itaq; neceſſe fuit, philoſophiã naturalem accipere id quod prius attinebat ad primam philoſophiam, quia aliter res non uidebantur cõtinuæ & unitæ, ſed diſgregatæ & diſiunctæ. Ratio igitur poſtulabat, ut una pars, quæ quodam modo erat finis unius, ut ſuperioris, eſſet principiũ alterius, id eſt inferioris. Negare tamen nõ poſſumus, quin illud principiũ ſit eius facultatis, ad quam primò attinet: & quin illa facultas quæ accipit hoc principiũ, cum ſermonem habet de illo, induat ueſtẽ prioris facultatis, cũ illud per eaſdẽ cauſas & eaſdẽ demonſtrationes contempletur, per quas contẽplabatur prior facultas, neq; illas ad opus referat. Neq; etiam mirum uideri debet, quòd philoſophus naturalis petat à primo philoſopho materiam tam amplam, eiusq́ perſonam tamdiu ſuſtineat, cum hoc idem fecerit Ariſtoteles in libro Rhet. ubi longiſsimum habuit ſermonem de ijs quæ cadunt in cõſultationem de uirtutibus, de iniurijs, & de animi affectionibus: atque adeò longiorem, quàm in philoſophia naturali, ad quam illa primò attinebant, & quàm in Politica: & dixit Rhetoricam induere ueſtem Politices, quia Rhetorica accipiebat hæc ad eum finem, ad quem accipit Politica à philoſopho naturali: ſicut nos dicimus philoſophũ naturalẽ in lib. Phyſ. induere ueſtẽ primi philoſophi. hoc ergo non eſt alienũ ab Ariſtotelis cõſuetudine.

His ita explicatis, reſpondemus ad argumentũ: Vera eſſe quæ diximus in Apologia, uidelicet philoſophiam naturalẽ cõſiderare abſtracta quoad ſi eſt, & quoad quid eſt: ſed non primò, eodemq́ modo cauſas uniuerſales, quæ ſunt etiam cauſæ ſubiecti, eius quod accepit à primo philoſopho. eas uerò diximus eſſe proprias ſubiecti philoſophi naturalis, quia erant propria illius corporis, quod ipſe acceperat à ſuperiori facultate, ut ſuum ſubiectum. quanquam reuera non erat eius ſubiectum, quippe quod acceptũ fuiſſet ab alia facultate. & diximus illud eſſe corpus naturale, quia erat ordinatũ ad cognitionem corporũ naturalium: neceſſariũq; eſſe, ut eſſet ſubiectũ in philoſophia naturali. propter cauſas dictas, utq; eius cauſas quęreret naturalis philoſophus, quoniam accepiſſet ipſum ut ſubiectum. Diximus etiam, philoſophum naturalem cogi conſiderare cauſas uniuerſales, ut ſciat ſuum ſubiectum, id eſt illud quod accepit ut ſubiectum, ipſumque ſpeculari ſubſtantias abſtractas quatenus ſunt cauſæ entis naturalis, at non primò. ut innueremus, omnes cauſas uniuerſales primò propter eſſe primi ſemper philoſophi. atque ita ſemper loquuti ſumus de hoc corpore naturali, ac ſi fuiſſet uerum naturalis philoſophiæ ſubiectum: quod fecimus diſputantes cum ijs, qui opinabantur corpus naturale eſſe uerè & per ſe ſubiectum naturalis philoſophiæ, & à nullo acceptũ: & lib. Phyſ. ſine ulla dubitatione attinere ad ipſam philoſophiam naturalẽ. Etenim nihil id referebat ad rem noſtram: ſed ſatis erat nobis, ſi noſtram ſententiam defendentes, oſtenderemus Auerroem & alios qui ſequebanẽ opiniones dictas, perperã po

ſtea

ſtea dixiſſe, philoſophum naturalem non debere contemplari ſubſtantias abſtractas quoad eſſe, & quoad quid eſt, cum eſſent cauſę ſubiecti, & ita de alijs cauſis: & primum philoſophum non oportere cõtemplari ſubſtantias abſtractas quoad eſſe, & alias etiam cauſas uniuerſales primò. quia eorum opiniones ſequebsntur abſurda dicta. & hoc fuit quod diximus in principio ſectione ſecũda ad hũc modum:

» Sed quoniam nobis in animo eſt, ut in procemio diximus, non modò ea diſſolue» re quæ contra nos allata ſunt, ſed etiam quo facilius noſtra percipi poſſit diſſolutio, aperire multa quibus (ut opinamur) decepti homines, longè ab Ariſtotelis ſententia aberrarunt. Voluimus enim oſtendere, ut diximus, eorũ poſitionem non ſolum ſequi pugnantia, uerùm etiam (quod multo fœdius erat) negantia. & uoluimus docere, oportere primum philoſophum primò & principaliter contemplari motum: & conceſſimus philoſophum naturalem contemplari ſubſtantias abſtractas, quatenus erant cauſæ entis naturalis, ſed non primò quod corpus naturale circumſcribatur per mobilitatem. non tamen euertimus ea quæ contra Auerroẽ & alios diximus: quia diximus philoſophum naturalem non conſiderare ipſas primò, neq; uerè, ſed ex ſuppoſitione, accipiendo eas à primo philoſopho, cuius perſonam in lib. Phyſ. ſuſcipit philoſophus naturalis: quia illa, quæ ibi tractantur, accepta fuerunt ut ſeruirent philoſopho naturali: ſicut definitiones fœlicitatis, & uirtutum, & affectionum animi dicuntur Rhetorica, non quia uerè ſint Rhetorica, ſed quia illic ſunt poſita ut ſeruiant Rhetoricæ: quemadmodum fuſius diximus in decimotertio libro. quam ſententiam non dixit Auerroes, neq; alij, aduerſus quos in ſuperioribus argumentati ſumus. Nihil igitur nobis repugnaſſe reperientur, ſi ea quæ dicta ſunt, diligenter conſiderabuntur.

SECTIO DVODECIMA.

11. Meta. tex. 12. ERat alia quæſtio ex uerbis Ariſtotelis ſumpta, quæ diſſoluitur ex eis, quæ modò diximus: Quòd uidelicet philoſophus primus contemplatur cauſas uniuerſales, quæ ſunt cauſæ entis quatenus entis, & ſubſtantiæ quatenus ſubſtantiæ: philoſophus uerò naturalis accipit ipſas ex ſuppoſitione, quatenus ſunt cauſæ ſui ſubiecti, id eſt ſubiecti quod ipſe accipit à ſuperiori ſcientia. nec propriè ad eum attinet, quod (ut diximus) circumſcribit per motum, non quòd motus ſit ratio formalis illius, ut dicemus, ut ſunt etiam cauſæ eorum corporum quæ per ſe conſiderantur à philoſopho naturali, uidelicet elementòrum & mixtorum, at non propriæ. & hoc uoluit dicere Ariſtoteles loco citato, ut rationes allatæ oſtendunt. ex quo ſequitur, interpretationem Auerrois quam in ſuperioribus expoſui, neq; uerbis Ariſtotelis, neq; etiam ſuæ ipſius ſententiæ conuenire, rectè à nobis eſſe confutatam. & ſic diſſolutæ uidentur quæſtiones ultimo loco propoſitæ.

Sequitur iam, ut ad eas reuertamur quæ principales erant, & quarum gratia digreſsi ſumus. Earum fuit prima, quòd perperam uidebamur poſuiſſe, librum Phyſic. eſſe partem primæ philoſophiæ, cum ipſe Ariſtoteles poſuerit illum partẽ philoſophiæ naturalis per ſe. Conſequentia dicebatur eſſe perſpicua: quia fieri nõ poterat ut unus liber per ſe eſſet pars duarum ſcientiarum.

Antecedens uerò probabatur: quia cum Ariſtoteles poneret in principio illius libri, procemium generale totius philoſophiæ naturalis, concluſit, laborandum eſſe ut inueſtigarentur cauſæ eius ſcientiæ quæ eſſet de natura, deinde tradit rationem & uiam inueſtigandi ipſas cauſas: tum propoſuit ordinem eas tractandi, quòd uidelicet, cum quædam eſſent magis uniuerſales, quædam minus uniuerſales, magis uniuerſales erant prius tractandæ, quia eſſent notiores: ac deinceps procedendum ad minus uniuerſales. quòd non eſſet uerum de ſolo ipſo libro Phyſicorum, nec de ſola prima philoſophia. quoniam cauſæ quæ tractantur in illis libris, non habent inter ſe hanc rationem, & ordinem, ut una ſit altera uniuerſalior, uel minus uniuerſalis, ſed omnes ſunt æque uniuerſales. Ex quo inferebatur neceſſariò Ariſtotelem deſignaſſe ordinem totius naturalis philoſophiæ, cuius cauſæ inter ſe obtinebant hunc ordinem: itaque librum Phyſicorum eſſe partem per ſe naturalis philoſophiæ. alioquin ſequi, ut poſuiſſet Ariſtoteles

in

in illo procœmio ordinem inter ea quæ eſſent diuerſarum ſcientiarum, quare illud
procœmium nõ eſſet proprium philoſophiæ naturalis, ſed utriuſq;, & primæ & na-
turalis philoſophiæ. quod quidem uidebatur ſententiam Ariſtotelis labefactare,
atq; euertere.

Ad hanc quæſtionem reſpondemus, cõcedentes Ariſtotelem poſuiſſe lib Phyſ.
partem philoſophiæ naturalis (quatenus ſcilicet pars cõmuniori uocabulo dicitur
illud etiam quod non eſt uera & per ſe pars, ſed quod ponitur in aliqua facultate ut
ſeruiat illi, ob idq; uocatur pars illius, ut diximus, quod de multis Rheto. partibus)
& uſum fuiſſe procœmio quod cõplectitur librum Phyſic. & uniuerſam naturalem
philoſophiam, & feciſſe omnia quæ dicta ſunt.

Cum uerò inferebatur, librum Phyſ. eſſe partem per ſe philoſophiæ naturalis, ne
gamus conſequentiam.

Ad probationem, quòd ſequeretur, ut poſuiſſet ordinem inter ea quæ eſſet diuer
ſarum ſcientiarum, id planè aſſentimur: dicimusq;, Ariſtotelẽ impulſum fuiſſe ad
hoc faciendum, rationibus dictis, ut ſcilicet daret unitatẽ philoſophiæ naturali: pręſertim cum corpora quæ ipſa contemplabatur, neceſſariò ſupponerent corpus il-
lud generale, & ſubſtantiam illam generalem, de qua uerba faciebat in lib. Phyſ. co
actus eſt igitur finem primæ philoſophiæ, principium naturalis philoſophiæ præ-
ponere. res enim, ſicuti declaratum eſt, ita inter ſe coniunctæ aptatæq; ſunt, ut ratio
ne cogamur dicere omnes ad unam ſcientiam pertinere. facta autem ſcientiarum
diuiſione, ut diximus, ob maiorem commoditatem, neceſſe fuit accipere finem pri
mæ philoſophiæ, & facere principiũ philoſophiæ naturalis propter cauſas dictas:
atq; hoc ipſum principium ita ſtatuere, ac ſi eſſet uera pars philoſophiæ naturalis,
propter cuius uſum inſtitutum fuit. ſed tamen philoſophus naturalis, dum cauſas il
las pertractat, agit primum philoſophum. Quare hanc partem poſuit Ariſtoteles
ſub procœmio philoſophiæ naturalis, & ferè ſemper ita loquutus eſt, ac ſi eſſet uera
pars philoſophiæ naturalis: quia ſcilicet accepta fuerat, ut ſeruiret ipſi philoſophiæ
naturali, quæ cum neceſſariò indigeret illa, commodum ſibi fuit habere ſecum con
iunctas eas res quæ neceſſariò includerentur in corporibus, quæ contemplatur.

Concedimus igitur quod inferebatur, Ariſtotelem in illo procœmio poſuiſſe or-
dinem inter ea quæ ſunt diuerſarum ſcientiarum. At cum addebatur, Ergo non
erit procœmium proprium philoſophiæ naturalis: dicimus eſſe proprium, quia ad-
hibitum eſt propter ipſam. includit tamen nonnulla, quæ ad aliam ſcientiam perti-
nent. ſed quia ſunt neceſſaria philoſophiæ naturali, & ſuppoſita ab illa, tantũ abeſt
ut ſit abſurdum, ut maximè conſentiat rationi ita factum fuiſſe. Abſurdum fortaſſe
fuiſſet, ſi res illæ nullam habuiſſent inter ſe connexionem, ut rès quæ attinẽt ad Ma-
thematicam. Sed cùm res philoſophiæ naturalis includerent, ac neceſſariò ſuppo-
nerent illas, quæ ſunt in lib. Phyſ. patet rectè & artificioſe feciſſe Ariſtotelem: neq;
hoc eſt labefactare eius ſententiam, & euertere, ſed admirabile ipſius ingenium &
artem oſtendere ac patefacere.

Atq; ut præter rationes allatas magis etiam perſpici poſsit, ea quæ diximus neq;
à ueritate, neq; à ſententia Ariſtotelis aliena eſſe, in medium afferemus ex primo
Rheto. libro uerba, ex quibus perſpicuè colligi poterit, Ariſtotelem ſub procœmio 1.Rhet.
Rhet. poſuiſſe ea, quę non ſunt omnino & per ſe Rhetorica. unde liquebit, non ab- cap.2.
horrere à ratione, ut idem procœmium complectatur ea quæ attinent ad diuerſas fa
cultates, cùm ſcilicet una facultas poteſt uſui eſſe alteri. Inquit ergo Ariſtoteles: Ve «
rùm quoniam perſuaſiones tres ſunt, patet hæc tria eſſe accipienda, ut ſcilicet fa- «
cultatem ratiocinandi habeamus, ut mores ac uirtutes conſideremus: & tertium, «
quid unuſquiſq; ſit, & quale quid, & ex quibus naſcitur, & quo modo. Quare effi- «
citur, Rhetoricam eſſe propaginem Dialecticæ, & eius negotij quod eſt circa affe- «
ctus, quod iuſtum eſt appellare Politicum. Quare Rhetorica induit figuram ipſius «
politicæ: & qui ſibi hanc uendicant, partim quidem per ineruditionem, partim per «
ſuperbiam, partim autem propter alias cauſas humanas, ipſam quoq; ciuilem con- «
ſequutas ſe arbitrantur, particula quidem Dialecticæ, ac ſimilis, ut principio dixi- «
mus. neutra enim earum ſciẽtia eſt de re determinata, quo modo ſe habeat, ſed ſunt «
facultates quædam inueniendarum rationum. «

finem, qui eſt ſubſtantia habituũ (ſunt enim propter ipſum ſcire) neceſſe eſt ut philoſophia naturalis dicatur induere perſonam primæ philoſophiæ, quandoquidem accipit ea quæ propriè attinent ad primam philoſophiam, & ad uſum & commoditatem ſuam refert: ſicut accipit Rhetorica mores & uirtutes & affectiones, & multa alia quæ attinẽt ad politicam de moribus, propter eundem finem, propter quem illa conſiderabat politica de moribus, uidelicet propter opus, ut efficiat homines bonos, & fœlices: quamobrem dixit Ariſtoteles, illam induere perſonam politicæ. Sed nihilominus Rhetoricam uocat totum illud aggregatum, uidelicet ex eo quod eſt politica, & ex eo quod eſt uerè Rhetorica. Eodem modo nuncupauit philoſophiam naturalem, totum illud aggregatum ex ea parte quæ attinet ad primam philoſophiam, ut ex ea parte quæ eſt uerè philoſophia naturalis, propterea quod illa quæ attinent ad primam philoſpphiam, ibi ſunt ordinata ad philoſophiam naturalem.

Ex quibus ſequitur, uerum eſſe quod diximus, quòd uidelicet non quicunq; reſpectus facit habitũ diuerſum, ſed habituũ diuerſitas neceſſariò proficiſcitur ex materiæ diuerſitate, uel ex diuerſitate finis, qui eſt uerè ſubſtantia habituum.

Quod uerò attinet ad exemplum de linea allatum, quæ eadem conſideratur & à philoſopho naturali, & à mathematico: negamus eandem omnino lineam conſiderari à mathematico & à philoſopho naturali: quandoquidem mathematicus eam contemplatur omnino ſeparatam & ſeiunctã à materia, & à cõditionibus materiæ. Philoſophus uerò naturalis, cum materia. linea autem cõſiderata cum materia, & ſine materia, non eſt omnino eadem: ſicut duo aurei numi non ſunt unus, licet unus cõtineatur in duobus: ſic nomina etiam conſiderata ſola per ſe, & ſeparata à corpore, non eſt eadem res, quæ eſt anima coniuncta cum corpore, & conſiderata cum corpore, ſed differunt inter ſe ſicut ſimplex & compoſirum. Hoc igitur uoluit ſignificare Ariſtoteles, alioquin mathematica & philoſophia naturalis non eſſent diſtinctæ: haberent enim eandem materiã, & eandem formam, id eſt eundem finem: eſſent ergo eædem. 2. Phyſ. tex. 18. & 20.

Quod autem linea cum materia, & ſine materia, non ſit eadem, uidetur colligi ex his uerbis Ariſtotelis: Quoniam autem aliud eſt magnitudo, & magnitudinis eſſe, & aqua, & aquæ eſſe. 3. de anim. tex. 9.

Quæ ſignificant, aliud eſſe formam per ſe, & formã cum materia: quare aliud erit linea ſine materia, & linea cum materia. quod clarius etiã uiſus eſt explicare primo Cœli & mundi, textu nonageſimoſecundo, ubi ait:

Videbitur utique ſic intendentibus impoſſibile, unum & ſolum eſſe ipſum. in omnibus enim, & his quæ natura, & his quæ ab arte conſtantibus & generatis, alterum eſt ipſa, & ſecundum ſcipſa formam, & quæ eſt mixta cum materia.

Pura ſpheræ, forma aliud eſt, & aurea & ſphera ęnea: & iterum circuli alia forma, & æneus & ligneus circulus. conſiderandum autem alterum quid, & iterũ quid horum dicitur benè, et quid non benè: alteram quidem eſſe rationem eam quę ſine materia, & eam quę in materia formæ. Hoc idem declarat multis alijs in locis, quos longum eſſet recitare. Recte ergo diximus, non eſſe omnino eandem lineam mathematici & philoſophi naturalis.

Ad exemplum elementorum, & quatuor qualitatum, dicimus: fieri poſſe ut una atq; eadem res materialiter, ſub diuerſa tamen ratione & forma, cõſideretur à diuerſis facultatibus: quarum ut altera ſit ſcientia, altera ſit ars, non tamen à diuerſis ſcientijs. etenim elementa ſub ea ratione & forma, ut ſciantur, dicuntur attinere ad philoſophiam naturalem: ſed quatenus ordinantur ad opus, attinent ad Medicinam. ordinatio enim ad opus habet hanc uim, ut ex ſcientia faciat artem, ſicut tradit Ariſtoteles his uerbis:

Nam faber quidem, & geometra, differenter rectum inquirunt, alter quantum ad opus utile eſt, alter quid ſit, & quale: contemplator enim ueritatis. 1. Ethic. cap. 10.

Item cùm inquit: Rectè autem ſe habet & illud, ſcientiam inquam philoſophiæ ueritatis appellari contemplationem. nam finis quidem contemplatiuæ ueritas eſt, actiuę autem opus. etenim ſi quomodo res ſeſe habet, actores ipſi conſiderant, non 2. Meta. tex. 5.

tamen eius cauſam per ſe, nec ut perpetuò talis eſt, ſed ut ad aliquod, atq; ut nunc contemplantur.

3.de ani. Ex his enim perſpicuè colligitur, ordinem ad opus efficere facultates ex ſpeculatiuis operatiuas, propter diuerſitatem finis, qui eſt ſubſtantia ipſorum habituum. in quit Ariſtoteles: Intellectus ſpeculatiuus differt à practico fine.

Elementa ergo, & quatuor qualitates, & quatuor humores, conſiderantur à philoſopho naturali ſciendi cauſa, à medico gratia operari: ob idq; philoſophia, naturalis dicitur ſcientia, medicina uerò ars. neque hoc eſt abſurdum: quia eadem materia, cùm perdit unam formam, poteſt ſuſcipere aliam differentem ſpecie: ſicut forma artis differt ſpecie à forma ſcientiæ, & forma cadaueris à forma hominis. quod autem dictum eſt de Medicina, idem intelligitur de omnibus facultatibus ſubalternatis: nulla enim ipſarum poteſt eſſe ſcientia, ſed fiunt ſubalternatæ per hunc ſolum

4.Apol. ordinem ad opus, ſicut alibi declarauimus.

4.lib.de Honore. Quare cùm materia ſub formis ſpecie differentibus non ſit omnino eadem res, etiam materialis, & hinc efficitur ut uerè dici poſſit, quod res una quæ omni ex parte ſit eadem, non poteſt eſſe ne dum in diuerſis ſcienniis, ſed neq; etiam (quod multo maius eſt) in diuerſis facultatibus, licet eadem res materialiter aliquo modo poſſit eſſe in diuerſis facultatibus, uti diximus.

Sed aliter accidit in eo de quo nunc agimus, quoniam in libris Phyſ. eſt eadem res omnino, quæ erat in prima philoſophia, & ſecundum materiam, & (ut perſpicuum eſt) ſecundum formam: quia utrobiq; conſiderantur ſciendi cauſa, ob idq; dicimus, philoſophum naturalem in eo lib. induere perſonam primi philoſophi. ſolus igitur ille reſpectus ex fine, qui eſt forma ſubſtantialis, uel ex materia, facit diuerſitatem habituum. Cæteri uidentur ſolum indicare, ſi de eiſdem rebus in pluribus facultatibus agatur, hoc non ſuperuacaneè fieri: ſed tamen non efficere facultates diuerſas ſpecie. Concludere igitur (ni fallor) poſſumus, ſatis eſſe, ſubſtantiam quæ eſt in libris Phyſic. eſſe poſitam ibi, ut daret unitatem philoſophiæ naturali, ut iſte reſpectus faciat ipſam attinere propriè ad philoſophiam naturalem: quia ſemper ſequitur rationes dictas, ut philoſophus naturalis in illis libris induat perſonam primi philoſophi. Quare nihil abſurdi uidetur ſequi, ex eo quod ponimus, octo lib. Phyſ. eſſe partem primæ philoſophiæ, quamuis Ariſtoteles ipſos collocauerit in philoſophia naturali: & concedimus Ariſtotelem nominare philoſophiam naturalem, ſcientiã ex illis & reliquis libris ipſius philoſophiç naturalis aggregatam: ſicut nominauit Rhetoricã facultatẽ, ex politica & ex reſolutiua ſcientia compoſita. Cõcedimusq;, in ſolis Phyſ. libris non eſſe illum ordinẽ cauſarum magis uniuerſaliũ, & minus uniuerſaliũ: quoniã omnes cauſç de quibus in illis libris agitur, ſunt æquè uniuerſales: ſed eiuſmodi ordinem conuenire lib. Phyſicorũ coniunctis cum reliquis libris philoſophiæ naturalis. & ſic loquutum eſſe Ariſtotelem de hoc ipſo ordine in primo Phyſicorum. ſed hoc ut oſtendimus, nihil facit contra nos.

FINIS LIBRI DECIMINONI,
Euerſionis Singularis certaminis.

LIBER

LIBER VIGESIMVS.

SECTIO PRIMA.

VERVM diceret aliquis: Quod dixiſti non poſſe unam rem, quæ ex omni parte ſit eadem, conſiderari in diuerſis ſcientijs, hoc uidetur euertere ſententiam Ariſtotelis, ubi ait: Præterea cùm eorum quæ unam habent ideam, una ſit ſcientia, & bonorum omnium una ſciẽtia foret: nũc autem ſunt plures, etiam eorum quæ ſub uno prædicamento ſunt, cui temporis quidem in bello res militaris, in morbis medicina, in laboribus gymnaſtica: & mediocris quidem, in alimento medicina, in laboribus autem ars corporis exercendi. Nam cùm dicat temporis plures eſſe ſcientias, apertè ſignificat, eandem rem poſſe tractari diuerſis ſcientijs. 1. Ethi. cap. 7.

Reſpondeo: illud idem quod dixi de motu, quem oſtendi attinere ad primũ philoſophũ, quia eſſet ex accidẽtibus entis, quatenus entis, ſi non erat prædicamentũ, ob idq; dixi eo uti omnes ſcientias. Quemadmodũ ergo motus attinet ad primum philoſophum ſimpliciter, & abſolutè, ad philoſophum aũt naturalem quatenus applicat ſibi ipſum, ſicut particulares ſcientiæ applicant ſibi uniuerſalia, ut dictum eſt in ſuperioribus. ad alios uerò artifices, quatenus utuntur illo in ordine ad opus: ita dicendum eſt, de tempore, quippe quod eſt mẽſura motus, eſt enim uniuerſalis cauſa omnium quæ generantur & corrumpuntur. Pertinebit ergo ad primum philoſophum ſimpliciter & abſolutè: ad philoſophum uerò naturalem, ut applicat ſibi ipſum: ad alias autem facultates, ut ad artem militarem, & ad medicinam & ad gymnaſticam, quatenus refertur ad opus. Neq; uerò quòd ſcientia inferior poſſit accipere ea quæ ſunt ſuperioris, & ſibi aliquo modo applicare, hoc eſt contra id quod ſuprà diximus: quia declarauimus hoc eſſe induere perſonam ſuperioris facultatis. neq; ſolum id facere facultatem inferiorem, ſed omnino ſeiunctam, accipiendo aliquid ab alia ad uſum & commoditatem ſuam, non mutata ratione formali, ut Rhetorica accipit à Politica. atq; hoc modo conceſsimus unam rem poſſe eſſe in diuerſis facultatibus, quæ uerè ſint ſcientiæ. Conceſſimus etiam, unam rem aliquo modo materialiter, at non omni ex parte: ut eadem poſſe eſſe in duobus facultatibus, quarum altera ſit ſcientia, altera facultas operatiua, quia ſcilicet mutatur forma. quare non eſt mirum, ſi tempus quod attinet ad primum philoſophum ſimpliciter, & abſolute, & deinde attineat ad artem militarem, & ad medicinam, & ad gymnaſticam, quæ ordinant ipſum ad opus. 8. Phyſ. tex. 22.

Sed urgeret quiſpiam: Tu dixiſti in ſuperioribus, fieri non poſſe, ut una & eadem res ſit in duabus ſcientijs: quia ſcientiæ non differunt inter ſe forma, ſed materia tantum: quòd ſi materia etiam eſſet eadem, eædem eſſent omnino, & non diuerſæ: quæ enim eandem obtinent materiam & formam, quia ſint eadem in dubium uenire nõ poteſt. ſequitur ergo ex eadẽ ratione, ut in diuerſis artibus non poſsit eſſe eadẽ res: quippe cùm artes inter ſe differant materia, & nõ forma: quia idẽ eſt earum finis, uidelicet factio. Quare non uidetur tempus poſſe conſiderari in diuerſis artibus: ſiquidem in hoc non poteſt dici, quod una induat ueſtem alterius.

Dicerem, fieri poſſe ut diuerſę artes accipiant à ſcientijs aliqua uniuerſalia, & ſibi illa applicẽt: exempli cauſa, unaquæq; ars ſibi poteſt applicare hoc principium, De quolibet dicitur affirmatio uel negatio, quod attinet ad primum philoſophum, quia eſt principium uniuerſale: & cùm artes ſibi applicent ſcientię principium, dicuntur quod ad hoc ipſum attinet ſubalternari ei ſciẽtiæ cuius eſt illud principium, non induere ueſtẽ, quia ſcilicet mutãt eius formã, referendo illud ad opus. Hoc modo fieri poteſt, ut una res ſit in diuerſis facultatib. ſicut diximus in ſuperioribus: ſed una eademq; res non poteſt eſſe in diuerſis ſcientijs uel actibus, eo quidem modo, conſiderari, niſi cùm una induit perſonam alterius.

Cum uerò dicebatur, Ergo idem erit de artibus ſicut de ſcientijs, quod uidelicet non erunt inter ſe differẽtes, quia non differunt forma: Reſpondeo, quòd licet artes conſiderent eandẽ rem communẽ, habent tamen res proprias, ratione quarum à ſe

inuicem diſſidẽt. Et hoc ſatis eſt. quanquam etiam illa communia, quæ conſiderantur à pluribus artibus, non uidentur eſſe omnino eadẽ: ut hoc principium, Si ab æqualibus ęqualia demas, quę remanent erunt ęqualia. Si applicetur muſicę, et dicatur, Si ab æqualibus numeris ſonoris æquales numeros ſonoros dẽpſeris, qui remanent erunt æquales: uidetur differre à ſeipſo, aliquo modo, nec eſſe omnino eadem res cùm applicatur proſpectiuæ, & dicit, Si ab æqualibus lineis uiſualibus æquales lineas dempſeris, quæ remanent erunt æquales. Atq; ut etiã eadẽ eſſent huiuſmodi communia, nihil referret: poſſunt enim omnes facultates communicare inter ſe in
1. Poſte. communibus, ut dixit Ariſtoteles: Communicant autem omnes ſcientię ad inuicẽ,
cap. 10. ſecundum communia. communia autem dico, quibus utuntur tanquam ex ijs de-
» monſtrantes, ſed non de quibus demonſtrant, neq; quas demonſtrant, & cætera.

Si ergo artes communicarent in ipſis communibus, nihil contra nos, propterea quòd ipſæ non diſtinguuntur ratione illorum communium, ſed ratione propriorũ, quę ſunt (ut innuit Ariſtoteles loco citato) Propria ſubiecta, & proprij affectus. hęc tamen communia non eodem modo ſe habent in habitibus ſpeculatiuis, qui particulares ſunt, ut in Arithmetica & Geometria, & in habitibus operatiuis: quia cùm ſunt in habitibus ſpeculatiuis, habitus illi ſpeculatiui dicuntur induere ueſtem ſcientiæ communis. non mutatur enim ratio formalis. Cùm uerò ſunt in operatiuis, differunt ſpecie à ſeipſis, cùm erant in propria ſcientia. nam ſicut homo mortuus differt ſpecie ab homine uiuo, quia amiſit formam ſubſtantialem, quæ erat eius finis: & acquiſiuit aliam formam ſubſtantialem, nempe cadaueris: ita non minus res ordinata ad opus differt ſpecie à ſe ipſa propter ſcire, quemadmodum fuſius declaraiumus in ſuperioribus, dũ uerba faceremus de definitionibus, ut definitiones ſunt, & cùm ſunt propoſitiones. Dicimus ergo, quòd in diuerſis ſcientijs, non poſſunt eſſe eædem res, niſi una induat ueſtem alterius: in ſcientia uerò aliqua, & arte, poſſunt eſſe eædem res ſine hoc, ut ars induat perſonam ſcientiæ, à qua petit illa cõmunia, quia mutant rationem formalem. Videtur tamen fieri poſſe, ut quemadmodum una ſcientia dicitur induere perſonam alterius ſcientiæ, à qua petit aliquid: ſic ars aliqua induat perſonã alterius artis, ad quam pertineat aliquid quod ipſa conſideret, nõ mutando rationem formalem, eo ipſo modo quo dictum eſt de ſcientijs.

Sed adhuc inſtaret aliquis, quærens, Si tempus pertinet ad diuerſas ſcientias & facultates, cur etiam bona ſi dicerentur ſecundum unam ideam, non poſſent pertinere ad diuerſas ſcientias: non eñ uidetur ratio diuerſitatis, præſertim cùm una atque eadem res poſſit conſiderari ſimpliciter, & in ordine ad opus, atque etiam applicari diuerſis artibus.

Ad hanc quęſtionem quæ quidem non parum uidetur urgere, ita reſponderem: Si bona omnia dicerentur ſecundum unam ideam, (quod quidẽ, ut opinor, non eſt aliud quàm habere unã naturam communẽ ſubſtantialem, id eſt dici uniuocè) poſſent abſolutè & ſimpliciter cõſiderari, & in ordine ad opus: ut homo & bos, quæ habent unam naturam ſubſtantialem, poſſunt conſiderari ſimpliciter & abſolutè à philoſopho naturali: à medico uerò in ordine ad opus. hoc enim, ut arbitror, nõ poteſt negari, ſed non poſſent tamen conſiderari à diuerſis ſcientijs, quæ uerè eſſent ſcientiæ: neq; à diuerſis artibus, quæ uerè eſſent artes, quippe cùm dicerentur ſolũ ſecundum unam naturam. Quare cùm uidemus eandem rem eſſe in diuerſis ſcientijs uel artibus, quæ propriè ſint ſcientiæ & artes: pro certo habere debemus, illam rẽ non dici ſecundum unam rationem ſubſtantialem, ſed dici diuerſis rationibus. aliter eñ non poſſet eſſe in diuerſis ſcientijs uel artibus. Tempus ergo, & communia quæ applicantur pluribus diuerſis genere, non poſſunt dici ſecũdum unam naturam communem ſubſtantialem. Quare Ariſtoteles, cùm dixit bona attinere ad diuerſas ſcientias, loquutus eſt de facultatibus quæ tantum differunt materia, ut ſunt ſcientiæ, ut artes, ut habitus actiui: abutitur enim nomine ſcientiæ, ut patet. & hoc uidetur colligi ex eo, quia oſtendens tempus eſſe in diuerſis ſcientijs, affert exemplum, non in ſcientijs, & operatiuis facultatibus, ſed in operatiuis tantum.

Si ergo res uniuerſales dicuntur applicari omnibus facultatibus, ut diuerſis artibus, & diuerſis ſcientijs: hoc uidetur euenire propterea, quia non dicuntur unica

ratione

ratione ſubſtantiali, & ſunt in aliqua ſpecie æquiuocationis. quod niſi ita eſſet, non poſſent ita latè patêre, & ad plures facultates attinere. hoc eſt quod nihil mihi in præſentia ſuccurrit ut dicerem. Etenim non uideo, quomodo ratio Ariſtotelis habeat uim aliunde, quàm ex ratione uniuocationis: niſi dicatur eſſe ad hominem illo modo dicentem. aliorum tamen ſit iudicium.

SECTIO SECVNDA.

AD aliam quæſtionem, quæ erat, Si res quæ ſunt in libro Phyſic. attinerent ad primam philoſophiam, ſequi, ut perperam Ariſtoteles inſcripſiſſet primā philoſophiam poſt Phyſicam: tum quia ipſa philoſophia diceretū Phyſica, quod eſt falſum: tum quia ſenſus eſſet, primam philoſophiam eſſe poſt primam philoſophiam, quod aſſerere eſt omnium abſurdiſſimum.

Reſpondemus, negando conſequentiam. Ad priorem probationem concedimus, ipſam quoque primam philoſophiam poſſe dici Phyſicam, tum quia eſt de rebus quæ natura conſtant, quarum ratione differt ab eis quæ arte conſtant: tum quia eſt etiā de ipſa natura, qua de re infrà pluribus agemus: & dicimus Ariſtotelē quoq; eam alicubi nuncupaſſe Phyſicam, ut oſtendemus.

Ad alteram probationē reſpondemus; Ariſtotelem poſtquam ſegregaſſet à prima philoſophia, lib. Phyſ. ob naturalis philoſophiæ commoditatem, in illisq; maiorem partem rerum, de quibus agere oportebar in prima philoſophia, uberrimè tractaſſet: ne bis eaſdem res repeteret, uocauit primā philoſophiam poſt phyſicam, ut ſignificaret eam eſſe addiſcendam poſt octo lib. Phyſic. non poſt philoſophiam naturalem: quandoquidem ipſa prima philoſophia non indigeat philoſophia naturali, (loquor de illa quæ eſt naturalis) propterea quòd res ſuperiores non indigent ad cognitionem ipſarum, quatenus ſunt ſuperiores inferioribus: ut animal non indiget homine ad ipſius cognitionem, ut eſt animal, ſed contrà homo indiget animali, alioquin perfectè cognoſci non poſſet. Vocare igitur primam philoſophiam poſt phyſicam, non eſt dicere, primam philoſophiam eſſe ſimpliciter primam philoſophiam: ſed quod illa pars quę relicta fuit ipſi, primæ philoſophię, debet addiſci poſt illam partem quæ continetur in libro Phyſie. idq; non ſecundum ordinem naturæ, ſed propter noſtram commoditatem, ac ne bis eadem res in diuerſis locis fruſtrà tractaretur.

Sed quærat aliquis, Qua in parte primæ philoſophię collocata fuiſſent ea, de quibus agitur in lib. Phyſ. ſi hanc partem Ariſtoteles non propoſuiſſet naturali philoſophiæ? Exiſtimarem (idq; fortaſſe non ſine optima ratione) colloeaturum fuiſſe Ariſtotelem illam partem in duodecimo primæ philoſophiæ libro: quandoquidem eo in loco eadem quærit, quæ in lib. Phyſ. ſed non ita copioſe.

Quæret præterea aliquis, Quare repetiuerit Ariſtoteles eaſdem res in prima philoſophia, cùm ſatis uideretur eas tractaſſe in lib. Phyſic. Reſpondeo, Ariſtotelem idcirco reperiſſe eas res in prima philoſophia, ut indicaret illas attinere per ſe ad primam philoſophiam: & ut ipſas applicaret enti quatenus enti, & ſubſtātiæ quatenus ſubſtantiæ, quorum cognitio ſine illis tradi non poterat. tunc enim ſcimus, cùm cauſas cognitas habemus. Non tractauit tamen ita fuſè & copioſè, ut in philoſophia naturali, ne nimius eſſe, cùm ſatis haberet per illam repetitionem indicare id quod diximus.

Verùm adhuc inſtaret quiſpiam, dicens: Illud uideri maximè abſurdū, quod Ariſtoteles tractauerit aliqua uberius ac fuſius in aliena facultate, quàm in ſua: idq; ob ſolam commoditatem. At hoc fit interdum ab Ariſtotele propter aliquam oblatam occaſionem: neq; ſanè abhorret à ratione, ut à nobis oſtenſum eſt in quarto lib. Apologiæ ubi diximus:

In facultatibus ſubalternatis ſæpenumero ob aliquam oblatam occaſionem plu- 4. Apol. ſec. 4.
ribus agi de eis quæ ad ſubalternantes pertinent, quàm in ipſis ſubalternantibus: ut
de affectibus animi conſtat, quorum cognitio quum pertineat ad naturalem philo- “
ſophiam, tamen in Ethica facultate, quæ quantum ad hos ipſos affectus attinet, eſt “
ſub philoſophia naturali, (ordinat enim ad opus, quę ipſa philoſophia naturalis ſim “
pliciter contemplatur) & in Rhetorica, copioſius diſputatur de eorū natura & pro “
prietatibus, quàm in ipſa philoſophia naturali. “

2. Poſt. 1. Apolog.

Idem fecit Ariſtoteles in tradendis definitionum conditionibus. nam cũ hæ pertineant (ut nos quinto Apolog. lib. oſtendiſſe arbitramur) ad ſecundum lib. Poſter. cùm pauca in eo libro de ipſis definitionibus præcipit, tũ eas tradit illarũ proprietates quæ non ueræ: in libro uerò Topic. ubi agit de locis probabilibus, quatenus ſunt probabiles ad concludendum problema definitionis, fuſius loquitur de definitionibus, & ipſarum proprietatibus, ac uerius: ibi enim inter cæteras proprietates tradit illas, quæ ſunt ueriſſimæ. Tales enim ſunt, ut ex ipſis concludere poſſimus aliquam orationem eſſe ueram definitionem. inquit autem: Nam quia definitio redditur cauſa cognoſcendi, quod dicitur, cognoſcimus autem non ex quibuslibet, ſed ex prioribus & euidentioribus, quemadmodum in demonſtrationibus. ſi enim omnis doctrina & omnis diſciplina habet fieri, ſupple ſic, ſequitur quòd definitio ſit ex prioribus & euidentioribus.

6. Top. cap 4.

» Deinde ita concludit: Manifeſtum, quoniam qui non per huiuſmodi determinauit, non definiuit. Quæ ratio ita demonſtrat definitionem ex prioribus & notioribus, ſicut demonſtrationem. idemq́ dicendum eſt de multis alijs definitionum proprietatibus, quas ibi tradidit, de quibus nos alibi diximus.

In inſtit. ſec. Logic.

In ſecundo autem Poſt. dixit oportere quamlibet partem definitionis latius patẽre, totum uerò conuerti: quæ conditio non conuenit ueræ definitioni, quippe quæ conſtare debet ex uero genere, & ex proxima differentia: quia res non habent niſi materiam proximam, quæ locum obtinet primæ materiæ & ſecundarũ materiarũ, & formam proximam: materia autem indicatur per genus, & forma per differentiã propriam, ut nos in Inſtitutione noſtra in ſecundum Poſt. lib. oſtendiſſe putamus. Non poſſunt ergo eius definitiones, quæ uera eſt definitio, ſingulæ partes latius patẽre, quàm id quod definitur: quoniam in illa nunquam reperiretur uera differentia proxima, quæ uiciſſim cõmoueat cũ eo quod definitur: quod quidem omnium eſt abſurdiſſimum. nunquã enim ſciremus uerè ſubſtantiam alicuius rei. Illę ergo definitiones quarũ quælibet pars latius patet, quàm id quod definitur, non poſſunt eſſe ueræ definitiones: quia non traduntur per differentias ueras, quæ ſunt proximę differentiæ. Hoc tamen feciſſe Ariſtotelẽ arbitramur: quia cùm eſſet dubiũ, an de ipſa definitione, ut eſt definitio, agi deberet in ſecundo Poſt. ſatis futurũ exiſtimauit, ſi demonſtraret hoc, cuius rei cauſa longam diſputationem inſtituit, utrũ ipſum quod quid eſt, poſſet ſciri per aliud inſtrumentum, quàm per definitionẽ. & concluſit, nõ poſſe ſciri niſi per ipſam definitionem. Tradidit igitur in eo ipſo libro de definitionibus, ea quæ ex ipſa loquendi conſuetudine erãt notiora, ut poſtea in lib. Topic. fuſius ageret de ipſis definitionibus. quandoquidẽ nihil repugnat neceſſariò quin idem ſit probabile: & quin neceſſarium, quod aliquando eſt probabile, accipiatur ut neceſſarium. Vt igitur coniungeret Ariſtoteles has utilitates, quas poterat coniungere, ac ne toties idem diceret, reſeruauit has conditiones ad eum lib. putans nihil ex ea re cõmodi futurum: cùm facile eſſet uidere, qui ex illis locis non ſolum probabiles eſſent, uerùm etiam neceſſarij, & qui non eſſent. Quod idem feciſſe eum in problemate accidentis, generis & proprij, ob eaſdem cauſas arbitramur. nam cùm multi ex locis illis neceſſarijs eſſent etiã probabiles, cogebatur Ariſtoteles in eo lib. in quo propoſitum erat ſibi enumerare omnes locos probabiles, quoad fieri poſſet, illorum item neceſſariorũ meminiſſe, quod ſibi uiſum eſt ſuperuacaneum. Atq; hæc hoc loco declaranda exiſtimauimus, quòd nos aliquando facturos eſſe, in Inſtitutione noſtra in ſecundum Poſt. libro polliciti eramus.

2. Inſtit logic. in lib. Poſt.

In inſt. logic. ſec. 2. In 2. Poſt. lib. 12. Meta. tex. 30. & 54.

Neq; uerò ſolum fuſius agere ſolet Ariſtoteles alieno quàm ſuo loco, de aliqua re, ob aliquam oblatam cõmoditatem: ſed interdum etiam in ijs quæ tractari deberent in ſuperioribus ſcientijs, reijcit ſe ad inferiores. Quemadmodum fecit, cùm loqueretur de numero orbium cœleſtium: reiecit enim ſe ad Aſtrologos. item cũ ars & ſcientia attinerent ad primam philoſophiam, quippe quæ eſſent affectiones entis, quatenus entis: tamen cùm de earum differentia incidiſſet mentio in ipſa prima philoſophia, reiecit ſe ad lib. Ethic. de ijs agit.

1. Meta. tex. 6. 4. Meta. tex. 25.

Item cùm dicit: Hoc inquam principiorum omnium firmiſſimum eſt, fieri inquam non poſſe, ut idem ſimul inſit, & non inſit eidem, atq; per idem: addantur

autem

autem & cætera cuncta, quæ ad diſſerēdi difficultates demouendas olim determi-
nauimus. Oſtendit ſe pluribus egiſſe de hoc principio in lib. Elenchorum, quàm
in prima philoſoohia, cuius erat principiū proprium, & ad ipſam primò attinebat.
Quare ſi diximus, Ariſtotalē in lib. Phyſ. idem feciſſe, quod multis alijs in locis eum
feciſſe uidemus, nihil nos abſurdi dixiſſe uideri debemus.

Sed præterea quæret aliquis, Quare Ariſtoteles non collocauerit uniuerſam pri
mam philoſophiā in li. Phyſ. & ſic ante philoſophiā naturalem: quippe cùm agat de
omnibus rebus uniuerſalibus, quæ neceſſariò præcedūt omnes res particulares: de
quibus rebus uniuerſalibus agitur etiam in lib. Phyſic. & præcedunt ipſam philoſo
phiam naturalem.

Dicerem: Cùm Ariſtoteles neceſſariò propoſuiſſet philoſophiæ naturali, ea de
quibus agitur in lib. Phyſ. ut daret unitatē illi ſcientiæ, neceſſe non fuiſſe, ut accipe-
ret ens, et entis accidentia, quatenus ens eſt: quia ens nimiū diſtaret ab eis ſubiectis,
quę per ſe contēplabatˀ philoſophia naturalis. Sed ſatis fuit ei accipere eam ſubſtan
tiam, quę daret unitatē philoſophiæ naturali, cuius ſubſtantiæ ſpecies erāt corpora
cœleſtia, quatuor elementa, & iuxta. Cùm igiˀ talem ſubſtantiā neceſſariò accepiſ-
ſet, poſtꝗ̃ uoluit ſeiungere res dictas, & facere plures ſcientias, ob cauſas in ſuperio
ribus à nobis expoſitas: & cùm alijs rebus nō indigeret, ne cōfunderet omnia, & ut
oſtēderet ſe diuiſiſſe ſcientias, reliquit primæ philoſophię reliqua quę tractantur in
Metaphyſicis, & non in li. Phyſ. Sed quoniā ad explicanda ea quæ relicta eſſent pri
mæ philoſophiæ, opus erant illa etiā de quib. egerat in lib. Phyſ. quia illæ cauſæ erāt
cauſæ etiā entis, quatenus entis: ne idē repeteret, uoluit primā philoſophiam collo-
cari poſt Phyſicā. quod apertè innuit ſcribens illam Meta. id eſt poſt Phyſicam, cùm
tamen ordine naturæ, & quod nos etiā deberet pręcedere. ſunt enim uniuerſaliora,
& notiora naturæ & nobis, ea quæ tractat: ſicut in Apologia declarauimus.

Præpoſuit ergo primam philoſophiam naturali, quia collocauit ipſam poſt octo 2. Apol.
lib. Phyſ. licet nos in Cōmentario dixerimus, poſt philoſophiā naturalem: loqueba In comen.
mur eñ de Phyſica, perinde ac ſi eſſet philoſophia naturalis: ſed uoluimus ſignifica
re, quod nunc diximus, ut locū illum accuratè loquentibus perſpicuū eſſe poteſt. ibi
eñ, & in Apologia dedimus aliquā ſignificationem huius noſtræ opinionis uideli-
cet quòd liber Phyſ. non eſſet pars per ſe philoſophiæ naturalis: quā tamen opinio
nem tunc non explicauimus, quia indigebat longa diſputatione, & parum faciebat
ad ea diſſoluenda quę cōtra illud afferebantur: quòd ſcripſeramus doctrinā lib. præ
dicamentorum non attinere ad Logicam. licet ergo ea, quæ tractantur in prima
philoſophia, neceſſariò ſupponātur in li. Phyſ. & ita præcedere deberent: tamē poſt
hos ipſos libros collocata fuerunt ob cauſam dictā, ne bis idem repeteretˀ. Quæ cau
ſa ſatis idonea eſt, ad peruertendum ordinē doctrinæ: qui ſi uerus eſt, naturæ eſt or-
do. Hoc idem fecit Ariſtoteles in lib. Poſt. ubi propter eam cauſam quam in Apolo
gia diximus prius egit de demonſtratione, quàm de definitione: quæ tamen in du-
bium uenire non poteſt, quin ſit natura prior demonſtratione: tum quia ſupponitˀ 7. Meta.
ab ipſa demonſtratione, quippe quæ fit ex definitione tanquā ex materia: tum quia tex. 2.
definitio explicat ſubſtantiam, quæ eſt prior & cognatione & tempore, & ratione,
accidentibus, quæ per demonſtrationem rebus ineſſe oſtenduntur. Non ergo eſt
pręter conſuetudinē Ariſtotelis, ut aliquando peruertat ordinem naturæ, qui eſt ue
rus ordo doctrinæ. ſiquidem ea, quæ ſunt poſteriora, nō poſſunt perfectè intelligi
ſine ijs, quæ natura ſunt priora. Vult autem, ut expectetur huiuſmodi cognitio ad
perfectam eorum intelligentiā, quæ ſunt poſteriora natura.

Reddita iam mihi uidetur eſſe cauſa, quam quęrebat quæſtio propoſita: remanet
ergo diſſoluta.

Sed ad maiorem declarationē quæreret etiam aliquis, Quoniam concluſum eſt,
lib. Phyſ. præponi debere: ubi nam collocandus ſit liber prædicamentorū? Reſpon
deo, quòd debet præcedere libros Phyſ. quia ut in Commētario diximus, ſi de ipſis
prædicamentis Ariſtoteles egiſſet in prima philoſophia, egiſſet in ſeptimo libro: in
duodecimo aūt agit de eis quæ tractantur in lib. Phyſ. Iam igitur profligata penitus
mihi uiderˀ eſſe ſecunda quęſtio principalis: tēpus modo eſt, ut ad alias accedamus.

SECTIO TERTIA.

ERat tertia principalis quæſtio, quæ ſic ordinabatur ab Ariſtotele: Quum uellet
ſeiungere philoſophiam naturalem à prima philoſophia; perperam uocaſſet
philoſophiam naturalem Phyſicam, ergo falſum eſt quod phyſica non ſit pars illi-
us. Conſequentia patet. Antecedens probatur: quia nominaſſet philoſophi-
am naturalem nomine alterius ſcientiæ. quod quidem à ratione abhorrere, per-
ſpicuum eſt.

Reſpondeo: Vtranq; & philoſophiam naturalem & primam philoſophiam eſſe
phyſicas: quia in omnibus rebus compoſitis, quas ambæ ſpeculantur, eſt principi-
um motus & quietis, ineſtq; materia & forma, quæ ſunt naturæ. & dicuntur etiam
res illæ naturales, ad differentiam earum quæ non conſtant natura, ſed arte.

Item, in ambabus eſt definitio naturæ, ergo poſſunt dici phyſicæ.

Item, Ariſtoteles aliquando tribuit hoc nomen primæ philoſophiæ, ut in primo
1. Poſt. cap. ult. Poſt. ubi ait: Reliqua autem quomodo oportet diſtribuere in rationē & intellectū,
& ſcientiam & artē, & prudentiam & ſapientiam, partim quidē phyſicæ, partim au-
» tem ethicæ magis conſiderationis ſunt.

Etenim conſtat, ſcientiam, intellectum & ſapientiam non eſſe philoſophiæ natu
ralis, ſed primæ philoſophiæ: quia ſunt affectiones entis, quatenus entis. quas quidē
attinere ad primum philoſophum, declarauit Ariſtoteles loco ſuperius etiam ad a-
4. Met. tex. 20. liud probandum citato. Perſpicuum enim eſt, inquit, ad unam ſcientiam pertine
re conſiderare ens, quatenus ens, & accidentia quæ inſunt ipſi quatenus ens: & non
» ſolum ſubſtantiarum, ſed etiam eorum quæ inſunt, eadē eſt contemplatiua, et eorū
» quæ dicta, & de priori & poſteriori, & genere & ſpecie, & toto & parte, & aliorum
» talium.

Quum igitur hæc quæ dicta ſunt, perſpicuè ſint accidentia entis, quatenus entis
(ſunt em̄ in omni ente) negare nō poſſumus, illa pertinere ad primā philoſophiam:
& per id quod neceſſariò ſequitur, nō poſſe pertinere ad philoſophiam naturalem.
2. Met. tex. 21. Nuncupat igitur Ariſtoteles primam philoſophiam phyſicam, ut facit etiam ſecun
do primæ philoſophiæ lib. tex. uigeſimoprimo.

Iam uerò reſpondentes ad formam argumenti, negamus antecedens. Ad pro-
bationem dicimus, falſum eſſe quòd Ariſtoteles nominauerit philoſophiam natura
lem nomine alterius facultatis: quia & ipſi conuenit hoc nomen, quippe quæ conſi
derat etiam materiam & formā particularem, quæ ſunt naturæ. ſed nominauit eam
nomine communi. quippe quod conuenit etiam primæ philoſophiæ, & quidē pri-
mo: naturali autem philoſophiæ non primò ſed per ſe tamen. neq; hoc à ratione ab
horret, imò factum eſt optima ratione, & ex conſuetudine Ariſtotelis. nam quoniā
in libro Phyſic. declarata erat fuſius & uberius natura, quàm in prima philoſophia,
atq; idipſum in ordine ad corpora naturalia: ob eas quas attulimus cauſas inſcripſit
Ariſtoteles eos libros Phyſica, & partem illam philoſophię nuncupauit naturalem.
Quod uidetur etiam feciſſe, quia prima philoſophia nominari poterat nobiliori no
mine, uidelicet De abſtractis. Itaq; non curauit ei tribuere aliud nomen. naturalē ue
rò philoſophiā, quia nullum haberet particulare nomen, quo dignius appellaretur,
uocauit nomine generali: ſicut nuncupauit etiam cognitionē principiorum, intelle
ctum: non quod ars, itē prudentia, ſapientia et ſcientia, non eſſent ipſius intellectus,
ſed quia illa cognitio carebat proprio nomine, appellauit eam nomine generali.
ſicut etiam in Topic. proprium, quod nomen conuenit etiam definitioni. Idemq;
multis alijs in locis fecit. Licet igitur non uocauerit Ariſtoteles primam philoſophi
am phyſicam, non tamen negauit poſſe dici phyſicam: ſicut non negauit libros de
Cœlo, & reliquos philoſophię naturalis dici phyſicos: & ſi tantummodo octo illos
libros ſic inſcripſerit, cæteros uerò proprio nomine. Quod item non eſt præter il
lius conſuetudinem: quippe qui duos ultimos phyſicę auſcultationis libros de Mo
tu inſcripſit, tertium uerò & quintum librum de Natura, cum tamen ſeptimus & o-
ctauus quoq; liber ſit de natura, & tertius & quintus de motu. Inſcriptio enim li-
brorum, ut alibi declarauimus, ab accidentibus uarijs ſumi poteſt. Hoc etiam ex
in Apol. eo colligitur, quia Ariſtoteles libros Ethic. quia erant per ſe politici, tamen non in-
ſcripſit

ſcripſit politicos,ſed Ethicos.libros uerò de Magiſtratibus, & de legibus, qui non
erant per ſe politici,ſed ſolum ex ſuppoſitione,inſcripſit politicos nomine genera-
li,quod nomen ſcilicet conueniebat ipſis non per ſe & propriè,ſed ſolum quia uſui
eſſent politicæ ueræ,quæ erat de fœlicitate. Perſpicuum enim eſt ex uerbis Ariſto-
telis multis in locis,magiſtratus & leges fuiſſe excogitatas propter hominum pra-
uitatem:quia ſi uellent homines ex uirtutibus uiuere,cõſequi poſſent fœlicitatem,
quæ eſt finis hominis,ſine legibus & magiſtratibus.Eſt enim fœlicitas operatio ſe-
cundum uirtutem perfectam:poteſt ergo eſſe fœlicitas,quantum eſt ex natura ſua
ſine legibus & magiſtratibus.Sed quia homines maiori ex parte nolunt uiuere ex
uirtutibus,ut ait Ariſtoteles,neceſſe fuit excogitare magiſtratus & leges, quæ eos 10.Ethic.
cogerent honeſtè,morateꝗ uitam degere.Quod etiam colligitur ex eo, quòd leges cap.ult.
& magiſtratus nihil aliud ſibi proponunt,quàm ut efficiant homines bonos,qui ui-
uentes ex uirtutibus tandem fiant fœlices:quod ſi boni eſſent homines, ac iuſti, ni-
hil opus foret legibus & magiſtratibus.

Perſpicuè igitur patet,ut nos etiam abundè in quinto libro De honore declara- 5.lib.De
uimus(ad quem locum me reijcio)libros de Magiſtratibus & legibus non eſſe per honore.
ſe politicos:libros autem Ethic.eſſe per ſe & uerè politicos:ijs enim per ſe propoſi-
tum eſt reddere homines fœlices.idꝗ,quod ad ipſos attinet, ſatis præſtant. & ta-
men non eos inſcripſit Ariſtoteles politicos,cuius rei cauſam alibi oſtendimus.

Non ergo erit mirum,ſi Ariſtoteles non inſcripſit philoſophiam primam Phyſi-
cam,licet illa eſſet per ſe, & primo Phyſica. nominauit aũt philoſophiã naturalem
Phyſicam,quæ per ſe quidem erat Phyſica, at non per ſe primò, propter cauſas di-
ctas. quandoquidem uidemus eum librum Ethic. non inſcripſiſſe politicos, qui
per ſe tamen.& primò erant politici:libros autem in quibus ageret de magiſtrati-
bus & legibus uocaſſe politicos,qui tamen libri non ſolum primò,ſed ne per ſe qui-
dem erant politici,ſed tantum ex ſuppoſitione,ſupponendo ſcilicet hominum pra-
uitatem.

Neꝗ uerò contra hoc faciunt quæ Ariſtoteles tribuit politicæ,ubi ait:politicam 1. Ethic.
eſſe principaliſſimam & architectonicam, quia præſcribit quas ſcientias oporteat cap.2.
eſſe in ciuitatibus,& quales unumquemꝗ addiſcere oporteat , & quouſꝗ. & quia "
uidemus honoratiſſimas facultates illi ſubeſſe,ut militarem,œconomicam & Rhe- "
toricam,& ipſam uti reliquis ſcientijs practicis,legesꝗ ponere quid oporteat face "
re,& à quibus abſtinere,ac fines eius continere fines cæterarum, ex quo infert hoc "
eſſe humanum bonum:nam etſi hæc omnia putarunt quidam interpretes , & ij qui "
reconditas profiterentur literas,conuenire politicæ de magiſtratibus & legibus,
quippe cùm ipſa prȩſcribat ſcientias eo modo quo dictum eſt, eiꝗ ſubiectæ ſint
Rhetorica & ars militaris,& œconomica:tamen hæc opinio(quod eorum pace di-
xerim)longe abeſt,(ut ego quidem arbitror)ab Ariſtotelis ſententia & à ueritate.
Etenim Ariſtoteles ibi cùm propoſuiſſet,quærendum eſſe quid eſſet illud ſummũ
bonum,quod probauerat dari in humanis actionibus,dixiſſetꝗ prius eſſe conſide-
randum ad quam facultatem attineret,concluſit,attinere ad facultatem principaliſ-
ſimam,& maximè architectonicam:eamꝗ eſſe politicam:uoluit ergo politicæ eſſe,
definire & declarare quid ſit huiuſmodi bonum humanum. quo poſito , ſic argu-
mentor.

Illa facultas quæ declarat quid ſit ſummum bonum humanum,eſt pólitica, & ar-
chitectonica,ut patet ex uerbis Ariſtotelis. Ethica declarat quid ſit ſumum bo-
num humanum hoc,ita in promptu eſt ei qui lib.Ethic.legerit,ut ſit ridiculum,uelle
id probare.Ergo ethica eſt politica architectonica, in eo igitur loco non intelligit
Ariſtoteles politicam de magiſtratibus & legibus.

Item,illa facultas cuius finis continet fines cæterarum, eſt politica, architectoni-
ca,& principalis.Ethicæ finis continet fines cæterarum:ergo æthica eſt politica,ar-
chitectectonica,& principalis.Minor probatur ſic: Ethicæ finis eſt fœlicitas, fœ-
licitas cõtinet cȩteras oẽs fines in actionib.ergo Ethicæ finis continet cæteros oẽs
fines:& ſic magiſtratuũ finem,& legũ.Leges eñ,& magiſtratus,nihil aliud propo-
ſitum habent,ut multis in locis declarauit Ariſtoteles:& qnos longũ eſſe ꝓferre &
ſuper-

ſuperuacaneum,quia ſunt in promptu)niſi ut homines ex uirtutibus uiuant, & ita humanam beatitudinem conſequantur.Omnia ergo quæ ordinant leges, ordinant quia hæc imperat:imperat ergo ipſa ut ſcientiæ ſint in ciuitate, quoniam in operationibus ipſarum ineſt fœlicitas,ipſiq; ſunt ſubiectæ facultas Imperatoria & Rhetorica & œconomica:quippe quæ non ſunt inuentæ,neq; tolerantur niſi quia faciunt ad ipſam fœlicitatē.Imperat etiā ut artes mechanicæ ſint in ciuitate, quia hæ quoq; multum faciunt ad fœlicitatem.Breuiter,quicquid fit ab hominibus ratione recta, fit gratia fœlicitatis.ipſa enim eſt finis ultimus omnium humanarum actionū, quandoquidem ad ipſam referuntur omnia et ad nihil aliud refert ipſa: ipſa enim ponit leges ueras: quia illæ quæ non tendunt ad ipſam,uel ad partes ipſius,non ſunt ueræ leges.ipſa enim(ut diximus)eſt finis agibilium,& finis agibilium eſt principium omnium actionum,ut patet ex Ariſtotele multis in locis.

1.Ethic. cap.5. Tantum igitur abeſt ut locus citatus repugnet ei quod diximus,Ethicam eſſe ueré politicam,ut id(ni fallor) maximé confirmet exemplum. exemplum ergo quod attulimus ex lib.Ethic.erit maximé propoſito noſtro accommodatum.

Sed quæret aliquis: Nunquid Ariſtoteles alicubi tribuerit Ethicæ hoc nomen politicæ? Reſpondeo,tribuiſſe:idq; multis in locis:quorum nōnullos proferam, 1.Ethic. cap.2. ut res clarior ſit.& primo cum dixit: Hæc enim methodus appetit uerumq; bonum,cum ſit quædam politica. Neq; enim interpretatio Alexandri,qua hunc textum explanat in primo priorum,uidetur eſſe audienda.

1.Ethic. cap.3.4. & 5. 1 Rhet. cap.14. Item cùm pluribus alijs in locis in eodem libro, nominauit eam politicam. Sed clariſſimé in primo Rhet.ubi ait:Componitur enim Rhetorica ex reſolutiua ſcientia,& ex ea politica quæ eſt de moribus. Quem locum ſæpe citauimus, ob uarias occaſiones.

Perſpicuum eſt igitur,uera eſſe quæ diximus. Quæ uerò in contrarium poſſunt afferri,hæc ex eis quæ tum in hoc loco,tum etiam in quinto libro De honore diſpu 5.lib.De honore. tauimus, facile diſſolui poſſe arbitramur. Tertium ergo illud principale argumentum,diſſolutum mihi uidetur eſſe.

SECTIO QVARTA.

1.Phyſ. tex. 8.11. & 12. Sequebantur tex. Ariſtotelis allati ex primo Phyſicorum, quibus uidebatur apertiſſimé ſignificare, naturalis philoſophiæ principia eſſe, quòd motus ſit, etiam quòd plura ſint entia:declarat enim, philoſophum naturalem non poſſe diſputare aduerſus negantes ea:ſicut geometra nō poteſt diſputare aduerſus eos qui ſua principia tollunt.quod ſi illa non eſſent philoſophi naturalis principia, nihil prohiberet quin is poſſet diſputare contra negantes ea. Addebaturq;,cum uellet Ariſtoteles primum philoſophū poſſe diſputare, aduerſus negantes huiuſmodi principia,quia hoc erat commune omnibus ſcientijs:neq; enim maiorem eſſe rationem unius,quàm alterius.

8.Phyſ. tex.22. Item,in eandem ſententiam ſcripſiſſe Ariſtotelem non attinere ad phyſicum probare naturam eſſe principiū motus & quietis,quia eſſet ſuppoſitio in philoſophia naturali.

Ad hoc igitur omnes textus reſpondentes aſſerimus,principia eſſe primæ philoſophiæ,quòd motus ſit,& quod plura ſint entia:ac primò quidem eſſe illius principia,ſicut rationes in ſuperioribus allatæ uidentur oſtendiſſe. etenim ſi non eſſent principia primæ philoſophiæ,nullas concluſiones poſſet concludere prima philoſophia:quia neceſſe eſt ut ex his principijs cōcludat.ſuperuacanea igitur eſſet, quia non haberet aliquod medium uerum, quo inueſtigaret ſuas cauſas. Quod ſi uteretur hic principijs ad concludendum, quæ principia non attinerent ad ipſam,neque concluſiones attinerent: quia concluſiones (ut oſtenſum eſt ex uerbis Ariſtotelis) ſequuntur naturam principiorum.Attinent ergo ad primam philoſophiam neceſſariò hæc principia,propter cauſas dictas. Attinēt etiam ad philoſophiam naturalem, tum quia ſeruiunt ipſi,ut diximus. ponuntur enim in lib.Phyſic.ut habeat naturalis philoſophia unū ſubiectum:et ita dicuntur principia eius ſubiecti,tum quia neceſſaria ſunt ad ea agnoſcenda, quæ ſunt propria philoſophiæ naturalis, ſed non primo, uerùm ex ſuppoſitione, eo modo quo in ſuperioribus declaratum fuit. Dicuntur ex-

tur ergo principia etiam philoſophiæ naturalis ex ſuppoſitione, quoniam ipſa pe-
tit illa à ſuperiori facultate, quod fieri licet de principijs cognoſcendi, ut ex eis quæ
dicta ſunt perſpicuum eſſe poteſt, & ut innuit multis in locis Ariſtoteles.

His poſitis, dicimus ad tex. Ariſtotelis ipſum negaſſe philoſophi naturalis eſſe 6. Meta.
diſputare aduerſus negantes illa principia: quia in lib. Phyſic. erant poſita, ut prin- t.x.1.
cipia philoſophiæ naturalis, perinde ac ſi uerè & primò eſſent illius principia: diſpu 11. Meta.
taſſeq́ ibi Ariſtotelem contra eos, ut primum philoſophum, cuius erat dicere ali- tex.25.
quid aduerſus negantes ea, quia primò pertinebant ad ipſum, & quia erat artifex
communior. Philoſophus autem naturalis non poterat aliquid dicere de ipſis, quia
non attinebant primò ad ipſum, & quia erat artifex particularis.

Cùm uerò inferebatur, non poſſe eſſe principium primæ philoſophiæ, quia non
poſſet diſputare aduerſus negantes illam: Nego conſequentiam. Ad probatio-
nem, quia dicit Ariſtoteles nō poſſe ſcientias diſputare aduerſus negantes ſua prin-
cipia: Reſpondeo, intelligi uerba Ariſtotelis, quòd non poſſint diſputare demon-
ſtrando: ſed quod non poſſint abſolutè diſputare, hoc eſt falſum, & contra Ariſtote-
lis ſententiam: quæ ut certius cognoſci poſſint, ac ne uideamur nobis finxiſſe has
reſponſiones, afferamus oportet ipſius Ariſtotelis uerba, ex quibus perſpicitur non
ſolum ipſum uoluiſſe id, quod diximus, ſed etiam ſenſiſſe, primam philoſophiam
poſſe etiam diſputare de principijs omnium ſcientiarum & facultatum: propterea
quod contemplatur uniuerſaliſſimum & firmiſſimum illud principium, De quoli-
bet dicitur affirmatio, uel negatio. & hoc eſt quod dixit in tex. illo citato: Sed aut al-
terius eſt ſcientiæ, aut omnium communis. intelligens per alteram ſcientiam, pri-
mam philoſophiam: & per communem, Dialecticam. Quòd igitur primus philo
ſophus non poſſit demonſtrare ſimpliciter ſua principia, patet ex ipſo Ariſtotele. 4. Meta.
Quod autem poſſit aliquomodo, perſpicuum eſt ex eiuſdem uerbis, cum ait: Licet tex.24 25.
tamen hoc quoq; demonſtrare redarguendo: impoſſibile inquam eſſe, & non eſſe, & 26.
ſi modo is qui contendit, quippiam dicat. Quod ſi nihil dicat, ridiculum eſt profe- 4. Meta.
ctò ab eo rationem quærere, qui nullius rationem habet, ut rationem non habet. ta- t x.27.
lis enim homo perſimilis iam eſſe uidetur, ut talis eſt plantæ. Demonſtrare autem “
redarguendo, & demonſtrare, differre dico: qui namq; demonſtrat, uidetur quod “
initio quæritur poſtulare. ſi uerò alius ſit huius cauſa, redargutio, non demonſtra- “
tio erit. “

Idem cum inquit: eſt aūt in hiſce quæ ſunt principium quoddam, circa quod fieri 11. Meta.
non poteſt, ut falſo dicamus, quia potius ſemper contrarium faciamus, id eſt uerum tex.13.
dicamus neceſſe eſt. ueluti, fieri nō poteſt ut uno eodemq; tempore ſit, & non ſit, & “
cætera quæ hoc opponuntur modo: atq; de talibus abſolutè quidem demonſtratio “
eſſe nequit: ad hunc, id eſt ad hominem autem, eſt. Fieri enim non poteſt, ut ex alio “
principio magis credendo ratiocinatio huiuſmodi conficiatur: quod tamen fieri o- “
portet, ſi ſimpliciter fuerit demonſtratio. “

Videtur ergo remouere ab ipſis principijs omne genus demonſtrationis, quæ
fit ex notioribus: quam uidetur appellare demonſtrationem ad hominem, non ſim
pliciter demonſtrationem. non remouet autem diſputationem & redargutionem.
Et in hoc loco per demonſtrationem ſimpliciter, non intelligit demonſtratio- 1. Poſt.
nem propter quid, quæ facit ſcire ſimpliciter, quæ in comparatione ad demon- cap.10.
ſtrationem Quia, dicitur ſimpliciter demonſtratio: ſed omnem demonſtratio-
nem, ſiue ſit Quia, ſiue propter quid, quia nulla iſtarum poteſt demonſtrare illud
principium. etenim nihil ipſo eſt notius. ſed per demonſtrationem ſimpliciter
intelligit, omnem demonſtrationem quæ non procedit ex conceſſis ab aduer-
ſario: quia illæ quæ procedunt ex huiuſmodi conceſſis, non poſſunt dici demon-
ſtrationes ſimpliciter, ſed dicuntur demonſtrationes ad hominem. Et hoc eſt “
quod dixit Ariſtoteles: Et dialectica omnibus, etſi aliqua tentet demonſtrare com- “
munia intelligens primam philoſophiam, inquit hoc ipſum quia demonſtrat eo mo
do quo poteſt, non tamen demonſtrat ſimpliciter.

Rectè

Rectè igitur negauimus ſequi, ex eo quòd primus philoſophus diſputabat contra negantes illa principia, ut non poſſent eſſe eius principia: quia nullus artifex diſputabat aduerſus negantes ſua principia. Quoniam poteſt aliquis diſputare, ut diximus. Etenim hoc principium, De quolibet dicitur affirmatio uel negatio, eſt principium primæ philoſophiæ, & tamen ipſa diſputat contra negantes illud: non diſputat autem demonſtrando ſimpliciter, ſed redarguendo. & ita fit de illis principijs, quòd motus ſit, & quòd plura ſint entia. non enim demonſtrantur ſimpliciter, quia hoc eſt quod nullus artifex poteſt facere. ſed redarguẽdo quomodo licet cõfirmare ſua principia, & diſputare contra negantes illa, hoc uerò non poteſt fieri ab omnibus, ſed ſolum à Dialectica, & ab ea facultate quæ conſiderat ens quatenus ens, & eius accidentia ut eſt ens: quia ipſius ſunt principia firmiſſima, ad quæ cætera referuntur, ut explicauit Ariſtoteles his uerbis:
4. Met. Quapropter omnes qui demonſtrant,
tex. 25. ad hanc opinionem ultimam demonſtrationes reducunt. Hoc enim principium
„ eſt natura cæterarum etiam omnium dignitatũ, quod intelligitur quo ad confirma
„ tionem, cùm dignitas non demonſtratur: nihil ergo faciunt textus allati contra noſtram ſententiam.

SECTIO QVINTA.

1. Met. ERat alia quæſtio ex eis ſumpta, quæ dixit Ariſtoteles primo Metaphyſ. ad hunc
„ modum: Quamuis conſiderauerimus has res in lib. quæ ſunt de Motu, nihilo-
„ minus in conſideratione entis accipiemus illos qui ante nos fuerunt, & philoſopha
„ ti ſunt de ueritate.

Quibus uerbis uidebatur apertè indicare, illas res, de quibus habitus fuerat ſermo in Phyſica, fuiſſe conſideratas, propter corpus naturale: in prima uerò philoſophia conſiderari propter ens. Et hoc modo reddens Ariſtoteles cauſam ſuæ repetitionis, uidebatur innuere, reſpectum ad motum & ad ens facere, ut illæ res poſſent pertinere ad diuerſas ſcientias, quod mirum in modum uidebatur fauere opinioni Auerrois.

Dicerem protuliſſe Ariſtotelem ea uerba, de quibus bis ageret: quia cùm res illæ eſſent conſideratæ in lib. Phyſ. ut ſeruirent philoſophiæ naturali: ipſe loquutus eſt, perinde ac ſi reuera pertinerent ad philoſophiam naturalem: in prima uerò philoſophia conſiderarentur ratione entis, ut diximus in ſuperioribus.

Neq; eſt uerum quod dixit Auerroes, cuius ſententiam iamprìdem exploſam eſſe arbitramur. Loquutus eſt igitur Ariſtoteles, perinde ac ſi liber Phyſic. eſſet pars per ſe philoſophiæ naturalis, propter cauſam dictam, ſicut appellat lib. Topic. Dialecticam & Topicam: cùm tamen agatur in eo de conditionibus ſyllogiſmi Dialectici: quæ conditiones non attinent ad Dialecticam, ſed ad Logicam: quia illa pars non continet locos, neq; eſt diſputatiua, ſed eſt de oratione ſyllogiſtica determinata. ſed quia ibi fuit poſita, ut ſeruiret Dialecticæ, & Dialectica, & Topica induit perſonam logicæ, nuncupauit ipſam Dialecticam & Topicam.

Quòd autem eſſet Logica, perſpicuũ eſt: quia ſicut lib. Poſt. dicitur Logica, quia docet conficere demonſtrationem, quæ eſt ſpecies ſyllogiſmi: ſic doctrina illa quæ docet conficere ſyllogiſmum dialecticum, qui eſt ſpecies ſyllogiſmi, dici debet Logica, ut in ſuperioribus declarauimus, ad quem locum nos reijcimus. Et patet ex eis etiam quæ diximus reſpectu illarum cauſarum quæ ſunt in Phyſicis propter res naturales, & in prima philoſophia propter ens, non facere illarum ſcientiarum diuerſitatem, ſed ſolum reſpectus materiei & formæ, quia non reperitur in iſtis: nihil igitur facit contra nos ille textus.

Ad aliam quæſtionem, quòd cùm aſſeruiſſem ſubſtantiam quæ eſt prædicamentum diuidi in ſubſtantiam incorruptibilem & corruptibilem: in Apologia uerò diuiſiſſem eandem in ſimplicem & mixtam: uidebatur ex hoc ſequi, ut in altero loco falſum dixiſſem. Ad hanc inquam quæſtionem ſatis uidetur reſponſum eſſe ſuprà cùm diximus, ſubſtantiam quæ conſideratur in lib. Phyſ. eſſe poſitam ibi, ut daret unitatem philoſophiæ naturali, eamq; diuidi aliquo modo in ſimplicem & mix

ſam:& hãc nos diuiſionem feciſſe in Apologia, ut daremus unitatem libro de Cœlo, quia aliter diuiſiſſemus ipſam in incorruptibilem & corruptibilem: diuiſio enim illa eſt magis cõueniens, ut ex eis quæ dicta ſunt perſpicuum eſſe poteſt: quanquã rurſus Ariſtoteles inſcribẽs illum lib. de. Cœlo & mundo, uidetur indicaſſe ſe nolle dare unitatem illi libro, ſed uelle ibi eſſe duo ſubiecta, in primis uidelicet duobus libris cœlum, in reliquis uerò quatuor elementa: neq; hoc repugnat rationi, quandoquidem iſta unitas requiratur in uniuerſa ſcientia, nõ in partibus ſcientiæ. Quid enim prohibuit Ariſtotelẽ ſcribere unum librũ de Cœlo, deinde ſeparatim alium de elemẽtis: quod ſi feciſſet nõn ne diceremus, ſubiectũ unius eſſe cœlum, alterius uerò elementa: ſicut ſcripſit multos libros de mixtis. Si igitur hoc potuit fieri in eadem doctrina, non uideo cur in eodem libro illius doctrinę non potuerint abſq; nefario ſcelere poni duo illa ſubiecta, præſertim cùm diuiſio librorum fiat ex accidenti, ac maiori ex parte arbitratu noſtro, ut dictum eſt ſuprà. Quia igitur corpora cœleſtia hoc habebant cõmune cum elementis, quòd ſolum cõſtabant ex materia ſimplici & ex forma ſimplici, de utriſq; ſimul egit Ariſtoteles, & ipſa inſcriptione oſtendit, de utriſq; per ſe eſſe illam doctrinam, cui unitas tribui cõmodè non poterat, niſi diuiſiſſemus ſubſtantiam in ſimplicem, & poſuiſſemus corpus ſimplex eſſe ſubiectum illius libri, quia prædicabatur de corporibus cœleſtibus, & de quatuor elementis. fecimus igitur illam diuiſionem ob hanc cauſam, non quòd non ſentiremus diuiſionem ſubſtantiæ in incorruptibilem & corruptibilem magis conuenire rationi, ut diximus. Non negamus tamen, quin recta ſit etiam diuiſio in ſimplicem & mixtam, quia tandem redigi poteſt ad illam alteram, resq; uariè poſſunt diuidi, pro ut uarijs reſpectibus accipiuntur. Nihil ergo nos erraſſe arbitramur, diuidẽtes ſubſtantiam in ſimplicem & mixtam, ſicut in Apologia fecimus.

SECTIO SEXTA.

AD illud argumentum, quòd cùm Ariſtoteles diuiſerit in prædicamentis, ſubſtantiam in primam & ſecundam, non uidebatur cum eius doctrina conſentire diuiſio illa quam ego feciſſem: Reſpondeo, me diuiſiſſe ſubſtantiam in incorruptibilem & corruptibilem, quoniam ſic declarauit Ariſtoteles ſubſtantiam in ſuis libris, quærendo eius cauſas. & ita conſentire hãc diuiſionem cum ipſius doctrina, quippe quæ ducta fuit ex modo inueſtigandi cauſas, quo ille uſus eſt in prima philoſophia, & in philoſophia naturali. Quæſiuit enim utrobiq; cauſas omniũ rerum compoſitarum, quas numerauimus uſq; ad ſpecies ſpecialiſsimas, eo ordine quo ſunt in natura, & attinent ad ſcientias.

In prædicamẽtis uerò diuiſit ſubſtantiã alia ratione, uidelicet in primam & in ſecundam, id eſt in ſingularem & uniuerſalem, ut ſciremus primas ſubſtãtias eſſe fundamentum ſecundarum, ſed non eo modo quo attinent ad ſcientiam: quia ſingularium non eſt ſcientia, ſunt enim infinita & corruptibilia, niſi quatenus conueniunt in uniuerſali: ut de ſingularibus ſubſtantijs, quatenus conueniunt in hoc communi quòd ſunt primæ ſubſtantiæ, quæ cõparatæ ad ſubſtãtias uniuerſales dicuntur magis ſubſtantiæ, quia ſunt illarum fundamentum.

Præterea poſſunt eiuſdem rei ex diuerſis rationibus fieri diuerſę diuiſiones. Sed ſatis nobis eſt, quòd diuiſio ſubſtantię, quam fecimus, colligatur ex Ariſtotelis lib. nihil ergo abſurdi ex illa noſtra diuiſione ſequitur.

Quod uerò ſequebatur, Ariſtotelem apertè oſtendiſſe lib. Phyſ. nõ eſſe partem primæ philoſophiæ, hoc negamus. Ad probationem dicimus, ex illo tex. qui contrà citatus eſt, ſequi potius confirmationem noſtræ opinionis, quàm euerſionem. 1. Phyſ. ult. etenim cùm dicat Ariſtoteles, formas incorruptibiles non attinere ad philoſophiã naturalem, ſed ad primam philoſophiam, & cùm de his uerba fecerit in lib. Phyſ. ut lib. Phyſ. ſit pars primæ philoſophiæ neceſſe eſt. Neq; obſtat quod dixerit, talẽ ſermonem differri debere uſq; ad illud tempus: quia hoc dixit, ut indicaret doctrinam illarum formarum propriè ſpectare ad primam philoſophiam, in qua de his non agitur alterius ſcientiæ gratia. Quod itẽ confirmare mihi uidetur illis uerbis: quod de naturalibus & corruptibilibus formis in poſterius demonſtrandis dicemus. Innuit enim, philoſophiam naturalem initiũ capere à libro de Cœlo, quoniam de his formis non loquitur in lib. Phyſic. poſt hunc tex. Videtur ergo noſtram corrobora-

re ſententiam uerbis dictis. illis enim oſtendit, uelle ſe loqui de formis incorruptibilibus in prima philoſophia, et de formis corruptibilibus in philoſophia naturali: quia non erat ei propoſitum, à prima philoſophia omnino reijcere formas corruptibiles, neq; à philoſophia naturali incorruptibiles: ſed eo modo, & ob eas cauſas quas diximus, in ſuperioribus, ſic loquutus eſt, ad quem locum (ne toties idem repetamus) me reijcio.

Ad id uerò quod addebatur, quòd citans Ariſtoteles ea quæ conſiderantur in lib. Phyſ. dixit ea conſiderari in philoſophia naturali: ex quo uidebatur ſequi, ut liber ille ſit pars philoſophiæ naturalis. Negamus conſequẽtiam. Ad probationem dicimus, non fuiſſe abſurdum quod Ariſtoteles nominaret philoſophiam naturalem, partem illam, quæ ipſi naturali philoſophiæ propoſita fuerat, ut ſeruiret illi, quamuis non eſſet uerè naturalis philoſophia: ſicut etiam nuncupauit ſermonem de moribus & uirtutibus & affectibus Rhetoricam, & ſi uerè non erat pars Rhetoricæ: ſatis enim fuit ad hanc denominationem, adhibitum fuiſſe hunc ſermonem in eo loco, ut ſeruiret Rhetoricæ. Concedimus ergo antecedens, & negamus conſequentiam.

Quod aũt quętebatur quorſum Ariſtoteles in ſecundo Phyſ. perſcrutaretur, quo modo Mathematicus differret à phyſico, (intelligẽs per phyſicũ, philoſophũ natu
2. Phyſ. ralẽ, ut patet ex eo libro) ſi Phyſica eſſet prima philoſophia. Huic quæſtioni ſatis
tex. 16. 17. factũ eſt ijs quę antè dicta ſunt. quia uidelicet agit ibi Ariſtoteles de illis rebus pro
18. 19. & pter philoſophiam naturalẽ, et non propter primam philoſophiã. eademq; ratione
20. reijcitur illud, utrum oporteat phyſicum cognoſcere utramq; naturã. Item illud,
2. Phyſ. quod dicit Ariſtoteles in tex. 26. ſecundi Phyſ. Item illud, quare oſtenderit inueſti-
tex. 21 & ganda eſſe quatuor genera cauſarum, & oportere phyſicum cõſiderare quæcunq;
22. mota mouent, & quo modo natura agat propter finem. Omnes inquam iſtæ
2. Phyſ. obiectiones tolluntur eadẽ ratione, quod uidelicet lib. ille Phyſ. collocatus ſit in phi
tex. 26. loſophia naturali, quia erat neceſſarius philoſopho naturali. Itaq; potuit in eo diſputari de eis, quæ cognoſcere oportebat philoſophũ naturalẽ. Multa enim ex ijs quæ ibi tractãtur, non ſolũ erant utilia philoſopho naturali, uerùm etiã neceſſaria.

SECTIO SEPTIMA.

EX quibus omnibus luce clarius mihi uidetur ſequi, ſi uolumus doctrinam Ariſtotelis nõ erranrem & uagam, ſed firmã & ſtabilem eſſe, oportere neceſſario illud ponere, philoſophum naturalem, cùm loquitur de eis quæ ſunt in lib. Phyſ. induere perſonam primi philoſophi, quod quidem ideo factum eſt ab Ariſtotele, quia philoſophia naturalis aliter non fuiſſet una, ſed duæ ſcientiæ, uel plures: quia ex ſe non habet aliquid cõmune, quod ei unitatem tribueret. cuius rei hæc fuit cauſa (ut diximus) quia omnes res quæ ſunt in uniuerſo, habent inter ſe rationem generis & ſpecierum: & qui uult eas ſeparare, & ponere in diuerſis ſcientijs, cogitur accipere ſpecies aliquas, & relinquere genus. & ſic ſpecies illæ faciunt diuerſas ſcientias, quia non conueniunt in aliquo cõmuni. Quare concedimus philoſophiã naturalem, quantum eſt ex ſe, eſſe duplicem ſcientiã, alteram uidelicet incorruptibilium, alteram corruptibilium. Et ita, ſi uolumus facere duas philoſophias, poſſumus facere. hoc enim pendet ex uoluntate noſtra: quia multas facere ſcientias, nõ poteſt eſſe ex narura rerum, ut diximus, ſed ſolum fit atbitratu noſtro.

Verùm dicet aliquis, fieri non poſſe ut duæ ſint philoſophiæ, neq; hoc unquam dictum fuiſſe ab Ariſtotele. Reſpondeo, eſſe uera quæ diximus, quòd ſcilicet non poteſt eſſe niſi una ſcientia: & cùm ſunt plures, hoc fit ex uoluntate noſtra, poſſuntq; eſſe duæ & tres, quod multis in locis ſignificauit Ariſtoteles, & aliquando etiam indicauit poſſe eſſe ſex ſcientias. Atq; ut hæc perſpici poſſent, non erit alienum ab re noſtra multos Ariſtotelis textus in medium afferre, quorum hic erit pri
4. Meta. mus: Atq; tot ſunt philoſophiæ partes, quot ſubſtantiæ ſunt. quare neceſſe eſt ipſa-
tex. 10. rum quandam eſſe primam, & aliam ſequentem. nam unum ipſum, & id quod eſt,
» genera continuò habent, quapropter & ſcientiæ hæc ſequuntur. ipſe nanq; philo
» ſophus perinde ſe habet, atque iſce qui mathematicus nuncupatur. etenim par-
» tes hæc habet. & prima quidem eſt ſcientia, & ſecunda, et aliæ deinde ſunt mathe-
» maticis collocatæ.

Qui-

Quibus uerbis Ariſtoteles apertè ſignificat, tot eſſe philoſophię partes, quod ſunt ſubſtantiæ. Subſtantiæ autē ſunt tres, igitur philoſophiæ partes erunt tres.

Quod autem ſubſtantiæ ſint tres, indicauit Ariſtoteles his uerbis, quæ etiam in ſuperioribus attulimus ad aliam rem oſtendendam: Qui igitur hac ætate ſunt, uniuerſalia ſubſtantias magis ponunt. genera enim uniuerſalia ſunt. qui principia, ſubſtãtiasq; magis inquiunt eſſe ex eo ſanè, quia modo differēdi de ipſis quærunt. antiqui uerò ſingula, ut ignē & terram, ſed non corpus commune. ſubſtantiæ autē tres ſunt: una eſt ſenſibilis, cuius alia eſt perpetua, alia corruptibilis, quam omnes eſſe fatentur, quales ſunt plantæ & animalia, atq; huius elementa ſumantur neceſſe eſt, ſiue unum ſit, ſiue multa. alia eſt immobilis: hanc quidem inquiunt ſeparabilem eſſe alij, diuidentes in duas, alij in unam naturam ponētes formas ipſas, & Mathematica ſolum etiam dicentes. Illę igitur naturales ſcientiæ ſunt, ſunt enim cum motu: ſed hæc ad aliam ſcientiam ſpectat, ſi principium nullum eſt ipſis commune. 12. Meta. tex. 2.

Item loco ſuperius etiam ob aliam occaſionem citato, ubi ait: Cùm autem tres ſint ſubſtantiæ, duæ quidem naturales, una uerò immobilis, de hac deinceps dicendum uidetur. Ex quibus perſpicuum eſt, tres eſſe philoſophias: quarum una eſt de rebus immobilibus, uidelicet prima philoſophia: altera de rebus mobilibus, incorruptibilibus: tertia de rebus mobilibus, corruptibilibus. Quam rem oſtēdit Ariſtoteles his uerbis, citatis etiam in ſuperioribus ad aliud probãdum: Et tenetur phyſicus cōſiderare omnino quæcunq; mota mouent: quæcunq; autem nō, nō amplius phyſicæ ſunt. non enim in ſe ipſis habentia motum, neq; principia motus mouent, ſed immobilia ſunt unde tria negotia ſunt: hæc quidem circa immobile, aliæ uerò circa mobile quidem incoruptibile, quædam autem circa corruptibilia. 12. Meta. tex. 20. 2. Phyſ. tex. 71.

Idem enim apertè ſignificat quod dixit locis citatis, uidelicet tria eſſe negotia, id eſt tres de ſubſtantijs philoſophias. quod cùm nō conſideraſſet Auerroes, explicauit hunc textū duobus modis, quarum explanationem utraq; uidetur longe à ueritate abeſſe. Et quod ad primam attinet, nemo eſt qui nō uideat in hoc textu nullam mentionem fieri rerum immobilium, quæ ſint in mobilibus, quæ conueniunt mathematicis, ex Auerrois ſententia.

Item falſum eſt, Ariſtotelem hoc in loco dicere, res mobiles corruptibiles & incorruptibiles eſſe unius ſcientiæ. Altera item expoſitio non eſt ad rem, & à ueritate abhorret, quòd uidelicet Ariſtoteles non loquutus ſit de ſciētijs, ſed indicauerit modos entiū diuerſos, de quibus oportebat uerba facere per ſe. quoniã ex uerbis ipſius apertè intelligit, eum loqui de ſcientijs, nēpe de philoſophia naturali, & prima philoſophia: & ſignificare duas eſſe philoſophiæ partes, duas enim facit ſciẽtias. Quare illud quod ait Diuus Thomas, noluiſſe Ariſtotelē ſeparare ſcientiã rerū incorruptibiliū à rebus corruptibilibus, uidet ipſi textui repugnare, in quo clariſſimè oſtendit ſciẽtiæ rerum incorruptibiliū & corruptibiliū diuerſitas. quanquã uidet rectè dicere, reſpōdens illis qui uolebãt redigere has tres res, ad tres philoſophię partes, id eſt ad mathematicã, phyſicam, & primã philoſophiã. quia re uera in hoc textu nulla fit mentio rerum, quæ attinent ad mathematicam. Contra etiam Auerroem eſt, quòd qui ponit rerū diuerſitatē, cogitur ponere ſcientiarū diuerſitatem. Itaq; uidetur ipſe euertere ſcientiarum naturam dicens: Cùm ens diuiditur ſecundum conſiderationem demonſtratiuam, intrabit una natura in duas artes: ut conſideratio Mathematici & diuini de numero, & ſimiliter cōſideratio Mathematici & naturalis in corpore, linea & ſuperficie. nam eadem linea & eadem ſuperficies cōſideraretur à Mathematico, & à philoſopho naturali, cùm utriuſq; idem ſit finis, uidelicet ſcire. nō uideo (ut dictum eſt in ſuperioribus) quomodo Mathematica & philoſophia naturalis non eſſent eædem ſcientiæ: conſiderãt enim eaſdem res ex materia & ex fine, qui eſt forma, ut in multis locis dixit Ariſtoteles quos alibi citauimus.

Nūc autem ſatis erit citare eius uerba primi Aethi. cap. decimo, quæ citauimus etiam in ſuperioribus: Geometra conſiderat rectum propter ſcire, & faber propter operari. ſi uerò dicant mathematicum conſiderare lineam & ſuperficiem, ut abſtracta à materia: philoſophum uerò naturalem, ut ſunt in materia: quæro utrum ſit eadē linea, nec ne: ſi eſt eadem linea, hæc abſtractio nō poteſt facere diuerſitatem 1. Ethic. cap. 10.

ſcientiarum, quia habebit utrobiq; eandem formam, quæ eſt finis. ſin eſt diuerſa, ut dictum eſt: ergo perperam dixit Auetroes, quod una natura ingreditur diuerſas artes: afferrens exemplum lineæ. quia linea ut eſt in mathematica, & abſtracta à materia, non eſt una natura, ſed diuerſæ naturæ. Verùm quoniam bis de rebus multa in ſuperioribus diximus, ad illum locum me reijcio. Satis eſt nunc oſtendiſſe, fieri non poſſe, quin afferatur uis illi textui: niſi ita explanetur, quòd tria ſint negocia, quorum unum uerſetur circa res immobiles, quas Ariſtoteles ſemper attribuit primæ philoſophiæ, ut ex eius uerbis appatet.

Alterum circa res mobiles, incorruptibiles, quę ad alteram ſcientiam pertinent: tertium circa mobilia & corruptibilia, quæ ad aliam ſpectant ſcientiam: quam ſi uolumus philoſophiam naturalem appellare, neceſſario ponendæ ſunt duæ philoſophiæ naturales, ſicut diximus duas eſſe mathematicas: quarum una eſt de quantitate continua, quæ dicitur Geometria: altera de quãtitate diſcreta, quæ appellatur Atithmetica. idq; opinamur uoluiſſe Ariſtotelẽ indicare locis citatis. Quare nemini mirum eſſe debet, ſi diximus philoſophiam naturalem poſſe fieri unam, & duas.

SECTIO OCTAVA.

SEd diceret aliquis: Iſta quæ dixiſti, non ſatis uidentur conſentire ueritati. nam uerba Ariſtotelis quæ citaſti, uidentur habere multas difficultates. quarum prima eſt, quòd non uidetur uerum, mathematicam eſſe philoſophiam: ſiquidem philoſophiæ tot ſunt, quot ſunt ſubſtantiæ: ipſa autem mathematica non eſt de ſubſtantijs. Ac rurſus hoc euertit ſententiã Ariſtotelis multis in locis, & maximè

6. Meta. tex. 5. ubi concluſit tres eſſe philoſophias ſpeculatiuas, nempe Theologiam, Mathematicam, & philoſophiam naturalem.

Deinde, ſi philoſophiæ naturales ſunt duæ, quare Ariſtoteles tot in locis ſe ſemper poſuit unam? & ſi poſuit Mathematicam etiam unam, quare dixit in tot locis eſſe duas? & ſi plures ſunt duabus, quæ erit tertia? quandoquidem ſubalternatæ non poſſunt dici ſcientiæ, ut demonſtraſti in tua Apologia.

4. Meta. 1. Poſt.

His quæſtionibus reſpondeo: Atiſtotelem non ſine optima ratione feciſſe quę dicta ſunt. ea uerò eſt, ut indicaret ex rerum natura, quæ eſſent perfectiores philoſophiæ, & quæ minus perfectæ. Itaq; quoniam entium aliqua erant per ſe & propriè entia, ut ſubſtantiæ: alia uerò erant accidentia, ut res quæ accidunt ipſi ſubſtantiæ, ad quam referuntur, ſicut declarauit Ariſtoteles multis in locis, & maximè in

4. Meta. tex. 2. 3. & 4. quarto Metaphyſ. loco ſuperius citato ob aliam occaſionem, ubi ait: Vbiq; autẽ ſcientia ipſius eſt propriè primi, ex quo cætera pendẽt, & propter quod dicuntur. quod ſi hoc eſt ſubſtantia, ipſum philoſophum principia ſubſtantiarum cauſasq; » habere oportet.

Cùm igitur manifeſtum ſit, ſubſtantiã eſſe hoc primum: manifeſtum eſt etiam, ſcientiam eſſe propriè de hoc primo: Ergo ſecundo loco erit de accidentibus, de quibus poſſunt eſſe ſcientiæ. Itaq; loquentes propriè de ſcientijs, dicere poſſumus tot eſſe pattes philoſophiæ, quot ſunt ſubſtantiæ. & hoc ſenſu erit uerum, Mathematicam non eſſe pattem philoſophiæ.

Sin autem accipiamus communiter ſcientiæ nomen, ut complectitur ſubſtan-

6. Meta. tiã, & accidentia, Mathematica erit pars philoſophiæ: & hoc modo accepit Ariſtoteles in ſexto Metaphyſ.

Ex tex. autem citatis colligendum eſt, Ariſtotelẽ ſæpenumero dicere aliquam rem nõ eſſe talem, quia non eſt talis principaliter. ita dixit Mathematicam nõ eſſe partem philoſophiæ, quia non eſt eius pars principalis.

Sed contrà ſic inſtaret aliquis: Quod dixiſti accidens ut eſt quantitas, non eſſe propriè & principaliter ens: & facultatem illã quæ conſiderat hanc quantitatem, non eſſe proptie ſcientiam, neq; partem philoſophiæ, hoc uidetur apertè repugnare ſententiæ Ariſtotelis multis in locis: & præcipuè ubi definiens ſcire, quod eſt

1 Poſt. cap. 11. & 63. ſimpliciter, oſtendit illud cõuenire ſolis mathematicis, quippe quæ ſolæ accipiant definitiones. inquit enim loco etiam in ſuperioribus citato, ad aliam rem indican- » dam: Conuertuntur autem magis quæ ſunt in mathematicis, quia nullum accidẽs » recipiunt, ſed definitiones. Et appellat in eo cap. omnes alias ſcientias dialecticas,

cas, quia non faciunt ſcire ex definitionibus. non faciunt ergo ſcire ſimpliciter.

Deinde cùm uellet oſtendere præſtantiam primæ figuræ: Figurarum autem, inquit, eſt maximè faciens ſcire, quæ prima eſt. Mathematicæ enim ſcientiarum per hanc primam figuram ferunt demonſtrationes, ut Arithmetica, & Geometria, & perſpectiua. Et ferè eſt dicere, quæcunq; propter quid faciunt ſpeculationem. aut enim omnino, aut ſicut frequentius, & in pluribus per hanc figuram, propter quid fit ſyllogiſmus. Quare & propter hanc erit maximè faciens ſcire, propter quid ſpeculari. Mathematicæ igiur faciunt maximè ſcire, ergo erunt maximè ſcientiæ, et propriè ſcientiæ. ergo erunt propriæ partes philoſophiæ: omnis enim ſcientia propriè eſt pars philoſophiæ: ergo illa cauſa quam attuliſti quare Ariſtoteles non poſuerit Mathematicam partem philoſophiæ, non eſt uera cauſa: quoniam uidelicet non ſit propriè ſcientia, quia non eſt de eò quod eſt propriè ens.

1.Poſt. cap.13.

Reſpondeo, uera eſſe quæ dicta ſunt, propterea quòd nō poſſet aliter defendi Ariſtoteles quin pugnaret cum ſua ipſius ſententia. ſcientiam autem dicimus, propriè acceptam, poſſe bifariam intelligi uno modo, quôd ſit de ente per ſe propriæ, & perfectiſſimo, quia ſcientia ſequitur naturam rerum, & ita ſcientia de ſubſtantia eſt magis propriè ſcientia, quàm ſcientia de accidentibus, & per id quod ſequitur, quàm ſcientia de quãtitate. Itaq; magis eſt philoſophia illa, quæ eſt de ſubſtantia, quàm illa quæ eſt de quantitate.

Altero modo dicitur ſcientia propriè illa, quæ eſt per cauſam propriam, & per ſe notam: impropriè autem ſciētia dicitur illa, quæ eſt ex affectibus, & ex poſterioribus. Atq; hoc ſenſu dicimus, mathematicam eſſe magis propriè ſcientiam, quia ſcilicet, efficit ſcientiam ſimpliciter, ideſt ex cauſa propria, & per ſe manifeſta. & ita magis eſt ſcientia, quàm ſcientia de ſubſtantijs: quia ſcientia de ſubſtantijs non eſt ex cauſis, ſed ex affectibus, quæ cognitio eſt ſcientiæ: quia nō ſcientia ſimpliciter. idq; eſt ex noſtro cognoſcendi modo, non ex natura ipſarum rerū. Et ſic intellexit Ariſtoteles in locis citatis, cùm dixit mathematicam facere propriè ſcire & ita nihil repugnant Ariſtoteli noſtræ interpretationes.

1.Poſt.

Ad illud uerò quod quærebatur, Quare Ariſtoteles poſuerit philoſophiam naturalem unam, ſi ſunt duæ. Reſpondeo, feciſſe hoc Ariſtotelem ut reduceret ſcientias ad tres: quod ipſi uiſum eſt eſſe cōmodius, quàm ponere unam aut duas. hæc enim uidebatur nimis ſtricta diuiſio: ponere autem ſex ſciētias, nimis lata. Poſuit igitur tres, quod erat medium, & ita commodius: omnes tamen quæcunq; ſint ſcientiarum diuiſiones, ſunt arbitrio hominum, non ex natura rerum. Ipſe autem loquutus eſt uariè in diuerſis locis, ut indicaret poſſe tot eſſe ſcientias, quot erant rerum ſpecies et genera. Eadem ratione poſuit mathematicam alibi unam alibi duas, Geometriam ſcilicet & Arithmeticā. & alicubi etiam ſignificauit eſſe tres, quarum tertia, prima eſt in ordine, uidelicet ea, quæ loquitur de quantitate, quatenus quantitas eſt. Altera eſt quæ loquitur de numero, quia numerus non dicit aliquā poſitionem, ut declarauit Ariſtoteles. Tertia uerò Geometria, quæ fortaſſe poteſt recipere alias diuiſiones: & hoc modo nihil incommodi ſequitur ex illo tex. Ariſtotelis quarti Metaphyſ.

1.Poſt. cap.17. & 1.Meta. 4.Meta. tex.4.

Nata eſt autem diuiſio in ſex ſcientias, quam ſuprà attigimus, ex diuiſione duarum ſcientiarum, per quam diuidebantur res in ſubſtantiam et accidens. hinc enim uidetur fieri poſſe, ut dicantur tres eſſe ſcientiæ de ſubſtantijs, & tres de accidentibus. Idq;, præterquam quod ratione confirmatur, colligitur etiam ex uerbis Ariſtotelis.

Ex diuiſione item trium ſcientiarū, liceret ponere duas philoſophias naturales, quarum una loqueretur de ſubſtantijs mobilibus incorruptibilibus, altera de ſubſtantijs mobilibus corruptibilibus: Itemq; duas mathematicas, quarum una de numero, altera de magnitudine ageret.

4.Meta. tex.4.

Item poſſunt diuidi ſcientiæ in quatuor: quarum prima erit diuina philoſophia, poſt hanc philoſophia naturalis. reliquæ duæ erunt Mathematica de numero, & mathematica de magnitudine, quatenus nullum obtinent commune, ſubiectum, à quo habeant unitatem.

Patet igitur ex dictis, poſſe diuidi ſcientias ſex modis: ut uel una tantū ponatur

omnium rerũ quæ natura conſtãt ſcientia, uel duæ ſcientię, uel tres, uel quatuor, uel quinq;, uel ſex, eo modo quo dictum eſt. Atq; harum quidem diuiſionum prima, ſumitur ex natura rerum, reliquæ fiunt arbitratu noſtro, & propter cõmoditatem ut euitetur confuſio.

Diuiſio tamen rerum in tres ſcientias, eſt communior omnibus, & ſecundum ipſam ferè ſemper loquutus eſt Ariſtoteles contra Platonem, quia hæc uidebatur magis congrua.

Sed contrà inſtaret aliquis dicens, Sequi ex dictis, primam philoſophiam conſiderare quantitatem abſtractam à materia per intellectum. quod uidetur contra Ariſtotelẽ: quippe qui ſemper dixit primam philoſophiam conſiderare res immobiles, & abſtractas à Materia ſecundum eſſe: quantitas autem abſtracta à materia per intellectum, non eſt abſtracta ſecundum eſſe.

Dictum eſt ſuprà, quantitatem, quatenus quantitas eſt (quod quidem nihil aliud eſt, quàm conſiderare quantitatem ut eſt abſtracta per intellectum) neceſſariò conſiderari à prima philoſophia, quia eſt unũ ex decem prædicamentis, quæ ſine dubio pertinent ad primam philoſophiam: & eſt uerum dicere ipſam eſſe ens, quia eſt accidens primi entis, quod eſt ſubſtãtia: & habere ſuas proprietates quatenus quantitas eſt, quæ ſunt diuerſæ à proprietatibus quantitatis diſcretæ & continuæ, quatenus tales ſunt quãtitates: ſicut ſubſtantia quæ conſideratur à primo philoſopho, ut talis eſt, habet diuerſas proprietates à cœlo, ab elementis, & à mixtis, quæ conſiderãtur à philoſopho naturali. Neq; hoc quod diximus Ariſtoteli repugnat: quia & ſi dixerit primam philoſophiam conſiderare res immobiles, & ſeparabiles à materia, ſecundum eſſe nõ negauit: tamẽ neq; potuit negare ob rationes dictas, quin conſideraret etiam res immobiles, et ſeparabiles per intellectum. Itaq; bono ſenſu intelligẽda ſunt hoc loco Ariſtotelis uerba: ſicut diximus intelligi oportere in ſuperioribus, cùm ſeparauit primam philoſophiam à philoſophia naturali, eo quod cõſideraret res immobiles & ſeparabiles à materia. Dicimus ergo, Ariſtotelem diſtinxiſſe primam philoſophiam à Mathematica, eo quòd mathematica cõſideraret res ſeparabiles per intellectum ſolũ: prima autẽ philoſophia utraſq;, ſed principaliter immobiles, & ſeparabiles ſecundum eſſe. Et cũ diſtinguit Ariſtoteles primam philoſophiam à mathematica, accipit mathematicam pro ſcientia quæ eſt de quantitate, ut quantitas eſt, & de quantitate diſcreta & continua, eo modo quo dicebamus ipſam primam philoſophiam ſeiungi à philoſophia naturali, ut una eſt ſcientia aggregata ex ea parte quæ eſt per ſe philoſophia naturalis, & ex ea parte quæ per accidens eſt philoſophia naturalis. Nihilominus diſtinctio ſemper philoſophiæ naturalis, à prima philoſophia, incipit à libro de Cœlo, uſq; ad ſpecies ſpecialiſſimas. Ita Ariſtoteles, cùm facit Mathematicam unam ſcientiã, accipit ipſam pro eo quod eſt aggregatum ex illa parte quæ eſt per ſe mathematica, quæ loquitur de quantitate diſcreta & continua: & pro illa parte quæ eſt per accidens Mathematica, quæ loquitur de quantitate, ut quantitas eſt. tunc enim induit ueſtem primæ philoſophiæ, ſicut diximus de philoſophia naturali. Nihilominus diſtinctio primæ philoſophiæ à mathematica, ſemper initiũ ſumit à quantitate diſcreta & continua, uſq; ad ſpecies ſpecialiſſimas.

Ex dictis igitur ſatis perſpicuum eſſe poteſt, quo modo mathematica ſit pars philoſophiæ, & quomodo non ſit: & ut cohæreant textus Ariſtotelis, perſpicuum eſt etiam, quomodo diuidantur ſcientiæ & quo modo ſe habeant: neq; abſurdum eſſe, philoſophiã naturalem per ſe initium ducere à lib. de Cœlo: Mathematicam uerò à quantitate diſcreta & continua.

Perſpicuum item eſt, quid conſideret philoſophus naturalis, quid primus philoſophus, & (ut uno uerbo dicam) quid unaquæq; contempletur ſcientia.

FINIS LIBRI VIGESIMI
Euerſionis ſingularis certaminis.

Liber

LIBER VIGESIMVSPRIMVS.

SECTIO PRIMA.

CVM ex ijs, quæ antea diximus, animorum noſtrorum immortalitatem ex ſententia Ariſtotelis (ut arbitramur) concluſerimus : deinde eorum quæſtiones ac ſententias, qui hanc concluſionem, quam apertam eſſe oſtendimus, labefactare, ac penitus conuellere aggreſſi ſunt, attulerimus in medium: ac ſimul Ariſtotelis auctoritates, quæ nonnullos impulerunt ut ueritatem in contrariam partem traherent, eas præſertim quæ ſpeciem inanem illam quidem, ſed tamen ſpeciem quandam habent (nam omnes perſequi longum ſane, ac fortaſſe inanè fuiſſet) poſtremò nonuulla etiam addiderimus, quę nobis ad id quod efficere cupimus, peragendum uiam munirent: nunc conſequens eſt, ut ad eas ipſas quæſtiones diſſoluendas, ſententiasq; conuellendas (quantum noſtra quidem opera fieri poterit) ueniamus: ut non errantem & uagam, ſed firmam ac ſtabilem de animorum immortalitate ſententiam, quæ uehementer ab omnibus ſanis deſiderari debet, tenere ualeamus.

Aggredientes igitur dictarum quæſtionum diſſolutionem, primùm aſſerimus, ueram fuiſſe concluſionem noſtram, intellectum uidelicet ex Ariſtotelis ſententia immortalem eſſe: quia ratio, quæ ſenſui & naturæ fundamentis innititur, ita exigere, poſtulareq; uidetur. etenim quum non utatur organo corporali, neceſſitas cogit ut non ſit mixtus cum corpore. Quod quum ita ſit, in dubium uenire non poteſt, quin eius natura nullo modo pendeat à corpore: & per id, quod neceſſariò ſequitur non intereat unà cum corpore. Quod autem non utatur inſtrumento corporali, quoniam in ſuperioribus ſatis abundè nos oſtendiſſe arbitramur, ad eum locum lectorem reijcio.

Hoc item alia uia ſic confirmari & corroborari poſſe aliquo modo uidetur, quòd uidemus naturam ipſam ita comparatam eſſe, ut nunquam tranſeat ab extremo ad extremum ſine medio.

Quum ergo darentur formæ quæ ex corpore & in eſſe, & in operari penderent, reperirenturq; aliæ quæ neque in eſſe, neque in operari corpore indigerent: non ſine optima ratione exiſtimandum eſt, dari aliquam formam, quæ in eſſe non pendeat à corpore, in operari uerò utatur aliquo modo corpore, quod ſibi obiectum præſens faciat. quæ quidem uidetur media natura eſſe inter ea quæ dicta ſunt: non eſt enim ſimpliciter immerſa, ut ſunt formæ omnino materiales: neque eſt ſimpliciter abſtracta à corpore, ut ſunt formæ penitus abſtractæ, quibus Ariſtoteles ut hanc differentiam deſignaret, multis in locis addidit aduerbium illud Penitus, inquiens, quum de illis mentionem faceret, De ſubſtantijs penitus abſtractis. niſi enim daretur aliqua ſubſtantia, quæ aliquo quidem modo, ſed non omni ex parte abſtracta eſſet, aduerbium illud Penitus ſuperuacaneum eſſe quis non uidet? ſatis enim ſeiunxiſſet eas, ac ſegregaſſet à formis immerſis, ſi nominaſſet tantum abſtractas à corpore. quod quum nõ fecerit, negare non poſſumus, quin ſenſerit aliquam formam dari, quæ partim eſſet abſtracta à corpore, partim non abſtracta: quæ quidem forma nulla alia eſſe poteſt, quàm intellectus. Medius ergo erit intellectus inter abſtracta penitus, & immerſa penitus. Quod quidem non ſine grauiſſima cauſa factum fuiſſe à natura, intelligi facile poteſt. etenim natura tranſire non ſolet (ut iam diximus) ab extremo ad extremum, ſine medio: quod quidem feciſſet, niſi daretur intellectus eo modo, quo diximus. Intellectũ igitur immortalem eſſe, ſi ita detur, fatendum eſt.

Præterea ſi intellectus eſſet mortalis, Ariſtoteles ualde reprehendendus eſſet: quippe qui in eius cognitione tradenda, non ſeruaſſet quod in ſcientijs ſeruandum eſt diligenter, ut rerum, quarum cognitio traditur, naturæ ac proprietates demonſtrentur, ut diximus in ſuperioribus.

Deinde non præſtitiſſet, quod politicus fuerat initio primi de Anima ijs uerbis,
1. de Aīa quæ in ſuperioribus etiam citata ſunt ob aliam occaſionem: Inquirimus autem con
tex. 3. ſiderare & cognoſcere naturam ipſius, & ſubſtantiam, poſtea quæcunq; accidunt
» circa ipſam: quorum aliæ proprię paſſiones uidentur, aliæ autem communes, & ani
» malibus per illam ineſſe.

Nam quum ſibi propoſitum eſſe dicat, animi naturam & ſubſtantiam perſcrutari, tum paſſiones cognoſcere quæ ipſi accidunt, neceſſariò omnes illi paſſiones animi demonſtrandæ erant: quarum quum eſſet una, & ea quidem principalis, ipſa mortalibus, hanc ab Ariſtotele demonſtrandam atque explicandam fuiſſe conſtat. quod quum prætermiſerit, aut grauiter illum peccaſſe fatendum eſt, qui animi, cuius notitiam tradere uellet, proprietatem omnium maximam, maximeq; ad cognoſcendam neceſſariam omiſerit: aut ſi id nefarium eſt de tanto philoſopho dicere, ut certè eſt, concludamus oportet, ipſum eius fuiſſe ſententiæ, ut exiſtimaret animum noſtrum eſſe immortalem.

Quod ſi aliqui dicerent, Ariſtotelem ex propoſito demonſtraſſe animi mortalitatem: afferant locum aliquem ex tertio de Anima, quo in libro erat demonſtranda, ubi hoc ille præſtiterit. At quum afferre nullum poſſint, ut perſpicuè patet conſiderantibus uniuerſum illum librū. relinquitur, eos falſam de hac re, & contra Ariſtotelis ſententiam, opinionem ſequi. Neque enim afferre poſſunt illa uerba: Ne-
» ceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari.

Quoniam hæc non eſt demonſtratio, ſed dictum quod conſequitur ex demonſtratione, qua probauit animum eſſe immortalem, ut dicemus. Quî enim ſciremus nos, neceſſarium eſſe intelligentem phantaſmata ſpeculari, & phantaſmata ſe habere ad intellectum ſicut ſenſibilia ad ſenſum, niſi ex demonſtratione dicta illa nobis palàm fieret?

Adde huc, quòd illa uerba aliò pertinent. Neque ad confirmandum animi mor
» talitatem ſatis erat dicere, Intellectum phantaſiam eſſe, uel non ſine phantaſia con-
» tingere ipſum ſeparari. Quoniam hæc indigebant demonſtratione. ſunt enim dicta non demonſtrationes, ut in ſuperioribus diximus. Etenim ſicut uidemus Ariſtotelem, quum multis in locis ſcriptum reliquiſſet, animum noſtrum immortalem ac ſempiternum eſſe, non fuiſſe contentum eo, ſed demonſtrationem adhibuiſſe, ex cuius ui illud pertulerat: ſic etiam ſatis non fuiſſet ei proferre ea quæ dicta ſunt, & miſſam facere demonſtrationem. Nullo igitur modo, ut arbitror, iſti, licet alioquin egregij philoſophi, qui animi mortalitatem ex Ariſtotelis ſententia ponunt, tueri ipſum poſſunt, quin mancus & mutilatus in re maximi momenti fuiſſe uideatur: quod de tanto uiro, in re tali, aſſerere, facinus ex omnibus indigniſſimum eſſe exiſtimo.

Neque etiam illud, quod nonnulli ſolent dicere, nón reijciendum eſt, quod etiam in ſuperioribus attigimus: Ariſtotelem auſum non eſſe quid de hac re ſentiret palàm & apertè proferre, quod religionis ſuæ auctoritatem uereretur: itaque hanc demonſtrationem omiſiſſe.

Nam cur ei non licuiſſet hoc ex ratione naturali impunè aſſerere, ſicut licuit multo peiora proferre? Quid enim (per Deum immortalem) peius eſſe potuit ad religionis rationem, quàm ſcriptū relinquere, Dei optimam maximam poteſtatem finitam eſſe, ipſumq; nihil extra ſe intelligere, mundumq; eſſe æternum, ut multis in locis apertè dixit? certè nihil. Si ergo hæc auſus eſt Ariſtoteles affirmare, quod illis qui in eius doctrina rectè uerſati ſunt dubium eſſe non poteſt: ridiculè ſanè contendunt iſti, ipſum demonſtrationem illam ob pœnæ timorem omiſiſſe. Qui ergo hoc dicunt, non defendunt (ut nos quidem arbitramur) Ariſtotelē. Quare concludendum eſſe uidetur, ipſum omnino exiſtimaſſe animum noſtrum perpetuum, incoruptibilem, impaſſibilem, & immortalem eſſe: quia hæc omnia confirmat demonſtratio, quæ & ſenſui & naturæ fundamentis innititur.

Veniamus iam ad diſſolutionem quæſtionum propoſitarum.

SECTIO SECVNDA.

REſpondentes igitur ad illum textum, Si autē & hoc phantaſia quædam eſt, aut 1. de aīa
non ſine phantaſia, nō contingit utiq;, neque hoc ſine corpore eſſe: Dicimus tex. 12.
primùm (non diſcendo ab ijs quæ initio ſtatuimus, principijs) intellectum noſtrum ex ratione naturali, falſa tamen, atque omnino reijcienda à nobis, quibus lumine ſpiritus ſancti oſtenſa eſt ac patefacta ueritas, unum eſſe in cunctis hominibus. Deinde Ariſtotelem negaſſe ipſum eſſe phantaſiam, propterea quòd eius operatio carebat organo. addidiſſe autem, non eſſe ſine phantaſia: quoniam ut in ſuperioribus declaratum eſt, nihil erat actu eorum quæ intelligebat, antequam ea intelligeret, ſed erat in pura potentia. Itaque neceſſitas cogebat, ut redigeretur ad actum ab aliquo extrinſecus accedente. Siquidem uidemus ipſum intelligere. Fieri autem non poterat ut ex ſeipſo redigeretur ad actum, quippe qui eſſet in pura potentia: hæc uerò fruſtrà fuiſſet, quemadmodum dicebat Ariſtoteles, fruſtrà eſſe calceamentum cuius non eſſet calceatio. Item nunquam operatus eſſet ille intellectus, ergo nunquam fuiſſet: quia tolle actiones à rebus, tolles eſſentias.

Ergo neceſſe erat, ut redigeretur ad actum ab aliquo extrinſecus accedente. At hoc non poterat eſſe niſi eius obiectum, quia obiectum eſt id quod mouet potentiam: ergo obiectum eſt illud quod redigit ipſum ad actum. ſed obiectum non poteſt intellectum redigere ad actum, niſi ſit præſens, non poteſt enim aliter mouere: ſicut ſenſibile non mouet ſenſum, niſi adſit ipſi ſenſui. ſed obiectum intellectus non poteſt præſens eſſe ſine phantaſia, ut perſpicuum eſt ſi conſideremus omnes animi
potentias: ergo fieri non poteſt, ut intellectus intelligat ſine phantaſia. Quare in- 3. de anim.
quit Ariſtoteles, quum ſpecularetur intelligens, neceſſe eſt ſimul phantaſma ſpecu- tex. 39.
lari. phantaſmata enim ſicut ſenſibilia ſunt, propter quod ſunt ſine materia. Non
eſt ergo intellectus phantaſia quædam, quia nullum habet organum: non eſt tamen ſine phantaſia, propter cauſas allatas: nullum igitur proptium habebit opus ſine phantaſia. & per id (quod neceſſariò ſequitur) ſine corpore.

Etenim quum eius operatio ſit intelligere, & ipſe non poſſit eſſe ſine operatione: Intelligere autem non poſſit eſſe ſine corpore: neceſſariò ſequitur, ut intellectus non poſſit eſſe ſine corpore. Hæ igitur ſunt cauſæ, quare Ariſtoteles dixerit:
Quod ſi intelligere eſt phantaſia quædam, uel non ſine phantaſia, non contingit 1. de anim.
ipſum eſſe ſine corpore. Item: ſi quod igitur animæ operum aut paſſionum eſt tex. 12.
proprium, cōtingit utique ipſam ſeparari ab ipſo: ſi uerò nullum eſt proptium, non 1. de anim.
erit utiq; ſeparabilis. tex. 13.

Quod autem nō habeat opus proprium ſeorſum à corpore, colligitur ex demonſtratione dicta.

His explicatis dicimus, intellectum non eſſe ſeparatum à corpore, & eſſe ſeparatum à corpore. hæc enim duo protulit Ariſtoteles: quæ tantum abeſt ut inter ſe pugnent, ut neceſſarium ſit ita ex fundamentis poſitis aſſerere. Nam quum dixit intellectum noſtrum non eſſe ſeparatum à corpore, ſignificat non poſſe eſſe ſeorſum à corpore, ita ut per ſe exiſtat ſine corpore: eſt enim ſemper in aliquo corpore, propter cauſam allatam: quia alioquin nullam haberet operationem. Quum uerò dicit eſſe ſeparatum à corpore, intelligit quòd ſeparatur ab hoc, & ab illo corpore: ut à corpore Socratis & Platonis, & omnium ſingularium, quæ ſunt corruptibilia. Atque hoc pacto conciliantur hæc duo Ariſtotelis dicta, quæ uidentur inter ſe pugnare.

Sicut etiam cogimur de materia ptima dicere, ſi uolumus eſſe peripatetici. Etenim quum dicit Ariſtoteles, materiam primam, quæ eſt in pura potentia, eſſe ſeparabilem à forma, & non eſſe ſeparabilem à forma: intelligi debet, eſſe quidem ſeparabilem à forma, quia ſeparatur ab hac, & ab illa forma: non eſſe autem ſeparabilem à forma ſimpliciter, quia nunquam eſt ſine aliqua forma, alioquin

quòd

quod non eſſet actu, eſſet actu. Ideoq; dixit Ariſtoteles corruptionem unius eſſe generationem alterius: & quod ultimum non eſſe formæ corrumpendæ, erat primum
7. Meta. eſſe formæ generandæ. Et hoc modo uidetur intellexiſſe, cum ſeptimo Meta. text.
tex. 2. ſecundo, loquens de ſubſtantia dixit.

» Multis igitur modis dicitur, primùm omnium tamen eſt ipſa ſubſtantia primum
» & ratione, & cognitione, & tempore. Nam cæterorum quidem, quæ prædicantur, nihil prorſus eſt ſeparabile: ipſa autem ſola ſeparabilis eſt. Quod quidem euenire non poteſt, niſi quia ipſa poteſt ſeparari ab hoc, uel ab illo accidente. Quod uidetur innuiſſe in prædicamento ſubſtantiæ, cùm hæc protulit uerba.

» Maxime uerò ſubſtantiæ proprium eſſe uidetur, quòd quum unum & idem numero ſit, contrariorum ſuſceptibilem eſſe. in alijs quidem non habebit quiſq; quid tale proferat, quæcunque non ſunt ſubſtantiæ, quòd quum ſit unum numero, ſuſceptibile contrariorum ſit: ueluti color, quod eſt unum & idem numero, non erit album & nigrum, neq; eadem actio numero erit praua & ſtudioſa. ſimiliter autem & in alijs, quæ ſubſtantię non ſunt. ſubſtantia autem quum unum & idem numero ſit, capax contrariorum eſt: ut homo cùm unus & idem numero ſit, aliquando quidem niger, aliquando autem fit albus, & calidus & frigidus fit, & prauus & ſtudioſus.

Quare perſpicuum eſt, ſubſtantiam poſſe ſeparari ab hoc, uel ab illo accidente: non poſſe tamen ſimpliciter ſeparari ab accidente, ita eſt in promptu, ut quaſi turpè exiſtimem illud uelle oſtendere. ex eis tamen quæ dicentur in ſequentibus, colligi poterit.

Non ergo à ratione & à conſuetudine loquendi Ariſtoteles abhorret, explicare modo dicto ſeparationem ipſius intellectus à corpore.

Quum uerò inferebatur, ſi intellectus non eſt ſeparabilis à corpore, ergo mortalis: negamus conſequentiam, ſi intelligatur intellectum non eſſe ſeparabilem à corpore ſimpliciter. ex hoc enim non ſequitur, ut ſit mortalis.

Si uerò intelligitur ipſum non eſſe ſeparabilem ab hoc uel ab illo particulari corpore: fatemur quidem ualere conſequentiam, ſed negamus id quod antecedit. quia quum intellectus non habeat organum corporale, ſequitur ut non ſit mixtus cum corpore, & ſic abſtractus ab illo, & ſeparabilis: ac rurſus quum ſit in pura potentia, & neceſſariò operetur. cumq; eius operatio ſit intelligere, & intelligere non poſſit eſſe (ut dictum eſt) ſiue phantaſia, neceſſitas cogit ut ipſe ſit ſemper in aliquo corpore, licet non ſemper in hoc uel in illo. Patet igitur, non pugnare inter ſe hæc Ariſtotelis dicta, intellectum eſſe ſeparabilem à corpore, & non eſſe ſeparabilem à corpore.

» Itemq; rectè illum dixiſſe: Si intellectus eſt phantaſia quædam, uel nõ ſine phan-
» taſia: nec contingit utiq;, neq; hoc ſine corpore eſſe, quia ex fundamentis naturæ, li-
» cet falſis, ut diximus, eſt unus numero in omnibus intellectus, rectè etiã ex eiſdem
» fundamentis protuliſſe illud. Si quid igitur animæ operum aut paſſionum eſt pro-
» prium, continget ipſam ſeparari ab ipſo.

Etenim ſi conſtaret naturaliter, ſicut ex fide perſpicuum eſt, animum noſtrum intelligere ſeorſum à corpore, dubium non eſſet quin ſeiungeretur omnino non ſolum ab hoc, uel ab illo corpore, ſed etiam ab omni corpore ſimpliciter & abſolutè.

Nunc autem quum uia naturali non uideatur hoc affirmari poſſe, ob rationes dictas: ſequitur omnino, ipſum intellectum quum non habeat opus proprium, id eſt opus quod ex eo ſolo oriatur ſine corpore, ſed ſemper indigeat in ſua operatione corpore, non eſſe ſeparabilẽ ſimpliciter à corpore: alioquin poſſet eſſe ſine ſua propria operatione, quod quidem eſt abſurdiſſimum.

Tantum igitur abeſt (ut ego quidem arbitror) ut ex eo quod intellectus non ſit ſine phantaſia, ſequatur ut ſit generabilis & corruptibilis, ut hoc ſit maximo argumento ipſum ſine controuerſia eſſe perpetuum & immortalem. Etenim ſi eſſet mortalis, eſſet phantaſia quædam, quia eſſet uirtus educta ex potentia corporis: non poſſunt autem plures formæ, quæ oriantur ex potentia materiæ, eſſe in eodem corpore: & haberet organum corporale, ut cæteræ uirtutes ſenſitiuæ: nec di-

cernetur indigere phantaſia, ſicur non dicitur ipſa phantaſia, nec reliquæ uirtutes ſenſitiuæ. Cùm ergo non ſit phantaſia, neceſſariò ſequitur ut ſit abſtractus à materia. & cùm ſit abſtractus à materia, ſitq; in pura potentia ad intelligibilia, antequam intelligat: ergo uirturem aliquam habeat oportet, quæ ipſi repræſentet obiectum. at hæc uirtus non poreſt eſſe alia, quàm phantaſia: ut ex eis quæ ab Ariſtotele declarata ſunt, perſpicuum eſt. non poteſt ergo intelligere ſine phantaſia. 2. de ani. cap. ult.

Itaque cùm dicitur, intellectum non eſſe phantaſiam, ſed neceſſariò eſſe cum phantaſia: ſignificatur omnino intellectum non eſſe corruptibilem & generabilem. nam ſi eſſet eiuſmodi, eſſet uirtus ex corpore educta: & cùm non poſſint eſſe plures formæ eiuſdem generis, in eadem materia eſſet phantaſia. Ideoq; uirtus organica (ut dictum eſt) non ſeparabitur: ergo intellectus à corpore ſimpliciter, quia indiget phantaſia, neque interibit tamen corpore interempto, quia non eſt mixtus cum corpore.

Ita iam diſſolutæ uidētur perarduæ illę quæſtiones, quę apud nonnullos tantum ualuerunt, ut à ueritate eos in contrariam partem raperent.

Ad confirmationem ſumptam ex definitione animæ, concedimus, animam eſſe actum corporis, neq; eſſe ſeparabilē à corpore ſimpliciter eo modo quo dictū eſt: quia actus non ſeparatur ab eo cuius eſt actus.

Cùm uerò inferebatur, Ergo eſt generabilis & corruptibilis, ad generationem & corruptionem corporis; negamus conſequentiam.

Ad probationem, quia quòd non poteſt eſſe ſine corpore, neceſſe eſt ut ſequatur generationem & corruptionem corporis: negamus hanc quoque. Etenim ex hoc quòd anima non poſsit eſſe ſine corpore, non ſequitur, ut corrumpatur ad corruptionem corporis. ſequeretur quidem, ſi nō poſſet eſſe ſine hoc, uel illo corpore: interiret enim, ad interitum huius uel illius corporis: nunc uerò cùm ſit una ex fundamentis naturæ, ſalſis tamen (ut diximus) ſatis eſt illam ſemper eſſe in aliquo corpore. Nam cùm ſingularia ſeruentur per continuam ſucceſsionem indiuiduorum, ipſa ſemper erit actus alicuius corporis, non determinati, ſed huius uel illius: quandoquidem ſi eſſet determinati corporis, educta eſſet ex potentia illius corporis, & ita non eſſet ſeparabilis ab illo. quare neceſſariò interiret unà cum ipſo corpore. ſed definitio animæ non oſtendit ipſam eſſe actum determinati corporis, ſed ſolum eſſe actum corporis ſimpliciter. Quod uerò non ſit actus determinati corporis (mea quidem ſententia) perſpicitur ex hoc, quod non habet organum corporale. ex hoc enim ſequitur, ut ſit abſtracta à materia: atq; hinc, ut ſit una in omnibus ſingularibus. ex quo demū efficitur, ut non ſit actus determinati corporis, ſed corporis ſimpliciter. Nihil ergo uidetur facere contra noſtram opinionē, argumentum illud ex definitione animæ ſumptum: etſi multos, & illos etiam non negligendos, philoſophos mirum in modum commouit.

Eadem diſſolutione diſſoluitur etiam altera confirmàtio, ſumpta ex ſecundo de Anima, texr. uigeſimoſexto, quia conceſſimus animam non eſſe ſine corpore, & eſſe aliquid corporis, nempe actum: ex quo tamen oſtendimus nō ſequi, ut intereat ſimul cum corpore. 2. de anim. tex. 26.

SECTIO TERTIA.

ERat alia quæſtio, quæ ſemper uiſa eſt peritiſsimorum hominūm ingenia exercere. Intellectus continet in potentia omnes partes animæ, quæ educuntur ex potentia materiæ: ergo ipſe educitur ex potentia materiæ. quia non contineret in potentia reliquas animę partes, niſi eſſet eiuſdem generis, ut perſpicuum eſt.

Huic quæſtioni reſpondentes, negamus id quod antecedit.

Ad probationem, quæ afferebatur ex ſecundo de Anima text. trigeſimoprimo dicimus, Ariſtotelem ibi loquutum eſſe de Animis qui ſunt eiuſdem generis, & qui educuntur ex potentia materiæ, ut perſpicuum eſt ex eius exemplo, quum dixit: In ſenſitiuo autem uegetatiuum. hoc enim protulit de Anima, non 2. de anim. tex. 31.

diſtinguendo de qua intelligeret, quia nondum oſtenderet intellectum eſſe aliud genus animæ. Non ergo patet ex illo tex. quod intellectiuum contineat potentia ſenſitiuum, ſicut ſenſitiuum uegetatiuum. Nō enim hoc explicauit Ariſtoteles, nec potuit explicare, cùm eſſet demonſtraturus intellectum eſſe aliud genus animæ à ſenſitiuo.

2. de anim. Neque obſtat illud, quod Quibus ineſt ratiocinatio corruptibiliū, hic & reliqua
tex. 32. omnia: quia uerum eſt, ipſum intellectum non poſſe in aliquo eſſe ſine ſenſitiuo & uegetatiuo: ex hoc tamen non ſequitur, ut contineat in potentia uegetatiuum & ſenſitiuum. efficeretur enim, ut ſenſitiuum non eſſet in homine ſeorſum ab intellectu. quod quidē abhorret à doctrina Ariſtotelis. Aliud autem eſt oſtendere aliquid, ſupponere quippiam: aliud, continere illud in potētia. nam forma materialis ſupponit in materia qualitates elementorum, & multas alias qualitates. etenim non poteſt eſſe in materia ſine illis, non tamen continet in potentia illas. ergo non ſequitur, animam rationalem continere potentia & uirtute reliquas animas, quin illas ſupponat.

Item ſenſus uiſus, & ſenſus olfactus, ſupponunt ſenſum tactus, non tamen continent in potentia ſenſum tactus, quia ſenſus tactus eſt ex ſe ab illis diuerſus, in ijs etiā in quibus ſunt omnes his ſenſus.

Quod uerò addebatur, Si intellectus non poteſt eſſe ſine ſenſitiuo, ergo non poteſt ſeparari à corpore. Concedimus, ipſum non poſſe ſeparari à corpore, eo modo quo dictum eſt: negamus tamen ex hoc ſequi, ut ſit mortalis.

3. de anim. Eodem modo reſpondemus ad aliam auctoritatem Ariſtotelis, ex tertio de ani-
tex. 36. ma: quia concedimus in eo ſenſu, quem diximus, intellectum non eſſe ſeparabilem à magnitudine. Negamus autem ex hoc fieri, ut intereat diſſoluta magnitudine. Erat enim difficultas, cùm intellectus ſemper intelligat in corpore, quomodo poſſit intelligere ea quæ non ſunt in corpore, ſed ſeparata à corpore. Quæſtio tamen conuenit in rem, ſed non euertit ſententiam noſtram.

Quod item non ualeat abſolutè, & ſimpliciter, cùm dicitur, Hoc eſt in corpore, & non ſeparatur à corpore: ergo eſt generabile & corruptibile: oſtēdunt intelligentiæ. quippe quæ ſunt in corpore cœleſti, ut dixit Ariſtoteles multis in locis, & maxi-
1. Cœli mè primo Cœli, cùm inquit: Conſueuimus enim extremū, & quod ſurſum maximè
tex. 96. locare cœlum in quo & diuinum omne locatum eſſe diximus.
8. Phyſ. Item octauo Phyſ. ubi ait: Neceſſe eſt autem aut in medio, aut in circulo eſſe: hoc
tex. 84. enim principia ſunt, ſed citius mouentur proxima mouenti. huiuſmodi autem eſt totius motus, ibi ergo eſt mouens.

Patet etiam hoc ratione, quia ſi intelligentiæ non eſſent in corpore non mouerēt orbes, neq; eis darent eſſe. Item, non eſſent naturæ. quia non eſſent principium motus & quietis, eius in quo ſunt primò, & per ſe, & non ſecundum accidens. ſunt ergo in corpore, & nunquam ſeparātur ab illo &, tamen non ſunt generabiles & corruptibiles. Quod ut ſequatur, oportet aliud addere, uidelicet quod ſit in corpore, neq; ſeparetur à corpore, id etiam uti inſtrumento corporali. tunc enim ſequetur ut ſit generabile & corruptibile: quia illa uirtus, quæ in ſui operatione utit̃ inſtrumento corporali, neceſſariò eſt educta ex potentia corporis, & quod eductum eſt ex potentia corporis, ut intereat neceſſe eſſe corpore interempto. non enim poteſt ſeparari ab illo.

Quod ſi ab Ariſtotele dicuntur intelligentiæ ſeparabiles, ideo dicuntur, quia nō educunt̃ è potentia corporis, neq; utuntur corpore in ipſarum operatione: ſed earū operationem & perfectionem illud ſequitur, ut dent eſſe ipſi cœlo, ſicut diximus in ſuperioribus: & ut moueant ipſum. In quem item ſenſum poſſumus illud accipere, intellectum noſtrum eſſe ſeparatum à corpore, quia ſcilicet nō educitur è potentia illius, & quia poteſt ſeparari ab hoc uel ab illo corpore, non tamen ab omni corpore ſimpliciter.

Quod uerò inferebatur ex uerbis Ariſtotelis, animā eſſe inſeparabilem à corpore, ſiquidem eius contēplatio pertineret ad philoſophū naturalem, & ita uideri eſſe
8. Meta. corruptibilem: negamus utranque conſequentiam. Neq; enim ſequitur, ut anima
tex. 2. ſit generabilis & corruptibilis, quia ſit inſeparabilis à corpore eo modo quo diximus.

mus. Neq; etiam ſequitur, ſi eſt philoſophi naturalis, ut non ſit ſeparabilis à corpo-
re: quia oſtendimus in ſuperioribus, philoſophum naturalem poſſe non ſolum con-
ſiderare formas abſtractas, quæ non ſunt omnino abſtractæ, uerùm etiam formas
penitus abſtractas: & quoniam de hac re pluribus egimus in ſuperioribus, ne nimij
ſimus, reijcio Lectorem ad illum locum: ubi etiam declarauimus, quare Ariſtote-
les protulerit multis in locis, philoſophum naturalem conſiderare ſolum inſepara-
bilia, licet conſideret etiam ſeparabilia, & ita nihil facit contra nos ille textus ſexti
Metaphyſicorum.

Concedimus etiam, quòd ibi aſſerit paulo pòſt Ariſtoteles, uidelicet philoſophũ 6.Mets.
naturalem contemplari animam, quæ non eſt ſine materia: quia cõtemplatur etiam tex.2.
animam intellectiuam, quæ in ſua operatione indigent corpore eo modo quo dixi 6.Meta.
mus. & ita in comparatione ad ſubſtantias penitus abſtractas, dicuntur non eſſe ſi- tex. 3.
ne materia. non tamen ex hoc ſequitur, ut ſit generabilis & corruptibilis, quemad-
modũ iam toties dictũ eſt. Ita uerò loquutus eſſe uidetur Ariſtoteles, ut oſtenderet
philòſophum naturalẽ non contemplari primo ſubſtantias penitus abſtractas, quæ
non indigent corpore neq; in eſſendo, neq; in operando. Ac ſi rectè quidẽ perpen
dantur, maximè ea quæ dicta ſunt in ſuperioribus de prima philoſophia, & de philo
ſophia naturali, futurũ eſſe confido, ut eæ reſponſiones quas dedimus, non uidean-
tur abſurdæ, neq; abhorrere ab Ariſtotelis ſentẽtia, quæ aliter planè incõſtans & in-
certa eſſet: eiusq; doctrina meo quidẽ iudicio ſuſtineri non poſſet, quin tota peni-
tus corrueret. quare de his omnibus reijcio Lectorem ad ſuperiora quæ dicta fue-
runt, ut diſſoluerentur huiuſmodi quæſtiones. Satis erit nunc dicere, etiamſi Ari
ſtoteles dixiſſet philoſophum naturalem conſiderare ſolum formas penitus immer
ſas: non tamen ex hoc ſequuturum fuiſſe, ut non contemplaretur etiam animam ra-
tionalem, quæ non eſt penitus immerſa: quandoquidem, ut declaratum fuit in ſupe
rioribus, ideo protulit Ariſtoteles philoſophiam naturalem conſiderare materia-
lia, & ea quæ mouentur, & definire per materiam: quia illa quæ ab ipſo maiori ex
parte, uel primò & principaliter conſiderantur, ſunt immerſa materiæ, ſimpliciter
uel aliquo modo pendent à materia: ut anima rationalis, quæ licet non ineſſe, tamẽ
in operari pendet à materia, ſicut diximus. cùm ergo ita eſſet, potuit Ariſtoteles (ut
mos eſt ipſius) hanc generalem propoſitionem proferre, quod quæcunq; primò &
principaliter, & maiori ex parte conſiderantur à philoſopho naturali, pendent ali-
quomodo à materia, & ſunt cum motu. Quare ferè ſemper dixit, quòd quæcunq;
mota mouent, ſunt Phyſicæ conſiderationis: & quòd philoſophia naturalis definit
per materiam, etiam in comparatione ad mathematicam. Quod tamen ab eo non
ideo dictum eſt, ut oſtendimus, quia naturalis philoſophia primò & principaliter
conſideret omnia mobilia, ſiquidem mobilia uniuerſaliora attinent ad primam
philoſophiam: ſed quia illa, quæ maiori ex parte conſiderat, uel primò, in com-
paratione ad alia ſunt mobilia. Quare (ut dictum eſt) deſcribens ſubie-
ctum philoſophiæ naturalis, ipſum ferè ſemper deſcripſit per motum: ut uidelicet
indicaret, omnia quæ principaliter conſiderantur ab ipſa in comparatione eorum
quæ non conſiderantur primò & principaliter, ut ſunt ſubſtantiæ penitus abſtractę:
ſicut etiam dixit primam philoſophiam ſpeculari ſubſtantias abſtractas, ut ex ijs o-
ſtenderet eius perfectionem: quia in comparatione cæterarum rerum, quas conſi-
derat, ſunt perfectiores: in comparatione uerò philoſophiæ naturalis, eas ipſa pri-
mò contemplatur, quo cùm tamen ſtabat etiam, ut uerè & per ſe eius ſubiectum eſ-
ſet ens: & per id, quod neceſſario ſequitur, ut ipſa contemplaretur entia etiam mo-
bilia. Itaq; eis quæ dicta ſunt de philoſophia naturali, quòd uidelicet conſideret ma-
terialia, & ea quæ mouentur: & quòd definiat per motum, non repugnabit, ut præ-
ter materialia contempletur etiam aliqua immaterialia, ſicut formas cœleſtes, & ani
mam intellectiuam. Atq; hoc quidem dictum eo modo accipiendum eſt, quo il-
lud, Quòd ſol & homo generant hominem: cùm tamen non ideo putandum ſit, cæ 2.Phyſic.
teros planetas & motores, & maximè primum Motorem non concurrere ad gene- tex.26.
rationem hominis. nam hoc eſſet euertere ſententiam Ariſtotelis, & ueritatem. Sed
dicendum eſt, hoc ita protuliſſe Ariſtotelem, quia magis manifeſtè uidebatur ſol
ad hanc generationem conferre, Qui quidem loquendi modus apud ipſum ita fre-

quens eſt, ut nemini qui paulùm modò in eius doctrina uerſatus ſit, admirationem afferre poſſit. Inquit enim ſecundo de Generatione & corruptione, tex. 56. Oportet autem multos eſſe motus, & contrarios motus, aut latione, aut inæqualitate. Contrariorum enim contrariæ cauſæ. ideoq; non prima latio cauſa generationis & corruptionis, ſed quæ circa obliquum circulum. in hac enim & continuum eſt, & moueri, ſecundum duos motus.

2. de Gene. & cor. tex. 56.

Quibus uerbis uidetur reijcere à generatione primam lationem, quæ tamen eſt maxima generationis cauſa.

Deinde addit: Quocirca ſi in accidendo & in propè eſſe generat, & in recedendo & longè fieri idipſum corrumpit, & ſi in multotiens adueniendo generat, & multotiens recedendo corrumpit. Vnde uidetur colligi, cum ſol uerſus tropicũ cancri aduenit, fieri generationem, & non corruptionem: ac rurſus, eum uerſus tropicũ capricorni recedit, fieri corruptionem, non generationem: cùm tamen multa uideamus corrumpi cum ſol accedit uerſus tropicum cancri, & multa generari cùm proficiſcitur uerſus tropicum capricorni.

Et quod magis etiam urget, cùm non poſſit eſſe generatio ſine corruptione, & corruptio ſine generatione. Sed quoniam dicendum non eſt hæc ignoraſſe Ariſtotelem, quæ cuiuis aperta ſunt: neceſſitas cogit, ut eius uerba trahamus in bonũ ſenſum, interpretantes ita illum eſſe loquutum, quia manifeſtiores ſunt generationes ſole accedente ad nos, & perfectiora etiam generantur: recedente uerò, manifeſtiores ſunt corruptiones, & imperfectiora generantur. Sed quid eſt quod nobis maiorem admirationem afferre poſſit, & quod magis nos commoueat, ut putemus nullum corpus cœleſte præter ſolem concurrere ad productionem caloris, & per id quod neceſſariò ſequitur, ad generationem & corruptionem, quàm illud quod ſcriptum reliquit Ariſtoteles ad hunc modum: Videmus itaq; motum, quòd poteſt diſgregare aërem, & ignire, & ut lata liquefacta uideantur ſæpe: eius igitur quod eſt fieri æſtum & calorem, ſufficiens eſt efficere, & ſolis latio tantum: uelocem enim oportet, & non longè eſſe ipſius: quæ quidem aſtrorum uelox, longè autem: quæ autem lunæ deorſum quidem, tarda autem: quæ autem ſolis, ambo habet ſufficientes, fieri autem magis ſimul cum ſole ipſo caliditatem, rationabile ſumentes ſimile quæ apud nos fiunt. etenim uiolantia latis uicinus aër maximè fit calidus, & hoc rationabiliter accidit. Maximè enim motus ſolidi diſgregat ipſum. propter hanc igitur cauſam pertingit ad hunc locum caliditas, & quia ambiens ignis per aerem ſpargitur frequenter motu, & feritur uiolantia deorſum.

1. Metheo. cap. 4.

Videtur enim duo dicere, quæ apertè cum ijs quæ dixit alibi pugnant: quorum unum eſt, quòd tantum ſol producit caliditatẽ, ex quo ſequitur, ut luna & reliquæ ſtellæ non producant calorem. Alterum, quod lumen non calefacit, ſed ſolũ motus. quæ duo planè reſpuenda ſunt, atq; repudianda. Quid uerò? cùm reddens cauſam cur motus ſolis tantum ſatis ſit ad producendũ, ait: Quia eſt uelox, & propè. ſimulq; reijcit motũ aſtrorum, quia non ſunt propè: & motũ lunæ, quia non eſt uelox. quantam hæc admirationẽ cuiuis, uel mediocriter erudito afferre debent? neq; enim ſatis cõſtat, ad calorem producendũ quid faciat ſolis uelocitas uel propinquitas, cùm orbis lunę moueatur motu diurno, ſicut ſolis orbis, & motu proprio uiginti nouem dierũ ſpacio. Quanq; motus proprius nõ uidetur hoc efficere quod dicit Ariſtotel.

Item quid confert propinquitas ſolis ad mouendũ aerem, & eius uelocitas, cum aer non poſſit uelocius moueri, quàm moueatur ad motũ orbis lunæ, eſt enim motus iſte per contractum: ſol aũt non tangit aerem niſi per multa corpora media, quæ non poteſt mouere ea uelocitate qua mouetur ipſe. non poteſt enim rapere illa: neceſſe ergo eſt aerem moueri uelocitate lunæ, quæ tangit ipſum. quòd ſi orbis ſolis moueat aerem, quia moueat corpora quæ inter aerẽ & ipſum interiecta ſunt, quare non dicitur primus orbis mouere aerẽ, à quo cæteri omnes mouentur. Quid ergo conferat propinquitas illa ſolis, uel uelocitas, non ſatis apparet.

Præterea ſequitur ex uerbis Ariſtotelis, ut lumen non producat calorem: quod quidẽ ſenſui ita repugnat, ut qui hoc neget, is ſenſu omnino indigeat. Etenim ut fugiamus calorem, fugimus lumen ſolis, atq; ad umbras ſecedimus: & cum ambulamus in ſole ubi maior fit repercuſſio radiorum ſolis, ibi maiores ſentimus calores.

Item

Item fieri non poteſt, ut ſol per motum calefaciat iſta inferiora, ergo uerum eſſe nõ poteſt quod dicit Ariſtoteles. Probatur antecedens: quia motus cœli dictus non poteſt peruenire uſq; ad eam regionem aëris, in qua coguntur nubes, ita ut locum illum calefaciat: ergo multò minus poteſt peruenire ad iſta loca inferiora. Conſequentia perſpicua eſt. Antecedens probatur his uerbis Ariſtotelis: Nihil enim prohibet, propter eam quæ in circuitu lationem prohiberi, conſtare nubes in ſuperiori loco. fluere enim neceſſarium omnem qui in circuitu aërem, quicunq; intra periferiam capitur definitam: ut & terra ſphærica ſit tota. uidetur enim & nunc uentorum generatio in ſtagantibus locis terræ, & non excedere uentos altos montes: fluit autem aër in circuitu, quia ſimul trahitur cum totius circulatione. ignis quidem eſt cum eo, quod ſurſum elemento: cum igne autem aër continuus eſt. quare & propter motum, prohibetur congregari in aquam.

1. Meth. o. cap 3.

Neq; ualet dicere, quòd impellat ignem deorſum: quia ille ignis poſſet etiam calefacere regionem nubium. quam cùm non calefaciat ex ſententia Ariſtotelis, neceſſe eſt ut non calefaciat illo motu iſta inferiora.

Item, ſi ſolo motu ſol calefaceret iſta inferiora, æquè calefaceret in hyeme, atq; in æſtate. Conſequens aduerſatur ſenſui: ergo illud ex quo emanat, reijciendum eſt. Conſequentia manifeſta eſt: quia eſt ſemper idem motus. non enim mouetur citius in æſtate quàm in hyeme.

Item, loca umbris òpaca ita calida eſſent in æſtate & in hyeme, ſicut loca radijs ſolis patentia. Conſequens repugnat ſenſui: ergo & ueritati, illud unde conſequitur. Antecedens probatur: quia eſt idem motus.

Item, calidiora eſſent uallibus montium cacumina, quippe quæ ſunt motui cœli propinquiora. at hoc à ſenſu diſſidet: ergo abhorret à ueritate, id ex quo fluxit.

Præterea, ad hoc ut reperiretur generatio & corruptio, neceſſarium non eſſet multos eſſe motus, & contrarios, aut latione aut inæqualitate. Conſequens eſt falſum, euertit enim ſenſum ex ſententia Ariſtotelis: ergo & id unde ſequitur. Probatur conſequentia: quia ſatis eſſet motus diurnus, qui moueret ignem & aërem, uel proijceret ignẽ deorſum: hoc enim uidetur ſignificare Ariſtoteles loco citato, cùm dicat hoc fieri à ſole, quia eſt uelox et propinquus. nõ enim fit niſi motu illo diurno.

2. de gene. & cor. tex. 56.

Quod etiam conſpicuum eſt: quia motus proprij, quatenus ſunt motus, non poſſunt hoc præſtare. Aduerſatur igitur hoc Ariſtotelis dictum ſenſui & rationi.

Iam uerò ſi ſol motu ſolo calefaceret, reddi nõ poſſet cauſa, quare nubes, & grandines, & pluuiæ, maiori ex parte non fierent in ultima regione aëris, quæ eſt prima apud nos, ſed in media: non enim poteſt eſſe alia quàm reflexio radiorum ſolis: ergo ſol non tantum motu, ſed etiam lumine calefacit.

SECTIO QVARTA.

PRæterea hoc dicto Ariſtoteles repugnat ſibipſi in multis locis: ergo non recte loquutus eſt. Probatur antecedens, & primò cùm inquit: Eius autem quod eſt, non fieri multos ſæpe cometas, & magis extra tropicos quàm intra, cauſa ſolis & aſtrorum motus, non ſolum ſegregans calidum, ſed & diſgregans quod conſiſtit. Maximè autem cauſa, quia plurimum in lactis congregatur regionem. His enim uerbis apertè ſignificat, motum etiam reliquorum aſtrorum, præter ſolem, producere caliditatem. quod ſi detur, non uideo quomodo latio tantum ſolis ſit idonea cauſa ad producendum calorem.

1. Metheo. cap. 2.

Item cùm ait: Quod quidem igitur ut mouens, & principale & primum principiorum circulus eſt, in quo manifeſtè ſolis latio, diſgregans & congregans in fieri propè aut longius, cauſa generationis & corruptionis eſt. Manente autem terra, quod circa ipſam humidum à radijs, & ab alia quæ deſuper caliditate uaporans fertur ſurſum, caliditate autem quæ duxit ſurſum relinquente, & hac quidem diſperſa ad ſuperiorem locum, hac autem, & extincta, propter ſuſpendi longius in aërem qui ſuper terram. Conſtat iterum uapor infrigidatus, & propter derelictionem caloris, & propter locum, & fit aqua ex aëre. facta autem iterum fertur ad terram. Hinc enim apertè colligitur, Ariſtotelem uelle radios calefacere.

1. Metheo. cap. 4.

1. Metheo. cap. 3. Præterea ubi inquit: Adhuc autem locus plenus eſt aſtris maximis, & fulgidiſſi-
mis, adhuc ſporadicis uocatis: hoc autem eſt & oculis uidere manifeſtum, ut & pro
» pter hoc continue, & ſuper hæc omnis aggregatur concreatio. ſignũ autem ipſius.
» etenim circuli amplius lumen eſt in altero ſemicirculo habente duplatum. In hoc e-
» nim plura & crebriora ſunt aſtra, quàm in altero: tanꝗ non propter aliquam alterã
» cauſam facta claritate, quàm propter aſtrorum lationem. ſi enim & in hoc circulo
» fit, in quo plurima ponuntur aſtrorum, & ipſius circuli in quo uidentur magis ſpiſſa
» eſſe, & magnitudine & multitudine aſtrorum, hanc uériſimilem exiſtimare conue-
» nientiſſimam eſſe cauſam paſſionis.

Planè oſtendit, lumen ſolis attrahere uapores, qui ex eius ſententia efficiunt circulum lacteum, & per id quod neceſſario ſequitur, ipſum lumen calefacere, cæteraꝗ item aſtra concurrere ad illos uapores attrahendos. quod quidem uidetur repugnare eis, quæ in ſuperioribus dixit.

1. Metheo. cap. 5. Item illud quod ita ſcriptum reliquit: Principium autem horum, & cauſa: quia &
terra, quæ intus ſicut plantarum corpora, & animalium ſtatum habent, & ſenectu-
» tem. ſed iſtis quidem non ſecundum partem hoc accidit pati, ſed ſimul totum in ſta-
» tu eſſe, & decrementum pati neceſſarium. Terræ autem hoc fit ſecundum partem,
» propter frigus & caliditatem. hæc quidem igitur creſcunt & minuuntur, propter ſo
» lem & circulationem. propter hoc autem, & uirtutem partes terræ accipiunt diffe-
» rentem, & iterum ad tempus aquoſa poſſunt permanere, deinde exiccantur & ſe-
» neſcunt.

Nam cùm dicat, creſcere hæc & minui propter ſolem & circulationem, ne alterum ſuperuacaneum ſit, neceſſarium uidetur eſſe ut per ſolem intelligantur radĳ ſolis, & per circulationem eius motus.

2. de gene. animal. cap. 4. Item ubi uſus eſt his uerbis: Itaꝗ affectus hic, ueluti mariſcæ, aut alia profuſio ſan
guinis, euenit. Cæterum menſtrua nullo circuitu certo deſcribuntur, tendunt tamẽ
moueri decreſcente menſe, idꝗ ratione recta. ſunt enim corpora animalium frigidi-
» ora, cùm euenit ut continens aër talis efficiatur. menſium autem coitus frigidi ſunt,
» propter lunæ defectum Itaꝗ fit, ut fines menſium, quàm media, ſint frigidiores. Igi-
» tur poſtquam excrementum mutatum in ſanguinem eſt, menſtrua moueri tendunt
» eò quem dixi circuitu. at ſi concoctum non eſt, paulatim aliquid ſubinde ſecernitur.
» quamobrem quæ alba uocantur, paruis adhuc, & puellis proueniunt.

Indicat apertiſſimè, lumen lunæ producere calorem: alioquin menſiũ coitus non eſſent frigidiores propter lunæ defectum: non ergo tantum ſol calefacit, neꝗ tantum motus.

2. de gene. animal. cap 2. Præterea cùm inquit: Tum etiam ut menſtrua ſecundum naturam menſibus de-
creſcentibus potius fiant, eadem de cauſa accidit. Tempus enim hoc menſis frigi-
dius eſt, & humidius, propter lunæ decrementum, defectionemꝗ. ſol enim per totũ
» annum hyemem atꝗ æſtatem facit, at luna per menſem id agit: quod ita fit non ac-
» ceſſu diſceſſuꝗ lunæ, ſed alterum increſcente luce, alterum decreſcente.

Quid clarius eſt quàm ex hoc loco colligi, lumen lunæ calefacere? non enim ſecundum naturam menſtrua menſibus decreſcentibus potius fierent, neꝗ faceret luna per menſem hyemem & æſtatem, æſtatem in creſcente luce, hyemem decreſcente. lumen ergo lunæ calefacit, & non tantum motus, neꝗ tantum ſol.

4. de gene. animal. cap. 10. Idemꝗ apertiſſimè oſtendit, ubi hæc ſcripta reliquit: Ita enim coit cum ſole. men-
ſis namꝗ communis amborum circuitus eſt: luna autem principium eſt, propter ſo
lis ſocietatem, receptumꝗ lucis. fit enim quaſi alter ſol minor: quamobrem condu-
» cit ad omnes generationes, perfectionesꝗ. Calores enim & refrigerationes cum
» moderatione quadam generationes, ſine moderatione corruptiones efficiunt. ter-
» minum autem tum principĳ, tum finis qualitatum earum, motus horum ſiderum
» obtinet. ut enim & mare, & omnem humorũ naturam ſubſiſtere, mutari'ue pro fla
» tuum motu & quiete uidemus, aërem uerò & flatus pro ſolis lunæꝗ circuitu affici:
» ſic ea quæ ex ĳs, aut in ĳs oriuntur, ſequi neceſſe eſt.

Etenim ſi luna conducit ad omnes generationes & perfectiones, propter ſolis ſocietatem, receptúmque lucis, quia fit quaſi alter ſol minor: ergo lumine calefacit.

alio-

alioquin non conduceret ad omnes generationes & perfectiones: non ergo tantum ſol.

2. Poſt. r. tex. 76.

Item his uerbis: Altera autem ex eo, quod medium quidem ſub altero medium eſt differunt problematum: ut propter quid Nilus finiente menſe, magis fluit, propter id quod hyemalior finis menſis. propter quid autem uernior finis menſis, quoniam luna deficit. hæc quidem enim ſic ſe habent ad inuicem. Perſpicuum eſt eum ſignificaſſe, lumen Lunæ calefacere, quia finis menſis non magis tenderet ad hyemem.

In lib. de ſen. et ſen. cap. 2.

Quod item oſtendit, cùm inquit: Dicere autem quod extinguatur in tenebris egrediens, ſicut Timeus dicit, uanum eſt omnino. quæ enim extinctio lunis eſt? extinguitur enim aut humido aut frigido calidum & ſiccum, qualis uidetur quidem in carbonibus ignis & flamma, quorum neutrum in lumine apparet exiſtens. ſi igitur eſt quidem, ſed propter debilitatem latet nos, oporter per diem & in aqua extingui lumen, & in glaciebus magis fieri tenebras. Flamma enim, & ignita corpora patiuntur hæc, nunc autem nihil tale accidit. Niſi enim lumen eſſet calidum, ratio Ariſtotelis nullius eſſet ponderis: quia non eſſet neceſſarium, ut extingueretur à frigido.

Item ſi ſolo motu, & non lumine fieret calor, non intereſſet inter climata, quod ad calorem attinet, & ad frigus: quia omnia eſſent eiuſdem uel frigoris, uel caloris: quia omnium climatum eſt idem motus. Motus enim circularis corporum cœleſtium circundat omnia climata. & eodem modo ſe habet in comparatione ad omnia climata. Conſequens euertit ſenſum: ergo abhorret à ueritate id unde fluxit.

Item, non eſſet cauſa quare in eodem die maior calor eſſet meridie, quàm manè & ueſpere: & quare noctes plenilunij eſſent calidiores. quæ cùm ſint perſpicua, ut perſpicuum ſit lumen calefacere neceſſe eſt.

2. Cœli tex. 42.

Videtur etiam Ariſtoteles apertam huius rei ſignificationem dediſſe, cùm inquit: Calor autem ab ipſis, & lumen generatur attrito aëre ab illorum latione. natus eſt enim motus ignire & ligna & lapides, & ferrũ. Rationabilius igitur, propinquius igni. propinquius autem aër, uelut & in latis ſagittis: hæ ipſæ igniuntur, ſic ut liqueſcant plumbeæ. & quoniam igniuntur iſtæ, neceſſe et eum qui in circuitu ipſarum aërem hoc ipſum pati. hæ quidem ipſæ incaleſcunt propter in aere ferri, qui propter plagam motu fit ignis: eorum autem quæ ſurſum unumquodq; in ſphæra fertur, ut ipſa quidem non igniantur. aere autem ſub circularis corporis ſphæra exiſtente, neceſſe eſt lata illa inſoleſcere, & hanc maximè, cui ſol extat infixus: propter quod approximante ipſo, & oriente, & ſuper nos exiſtente, generatur calor. Quod quidem igitur neq; ignea ſunt, neq; in igne feruntur, tantum nobis dictum ſit de his.

Niſi enim putaſſet, ſolem lumine hæc inferiora calefacere, non uſus eſſet his uerbis: Propter quod approximante ipſo, & oriente, & exiſtente ſuper nos, generatur calor. quia motus ſemper ſe habet eodem modo, ſiue ſol appropinquet, ſiue longius recedat, ſiue oriatur, ſiue occidat, ſiue ſit ſuper nos, ſiue non ſit.

His ergo locis, & multis etiam alijs (quos longum eſſet omnes proferre) apertè indicat Ariſtoteles, ſe noluiſſe ſimpliciter & abſolutè accipi uerba illa primi Metheor. Eius ergo quod eſt fieri æſtum & calorem, ſufficiens eſt efficere & ſolis latio tantum.

Oſtendunt enim & rationes & ſenſus, & uerba Ariſtotelis, lumen calefacere, & alia aſtra: non ergo tantum hoc facit latio ſolis. cuius ſententiæ crebris illum ſignificationibus nos admonuiſſe ex eis quæ dicta ſunt conſpicuum eſt.

SECTIO QVINTA.

SEd quia nequaq; probandum eſt, (ut ſæpe iam diximus) tantum philoſophum non ſolum pugnantia, uerùm etiam (quod multo fœdius eſt) negantia in re tam aperta, tamq; manifeſtà dixiſſe: faciundũ omnino uidetur, ut eius uerba recta interpretatione explicẽtur: (quę meo quidem iudicio) talis eſſe debet, ut per id quod ait

lationem ſolis tantum eſſe cauſam ſufficientem æſtus & caloris, ſignificet ipſum ſolem principaliter inter omnia aſtra æſtum, & calorem producere, quia producit lumen: quod cùm propius ſit, quàm ſuperiorum aſtrorum lumen, magis calefacit: & cum ſolis orbis uelocius moueatur quàm orbes inferiores, quia eodem tempore maius ſpacium pertranſit, fert lumen magis circa uniuerſum mundum, quare magis calefacit mundum.

12. Meta tex. 16. Quod item uiſus eſt indicare Ariſtoteles ubi dixit: Alio uerò modo potentia atq; actu differunt ea quorum non eſt eadem materies, quorum forma non eſt eadem: » quemadmodum hominis cauſa ſunt elementa, ignis & terra, ut materies & propria » forma, & ſi quid aliud eſt extra & præter hæc ſol circulusq; obliquus, quæ quidem » neq; materia neq; forma, neq; priuatio neq; ſpeciei eiuſdem, ſed mouentia.

Ponit enim non modò ſolem eſſe cauſam mouentem & efficientem horum inferiorum, ſed etiam circulum obliquum qui eſt Zodiacus: quod perinde ualet ac ſi diceret, primum cœlum concurrere ad efficientiam horum inferiorum: Quod ſi detur, ut dari oportet: ſequitur, rectè fuiſſe à nobis explicatum, Ariſtotelem attribuiſſe efficientiam illam ſoli tantum, quia uel principaliter aliquo modo, uel magis manifeſtè ab ipſo exiſtit, atq; ita cogimur dicere propter rationes allatas, & uerba Ariſtotelis, quia ſol ipſe motu attritionis non poteſt mouere aerem, propterea quòd non 2. de gene. animal. cap. 1. tangit ipſum. etenim, ut inquit Ariſtoteles, fieri non poteſt ut moueat quod nõ tangit, & quidquam ab eo quod non moueat efficiatur.

Neq; poteſt ſolis orbis mouere aerem citius quàm moueat orbis lunæ, qui eſt igni contiguus. Ac licet Ariſtoteles det exemplum aeris, propter uicinitatem calefacti ab iis quæ ui in eo feruntur, & dicat quòd ignis extruditur deorſum à motu: tamen uidetur intelligendum, eo in loco duas illum innuere caliditatis cauſas: alteram, quod ſol fert lumen circa mundum ipſo motu. ob idq; dixiſſe ſolem calefacere motu tantum: alteram ex attritione aeris, quæ non uidetur conuenire motui ſolis, » ſed motui abſolutè, ut ſignificat ipſe cùm dicit: Videmus itaq; motum quod poteſt » diſgregare aerem, & ignire, & lata liquefacere uideantur ſæpe.

Quare concludimus, Ariſtotelem per motum ſolis, qui eſt propinquus & uelox, intelligere lumen, propterea quia motus ille (ut diximus) adducit ad nos, & abducit lumen quod calefacit: & hoc modo uidetur ſolis motus eſſe cauſa caloris. atq; 2. de gene. & corrup. tex. 55. ita eſſe interpretandum docet ipſe Ariſtoteles cum ait: Latio enim faciet generationem actualiter, quia abducit, & adducit generans.

Ita enim dicimus motum uel lationem calefacere, quia adducit & abducit lumen. quod producit in hæc inferiora calorem.

2. de gene. et corrup. tex. 56. Eodem modo etiam cogimur interpretari illud Ariſtotelis: Quocirca ſi in accedendo & in propè eſſe generat, & in recedendo & longè fieri ad ipſum corrumpit: & ſi in multotiens adueniendo generat, & in multotiens accedendo corrũpit. con» trariorum enim contrariæ cauſæ: oportet enim intelligere per id quod accedit & recedit, ſolem, qui per motum in obliquo circulum accedit ad uerticem capitis noſtri, & recedit à uertice, & quòd per acceſſum illius fit generationem, per receſſum autem corruptionem: quia ſol accedens ad nos, fert lumen magis ſupra uerticem capitis noſtri, quoniam duplicatur radius magis perpendicularis: quòd lumen generat ea quæ naſcuntur in regione noſtra, ut conſpicuum eſt ueris tempore. Per receſſum autem retrahit lumen à uertice capitis noſtri, unde ſequitur corruptio, ut patet autumno & hyeme: omnia enim tunc uidentur aliquomodo corrumpi, præſertim perfectiora. ſicut igitur hoc loco Ariſtoteles dicit acceſſum & receſſum ſolis cum luminis nullam fecerit mentionem, eſſe cauſam generationis & corruptionis, quia uidelicet eius acceſſus adducit lumen, & receſſus abducit: ita nihil prohibere uidetur, quo minus ſuperiorem locum eo quo dictum eſt modo interpretemur: ut ſcilicet quod dixit, motum ſolis tantum eſſe ſufficientem cauſam caloris, nulla facta luminis mentione, intelligamus eum ita dixiſſe, quia motus ſolis adducit eius lumen quod principaliter producit calorem. maiorem enim uim habet in hæc inferiora, quàm lumen ſtellarum. nam cum ſit magis propinquum, poteſt magis reflecti: poteſt etiam ſol magis calefacere per motum, quàm inferiores orbes,

bes, quia mouetur citius. tranſit enim maius ſpacium eodem tempore, ex quo motu affert lumen quod poteſt calefacere uniuerſum mundum: quod non ita faciunt inferiores orbes. Eſt ergo una cauſa caliditatis, lumen: quæ cauſa conſentit ſenſui & rationi, & uerbis Ariſtotelis. Altera eſt ipſe motus, quam item indicauit Ariſtoteles in textu citato, cùm dixit: Videmus itaq; motum, quod poteſt diſgregare. Deinde addidit: Fieri autem magis ſimul cum ſole caliditatem, rationabile ſumentes ſimile ex eis quæ apud nos fiunt. etenim uiolentia latis uicinus aër maximè fit calidus, & hoc rationabiliter. Maximè enim motus ſolidi diſgregat ipſum. propter hanc igitur cauſam pertingit ad hunc locũ caliditas: & quia ambiens ignis per aërem ſpargitur frequenti motu, & fertur uiolentia deorſum.

Quibus uerbis uidetur ſolum dicere, motum attritionis calefacere, & nõ motum ſolis. ait enim, fieri magis ſimul cum ſole ipſo caliditatem. quaſi dicat, non tantum ſolem calefacere lumine ſuo, ſed etiam fieri calorem per motũ attritionis, ſimul cum calore ſolis. nam quod ſimul cũ ſole facit aliquid, non eſt ſol: idem enim non dicitur facere aliquid cum ſeipſo. Ita quidem uidetur explicandum. alioquin cogemur aſſerere, ipſum Ariſtotelẽ in maxima opinionis incõſtantia manifeſtò teneri: quod meo iudicio eſt longè indigniſſimum. Quare ut redeamus ad illud cuius cauſa ita digreſſi ſumus, ſicut uidemus oportere etiam ſi Ariſtoteles dicat motum ſolis tãtum calefacere, concedere tamen, lumen quoque & alia aſtra calefacere: itidem non alienum uidetur ab eius conſuetudine, quod diximus, primam philoſophiam contemplari immaterialia & immobilia, & tamen eandem etiam conſiderare materialia & mobilia: ac rurſus philoſophiam naturalem conſiderare mobilia, eandem quoque contemplari aliquo modo immobilia & immaterialia.

Itaque anima rationalis etſi nullo modo penderet à corpore, ſed eſſet ſimpliciter abſtracta: tamen ex hoc dicto, quod ad naturalem philoſophum attinet contemplatio animæ, quæ non eſt ſine materia, non reijceretur ipſa à philoſophia naturali, quia ita protulit Ariſtoteles, propterea quod maiori ex parte conſiderat philoſophus naturalis animam, quæ non eſt ſine materia: ſicut etiam ex eo quod dixit philoſophiam naturalem contemplari immerſa materiæ, non reijciuntur tamen ab ipſa omnino ſubſtantiæ abſtractæ, ut probatum fuit. ſiue ergo protulerit illud Ariſtoteles de anima rationali, quia eſſet uerum maiori ex parte: ſiue dixerit quia anima rationalis non ſit omnino ſine materia, quoniam indiget corpore in ſua operatione, nihil facit locus citatus ad euerſionem immortalitatis animi. Itaq; argumentum illud uidetur eſſe diſſolutum.

SECTIO SEXTA.

ERat alia quæſtio: Quod ſi intellectus eſſet abſtractus à materia, non eſſet naturalis conſiderationis. Cui quæſtioni reſpondentes, negamus conſequentiam. fieri enim poteſt ut ſit abſtractus à materia, & tamen ſit naturalis conſiderationis, ut diximus. Ad probationem conſequentiæ concedimus, ipſum mouere corpus, & non moueri: quandoquidem uerum ſit quod non pendet à materia, non moueri ad motum corporis. non enim illud poteſt ſecum trahere corpus, quia non eſt mixtum cum eo. quod ſi eſſet mixtum cum eo, fieri non poſſet, quin ad motum corporis moueretur: quia cùm mouetur mixtũ, neceſſarium eſt moueri omnia, quæ cum illo ſunt mixta: alioquin mixta non eſſent cum illo.

Cùm uerò addebatur, Quæ mouent cùm ſint immobilia, non eſſe naturalis conſiderationis: Iam diximus quomodo propoſitio iſta intelligi debeat. uidelicet quod ea quæ ſunt penitus abſtracta, non ſunt naturalis conſiderationis: quia primò non conſiderantur à naturali, conſiderantur tamen aliquo modo. quæ uerò non ſunt penitus abſtracta, ut anima rationalis, ſunt naturalis conſiderationis, propterea quod ſunt cauſæ particulares.

Ad textum Ariſtotelis iam reſponſum eſt. Sed urgeret quiſpiam dicẽs, fieri non 2.Phyſ.
poſſe ut corpus moueatur, & non moueatur anima intellectiua, ſi nõ per ſe, ſaltem tex.71.
per accidens: quia ſi non mouetur, corpus eius erit in aliquo loco, in quo non erit anima. quod eſt abſurdiſſimum.

Ad quæſtionem reſpondentes dicimus, ipſam non poſſe moueri neq; per ſe, neque per accidens, quia non eſt mixta cum corpore.

Cùm uerò infertur, ergo corpus erit in aliquo loco, in quo non erit anima: Negamus conſequentiam, quia ſemper ibi eſt anima, ubi eſt corpus eius.

Sed dices, Quomodo hoc eſſe poteſt, ſi nullo modo mouet? Reſpondeo, eo modo adeſſe corpori animam in omni loco, quo modo ſpiritualia ſunt præſentia alicui exiſtenti in loco: quamuis non moueantur, neq; per ſe, neq; per accidens. Si uerò dicas, hoc percipi non poſſe ab intellectu:

Reſpondeo, ſi non percipiatur ab aliquo intellectu, huius rei cauſam fore phantaſiam illius, quæ ea quæ percipi poſſunt non percipiat. Quod quidem uidetur euenire, quia putat idem accidere in ijs rebus quæ ſeparata ſunt à materia, quod in ijs accidit quæ cum materia mixtæ ſunt. Verum ſi nos cogitemus ea quę ſunt immerſa materiæ, quomodo mouētur: intelligemus moueri & trahi à corpore, quia ſunt mixta cum illo: ita ut moto corpore, ipſa quoq; moueri neceſſe ſit. ſed non eſt neceſſarium, ut ea quæ non ſunt mixta cum corpore, trahantur cum corpore: alioquin non eſſet differentia inter ea quæ non ſunt mixta cum corpore, & ea quæ cum eo non ſunt mixta, quæ tamen eſt longè maxima. Quid enim eſt cur trahantur à corpore, cùm non intereant etiam ad interitum corporis, et non patiantur ad paſſionē corporis? paterentur enim ad paſſionem corporis, ſi mouerentur ad eius motum, ut patet. Cogimur ergo excogitare de ſubſtātijs abſtractis à corpore, aliam eſſendi modum ab eo qui conuenit ſubſtantijs cum corpore mixtis.

Hoc idem abſurdum accideret etiam intelligentijs quæ ſunt penitus abſtractæ: quia ut patet, intelligentia ſolis eſt affixa ſtellæ, quæ ſtella modò eſt in oriente, modò in occidente: & tamen dicimus intelligentiam ſolis non moueri neque per ſe, neq; per accidens. Idem dicatur neceſſe eſt de primo motore. Si ergo quiſpiam miretur, quomodo fieri poſſit ut Socrates Roma diſcedat, & eat Bononiam: eamq; habeat animam quum eſt Bononiæ, quam habebat dum Romæ eſſet, quæ tamen non ſit mota: is (rogo) mihi dicat, quomodo intelligentia ſolis, quæ nunc dum hæc ſcribo, eſt in oriente, quia corpus ſolis eſt in oriente, in quo corpore eſt tota, ueſperi neceſſariò erit in occidente, ubi erit corpus ipſum ſolis in quo eſt tota, & eſt indiuiſibilis tota in toto, & tota in qualibet parte, quomodo inquā hoc fieri poſſit, cùm ipſa intelligentia non moueatur neque per ſe, neque per accidens. & ſi mihi hoc dixerit, ego ei dicam quomodo eadem anima rationalis fuerit in Socrate quum is eſſet Romę, deinde profectus ſit Bononiam, neque tamen per ſe, neque per accidens fuerit mota.

Qua quidem in re non uidetur dari poſſe aliqua ratio diuerſitatis. etenim quod dicetur de intelligentijs, quatenus ſunt abſtractæ: dicam & ego de anima rationali. Quod ſi non uidetur abſurdum fateri intelligentiam ſolis modò eſſe in oriente, modò in occidente, quamuis non fuerit mota neq; per ſe, neq; per accidens: nō uideo ſanè cur uideatur abſurdum, Socratem modò eſſe hic, modò illic, & animā rationalem eius non moueri neq; per ſe, neq; per accidens. eadem enim eſt ſimilitudo omnino. Nam ſi ipſi intelligentiæ attribuitur non moueri per ſe, neq; per accidens ad motum corporis, quia eſt abſtracta à materia: & per id quod neceſſariò ſequitur, eſt impartibilis ac indiuiſibilis: quid obſtat quo minus attribui poſſit etiam animæ rationali non moueri per ſe, neq; per accidens, ad motum corporis, cùm ponamus ex demonſtratione Ariſtotelis eam abſtractam eſſe à materia, & per id quod neceſſariò ſequitur, impartibilem & indiuiſibilem? Certe nihil. Hoc uerò exiſtimandū eſt unum eſſe ex illis quæ propriè ijs conueniunt, quæ ſeiuncta ſunt à materia: quod quidem nobis cur abſurdum uideatur, id cauſæ eſt, quia idem putamus euenire de abſtractis à materia, quod euenit de eis quæ ſunt mixta cum materia, quæ trahūtur ſimul cum ſuo corpore, ut in ſuperioribus diximus.

Sed in multis oportet cohibere mentem noſtram, & quibuſdam quaſi uinculis conſtringere ne uagetur, & ne putet eodem modo eſſe omnia accipienda. ſcimus enim ex ipſa demonſtratione, & ex uerbis Ariſtotelis, ut dictum eſt, intelligentiam ſolis eſſe in corpore ſolis, quod nunc eſt in oriente, & decem horis futuram eſt in occidente, nec tamen moueri per ſe, neque per accidens. Quod quidem neceſſe

eſt pu-

eſt putare fieri poſſe informis ſpiritualibus ratione corporum in quibus ſunt. nam ſi uel per ſe, uel per accidens ad motum corporis mouerētur, in dubium uenire non poſſet, quin eductæ fuiſſent ex potentia corporis, & mixtæ cum corpore: & per id quod neceſſariò ſequitur, quin eſſent generabiles & corruptibiles (quod quidem falſum eſt) pro comperto ex ſententia Ariſtotelis habere debemus.

Quod ſi aliquis inſtaret dicens, hoc non uideri uerum, quia non uidetur ab intellectu percipi poſſe: dicat is mihi (rogo) quo modo intellectus percipere poteſt, extra cœlum non eſſe aliquod corpus, quia non eſt locus, neq; uacuum, neq; tempus, ut dixit Ariſtoteles: etenim ſi quis collocaretur ſupra cœlum, & hoc ſit per id quod fieri poſſit, uel non poſſit, (hoc enim nihil ad rem:) tunc quæro, nunquid iſte poſſet manū extendere, nec ne. ſi poſſet, ergo extra cœlum daretur uacuum. ſi non poſſet, ergo neceſſariò eſſet aliquod impedimentū. at hoc non poſſet eſſe niſi aliquod corpus, ergo extra cœlum erit aliquod corpus. 1. cœli tex. 100.

Hac ratione coacti multi, & illi quidem non negligendi philoſophi, uenerunt in eam opinionem, ut exiſtimarent dari infinitos mundos. nonnulli uerò alij aſſeruere, extra cœlum eſſe uacuum. quorum opiniones & ſententias cùm Ariſtoteles rationibus optimis labefactauerit, ac penitus è medio ſuſtulerit, cogimur credere, non eſſe extra cœlum neque corpus, neque locum, neque tempus, neque uacuum: ac licet nobis id uideatur abſurdum, & niſi maxima cum difficultate à nobis percipi poſſit: quia tamen plura ſunt abſurda, quæ ſequuntur illam opinionem, quòd extra cœlum ſit corpus & locus & uacuum & tempus, quàm hanc quòd extra cœlum non ſit corpus, neque locus neque uacuum, neque tempus: ideo iſta eſt probanda.

Ita etiam dicendum eſt de formis abſtractis, quòd uidelicet non moueantur per ſe, neq; per accidens, ad motum ſui corporis, etſi maxima cum difficultate intellectus huic ſententiæ aſſentiri poſſit. hanc enim opinionem qui minora ſequantur abſurda, & quin minus abſurdum magis eligendum ſit, in dubium uenire non poteſt.

Concedimus ergo, quòd intellectus ſit abſtractus à materia, et quod non moueatur neq; per ſe neq; per accidens ad motum corporis: negamus tamē, quòd ex hoc ſequatur, ipſum non attinere ad philoſophum naturalem. cuius rei rationē in ſuperioribus reddimus, et ad Ariſtotelis uerba, quæ uidentur contrarium aſſerere, iam ſatis ſuperq; reſpondiſſe nos arbitramur.

Sed quæratſtatim aliquis, quomodo ſciamus nos quòd abſtracta à materia non moueantur neq; per ſe, neq; per accidens ad motum ſuorum corporum, cùm hoc non pateat ſenſui, & omnis noſtra cognitio quæ ſit per naturam oriatur à ſenſu?

Dico iſtam cognitionem oriri à ſenſu, quia oritur ex operationibus, quæ ſenſui perſpicuæ ſunt, ex quibus cognoſcimus abſtracta eſſe ex materia, quę ita ſe habent, & per id quod neceſſariò ſequitur eſſe incorruptibilia: ex quo deinceps efficitur, ut non moueantur neq; per ſe, neq; per accidēs ad motum ſuorum corporū. alioquin, ut oſtenſum eſt octauo Phyſ. eſſent corruptibilia.

SECTIO SEPTIMA.

SEd inſtaret quiſpiam: Hoc quod dicis uidetur alienum à ſententia Ariſtotelis, qui apertè dixit, moueri per accidens conuenire intelligentijs inferioribus, ubi hæc ſcripta reliquit: Non eſt autem idem moueri ſecundum accidens à ſeipſo, & ab altero. ab altero quidem enim, ineſt & eorum quæ ſunt in cœlo quibuſdam principijs, quæcunq; ſecundum plures feruntur motus: alterum autem corruptibilibus ſolum. Nam ſi motus per accidēs ab altero ineſt, & eorum quæ ſunt in cœlo quibuſdam principijs, quæcunq; ſecundū plures feruntur motus: ergo motus per accidēs ineſt intelligentijs. hæc enim conſequentia perſpicua eſt: ergo intelligentiæ mouebuntur per accidens: ergo etiam anima noſtra poterit moueri per accidēs. De quo enim minus uidetur ineſſe, & ineſt, ergo de quo magis. non rectè igitur fuit dictum quòd non moueatur neq; per ſe, neq; per accidens. 8. Phyſ. tex 52.

Cui quæſtioni ita occurrimus, aſſerētes intelligētias non moueri per ſe, neq; per accidēs à ſeipſis, neq; per accidēs ab altero, quia trahantur ab eius corpore: ſicut mo

uentur

uentur formæ corruptibiles,ſed dicuntur moueri per accidens ab altero. non ſicut uidetur intelligere Auerroes qui dicit eas moueri per accidens ab altero,quia ipſarum orbis uel ſubiectum moueatur,quod planè (meo iudicio) uidetur abſurdiſsimum. Etenim non uidetur poſſe eſſe primus motor, qui moueat illarum orbem effectiuè ſine medio:quia primus motor non adhæret illi,ſed longè abeſt ab illo.neceſſe igitur eſt,ut quod mouet, ſit orbis primus. non enim fieri poteſt ut ſit primus mouēs. Mouebuntur ergo orbes inferiores ab alio orbe:ergo mouebuntur ab alio corpore ab oriente ad occidentem.

Probatur conſequentia,quia ab oriente ad orientem non poſſunt moueri ab alio orbe.mouentur enim motu proprio,qui fit à propria intelligentia, non autē ab extrinſeco:ergo mouentur ab oriente ad occidentem ab alio corpore,ergo uiolenter. Probatur cōſequentia:quia motus iſte eſt ab extrinſeco paſſo,nullam uim conferente:ergo uiolentus.

Probatur antecedens: quia motus proprius eſt ab occidente in orientem: ergo motus ab oriente in occidentem non eſt motus proprius. Vnum enim ſimplex non habet duos motus,ſimplices proprios: ergo nō eſt ſecundum naturam illius orbis, ergo paſſum non confert uim: igitur eſt uiolentus, ex definitione uiolenti in ſuperioribus allata.

2. Cœli tex. 6. Hoc item confirmatur ex eis quæ dixit Ariſtoteles ad hunc modum: Neque ab anima rationabili cogente manere ſempiternum, neq; enim animæ poſſibile eſſe talem uitam ſine triſtitia,& beatam.neceſſe enim & motu cum uiolentia exiſtente,ſiquidem mouet ferri apto nato primo corpore aliter,& mouere continuè ſine uacatione eſſe,& omni carens robore prudenti.

Vult enim, quòd illa anima moueret primum corpus uiolenter,quia erat aptum natum moueri aliter: ita & nos dicimus de orbibus inferioribus, ſiue moueantur à ſuperiori intelligentia, ſiue ab alio orbe motu diurno, quod ſemper ille motus erit uiolentus,quia illa corpora ſunt apta nata moueri aliter.

Item ille motus non eſt ſecundum naturam ipſorum orbium, ergo eſt uiolentus. Antecedens patet,quia motus ſecundum naturam ineſt eis ab occidente ad orientem:ergo motus ab oriente ad occidentem eſt præter naturam. Non enim fieri poteſt, ut illi duo motus inſint uni corpori ſecundum naturam. Probatur conſequentia ex uerbis Ariſtotelis, quippe qui inquit: Violentia enim,& præter naturam,idem:ſed nullum uiolentum ſempiternum. Ergo motus illorum orbium non erit ſempiternus. ſed hoc euertit ſententiam Ariſtotelis: ergo & illud unde fluxit.

3. Cœli tex. 18.

Item,ſi ita eſſet,non poſſent moueri motu proprio ab occidente in orientem. Probatur conſequentia: quia uelocitas illa qua adhęrentur impediret motum proprium. neq; exemplum formicæ uidetur,meo quidem iudicio,aliquid facere: quia experientia comprobatum eſt, quādo rota mouetur motu uelociſſimo, ipſam non poſſe moueri contra illum motum.non uidetur igitur fieri poſſe,ut dicamus intelligentias moueri per accidens ab alio:quia earum corpora moueantur ab alio corpore,uel à prima intelligentia effectiua.

Itaque uidetur neceſſarium ut dicamus, intelligentias moueri per accidens ab alio: quia earum corpora mouentur ab alio in genere cauſæ finalis. Intelligentiæ enim inferiores,quatenus ſunt naturę ut imitentur primam intelligentiam,mouent ſuos orbes ab oriente in occidentem, ſuper polis diuerſis à motu ipſarum proprio, & ita iſte motus effectiuè eſt ab extrinſecus exiſtente. Et hoc non uidetur repugnare, quia illi motus non ſunt omnino contrarij, & poſſunt fieri ab eadem intelligentia propter diuerſos fines. ipſa enim mouet motu proprio, intelligens ſeipſam eo modo,quo diximus in ſuperioribus: ut uerò imitentur primam intelligentiam, mouēnt motu diurno ſuper diuerſis polis. hos autem motus recipere poteſt corpus perfectè rotundum,cùm non ſint omnino oppoſiti, ſi rectè conſiderentur:imò uidetur quaſi unus motus & ſimul fieri. & hoc patitur (ut diximus) natura corporis, perfectè rotundi: neque hoc repugnat ſimplici principio, ut eſt intelligentia, quod moueat pluribus motibus,qui non ſint omnino oppoſiti,imò ſint quaſi unus motus,neq; primo illi conueniant: ſicut ipſis orbibus non repugnat quod moueantur ſecundum plures motus,ut eſt in tex. citato ex octauo Phyſicorum.

Dicuntur ergo intelligentiæ moueri per accidens ab alio, quia orbes illarum mouentur pluribus motibus: non quòd ipſæ moueantur neque per ſe, neque per accidens. & iſte motus per accidens ab alio ſolum conuenire poteſt in corruptibilibus ſubſtantijs: motus uerò per accidens à ſeipſo non poteſt conuenire niſi corruptibilibus. quia dū mouent corpus, trahuntur à corpore: ſicut nauta trahitur à naui, dum mouet ipſam.

Magis igitur probandum uidetur, quòd orbes cœleſtes moueantur à ſua propria forma, ex ſententia Ariſtotelis: quàm quòd moueantur ab alio corpore. etenim non poteſt iſte motus eſſe quin ſit motus raptus & incitatus, uel uertiginis, uel tractus, uel huiuſmodi: corpus enim non mouet corpus, niſi trahat ipſum, uel impellat, uel uertat. & hoc nihil aliud eſt niſi uim illi corpori inferre, etiamſi impelleret ipſum ad locum ſuæ naturæ: ut ſi aliquis impelleret lapidē deorſum, inferret tamen ei uim, quia ſic moueretur lapis ad ſuum locum citius quàm motus fuiſſet ex ſua natura. unde ſequitur, ut motus ille ſit uiolentus.

Melius igitur eſt (ut oſtēdimus) dicere illum motum eſſe à propria forma, quàm à corpore extrinſecus exiſtente: quia hanc ſententiam minora ſequuntur abſurda, ergo rationi conſentit, quod ita factum fuerit à natura.

Probatur conſequentia ex uerbis Ariſtotelis, quæ uerba citauimus etiam in ſuperioribus, dum oſtenderemus melius eſſe intellectui, non eſſe mixtum cum corpore.

Si autem (inquit) ſic eſt melius, quàm per fortunam fieri fœlices, rationabile eſt ſe habere ſic. ſi quidem ea quæ ſecundum naturam ſunt, ut optimè ſe habere poſſint, ita ſe habent: at illa quæ ſecundum artem & omnem cauſam, ac maximè ſecundum optimam.

Text. igitur ille Ariſtotelis contra nos allatus, non repugnat noſtræ ſententiæ: quia ut intelligentiæ non mouentur per accidens eo motu quē ſequitur corruptio, ita etiam anima non mouebitur per accidens hoc tali motu, ſicut formæ corruptibiles dicuntur moueri à ſe ipſis per accidens.

Sed dices, anima noſtra uidetur moueri non ſolum per accidens, quia eius corpus mouetur: ſed etiam ipſa uidetur moueri per ſe, quia mouetur ab obiecto.

Reſpondeo, hunc motum non eſſe illum quem ſequitur corruptio: eſt enim motus ſpiritualis, quem ſequitur perfectio. & hoc accidit animæ rationali, non alijs intelligentijs, quia ipſa non eſt purus actus, ſed eſt in pura potentia. quod non arguit mortalitatem.

Quemadmodum uerò explicauimus illū tex. octaui Phyſ. de intelligentijs, quòd moueri dicuntur per accidens ab alio in genere cauſæ finalis: ſic uidetur explicandus ille ſecundi de Cœlo, ubi inquit Ariſtoteles: 8. Phyſ. tex. 52.

De motu autem ipſius quia regularis eſt, et non irregularis, deinceps utique erit dictis pertranſire. dico autem hoc de primo Cœlo, & de prima Latione: de his enim quæ deſubtus, plures lationes conuenirent in unum, id eſt orbem, ut arbitror. 2. Cœli tex. 35.

Nam ſi intelligeremus quòd plures orbes congregantur ad mouendum unum orbem, non uideo quo modo euitare poſſemus abſurda, quæ dicta ſunt, quæ quidem ſunt maxima: non uidentur tamen cæteri orbes moueri tam certo ac rato curſu, ut primus orbis, quia mouentur pluribus motibus: quia tamen plures motus fiunt (ut diximus) à propria intelligentia.

Ac licet Ariſtoteles ex ſententia Eudoxi & Calippi uideatur ponere hos orbes deferentes, & reuoluentes, quos uidentur mouere alia corpora: deinde ponat ſphæras reuoluentes & deferentes quinquagintaquinq;, quæ non poſſunt poni niſi concedamus unum corpus mouere aliud: tamen poſtea non uidetur hoc aſſerere ex ſua ipſius ſententia. inquit enim: 12. Meta. 31. & 32. 12. Meta. tex. 33. tex. 34.

Multitudo ſphærarum ſit tanta, quare etſi ſubſtantias ipſas & principia immobilia, 12. Meta. tex. 34.

„ lia, atque etiam ſenſibilia, tot eſſe exiſtimare conſentaneum eſt rationi neceſſarium
„ ijs omittatur, atq; hi dicant qui exactius de hiſce diſſerere poſſunt.

Quibus uerbis planè reijcit ſe ad alios. res tamen iſta difficillima eſt: & ſi poſſent ſeruari apparentia ſine iſtis orbibus (ſicut multi, & illi quidem egregij philoſophi profitentur, quorum ſententias non damno) nullus mihi in hac re dubitandi locus relinqueretur: quia ratio quæ fundamẽtis naturalibus nititur, ita exigere, poſtulareq; uidetur. Laudandum tamen eſt ingenium Ariſtotelis, cùm noluerit pro certo nobis tradere id quod ipſe ambiguum habebat. Hinc porrò conijci poteſt, quàm ingenuus fuerit: quippe qui de eis quorum cognitionem firmam aſſequutus non erat, reiecerit nos ad peritiores. nõ enim omnia poſſumus omnes, præſertim ea quæ ut cognoſcantur obſeruationem requirunt temporis longiſſimi, & ferè infiniti.

Quoquo igitur modo ſe ſe res habeat, nobis perſuaderi non poteſt ob rationem allatam, primum orbẽ trahere ſecum orbes inferiores: propterea quòd hoc fieri nõ poſſet ſine ui, quam omnino alienam eſſe à corporibus, quæ æterno tempore ſint duratura, neminem (modò ſit ſanus) dubitare arbitror.

2. Cœli Auerroes etiam uidetur fauere huic ſententiæ, etenim hæc ſcripta reliquit: Eſt
com. 171. quæſtio, quia dicit quod primus orbis mouet alios orbes, quoniam corpus non mo-
„ uet corpus niſi tactu. & iam declaratum eſt, quòd illa corpora non mouent ſe ſecun-
„ dum tactum, neq; expulſione, neq; attractione, ſed ſecundum deſiderium.

Quibus ſignificat, Ariſtotelem ſenſiſſe primum orbem mouere alios orbes, non eo modo quo corpus mouet corpus, ſed per modum amati, & deſiderati, & per modum quo nobilius dicitur mouere id quod eſt minus nobile. Quod quidem confirmat illud, quod nos diximus: quare neceſſe eſt ut idem intelligat in Epit. Metaphyſ.
„ libro quarto, cùm inquit: Nam motor qui mouet motu diurno, eſt omnibus nobi-
„ lior, cùm omnes moueantur ab ipſo per accidens.

Et in octauo Phyſ. loco ſuperius citato. alioquin pugnabit cum ſua ipſius ſententia. Quòd item primum mouens moueat ratione finis, & ut amatũ & deſideratum,
8. Meta. declarauit Ariſtoteles ubi dixit, Quod mouet ut appetibile & intelligibile.
33.24. Videtur itẽ abſurdum, quod illa corpora trahantur ab illo corpore, quia ſunt corpora polita, & nullo corporali uinculo inter ſe deuincta. Neq; ualet quòd ſolent nonnulli dicere, quòd uidelicet non mouetur ab alio motu proprio, neq; contra naturam, ſed ſupra naturam: quia apud Ariſtotelem nunquam inuenitur motus (cœlum enim non eſt) ſupra naturã, neq; intelligentiæ, quippe quæ ſunt naturæ. Quod autem eſt natura, non poteſt eſſe ſupra naturam abſolutè & ſimpliciter: niſi aliquis uellet ſophiſticè loquendo dicere, corpora cœleſtia eſſe ſupra naturã, quia ſunt perfectiora corporibus generabilibus, & corruptibilibus, & ſunt eorum cauſæ: ſed nihil diceret: quia corpora illa mouentur naturaliter ſuo motu, ſicut elementa. Quod cùm perſpicuum ſit, fieri non poteſt ut euitemus, quo minus ſequatur, uiolenter moueri illa corpora, ſi mouerentur ab alio motore extrinſecus exiſtente. hæc enim ſolutio eſt figmentum.

1. Præterea ex hac opinione ſequeretur, dari medium inter ſecundum naturam, & præter naturam. Conſequens à ueritate abhorret, ergo & illud ex quo emanat.
2. Conſequentia eſt perſpicua. Conſequens item falſum eſſe conſtat: quia euerterentur multæ Ariſtotelis demonſtrationes, & ferè uniuerſa de Cœlo & mundo doctrina: quam (ut patet ex ipſo Ariſtotele) multis in locis tradidit ex hoc fundamento, quòd omnis motus aut eſt ſecundum naturam, aut præter naturam: aut eſt natura-
1 Cœli lis, aut eſt uiolentus. idem enim eſt.
tex. 10. Etenim non ualeret, ſi aliquid non moueatur ſecundum naturam, neceſſariò mo-
2. Cœli ueri præter naturam: nam dici poſſet moueri ſupra naturam. quare euerterentur om-
tex. 84. nia quæ dicta ſunt. Quod cùm ſit facinus ex omnibus indigniſſimum, ut falſum ſit
3. Cœli dari aliquem motum ſupra naturam, ex ſententia Ariſtotelis neceſſe eſt.
tex. 8. 20. 4. Phyſ. Ex omnibus igitur dictis patet, nihil prohibere animam eſſe abſtractam à mate-
tex. 67. ria, & nõ moueri neq; per ſe, neq; per accidens, & eſſe cõſiderationis naturalis: con-
2. Phyſ. tex. 33. trà quam uidebatur probare quæſtio allata.

SECTIO OCTAVA.

AD aliam quæſtionem quę ſequebatur, Homo eſt maxime homo propter intellectum, ergo intellectus eſt generabilis & corruptibilis. Reſpondemus, negantes conſequentiam. Ad probationem, concedimus hominem generare hominem ex materia, & hominem eſſe hominem maximè per intellectum: negamus tamen, hominem generare intellectum.

Cùm inferebatur, quòd aliter non generaret hominē: hoc negamus. etenim non eſt neceſſe hominem generare intellectum: etſi generet hominem, quia dicitur generare hominem, quoniam generat animam ſenſitiuam, quam ſequitur neceſſariò intellectus, per quem homo maximè eſt homo: nihil autem refert quod ad hoc ipſum attinet, utrum homo generet intellectum, an id quòd neceſſariò ſequitur intellectus: eſt igitur cauſa homo, quare ſit homo, & ſi non generat intellectum: ſicut etiam licet non generet primam materiam, quæ item eſt cauſa hominis, tamen dicitur generare hominem. non enim eſt neceſſe, ſi aliquis efficiat domum, ut efficiat omnes partes domus: nam ſatis eſt ad efficiendam domum, coniungere partes quę ſunt ſeparatæ. quo facto rectè dici poteſt aliquis ædificaſſe domum.

Ad aliam, quæ deinceps addebatur, quæſtionem dicimus: animam hominis (ſi per animam intelligamus intellectum) eſſe à mare, eo modo quo declarauimus ab homine generari intellectum: non tamen eſſe à mare, ita ut mas educat ipſam ex potentia materiæ.

Ad text. ſecundi de Part. animalium, reſpondemus: Ariſtotelem intelligere animam ſenſitiuam eſſe à mare, non intellectiuam, & hoc nos etiam concedimus. negamus autem conſequentiam, quòd uidelicet ex eo quod mas generet animam ſenſitiuam, ſequatur intellectum eſſe generabilem & corruptibilem. Quod autem in illo tex. loquatur Ariſtoteles de anima ſenſitiua, declarauit ipſe eodem in cap. his uerbis: At uerò in quibus ſexus maris & fœminæ diſtinctus habetur, fieri non poteſt ut fœmina ipſa per ſe generet perfectē: ita enim mas fruſtrà eſſet. Quamobrem in ijs mas ſemper perficit generationem: hic enim ſenſualem dat animam, ut per ſe genituram. Itaq; huic quæſtioni ſatisfacit ipſemet Ariſtoteles. 2. de Part. animal. cap. 4. " " "

Ad aliam quæſtionem reſpondentes, concedimus corpus (uerbi gratia) humanum non poſſe habere animam & intellectum diſcretiuum, quin idem habeat ſenſum. Quum autem inferebatur, non habiturum eſſe ſenſum ſi eſſet æternus. Hoc negamus.

Ad probationem uerò dicimus, tantum abeſſe ut ſenſus impediat operationē intellectus, ut ſine ſenſu intellectus nullo modo poſſit intelligere: ſicut ex eis quæ declarata ſunt in ſuperioribus, liquere poteſt. eſt enim intellectus iſte pura pòtentia ad intelligendum. Quare neceſſe eſt ut ad actum redigatur ab aliquo extrinſecus exiſtente.

Ad tex. tertij de Anima, de corpore ingenerabili, concedimus, ipſum non habere ſenſum: quia hoc non conducit eius animæ ad intelligendum, quippe quæ nihil extra ſe intelligit, & ſemper eſt actu, intelligens quod intelligit, ut declaratum eſt. neque conducit etiam corpori: quia cùm ſit incorruptibile, nō magis exiſtet, quàm exiſtat. incorruptibile enim non poteſt magis eſſe incorruptibile. ſed neceſſe eſt, corpus habens animam & intellectum diſcretiuum, habere ſenſum, quia melius eſt ipſi intellectui habere ſenſum: quia non ſolum magis intelligit, ſed nullo modo ſine ſenſu intelligeret. & ita euerteretur: quia ablatis operationibus à rebus, tolli eſſentias, iam oſtenſum eſt.

Quod quidem præter multos alios locos, oſtendit etiam Ariſtoteles his uerbis: Omnes homines natura appetunt ſcire. ſignum huius eſt ipſe ſenſuum amor. & ſine nanque utilitate, propter ſe ipſos ſenſus amamus. & maximè uiſus: non enim ſolum ut agamus, ſed ſi nihil etiam acturi ſumus, uidere ſanè præ cæteris uniuerſis expetimus. idq; ex eo ſit, quia ſenſus hic ad cognoſcendum maximè ſuppetit, complureſq; differentias rerum declarat. 1. Met. tex. 1. " " "

K Melius

Melius ergo eſt ipſi animæ, habere ſenſum : melius eſt item corpori, quum habeat animam & intellectum, habere etiam ſenſum. eſt enim magis propter ſenſum. quia quum ſit corruptibile, citius corrumperetur ſine ſenſu. ſenſus enim defendit illud à multis rebus, quæ ipſi exitio eſſent, ut multis in locis declarauit Ariſtoteles.

2. de anim. 63. 64. 68. in de Sēſu, & Senſib. cap. 2.

Contrà uerò non indiget ſenſu corpus ingenerabile, quia à nulla re extrinſecus poteſt pati, quum ſit incorruptibile. Itaque ſenſus ei nullum adiumentum afferret, ſed potius impedimentum. licet autem corpus generabile & corruptibile indigeat ſenſu, ut dictum eſt: ex hoc tamen non ſequitur animam rationalem non eſſe æternum. Negamus enim ſimilitudinem, quod uidelicet quemadmodum ſenſus impediret corporis æterni operationem, & nihil faceret ad eius æternitatem, ita etiam impediret intellectum ſi eſſet æternus: quia etſi non faciat ad intellectus æternitatem, faciat tamen quantum patitur natura humana ad intellectus operationem, & ad corporis in quo ineſt ſalutem. Et ita mihi uidetur diſſoluta ac profligata quæſtio dicta: iam ad aliam accedamus.

SECTIO NONA.

HAEc uerò una ex omnibus uidetur multos in fraudem impuliſſe, ut ueritatem desererent, qua ſic arguebatur: Animæ ſequuntur corpora, & ipſæ ſecundum ſeipſas non impaſſibiles ſunt à motibus corporis: ergo neceſſe eſt ut diſſoluantur, ſimulatq; corpus diſſolutum erit.

Dicimus (ut ſæpe iam indicatum eſt) duplicem in homine eſſe animam: alteram ſenſitiuam, de qua paulo antè uerba fecimus: alterā intellectiuam. Senſitiua eſt illa, quam mas educit ex potētia materię: intellectiua uerò de foris uenit. quæ diſtinctio colligitur ex uniuerſo libro de Anima, & ex omnibus auctoritatibus & demonſtrationibus quæ probant animam eſſe abſtractam à materia, & præſertim ex libro de Generatione animalium.

2. de Generatione anim. cap. 3.

Poſito hoc fundamento, ita diſtinguimus, reſpondentes ad argumentum: Si per animas intelligantur omnes animę, ſine ullo diſcrimine, negamus antecedens: quia anima intellectiua non ſequitur corpus nec patitur ex paſſionibus corporis. Si uerò intelligantur animæ ſenſitiuæ, concedimus illas ſequi corpora, & pati ex paſſionibus corporis. Concedimus item conſequentiam, quod uidelicet neceſſe eſt ut diſſoluantur, ſimulatque corpus diſſolutum erit. Sed hoc nihil facit aduerſus noſtram poſitionem, quippe qui loquimur de anima intellectiua, & dicimus ipſam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem, & nihil per ſe pati ex paſſionibus corporis.

Ad auctoritates ſumptas ex lib. Phyſionomiæ. Reſpondeo: illas rerum concludere de animis ſenſitiuis, quæ adducuntur ex potentia materiæ, & de his intelligi: non autem de intellectu, qui ſeiunctus eſt à materia.

Sed dicet aliquis, Hæc reſponſio euertit phyſionomiam: quia ſi intellectus non ſequitur corporis paſſiones, neque patitur paſſionibus corporis, & homo maximè eſt homo per intellectum: ergo ex inſpectione corporis, & partium corporis, non poterimus iudicare qualis quiſque ſit, bonus an malus, prudens an imprudens: quia quomodocunque ſe habeat corpus, non patitur intellectus, neque ſequitur corporis affectus. non ergo putandum eſt Ariſtotelem uoluiſſe uerbis citatis ex lib. Phyſionomiæ, intelligere animam ſolum ſenſitiuam, & non intellectiuam, euerteretur enim phyſionomia, quam tamen poſuit.

Item, intellectus delirat ex mania, et mania fit ex corpore: ergo intellectus delirat

lib. Phyſion. ex corpore, ergo patitur ex paſſione corporis.

Maiorem propoſitionem declarat Ariſtoteles, ubi ait: Nunc autem manifeſtum,
„ quod utrunque utrique conſequitur. Maximè quidem ex hoc manifeſtum fiet. Ma
„ nia uidetur eſſe: & Medici medicinis purgantes corpus, & diætis utentes, in ipſis
„ permutant animam à mania: curationibus autem corpus, & ſimiliter corporis for-
„ ma ſoluitur, & anima à mania permutatur.

Intelle-

Intellectus ergo pendet à corpore: quia malè affecto corpore malè afficitur, cu-
rato corpore liberatur. non ergo uera eſt tua reſponſio.

Item confirmatur, quòd intellectus ſequatur temperamentum, & aëris & corpo in Probl.
ris. etenim Ariſtoteles inquit: Cur efferis & moribus & aſpectibus ſunt, qui in ni- ſec.14.
mio æſtu uel frigore colunt. An eadem cauſa eſt? optima enim temperies non cor- Probl.1.
poris ſolum, uerùm etiam intelligentiarum hominis prodeſt: exceſſus autem om- “
nes dimouent, & ut corporis, ita etiam mentis temperamentum peruertunt. “

Quibus uerbis planè ſignificat, intellectum habere temperamentum: ergo ori-
tur ex temperamento corporis, ergo ſequitur paſſiones corporis, ergo nulla eſt tua
reſponſio.

Eandem ſententiam uidetur indicare, quum quærit: Cur homines qui ingenio 3.Part.
claruerunt, uel in ſtudijs philoſophiæ, uel in Republica adminiſtranda, uel in carmi Probl.1.
ne pangendo, uel in artibus excercendis, melancholicos omnes fuiſſe uideamus, & “
alios, ita ut etiam uitijs atræ bilis infeſtarentur: ut inter Heroas Hercules. hunc enim “
(inquit) ea ipſa natura fuiſſe putant: & morbū comitialem, & ſacrum ab illo, & Her “
culeum priſci nominauêre. “

Nam ſi ij, qui clarent ingenio, ualent intellectu: huiuſmodi autem ſunt melancho
lici: ergo qui ſunt melancholici, ualent intellectu. Intellectus ergo ſequitur tempe-
raturam corporis, quod negaſti.

Confirmatur ex eodem Problemate, nam addidit: Multi etiam, propterea “
quòd ille calor ſedi mentis in uicino eſt, morbis ueſaniæ implicatur, aut inſtinctu “
lymphatico inferueſcunt: ex quo Sibyllæ efficiuntur, & Bacchæ, & omnes qui diui “
no ſpiraculo inſtigari creduntur, quum ſcilicet id non morbo, ſed naturali intempe “
rie accidit. “

Maracus ciuis Syracuſanus, poëta etiam præſtantior erat, dum mente alienare- “
tur. His enim uerbis duo uidetur indicare Ariſtoteles. Alterum, quòd mens ha-
beat ſedem determinatam in corpore. inquit enim: Propterea quod ille calor ſedi “
mentis in uicino eſt.

Ex quo dicto ſequitur, ut mens habeat ſedem determinatam, alioquin calor ille
non potuiſſet eſſe in uicino ſedis ipſius.

Alterum, quod Sibyllæ & Bacchæ, & qui diuino afflatu concitati creduntur, de Sibyllis.
itemq́ poëtæ præſtantiores efficiuntur nō morbo, ſed naturali intemperie: qua de
re loquemur etiam in libris ſequentibus. & quum ſint intellectus opera, neceſſitas
cogit ut ipſe intellectus afficiatur affectione corporis.

Addidit etiam paulo pòſt: Multi etiam uinolēti ſeſe interimunt: nonnulli uerò ex “
melancholicis, ubi abundè potarunt, dolent, & animo uehementer ſuccumbunt. ca “
lor enim naturalis à colore uini extinguitur: calor autē qui eam continet ſedem qua “
ſperamus & ſapimus, facit ut ſecuro animo ſimus. “

Quod ſi calor naturalis eam continet ſedem qua ſperamus & ſapimus,
hæc autem eſt ſedes intellectus: ergo intellectus habet ſedem in corpore, ergo
habet organum corporale: ergo ſequitur alterationem corporis, & corrumpitur ad
corruptionem ipſius.

Quod autem ſedes qua ſperamus, & ſapimus, ſit ipſius intellectus ſedes, declarà 3.de Ani.
uit Ariſtoteles his uerbis: De parte autem animi, quo cognoſcit & ſapit anima, tex.1.
ſiue ſeparabili exiſtente, ſiue non ſeparabili ſecundum magnitudinem, ſed ſecun- “
dum rationem, conſiderandum quam habet differentiam, & quo modo quandoq́ “
fiat ipſum intelligere. “

Per partem enim animæ qua cognoſcit & ſapit anima, manifeſtè oſtendit ſe in-
telligere intellectum: quia intellectus eſt ille qui intelligit. quod intelligere quo-
modo fiat, uult conſiderare in eo libro, & præcipuè patet etiam ex eis quæ
tractat in illo ipſo libro, ita ut in dubium id quidem uenire
non poſſit. ſequitur ergo, contra poſitionem
tuam, quod diximus.

SECTIO DECIMA.

HIs quæſtionibus reſpondentes dicimus, phyſionomiã dari, & ita dari, ut nulla ſit alia facultas ex eis, quibus homines utuntur ad prædicendum, quæ uerioribus innitatur fundamentis. ſunt autem huiuſmodi, quæ in honore potiſſimum habentur, Pyromantia, Hydromantia, Aruſpicina, Geomantia, Chiromantia, Aſtrologia, & Phyſionomia. Sed Geomantia omnino uidetur reijcienda atque explodenda, propterea quòd nullis certis & ueris innitatur fundamentis: itaque caſu conſtituit ſua puncta, & figuras ſuas.

Quod autem nulla fides ſit habenda eis quæ ueniunt à caſu, ita in promptu eſt, ut ridiculum ſit uelle id oſtendere.

Chiromantiam item non eſſe ueram ex omni parte, conſpicuum eſt. Quæ enim ratio affertur, quare ſignentur planetæ in manu ipſa, & ſignificent aliquem futurum fortunatum in diuitijs, uel in honoribus acquirendis, uel in eis quæ ad artem imperatoriam ſpectant: & aliquos futuros eſſe fures, & fore ut nonnulli ſuſpendantur, & huiuſmodi alia. Nullum enim in manu poteſt eſſe ſignum, quod indicet: talia nihil enim commune habent huiuſmodi, cum illis ſignis. nam hæc ſigna neque ſunt cauſæ, neque ſigna illorum effectuum. ergo ſunt accidentia à caſu: ex neceſſitate enim materiæ contingunt. itaque ſolum poſſunt aliquo modo ſignificare, ut dixit Ariſtoteles, mortem, uel uitam naturalem: cuius tamen prædictio non poteſt ſumi ex omnibus ſignis manus, ſed ex eis quæ docuit Ariſtoteles, ubi ait: Pars interior manus
1. de Hyſt. anim. cap. 15 uola dicitur, & carnoſa eſt, & ſciſſuris uitæ indicibus diſtincta, longioris ſcilicet ui-
tæ, ſingulis aut binis ductis per totam, breuioris binis quæ non longitudinem to-
„ tam deſignent.

Probl. ſec. 10. Probl. Item quum inquit: Cur qui manus cæſuram per totam obtinent palmam, uiuere diutius poſſint? An quoniam minus uiuere poſſint quę carent articulis, incompactaq́ ſunt? quale genus aquatile. Quod ſi quæ articulata prona ſunt, uitam breui-
„ orem agere ſolent: conſtat contrà ſe habere, quæ articulata, cuius profectò generis
„ illa etiam ſunt, quæ cùm ſua natura omni articulo carent, exiſtunt tamen articulata
„ nonnunquam, quoad maximè licet conſiſtunt: manus autem pars interior penitus
„ articulo uacat.

Probl. ſec. 34. Probl. 10. Item ubi hæc ſcripta reliquit: Cur homines, qui uirgulam ſuæ palmæ ductam per totam latitudinem habent, longiſſimæ uitæ eſſe poſſunt? An quia breuis ætatis, imbecillaq́ ſunt, quæ artium beneficio carent, imbecillitatis indicium ætas prima atq;
„ tenerrima affert: uitæ autem teſtimonium dat omne genus aquatile? quæ quum ita
„ ſint coarctata, cõpactaq́ omnia, contra ſeſe habere liquidò eſt. quo in genere illa e-
„ tiam ſunt, quę cùm ex natura artubus maximè caretã, articulari tamẽ contigerit: pal
„ mæ autem partem interiorem penitus carere articulo certum eſt.

Chiromantia ergo, ex ſententia Ariſtotelis, poterit aliquid prædicere ex nonnullis manus ſignis, de breuitate & longitudine uitæ propter cauſam ab ipſo allatam: Quoniam rationi conſentaneum eſt, ſi natura (quæ ſolet rerum nobiliorũ maiorem gerere curam, quàm uiliorum) ſolicita fuit de palma manus, eam articulando ſignis conuenientibus ad potiores palmæ motus, ut etiam cordis & cerebri & reliquarum corporis partium, quæ magis neceſſariæ ſunt, & præſtantiores, maiorem geſſerit curam, eas diſtinguendo, & quemadmodum rectius ſe habebant coſtituendo, ex qua re ſequitur longitudo uitæ. Hæc igitur ſola ſunt manus ſigna, ex quibus poſſumus propter rationem dictam aliquid prædicere de longitudine & breuitate uitæ: quia ſunt ſigna horum effectuum. alia uerò ſigna quæ ſunt in manu, uidentur potius eſſe ex neceſſitate materiæ, quàm propter aliquem finem. Neque uidetur reperiri poſſe ulla cauſa, quæ ex fundamentis naturæ ortum habeat, quæ poſſit hominibus ſanæ mentis perſuadere, aliqua eſſe in manu ſigna quæ indicent ſecundam uel aduerſam fortunam: neq; quod ille tumor qui eſt ſub indice, qui appellatur mõs Iouis, ſi eſt eleuatus, & ſtella inſignitus, ſignificet fore ut quis maximum ali

quod

quod ſacerdotium conſequatur. Idem de tumore illo dicendum eſt, qui eſt ſub pollice, qui appellatur mons Veneris. nihil enim uidet̃ eſſe, cur aliquid ſignificet quod Venerea ipſa attineat, & ad fortunam quæ ex rebus Venereis oriri poſſit. Quod item cenſendum eſt de omnibus tumoribus, qui cæterorum planetarum montes nuncupantur. hæc enim arbitratu hominum impoſita fuerunt nomina, non ex ulla certa cauſa, quæ alicui naturali fundamento innitatur. Quare reijcienda ſunt: nihil enim ipſis cum planetis.

Quod ſi aliquis contra nos afferat experientiam, quod uidelicet multi reperti ſunt, quibus euenerunt ea quæ ipſis prædicta fuerunt ab iſtis, qui hanc artem profitentur: nos item aduerſus illum afferemus eandem experientiam, quòd plures extiterint quibus contrarium accidit, atque ipſis prædictum fuit. Quare cum experientia nobiſcum etiam, & quidem multo magis faciat, cumq; experientiæ noſtræ conſentiat ratio ex fundamentis naturæ ducta, illorum autem experientiæ omnino repugnet: in dubium uenire non poteſt, quin eligenda ſit ea quam diximus opinio, & altera reijcienda. Nam ſi aliquando tamen uera prædixit hæc ars, id caſu accidat, non ratione: de qua tamen experientia in eis quæ ſequentur, pluribus agemus.

Neque uerò licet illud dicere, ſi iſti qui profitentur hanc artem, maiori ex parte falluntur, non eſſe id aſcribendum ipſi arti, quæ uera non ſit, ſed eis qui eam exercent, quia illam non perfectè aſſecuti ſint. Quandoquidem hoc fortaſſe dici poteſt de illis artibus, quas ſcimus fundamentis ueris inniti: ſed iſtius nulla ſunt. Quamobrem cauſa quare non prædicit uera, non eſt ignoratio eorum qui illi operam dant: ſed eſt ipſa ars, quę tranſcendit eos limites quos in ſuperioribus ex ſententia Ariſtotelis oſtendimus.

Præterea ſi ex hoc quod illi qui artẽ chiromantiæ profitentur, aliquando uera prędicunt, concludendum eſt ipſam eſſe ueram artem, & per id quod neceſſariò ſequitur, maiori ex parte euenire ea quæ ipſa prædicit: non uideo cur etiam Geomantia non ſit reponenda inter ueras artes. etenim multis uidemus euenire ea quæ ex Geomantia denunciata fuerunt: & tamen, ut fatentur iſti etiam qui chiromantiam defendunt, eſt commentum quoddam hominum decipere uolentium, atque figmentum: nemo eſt enim qui neſciat, iſtam artem nullis munitam eſſe rationibus, ſed caſu fieri illa puncta: ſiquidem nulla reddi poteſt probabilis cauſa quare fiant, uerbi gratia, quinquaginta puncta, & non ſexaginta: hoc enim in arbitrio eius qui facit puncta, uidetur eſſe poſitum, ut quouſque ei libuerit, nulla habita ratione, progredi liceat in punctis faciendis.

Quare ſi ex eo quod aliqui uera aliquãdo prædicant ex Geomantia, non poſſumus concludere ipſam eſſe ueram artem: neq; item de chiromantia licebit hoc affirmare, etſi aliqui uera prædicant ex illa. quod quidem eſt id, quod probare inſtitueramus.

FINIS LIBRI VIGESIMIPRIMI,
Euerſionis Singularis certaminis.

LIBER VIGESIMVSSECVNDVS.

SECTIO PRIMA.

NON alienum eſſe uidetur, poſtquam incidimus in hunc locum, ut aliquid dicamus etiam de Aſtrologiæ diuinatione, præſertim quum & ipſa ex cœlo uideatur pendere, & rebus omnibus quæ ſunt in hoc mundo inferiori neceſſitatem imponere: quæ diſputatio, ut uidebimus, plurimum etiam ad id conducet, quod nobis eſt propoſitum. hac enim opinione confutata, ac planè reiecta, animi noſtri libertas & immortalitas maximè confirmabitur atq; ſtabilietur, quę nunc ab illa uehementer labefactari uidetur, atque euerti. Atq; eo quidem magis in hac re elaborandum eſt, quo maior iſti diuinationi fides à multis habita eſt ſemper, & habetur. Complures enim ſunt qui putent, ex ſolo aſpectu cœli prædici uerè poſſe non ſolum pluuiam, uentos, & huiuſmodi, quæ apertè ſequitur ipſius cœli motum, atque efficientiam, quorum ſanè prædictio & diuinatio magis uidetur ratione conſentanea: ſed ea etiam quæ attinent ad uitam & mortem, ad generationem & corruptionem quum ipſorum hominum tum cæterarum animalium & plantarum: quæ item pertinent ad mores, uirtutes & uitia, quod omnium maximum eſt, ad ſecundam uel aduerſam fortunam, ut ad honores, ad diuitias, ad opes, ad amicos, ad propinquos, ad parentes, ad inimicitias, ad cædes, ad literarum ſtudia, ad artes, ad ueſtium inciſionem, ad itinera, & (ut uno uerbo me expediam) quæcunq; in iſtis inferioribus fiũt, uel à natura, uel ab ipſis hominibus, hæc inquam omnia putant uerè prædici poſſe ex ſola ipſius cœli inſpectione: ita ut quaſi contingentium è mundo tollere uideantur: & ſi non audent hoc palàm proferre. putant enim cœlum eſſe omnium cauſam, & dicunt etiam multa eius ui ab hominibus fieri quæ excedunt humanas uires, multisq; tribui præmia & pœnas præter rationem & meritum. Quorum quidem ſententias & opiniones, eo modo quo eas proferunt, maximè deteſtabiles ac pernicioſas eſſe arbitramur, omniq; ſtudio & cura fugiendas atq; uitandas.

Nos tamen in animo non habemus nunc cõtra iſtam Aſtrologiæ diuinationem, omnia quæcunque dici poſſet in medium afferre: tum quia Ioannes Picus, uir celeberrimus, ac propè diuinus, ex nobiliſſima & clariſſima Picorum familia ortus, quæ Mirandulæ Patauiæ meæ, ex quo fuit condita uſq; ad hæc tempora, ſemper dominata eſt, ac dominatur, in ſuis aduerſus Aſtrologos diſputationibus abundè hoc præſtitit, ut nihil ferè omiſiſſe uideatur, quod ad ipſius Aſtrologiæ diuinationem labefactandam ac funditus tollendam pertineat: tum quia in hoc loco, in quo ex ſententia Ariſtotelis naturaliter loquentis uerba facimus, ſatis nobis futurum exiſtimamus, ſi perſpiciemus quid de hac re ſenſerit Ariſtoteles: cuius quidem ſententiam imprimis ſequendam ſtatuimus, quòd ea nobis ſolida, & humanę rationi maximè conſentiens, non inanis & commentitia uidetur, ſemperq; uiſa eſt: ac nemini ſanè qui mente integra ſit, quiq; tanquam in aliena uerba iurauerit, neceſſe non habeat propoſitum defendere, non ita uiſum iri arbitramur.

SECTIO SECVNDA.

QVare incipientes argumentemur hoc modo: Cœlum non poteſt ipſum per ſe producere effectus eos, quos diximus ſine cauſis particularibus, ergo non poteſt prædici ex tali aſpectu cœli talem conſequuturum effectum.

Probatur conſequentia: quia illud ad quod producendum, plures concurrunt cauſę, non poteſt ſciri una tantũ cognita cauſa. Si ergo neceſſariò concurrũt (uerbi gratia) ad hominẽ generandum, cœlum & cauſę particulares, ut perſpicuũ eſt: ergo ex cœlo ſolo nunq; poterit homo cognoſci. quia ignoratis cauſis particularibus, neceſſe eſt ignorari effectum cuius illæ ſunt cauſæ: quia non ſcimus illum ex omnibus

bus ſuis cauſis, quas neceſſariũ eſſe ſcire declarauit Ariſtoteles apertè ijs uerbis: Quoniam quidem intelligere & ſcire contingit circa omnes ſcientias, quarum ſunt principia, aut cauſæ, aut elementa, ex horum cognitione. tunc enim opinamur cognoſcere unumquodq;, cùm cauſas primas cognoſcimus, & prima principia, uſq; “ ad elementa. Manifeſtum quidem, quòd quæ ſunt circa principia ſcientiæ quæ de “ natura eſt, primò determinare tentandum. His igitur uerbis apertè oſtendit Ariſto- “ teles, quòd ſi nos non cognoſcamus cauſas particulares alicuius effectus, fieri non poſſe ut ſciamus illum effectum: alioquin falſa eſſent quæ loco citato aſſeruit. ſed cũ hoc ſit abſurdum, ut ſit abſurdum id unde emanat neceſſe eſt.

Quod etiam uidetur ſic oſtendi poſſe. faciamus aſpectum cœli talem eſſe, ut polliceatur eum qui in lucem proditurus eſt ſub tali aſpectu, quatenus ad ipſum attinet, futurum longę uitæ, ſi quis ex hoc uelit inferre, Ergò iſte qui naſcetur, uel natus eſt ſub tali aſpectu, erit longæ uitæ: is (meo quidem iudicio) grauiter peccabit. non enim infert ex omnibus cauſis, unde effectus ille proficiſcitur. Cùm uerò cœlum nõ poſſit ipſum per ſe longam uitam conferre, ſtultum eſt uelle ex eo inferre ſimpliciter, id quod ipſum ſolum non poteſt præſtare. Fieri enim poteſt ut aſpectus quidem cœli ſit aptus ad producendum bonam uitæ temperiem: Sed pater & mater, uel ambo, uel alter eorum, ſit male affectus aut morbo Gallico, aut pthyſi, aut alio morbo, quo ne proles inficiatur ac debilitetur, ita ut beneficium ex illo bono aſpectu recipere non queat propter cauſas proximas, neq; diu uiuere: hoc ſanè ita eſt in promptu, ut nihil ſit, quod de eo dubitetur. Antecedens etiam perſpicuum eſt. non enim poteſt cœlum ex nihilo aliquid efficere, ſed ſemper ex aliqua materia producit, quicquid producit. Neq; poteſt ipſum per ſe facere fœminam, neq; marem, neq; magnum, neq; paruum, neq; pulchrum, neq; deformem, neq; ingenio præditum, neq; expertem ingenij, neq; nobilem, neq; ignobilem, neq; filium huius patris, aut illius: quoniam quantum attinet ad ipſum, omnes qui naſcerentur ſub illo aſpectu, uel eſſent omnes mares, uel omnes fœminæ, uel omnes deformes, uel pulchri, uel omnes eiuſdem uitæ, ſiue longæ ſiue breuis. Senſui igitur conſpicuum eſt, cœlum non producere aliquem effectum determinatum, niſi beneficio cauſarum proximarũ. Quare concludendum uidetur, ex ſolo aſpectu cœli nihil prædici poſſe de effectibus producendis, neq; ſemper, neq; maiori ex parte. Quod ſi aliquid aliquando prædicitur, id eſſe à caſu. hæc ſanè mihi uidetur eſſe propria & germana ratio, quæ diuinationem Aſtrologiæ, quam iſti ponunt, omnino labefactat atq; conuellat: neq; mihi uidetur diſſolui poſſe. ſenſui enim perſpicua eſt. Neq; licet illud dicere, ut etiam oſtendemus, cœlum cogere cauſas particulares ad efficiendum id quod intẽdit. quoniam ſi ita eſſet, ſemper, uel maiori ex parte hoc efficeret. Quod planè ſenſui repugnat. ſub eodem enim aſpectu cœli producuntur, ex eodem frumento, lolia, frumentum, & res ualde diuerſæ: naſcuntur etiam homines ſani & morboſi.

Superuacaneæ præterea eſſent cauſæ particulares. non enim poſſent coarctare uniuerſalem cauſam ad hunc uel illum effectum producendum, ſi cogerentur ipſæ & traherentur ab illa. Quod cùm à ſenſu & à ueritate abhorreat, ut id etiam unde emanat, & ſenſui & ueritati repugnet neceſſe eſt.

Confirmatur item, quia ſi ex ſolo aſpectu cœli poſſemus prædicere de breuitate & longitudine uitæ, de magnitudine & paruitate, de pulchritudine, de deformitate, de albedine & nigredine de fœmina & mare, & huiuſmodi alia, fruſtra Ariſtoteles tradidiſſet omnes particulares cauſas ſingulorum effectuum, ut ſciremus ipſos. Quod ſequitur eſt abſurdum, ergo & id unde fluxit. Probatur conſequentia: tum quia fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt ęquè bene per pauciora: tũ quia falſò redditæ fuiſſent illæ cauſæ, ſiquidem effectus illi neceſſariò producerentur à ſolo cœlo: & ſatis fuiſſet in philoſophia, ſcientiam tradere de cœlo, quoniam ex ipſo ſatis cognouiſſemus, quare unuſquiſq; effectus producatur.

Item quærentes equos aptos ad pugnam, uel ad currẽdum, & ad labores ſuſtinendos, fruſtra requireremus ex qua eſſent ſobole geniti: Quod ſequitur eſt falſum, ut ex ipſa experientia conſtat: ergo & id quod antecedit. Conſequentia patet: quia ſi iſti effectus euenirent è cœlo, nihil referret ex qua quiſq; equus ſobole natus

eſſet,ſed tantum ſub quo aſpectu cœli. quod ſi requiras aliquid præter cœli aſpectum: ergo ex ſolo illo aſpectu non poterit prædici qualis hic uel ille futurus ſit equus.

Idem quoq; dicendum eſt de hominibus,& de plantis. non enim opus eſſet, ut qui uellent uxores ducere,quærerent illas ex bonis & ſanis parentibus natas, ut filios bonos & ſanos procrearent:ſed ſatis eſſet ex quacunq; fœmina, ſeruando bonum cœli aſpectum, ſuſcipere filios.

Præterea ſi homines fierent boni & mali à cœlo:ergo uniuerſa Ethic.& Politicorum doctrina rueret. Quod ſequitur, abhorret à ratione & ueritate: ergo & id quod antecedit. Conſequentia probatur:quia fruſtra doceretur quomodo fiant in nobis uirtutes ex conſuetudine. Item naſceremur cum uirtutibus uel cum uitijs:ſiquidem ex ipſorum Aſtrologorum opinione,in natiuitate,uel in genitura cõſequimur omnia à cœlo,& ſic uirtutes & uitia fierent in nobis à natura. Cõſequens
» euertit opinionem Ariſtotelis,quippe qui inquit: Ex quo manifeſtum eſt, nullam
» uirtutem moralium fieri in nobis à natura, quia nullum eorum quæ ſunt natura aſ-
» ſueſcunt aliter fieri. Falſum eſt igitur ipſum antecedens, neq; ualet dicere minori ex parte hæc fieri à cœlo non ſemper:quia doctrinam non eſſe eorum quæ minori ex parte eueniunt,ita in promptu eſt,ut minime opus ſit id oſtendere.

Item ſi à cœlo homines ſunt uel boni uel mali,aut neceſſario tales ſunt, aut ex maiori,aut ex minori parte:ſi neceſſariò, ergo aufertur libertas humana, & tollitur rerum contingentia:& ita ſuperuacaneæ ſunt omnes artes, & omnis doctrina uirtutum,ac diſciplina maiori ex parte:ergo tollitur doctrina uirtutum,quippe quæ traderet ea,quæ minori ex parte contingerent,quodquidem reijcitur ab omni arte & ſcientia.ſin minori ex parte fiunt à cœlo boni homines uel mali:ergo tollitur Aſtrologia:quia quæ ſunt huiuſmodi,fiunt à caſu. Igitur quocunq; iſti ſe uertant, ut iaceat eorum ſententia neceſſe eſt.

Item,fruſtra traderet Ariſtoteles cauſas in politicis, quare conſeruentur aut euertantur reipublicæ. Conſequentia perſpicua eſt:ſiquidem omnium cauſa eſt cœlum ex iſta opinione. Quod ſequitur,repugnat ſententiæ Ariſtotelis: ergo & id unde ſequitur.

Item, fœlicitas non fit à cœlo:non igitur uirtutes,neq; mores, neq; cæteræ actio-
1. Ethic. nes humanæ. Probatur antecedẽs ex uerbis Ariſtotelis,quippe qui hæc ſcripta reli-
cap. 13. quit,quæ ſæpe citauimus in ſuperioribus,ſed ad alias res ſtabiliendas: Si ergo aliud
» quicquam eſt deorum munus hominibus datum,par eſt fœlicitatem quoq; eſſe do-
» num deorum,ac tanto maximè humanarum rerum, quanto id præſtabilius eſt. ſed
» hoc alterius conſiderationis magis proprium eſſet. Videtur autem, etſi non à Dijs
» miſſa,ſed per uirtutem & diſciplinam quandam aut exercitationem proueniat, ta-
» men diuiniſſimorum eſſe.nam uirtutis præmium,finiſq;,optimum quiddam, & di-
» uinum,beatumq; uidetur. eſt enim ualde communis,cùm poſſit cunctis ineſſe, non
» orbatis ad uirtutem, per quandam diſciplinam ac diligentiam. quod ſi melius eſt
» hoc modo,quàm per fortunam eſſe fœlicitatem,rationabile eſt ſic ſe habere. ſiqui-
» dem ea quæ ſecundum naturam ſunt,ut optimè ſe habere poſſunt,ita ſunt: ſimiliter
» & illa quæ ſecundum artem, & omnem cauſam, ac maxrmè ſecundum optimam.
Quibus uerbis planè oſtendit,fœlicitatem fieri in nobis per quandam diſciplinam & diligentiam.non ergo fit à cœlo: ergo neq; mores, neq; aliæ actiones humanæ ex quibus exiſtit ipſa fœlicitas. Itaq; non recte dictum eſt, per aſpectum cœli hæc nobis contingere.

Quod ſi quis,ut tueatur Aſtrologiam,diceret fœlicitatem ex ſententia Ariſtotelis non fieri quidem in nobis à cœlo,ſed ex diligentia & cura,quia ex conſuetudine: ſed tamen à cœlo habere nos aptitudinem quandam, ad ipſam fœlicitatem, & hoc ſaltem nos conſequi ex ipſo cœlo. Ita uerò licebit dicere, omnia quæcunq; fiunt in hoc mundo, euenire à cœlo.etenim non eſt maior ratio,quare cœlum ſit cauſa unius effectus, quàm alterius,ſiquidem eam uim habet ex iſtorum ſententia, ut omnium quæ ſunt in hoc mundo inferiori cauſam contineat. quod ſi nihil habemus à cœlo,niſi aptitudinem quandam,& propenſionem:tunc ex ſolo cœli aſpectu licebit

bit tantum prædicere hanc ipſam aptitudinem & propenſionem, uerbi gratia, quòd aliquis futurus ſit propenſus & aptus ad honores, ad diuitias, ad res ſecundas uel aduerſas, ad artes, ad ſcientias, ad uirtutes, uel ad uitia, ad longam uitam, uel breuem, & alia huiuſmodi. Quod quidem longè aliter ſe habet, atq; id, quod quotidie faciunt Aſtrologi: quippe qui definitè pronunciant, ita fore aliquem fortunatum, ut nullo modo futurus ſit miſer: ita fore bonum, ut non futurus ſit malus, & alia huiuſmodi.

Sed oſtendamus, ne iſtam quidem aptitudinem omnino prædici poſſe ex cœlo (ut ipſi exiſtimant) ſimpliciter & abſolutè. nam uel iſta aptitudo oritur ex ſolo cœlo, uel non ex ſolo. Non poſſunt dicere oriri ex ſolo cœlo, quia cœlum nihil efficit niſi opportunitate ac beneficio particulariũ cauſarum, ut perſpicuum eſt ex ſenſu: ergo efficit iſtam aptitudinem ſeu inclinationem beneficio ipſarum cauſarum particularium. ex ſolo igitur cœlo non poterunt aſſerere futurum, ut qui naſcetur ſub tali aſpectu cœli, ſimpliciter habeat hanc uel illam inclinationem & aptitudinem: cùm fieri poſſit, ut cauſa particularis efficiens & materialis tribuat contrariam aptitudinem, quarum cauſarum temperamentum magis ſequuntur effectus quàm cœli aſpectum: magis enim illarum ſunt ſimiles, quippe quę trahunt ac reſtringunt cœlum ad hunc uel illum effectum determinatum producendum, etenim cœlũ, quantum ad ipſum attinet, non magis hunc effectum produceret, quàm illum.

Neq; uerò illud quod in decimo libro diximus, oportere nos habere à natura aptitudinem quandam ad uirtutem, & per id quod neceſſariò ſequitur, ad fœlicitatem, & ad alia huiuſmodi, euertit ſententiam noſtram: propterea quòd per naturam non intelleximus cœlum ſolum, ſed omnes cauſas quæ concurrunt ad aliquem effectum producendum, inter quas ſunt cauſæ particulares. ſunt enim & ipſæ naturæ. Neq; etiam tex. in eodem nono lib. ex ult. cap. decimi Ethic. qui erat, (Fieri autẽ bonos putant, alios quidem natura, alios aſſuetudine, alios doctrina.) Quod eſt enim naturæ, manifeſtum quòd non eſt in nobis, ſed per quandam diuinam cauſam, eis qui uerè fortunati ſunt aliquid facit contra nos. quia in eo loco non loquitur Ariſtoteles (ut interpretati ſumus ipſum, rationemq; reddidimus) ex animi ſui ſententia. quòd ſi faciamus ipſum hæc protuliſſe, quòd ita ſentiret, dicemus illum per diuinam cauſam intellexiſſe omnes cauſas, quæ concurrunt naturaliter ad aliquem effectum naturalem producendum. alioquin repugnaret ſenſui, & ſuæ ipſius ſententię, atq; illæ quidem cauſæ dicuntur & ipſæ diuinæ: quia ſimul cum Deo concurrunt ad effectus producendos.

Neq; illud dici poteſt, cœli uim eſſe tantam, ut poſſit mutare omnino cauſas particulares, eaſq; cogere ut dent illam aptitudinem, quam ipſum per ſe daturum eſt: quia ſi hoc poſſet cœlum efficere, ex quocunq; temperamento corporis, etiam malo, eadem ſequeretur ſanitas, conficeretur ueſtis optima: & ex peſſimis frumenti granis naſceretur frumentum optimum, ſicut ex optimis: uel è contrario. quæ omnia ita ſunt abſurda, ut nihil abſurdius fieri poſſit. Ex qualibet enim uirtute cœli fieret quodlibet: quod eſt, & ſenſum planè, & ueritatem, & Ariſtotelis ſententiam euertere.

Ex cœlo igitur non poteſt aliud quicquam uerè prædici, niſi aliquem inclinari ad hanc rem, uel ad illam: neq; hoc etiam dici poteſt de quacunq; re ſimpliciter, ſed ſolum de illis effectibus qui proficiſcuntur ex quatuor qualitatibus, & ex earum temperamento: quia de illis qui non naſcuntur ex ipſis qualitatibus, nihil prædici poteſt ex aſpectu cœli, quia cœlum non eſt cauſa illarum, cuiuſmodi ſunt effectus ij, qui proueniunt à fortuna, & à mente etiam, ut dicemus: quæ non ſubijcitur quatuor qualitatibus, neq; earum temperamento: eſt enim ſeiuncta à materia, ut probatum eſt.

Præterea ſi cœlum eſſet cauſa noſtrarum actionum, profectò in enumerandis illarum cauſis requireretur Ariſtotelis diligentia: quippe qui non omnia perſequutus eſt. quod ſequitur à ueritate alienum eſt: ergo & id unde emanat. Sed conſequentia probanda eſt: quæ ut melius intelligatur, afferemus ipſius Ariſtotelis uerba:

Omnes

1. Rhet. cap. 10. omnes autem (inquit) agunt omnia, alia quidem non per ſeipſos, alia autem per ſe ipſos. eorum autem quæ non per ſeipſos, alia quidem agunt per fortunam, alia ue-
» rò ex neceſſitate. Eorum autem quæ ex neceſſitate, alia agunt ui, alia autem natura.
» quare quæcunq; non per ſeipſos agunt, alia quidem à fortuna, alia quidem natura,
» & alia ui. Quæcunq; uerò per ſeipſos, quorum ipſi ſunt cauſa, alia quidem per con-
» ſuetudinem, alia autem per appetitum: & alia quidem per rationalem appetitum, a-
» lia autem per irrationalem. Eſt autem uoluntas, cum ratione appetitus boni. Irratio
» nales autem appetitus, ira & concupiſcentia. Quare neceſſarium eſt omnia quæ-
» cunq; agunt, per ſeptem cauſas agere: per fortunam, per uiolentiam, per naturam,
» per conſuetudinem, per rationem, per iram, per concupiſcentiam.

Si ergo cœlum eſt cauſa noſtrarum actionum, uel erit mancus ac mutilatus Ariſtoteles, quippe qui non poſuit cœlum cauſam noſtrarum actionum, & ita prætermiſit ueram illarum cauſam: uel ſuperfluus, ſiquidem cœlum tantum eſt cauſa, fruſtra enim expoſuit tot alias cauſas: uel aberrans à ueritate, quoniam eas actionum noſtrarum cauſas enumerauit, quæ non ſunt ueræ cauſæ.

Si uerò quiſpiam uellet defendere Ariſtotelem, dicẽs ipſum intellexiſſe cœlum, cum dixit aliqua fieri per naturam: non ſatisfacit hæc reſponſio, propterea quòd i-
1. Rhet. cap. 2. pſe declarans ea quæ fiunt natura, Natura autẽ (inquit) ſunt, quorumcunq; in ipſis eſt determinata cauſa. etenim ſemper, uel maiori ex parte idem contingit. Quod
» quidem cœlo non conuenit: non enim ineſt in nobis.

Præterea etiam ſi per naturam intelligeret cœlum, ne ſic quidem defenderetur, quin incidiſſet in manifeſtiſſimum errorem. nam uel cœlum ſolum eſt cauſa actionum noſtrarum, uel non ſolum. ſi eſt ſolum cauſa noſtrarum actionum, ergo fruſtra & perperam numerauit Ariſtoteles reliquas ſex cauſas. ſi non eſt ſolum cauſa, ergo perperam Aſtrologi attribuunt cœlo cauſas actionum humanarum: quia quod proficiſci poteſt à multis cauſis, perperã uni tantum attribuitur. Quocunq; igitur ſe uertant Aſtrologi, neceſſe eſt ut uel Ariſtotelis doctrinam, uel ſuam ipſorum euertant opinionem.

Si uerò dicant, omnes iſtas cauſas proficiſci à cœlo, ſed eas ſeparatim enumeraſſe Ariſtotelem ut res clarior dilucidiorq; nobis fieret, non uidetur locus ille in eam ſententiam accipi poſſe, ut Ariſtoteles per illas ſeptem cauſas ſignificet ipſum cœlum, quandoquidem cœlum non ſit cauſa fortunæ, neq; eorum quæ ſunt à fortuna: quia hæc (ut ipſe declarauit primo Rhet. cap. decimo) ſunt huiuſmodi, quorum cauſa eſt indeterminata, & non fiunt cauſa huius, & neq; ſemper, neq; maiori ex parte, neq; ordinatè. Manifeſtum autem eſt de his, ex definitione ipſius fortunæ. Quæ autem à cœlo fiunt, fiunt à cauſa determinata, & à cauſa agente alicuius gratia, ſemper uel maiori ex parte, atq; ordinatè: eorum igitur quæ fiunt à fortuna, non poſſe eſſe cauſam ipſum cœlum, in dubium nemini ſano (ut ego quidem arbitror) uenire poteſt.

Neq; ea quæ fiunt ui, uidentur poſſe redigi ad cœlum: quandoquidem cœlum non habeat, ut dicemus, ea inſtrumenta, quibus poſſit uim rebus inferre. hæc enim non apparent. non decet autem eos qui philoſophiam naturalem profitentur, ea ponere, quæ ſenſui aliquo modo non appareant.

Ea item quæ fiunt per naturam, etſi aliquo modo à cœlo pendeant tanq; à cauſa generali, negari tamen non poteſt quin magis proficiſcantur à cauſa particulari: hæc enim eſt illa quæ cœlum reſtringit, & quam magis effectus ſequuntur. effectus enim particulares magis ſequuntur naturam cauſarum particularium, quàm uniuerſalium, licet uniuerſales modo quodam perfectiori ad effectus producendos concurrant.

Quis præterea dicat rationem proficiſci à cœlo, cum iam demonſtratum ſit ex ſententia Ariſtotelis mentem noſtram omnino ſeiunctam eſſe à materia, ac ſeparatam, impoſſibilem eſſe, atq; perpetuam? quæ enim tandem uis poteſt ei à cœlo inferri, quod non agit (ut oſtendemus) niſi motus & luminis beneficio? quæ duo producunt illius effectus, materiam ipſam qualitatibus efficiendo.

Neq; uerò dici poteſt, iram & concupiſcentiam ex ſolo cœlo proficiſci ſine cauſis particularibus. ea enim eſt conditione cœlum, ut neceſſe ſit ipſum à cauſis particu-

ticularibus reſtringi. alioquin uel nihil, uel ſemper idem produceret. Quæ cùm ita ſint, abeant iſti in malam rem, qui omnia in cœlum, tanꝗ in ueram ac germanam omnium cauſam conferenda eſſe contendunt: ſed de his in ſequentibus pluribus agemus. Relinquitur ergo, uerum eſſe id quod diximus, Ariſtotelem non ſeparaſſe illas cauſas, ut clarior & dilucidior res fieret: ſed quia ex natura ſua ipſæ erant ſciunctæ ac ſeparatæ.

Non ergo, ut dictum eſt, defendi poteſt Ariſtoteles, ſi cœlum ſit cauſa humanarum actionum, quin fuerit in causis earum numerandis mancus & mutilatus: quod quidem de tanto philoſopho aſſerere, eſt meo ſanè iudicio, longè indigniſſimum.

Ex eis igitur quæ dicta ſunt, perſpicuum eſſe arbitror, Aſtrologos non poſſe, ſaltem ex ſententia Ariſtotelis, opiniones ſuas tueri ac defendere. Neceſſe igitur habent ut ad alia præſidia confugiant, ſiquidē tanꝗ in aliena uerba iurauerint propoſitum ſuum defendere omnino contendunt.

SECTIO TERTIA.

SEd quoniam, ut docet Ariſtoteles, afferre contra aliquam opinionem abſurda; non eſt quæſtiones oppoſitas diſſoluere: neceſſarium eſſe duximus, ut nonnullas rationes, & illas quidem ex omnibus potiores, quibus maximè innituntur Aſtrologi, in medium afferamus: ut omni quaſi nebula diſcuſſa, quid de ipſa aſtrologiæ diuinatione exiſtimandum ſit, liquidò appareat.

Primò igitur argumentantur ſic: Omnis uirtus huius mundi inferioris, neceſſariò adminiſtratur ac regitur à cœlo: ergo ex aſpectu cœli fieri poteſt, ut uerè de uirtutibus & operibus huius mundi prædicatur. Conſequentia uidetur perſpicua. etenim cognita cauſa alicuius effectus, ut eſt illius effectus cauſa, ut cognoſcatur effectus neceſſe eſt. nam primo Poſt. cap. ſecundo inquit Ariſtoteles: Scire autem o- 1. Poſt.
pinamur unumquodꝗ ſimpliciter & non ſophiſtico modo, quod eſt ſecundum ac- cap. 2.
cidens, cùm cauſam arbitramur cognoſcere, propter quam res eſt, & quod illius cau «
ſa eſt, & non contingere hoc aliter ſe habere. Si ergo cœlum regit, & gubernat o- «
mnem uirtutem huius mundi inferioris, ergo ut ſit cauſa illius uirtutis neceſſe eſt: aliter enim non gubernaret, neꝗ regeret illam. ſi ergo eſt cauſa: ergo ipſo cognito, ut ſciatur effectus neceſſe eſt: ergo ex aſpectu cœli, uerè de uirtutibus & operibus huius mundi prædicetur. Aſtrologia igitur non erit inanis & fallax, ſed optimo innixa fundamento, & maxime uera. Id uerò quod antecedit, declarauit 1. Metheo.
Ariſtoteles illuſtri illa ac peruagata propoſitione, quam cùm enumeraſſet quatuor cap. 2.
elementa his uerbis protulit: Eſt autem ex neceſſitate continuus mundus iſte ſupe- «
rioribus lationibus, ut omnis ipſius uirtus gubernetur inde. «

Nihil igitur clarius potuiſſet dicere Ariſtoteles, quod magis ipſam Aſtrologiæ diuinationem corroboraret. etenim ſi aliter eſſet, non fuiſſet neceſſarium, cœlum eſſe continuum ſuperioribus lationibus. Confirmatur hoc ipſum ex eodem Ariſto
tele, quem locum ſupra etiam ad aliud oſtendendum citauimus, ubi hæc ſcripta re- 4. de gene.
liquit: Ratione autem optima tempora omnium, & grauidatarū & generationum animal.
& uitarum dimenſionem circuitibus ſibi expoſcunt recipere. circuitum appello di- cap. 10.
em, noctem, menſem, annum, & tempora quæ ijs deſcribuntur, atꝗ etiam lunæ tra- «
iectiones. Sunt enim lunæ circuitus, complementa, & ſilentia, & interpoſitorum «
temporum ſectiones: ita enim coit cum ſole. menſis namꝗ communis amborum «
circuitus eſt. lunæ autem principium eſt propter ſolis ſocietatem, receptumꝗ lu- «
cis. fit enim quaſi alter ſol minor. Quamobrem conducit ad omnes generationes, «
perfectionesꝗ, calores & refrigerationes, cum moderatione quadam generatio- «
nes, ſine moderatione corruptiones efficiunt. Terminum autem tum principij tum «
finis qualitatum earum, motus horum ſiderum obtinet. ut enim & mare & omnem «
humorem naturam ſubſiſtere, atꝗ mutari prò flatuū motu & quiete uidemus, aë- «
rem uerò & flatus pro ſolis lunæꝗ circuitu affici: ſic ea, quæ ex ijs aut in ijs oriun- «
tur, ſequi neceſſe eſt. nam ut rerum minus principalium circuitus ſequantur magis «
principalium rerum circuitum, neceſſe eſt. «

Eſt

Eſt ergo cœlum, ex Ariſtotelis ſententia, cauſa omnium circuituũ, omnium generationum & corruptionum, & omnium perfectionum: atque omnia quæ ſunt in hoc mundo inferiori, ut quatuor elementa, afficiũtur à cœlo, & neceſſario quæ ſunt in ijs, aut ex ijs. Omnia igitur quæ ſunt in hoc mundo, neceſſariò mutantur ex ipſo cœlo: quia omnia uel ſunt elementa, uel ex his conſtituta, uel in his degentia. Quare nemini poteſt eſſe dubiũ ex uerbis Ariſtotelis, quin omnis uirtus huius mundi inferioris adminiſtretur ac regatur ex ui ipſius cœli: quod quidem probare inſtitueramus.

2. de gene. Hoc item uidetur corroborare Ariſtoteles, ubi poſtquam dixiſſet: Quocirca ſi acce-
& corrup. dendo & propè eſſendo generat, & in recedẽdo & longè fieri id ipſum corrumpit,
tex. 56. & ſi in multotiens adueniendo generat, & in multotiens recedendo corrumpit. Ac
2. de gene. deinde ſubiunxit: Et in æquali tempore generatio & corruptio, quæ ſecundum na
& corrup. turam: ideoque & tempus & uita uniuſcuiuſque habet numerum, & hoc determinatur.
tex. 57. omnium enim eſt ordo, & omne tempus & uita menſuratur periodo: ſed tamen nõ
» eadem omnia, ſed hæc quidem minori, hæc autem maiori, his quidem annus, his au-
» tem maior, alijs autem minor periodus eſt menſura.

Nam ſi tempus & uita uniuſcuiuſque habet numerum, uidelicet circuitum, & annorum & menſium, & ab hoc determinatur, id eſt à cœlo: ergo cœlum eſt cauſa uitæ & mortis uniuſcuiuſque, & cur diutius uel minus diu uiuatur. cognito igitur aſpectu cœli, fieri poterit ut uerum prædicetur de tempore uitæ & mortis uniuſcuiuſque uiuentium: etenim cognita cauſa (ut diximus ſuprà) cognoſcitur & effectus.

2. de gene. Eandem ſententiam oſtendit eodem loco paulò infrà, ubi poſt nonnulla hæc ad
& corrup. didit: Ita enim maximè continuabitur eſſe, quia proximè eſt ſubſtantiæ, fieri ſemper
tex. 59. per generationem: huius autem cauſa, ut multotiens dictum eſt, latio: ſola enim con
» tinua. ideo & alia quæcunque tranſmutantur ad inuicem ſecundum paſſiones & po-
» tentias, uerbi gratia, ſimplicia corpora imitatur in circuitum lationem.

Etenim ſi cœlum eſt cauſa generationis & corruptionis, & ſi quod continuè ſit generatio elementorum, ſequitur corpora cœleſtia, ſunt ergo cauſa corpora cœleſtia generationis & corruptionis elementorum: ergo etiam eorum quæ fiunt ex elementis, & quæ ſunt in ipſis. ergo ex aſpectu cœli poterimus reddere rationem omnium.

Item, niſi fieri poſſet ut ex aſpectu cœli uerè prædiceretur aliquid de eis quæ ſunt
ſutura in iſtis inferioribus, non reperiretur Aſtrologia ſeiuncta à philoſophia natu-
2. Phyſi. rali. quod ſequitur, euertit ſententiam Ariſtotelis. ipſe enim multis in locis aſtrolo-
tex. 20. giæ, ut ſeiunctæ à philoſophia naturali, mentionem facit, ipſamque ponit ſubalterna
12. Meta. tam Mathematicis: ergo & id quod antecedit, eiuſdem ſententiæ repugnat. Conſe-
tex. 30. quentia uerò probatur: quia ſublata diuinatione Aſtrologiæ, nihil ei relinqueretur
1. Poſt. præter contemplationem motuum corporum cœleſtium & coniunctionum, & fi-
cap. 12. gurarum eclypſis, ortus & occaſus ſtellarum, & huiuſmodi, ut patet ex Ariſtotele:
12. Met. quæ omnia niſi diuinationis eſſent, & cauſa operis, eſſent ſciendi cauſa, & ſic attine-
tex. 30. rent ad philoſophiam naturalem: quia contemplari paſſiones corporũ cœleſtium,
2. Cœli ſi non eſt operis cauſa, neceſſariò eſt ſciendi cauſa: omnis enim habitus intellectus,
tex. 57. 58. aut ſpeculatiuus eſt, aut operatiuus. Quare non eſſet Aſtrologia facultas ſeiuncta
& in alijs
locis. à philoſophia naturali, ſed eſſet pars illius: attineret enim ad lib. de Cœlo.

1 Cœli Conſequentia perſpicua eſt. antecedens probatur ex uerbis Ariſtotelis quæ ſu-
tex. 1. perius etiam citauimus ad aliam rem indicandam: Scientia de natura ferè plurima
» uidetur circa corpora & magnitudines, & horũ exiſtens paſſiones & motus. Cùm
» ergo ſit circa corpora cœleſtia, ut ſit circa paſſiones ipſorum, & motus, neceſſe eſt:
contemplari ergo motus cœli, cauſa ſciendi erit philoſophi naturalis. non enim in
dubium uenire poteſt, quin oporteat philoſophum naturalem contemplari paſſio-
3. Cœli nes & motus corporum cœleſtium. Quod item confirmauit Ariſtoteles in tertio li-
tex. 1. bro de Cœlo & mundo.

Item ad philoſophum naturalem attinet, contemplari motus & paſſiones, cùm hominum, tum etiam aſinorum, boum, equorum, cancrorum, anguium, uermiũ, & breuiter omnium animaliũ brutorum: ergo multo magis ad eũ attinebit, contẽplari motus & paſſiones corporũ cœleſtiũ. Id quod antecedit cõſpicuũ eſt ex lib. de Inceſſu

animalium,

animalium, ex reliquis etiam lib. philoſophiæ naturalis. Probatur cõſequentia: quia philoſopho naturali conuenit contemplari motus & paſſiones hominum & animalium brutorum, ut perfectam illorum cognitionem comparet. hoc enim ſibi propoſitum habet, quod aliter conſequi non poſſet: ergo multo magis attinebit ad ipſum, contemplari motus & paſſiones corporum cœleſtium, ut perfectam eorum cognitionem aſſequatur: quo præſtãtiora ſunt, ac nobiliora cœleſtia corpora reliquis omnibus corporibus. De quo enim minus uidetur ineſſe, & ineſt. ergo de quo magis.

Verum igitur eſt, ſi ex aſpectu cœli fieri non poſſet, ut uerè predicerent ea quæ ſunt futura in hoc mundo inferiori, ſequi, ut Aſtrologia non eſſet ſeiuncta à philoſophia naturali. At id quod ſequitur, euertit ſententiam Ariſtotelis: ergo & illud quod antecedit. Verũ igitur erit eius oppoſitum, quòd uidelicet prædici poſſunt ex aſpectu cœli ea quę ſunt futura in hoc mundo inferiori. quod planè eſt id quod inſtitueramus probare.

Item, à cœlo omnia habent quòd uiuant & ſint, ergo ex cognitione ipſius cœli poterimus cognoſcere ea, quæ ſunt & uiuunt: quia cognita cauſa, cognoſcetur effectus, qui neceſſariò ſequitur ex illa. Id quod antecedit, declarauit Ariſtoteles ijs uerbis: Sempiternitas eſt, à ſemper eſſe ſumens denominationem, immorta- 1.Cœli
lis ſanè atq; diuina, unde & alijs communicatum eſt eſſe, & his quidem clarius, his tex.100.
quidem obſcurius, & eſſe & uiuere. Oſtẽdit enim, eſſe & uiuere proficiſci à ſem “
piternitate, ergo à cœlo.

Eandem ſententiam cõfirmauit, cùm inquit: Rerum autem quæ corruptionem 9.Met.
mutationemúe ſubeunt, ut terra, ut ignis, res perpetuas imitantur. etenim ſemper tex.19.
operantur: per ſe enim motum, & in ſe ipſis habent. Nam ſi quæ corruptibilia “
ſunt, imitantur res perpetuas: ergo ex ipſis cognoſci poſſunt.

Licet item corroborare Aſtrologiæ diuinationẽ ex eis quæ ſcripta reliquit Ari 1.Pol.
ſtoteles ad hunc modũ: Hæc enim cuncta utilia ſunt his qui augere patrimonium cap.7.
curant. quale eſt illud Thaleris Mileſij, attributum ſibi propter ſapiẽtiam: cui cùm “
obijceretur philoſophiæ ſtudium, quaſi inutile & infructuoſum, proſpexiſſe illum “
ferunt per Aſtrologiam oliuarum ubertatem futuram: cumq; collegiſſet pauxil- “
lum pecuniarum, hyeme adhuc uigente emptionem olei feciſſe in Mileto & in “
Chio, pro paruo admodum prætio, utpotè nemine plus offerente, arrasq; dediſſe. “
Cùm itaq; poſtea tempus ueniſſet, multis ſubitò quærentibus, uendidiſſe oleum “
quanti ipſe uoluit. ac magnam uim pecuniarum inde ſuperlucratũ, oſtendiſſe ami- “
cis, perfacile eſſe philoſophis ditari, ſed hoc non eſſe illis curæ. Thales igiť ad hunc “
modum ſcientiam ſuam oſtendit. “

Etenim ſi poteſt ex Aſtrologia prædici aliquid futurum, ut abundantia oliuarum: ergo de alijs ita erit dicendum, ut de frumento, & de cæteris quæ ex terra naſcuntur. non enim uidetur maior ratio unius quàm alterius, & multo magis de eis quæ fiunt ex elementis, & in ſublimi: uidentur enim ſine aliquo medio cœli motum ſequi.

Præterea ſenſui patet, mutationes quatuor qualitatum ſequi alterationem cœli: quia calidum, frigidum, humidum, ſiccum, ex uario lumine cœli fit, omnia ſemina; fruges omnes, & fructus ſequuntur cœli alterationẽ. motus maris, tempeſtateſq; & huiuſmodi perſpicuè ſequuntur ſolis & lunæ alterationes: ergo & ipſum cœlũ: Prædicunt enim nautæ tempeſtatem futuram. Prædicunt Agricolæ de abundantia uel penuria & caritate annonæ, idq; nõ ſine ratione, cùm uideamus nimiam ſiccitatem, nimiam humiditatem, nimiam caliditatem, nimiam frigiditatem corrumpere omnia ſemina, omnes flores, omneſq; fructus: quas quidem qualitates cùm conſtet oriri à cœlo, quid clarius, quàm omnia iſta poſſe prædici ex aſpectu cœli? Prædicunt de uentis, de pluuia ex aſpectu lunæ, de peſte futura, & huiuſmodi alijs.

Iam uerò quis neget, morborum uaria genera aliquando accidere generaliter in aliquo climate, ita ut maior pars hominum illis afficiatur ac intereat: nec uerò homines ſolum, ſed pecudes etiam illis tententur ac pereant quod item plantis accidit. id uerò quum ſit generale, tamquè latè pateat, non poteſt prouenire niſi ex ipſo cœlo.

L Item,

Item, quatuor qualitates ſequuntur motum cœli neceſſariò: ergo & nos. conſtamus enim ex illis: ergo ſi iraſcimur, ſi ad iurgia uenimus, ſi ad arma & bella, & huiuſmodi alía, omnía erunt ex cœlo: ergo poterunt prædici ex aſpectu cœli.

Præterea, nón ne uidemus, qui aliquam partem corporis ſiue uulnere ſiue morbo aliquo debilitatem ac læſam habent, in oppoſitione & coniunctione lunę cum ſole ingentes pati dolores? quos non ſentiunt, cum luna eſt aliter collocata.

Item, nón ne ipſa experientía compertum eſt, arbores quæ plantantur atq; inſeruntur luna creſcente, fœlicius creſcere: quæ uerò decreſcente, aut non naſci omnino, aut infœlicius ſurgere? ita de ſeminibus, quæ in terram proijciuntur. requirunt enim determinatum lunæ aſpectum.

Quid de Medicis? nón ne & ipſi in exhibendis medicamentis experti ſunt maximè intereſſe, utrum luna ſit in coniunctione, an in oppoſitione, hoc certe negari non poteſt.

Item, ſi cœlum producit quatuor qualitates, ut patet. ergo producit ea quæ ſequuntur ex illis: ergo pulchritudinem & defotmitatem, magnitudinem & paruitatem: ergo omnem bonam & malam fortunam. hæc enim omnia ſequuntur temperamentum quatuor qualitatum.

De magnitudine & paruitate, & pulchritudine ac deformitate, non uidetur dubium: ſed de bona uel mala fortuna, ut uidelicet iſte ampliſsimum honorem conſequatur, ille uerò ſuſpendatur, & huiuſmodi, & ut aliquis nullo ſuo merito maximè ditetur ab aliquo, alius autem qui ſit omnibus uirtutibus præditus in maxima inopia uerſetur, etiam eſſe dubium, ſed uidetur ſic probari.

Magnes trahit ferrum, & ſemper ſpectat polum, idq; ex ipſius temperamento facit. ergo fieri item poterit, ut hominum alius ui quadam temperamenti ſui trahat aliquos qui ſe ament, ſibiq; diuitias & honores deferant, nullo ipſius merito: alius contrà, ut ſe oderint, atque etiam interſiciant: & ita de alijs huiuſmodi. non ergo abhorret à ratione, ſequi ex temperamēto bonam uel malam fortunam: hoc autem eſt, à cœlo. mala igitur & bona fortuna ſequetur ex aſpectu cœli: poterit igitur ex illo prædici.

Idem dicatur de rheubarbaro, de ſcamonea, & alijs huiuſmodi medicamentis.

Item, unuſquiſque mos eſt à natura, ergo eſt à cœlo. Conſequentia perſpi-
6. Ethic. cua eſt: quia fieri non poteſt ut mores ſint à natura, niſi ſint à cœlo. Antecedens
cap. 17. oſtenditur ex illis uerbis *Ariſtotelis*: Singula ex moribus omnibus inſunt natu-
» ra aliquo modo, etenim iuſti & temperati, & fortes, & alia habemus ſtatim ex ge-
» neratione.

Confirmatur etiam ſic: Prudentia, quæ eſt uirtus intellectiua, & uirtus moralis,
ſunt à natura: ergo à cœlo. nihil enim poteſt eſſe à natura, niſi ſit etiam à cœlo. An-
1. Pol. tecedens probatur ex Ariſtotele, qui inquit: Homo aūt habens arma naſcitur pru-
cap. 2. dentia, & uirtute. Quod ſi à cœlo eſt prudentia & uirtus, ita erit de omnibus uirtu-
tibus intellectiuis.

Item, omnia quæ ſunt natura, ex ratione etiam naturali pendent à prima cauſa:
ergo à cœlo. propterea quod non poſſunt pendere à Deo, ſine medio. Antecedēs
12. Meta. patet ex uerbis Ariſtotelis: Ex tali enim, inquit, principio dependet cœlum, & na-
tex. 25. tura. ergo ex cœlo, à quo ſine medio dependent, poterit uerè de ijs quæ fiunt in
hoc mundo prædici aliquid.

Item mens ſequitur corporis temperamentum, corporis autem temperamen-
tum ſequitur cœli operationem, ergo mens ſequitur cœli operationem. Minor
2. de Anima, propoſitio declaratur ab Ariſtotele, cùm dicit: Sed certiorem habemus guſtum,
tex. propter id quod & ipſe quidam tactus eſt. hunc autem habet homo ſenſum cer-
94. tiſsimum: in alijs autem deficit ab animalibus multis, ſecundum autem tactum
» differenter certificat. unde & prudentiſſimum animalium eſt. ſignum autem in ge-
» nere hominum, ſecundum hunc ſenſum ingenioſos eſſe, & non ingenioſos: ſe-
» cundum autem alium nullum. duri enim carne, inepti mente: molles carne, be-
» ne apti.

2. de Gene. Ex cœlo igitur poterimus prædicere aliquid de mente, ergo multo magis de
et corrup. eis quæ attinent ad corpus. Confirmatur ex Ariſtotele, ubi ait: Hoc itaq; ratio-
tex. 69.
nabi-

nabiliter, quoniam perpetuus in circuitu motus, & qui cœli, quoniam ex neceſſitate hęc generantur, & erunt quæcunq; huius motus, & quæcunq; propter hunc. ſi enim quod in circuitu mouetur, ſemper aliquid mouet, neceſſe & horum in circuitu eſſe motum: uerbi gratia, ſuperiori latione exiſtente in circuitu, & ſol ſic. Quoniam autem ſic hoc, horum propter hoc in circuitu, generantur & reiterantur. his autem generatis, & quæ ab ijs. His enim uerbis apertè ſignificat, omnia quæ ſunt hic moueri neceſſario in circuitu: quia quod in circuitu mouetur, ſemper aliquid mouet.

Facere igitur non poſſumus quin fateamur, ex ſententia Ariſtotelis omnia iſta inferiora neceſſariò ſequi motum cœli, moueriq; ex motu ipſius. Quo poſito, non eſt dubium quin ex aſpectu cœli uenire poſſimus in cognitionem iſtorum omnium quæ à cœlo dependent. Tunc enim unum quodq; ſcimus, cùm cauſas eius cognitas habemus. Sequitur item, omnia quæ ſunt in hoc mundo inferiori, neceſſraiò euenire. fieri igitur poterit, ut ex aſpectu cœli uerè prædicantur.

Item, homines uident meliora, probantq;, & tamen faciunt deteriora: ergo ui quadam neceſſariò coguntur. aliter enim non facerent deteriora, quia nullus ſponte facit quod putat eſſe malum.

Præterea, homines ſomniando multa uaticinantur, & hoc non poteſt proficiſci niſi à cœlo. ergo uaticinia ſunt à cœlo: multo igitur magis erunt à cœlo ea quę pendent ex qualitatibus primis.

Quod autem huiuſmodi uaticinia non poſſint exiſtere niſi à cœlo, uidetur eſſe perſpicuum: quia non à temperamento, neq; ab alia cauſa. ſiquidem qui ita uaticinantur, uera prædicunt de eis quæ ab ipſis remotiſſima ſunt.

Item, Sibillæ & oracula temporibus antiquis uera prædicebant: quod non poterat eſſe niſi à cœlo. ergo ex cœlo poſſunt prędici omnia.

Item, intellectus noſter pendet à cœlo, ergo omnia quæ ſunt in hoc mundo inferiori. Probatur conſequentia: quia de quo minus uidetur ineſſe, & ineſt, ergo de quo magis. Antecedẽs oſtenditur ex uerbis Empedoclis & Homeri, cuius quidem ſemper tanta fuit auctoritas apud omnes, ut Ariſtoteles multarum ſuarum opinionum ueritatem ex eius dictis corroboraverit, inquit enim: Videtur autem intelligere & ſapere tanquam quoddam ſentire. in utriſq; enim his anima indicat aliquid, & cognoſcit eorum quæ ſunt. & antiqui ſapere, & ſentire idem eſſe aiunt, ſicut Empedocles dicit: ad præſens uoluntas augetur in hominibus. Et: Vnde eis ſemper ſapere altera præſtat. idẽ autem his uult & id quod eſt Homeri: Talis enim intellectus eſt in terrenis hominibus, qualem deducit in die pater uirorum, deorumq;. 2. de Anima, tex. 150.

Si ergo uult Homerus, idem eſſe intelligere quod ſentire, neceſſe eſt ut intelligere ſubijciatur cœlo, quia ſentire ſubijcitur cœlo. ſubijcitur enim patri hominum Deorumq;, qui beneficio cœli (ex iſta opinione, falſa tamen) agit quæcunq; agit.

Item, quid clarius poteſt eſſe, quàm aſpectum cœli eſſe cauſam diuerſitatis omnium rerum, quæ ſunt in Africa, in Aſia, & in Europa? hoc enim apertè declarauit Ariſtoteles multis in locis, & maximè ubi inquit: Tum etiam multis in locis cœli, & ſitus conditio cauſa: ut in terra Illyrica, & Thracia, & in Epyro, aſini parui habentur: in Scythica & Gallica nulli, propter immodicum frigus: in Arabica lacerti magnitudine cubitum excedunt, & cætera huiuſmodi. 8. de Hiſt. animal. cap. 28.

Et ut uno uerbo me expediam, diuerſitas omnium rerum quæ in uniuerſo exiſtit, ex aſpectu uario cœli proficiſci neceſſe eſt. Qui igitur eſt cur dubitemus generaliter proferre, omnia quæcunq; fiunt in hoc mundo, poſſe ex ipſo cœlo prædici, cùm omnia pendeant ex illo?

Item, infinities fuerunt, eædẽ opiniones, & infinities iteratæ ſunt: ergo pendent à cœlo. Conſequentia probatur: quia à nulla alia cauſa poteſt hoc proficiſci. non enim à particulari cauſa proficiſcit, quia eſt corruptibilis: non ratione intellectus licet æternus ſit, quia eſt uacuus omnibus ſpeciebus, ut oſtẽſum eſt in ſuperioribus.

Antecedẽs declarat Ariſtoteles, ubi ait: Nõ enim dicemus ſemel, neq; bis, neq; rarò eaſdẽ opiniones reiterare factas in hominibus, ſed infinities. Et alibi: Nõ enim ſemel, neq; bis, ſed infinities oportet putare eaſdem opiniones aduenisse ad nos. 1. Metheororum. 1. Cœli tex. 22.

Sed eſto, ut rationes quæ ex fundamentis naturæ ducuntur, & ex uerbis Ariſtotelis, non probarent hoc: nónne tot per ſecula experientia ipſa comprobatum eſt, ex ſolo aſpectu cœli poſſe prædici quæ futura ſunt? quàm multa enim à multis ſæpe prædicta ſunt? ergo putandum eſt, ita eſſe. Conſequentia probari poteſt, ex
3. de Gen. animal. cap. 4. eis quæ ſcripta reliquit Ariſtoteles ad hunc modum: Generatio apum ita ſe habere uidetur, tum etiam ijs quæ in eorum genere euenit uiſuntur: non tamen ſatis adhuc explorata, quæ eueniunt, habemus. quod ſi quando ſatis cognita habebuntur,
» tunc ſenſui magis quàm rationi credendum eſt. Rationi etiam fides adhibēda eſt,
» ſi quæ demonſtrantur, conueniunt cum ijs quæ ſenſu percipiuntur rebus.
1. de Gen. & cor. 58. Quam item ſententiã uiſus eſt ſignificare, ubi inquit: Ex his igitur ſermonibus transcendentes ſenſum, & deſpicientes eum, enunciant, ac ſi conueniens rationẽ
» ſequi, unum & immobile omnes eſſe dicunt.

Si ergo diuinationem Aſtrologiæ comprobauit experientia tot ſeculorum, in quibus ex ſolo aſpectu cœli prædicta ſunt quæ futura erant: patet ex Ariſtotelis ſententia, relinquendas eſſe rationes quæ uidentur illam labefactare atq; conuellere: fidemq; haberi oportere ipſi experientiæ, quę eſt ex ſenſu.

Præter rationes igitur allatas, quæ fauent diuinationi Aſtrologiæ, ratio ſumpta ex ipſa experientia, omnem dubitationem tollere uidetur, ipſamq; diuinationem planè confirmare.

Auctoritates quoq; ſummorũ uirorum, qui hanc artem diu exercuerunt, eamq; ueram eſſe teſtatum reliquerunt, qui quidem propè infiniti ſunt, omnino non eſſe negligendas oſtendit Ariſtoteles ijs uerbis, quæ etiam citauimus in ſuperioribus
6. Ethic. cap. 14. ob aliam occaſionem: Itaq; non minus inhærendum eſt expertis uel prudentum opinionibus atq; ſententijs, ſine demonſtratione, quàm demonſtrationibus ipſis.
» Veluti enim oculum per experientiam habentes, principia diſcernunt.

Quid igitur eſt, cur dubitemus iam aſſerere, hanc diuinationem Aſtrologiæ & naturæ fundamentis, & peripateticorum diſciplinæ conuenire atq; quadrare?

SECTIO QVARTA.

CAEterum hæc opinio mihi non uidetur (pace eorum dixerim qui illam ſequuntur) ullo pacto digna homine philoſopho: ſed ijs potius conuenire, qui ſibi quiduis cogitatione fingunt. Nam cùm apertè uideamus, fieri non poſſe ut cœlũ ex ſe producat effectus qui fiunt in iſtis inferioribus, ſine particularibus cauſis: mihi ſanè in mentem uenire non poteſt, quare quiſpiam exiſtimet, ex ſolo aſpectu cœli poſſe aliquid prædici de ijs, quæ hic producuntur. quod ſit aliquo modo firmum ac ſtabile, neq; maiori ex parte incertum & fallax. ut miſſas faciam rationes ſuprà allatas, quæ hanc ſententiam non modò labefactant, ſed meo quidē iudicio funditus euertunt. ab iſta igitur inani cogitatione, tanquàm à peſtifero quodam ueneno homines prorſus cauere debēt, utpote quam neceſſariò ſequatur euerſio totius naturalis & humanæ philoſophiæ. Sequitur enim, omnia quæ ſunt neceſſariò eſſe: & quæ futura ſunt, neceſſariò fore. Quo quidem nihil proferri poteſt, quod humano generi atq; uniuerſæ naturæ plus dãni afferat. Vana enim & ſtulta eſſet omnis noſtra cogitatio, & omnis actio: uanè & ſtultè Deus & natura hunc mundum generabilem & corruptibilem conſtituiſſent (loquimur enim perinde ac ſi conſtituiſſent, ut dicemus) uanè & ſtultè facti fuiſſent homines, qui cæteris animantibus intellectu & oratione pręſtarent, ſiquidem nullam haberent libertatem. Quid enim eis prodeſſet intellectus? quid oratio? nihil profectò. Quomodo potentię rationales, de quibus in ſequentibus longum habebimus ſermonem, ſe haberent ad utramq; partem? Omitto uerò, iſtam opinionem penitus labefactare & conuellere ſanctam religionem noſtram: quoniam in præſentia profitemur nos loqui tantum ex ſententia Ariſtotelis, naturaliter loquentis.

Quare concludendum mihi uidetur, ex ſolo aſpectu cœli fieri nullo modo poſſe, ut prædicatur ſimpliciter aliquid determinatè futurum, de ijs quæ non ſunt, & uidentur poſſe eſſe, & non eſſe, etenim de illis quæ non ſunt, ſed neceſſariò futura ſunt, non loquimur: ſiquidem de his non eſt dubium.

Neque uerò eſt quòd Aſtrologi ad illud quod tutiſsimum perfugium putant eſſe,

eſſe, confugiant, ut dicant Cœlum nõ inferre rebus neceſſitatẽ, ſed inclinationem: propterea quòd rationes quas afferunt, omnino neceſſitatem probant. attribuunt enim cœlo omnem uim producendi effectus omnes, quos fieri uidemus in his inferioribus. Quæ quidem opinio ſi eſſet uera, quid impediret quo minus cœlum ſemper produceret effectus, quos intẽderet? eſt enim agens naturale: & quicquid agit ex fundamentis philoſophiæ naturalis, (falſis tamen ſimpliciter) neceſſariò agit, & quantum poteſt agit, ſuperatq; omnium uim. efficeret igitur ex quouis quiſuis, neq; poſſet impediri: quæ enim eſſet illa uis, quæ uirtutibus cœli obſtare poſſet? certè nulla. Hæc igitur opinio, præterquàm quòd à ueritate & ab Ariſtotelis ſententia abhorret (quippe qui poſuit contingentiam in rebus, ut oſtẽdimus, & in his quæ ſequentur oſtendemus) ſtultiſsima eſt, ut nemini quidem ſano non perſpicuum eſſe arbitror. 2.lib.de Honore.

Quod ſi non omnem producendi uim cœlo attribuant, ſed uelint alias etiam particulares cauſas cõcurrere, ſicut perſpicuè patet: quid tandem eſſe poteſt quod ex ſolo aſpectu cœli uelint de futuris effectibus determinatè prædicere? Quid enim ſciunt ipſi, utrum eo temporis momento cauſæ particulares concurrerint, nec ne? an fuerint bene affectæ ad illum effectum producendum, an ſecus? Ridiculum præterea uidetur, quod neceſſariò proficiſcitur ex duabus aut pluribus cauſis, una tantum cauſa cognita, uelle profiteri ſe illud ſcire? ſiquidem ſolum tunc ſcimus unumquodq;, cùm omnes cauſas cognitas habemus, ut dictum eſt ſuperius. Hæc ſanè ratio mihi uidetur ita firma & ſtabilis, ut nullo modo uerè diſſolui poſſe uideat. & iſta ſola eſt illa (ut ego quidem arbitror) qua diuinatio Aſtrologiæ, eo modo quo ipſi Aſtrologi loquuntur, omnino conuelletur. 1.Phyſ. tex.1. Etenim multa uerba poſſunt dici (ad pauca enim ſpectantes facile enunciant) ſed quæ ad ueram huius rationis diſſolutionem faciant, nulla afferri poſſe exiſtimo. Alterum enim duorum eueniat neceſſe eſt: uel ut negent plures cauſas concurrere ad productionem horum effectuum, ſed ſolum cœlum: quod quidem eſt omnem philoſophiam, atq; ipſummet ſenſum tollere. uel ut fateantur, ad cognitionem alicuius effectus, ad cuius productionem neceſſariò concurrant plures cauſæ, non eſſe neceſſariam cognitionem omnium cauſarum. quod item uniuerſam Ariſtotelis doctrinam euertit. nam cùm unumquodq; ita ſe habeat ad cognoſci, ſicut ad eſſe, neceſſe eſt ſi quid ex pluribus cauſis conſtat, ut omnes eſſe cauſæ cognoſcantur, ſi uerè id percipi debet.

Ex eiſdem etiam rationibus perſpicuè patet, Aſtrologos non ſolum non poſſe de effectibus producendis prædicere, quòd neceſſariò producentur: ſed neque etiam omnino inclinationem. Etenim rerum & effectuum inclinationes non dependent ex ſolo cœlo: ergo nõ poſſunt prædici ex ſolo aſpectu cœli, ob eas quas recitauimus cauſas. Quare ſequi manifeſtè uidetur, fieri non poſſe ut ex ſolo aſpectu cœli prædicatur aliquid determinatè futurum ſimpliciter & abſolutè, neque determinatè hanc, aut illam inclinationem habiturum: quia neutrum ſequitur ex ſolo cœlo, ſed ex cœlo & ex alijs cauſis ſimul determinatis: quibus ignoratis, ut effectus ignoretur neceſſe eſt. Non negamus tamen, quia ſecundum quid poſſint aliquo modo prædicere ad hunc modum. Iſte qui conceptus eſt, & in lucem editus ſub bono cœli aſpectu, futurus eſt (quantum attinet ad ipſum cœlum) longiſſimæ uitæ: ſimpliciter autem & abſolutè non poſſunt, niſi ſtultè, meo quidem iudicio, hoc proferre, ob cauſas dictas, ſicut etiam ſiquis ex eo quòd quiſpiam natus eſſet ex parentibus longiſſimæ uitæ, & inferret ipſum diu eſſe uicturum. fieri enim poſſet, ut conceptus fuiſſet, & in lucem editus ſub peſſimo cœli aſpectu, & in tempore quo pater & mater eſſent male affecti.

Item, ſi diceremus fore ut hæc planta optimè creſceret & augeretur, bonosq; & uberes fructus ferret, propterea quod ex optima arbore detracta fuiſſet: etenim fieri poſſet, ut luna decreſcente poſita fuiſſet in terra, uel ſub aliquo alio aſpectu cœli peſſimo, ita ut non ſolum non creſceret, neq; augeretur, & excreſceret atq; interiret, ut ſæpe uidemus. Ridiculum item eſſet, ſi affirmaremus omnino futurum, ut aliqua planta fœliciter creſceret, quoniam poſita fuiſſet in terra ſub bono

cœli aſpectu. fieri enim non poſſet, ut eſſet eiuſmodi, quæ non poſſet recipere uirtutem ipſius cœli: ſicut quotidie conſpicimus. Quod ſi fieri poſſet, ut nos & cœli aſpectum, & cauſas particulares perfectè cognoſceremus: fieri poſſet etiam, ut de effectibus ijs qui ex naturalibus illis cauſis proficiſcerentur, maiori ex parte uera prædiceremus, quod ad longitudinem aut breuitatem uitæ illorum ad huiuſmodi alia pertineret. Hoc ipſum uerò intelligimus de effectibus ijs qui ex cœli inſtrumentis proficiſci poſſunt, & ex cauſis particularibus, ut dicemus.

Quocunque igitur ſe uertant Aſtrologi, ut iaceat eorum ſententia (meo quidem iudicio) neceſſe eſt: quippe qui ſimpliciter & abſolutè loquūtur. Quare ueniendum eſt ad rationes ipſorum diſſoluendas: ſi prius tamen oſtenderimus, quid agat cœlum in hæc inferiora, & quo modo agat, & quibus inſtrumentis quod intendit efficiat. ex horum enim intelligentia facile cognoſcemus, quid ſentiendum ſit de Aſtrologiæ diuinatione, an omnino ſit reijcienda, an uerò partim reijcienda, partim ferenda: quod eſt unum ex eis quæ uidemus ferè optare omnes cognoſcere.

FINIS LIBRI VIGESIMI SECVNDI
Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER VIGESIMVSTERTIVS.

SECTIO PRIMA.

PRincipium igitur eorum quæ ſunt dicenda, hoc ſit: non dicere eos qui rerum cognitionem ex ratione naturali tradere profitentur, aliquid ponere, quod ex ſenſu non oriatur, uel ex eis quæ ex ſenſu ipſo proficiſcuntur. aliter enim facere conuenit eis philoſophis qui ſibi quiduis cogitatione fingunt, aut eis qui ex genere in genus imprudenter tranſgrediuntur: quorum quidem utrunque Ariſtotelis doctrinam (ut oſtenſum eſt) labefactat, atque omnino conuellit.

Hoc item ponimus, Cœlum & elementa, & omnia mixta perfecta æterno tempore extitiſſe, ita ut uerè dici non poſsit ex fundamentis naturæ (eo modo intelligēdo naturam, ut diximus in ſuperioribus, quæ tamen fundamēta falſa ſunt) fuiſſe aliquando cœlum, & non fuiſſe elementa, & mixta quæ diximus. Ex quo ſequitur, cœlum à principio non effeciſſe elementa, & mixta ſimpliciter: quia quod ſemper fuit, nunquam fuit factum. ſiquidem illud quod aliquando fuit factum, nō ſemper fuit. non fuerunt tamen eadem elementa numero, neque eadem mixta numero, ſed ſpecie. cœlum tamen fuit perpetuo tempore, idem numero.

Item cœlum ex eiſdem fundamentis, falſis tamē, ſimpliciter eſſe perfectius ens, quàm omnia quæ ſunt ſub ipſo, ratione ſubſtātiæ ipſius, & accidentium. Ponimus enim ipſum animatum anima perfectiori.

Item, omnia imperfectiora eſſe perfectiorum gratia, & conari quantū poſſunt imitari perfectiora. Quod ex eis quæ dicta ſunt in ſuperioribus, perſpicuè patet.

Præterea ponimus ex uerbis Ariſtotelis, falſis tamē ſimpliciter (ſed hoc nihil ad rem noſtram, hoc loco, ubi non loquimur ex ueritate ſimpliciter, ſed ex eis fundamentis quæ ſenſu nituntur: quod cùm facimus, multa poſſumus falſa, rectè tamen dicere: ſiquidem ſatis eſt, poſitis quibuſdam fundamentis & principijs, nihil ponere quod uel ea tollat, uel eis repugnet, uel non ſequatur ex illis.) Ponimus igitur ex ſententia Ariſtotelis, quæ habent materiam in potentia, non ſolum ad locum, ſed etiā ad formas & qualitates, non poſſe permanere eadem numero, ſed ſolū ſpecie.

Item, uniuerſum hunc mundū (qui æternus eſt hac uia, falſa tamen ſimpliciter) eſſe natura ita conſtitutum, tanquam fuiſſet ab aliquo opifice conditus, qui nunc uocetur Natura, (ut in ſequentibus etiam dicemus) non loquimur autem hoc loco, ut ſæpe iam diximus, ex ipſa ueritate ſimpliciter, ſed ex fundamētis quæ ſolum oriuntur ex ſenſu, ne uideamur miſcere quadrata rotundis: & ne incidamus in eos turbulentiſsimos errores, in quos diximus incidiſſe multos, & eos quidem egre-

gios Theologos, propterea quòd hæc non diſtinguerent. nobisq́; ita perſuade-
mus, nullũ his dictis detrimentũ nos ueritati ſanctiſsimę religionis noſtræ eſſe alla
turos. non enim ſenſibus ipſa indiget: & qui pij ſunt Chriſtiani, ac prudentes, non
ſolum ſenſum pro nihilo debent ducere, ſed etiam ſiquid aliquis, quãuis ſummus
uir, contrà ſenſerit, de eo minimè laborare. Mundum ergo ponimus natura ſua
ita eſſe conſtitutum, ac ſi ab aliquo optimo & ſapientiſsimo opifice fabricatus fu-
iſſet, qui eius conſeruationem ac perpetuitatem in primis ſibi propoſitum habuiſ
ſet. quemadmodum ſuprà declarauimus, interpretãtes illud Ariſtotelis: Naturam 1 *Cœli*
rectè feciſſe, quia exemit futurum ingenerabile, & incorruptibile à contrarijs. Ad *tex. 20.*
quem locum reijcio lectorem, quanquam hac de re pluribus etiam agemus infrà.

Ponamus etiam aliud, quod & ex Ariſtotelis doctrina colligitur, elementa ui-
delicet habere naturaliter qualitates contrarias. Fuit enim neceſſarium naturæ, da
re illis has contrarietates: ut daret eam perpetuitatẽ, quam poterat: ut igni calidita
tem & ſiccitatem, aeri caliditatem & humiditatem, aquæ frigiditatem & humidita
tem, terræ uerò frigiditatem & ſiccitatem. Quibus qualitatibus conſtituta ſunt
elementa. tum quia natura ipſorum ita exigebat, tum quia oportebat ea inter ſe ui- *2. de Gen.*
ciſſim agere & pati: miſcentur enim & tranſmutantur inuicẽ, alioquin non potuiſ- *& cor.*
ſent perpetuò manere. *tex. 8.*

Præterea ponamus, omnia quæcunq; ſub luna ſunt & nòn ſunt elementa, con-
ſtare ex elementis: quare neceſſe eſt, ut in ſe contineant qualitates primas contra- *2. de Gen.*
rias, non in illo intenſiori gradu quo elemẽta, ſed remiſsiori. omnia enim quæ ſunt *& cor.*
ſub cœlo, uel ſunt elementa, uel mixta ex elementis. cõtinent ergo omnia quæ ſub *tex. 47.*
cœlo ſunt, qualitates contrarias: continuè igitur pugnant inter ſe, quia contrarium
quęrit contrarij deſtructionem: tum ne alterum ab altero deſtruatur, tum ut augea
tur, & ita conſeruet ſe ipſa, ſicut appetunt omnes res quæ tali natura conſtant. Ete-
nim propter hæc duo contrarium quærit contrarij deſtructionem. pugnant igitur
inter ſe cõtraria. Itaq; neceſſe fuit, ut opifex ille, quem diximus Naturam, tanquam
iuſtus iudex, uim & poteſtatem horum contrariorum adæquaret, ipſaq́; inter ſe pa
ria redderet: cùm ei eſſet propoſitum mundum conſeruare, qui alioquin deſtruere
tur. quæ enim agunt, admota ijs quæ patiuntur, continuò agunt, & pugnant inter
ſe: ac niſi impedirentur, ſeſe deſtruerẽt. Quare elementa, & mixta, niſi adeſſet quid
dam potentius, quod eorum uim (ut dictum eſt) adæquaret & cohiberet, ſe ipſa ui
ciſsim deſtruerent.

Natura igitur, cùm uidet aquæ uim ſuperare uim aëris, uerbi gratia hyeme, au-
get æſtate uim aëris, & diminuit uim aquæ: & ita de igne, & reliquis elementis. eo
dem modo facit in mixtis. Et hoc fuit neceſſarium, quia neceſſe fuit ut elementa ſe
inuicem tangerent: alioquin non potuiſſent fieri perpetua. Non enim potuiſſent
ipſa in ſe inuicem tranſmutari, neq; mixta fieri ex ipſis. Cùm ergo propoſitum
naturæ fuiſſet, ſeruare quantum poſſet eorum æternitatem ſpecie, cum non poſ-
ſet numero, coacta fuit facere ut illa ſe inuicem tangerent. fit enim actio & paſsio
omnis tantummodo per contactum. Cùm uerò conſtarent ex qualitatibus con-
trarijs, neceſſe fuit ut inter ſe continuas exercerent inimicitias. Contraria enim ue-
rè nunquam poſſunt in eodem conuenire: & quoniam ſibi inuicem admota, ne-
ceſſariò agebant, & patiebantur inter ſe, ex quo efficiebatur ut aliquando unum
tolleret alterum, unde conſequuta fuiſſet mundi euerſio: rectè Natura proſpe-
xit, atque prouidit, conſtituens corpus perpetuum, quod eorum uim coërceret,
& ſic adæquaret ac patefaceret, modò uires huius, modò illius tum augendo, tum
diminuendo, ut perpetuò ſeruarentur in ſpecie, & ut ex ipſis fierent perpetuò mi-
xta. Hoc autem corpus eſt cœlum: quod tamen ſecundum hanc doctrinam non
eſt factum primo & per ſe propter iſta inferiora, quia nobiliora non ſunt propter
ignobiliora, ſed primò propter diuinas illas naturas, quarũ perfectionem ſequun-
tur omnia quæ ſunt in hoc inferiori mũdo. Sed nos loquimur perinde quaſi factus
eſſet nunc mundus, propter cauſam dictam: quia nihil refert quomodocunque ſit.

Cœlum autem non produxit ſimpliciter elementa, neq; mixta, quia iſta (ut dici-
mus) æterno tempore fuerunt: ſed iuuat utraq; ut perpetuò ſint, & concurrit ad ge

nerationem huius partis ſingularis elementi, & huius, & ad generationem huius & huius ſingularis mixti, ſiue ſit mixtum ex elementis ſine medio, ſiue fiat ex mixtis. Fuit item neceſſarium, ut cœlum non modo pares faceret uires elementorum ſicut diximus, ne ſe inuicem perderent: uerùm etiam ut aliquando augeret ita uires unius partis elementi, ut poſſet alterius elementi partem deſtruere, ut generaretur elementum, uel mixtum. Quia cùm non poſſent perpetua eſſe numero elementa, & mixta (habent enim materiam in potentia ad omnes formas) niſi per continuam generationem perpetuitatem conſequuta eſſent, perijſſet mundus. Fuit igitur coacta natura modò pares uires elementorum, modò impares efficere, ſemper tamen eundem finem ſpectans. Si ergo natura feciſſet mundum, & non fuiſſet uirtutis infinitę, ut ex naturali doctrina ſequitur, non eſſe feciſſet ſicut diximus. Exiſtimandum ergo eſt ita eſſe. neq; mirum uideri debet, quòd natura aliquando augeat uires unius partis elementi, ut euertat partem alterius, quaſi ipſa rerum euerſionem ſibi propoſitam habeat: cum longè aliter ſit. quia facit hoc propterea, quòd non poteſt rerum perpetuitatem conſeruare niſi per generationem, & non poteſt generare niſi corrumpat. generatio enim unius eſt corruptio alte-
1.de Gen. rius. Corrumpit ergo per accidens, non ut uidelicet corrumpat, ſed ut generet:
& cor. generat autem, ut res perpetuas reddat. Neq; obijciatur quòd perperam natu-
tex.17. ra ita comparatum ſit, ut non poſsit eſſe generatio ſine corruptione, quia natura de eis quæ fieri poſſunt, facit id, quod melius eſt: melius autem eſt res perpetuò conſeruare, quàm facere ut unum non corrumpat aliud. Quia cum non poſſent ſeruari in indiuiduo, perijſſent omnes res quæ ſub luna ſunt, & ita perijſſet mundus.

2.de Gen. Sed contra ea, quæ diximus, aliquis afferre poſſet hæc Ariſtotelis uerba: Nos
& cor. autem dicimus aliquam materiam corporum ſenſibilium, ſed hanc non ſeparabi-
tex.6. lem, ſed ſemper cum contrarietate, ex qua generantur uocata elementa. Deter-
» minatum autem eſt certius in alijs: ſed tamen quoniam & hoc modo ſunt ex ma-
» teria prima corpora, determinandum eſt de his, principium quidem & primum
» eſſe materiam, inſeparabilem quidem, ſubiectam autem contrarijs. neque enim
» calidum materia eſt frigido, ſed ſubiectum amborum. Quapropter quidem pri-
» mum potentia corpus ſenſibile principium eſt, ſecundum autem primæ contra-
» rietates, uerbi gratia frigiditas & caliditas: tertium autem ignis, & aqua, & talia,
» & quæ ſequuntur. Quibus apertè ſignificare uidetur, elementa eſſe generata ex materia prima. ait enim primum eſſe materiam primam, deinde cõtrarietates, tum ignem & aquam.

Huncinquam locum afferre poſſet aliquis contra nos, ex eoq; inferre non eſſe uerum, elementa ſemper fuiſſe, neque mixta: quæ cum conſtent ex elementis, ſi non fuerunt ſemper elementa, neceſſarium eſt ut non fuerint etiam mixta. cùm igitur elementa facta fuerint ex materia prima, quæ erat in pura potentia: neceſſe fuit dari aliquod mouens, quod moueret ipſam materiam. nihil enim mouet ſeipſum, (ut dictum eſt in ſuperioribus) ſed hoc mouens nõ potuit aliud eſſe quàm cœlum. ergo uerum eſt dicere, cœlum à principio effeciſſe elementa, contra quàm ipſe aſſeruiſti. & ſi cœlum à principio fecit elementa ex materia, ergo poteſt etiam nunc facere: igitur non fuit neceſſarium, neque erit, ut elementa generentur ex ſe inuicem, & perpetua fiãt ex mutua ipſorum tranſmutatione, uel ex mixtis. quod quidem eſt euertere omnia quæ à te in ſuperioribus dicta ſunt ex ſententia Ariſtotelis.

Reſpondemus: ea quæ dicta ſunt à nobis, conſentire rationi naturali, & Ariſtotelis doctrinę, quæ ponit elementa & mixta eſſe perpetua. aliter enim neceſſe non fuiſſet, generationem unius eſſe corruptionem alterius.

Præterea, materia prima fuiſſet aliquando ſine forma. & ſic quod non eſt actu, fuiſſet actu. Multa etiam alia abſurda hanc opinionem ſequerentur, quæ quoniam ſunt perſpicua, miſſa eſſe facienda arbitramur.

Ad textum Ariſtotelis dicimus eum noluiſſe ponere generationem elementorum ex materia nuda, & ſine aliqua forma: hoc enim fieri non poterat, quandoquidem elementum ſemper fit ex elemento, uel ex mixto, ſed uoluiſſe deſignare ele-

men-

mentum per ſe generari ex materia cum contrarietate: per accidens uerò, ex ele-
mento, uel ex mixto. Quia loquutus eſt perinde quaſi mundus aliquando eſſe cœ
piſſet. ita enim primò facta fuiſſet materia, deinde ſuis accidentibus inſtructa. Ter
tio loco generata fuiſſent elementa. Nunc uerò quia ex Ariſtotelis ſententia mun
dus nunquàm habuit initium, neceſſe eſt ut elementum fiat ex elemento, per acci-
dens tamen, quia oportet materiam eſſe actu: corrumpitur autem forma unius ele
menti in generatione alterius elementi, & per ſe remanet materia. idcirco dixit
Ariſtoteles loco citato. elementum fieri ex materia, quia uidelicet per ſe fit ex ma-
teria, per accidens uerò ex elemento. Et alibi: Quoniam autem (inquit) ex non *3. Cœli*
corpore fieri, non eſt poſsibile, neq; ex alio corpore: relinquitur, ex ſe inuicem fie- *tex. 55.*
ri. Hoc enim erat neceſſarium propter cauſas eo in loco ab ipſo redditas: re uera
tamen elementa per ſe fiunt ex materia in potẽtia. & ſi factus fuiſſet mundus, opor
tuiſſet ordine naturæ fieri primò materiam primam, deinde ea quæ dicta ſunt. con
ſentit enim rationi, quæ naturæ fundamentis nititur, ut prius natura ſit id quod ſu-
ſcipit, quàm id quod ſuſcipitur: præſertim cùm hoc non poſsit eſſe niſi ſuſcipia-
tur ab illo. hoc igitur modo loquutus eſt Ariſtoteles, ut melius res quæ ſunt à natu
ra intelligeremus.

SECTIO SECVNDA.

Est ergo uerum quod diximus, cœlum non produxiſſe ſimpliciter elementa,
neq; mixta, quia fuerunt æterno tempore.

Sed cùm res ita ſe habeat, ut cœlum non generet elementa ſimpliciter, neq; mi-
xta, neque producat quatuor qualitates ſimpliciter, quæ ſunt perpetuæ, quid er-
go, & quo modo faciet ad generationem elementorum, & mixtorum, & quatuor
qualitatum, & ad ipſorum cõſeruationem? uidentur enim ex ſe inuicem fieri, quia
agunt, & patiuntur.

Reſpondendum uidetur cœlum concurrere ad generationem & conſeruatio-
nem eorum quæ dicta ſunt, uel adæquando uires quatuor qualitatum, uel augen-
do, uel diminuendo, ut dictum eſt: quoniam ad generationem & conſeruatio-
nem rerum aliquando opus eſt quadam æqualitate qualitatum, aliquando ut aliæ
alijs ualidiores ſint oportet, aliquando debiliores. & hoc modo dicitur cœlum cõ-
currere cum cæteris cauſis particularibus ad generationem, & perfectam mixtio-
nem rerum: non quòd ipſum generet abſolutè elementa & mixta, neque quatuor
qualitates: ſed quia excitat ipſas qualitates, efficitq; ut miſceantur inter ſe. con-
currit igitur cœlum ad generationem & corruptionem omnium mixtorum, & ad
conſeruationem illorum, medijs qualitatibus primis, & eis quæ naſcuntur ex ip-
ſis. atq; hoc quidem tanti eſt momenti, ut niſi ita fieret, uel ſeſe deſtruerent res, uel
non agerent inter ſe, ut dictum eſt. quorum alterum non permittit natura, cui pro-
poſitum eſt perpetuò res ſeruare: alterum non poteſt ſtare, quia cùm non poſsint
iſta inferiora eſſe perpetua numero, neceſſe eſt ut corrumpantur, igitur neceſſe eſt
ut agant inter ſe. Cùm uerò cœlum ita concurrat (ut dictum eſt) ad generatio-
nem & corruptionem omnium ſublunarium, eorumqúe conſeruationem: neceſ-
ſe eſt ut habeat à natura inſtrumentum aliquod ad hæc ipſa (quod ipſum attinet)
efficienda. Non enim fieri poteſt ut cœlum concurrat ad horum omnium, quæ
ſunt in uniuerſo generationem & corruptionem & conſeruationem, niſi habeat
inſtrumentum, quod perueniat ad omnia quæ generantur & conſeruantur (ne-
que enim poteſt ipſum ad hæc deſcendere) habebit igitur cœlum inſtrumentum,
cuius beneficio concurret cum cauſis particularibus ad generationes & corruptio
nes particulares, quæ fiunt in his inferioribus. ſed quoniam poſitum eſt in ſupe-
rioribus, non decere eos qui ſe rerum cognitionem ex ratione naturali tradere
profitentur, aliquid ponere quod ex ſenſu non oriatur, uel ex eis quæ ab ipſo ſen-
ſu proficiſcuntur: conſentaneum eſt, ut nos ponamus ea tantum cœli inſtrumen-
ta, quæ ex ipſo ſenſu perſpicua ſunt, uel ex eis quæ à ſenſu proficiſcuntur, ne ui-
deamur eos imitari: qui quiduis ſibi cogitatione fingunt: quod planè abhor-
ret à Peripateticorum conſuetudine atque diſciplina. Cùm uerò duo ſint om-
nino, motus uidelicet, & lumen, quibus cœlum uti ad generationem & con-
ſerua-

ſeruationem omnium ſenſu percipimus, cumq; ea ſunt idonea (ex ipſis enim poſ-
ſumus reddere cauſam omnium effectuũ, quos uidemus in iſtis inferioribus, qui
quidẽ ab ipſo cœlo pendeant, neq; perſpicimus cœlum alijs uti præter iſta: & hoc
clarum eſt, inducendo omnes hos effectus, & ex eis etiam quæ ſequuntur erit ma-
gis perſpicuum) planè aſſerendum eſt ad ea quæ dicta ſunt efficienda, duo eſſe om
nino cœli inſtrumenta, Motum & lumen.

His explicatis, proximum eſt ut declaremus, quid faciant hæc ipſa cœli inſtru-
menta, & quomodo concurrant cum cauſis particularibus.

Conſtat autem, motum duplicem habere utilitatem: quarum una eſt, quòd ex
motu cœli ignis ad hæc inferiora detrudatur, ad genaranda ea, quæ fiunt ex qua-
tuor elementis. altera eſt, quòd circumfert lumen per uniuerſum mundum, quod
lumen eſt cauſa omnium effectuum qui fiunt in ipſis inferioribus, pendentq; ab ip
ſo cœlo. erunt ergo motus & lumen, idonea cœli inſtrumenta, ad ea omnia quę di
ximus efficienda.

Et quoniam cœlum producit omnes effectus maximè beneficio ipſius luminis,
uidendum eſt quomodo hoc agere poſsit. cùm lumen ex natura ſua & per ſe calo-
rem rantum efficiat.

Vt res iſta perſpicua fiat, hinc incipiamus, dicentes quòd cœlum intendit prin-
cipaliter & per ſe efficere caliditatem. quod quidem ex eo perſpicitur, quia eius in-
ſtrumentum quo maximè utitur, eſt talis naturæ, ut ſolum poſsit efficere per ſe ca-
liditatem, cæteras uerò qualitates ex accidente. etenim ſi frigiditas & humiditas
& ſiccitas per ſe producerentur à cœlo, natura ei dediſſet inſtrumēta quibus poſ-
ſet illas producere, ut perſpicuum eſt. ſed cùm nulla conſtet eiuſmodi inſtrumen-
ta naturam dediſſe ipſi cœlo, & cùm uideamus qualitates illas oriri ex lumine, ne-
gari non poteſt quin producantur à cœlo per accidens, & non per ſe: ſiquidem
producuntur præter id quod ei eſt propoſitum: intendit enim beneficio luminis
calefacere: ſed quia aliquando minus calefacit quàm intendit, frigefacit & hume-
facit: etenim tolluntur uapores, & exhalationes ex terra & ex aqua uſque ad me-
diam regionem aëris, uel etiam ad primam: atq; hi uapores cùm ſint ex natura ſua
frigidi & humidi, & exhalationes frigidæ, & ſiccæ, & per id quod neceſſariò ſequi
tur graues, deſtituti ab illa caliditate quæ eos ſuſtulerat, deorſum cadunt, & hume-
ctant, ac frigefaciunt aërem & terram: & hoc modo dicimus frigiditatem & humi
ditatem fieri à cœlo. quod quidem cùm ſit præter intentionem cœli, utpote quod
intendebat per ſe calefacere: cogimur fateri, cæteras qualitates fieri ab ipſo cœlo,
præter eius intentionem, & ſic per accidens. accidit enim ut illæ qualitates produ
cantur à lumine. Siccitatem etiam efficit cœlum per accidens, dum calefacit ter-
ram: etenim corrumpit humiditatem, qua corrupta remanet terræ ſiccitas.

Quod autem iſtæ tres qualitates producantur beneficio & oportunitate lumi-
nis, præter hoc quod ſenſu perſpicitur ut dictum eſt, habetur clariſſimè etiã ex eis
1. Meteorũ. quæ ſcripta reliquit Ariſtoteles primo Met. cùm uerba facit de pluuia, grandine,
niue, & de alijs impreſſionibus meteorologicis: quæ quidem fieri non poteſt ut à
lumine per ſe producantur. Neq; uerò confugiendum eſt ad influentias: quia
ſenſu perſpicuũ eſt, qualitates dictas fieri beneficio & opportunitate luminis: neq;
decet(ut diximus) eos qui philoſophiam profitentur, aliquid ponere quod non
otiatur ex ſenſu, uel ex eis quæ ab ipſo ſenſu proficiſcuntur. Patet igitur, quo mo
do cœlum producat qualitates dictas, licet eius inſtrumentum ex natura ſua non
poſſit eas producere. Etenim eas efficit, intendens facere aliud: quare accidit ipſi,
ut illas efficiat. quod enim accidit ut fiat præter intentionem alicuius, cui propoſi
tum eſt efficere aliud, id per accidens fieri, atq; illi accidere conſtat.

Sed ſtatim contrà aliquis diceret, ſequi ex hoc quod diximus, ut frigiditas, ſicci-
tas & humiditas non ſint per ſe in uniuerſo, ſed per accidens: nec formas omnes
ſubſtantiales inferiorum corporum contineantur in uirtute corporũ cœleſtium:
quod enim accidit alicui, non uideri poſſe in eius uirtute contineri: hæc autẽ duo
eſſe abſurdiſſima.

Huic quæſtioni, quæ quidem maxime urgere uidetur, reſpondet celeberrimus
uir, & nunquam ſatis laudatus, Ioan. Picus, cuius etiam in ſuperioribus mentio-
nem

nem fecimus, in tertio libro diſputationũ ſuarum aduerſus Aſtrologos, cap. quarto. cuius uerba ipſa, quondam hæc res maximi eſt in doctrina Ariſtotelis momenti, in medium attulimus: Si quis (inquit) quærat à me, frigiditatem ne cœlum faciat per ſe, an ex accidenti: reſpondebo: ſiquidem quæras quid ex ſeipſo faciat cœlum, nulla media cauſa fieri ab illo per ſe tantum calorem, cæteras qualitates ex accidenti, ſicuti calor ipſe per accidens frigefacit, ut ſequenti capite declarabimus. Si uerò quid tanquam uniuerſalis cauſa cum ſecũdarijs cauſis: agere illum per ſe tam frigiditatem quàm caliditatem, tam ſiccitatem quàm humiditatem, quo modo nõ minus cum aqua generat aquam, quàm cum igne generat ignem, nec magis poſſet ſine illo aqua aquam, quàm ignis ignem generare. cùm autem generat elementorum ſubſtantias, generat conſequentes quoque illas proprietates. quare cum aqua frigiditatem, cum igne calorem facit. & ſiquidem hoc modo negaremus per ſe fieri aliud à cœlo quàm calorem ſequerentur abſurda illa, quæ dicit Thomas: Frigiditatem, ſiccitatem & humiditatem non per ſe eſſe in uniuerſo, ſed per accidens, nec formas omnes ſubſtantiales inferiorum corporum in uirtute cœleſtium corporum contineri: quæ nullo modo ſequuntur, cùm negamus cœlum per ſe, & ex ſe, uel aërem, uel inferiora alia corpora frigefacere. quocirca probãt rationes Thomæ, non quod negamus ipſi, ſed quod aſſerimus.

Cæterum quoniam eius reſponſio non uidetur quæſtionem propoſitam, quæ fuit D. Thomæ quæſtio, diſſoluere, nos ante oculos habentes illud Ariſtotelis. (Videtur enim fortaſſe melius eſſe, & oportere pro ueritatis ſalute, ſi unuſquiſq;, & præſertim philoſophi ſua quoq; propria refutarẽt. nam licet ambo ſint amici, ſanctum eſt ipſis ueritatem in honore proferre.) Hoc inquã cum ante oculos haberemus, faciẽdum nobis omnino duximus, ut de hac re quid ſentiendum uideatur, minimè ſilentio præteriremus. aliorum autem erit iudicium.

Vrgebat igitur quæſtio propoſita ad hunc modũ: Si cœlum beneficio & opportunitate luminis produceret tantum calorem per ſe, id eſt ex natura ſua, atq; ex propoſito: cæteras autem qualitates præter intentionem ſuam, & ita per accidẽs, quia dum propoſitũ eſt ei calefacere frigefacit atq; humectat & exiccat: ſequeretur, frigiditatem, ſiccitatem & humiditatẽ, (quæ ſunt qualitates neceſſariæ in uniuerſo) non produci per ſe à cœlo, quod eſt cauſa uniuerſalis, ſed per accidens: & formas omnes ſubſtantiales inferiorum corporum, in uirtute cœleſtium corporum non contineri, ſiquidem accideret ipſi cœlo productio illarum qualitatum, & illorum corporum. quæ duo uidentur eſſe maximè abſurda.

Huic quæſtioni illa reſponſio (ſiquidem quæras, quid ex ſeipſo faciat cœlum, nulla media cauſa fieri ab illo per ſe tantum calorem, & cæteras qualitates ex accidenti: ſi uerò quid tanquam uniuerſalis cauſa, cum ſecundarijs cauſis, agere per ſe tam frigiditatem quàm caliditatem, tam ſiccitatem quàm humiditatem) non uidetur ſatisfacere. quia quæſtio non quærit quid efficiat cœlum, nulla aut aliqua media cauſa: ſed quo modo fieri poſsit ut cœlum per ſe, id eſt ex propoſito efficiat calorem, cæteras autem qualitates per accidens, id eſt præter id quod intendit: quia ſi hoc detur, ſequuntur abſurda, quæ dicta ſunt. nihil autem uidetur facere ad tollendam difficultatem, illa diſtinctio. Quia etſi cœlum producat cæteras qualitates cum cauſis ſecundarijs, dicitur tamen per ſe producere caliditatem, & per accidens cæteras qualitates. quoniam ſemper ei propoſitum eſt producere per ſe caliditatem, ad quam quidem producendam habet inſtrumentum per ſe idoneum: reliquas autem qualitates producit per accidens, ut dictum eſt. ſiue igitur agat cœlum nulla media cauſa, ſiue aliqua media cauſa, hoc nihil uidetur facere ad illud, ut producat per ſe aliquid, uel per accidens: quia tam per ſe poteſt producere aliquid media aliqua cauſa, quàm per accidens, & cõtrà: eodemq; modo, ſi agat nulla intercedente cauſa. Perſpicuũ enim eſt, naturam luminis nunquã efficere frigiditatem, quomodocunq; agat. Quare ſi producat frigiditatem, neceſſe eſt ut hoc ei accidat: ſicut ſi calor frigefacit, neceſſitas cogit ut hoc ei accidat. Et ita remanent abſurda D. Thomæ: quę item ſequuntur ex eo quod Ioan. Picus ponit in ſexto capite eiuſdem tertij libri, cum inquit: Poteſt autem & ſol & luna, non ſolum deferendo nos lumine, ſed afficiendo, (quanquam id quoque per accidens)

» dens) frigefacere: ſol quidem, dum nimia exſiccatione mortificat, aut uitalem ca-
» lorem prouocat foras, aut pluuias generat ex marinis uaporoſis halatibus, quos
» plures omnino ſuſcitat quàm diſſoluat, aut uentos commouens, aut alijs etiam de
» cauſis: Luna uerò per apertos tenui ſuo calore, rarefactosq́ patentius meatus cor-
» poris nocturnum frigus, ſuis quoq; radijs tenuatum in nos uberius intromittens.

Vult enim, ſolem frigefacere, dum intendit calefacere, ſuo lumine: quod facit ali qua media cauſa, quia nunquam producit tres illas qualitates niſi media cauſa: igi- tur ſemper producit per accidens: non enim habet unde producat per ſe. Quan- quam uariæ illæ cauſæ quas Picus affert, quare ſol frigefaciat, uidentur oſtendere, accidere ipſi ſoli ut frigefaciat: quia dum propoſitum eſt ei calefacere, frigefacit, uel aperiendo meatus, per quos calor naturalis exit, ut in putrefactione: uel propter debilitatem caloris, qui eleuat ſurſum uapores & exhalationes, quæ ſcilicet dere- lictæ ab illo calore ſurſum eleuante, cadunt, & frigefaciunt. Et cùm nullo alio mo- do poſſit à cœlo produci frigus, uidentur ſequi abſurda D. Thomæ: quæ non tol- luntur ex eo quod ponatur, ſolem cum alijs cauſis producere per ſe: quia ſol cum alijs cauſis ſuo inſtrumento, præter eius propoſitum, ſemper producit cæteras tres qualitates, ut diximus. Neq; probandus uidetur alijs ille modus frigefaciendi,
» quem in eodem cap. paulo antè expoſuit his uerbis: Sic igitur ſol à nobis procul di
» grediens, frigori nos derelinquit, atq; ita frigus facere dicitur. & ſic & luna cum lu-
» mine ad coitum identidem ſpoliata, frigefacere dicitur: nō quod afferat frigus, ſed
» quod à nocturna frigiditate minus quàm alios tueatur. etenim frigiditas quam ſen timus ſole à nobis recedente ad tropicum capricorni, non eſt quia ſol derelinquat nos frigori: ſed quia ſole recedente à uertice capitis noſtri, radij ipſius nō reflectun tur perpendiculariter. Itaq; calefaciēdo terram plures eleuant uapores, quàm poſ- ſint diſſoluere: & ita ſentimus frigus. Atq; hæc quidem eadem eſt cauſa, quæ illa quam nos diximus. etenim niſi ſol eleuaret frigiditatem & humiditatem, recedens à uertice capitis noſtri, non ſentiremus frigus, propterea quod relinqueremur in aëre, qui ex natura ſua eſt calidus, & in quo nulli eſſent uapores frigidi. quia neque terra neq; aqua poſſent ex ſeipſis eos uapores in aërem eleuare. nam cùm ſint gra- ues, neceſſe eſt ſi eleuātur in altum ut fiant leues. non poſſunt autem fieri leues, niſi calefiant: neq; poſſunt calefieri, niſi à lumine ſolis, ut perſpicuum eſt. Si ergo ſenti- mus frigus in aëre, neceſſe eſt ut ſit à lumine ſolis: non ergo erit quia ſol diſcedens relinquat nos frigori, ſed quia plus uaporum eleuat quàm diſſoluit. Luna etiam di citur in coitu frigefacere, quia non calefacit uapores frigidos, quos eleuauit ſol, & nō diſſoluit. quare ſemper frigiditas, quæ reperitur in mundo, erit à radijs ſolis prin cipaliter, qui dum intendunt calefacere, frigefaciunt præter ipſorum propoſitum, eo modo quo dictum eſt. Quare non poſſumus negare, quin hoc fiat per accidēs. & ita de cæteris qualitatibus. Ex quo poſtmodum ſequuntur abſurda D. Thomæ, quæ non uidetur tollere diſtinctio allata. apparet enim à ueritate illud abhorrere, ſolem cum cauſis ſecundarijs agere per ſe tam frigiditatem quàm caliditatem, tam ſiccitatem quàm humiditatem: quia cùm ſemper agat ſol tres illas qualitates, frigi- ditatem, humiditatem & ſiccitatem, beneficio & opportunitate luminis, quod per ſe non poteſt producere ipſas qualitates, neq; ex ſua intentione. neceſſariò ſequi- tur ut efficiat eas ex accidenti cum cauſis ſecundarijs, quod ipſo ſenſu conſpicitur: propterea quòd dum intendit calefacere frigefacit, & humectat, & exſiccat. Ac li- cet generet aquam aqua, ſicut ignem igne: tamen per ſe generat calorem igne, & ſine igne: ſed aquam aqua per accidens. dum enim agit medijs illis cauſis, non in- tendit efficere aliud quàm calorem. Non uidetur ergo, pace tanti uiri, propoſi- tam quæſtionem diſſoluere eius reſponſio: quippe quæ non tollit abſurda D. Tho mæ, ut oſtendimus. Atq; hanc ipſam quidem eſſe quæſtionem, quam D. Tho-
» mas attulit, apertè colligitur ex uerbis ipſius, cùm ait: Si quis quærat à me, frigidita
» tém ne cœlum faciat per ſe, an ex accidente, & quæ ſequuntur.

Cùm igitur integra adhuc maneat difficultas, quæ maximè uidetur urgere Ari- ſtotelem, & nos etiam qui eius doctrinam ſequimur: conandum nobis eſt quātum poſſumus, inuenire aliam ſolutionem, quæ tollat abſurda quæ dicta ſunt: quæ qui- dem in Peripateticorum diſciplina ferri non poſſunt, euertūt enim penitus ipſam.

Alia-

Aliorum autem erit iudicium, qui non iurauerunt in uerba cuiuſquam, ſed ueritatem ante oculos propoſitam ſemper habent, ut homines uerè philoſophos decet.

Antequam uerò ad diſſolutionem quæſtionis propoſitæ ueniamus, faciendum nobis uidetur, ut in medium afferamus ea Ariſtotelis uerba, quæ ſcripta reliquit quarto de Generatione animalium, cap. tertio: etenim ex illis (niſi mea me fallit opi- 4. de gene.
nio) futurum eſſe arbitror, ut facile id quod uolumus aſſequamur. ea uero ſunt hæc: animal.
Eædem cauſæ ſunt, & ut alij parentibus ſimiles generentur, alij diſſimiles: & alij pa- cap. 3.
tri, & alij matri, tum corpore toto, tum uerò partibus ſingulis: & parentibus magis, “
quàm maioribus ſuis: & ijs potius, quàm quibuslibet: ac mares potius patri, & fœ- “
minæ matri: alij nulli conſanguineo ſimiles, ſed tamen homini ſimiles: alij ne homi- “
ni quidem, ſed monſtro. Qui enim parentibus ſimilis non eſt, monſtrum quodam- “
modo eſt: diſceſſit enim quodammodo in eo natura ex proprio genere, cœpitq; “
degenerare. Sed initium primum degenerandi eſt, fœminam generari, non marem. “
uerùm hoc neceſſarium eſt naturæ: genus enim ſeruari oportet eorum quæ fœmi- “
na & mari diſtinguuntur. ſed cùm fieri poſſit ne aliquando ſemen ſuperet maris, aut “
ob ætatem iuuenilem, ſenilem'ue, aut ob aliam eiuſmodi cauſam, fœminam ob eam “
rem gigni neceſſe eſt. ſed monſtrum gigni non neceſſe eſt, ſi ad cauſam cuius gratia “
& ad finem: quanquam per accidens neceſſe eſt. “

Quibus planè uerbis uidetur Ariſtoteles ſignificare, generationem fœminæ eſſe quaſi generationem monſtri, & eſſe præter illud quod intendit generans, & ſic per accidens generari: quippe quæ generetur ex debilitate ſeminis maris, itaq; eſſe monſtrum per accidens. rurſus autem ſi generatio fœminæ referatur ad cauſam finalem, & ad finem generationis fœminæ ipſam non eſſe monſtrum: quia natura uniuerſalis ipſam neceſſariò intendit, ut ſeruet genus eorum quæ fœmina & mare diſtinguuntur, aliter enim periret mundus.

Erit igitur uerum, dicere ex uerbis Ariſtotelis, fœminam eſſe ueluti monſtrum, & generari per accidens, ſi referatur ad ſemen generans, quia non intendit ipſam. etenim ſi ſemen ſuperaret, non generaret fœminam: ſed cùm ei accidat ut non ſuperet, ſed ſuperetur, ut eidem accidat generare fœminam neceſſe eſt. eſt ergo fœmina per accidens in uniuerſo, quatenus attinet ad ſemen.

Rurſus uerum erit dicere, fœminam non eſſe in uniuerſo monſtrum, neq; per accidens, ſed per ſe, ſi eius generatio referatur ad cauſam cuius gratia, & ad finem: propterea quòd finis eius generationis eſt ſeruare genus eorum quæ fœmina & mare diſtinguuntur. & ita per ſe generatur fœmina: quia eam quoq; intendit natura uniuerſalis, propter finem dictum, licet minus principaliter.

Si quis igitur contra Ariſtotelem inſtaret, quia dixerat, (Qui ſuis parentibus ſimi- “
lis non eſt, monſtrum quodammodo eſſe: diſceſſiſſe enim quodam modo naturam “
ex proprio genere, cœpiſſeq; degenerare. ſed initium primum degenerandi eſſe fœ- “
minam generari, non marem. Si quis inſtaret inquam, dicens ſequi ex eius dictis, fœ- “
minam per accidens eſſe in uniuerſo, & non per ſe, neq; ipſam contineri in uirtute corporum cœleſtium: uidetur ipſe reſpondere, ſi fœmina referatur ad ſemen generans illam per accidens eſſe in uniuerſo, & non per ſe, neq; contineri in uirtute cœleſtium corporum: ſi uerò referatur ad cauſam cuius gratia, & ad finem, eſſe per ſe in uniuerſo, & contineri in uirtute corporum cœleſtium, quia natura uniuerſalis ipſam intendit ob cauſas dictas: neq; uerò eſſe abſurdum, eandem rem, ut ad diuerſas refertur cauſas, modò dici eſſe in uniuerſo per ſe, modò per accidens, imò ſæpe neceſſarium eſſe ita dici: etenim ſufficit rebus quæ ſunt in uniuerſo, intendi per ſe ab aliqua cauſa, & ita fieri ab illa cauſa per ſe. quòd ſi non fiant poſtea ab aliqua alia cauſa per ſe, nihil refert. Reſponderet igitur Ariſtoteli ad propoſitam quæſtionem, eo modo quo diximus: & non diceret, ſi quæratur ab ipſo, fœminam'ne ſemē faciat per ſe, an ex accidenti, quod idem eſt ac ſi diceretur, marémne an fœminam efficiat per ſe an ex accidenti: ſe reſponſurum eſſe, ſiquidem quæras quid ex ſeipſo faciat ſemen, nulla media cauſa, fieri ab illo tantum marem, fœminam uerò ex accidenti: ſi uerò quid, tanq; cauſa cum alijs cauſis, ut cum ſemine fœminæ, agere illud per ſe tam fœminam quàm marem, non ita inquam reſponderet, quia hoc nō poteſt dici. etenim ſemen per accidens ſemper, quantum ad ipſum attinet, generat fœminam.

Is ad hanc modum explicatis, tempus eſt ut accommodemus iſtam diſſolutionem ad rem noſtram.

Quamobrem dicimus, cùm repetiatur in natura ſemen maris, & ipſe mas, ac fœmina, & ſemen fœminæ, itemq́ lumen ſolis, & quatuor illæ qualitates, Frigiditas, humiditas, & ſiccitas reſpondere lumen ſolis & caliditatem mari: Frigiditatem uerò, humiditatem, & ſiccitatem fœminæ: & ſemini ipſius terram & aquam: atq; hæc quidem reſpondete inter ſe ad hunc modum perſpicuum eſt, quia lumen eſt generans ſicut ſemen maris, & generat caliditatem per ſe & principaliter, ſicut ſemen maris marem: Frigiditas autem, & humiditas, & ſiccitas, producuntur per accidens à lumine, ex debilitate ipſius luminis: ſicut à ſemine producitur fœmina per accidens, ex debilitate uirtutis ipſius ſeminis.

Item quemadmodum fœmina eſt neceſſaria in natura, ita tres illæ qualitates ſunt neceſſariæ. Menſtrua uerò reſpondent terræ & aquæ: quia ſicut lumen intendens calefacere terram & aquam, tamen frigefacit, propter debilitatem caloris, ita etiam ſemen maris intendens mouere ſemen fœminæ ad matem generandum, dum ſuperatut ab eius ſemine, generat fœminam. quare perſpicua eſt proportio luminis ad ſemen maris, & caloris ad ipſum matem, & cæterarum primarum qualitatum ad fœminam, ac terræ & aquæ ad ſemen ipſius fœminæ. Quamobrem cùm ea quæſtio quæ uidetur euertere generationem fœminæ, ex ſemine, uideatur etiam euertere generationem trium qualitatum ex lumine: plane ſequitur, ut quæ ſolutio tollit rationem euertentem genetationem fœminæ ex ſemine, eadem tollat rationem euertentem generationem trium qualitatum ex ipſo lumine; eadem enim omnino eſt proportio. Afferamus igitur ipſam.

Cùm arguis noſtram ſententiam maxima ſequi incommoda, uidelicet frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem, non per ſe eſſe in uniuerſo, ſed per accidens, & formas omnes ſubſtantiales inferiorum corpotum, in uirtute cœleſtium corporum nō contineri: Reſpondemus, has tres qualitates eſſe per accidens in uniuerſo, & eſſe per ſe in uniuerſo, & ipſarum corpota non contineri per ſe in uirtute coporum cœleſtium, & contineri. neq; iſta pugnant inter ſe, quia ad uarias referuntur cauſas. pugnarent quidem, ſi ad eandem cauſam referentur. Quæ res ut clarius percipiatur, rurſus ita dicimus: ſi iſtæ tres qualitates referantur ad lumen ſolis, eas per accidens eſſe in uniuerſo, & ipſarum corpora non contineri in uirtute ſolis & corporum cœleſtium, quatenus talia ſunt corpora: & ita eſſe quodammodo monſtra. Sin autem referantut ad cauſam cuius gratia, & ad finem, eſſe per ſe in uniuerſo, earumq́ corpora contineri in uirtute corporum cœleſtium, quatenus continentur in uirtute uniuerſalis cauſæ, & ita non eſſe monſtra in uniuerſali. cùm infers hæc eſſe maxima abſurda, id uerò negamus: imò tantum abeſt, ut ſint abſurda, ut ſit maximè neceſſarium ita eſſe. Eſſet quidem abſurdum, ſi diceremus illa omni ex parte eſſe per accidens in uniuerſo: ſed ſat eſt, ſi ratione alicuius cauſæ ſint per ſe in uniuerſo, & præſertim ratione cauſæ uniuerſalis, non enim hoc modo ſunt à caſu. Quare uidetur eſſe diſſoluta quæſtio propoſita ex ſententia ipſius Ariſtotelis, neq; aliquid poſſe afferri contra hanc ſolutionem, quin idem faciat contra rationem Ariſtotelis de generatione fœminæ, neminem qui ſit ſanus latere atbitror. ſimilitudo enim ex eis quæ dicta ſunt perſpicua eſt.

Sed ſtatim quæret aliquis, ſi natura uniuerſalis per ſe intendat generationem trium illarum qualitatum, uidelicet frigiditatis, humiditatis, & ſiccitatis: quare non dederit cœlo inſtrumenta quibus per ſe illas generaret, ſicut dedit inſtrumentum quo per ſe caliditatem produceret?

Hac quæſtione, ſimulq́ ratione D. Thomæ ſuperius allata commoti, multi plane, & illi quidem egregij philoſophi, uenerunt in eam opinionem, ut exiſtimarent naturam dediſſe cœlo inſtrumenta quibus generaret tres illas qualitates: quæ inſtrumenta dixerunt non apparere, ſed eſſe occulta, eaq; nuncuparunt qualitates occultas, & influentias. ſed iſta opinio non uidetur digna philoſopho, ſed potius illis conuenire qui cùm neſciunt aliquam rationem diſſoluere ſententijs ſuis repugnantem, confugiunt ad ea quæ non apparent ſenſui, & ad figmenta: quod quidem nihil

aliud

aliud mihi eſſe uidetur, quàm totius philoſophiæ rationem, & naturam quæ ſolo
ſenſu innititur, funditus euertere ac tollere.

Præterea in hoc etiam peccare uidentur, quòd repugnant ipſi ſenſui, & Ariſtote-
li. ſenſui quidem, quia uidemus frigiditatem & humiditatem & ſiccitatem profici-
ſci ex ſole, beneficio & opportunitate luminis, quatenus lumen magis uel minus re
flectitur eo modo quo diximus: ſenſu enim percipimus frigiditatem & humidita-
tem fieri ex pluuia, & ex niue, & huiuſmodi quæ fiunt ex lumine ſolis debili. Velle
igitur ad eas cauſas confugere, ad quas ne intelligentia quidem peruenire poſſu-
mus, & relinquere ea quæ ſenſui patent, cum philoſophiam profiteamur, uidetur
eſſe hominis qui debilitate uirtutis diſcretiuæ non parum laboret. Ariſtoteli etiam
repugnare iſtos, manifeſtè liquet eis qui primum librum Meteororum legerint, &
maximè partem illam in qua reddit cauſam pluuiæ, roris, niuis & grandinis, ex qui
bus fit frigiditas & humiditas & ſiccitas. Inquit enim: Quod quidem igitur ut mo- 1. Meteo.
uens, & principale, & primum principiorum circulus eſt, in quo manifeſtè ſolis la- cap. 3. ÿ
tio diſgregans & congregans in fieri propè aut longius, cauſa generationis & cor- «
ruptionis eſt, manente autem terra, & quod circa ipſum humidum à radijs, & ab a- «
lia quæ deſuper caliditate euaporans fertur ſurſum, caliditate autem, quæ duxit ſur- «
ſum relinquente, & hac quidem diſperſa ad ſuperiorem locum, hac autem & extin- «
cta propter ſuſpendi longius in aërem qui ſupra terram. Conſtat iterum uapor in- «
frigidatus & propter derelictionem caloris, & propter locum, & fit aqua ex aëre, «
facta autem iterum fertur ad terram. & paulo poſt: Propè quidem exiſtente ſole, ua «
poris ſolum fit fluuius: Elongato autem aqua deorſum, & quæ ſequuntur. «

Quibus uerbis apertè indicat, impreſſiones dictas fieri ex radijs ſolis. Cùm uerò
ex impreſſionibus illis fiat frigiditas, humiditas & ſiccitas, in dubium uenire non po
teſt, quin huiuſmodi qualitates ex ſententia Ariſtotelis proficiſcantur à lumine.
Quod ſi detur, ut dandum eſſe puto, non eſſe tutum, nec Ariſtotelis ſententiæ con-
ſentaneum, ad influentias confugere, neminem latêre arbitror. Quare reijcienda ui-
detur hæc opinio & ſententia, de qua tamen in eis quæ ſequentur liberius agemus.

Accedit eò, quòd mancum & mutilatum faciunt Ariſtotelem. in reddendis im-
preſſionum dictarum cauſis: quippe qui cauſas illas latentes prætermiſerit, de qui-
bus omnino facienda erat mentio, cùm propoſitum illi eſſet (ut ex procemio lib.
Meteororum, & ex primo Phyſic. conſtat) inueſtigare cauſas omnium effectuum
naturalium. Tres autem illæ qualitates, ex iſtorum ſententia, non poſſent proficiſci
ab alia cauſa, quàm ab influentia. Quod cùm non fecerit, ut mancus & mutilatus ſit
in cauſis rerum naturalium tradendis neceſſe eſt: quod quidem à tanti philoſophi
artificio & doctrina tam alienum eſt, quàm quod alieniſſimum.

Faciunt item naturam ſuperuacaneè operantem, quippe quæ ſine illis occultis
cauſis poteſt efficere tres illas qualitates. poteſt enim ſolo lumine, ut perſpicuum eſt
ex uerbis Ariſtotelis, & ex ipſo ſenſu. Fruſtra autem fit per plura, quod æquè bene
fieri poteſt per pauciora.

Quare non eſt putandum, naturam effeciſſe alia inſtrumenta. ſed tamen quoni-
am propoſita quæſtio adhuc magnam uim retinere uidetur aduerſus ea quæ à no-
bis ſunt concluſa, reliquum eſt ut eam omnino diſſoluamus.

Reſpondentes igitur ad ipſam quæſtionem cōcedimus, naturam uniuerſalem
intendere per ſe generationem trium illarum qualitatum: ſed negamus dediſſe cœ-
lo inſtrumenta, quibus illas ipſas qualitates per ſe generaret: propterea quòd etſi
erant per ſe intentæ, non erant tamen primò & principaliter intentè, ſed ſecundo lo
co. quare non erat neceſſarium dare cœlo inſtrumenta principalia ad illas produ-
cendas: non enim debent dari inſtrumenta principalia ad eas res efficiendas quæ
non ſunt principales. nam ſatis eſt eis quæ non primò intenduntur, ſi producantur,
quomodocunque id fiat. quia uerò caliditas erat primò & principaliter à natura etiā
uniuerſali intenta, ob hanc cauſam datum eſt cœlo inſtrumentum principale & pro
prium, quo illa produceretur. Itaque nihil habere uidetur ratio allata, quod ſententi-
am noſtram labefactet atque infirmet.

Fortaſſe etiam dici poteſt, non dediſſe naturam alia inſtrumenta cœlo, quia cor
pus cœleſte ob eius præſtantiam & perfectionem non erat capax niſi luminis.

Cùm ergo uel elementa, uel mixta ſint omnia quæ ſunt in hoc mundo inferiori, quæ propter ſuas naturas & qualitates ſolo motu & lumine generentur & corrumpantur & conſeruentur: neceſſitas cogit, ut præter motum & lumen, quæ ſenſui patent, nulla alia putemus reperiri cœli inſtrumenta: ſuperuacanea enim eſſent.

Quod autem motus & lumen ſatis abundè faciant ad rerum generationes & corruptiones, & ad conſeruationes, ac deinceps ad omnia quæ ſequuntur ea quæ generantur & corrumpuntur, ex eis quæ dicta ſunt, & ex ipſo ſenſu perſpicuum eſt. Eorum enim quæcunq; ſunt generationes & corruptiones, & conſeruationes, fiunt beneficio quatuor qualitatum, quatenus uel pares ſunt in uirtute ex proportione, uel debiliores, uel ualidiores: & hoc poteſt præſtare ſolum motus & lumen cœli: nihil enim aliud reperitur in mixtis, niſi ſubſtantia mixtorum, & quatuor qualitates, & temperamentum quod oritur ex ipſis quatuor qualitatibus: quod temperamentũ non eſt à cœlo, niſi eo modo quo diximus, quia cœlum eſt cauſa, ut illæ peius uel melius miſceantur. unde ſequitur poſtmodum, ut reubarbarum trahat choleram, non quia ſit calidum uel frigidum, uel ſiccum uel humidum ſimpliciter, ſed in tali proportione, quæ proportio non conuenit alijs: ex qua ſequitur temperamentũ, quod poſtmodum in reubarbaro habet uim trahendi choleram: & ita de magnete, & alijs quæ uidentur habere quaſdam proprietates, quas iſti nuncupant occultas: quæ proprietates nihil aliud ſunt, quàm temperamentum quod oritur ex mixtione primarum qualitatum: quod temperamentum ſi uolunt appellare occultum, quia ignoramus ex quali & quanta proportione omnino quatuor qualitatum oriatur, poſſumus hoc concedere: ſi uerò appellant occultum quòd fiat ex aliqua influentia uel qualitate extrinſecus accedente, diuerſa à temperamento, quæ non oriatur ex proportione quatuor qualitatum: hoc eſt quod exiſtimamus dici ſine aliqua ratione, & ſomnium eſſe, atq; à ueritate & à ſententia Ariſtotelis abhorrere. Quid enim afferunt quare hanc proprietatem attribuant ipſi cœlo, quod eſt cauſa uniuerſalis, magis quàm temperamento particulari? etenim ſi eſſet duntaxat à cœlo, nõ uideo cur omnia quæ ſub eo aſpectu naſcuntur: ſub quo magnes & reubarbarum, non attra-

Problem. ſect. 1. Problem. 42.

hant ferrum, non purgent choleram? Illa uerò quæ dicta ſunt ab Ariſtotele in prima ſect. problem. probl. 42. uel non ſunt dicta ex ipſius ſententia, ut multis in locis cogimur dicere in eo libro: uel ſunt redigenda ad ſenſum dictum, ut aliquo modo

Problem. ſect. 1. Problem. 43.

poteſt colligi ex problem. 43. eiuſdem ſect. alioquin aduerſus ipſum omnino concluderent argumenta Conciliatoris. Quare fortaſſe poſſemus defendere eum, dicentes ipſum non uoluiſſe calidas medicinas trahere & mouere uentrem ſuperiorem, frigidas è contrario, ex caliditate uel frigiditate ſimpliciter: quia multæ ſunt calidiores & frigidiores, quæ non ita mouent: ſed à temperamento calido uel frigido, quod ortum eſt ex tali & tali proportione quatuor qualitatum. & hoc modo concedere poſſumus, ſcamoneam, quæ eſt helleboro calidior, ab inferioribus partibus educere, helleborum à ſuperioribus, licet frigidior ſit ſcamonea, ſicut perſpicuum èſt de uenenis frigidis: quæ non poſſumus dicere interficere homines ſimpliciter, quia ſinr frigida: Aqua enim quæ eſt frigidior, non interficit: etiam ferrum in uentriculo ſtrutocameli corrumpitur, quod in uentriculo leonis qui eſt calidior non corrumpitur, & tamen illa corruptio eſt à caliditate, ſed non ſimpliciter à caliditate, ſed ex temperamento calido, quod eſt ortum ex tali & tali proportione quatuor qualitatum. Ergo non eſt dicendũ, quòd huiuſmodi ſint à qualitatibus primis ſim-

Problem. ſect. 1. Problem. 43.

pliciter, ſed à temperamentis ſequentibus dominium illarum in certo gradu, in quo gradu magis uidentur aduerſari uni quàm alteri, quam rem uidetur innuiſſe Ariſtoteles in problem. ſect. prima. probl. 43. Quod problema uideretur ſuperuacaneum,

Problem. ſect. 1. Problem. 43.

ſi uoluiſſet huiuſmodi effectus proficiſci à ſimplici caliditate, & à ſimplici frigiditate.

Problem. ſect. 1. Problem. 48.

Quod ſi aliquis aduerſus nos afferat probl. 48. eiuſdem ſect. in quo uidetur dicere, illas medicinas purgare à qualitate ſimplici: nos utemur eo perfugio, quod diximus, uidelicet eum non eſſe loquutum ex animi ſui ſententia. Quod nulla admiratione aliquem afficere debet, cùm idem cogamur aſſerere multis in locis, & maximè in illis problematibus: niſi uelimus ipſum non ſolum pugnantia, uerùm etiam (quod multo maius eſt) negantia eſſe loquutum. Eligant igitur lectores utram li-

bet

bet ſolutionem:nos autem cùm ipſa ratione,tum eis quæ dicta ſunt, cogimur dicere,Ariſtotelem ita ſenſiſſe,hos effectus proficiſci ex temperamento,quod oritur ex propoſitióne quatuor qualitatum:quam propoſitionem hominis ignorare neceſſe eſt,quia ipſi ſenſus non penetrant ad naturæ intima & abſcondita. Ita dicendum eſt de multis alijs mixtis,quæ particulares proprietates conſequuta ſunt,quæ non ſunt à cœlo,niſi eo quo diximus modo,quia cœlum eſt cauſa uniuerſalis:& res non indigent cœlo,niſi eo modo quo diximus, ſunt enim ſemper corpora ſimplicia, ſunt ſemper mixta,ſunt ſemper qualitates,ſunt ſemper temperamenta, & naturæ particulares:neq; cœlum agit in hæc,niſi motu & lumine.

Reijciantur ergo,penituſq; repudientur opiniones illæ,quæ in rebus naturæ abhorrent à ſenſu,neq; conſentiunt uerbis Ariſtotelis.omnes enim effectus qui ſunt in mixtis,& non ſequuntur intellectum,quin oriantur ex quatuor qualitatibus dubitari nón poteſt:quia poſſunt reddi cauſæ eorum ex temperamentis, ex eo quòd uidetur & ſentitur fieri à lumine.Itaq; uelle ponere alias cauſas, & alia inſtrumenta; quid aliud eſt quam repugnare ipſi ſenſui, & ſomniare? Negari enim non poteſt, quin uideamus cœlum lumine & calefacere & frigefacere, & exiccare & humidafacere:quod ita in promptu eſt,ut qui hoc non ſentiat,ſenſu omnino carere uideatur.Quæ ergo eſt cauſa,quare confugiant ad influentias? Certè nulla. Itaq; influentiæ illæ uidentur delirantium ſomnia. Proprietates enim quæ ſunt in mixtis, non poſſunt proficiſci à cœlo, quod eſt cauſa uniuerſalis, niſi eo quo diximus modo: & nihil eſt in mixtis præter ſubſtantias,& qualitates primas refractas, & temperamentum quod oritur ex illis. ergo idoneum eſt inſtrumentum lumen cœli, ad ea quæ dicta ſunt.ſed quia non eſt uirtutis infinitæ, non poteſt eodem modo in quolibet efficere calorem uel humiditatem,uel ſiccitatem uel frigiditatem: & per id quod neceſſariò ſequitur,non poteſt eodem modo,cum ſit etiam idem aſpectus, generare & corrumpere,& conſeruare omnia.

Probatur conſequentia: quia non omnia entia eódem modo ſe habent. aliqua enim ſunt ualidiora,alia debiliora:non æqualiter igitur patientur à cœlo omnia,ſed quatenus ſe habebit uniuſcuiuſq; natura. Cùm igitur ita ſit,non producet cœlum neceſſariò omnia,tum quia ipſum non producit res,ſicut diximus: tum quia non eſt uirtutis infinitæ.Poterit igitur ei obſiſti,ſicut perſpicuum eſt ſenſui. Videmus enim ſub eodem aſpectu cœli,alios pati ex ipſo cœlo, alios non pati:ſicut uidemus multos noctu ſtantes ſub dio capite nudo nihil pati,multos uerò pati.Iam igitur oſtenſum eſt quid agat cœlũ in iſta inferiora,& quomodo agat,& quibus inſtrumentis quod intendit efficiat:quod planè propoſueramus.

FINIS LIBRI VIGESIMITERTII
Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER VIGESIMVSQVARTVS.

SECTIO PRIMA.

HIs expoſitis, proximum eſt ut ad diſſolutionem quæſtionum quæ uidebantur infirmare,ac penitus euertere noſtram ſententiam,ueniamus.

Erat autem prima quæſtio:Omnis uirtus huius mundi inferioris neceſſariò adminiſtratur & regitur à cœlo:ergo fieri poterit,ut uerè de effectibus & operibus huius mundi,ex ſolo aſpectu ipſius cœli prædicatur.

Huic quæſtioni reſpondentes,dicimus: Si antecedens, omnem uidelicet uirtutem huius mundi gubernari & regi à cœlo,ita intelligatur,ut cœlum producat omnem uirtutem,& omnes effectus huius mundi neceſſariò, illud à ueritate,& à ſententia Ariſtotelis abhorrere,

ſis particularibus, quæ ſimul cum cœlo concurrerunt ad ipſas producēdas: neq; reperiri ullam cauſam particulariorem, quę omnem ſuum affectum conſequuta ſit ex ipſo cœlo. ſunt enim æternæ, ut ex eis quæ dicta ſunt perſpicuè patet.

Præterea ex hac uia, falſa tamen, ſunt infinitæ iſtæ cauſæ particulares: ergo nō poterunt cognoſci. Infinitum enim ignotum eſſe, ubiq; clamat Ariſtoteles.

Textus ergo ille quem citant Aſtrologi ex primo lib. Met. non impedit, quin ea quæ diximus, conſentanea ſint ueritati, & Ariſtotelis ſententiæ: neq; tantum uidet̄ Aſtrologię diuinationem corroborare, iudicio meo, quantū arbitrantur Aſtrologi.

Ad id uerò quod fuit acceptum ex quarto de Generatione anim. cap. 10. ad eandem opinionē confirmandam: Reſpondemus, Ariſtotelē ſeipſum eo in loco interpretatum eſſe, eamq; deſignaſſe ſentētiam, quam nos attulimus, inquit enim, cùm loqueretur de luna: Quamobrē conducit ad omnes generationes, perfectionesq;. calores enim, & refrigerationes, cum moderatione quadam generationes, ſine moderatione corruptiones efficiunt. [4. de Gen. ail. cap. 10]

Et hoc eſt quod nos concedimus, cœlum uidelicet conducere ad omnes alterationes huius mundi, omniaq; iſta alterari ex ipſo cœlo. Negamus tamē quod hoc ſit ex ſolo cœlo, & quod omnia iſta ſequātur alterationē cœli, ut diximus. Eſt quidem cœlum cauſa neceſſaria: ſed quia eſt uniuerſalis cauſa, & non poteſt ex ſe ſolo, idcirco nos dicimus fieri non poſſe ut ex ipſo ſolo ſimpliciter cognoſcātur iſti effectus. Quod item ſignificauit Ariſtoteles in eodem cap. ſeipſum, ut diximus, interpretans ijs uerbis: Nam ut rerum minus principalium circuitus, ſequatur magis principalium rerum circuitus, ratio eſt. uitam enim quandam, & ortum & interitum, uel flatuum eſſe fateor: conuerſionis uerò eorum ſiderum alia fortaſſe principia ſunt. Natura igitur ita ſibi uult, ut eorum numeris generationes & obitus numeret. ſed exquiſitè id facere nequit, propter materiæ inexquiſitionem: & quod multa principia incidunt, quæ generationes deſtinatas ſecundum naturam & corruptiones impediant, atq; ita cauſa ſint earum quæ præter naturam.

Concedimus igitur, uitam & mortē, & alia huiuſmodi quæ pendent ex quatuor qualitatibus, ſequi principaliter cœlum. negamus tamē ſequi ipſum ſolū, & cœlum eſſe ſolum cauſam horū neceſſariò: quia poteſt impediri à cauſis particularibus, quę (ut dicit Ariſtoteles loco citato) comparatæ ad cauſas cœleſtes, materiæ locū obtinēt. Tantum igitur abeſt ut ille locus noſtram labefactet atq; infringat ſententiam, ut ipſam uel maximè confirmet. Maximam quidem cœlum uim habere fatemur, quia eſt cauſa principalis: ſed tamen non ſequitur, quia talis aſpectus bonus eſt ad producendum hominem longæ uitæ, ut qui ſub eo natus fuerit, futurus ſit longæ uitæ, ob eas quas diximus cauſas.

Quam etiam ſententiam uiſus eſt indicare Ariſtoteles ubi ait: Quod aūt non eueniunt multa ſomniorum, nihil inconueniens. neq; enim eorum quæ in corporibus ſunt ſignorum & cœleſtium, uelut aquarum & uentorum. ſi enim alius uehemētior iſto acciderit motus, à quo futuro non ſit ſignū, & multa cōſulta bene, quæ fieri expediebat, diſſoluta ſunt propter alias digniores inchoationes. omnino enim nō omne fit quod futurum eſt, neq; idem quod erit, & quod futurum eſt. [lib. de Diuinat. per Somn.]

Dicit enim quòd multa non eueniunt eorum quę ſunt in ſignis cœleſtibus. cuius rei ea eſt cauſa, quam diximus: & quod id quod futurum eſt, non ſemper erit.

SECTIO SECVNDA.

ILlud item quod ſumptum eſt ex ſecundo de Gene. & corrupt. tex. 57. eadèm ferè ratione diſſolui poſſe arbitror. Ita enim exiſtimare nos oportet, opificē illum de quo in ſuperioribus uerba fecimus, & in ſequētibus etiam faciemus, id eſt naturam ipſam uniuerſalē, non cœlum, dediſſe unicuiq; ſpeciei ſuā uitæ periodum, id eſt circuitum: eumq; dediſſe beneficio cœli, & cauſarum particularium: ſed principaliter ipſius cœli, tanquam adiumento cauſæ potioris, & hoc propterea feciſſe, quia natura (uerbi gratia) ſpeciei hominis (quod item dicitur de cæteris omnibus ſpeciebus) quantum attinet ad cauſas quæ efficiunt hominem, non poterat ad quemcunq; circuitum pertrahi, ut ad annos ducētos. natura enim humana neceſſariò confecta eſt

atque conflata ex tali temperamento, ut non queat durare niſi ad aliquod tempus determinatum, quod tempus habetur ex ipſo cœlo, & ex cauſa particulari. Ariſtoteles tamen meminit cauſæ potioris. etenim ſi cauſa uniuerſalis, & cauſa particularis, quæ concurrunt ad productionem alicuius, erunt bene affectæ: dubium non eſt quin ille qui ita naſcitur, poſſit diu uiuere, niſi extrinſecus adueniat aliquod impedimentum, uel niſi ille & comedendo & bibendo & rem ueneream ſupra uires exercendo, ſeipſum interficiat ac perdat. fieri etiam poteſt, ut altera iſtarum cauſarum ſit bene affecta, altera male, utrauis autem talis ſit, tunc effectus futurus non poterit tamdiu durare, quàmdiu duraret ſi ambæ cauſæ eſſent bene affectæ: durabit tamen diutius, quàm faceret, ſi utraque cauſa eſſet male affecta. tunc utriuſque effectus paruo tempore durat.

Iis explicans, uenio ad formam argumenti: & dico, uitam & tempus non determinari à ſolo cœlo, ſed à cauſis etiam particularibus, quæ concurrunt. Ariſtotelem autem feciſſe mentionem cœli, quia ipſum eſt cauſa maximè principalis: & ideo non ſequi, ut ex ſolo aſpectu cœli poſſit prædici ſimpliciter & abſolutè de natura effectus futuri, quia ignoratur qualis nam affectionis fuerit cauſa particularis. Quæ quidem reſponſio eſt eiuſmodi, ut nullam putem dari poſſe magis conſentaneam uerbis Ariſtotelis. etenim præter multos alios locos poſt tex. citatum addidit ipſe hæc uerba: Apparent autem & ſecundum ſenſum confeſſa his quæ à nobis dicta ſunt. uidemus enim, quòd adueniente ſole, generatio eſt, recedente autem diminutio: & in æquali tempore utrumque. æquale enim tempus generationis & corruptionis, quæ ſecundum naturam. ſed contingit multoties in minori corrumpi, propter ad inuicem mixtionem. inæquali enim exiſtente materia, neceſſe eſt inæquales generationes eſſe: & has quidem citiores, has autem tardiores.

2. de Gene. & cor. tex. 58

Quibus uerbis nos admonet apertè, ſolum ipſum cœlum nõ poſſe efficere generationes & corruptiones tardiores & uelociores: ſed hoc proficiſci etiam ex cauſis particularibus, alioquin omnes quæ fierent ſub aliquo cœli aſpectu generationes & corruptiones, eſſent æquales. quod cùm ſenſui, & uerbis Ariſtotelis repugnare conſtet, negari non poteſt, quin ipſe Ariſtoteles ſenſerit, ex ipſo ſolo cœlo non proficiſci hos circuitus, & has periodos. quod eſt illud quod concludere uolebamus.

Ex quo ſequitur poſtea, ut ex ſolo aſpectu ipſius cœli non poſſimus prædicere ſimpliciter & abſolutè de tempore uitæ & mortis ipſorum animalium & plãtarum: quia cœlum ſolum non eſt cauſa iſtorum.

Eodem modo dicimus intelligi oportere locum illum ſecundi de Generatione & corruptione tex. 59. quod uidelicet cœlum ſit cauſa generationis & corruptionis, & continuationis omnium eorum quæ generantur & corrumpuntur, principaliter: non quòd ipſum ſolum ſit cauſa ſine cauſis etiam particularibus: & tunc non ſequitur ex ſolo aſpectu ipſius fieri poſſe ut omnium effectuum ſimpliciter, & abſolutè reddamus cauſam.

Ad aliud uerò quod addebatur, ſi ex aſpectu cœli nõ poſſet uerè prædici aliquid de eis quæ ſunt in iſtis inferioribus, futurum ut Aſtrologia non eſſet ſeiuncta à philoſophia naturali: Concedimus conſequentiam, ob eas quæ allatæ ſunt rationes: quia omnes concludunt ueritatem. ſed dicimus, Antecedens eſſe uerum, & falſum. Verùm ſi ita intelligatur, ut ſignificet cœlum eſſe cauſam uniuerſalem omnium eorum quæ generantur & corrumpuntur, & ideo qui cognoſcit aſpectum cœli, eum poſſe aliquo modo prædicere de plantis, de ſeminibus, & de alijs quæ pertinent ad quatuor qualitates, & ad ea quæ ex ipſis oriunt, & de medicamentis, & de alijs actionibus humanis ad quas concurrit cœli aſpectus, quia propter hanc cauſam inuenta fuit Aſtrologiæ diuinatio: quæ eſt uerè ſeiuncta à philoſophia naturali, quoniam cœlum & motus cœli omnes contemplatur philoſophus naturalis ſciendi cauſa, idemmet cœlum, & eoſdemmet motus Aſtrologia conſiderat operis gratia, alioquin non eſſet diſtincta à philoſophia naturali, neque à mathematica, quæ eaſdem figuras conſiderat ſcientiæ gratia.

Quare Aſtrologia non poteſt eſſe contemplatiua, quia non eſt ſciendi gratia, ſed operatiua & factiua: & omnes illæ rationes quæ allatæ ſunt, ut probaretur, omnes

illos motus, & omnia illa quæ conſiderantur ab Aſtrologia, ſimpliciter & abſolutè artinere ad philoſophum naturalem, uerum concludunt. eſt ergo uerum aliqua ex parte, ex aſpectu cœli nos poſſe prædicere aliquid de iſtis inferioribus: quia quomodo cœlum eſt cauſa alicuius effectus, eodem modo poſſumus aliquid prædicere de illo ipſo effectu: ut quod planta quę ſub bono cœli aſpectu fuit defixa in terram, creſcet, & bene ſe habebit, quantum ſit ex parte cœli: & ita de alijs. & hoc eſt quod nos concedimus.

Antecedens ergo in hoc ſenſu eſt uerum, & conſequentia ualida eſt: nihil tamen facit aduerſus ea quæ diximus.

Fatemur etiam, hanc cognitionem, quamuis non ſit omnino perfecta, tamen eſſe humano generi utiliſſimam. cognitio enim cauſæ uniuerſalis, & potioris cauſæ, maximè facit ad cognoſcendos effectus qui ab ea proficiſcuntur: ut per ſe conſpicuum eſt.

Sin autem intelligatur antecedens ſicut intelligunt Aſtrologi, quòd uidelicet ex ſolo aſpectu cœli poſſimus prædicere ſimpliciter & abſolutè de generatione & corruptione, & de alijs quæ dicuntur ab Aſtrologis: dicimus illud & à ueritate, & ab Ariſtotelis ſententia abhorrere: propterea quòd iſti effectus (ut dictum eſt) non proficiſcuntur ex ſolo ipſo cœlo, ſed ex illo tanquam ex cauſa uniuerſali & potiori. & ſic conſequentiam concedimus: quia non ſequitur, ipſam Aſtrologiam non eſſe ſeiunctam à philoſophia naturali, quia ex ſolo aſpectu cœli poſſimus prædicere ſimpliciter & abſolutè de rebus futuris. ſatis enim eſt, ſi Aſtrologia poſſit prædicere aliquid ex aſpectu cœli, quantum attinet ad id quod poteſt cœlum facere: quia hæc cognitio, quamuis non poſsit illud efficere quod dicunt Aſtrologi, affert tamen humano generi eam utilitatem, ut omnino non ſit negligenda: imò gratię maximæ habendæ ſint illis, qui elaborauerunt, ut eam nobis traderent.

Illos uerò maximè redarguendos arbitror, qui arrepta occaſione, ex eo quod aliquo modo ex aſpectu cœli poſſumus de multis rebus quæ fiunt in hoc mundo inferiori aliquid prædicere, eò uſq; proceſſerunt, ut de omnibus ſimpliciter & abſolutè poſſe prędici aſſererēt: & ita poſſe prędici, ut neceſſariò illa futura ſint. Quæ opinio, quàm pernicioſa ſit, ac deteſtabilis, ſatis experientia comprobatum eſt, ob multa & maxima incommoda, quæ humano generi ſemper inuexit.

Et ſanè quòd actiones noſtræ non ſemper à natura pendeant, & ita à cœlo, uiſus eſt declarare Ariſtoteles ſeptimo Ethic. ijs planè uerbis: "Multa enim præter "conſuetudinem & naturam agunt per rationem, ſi perſuaſi fuerint aliter ſe habere "melius. 7.Ethic.

Etenim ſi agunt homines multa ex ratione, ita perſuaſi, ergo non agunt illa ex natura: ergo non ex cœlo, ergo hæc non poſſunt prædici ex cœlo, quum non proficiſcantur ex ipſo.

SECTIO TERTIA.

AD illud uerò, quòd ex cœlo habent omnia & uiuere & eſſe, Itaque poſſe ex cœlo cognoſci ea quæ ſunt & uiuunt: Dicimus, omnia quidem habere & uiuere & eſſe à cœlo, tanquam à cauſa uniuerſali & potiori, & poſſe cognoſci quatenus attinent ad illam cauſam. Quod autem ſequatur ex hoc, ut ſimpliciter & abſolutè poſſimus cognoſcere omnia, hoc eſt quod negamus. 1. Cœli tex.106.

Ad probationem ſumptam ex uerbis Ariſtotelis, reſpondemus, eum intellexiſſe id quod diximus, uidelicet omnibus cōmunicatum eſſe, his quidem clarius, his obſcurius, ipſum eſſe & uiuere ſolum à ſempiternitate: quia ab ipſa primò & principaliter eſt eſſe & uiuere: noluiſſe autem illis uerbis ſignificare, omnia ſimpliciter & abſolutè à ſolo cœlo habere eſſe & uiuere, aliter pugnaret cum ſua ipſius ſententia, ut oſtenſum eſt in ſuperioribus. Quam etiam ſententiam uiſus eſt innuere, cùm dixit: "Sed his quidem clarius, his quidem obſcurius. 1.Cœli. tex.100.

Etenim hoc euenire non poteſt niſi ratione materiæ, & cauſæ particularis. & ſic perſpicuum eſt, ipſum eſſe & uiuere nō proficiſci ſolum à cœlo, ex quo deinde non poſſunt concludere Aſtrologi aliquid ſimpliciter & abſolutè poſſe prædici.

Neque confirmatio ſumpta ex nono Met. tex. 19. aliquam uim ſententiæ noſtræ

afferre poteſt,ſi bene perpendatur. concedimus enim,ea quæ corruptionem mutationem'ue ſubeunt,ut terram & ignem res perpetuas imitari, quia ſemper operantur,& quærunt perpetuitatem. negamus tamen ſequi, ut ex ipſis rebus æternis ſimpliciter & abſolutè cognoſci poſſit.

1. Polit. cap. 7. Ad confirmationem ex facto Thaletis,non negamus, quin interdum de nonnullis quæ ſunt ualde ſubiecta alterationibus cœli, ſicut ſunt plantæ, quæ ſemper manent fixæ in eodem loco,& alia huiuſmodi,poſſimus aliquid prędicere ex ſolo aſpectu cœli,quantum ſcilicet attinet ad ipſum.

Concedimus enim,qui peritus ſit Aſtrologiæ, & alterationum cœli, eum poſſe aliquid prædicere: quia non tollimus ex omni parte diuinationem Aſtrologiæ,prę ſertim in eis effectibus qui pendent à primis qualitatibus. nam qui hoc negaret, oporteret hunc negare ipſum ſenſum. ſed dicimus, Aſtrologos qui uolunt ex ſolo aſpectu cœli, tanquam ex cauſa idonea effici omnia quæcunque generantur in hoc mundo,falſam de hac re,& contra Ariſtotelis ſentētiam accepiſſe opinionem: quia res quæ fiunt hic,non oriuntur(ut dictum eſt) ex ſolo cœlo:quamuis ab ipſo proficiſcantur, tanquam à cauſa uniuerſali,& perfectiori. Quare dicimus,Thaletem potuiſſe aliquo modo prædicere oliuarum ubertatem & copiam, quantum attinebat ad ipſum cœlum. Imò etiam concedimus,de his rebus quæ ita ſubijciuntur cœlo,ſi perfectè cognoſceremus aſpectū cœli,fieri poſſe ut ſæpe uera prædiceremus. quod tamen eueniret,quia cauſæ particulares ita eſſent affectæ, ut poſſent uirtutem cœli recipere. Sed dicimus, etiam cauſas particulares reſiſtere poſſe aliquando uirtuti ipſius cœli. ſæpe enim accidit ut cœli aſpectus efficiat in aëre qualitates, quibus multi pereunt. reperiuntur tamen multi,qui illi influxui temperamento ſuo atque etiam arte optimè reſiſtant, & nihil ex illo patiantur. Quare fit,ut non poſſit ex ſolo aſpectu cœli ſimpliciter & abſolutè aliquid prædici. Fieri tamen poteſt ut de certis quibuſdam rebus magis poſſimus ex ſolo aſpectu cœli uera prædicere, quàm de alijs. quod euenit ex eo,quia una res,ut diximus, eſt magis ſubiecta cœli alterationibus,quàm alia. ſicut rationi conſentaneum eſſet,ut magis de pluuia,& de grandine, & de uentis, & de alijs huiuſmodi uera prædiceremus: ſiquidem hæc magis ſubijciuntur cœlo. Falluntur tamen in his,etiam plerunque Aſtrologi, quoniam illa non oriuntur ex ſolo aſpectu cœli, ſed oportet ipſam terram quoque eſſe bene affectam ad recipiēdum alterationem à cœlo:ut (uerbi gratia) hoc tempore,in quo terra eſt maximè ſicca,ſi incideret aſpectus cœli,qui ſolitus eſſet efficere pluuias maximas,deciperetur fortaſſe Aſtrologus,ex ſolo aſpectu cœli hoc ſimpliciter prædicens. ſi uerò diceret futuram pluuiam quantū pertinet ad ipſum cœlum, rectè (mea quidem ſententia) loqueretur:ſin autem ſimpliciter & abſolutè, irridendus eſſet. ſicut quotidie accidere uidemus,ut à multis irrideātur, etſi non deſunt qui maximam eis fidem habeant: nec mirum, cùm nulla fuerit unquam tam ſtulta, tamq; abſurda opinio, quæ non habuerit ſectatores, & eos etiam illuſtres.

Nihil ergo contra noſtram ſententiam facere uidetur exemplum Thaletis. nam is quidem ideo ex ſolo aſpectu cœli uaticinatus fuit, quia tunc accidit ut cauſæ particulares ita eſſent affectæ, ut potuerint recipere illam uirtutem cœli. & ita uidetur quaſi caſu uaticinatus fuiſſe ipſe Thales. Quod item de alijs dicēdum eſt,ut de frumentis,pomis,et huiuſmodi: ex quo tamen non ſequitur,ut ſimpliciter & abſolutè poſſimus ex ſolo aſpectu cœli uera prædicere.

Miſſum etiam facio,poſſe exiſtere multos alios aſpectus,qui impediant illum ex quo prędicitur. ſed ſatis fuit Ariſtoteli eo in loco oſtendere, Aſtrologiam poſſe utilem eſſe ijs qui augere patrimonium ſtudent:& nos etiam concedimus, Aſtrologiam uſui eſſe ad huiuſmodi:quia negare non poſſumus,quin cœlum ſit cauſa uniuerſalis omnium quæ generantur & corrumpuntur. Itaque qui cognoſcet cœlum, is maximè poterit dare operam agriculturæ, quia poterit adiungere cauſas particulares cauſis uniuerſalibus bene affectis: ex quibus omnibus poſtea ſequentur effectus optimi. Quare fatemur, eos agricolas qui nullam cœli cognitionem habent,non optimè poſſe rebus ſuis conſulere. & hoc experientia iam diu comprobatum eſt.

SECTIO

SECTIO QVARTA

ERat alia quæſtio à ſenſu ducta: quia ſenſui patet, mutationes quatuor qualitatum ſequi alterationem cœli: & ita fruges, & omnes fructus magnam uarietatem recipere.

Ad hanc quæſtionem reſpondentes, concedimus omnia illa ſequi motum cœli, quatenus eſt cauſa uniuerſalis. & ſic quantum attinet ad hanc ipſam uniuerſalem cauſam, fieri poſſe ut uerè prædicatur aliquid. quod accidit (ut ſæpe iam diximus) quia cauſæ particulares eo tempore reperiuntur ita affectæ, ut poſſint recipere alterationes quæ manant è cœlo. & hoc maximè eſt uerum in eis, quæ manifeſtè ſequuntur motum ſolis & lunæ, & aliarum ſtellarum, nulla re intercedente. ut eſt tempeſtas maris, fruges omnes, & ſemina, flores, pluuiæ, uenti, & huiuſmodi multa. Hoc item dici poteſt de morbis, quibus paſſim laborant interdum ac pereunt homines, pecudes, boues, & alia animalia: quia cœli uis plurimum ualet ad afficienda & alteranda corpora animalium omnium. tamen non eſt rationi conſentaneum, ut ſimpliciter et abſolutè de his prædici poſſint: quia ſi ita eſſet, omnia animalia eo tempore perirent. nam ſi cauſæ particulares non reſiſterent, non maior eſſet ratio cur hæc, quàm illa, perirent. cœlum enim, quantum ad ipſum attinet, eſt uniuerſalis cauſa, perirent ergo omnia. Quod cùm à ueritate abhorreat, ut id etiam unde emanat falſum ſit neceſſe eſt.

Non negamus igitur, cùm cœlum ſit cauſa uniuerſalis iſtorum inferiorum, quin poſſimus ex aſpectu cœli aliquid prædicere, maximè de eis quæ manifeſtè ſequuntur alterationem cœli, quantũ attinet ad cauſam uniuerſalem. ſed ſimpliciter & abſolutè poſſe aliquid prædici, ut faciunt Aſtrologi, hoc eſt quod negamus.

Ad aliam rationem, quæ erat, quatuor qualitates neceſſariò ſequi alterationes cœli, ergo & nos ſequi eaſdem neceſſariò, utpote qui conſtamus ex ipſis qualitatibus. Itaque ſi iraſcimur, ſi ad iurgia uenimus, ſi ad arma, & bella, omnia exiſtere à cœlo: ergo poſſe prædici ex ipſo cœlo. Reſpondemus, quatuor qualitates ſequi neceſſariò alterationes cœli, non omnino, ſed aliqua ex parte: & eodem modo etiam nos ſequi ipſas alterationes cœli, quia cœlum non eſt uirtutis infinitæ, ita ut omnino poſſit cogere omnia, ad quæ eius uis peruenit, ſed aliqua ex parte. Quare non ſequitur, ſi iraſcamur, ſi ad iurgia ueniamus, ſi ad arma & bella, hæc omnia euenire ex ſolo cœli aſpectu: quia fieri poteſt ut præter cauſas extrinſecus exiſtentes, quæ impellũt homines ſæpe ad iram, ad iurgia, ad arma & bella, ſint etiam temperamenta particularia, quibus homines in huiuſmodi commouentur. ac licet cœlum potuerit concurrere ad illud temperamentum, tamen non ſolum ipſum concurrit, ſed adſunt etiam cauſæ particulares. ſi enim hæc ex ſolo aſpectu cœli euenirent, omnes homines ſimul iraſcerentur, omnes ad iurgia & ad bella eodem tempore commouerentur. eſt enim cœlũ cauſa uniuerſalis. ſed cùm hoc apertiſſimè ſenſui repugnet, ut etiam rationi uerè aduerſetur neceſſe eſt. non negamus tamen, quin dari poſſit aliqua cœli conſtitutio, ex qua homines magis iraſci poſſint, & ad iurgia, & ad bella trahi, quàm ex alia. ſed negamus, ex ſolo aſpectu ipſius cœli poſſe ſimpliciter & abſolutè prædici de iſtis: tum quia non pendent ſolum à cœlo, ſed à cauſis etiam particularibus: tum quia maiori ex parte proficiſcuntur à cauſis extrinſecus exiſtentibus, & aduenientibus.

Fatemur item, multas eſſe qui in coniunctione & oppoſitione lunæ magnos patiantur dolores, ſi quam partem corporis uel plaga aliqua uel morbo debilitatam & male affectam habeant. quorum ego etiam unus ſum, qui uentriculi doloribus, luna ita collocata & affecta, ſæpe laboro. Quis enim negat, cœlum afficere & commouere hunc mundum inferiorem? Certè nemo, qui ſit ſanus. ſed negamus hanc conſequentiam: luna eſt in coniunctione & oppoſitione ſolis: ergo iſte & ille ſentiet ingentes dolores. quia multi ſunt, qui his ipſis temporibus nullos ſentiant.

Concedimus etiã, arbores quæ luna creſcente plantantur & inſeruntur, fœlicius

creſcere & augeri: quæ uerò decreſcente, uel non naſci, uel infelicius naſci. imò dicimus, in iſtis rebus obſeruandum omnino eſſe aſpectum cœli: & agricolas qui eum non obſeruant, male rebus ſuis conſulere: ſed negamus poſſe prædici ſimpliciter & abſolutè. Iſta arbor fuit ſata luna creſcente, ergo fœliciter creſcet: quia fieri poteſt, ut ſit ita male affecta, ut non ſolum non fœliciter naſcatur, ſed exſiccetur, ſicuti quotidie euenire conſpicimus. Itaque hoc fixum maneat, cœlum ex ſeipſo non poſſe hoc effectus efficere: & ita facile diſſoluemus quæſtiones omnes, quæ ueritatem in contrariam partem rapere uidentur.

Damus item, utile eſſe, Medicos in medicamentis exhibendis ſeruare cœli aſpectum: negamus tamen hoc eſſe neceſſarium. etſi etiam eſſet neceſſarium, negamus ex tali aſpectu prædici poſſe quid effecturum ſit omnino medicamentum ſimpliciter & abſolutè: ut ex ijs quæ dicta ſunt ſatis patère arbitror.

SECTIO QVINTA.

Erat alia quæſtio, quæ admodum urgere uidebatur, quæ ſic ordinabatur: Si cœlum efficit quatuor qualitates, ut patet: ergo efficit ea quæ ſequuntur ex ipſis. ergo pulchritudinem, deformitatem, magnitudinem & paruitatem efficiat neceſſe eſt: ergo bonam etiam & malam fortunam. hæc enim ſequuntur temperamentum quatuor qualitatum. De pulchritudine, deformitate, magnitudine & paruitate ponebatur tanquam manifeſtum: de bona autem & mala fortuna, nempe ut iſte amplitſſimum honorem conſequeretur, ille ſuſpenderetur, & huiuſmodi, & ut alius nullo ſuo merito maximè locupletaretur ab aliquo principe, alius uerò maximis prædi tus uirtutibus ab eodem negligeretur, & nihil omnino conſequeretur: & ut uir bonus aliquis in maximas incideret calamitates, qui uerò eſſet omnibus uitijs coopertus beatam fœlicemq́ue uitam degeret: hæc quidem quum uideretur dubium quomodo ſequerentur temperamentum quatuor qualitatum, ſic oſtendebatur. Magnes trahit ferrum, ſemperq́ue polum ſpectat, & hoc facit occulta quadam ui temperamenti ſui: ergo fieri poteſt, ut hominum etiam alius ui ſola temperamenti ſui trahat aliquos, qui ſibi maximos honores deferant, & diuitias nullo ſuo merito dent: alius uerò contrà, ut ſe oderint, atq́ue etiam interficiant. & ſic de alijs huiuſmodi. non ergo abhorret à ratione, & temperamentum ſequatur bona et mala fortuna: & cùm ſit à cœlo, ut ex eius aſpectu poſſit cognoſci. quod planè eſt id quod aſſerunt Aſtrologi.

Huic quæſtioni occurrentes dicimus: Cœlum ui ſua non efficere quatuor qualitates, quia ſunt æternæ in ſpecie, neq́ue habuerunt initium ex hac uia: falſa tamen, quantum attinet ad hanc æternitatem. non igitur ui ſua tantum efficit illas cœlum, ſed ipſarummet beneficio, eo modo quo declarauimus in ſuperioribus. Ex quo ſequitur, ut neq́ue ui ſua tantum efficiat ea quæ oriuntur ex ipſis. ergo non efficit neq́ue pulchritudinem, neq́ue deformitatem, neq́ue magnitudinẽ, neq́ue paruitatem: alioquin omnes qui ſub eodem cœli aſpectu naſcerentur, eſſent æquè pulchri, æquè deformes, æquè magni, æquè parui, quod quidem aſſerere, eſt ipſum ſenſum penitus tollere. ſed omnia iſta efficit cœlum interiectis cauſis particularibus, & ſic beneficio ipſarum: quare ex ſolo cœlo non poſſunt cognoſci. ergo multò minus honores & dignitates, & bona aut mala fortuna: propterea quòd falſum eſt, & à ratione alienum, iſta ſequi temperamentum quatuor qualitatum. Quid enim iſtis commune eſt cum ipſo temperamento, etenim temperamentum non eſt cauſa, neq́ue ſignum honorum, neq́ue dignitatum, neq́ue bonæ uel malæ fortunæ: & ſi eſſet, non eſſet ex ſola ui cœli, ſed ex cauſis etiam particularibus. Falſum igitur eſt, quòd ex aſpectu ipſius cœli hæc poſſint cognoſci, ob eas quas in ſuperioribus attulimus cauſas. ſed accidunt hominibus à fortuna, & ab alijs cauſis, quibus quotidie uidemus homines cõmoueri. id quod uidetur declaraſſe Ariſtoteles ijs uerbis, primo Reth. cap. quinto:

1. Rhet. cap. 5. „ Multi enim honorem aſſequuti ſunt, quamuis parua præbuerint, ſed modi & occaſiones fuerunt in cauſa.

Multi item conſequuntur à principibus honores & diuitias, quia ſunt lenones, quia ſunt inſidiatores, quia ſunt cinædi, & alia huiuſmodi generis permulta. rurſus ab ijſdem

ab ijſdem multi qui ſunt uirtutibus prædíti negliguntur atq; reijciuntur. nam quia
turpibus uoluptatibus dediti, nihil curant, nihilq; amant, niſi quod has uoluptates
uel utilitatem afferat. Quare inquit Ariſtoteles: In poteſtatibus non eſt neq; uirtus, 10. Ethi.
neq; mens, à quibus ſunt honeſtæ actiones. Item: Qui autem ſunt in poteſtatibus cap. 9.
conſtituti, diuiſis uti uidentur amicis. alij enim ſunt ipſis utiles, alij iucũdi, ut autem 8. Ethi.
ambo ſint idem, non nimium fit. Neq; enim cum uirtute iucundos quærunt, ne- cap. 4.
que utiles ad honeſta: ſed facetas quidem quærunt uoluptatem appetentes, ha- "
biles autem ut agant ipſum præceptum. atque hæc ambo in eodem non nimium "
fiunt. "

Non ergo eſt conferẽda culpa in ipſum cœlum, ſed ſæpe in prauos homines, qui
prauas uoluptates ſequuntur. poſſunt enim reddi infinitæ aliæ cauſæ horum effe-
ctuum, præter cœlum. ut quod uir bonus aduerſis rebus utatur, malus uerò ſecun-
dis. poteſt enim fortuna eſſe cauſa, poſſunt homines praui, & alia multa, ut quoti-
die uidemus.

Item quod aliquis ſuſpendatur, multæ poſſunt eſſe cauſæ: nẽpe fortuna, uel ipſe-
met, qui contra leges uitam degat, furando uel interficiendo homines, uel huiuſmo
di aliquid perpetrando: & ſic de reliquis.

Ad probationẽ concedimus, de magnete, quę dicta ſunt. at negamus conſequen
tiam: quia experientia comprobatum eſt, ſpeciem humanam non habere huiuſmo-
di temperamentum, quod trahat homines, ſicut habet uniuerſa ſpecies magnetis
ad trahendum ferrum, ut dicemus fuſius in ſequentibus. Quod ſi haberet, tamen
non eſſet ex ſola ui ipſius cœli: ſicut quòd Reubarbari temperamentũ attrahat cho-
leram, non eſt à ſola ui cœli, ſed à cauſa etiam particulari. & ita de alijs huiuſmodi:
Non negamus tamen reperiri quoſdam homines, qui uel ſolo aſpectu ad amorem
ſui alliciant & trahant, alios uerò qui ad alium. hoc enim ſępe uidemus: ſed hoc non
eſt ex ſola ui cœli, ſed potius ex cauſa particulari. etenim ſi ex ſola ui cœli eſſet, om
nes ſub eodem aſpectu naſcerentur eadem facie: quod longè ſecus eſt. Item quòd
alij maximè uigeant ingenio, alij propè nullo ſint, non eſt ex ſola ui cœli, ſed ex cau
ſis etiam particularibus. Quare non ſequitur, ut hoc ex ſolo aſpectu cœli cognoſci
poſſint: ergo neque etiam prædici.

SECTIO SEXTA.

SEquebatur alia quæſtio, quæ quidem erat huiuſmodi: Vnuſquiſq; non eſt à na-
tura, ergo à cœlo. Confirmatur: Virtus moralis & prudentia quæ eſt uirtus in-
tellectiua, ſunt à natura: ergo à cœlo. nihil enim poteſt fieri natura, niſi fiat à cœlo: er
go prudentia & uirtus moralis erunt à cœlo.

Reſpondemus: mores & uirtutes, & prudentiam, bifariam ſecari. etenim ſunt mo
res & uirtutes naturales, eſt prudentia naturalis: ſunt etiam mores qui naſcuntur ex
uirtutibus, quæ uirtutes non ſunt naturales, ſed fiunt in nobis aſſuetudine. eſt item
prudentia quæ fit in nobis experientia, ut diximus etiam in ſuperioribus.

Quare negamus, unumquemq; morem eſſe à natura: quia mos qui oritur ex uir-
tutibus, quas diximus fieri in nobis aſſuetudine, non eſt à natura: nõ ergò ſequitur,
unumquemq; morem eſſe à cœlo. Negamus item, omnem uirtutem eſſe à natura,
& omnem prudentiam.

Ad Ariſtotelem autem, dicimus ipſum loquutum eſſe locis citatis, de moribus
qui natura ſunt, non de eis qui fiunt in nobis ex uirtutibus, quæ propriè ſunt uirtu-
tes: & de uirtutibus naturalibus, qui mores: & quæ uirtutes nihil aliud ſunt q; aptitu
dines & proprietates quædam naturales, quæ naſcuntur pariter cum animalibus,
ſequentes naturam & temperamentum ipſorum animalium, quæ inſunt etiam ani-
malibus brutis. Etenim dicimus leonem eſſe fortem, quia eſt audax, & nihil timet
eorum quæ poſſunt terrorem inferre: uulpem autem uerſutam & doloſam, quia ſæ-
pe ſic agit ut talis eſſe uideatur: & apes eſſe prudentes, & ita de alijs animalibus. In-
tellexit ergo Ariſtoteles de iſtis moribus & uirtutibus, & non de eis quæ propriè 1. Meta.
ſunt uirtutes, quæ ſunt illæ quæ acquiruntur aſſuetudine. ut Ariſtoteles perſpicuè tex. 2.
declarauit, cùm addidit, quæ uerba in ſuperioribus etiam citauimus ob aliam occa- 2. Ethi.
ſionem: Sed aliud tamen eſt quod quærimus, ut quod propriè bonum eſt, & talia cap. 1.
6. Ethi.
cap. 17.

„ alio modo adſint. etenim pueris & beſtijs naturales inſunt habitus, ſed ſine intelle„ ctu & mẽte eſſe noxij apparent.cæterùm tantũ inſpici uidentur,quod quemadmo„ dum in corpore ualido, quod ſine uiſu mouetur, contingit ut uehementer erret, „ propterea quòd uiſu caret.hic quoq; euenit,ſi intellectũ acceperit,in agendo differ „ re:atq; habitus licet ſimilis ſit,propriè tamen tunc uirtus erit. Quare quemadmodũ „ in opinatiua parte duæ ſpecies ſunt, calliditas & prudẽtia:ita in morali duæ quoq; „ ſunt,quarũ altera uirtus naturalis, altera propriè uirtus eſt:atq; harum quæ propriè „ uirtus eſt,non eſt ſine prudentia.

7.Ethic. cap.14. Quod item uiſus eſt confirmare ijs uerbis:Ex intemperantijs,illa quæ melancholici intemperanter agũt,eſt ſanabilior ea quæ eſt in eorum qui conſultant: non per„ manentibus autem, & qui ſunt per conſuetudinem intemperantes ,quàm qui per „ naturam.Facilius enim eſt mutare conſuetudinem, quàm naturam: quoniam pro„ pter hoc conſuetudo eſt difficilis,quia eſt ſimilis naturæ.

Ex quibus perſpicuum eſt,bifariam diuidi uirtutem moralem,in naturalem,& in propriam:& ita uitium. contrariorum enim eadem eſt diſciplina. & Ariſtotelem loco citato loquutum eſſe de uirtute naturali, ſicut oſtendit ipſe cùm paulo pòſt ad-

1.Polit. cap.2. didit: Quare ſceleſtiſſimus & aſperrimus omnium homo eſt ſine uirtute.

Virtus ergo illa,qua paulo antè dixerat naſci hominem armatum, eſt alia ab illa, de qua ait,ſi eſt ſine ipſa ſceleſtiſſimum eſſe hominem.non enim dico,poteſt homo eſſe ſine illa uirtute,quæ unà cum ipſo naſcitur.

Sed contra quiſpiam ſic inſtaret:ſi illa uirtus & prudentia,de qua dixiſti Ariſtotelem loqui,cùm dixit ea hominem naſci armatum, eſt uirtus & prudentia naturalis: ergo inerit etiam alijs animalibus, ut dixit Ariſtoteles locis citatis: ergo non erit homo illa uirtute & prudentia magis ſceleſtus cæteris animalibus,ſiquidem hac etiam prædita ſint ipſa. Videtur ergo conſentaneum non loqui Ariſtoteles ibi de uirtute & prudentia naturali,ſed de uirtute acquiſita aſſuetudine & experientia.

Reſpondeo, nos cogi ita interpretari Ariſtotelem,ut dicamus eum loqui de illa prudentia & uirtute, quæ propriè non eſt uirtus & prudentia:alioquin præter rationem allatam pugnantia loquutus eſſet. non enim propriè uirtus & prudentia inſunt nobis natura. quamuis aũt alia etiam animalia habeant iſtam uirtutem & prudentiam naturalem, tamen homo dicitur propter illas ſceleſtiſſimus omnium animalium:quia cætera animalia non habent ipſas ita perfectè,& cũ illo diſcurſu, cum quo habet homo.quod planè eſt cauſa,ut ſi ſit ſine uirtutibus,quæ propriè ſunt uirtutes,exiſtat omnium animalium ſceleſtiſſimus atq; crudeliſſimus.Quam ſententi-

1.Problem. ſect.30. am uidetur explicaſſe Ariſtoteles in Problem.ſec. 29. probl. 7. ubi cùm quæſiuiſſet, Cur homo qui adeò eruditione præditus eſt, animantium omnium iniuſtiſſimus

in Probl. ſect.29. Problem.7 eſt? Reſpondet: An quia ingenio cogitationeq; plurimum ualet, uoluptates igitur & fœlicitatem rimatur maximè,atq; perpenſat,'quæ niſi cum iniuria nemo per ſequi poteſt.

Quoniam igitur cogitatio illa quam habet homo à natura, eſt perfectior: eò fit, ut ſine uirtute ſit omnium animalium ſceleſtiſſimus & crudeliſſimus.

Sed rurſus inſtaret quiſpiam:Si Ariſtoteles loquutus eſt in illis locis de Moribus qui natura inſunt hominibus,ergo erunt à cœlo:ex cœlo igitur poterunt cognoſci.

Si intelligatur,quod ſint à cœlo tanquam à cauſa uniuerſali, concedo: quia nihil poteſt eſſe à natura,quin ſit etiam à cœlo, tanquam à cauſa uniuerſali. At nego ſequi, ut ſimpliciter & abſolutè cognoſci poſſint ex ſolo ipſius cœli aſpectu. ſi uerò intelligatur quòd ſimpliciter & abſolutè ſint à cœlo', hoc quidem planè nego. etenim perſpicuũ eſt, hos mores magis ſequi temperamentum corporis, quàm aliam cauſam, & ſic argumentum neque noſtram ſententiam labefactat, neque omnino quicquam ualet.

SECTIO SEPTIMA.

AD aliam quæſtionem quæ ſequebatur,concedimus,omnia quæ ſunt, pendere à prima cauſa, tanquam à cauſa uniuerſali & finali: & ſic à cœlo etiam,tanquam à cauſa uniuerſali & finali.

Ad auctoritatem Ariſtotelis dicimus, cœlum & naturam pendere à prima cau- ſa in

ſa in genere cauſæ finalis, & ita nihil omnino contra ſententiam noſtram ſequitur.

Quod uerò addebatur, mentem ſequi temperamentum corporis: hoc eſt quod
negamus. etenim iam oſtenſum eſt mentem non eſſe mixtam cum corpore, ſed ſepa
rari à corpore, eo modo quo diximus: etſi etiã eſſet mixta cum corpore, tamen non
ſequeretur ut penderet à cœlo, niſi tanquam à cauſa uniuerſali. ex quo non efficere
tur, ut ex ſolo aſpectu cœli poſſet aliquid prædici de illa.

Ad uerba Ariſtotelis dicimus, eos qui ſunt molli carne, ideo eſſe aptos mente,
non quia mens ſequatur corporis temperamentum, ſed quia utitur corpore quod ſi
bi repræſentet obiectum. Itaqꝫ ſi corpus erit bene affectum, bene repręſentabit ob-
iectum: & ſic mens facile operabitur: ad quod quidem mollities carnis plurimum fa
cit. Vnde ſequitur, ut ſi uideamus aliquos molles carne, iudicemus eos aptos men-
te: ſed mens, quod attinet ad ipſam, ſemper eſt æquè bene diſpoſita, utpote quæ im
paſſibilis eſt.

Ad confirmationem autem concedimus, omnia quæ hic mouẽtur, moueri in cir 2.de Gene.
cuitum neceſſariò: quia quod mouetur in circuitum, ſemper aliquid mouet. & da- & cor.
mus, omnia iſta inferiora ſequi motum cœli neceſſariò, tanquam cauſam uniuer- tex.69.
ſalem & potiorem: & moueri ex motu cœli, tanquam ex cauſa uniuerſali & potio-
ri. negamus tamen ex hoc ſequi, ut ex ſolo aſpectu cœli ſimpliciter & abſolutè ue-
nire poſſimus in cognitionem omnium iſtorum, quæ ex cœlo, tanquam ex cauſa u-
niuerſali & potiori dependent.

Ad probationem dicimus, ex cognitione cauſæ, quæ ſola uerè efficiat effectum,
nos uenire in cognitionem ipſius effectus. ſed negamus cœlum eſſe huiuſmodi cau
ſam: quia ipſum per ſe non eſt idonea cauſa horum inferiorum. etenim ſol & homo
generant hominem, ut dictum eſt. Verum eſt etiam, tunc nos ſcire unumquodqꝫ,
cùm cauſas eius cognitas habemus. ſed cùm cœlum ſolum cognoſcimus, quod eſt
cauſa uniuerſalis, non omnes iſtorum inferiorũ cauſas cognitas habemus: & ita co-
gnito cœlo, non poſſumus ſcire hæc inferiora. alioquin ſatis fuiſſet in philoſophia
naturali noſſe tantum cauſas uniuerſales, & Ariſtoteles fruſtrà inueſtigaſſet particu
lares cauſas, ſiquidem effectus cognoſci poſſent ex ſolis cauſis uniuerſalibus.

Negamus præterea ſequi ex uerbis Ariſtotelis, omnia quæ ſunt in hoc mundò
inferiori neceſſariò euenire, quamuis neceſſariò moueãtur in circuitum ad motum
cœli. Sed prius oſtendamus à ſcientia Ariſtotelis & à ueritate abhorrere, quòd om
nia neceſſariò eueniant. quare in primis dicimus hanc opinionem ſequi illud abſur-
dum, ex omnibus maximum, quod tolleretur omnis humana actio, omnis admini-
ſtratio, omnis conſultatio, & fruſtrà laboraremus ut humanam philoſophiam diſce
remus: nullum enim adiumentum nobis afferre poſſet uirtutum cognitio, ad bene
beateqꝫ uiuendum, ſiquidem omnes noſtrę actiones à neceſſitate fati proficiſceren
tur. Item, non opus eſſet conſulere utrum agendum eſſet aliquid, necne, ſi res ne-
ceſſariò euenirent. Etenim conſtat, ijs de rebus tantummodo conſultationem habe
re, quæ poſſunt eſſe, uel non eſſe. Rerum uerò neceſsitas requirit, ut res ſolum uno
modo determinatè eueniant: aliter neceſſariò non euenirent, ſed contingenter ac-
ciderent. Quod uerò ſententiam Ariſtotelis opinio hæc labefactet, ac penitus euer
tat, præter multos alios locos Ariſtotelis (quos longũ eſſet recenſere, quamplurimi 1.Periher.
enim ſunt) illud perſpicuè oſtendit, quòd præter nonnulla alia ſcriptum reliquit illu
ſtrem ac peruagatam propoſitionem: In futuris contingentibus non eſſe determi-
natam ueritatem, propterea quòd aliter omnia ex neceſſitate euenirent. quibus il-
lum uerbis neceſſitatem omnino ſuſtuliſſe, liquido apparet. Miſſa etiam facio ea
quæ tradidit de conuerſionibus propoſitionum, de contingenti, & de ſyllogyſmis 1.Priorum
qui ex ſolis contingentibus conficerentur, atqꝫ ex contingentibus, & ex eis quæ de cap.4.
ineſſe & neceſſariò dicuntur: quæ quidem omnia, niſi darentur contingentia, quin
inaniter & ſtultè docuiſſet Ariſtoteles, neminem (modò ſit ſanus) dubitare poſſe ar
bitror. Qui igitur illam opinionem ex ſententia Ariſtotelis & ueritate ipſa tueri
ac defendere conatur, eum maximis ac pernicioſiſsimis erroribus illigatum teneri,
conſpicuum eſſe arbitror.

Concludamus igitur, non omnia neceſſariò euenire: ſed multa ex eis quæ natura
conſtant, contingenter fieri: & nos homines liberè agere, & in noſtra poteſtate eſſe

agere multa, & non agere: maximè eorum quæ pendent à nobis, & ita nos eſſe liberos. Ac licet res iſtæ inferiores in circuitu ſequantur motum, corporum cœleſtium neceſſario, non tamen neceſſario ex illis eueniunt ſimpliciter & abſolutè. etenim ſequuntur eorum motum, ac neceſſariò alterantur ex ipſo tanquam ex cauſa uniuerſali. non tamen omnino coguntur, & neceſſariò proficiſcunt ab illis corporibus ſolis, ſed à cauſis etiam particularibus, ut dictum eſt. Quare diſſolutum nobis uidetur argumentum.

SECTIO OCTAVA.

SEd quamuis ea quæ dicta ſunt uideantur ſatis idonea ad animi noſtri libertatem confirmandam ac ſtabiliendam, tamen quia res eſt maximi momenti, exiſtimauimus non inutile fore, ad huius rei perfectiorem intelligentiam conſequen-
3. Ethi. dam, ſi octauum tertij lib. Ethic. caput explicaremus, & quantum quidem per nos
cap. 8. fieri poſſet illuſtraremus. etenim cum difficillimum eſt, tum uerò ad id quod nunc agitur, aptiſſimum.

3. Ethi. Quare dicamus, quòd quum Ariſtoteles declaraſſet in ſeptimo cap. eiuſdem ter-
cap. 7. tij libri, uoluntatem eſſe ipſius finis: & in ſuperioribus oſtendiſſet, conſultationem
3. Ethic. & electionem eſſe eorum quæ ſunt ad finem, inſtituit in octauo cap. ex his declara-
cap. 8. re uirtutes & uitia eſſe in noſtra poteſtate, & per id quod neceſſariò ſequitur, fieri bonos & malos: ex quo poſtmodū ſequitur, nos in noſtris actionibus eſſe liberos. quod eſt id quod iam propoſueramus. Et hoc mea quidē ſententia ideo fecit, quia potuiſſet aliquis aduerſus ea quæ dicta erant, obijcere, fruſtrà ab eo tractatu fuiſſe de uirtutibus & uitijs, propterea quòd non eſſent in poteſtate noſtra. ac prima quidē ratio uidetur ad formam ſyllogiſticā ſic eſſe redigenda: Finis, & ea quæ ordinantur ad finē, ſunt ex electione & ſpōtaneę actiones. Quæ ſunt circa ea quæ uolumus, et circa conſultabilia & eligibilia, ſunt ipſius finis, & eorū quæ ordinantur ad finem. ergo actiones huiuſmodi ſunt ex electione & ſpontaneæ. non enim uidetur fieri poſſe, ut iſta concluſio ſequatur ex illo antecedente, uidelicet, quum itaque ſit finis quod uolumus, conſultatio uerò & electio eorum quæ ſunt ad finem, niſi redigatur ad formam ſyllogiſticam, eo quo diximus modo. Etenim neceſſe eſt, prædicatum huius concluſionis, quum ſit uniuerſalis & affirmatiua, eſſe prædicatum maioris propoſitionis: & prædicatum minoris eſſe ob eandem cauſam ſubiectum maioris propoſitionis. non enim poteſt concludi, niſi in prima figura. minor enim propoſitio eſt in tex. quæ minor propoſitio perſpicua eſt ex eis quæ dicta ſunt de uoluntate, & de eis quæ ueniunt in conſultationem & electionem. Finem uerò quem uolumus, & ea quæ ſunt ad finem eſſe in poteſtate noſtra, quæ erat maior propoſi-
1. Ethic. tio, oſtendit Ariſtoteles primo Ethic. cap. 1. ijs uerbis: Si igitur quiſpiam rerum agen-
cap. 1. darum finis, quem nos propter ſe ipſum, cætera aūt propter hunc uolumus, & hæc
» non eligimus propter alterum, eſſet enim in infinitum ſemper ambitio, atq; hinc no-
» ſter appetitus inanis, uanusq; reſultaret.

Conſtat hunc talem finem ſummum bonum, ipſumq; optimum eſſe. ſi enim finis humanus non eſſet in poteſtate noſtra, inaniter & uanè illum uellemus & perſequeremur. eſt ergo finis humanus in poteſtate noſtra.

Item quod ea quæ ſunt ad finē, ſint in poteſtate noſtra, manifeſtum eſt. ſunt enim ea quæ ueniunt in conſultationem & electionem.

Sed ſtatim urgeret aliquis, dicens: Hoc quod dictum eſt apertè ipſi Ariſtoteli repugnare: quippe qui dixerat uoluntatem eſſe eorum quæ nullo modo fieri poſſunt, ut immortalitatis: & eorum quoq; quæ à nobis fieri non poſſunt, ut Hyſtrionem aliquem uincere, aut athletam. Alterum igitur duorum euenire neceſſe eſt: uel ut uoluntas non ſit ipſius finis, uel ut finis non ſit in poteſtate noſtra. quorum utrunque eſt ita abſurdum, quàm quod abſurdiſsimum. conuellunt enim ambo Ariſtotelis ſententiam, & omnes actiones humanas.

Huic autem quæſtioni reſponderem (ſaluo ſemper meliori iudicio) finem dupliciter accipi poſſe. uno modo pro fine uero & ſimpliciter, quod quidem nihil aliud eſt quàm bonum uerum & ſimpliciter: altero modo pro fine apparenti, & non uero, quod nihil aliud eſt quàm bonum apparens, & non uerum, & non ſimpliciter, ſed alicui bonum.

Item

Item, uoluntatem bifariam ſecari, ut & propriè & communiori uocabulo accipi-
atur. uoluntatē quidem acceptam communiori uocabulo, dicimus eſſe utriuſq; fi-
nis: propriè uerò eſſe ueri finis. eſt enim uolūtas hominis probi, & ex ratione uolen
tis: quare 1. Reth. dixit Ariſtoteles, Voluntatem eſſe appetitū boni cum ratione: De 1.Reth.
qua etiam uoluntate arbitramur ipſum loquutum eſſe in principio 8. cap. & iſta eſt 8.cap.
quæ non poteſt eſſe inanis & uana, uoluntas uerò cōmuniori uocabulo accepta, ui
detur eſſe eorū quæ fieri non poſſunt, & nō ſunt in poteſtate noſtra. quam quidem
minimè dubitandū eſſe arbitramur, quin liceat ponere inanē & uanam: quandoqui
dem uerba Ariſtotelis hoc apertè ſignificant. & quòd iſta uoluntatis diuiſio ſit ex
ſententia Ariſtotelis, uidetur colligi ex eodem 3. Ethi. lib. cap. 7. ubi ait: Voluntatem 3.Ethi.
aūt finis quidem ipſius eſſe paulo antè diximus. ſed uidetur alijs quidē eſſe ueri bo- cap.7.
ni, alijs appatentis boni. Deinde interiectis quibuſdam addidit: Quod ſi hæc non "
placent, dicendum eſt ſimpliciter quidem, & reuera, uerum bonum eſſe affectabile "
uoluntate, unicuiq; uerò id quod unicuiq; uidetur ſtudioſo. igitur id affectabile uo- "
luntate, quod uerè eſt bonū: uitioſo uerò quicquid contigerit, ſit quod hoc perinde "
atq; in corporibus ipſis. his enim quorum ſunt ægrota, nō hæc ipſa, ſed alia ſimiliter "
& amara & dulcia, & calida atq; grauia, & ſingula ceterorum. ſtudioſus enim homo "
rectè ſingula iudicat. & ſingulis in reb. id ipſi uidetur quod uerè eſt tale: in uno quo- "
que em̄ habitu ſunt propria quædā honeſta atq; iucūda, atq; in ſingulis plurimū for "
taſſe præſtat uir ſtudioſus in dignoſcēdis ijs quæ uerè talia ſunt, propterea quòd eſt "
ut norma quædam atq; menſura ipſorum: multitudo uerò decipi uidetur ob uolu- "
ptatem. ipſa nanq; bonum quidem non eſt, bonum tamen eſſe uidetur. perſequun- "
tur igitur ipſam tanquam bonum, dolorem autem fugiunt tanquam malum. "

Quibus uerbis oſtendit Ariſtoteles bonum uocari duobus modis. & ita finem et
uoluntatem, aliam eſſe uiri boni, aliam praui. quare uidemur rectè ex ſentētia ipſius
Ariſtotelis accepiſſe finem quem dixit uoluntatem affectare pro uero & ſimplici-
ter bono, & dixiſſe uoluntatem illam eſſe ſimpliciter & ueram uoluntatem, quia eſt
uoluntas uiri boni, qui ex uera ratione uidet uerum & bonum finem, qui eſt in pote
ſtate noſtra, de qua uoluntate infrà etiam uerba faciemus.

SECTIO NONA.

HIs ita explicatis pergamus ad reliqua. Actiones quæ ſunt circa ea quæ uolu
mus, & circa ea quæ ueniunt in conſultationem, & circa eligibilia, ſunt ex ele-
ctione & ſpontaneæ. Hæc fuit concluſio ſuperioris ſyllogiſmi, quæ eſt in tex. ſed a-
ctiones quæ ſunt ex uirtutibus, ſunt actiones circa ea quę uolumus, & cōſultamus,
& eligimus, hæc item ponitur in tex. ibi, Actiones ex uirtutibus circa hæc. ergo a-
ctiones quæ ſunt ex uirtutibus, ſunt ex electione, & ſpontaneæ. ſed illa quæ ſunt ex
electione, & ſpōtanea, ſunt in poteſtate noſtra. hæc ipſa per ſe eſt perſpicua: Actio-
nes quæ ſunt ex uirtutibus ſunt ex electione & ſpōtaneæ, ergo ſunt in poteſtate no
ſtra, ergo & uirtutes ipſæ in noſtra ſunt poteſtate: niſi enim uirtutes eſſent in pote-
ſtate noſtra, fieri non poſſet ut actiones quæ ſunt ex uirtutibus, eſſent in poteſtate
noſtra. Hæc concluſio eſt in tex. Deinde ſequitur: Similiter autem & uitia. in qui-
bus enim rebus noſtra poteſtate ſitum eſt agere.

Cùm oſtendiſſet Ariſtoteles, uirtutes eſſe in poteſtate noſtra, & per id quod ne-
ceſſariò ſequitur, in noſtra poteſtate eſſe fieri bonos: In hac parte uidetur declara-
re, uitia ſimiliter eſſe in noſtra poteſtate. idq; propterea quòd erant qui dicerent,
uirtutes eſſe in noſtra poteſtate, uitia autem minimè, ut uiſus eſt ipſe ſignificare ter-
tio Ethic. cap. tertio: Hanc uerò concluſionem (ni fallor) uidetur hoc modo proba- 3.Ethic.
re: In quibus enim in noſtra poteſtate eſt aliquid agere, ſequitur ut in eiſdem ſit in cap.3.
poteſtate noſtra illud non agere. Quod quidē uidetur ſequi: quia poſſibile propriè,
ut ex lib. Periher. & ex lib. priorum colligitur, eſt id quod nō eſt actu, ſed poteſt eſſe
actu, ita tamen ut poſſit etiam non eſſe actu, ſicut nos in Inſtitutione noſtra in pri-
mum Priorum lib. declarauimus. Etenim ſi non poſſet non eſſe, non eſſet paſsibile
ex definitione ipſius poſsibilis, ſed eſſet neceſſarium: & ita quod eſſet poſsibile, nō
eſſet poſsibile. quod quidem nihil aliud omnino eſt, quàm idem dicere, & idem ne-
gare, quod profectò ſtultiſsimum eſt. in quibus ergò eſt in poteſtate noſtra agere,
in eiſdē ut ſit in poteſtate noſtra non agere neceſſe eſt: & è contrariò, in quibus eſt
in poteſtate noſtta non agere, planè ſequitur ut in eiſdem ob eandem rationem ſit

in poteſtate noſtra agere: quia ſi non poſſet eſſe, non eſſet poſſibile non eſſe. quod
quidem eſt id quod nõ eſt. ſed poſito ineſſe, nihil ſequitur quod fieri non poſſit, ſed
neceſſarium non eſſe, quod eſſet impoſſibile eſſe. quę cùm abſurda ſint, ut ſint abſur
da ea ex quibus emanant neceſſe eſt.

» Quare ſi agere bonum quod exiſtit honeſtum, eſt in noſtra poteſtate: cùm dixiſ
ſet Ariſtoteles. Quibus in rebus in noſtra poteſtate eſt agere, in eiſdẽ etiã eſſe in no
ſtra poteſtate non agere, & econtrariò: hic uult, opinor, oſtẽdere turpia, quæ ſunt ui
tia, eſſe quoq; in noſtra poteſtate, quod paulo antè probare inſtituerat. Et uidetur,
meo quidem iudicio, ſic argumentari: Agere bonum quod eſt honeſtum, eſt in no-
ſtra poteſtate: ergo non agere bonum, quod eſt turpe, eſt in noſtra poteſtate.

Probatur conſequentia ex eo quod diximus, Quòd in quibus rebus agere eſt in
noſtra poteſtate, in eiſdem non agere eſt in noſtra poteſtate.

Ad probandum uerò quòd agere turpe ſit in noſtra poteſtate, ſic uidetur argu-
mentari.

Non agere malum, quod eſt honeſtum, eſt in noſtra poteſtate: ergo agere malum
quod eſt turpe, eſt in noſtra poteſtate.

Declaratur conſequentia ex eo quod poſitum eſt: quòd uidelicet in quibus eſt in
poteſtate noſtra nõ agere, ſubaudi aliquid, in ijs eſt in poteſtate noſtra agere, quod
patet ex ratione ipſius poſſibilis dicta in ſuperioribus.

Si ergo in poteſtate noſtra eſt agere honeſta & turpia, & ſimiliter non agere, &
hoc eſt eſſe bonos uel malos, quia qui agunt honeſta, & nõ agunt turpia, ſunt boni:
qui uerò nõ agunt honeſta, & agunt turpia, ſunt mali: in noſtra autem poteſtate eſt
agere honeſta, & non agere turpia: ac rurſus non agere honeſta, & agere turpia: Igi
tur in noſtra poreſtate eſt fieri bonos uel malos.

» Dicere autem ſua ſponte neminem prauum. Hoc in loco propoſitum eſt Ari
ſtoteli, ex eis quæ dicta ſunt oſtẽdere, dictum quorundã partim eſſe falſum, partim
uerum, quod planè huiuſmodi erat: Neminem ſponre eſſe malum, neq; inuitũ bea-
tum. quare inquit: Dicere quòd nonnulli, ſubaudi aſſerunt, neminẽ ſponte eſſe pra-
uum, neq; inuitũ beatum, alterum falſo eſt ſimile: id eſt, alterum eſt falſum: alterum
eſt ſimile uero, id eſt alterum eſt uerum. Verum enim eſt, neminem inuitè eſſe bea-
tum, quia beatitudo eſt operatio, quæ oritur ex operationibus quæ manãt ex uirtu
tibus perfectis, quæ ſunt in noſtra poteſtate, & ſpontaneę. Falſum aũt eſt, neminem
ſponte eſſe prauum: quia declaratum eſt prauitatem ſpontaneam eſſe. ergo uerum
non eſt quòd nemo ſit ex ſe prauus, quia prauus ſponte eſt prauus, alioquin non eſ
ſet prauus: uitia enim ſunt in noſtra poteſtate.

» Vel obſtandum eſt ijs quæ modò dicta ſunt. In hac parte uidètur quęrere an con
tra ea quæ dicta ſunt, poſſit aliquis dubitare, negans hominem eſſe principium acti
onum, & procreatorem illarum, quemadmodum Pater eſt procreator filiorum, ac
» uidetur reſpondere his uerbis: Si autem hæc appareant. Quaſi dicat non poſſe ad-
uerſus ea quæ dicta ſunt, quenquam negare hominẽ eſſe principium actionum, &
ipſarum procreatorẽ, quia manifeſtò hoc apparet. idq; uidetur probare ſic: Illa quo-
rum principiũ eſt in nobis, ſunt in poteſtate noſtra, & ſpontanea: ſed actionum hu-
manarum principium eſt in nobis: ergo hæc ſunt in poteſtate noſtra, & ſpontaneæ.
Probatur minor: quia principium actionum humanarum nõ poteſt referri ad aliud
principium, quàm ad illud quod eſt in nobis: ergo ipſarum principium eſt in nobis;
non enim ſunt ſine principio. Antecedens eſt ex ſe manifeſtũ: quandoquidem ap
paret à nobis proficiſci actiones noſtras, nec fieri poſſe ut aliud ſit earũ principium
quàm noſmetipſos. ſenſus enim hoc oſtendit. Quæ cùm ita ſint, planè efficitur, ut
non poſſit quiſquam aduerſus ea quæ dicta ſunt obijcere, hominem non eſſe prin-
cipium actionum, & procreatorem, ut eſt Pater filiorum.

» Hæc ita eſſe teſtes ſunt, & priuatim. Probat Ariſtoteles, nos eſſe principiũ & pro-
creatores noſtrarum actionum, ex eis quæ fiunt à ſingulis priuatim, & ſtatuuntur à
» legumlatoribus, quos omnino decipi graue eſt affirmare, & inquit: Videtur autem
» hoc teſtificari, uidelicet quòd homines ſint principium actionum, & priuatim ſin-
» guli homines, & ipſi legumlatores.

» Sic aũt uidetur argumentari: Singuli homines priuatim & legumlatores, eos qui
praua

praua efficiunt,qui non agunt ui,neq; per ignorationem,cuius ipſi non ſunt cauſa, "
caſtigant ac puniunt. Dicit qui non agunt ui,&c. quia non puniuntur ij qui agunt "
per uim,uel per ignorationem,cuius ipſi non ſunt cauſa. agunt enim inuiti, & nihil
conferunt ad illam actionem,quantum attinet ad ipſos,ſi quidem non fuit in pote-
ſtate ipſorum non ignorare: eos uerò qui honeſta agunt, honoribus proſequuntur
& hoc faciunt,ut hos adhortentur ad honeſta agenda,illos uerò deterreant à con-
trarijs: ergo putant homines eſſe principium honeſtarum actionum,& turpiũ. quia
niſi ita putarent, non adhortarentur aliquos ad huiuſmodi actiones exercendas.
Probatur conſequentia,quia nemo adhortatur quempiam ad illa agenda,quæ non
ſunt in poteſtate ſua,& quæ ſua ſponte facere non poteſt. Fruſtra enim & ſine cau-
ſa,ac ſtolidè hoc fieret: quemadmodum non opus eſt hortari quenquam, ne caleat
uel frigeat,uel eſuriat,uel aliquid eiuſmodi hortatio, ſiquidem nihilominus patie-
turis calorem & frigus & famem.

Præterea ſi homines nõ eſſent principium actionum ſuarum,non modò tolleren
tur adhortationes & huiuſmodi,uerùm etiam præmia & pœnæ. etenim non decet
honore quenq; afficere,aut pœna,ob eas actiones quarum ipſe non fuerit princi-
pium & auctor. & ſic nulla reperiretur cauſa, quare magis hi quàm illi honoribus
aut pœnis affici deberent.

Cùm igitur & ſinguli priuatim,& legum latores alios honoribus afficiant, alios
pœnis: rationi conſentaneum eſt eos opinari,quod unuſquiſq; ſit principiũ & cauſa
ſuarum actianum. Quod ſi detur,ueriſimile eſt ita eſſe, quia ueriſimile non eſt om-
nes homines decipi,& fruſtra hos labores ſuſcipere. natura enim nõ ſolet pati,ut ho
mines decipiantur. Ratio tamen hæc probabilis eſt,& non neceſſaria,quia commu
nis hominum loquendi conſuetudo hanc rem comprobat.

Etenim pro ignoratione etiam ipſa pœnas inſtituunt. Quia dixerat Ariſtote- "
les ſingulos priuatim & legum latores punire eos qui turpia agunt non ui coacti,
uel per ignorationem,cuius ipſi non fuerint auctores & cauſa. Hic uult declarare,
legum latores pœna eos afficere qui mali quippiã patrant per uim,& per ignoratio
nem,cuius ipſi fuerint cauſa. & hoc facere uidetur,ne quis errore caperetur, putans
ſimpliciter illud eſſe dictum. affert aũt exemplum hominis ebrij,cui duplicem ait in
ſtitutam fuiſſe pœnam: alteram propter delictum quod quis ebrius cõmittit, alterã
propter ipſam ebrietatem. atq; huius quidem duplicis pœnę ferunt Pithacũ extitiſ-
ſe auctorem,propterea quòd principium delinquendi ſit in ipſo ebrio.

Et hæc eſt in Tex. quã ſic probat Ariſtoteles: Ignoratio fuit cauſa delinquendi:
hæc perſpicua eſt: ebrius fuit cauſa ignorationis,ergo fuit ipſemet cauſa delinquen-
di. Probatur minor: etenim ebrietas fuit cauſa ignorationis. hanc ponit in Tex. ebri
us fuit cauſa ebrietatis: ergo fuit cauſa ignorationis. Declaratur minor: Ille qui po-
teſt euitare aliquid,& non euitat, eſt cauſa illius: ebrius poteſt euitare ebrietatem,&
nõ euitat: hãc ponit in tex. ergo ebrius eſt cauſa ſuę ebrietatis. eſt igit̃ cauſa delinquẽ
di. Itaq; afficiẽdus eſt ille duplici pœna: qa qui eſt cauſa alicuius delicti eſt puniẽdus.

Illud aũt animaduertendum eſt, Ariſtoteles noluiſſe dicere ebrios agere per igno-
rationẽ,ſed ignoranter,ſicut agunt irati: alioquin euerterentur ea quæ dixit in tertio
eiuſdem lib. cap. tertio. quo in loco ad hunc modum ſcriptum reliquit: Etenim hæc 3.Ethic:
ipſa,ob ignorationem agere,& ignorantes agere diuerſa eſſe uidentur: nam ebrius cap.3.
aut iratus nõ uidetur ob ignorationem agere,ſed ob aliquid eorum quæ dicta ſunt, "
non ſciens, ſed ignorans: omnis igitur prauus ignorat quæ agere oportet, & à qui- "
bus eſt abſtinẽdũ: & ꝓpter huiuſmodi errorẽ iniuſti homines atq; omnino mali fiũt: "
Neceſſe ergo eſt ut intelligamus, ebrios agere ignorãtes, & nõ ꝓpter ignorationẽ.

Puniunt etiã eos, qui aliquid eorũ quæ legibus continentur ignorant, quæ quidẽ "
ſcire oportet, & nõ ſunt difficilia cognitu. Pergit Ariſtoteles declarare, legũlatores
nõ ſolũ punire ebrios, qui ignorãtes delinquũt, uerumetiã eos qui delinquũt igno-
rantes aliquid eorũ quæ continẽtur legib. quæ oportet ſcire, & facile cognoſci poſ-
ſunt. ſimiliter aũt puniunt in alijs quæcũq; per negligentiã homines ignorare uiden
tur, ut ſunt ea quæ attinent ad mores: & hoc faciunt, quia in ipſis non erat ignorare;
Probat̃: etenim ſunt cauſa ſuæ negligẽtię: ergo ſunt cauſa ignoratiõis, quæ naſcitur
ex negligentia, quod autem ſint cauſa negligentiæ, perſpicuum eſt: quia erant do-
mini adhibendæ diligentiæ: id eſt, erat in eorum poteſtate diligentiam adhibere.

Etenim qui poteſt diligentiam adhibere,& non adhibet,eſt cauſa negligentiæ: ipſi poterant diligentiam adhibere,& non adhibuerunt. hanc ponit in tex. ergo ſunt cauſa negligentiæ.Ex negligentia autem naſcitur ignoratio, quæ eſt cauſa delicti: iuſtè igitur puniunt legumlatores eos,qui agunt mala ignorantes,& per ipſam ignorationem,cuius ipſi fuerunt cauſa:quod quidem argumento eſt,illos opinari homines eſſe principium ſuarum actionum. alioquin non punirent eos qui delinquunt ignorantes,& per ignorationem:iniuſtè enim & prauè agerent.

» Sed fortaſſe talis eſt,ut non poſſit diligentiam adhibere. Quia dixerat eſſe in poteſtate hominum diligentiam adhibere, hac in parte tacitè occurrit nonnullorum cogitationi,qui potuiſſent dicere talem eſſe quempiam,ut ſi uelit etiam, non poſſit eſſe diligens:& ſic negare ipſos eſſe dominos adhibendæ diligentiæ, id quod uita communis ſatis oſtendit.uidemus enim multos,qui totis uiribus,toto(ut aiunt)pectore enitantur ut quibuſdam rebus curam & diligentiam adhibeant, nec tamen adhibere poſſint,neſcio quare quodammodo impediti.

» At tales fierent.reſpondet Ariſtoteles,id concedens:ſed negans illud repugnare ijs quæ dixit,propterea quòd ipſi etiam fuerunt cauſa ut non poſſint hanc diligentiam adhibere,diſſolutè ac remiſſè uiuentes:& ſunt cauſa ut ſint iniuſti,praua & iniqua perpetrantes,& ut ſint intemperantes dum in compotationibus & alijs huiuſmodi libidinibus,ætatem degant.cùm ergo ipſi ſint horum cauſa, planè efficitur ut ſint cauſa ignorationis,ergo delicti:iure igitur optimo puniuntur, Nihil ergo facit contra illud quod dictum eſt,eos eſſe adhibendæ diligentiæ dominos.

Quod autem ſint homines cauſa & iniuſticiæ & intemperantiæ, eo quo dictum eſt modo uitam degentes,declarat Ariſtoteles inquiens: Actiones quæ ſunt circa ſingula,unumquenq; talem efficere quales ipſæ ſunt: ſi ſunt circa iniuſtitiam, iniuſtum:ſi circa intemperantiam,intemperantem:& ita de reliquis.quod quidem perſpicuũ eſſe dicit ex eis quæ cuiuis certamini uel actioni operam nauant.eos enim id exercere,cui ſtudent:talesq; omnino fieri,quales ſunt actiones.idq; tam perſpicuũ eſſe affirmat,ut qui ignoret ex actionibus quæ fiunt circa res habitus ipſos exiſtere, eum dicat hominem eſſe ſtupidum,atq; omnino ſenſus expertem.

» Præterea ſine ratione eſt. Pergit Ariſtoteles oſtendere,eos qui iniuſtè,qui intemperanter agunt,eſſe cauſam ſuæ iniuſtiniæ & intemperantiæ: dicens à ratione prorſus abhorrere,eum qui iniuria alios afficiat,& iniuſtè agat,nolle eſſe iniuſtum & intemperanrer agentem,nolle eſſe intemperantem : quandoquidem tales ſint habitus,quales ſunt actiones.

Si quis autem non ignorans agit ea ex quibus erit iniuſtus,cùm dixiſſet Ariſtoteles habitus uirtutum & uitiorum fieri ex actionibus quæ ſunt in noſtra poteſtate, potuit quærere aliquis,nunquid ex iniuſto ſponte,poſſit quiſpiam cùm uelit fieri iuſtus. Hoc enim rationi conſentaneum uideri,ut cuius in poteſtate ſit fieri iniuſtum, cùm uult,idem poſſit etiam fieri iuſtus cum uelit.

Huic quæſtioni uidetur reſpondere Ariſtoteles dicens : Si aliquis non ignorans agat aliquid eorum ex quibus iniuſti efficimur,is ſponte & uoluntariè erit iniuſtus: quia ſi noluiſſet,nõ factus fuiſſet iniuſtus:erat enim in poteſtate ipſius,nõ agere ea, ex quibus factus fuit iniuſtus. Cùm ergo illa agere uoluerit,planè ſequitur ut ſponte & uoluntariè factus fuerit iniuſtus. Non tamen inquit:ſi uult,cum fuerit iniuſtus,deſiſtet ab illa iniuſticia,& fiet iuſtus.& declarat hoc exemplo ægrotantis: quia neq; ægrotus,ſi uoluerit,poterit eſſe ſanus:etſi is quidem intemperanter uiuens, & medicorum præceptis non obtemperans,ſponte in morbum inciderit.prius enim licebat ipſi non ægrotare:ſed poſtq̃ ſanitatem amiſit,non licet iam illi non ægrotare.

Deinde altero clariori exemplo eandem concluſionem oſtendit, aitq;, quòd ex iniuſto ſponte non poteſt quis fieri iuſtus: quemadmodum neq; qui lapidem proiecit, retrahere eum amplius poteſt,ac reſumere,quamuis antequam ipſum proieciſſet eſſet in poteſtate eius non emittere ac proijcere. Etenim principium, ſupple proijciendi lapidem,erat in ipſo. Quemadmodum ergo accidit ægrotanti ſponte, & ei qui lapidem ſponte proiecit,ut non poſsit iam,neq; ille ſanitatem recuperare, neq; hic lapidem reſumere : ſic & iniuſto & intemperanti à principio licebat non eſſe eiuſmodi: Quare ſponte eiuſmodi ſunt:ſed poſteaquam facti ſunt tales,non iam licet eis non eſſe tales.

SECTIO

SECTIO DECIMA.

NOn ſolum autem animi uitia. Poſtquàm probauit Ariſtoteles exemplo ſponte ægrotantis, eum qui ſponte factus ſit iniuſtus, non poſſe fieri iuſtum, occurrit nunc tacitæ dubitationi, quæ quidem meo iudicio potuiſſet eſſe huiuſmodi: Mirum uideri, per exemplum ægrotantis declaratam fuiſſe cõcluſionem propoſitam, quandoquidem uitia corporis non uideantur eſſe in noſtra poteſtate, ſicut ſunt animi uitia. Huic ergo tacitæ dubitationi reſpondens ait, non ſolum animi uitia ſponte fieri, uerumetiam in quibuſdam corporis uitia ſponte identidem comparari. quod ſic probat ex communi modo loquendi ipſorum hominum: Ea ob quæ increpamur, ſunt in noſtra poteſtate, & ſponte in nobis fiunt: aliqua uitia corporis ſunt huiuſmodi, ut ob ipſa increpemur: ergo ſunt in poteſtate noſtra.

Minorẽ ponit in Tex. quæ planè ex ſeipſa perſpicua eſt. Probat maiorem ex oppoſito prædicati, dicens: etenim ſi non eſſent in noſtra poteſtate, ob ea non increparemur: cùm perſpicuum ſit neminem increpari ob ea corporis uitia & turpitudines quæ ex ipſa natura ſunt in nonnullis hominibus. rurſus autem increpari eos, in quibus inſunt aliqua corporis uitia & turpitudines ex ignauia & ipſorum negligentia profectæ. ſimiliterq; fit, inquit, circa imbecillitatem, uel turpitudinem, uel membri alicuius mutilationem: nemo enim obijciet cuiq; cæcitatem à natura profectam, uel ex morbo, uel ex plaga, aut uulnere, ſed potius eius miſerebitur. Quod ſi quis ebrietate, uel aliqua alia intemperantia oculis priuaretur, ab omnibus obiurgaretur atq; increparetur. eſt ergo uerum, non ſolum animi uitia eſſe in poteſtate noſtra, ſed etiam quædam corporis, alioquin ob ea non reprehenderemur: ſine ratione enim id fieret, & iniquè.

Ex uitijs igitur corporis. Concludit ergo Ariſtoteles ex uitijs corporis uituperari ea quæ ſunt in poteſtate noſtra: quæ uerò non ſunt, hæc non uituperari.

Sed cùm hæc ita ſint. Ex dictis infert, ſi hæc ita ſint, idem dicendum eſſe de alijs uitijs: quod uidelicet uitia illa ob quæ increpamur, ſunt in poteſtate noſtra: & cùm præter uitia corporis, ſint etiam animi uitia, quibus reprehendimur: ſequitur ut animi quoq; uitia ſint in poteſtate noſtra. & hæc uidetur quaſi alia ratio, quæ probat animi uitia eſſe in poteſtate noſtra, ex eo ſumpta, quòd ob ipſa increpamur, ſicut ob uitia corporis: quæ, ut oſtenſum eſt, ſunt in poteſtate noſtra. ac licet Ariſtoteles prius alijs rationibus eandem concluſionem probaſſet, tamen hic etiam confirmauit ex eis quæ dixerat, ut tacitis quibuſdam hominũ cogitationibus reſponderet. Neq; uerò utitur circulo, quia dixerit non ſolũ uitia animi eſſe in poteſtate noſtra, uerumetiam corporis: quaſi ex eo quòd uitia animi ſint in poteſtate noſtra, probauerit, uitia corporis eſſe in poteſtate noſtra: quia hoc non fecit: ſed oſtendit uitia corporis eſſe in poteſtate noſtra: propterea quòd ob ea increpamur. ſumpſit tamen, uitia animi eſſe in poteſtate noſtra: quia hoc iam erat probatum. Poſtremò oſtendit, etiam uitia animi eſſe in poteſtate noſtra, ex eo, quòd iam erat declaratum de uitijs corporis, & ita alia ratione.

Si autem aliquis diceret. Cùm oſtendiſſet uirtutes & uitia eſſe in noſtra poteſtate, noſq; eſſe dominos ignorationis & negligentiæ, & ita actionum prauarum: In hac parte proponit dubitationem aduerſus ea quæ dicta ſunt, eamq; refellit. inquit ergò: Aliquis dicere poſſet aduerſus ea quæ dicta ſunt, nos non eſſe cauſam ignorationis, neq; negligentiæ, neq; actionum prauarum: huiuſq; rei, hanc uidetur rationem afferre: Quod eſt cauſa ut quid appareat bonum hominibus, eſt etiam cauſa ut appetant illud quod apparet eis bonum. hæc perſpicua eſt: ſed natura eſt cauſa ut aliquid appareat bonum hominibus, non ipſi homines. hanc ponit in tex. cùm ait: Apparentiæ autem non ſunt domini, ſupple homines: ſed qualis unuſquiſq; eſt à natura, talis finis apparet ipſi: eſt ergo à natura, nõ àb hominibus, quod finis cuiq; talis appareat. ergo natura eſt cauſa, ut homines illud quod apparet ipſis, bonum appetant: ergo eſt cauſa, ut id agant: agunt enim boni apparentis cauſa: ergo homines non ſunt cauſa ignorationis, neq; negligentiæ, neq; actionum prauarum: & ita euenit quod dictum eſt.

Si autem unuſquiſq; Queſtioni propoſitæ uidetur reſpondere ad hunc modum: Si unuſquiſq; ſit aliquo modo cauſa ſui habitus, ſequitur ipſummet futurum aliquo modo cauſam ipſius apparentiæ. ſed, ſupple aliquis eſt cauſa ſui habitus: ergo erit cauſa apparentiæ. & ita uidetur negare: homines non eſſe cauſam apparentiæ. Antecedens perſpicuum eſt ex iis quæ dicta ſunt, & dicentur.

SECTIO VNDECIMA.

Sin uerò nemo eſt ſibi mala agendi cauſa. Hic uidetur mihi Ariſtoteles reflectere argumentum, ad conuellendam eorum ſententiam, qui aſſerebant uirtutes eſſe in poteſtate noſtra, uitia non eſſe. & inquit: ſi illi qui attulerunt argumentum propoſitũ, nolint concedere homines eſſe aliquo modo ſibi cauſam habituum, ex quibus prauè agunt, unde ſequitur ipſos non eſſe auctores apparentiæ: Futurum eſt, ut argumentum quod contra nos attulerunt, aduerſus ipſos reflectatur, & euellat ipſorum ſententiam, quæ eſt, uirtutes eſſe in poteſtate noſtra, uitia uerò minimè. Ait igitur: ſi uerò nemo eſt ſibi mala agendi cauſa: quod quidem nihil aliud uidetur eſſe, quàm ſi diceret, ſi nemo eſt ſibi cauſa habitus, & per id quod neceſſariò ſequitur, apparentiæ: ſed hæc mala agit ob ignorationem ipſius finis, & ueri boni, putans ſe per ea quæ non cognoſcit eſſe mala, ſummum bonum eſſe conſequuturum, & ita putat illa eſſe bona: appetitioq; finis non eſt in noſtra poteſtate: ſed ita unũquemq; natum eſſe oportet, ut habeat quaſi uiſum, quo rectè poſſit diſcernere, & id appetere quod uerè eſt bonum: ſicq; is eſt bono ingenio præditus, cui id ipſum bene ſe habeat natura. id enim quod maximum eſt, atq; pulcherrimum, & quod fieri non poteſt ut ab alio quis accipiat & diſcat, quale eſt natura, tale habebit. atq; ita quidem bene & rectè natura eſſe affectum, ipſa erit perfecta ueraq; naturæ habilitas, & ingenium bonum. & uſq; ad hunc locum ſuſpenditur oratio. Si igitur hæc uera ſunt, inquit, cur magis uirtus ſponte noſtra quàm uitium acquiretur? quaſi dicat, ex eis quę dicta ſunt ſequitur, non magis uirtutem ſponte noſtra comparari, quàm uitium: quod eſt contra illos, quippe qui aſſerunt uirtutes ſponte noſtra comparari, non autem uitia.

Probatur conſequentia: quia ſicut accidit illi qui prauè agit, ut finis ipſi natura appareat, & propter huiuſmodi apparentiam prauè agat: ita etiam accidit uiro probo ut rectè agat, quia finis ei natura appareat. & ſic non erit in poteſtate noſtra bene agere, ſed erit à natura. ſimilitudo eſt perſpicua: quandoquidẽ appetitio finis ex eis quæ ipſi concedunt, non ſit in poteſtate noſtra: ſed nos oporteat naſci ueluti habentes oculum, quo rectè diſcernamus, & rectè eligamus uerum bonum: non eſt ergo in poteſtate noſtra ut eligamus bonum, non igitur ſponte agimus bona: ergo ita eſt de uirtutibus, ſicut de uitijs. Quare argumentum illorum non minus labefactat atq; conuellit ipſorum ſententiam, quàm noſtram. Nihil igitur prohibere uidetur, quin uerum ſit, nos habituum qui ſunt in nobis eſſe aliquo modo principia & cauſas. Et ita uerè diſſolutum mihi uidetur argumentum in cõtrariam partem allatum: non negamus tamen, quin natura aliquid faciat. Etenim natura præbet habilitatem illam ingenij, & aptitudinem, qua diſcernere facilius poſſumus quid rectè, quidúe prauè agatur: tamen tanta eſt uis actionum & habituum, ut poſſimus ipſi naturæ quaſi tenebras offundere, ſicut re ipſa apparet.

Vel quouis modo. Quia dixerat finem apparere natura ſimiliter bono atq; malo, potuiſſet aliquis quærere quid futurum eſſet, ſi appareret alio modo quàm natura? Reſpondet: quomodocunq; appareat finis, uel ſtatuatur, nihil referre, quantũ pertinet ad hoc, ut uirtutes & uitia ſint in poteſtate noſtra: quia cætera quæ ſunt ad finem, agunt quocunq; modo, ſupple uoluerint, ea ipſa referentes ad illum. Et hoc ita declarat, ſiue finis non natura unicuiq; apparet qualis ſit, ſed aliquid etiam apud ipſum eſt cui apparet: id eſt, ſiue ille cui finis apparet, facit aliquid ad ipſam apparentiam. ſiue naturalis quidem finis eſt, id eſt apparet nobis natura: quia tamen reliqua ſupple quæ ſunt ad finem, uir probus agit ſponte: ſequitur, uirtutem eſſe ſpontaneam, ſimiliter & ipſa uitia. Quomodocunq; igitur dicant iſti de fine, ſemper ſequitur eadem concluſio, ut uidelicet ſint uirtutes in poteſtate noſtra, ſimiliter & uitia.

Proba-

Probatur conſequentia: quia per ſe in actionibus, & in fine, ineſt ipſi malo, ſicut probo. non enim eſt maior ratio unius quàm alterius: quia ſatis eſt quod ea quæ ſunt ad finem, ſint in poteſtate noſtra. Quocunq; igitur modo dicatur de fine, ſemper ſequitur idem. quare argumentum ipſorum minime labefactat ſententiam noſtram, ſed facit contra ipſorum opinionem. ſequitur enim ex eo uirtutem non eſſe in poteſtate noſtra, contra quam aſſerunt ipſi. deinde etiam ſi id eſſet, nihil prohiberet uitia quoq; eſſe in poteſtate noſtra: id quod nos inſtituimus probare.

Si igitur, ut dicitur, ſpontaneæ ſunt uirtutes. Colligit deniq; ex dictis, uitia eſſe in poteſtate noſtra, & oſtendit ad hunc modum: Virtutes, ut dicitur, ſunt in poteſtate noſtra: ergo & uitia.

Probat conſequentiam: quia eodem modo ſe habent uirtutes & uitia. non enim eſt maior illarum, quàm horum ratio, ut dictum eſt. aut demonſtrat ſic: Quod eſt adiuuans cauſa aliquomodo habituum, eſt aliquo modo adiuuans cauſa uirtutum: uirtutes enim ſunt habitus. ſed nos ſumus adiuuans cauſa aliquo modo habituum, ut declaratum eſt: ergo ſumus aliquomodo adiuuans cauſa uirtutum. Et ex eo quòd ſumus adiuuans cauſa habituum, ſequitur etiam ut proponamus nobis talem finem: quia tales nos ſumus, ſubaudi ex illis habitibus. Atq; quidem hæc indicant, fuiſſe ueram argumentationis propoſitæ diſſolutionem, eam quam ſupra attigit his uerbis: Si igitur unuſquiſq; eſt aliquomodo ſibijpſi cauſa habitus, & ipſius apparentiæ, erit aliquomodo cauſa, quia uidelicet ponimus talem finem, quales ipſi ſumus. ſumus autem tales ex habitibus, qui habitus fiunt ex actionibus, quarũ nos auctores ſumus, & cauſa. tales igitur erimus, quales erunt actiones noſtræ, & talis erit apparentiæ finis.

Dixiſſe autem uidetur, homines eſſe quodammodo cauſam adiuuantem habituum: quia non negat omnino, naturam non concurrere ad ipſos habitus generandos. Etenim aptitudinem illam, quam ex natura conſequimur, non parui eſſe ad id momenti, in dubium nemini ſano uenire poteſt. hoc enim ſenſus ipſe & experientia planè oſtendunt.

Communiter igitur dictum eſt de uirtutibus. Cùm in ſuperioribus Ariſtoteles uerba fecerit de uirtutibus generali quadam comprehenſione, & declarauerit quomodo fiant in nobis, & quomodo ſint in poteſtate noſtra: & cùm propoſitum ei ſit ſigillatim iam & ſeparatim agere de ipſis uirtutibus, antequam id aggrediatur, epilogo colligit & repetit ea quæ dicta ſunt, ut coniungat dicenda cum dictis, quippe cùm ſit aliquantulum à propoſito digreſſus. & inquit: Communiter igitur de uirtutibus à nobis dictum eſt. declaratq; quomodo communiter: quia ſcilicet dictum eſt earum genus figura quadam: dictum eſt enim, eſſe mediocritates & habitus. præterea ex quibus fiant, nempè ex ipſis actionibus. & ipſas porrò per ſe actiuas eſſe earum actionum ex quibus exiſtunt, eaſdemq; eſſe in poteſtate noſtra, & eſſe ſpontaneas: atq; ita quemadmodum recta ratio iubet, ac præſcribit.

Verùm non ſimiliter noſtra ſponte actiones atq; habitus fiunt, Quia dixerat actiones & uirtutes eſſe in poteſtare noſtra, potuiſſet aliquis in eam opinionem uenire, ut exiſtimaret eodem modo actiones & habitus eſſe in noſtra poteſtate: qui quidẽ eſſet maximus error. Hũc igitur ut remoueat, inquit: Non ſimiliter actiones eſſe ſpontaneas, & in noſtra poteſtate, atq; habitus: quoniam actionum à principio uſq; ad finem domini ſumus, ſingula quæq; ipſarum cognoſcentes: habituum uerò à principio ſumus domini. poſtquàm uerò facti ſunt, non eodem modo ſunt in noſtra poteſtate: quia ſingulorum additio non eſt nota. etenim ſenſim ac latenter fiunt in nobis. quemadmodum accidit in morbis, qui à principio (ut dictum eſt) erant in poteſtate noſtra, paulatim deinde ac ſenſim aucti non ſunt amplius in noſtra poteſtate, neq; eos licet depellere, & priſtinam ſanitatem recuperare. ſed dicuntur habitus eſſe in poteſtate noſtra, & ſpontanei: propterea quòd à principio erat in poteſtate noſtra uti ſic, uel non uti ipſis actionibus, ex quibus emanant habitus. Atq; his quidem uerbis admonemur ab Ariſtotele, cauendum eſſe à prauis actionibus, ne in prauos habitus imprudẽtes incidamus. Quę ſanè mirũ in modũ cõſentire uidentur cũ eis, quę dixit in primo & ter. ca. ſecundi Ethic, & in undecimo cap. decimi lib. huius

2. Ethic. ca. 1. & 3.
10. Eth. capite 11.

huius enim rei, utpote ad bene beateq; uiuendum maximè neceſſariæ, crebris nos ſignificationibus admonuit Ariſtoteles. Erit ergo ex fundamentis naturæ uera hæc opinio quòd uidelicet homines in actionibus ſuis ſunt liberi, ita ut neq; à cœlo, neq; ab alia cauſa, præterquam à principio, quod eſt in ipſis, ad bene aut male agendum impellantur: id quod nobis propoſitum erat oſtendere. etenim ſi uera ſunt ea quæ dixit Ariſtoteles in hoc capite quod interpretati ſumus, neceſſariò ſequitur, ut neq; à cœlo, neq; ab aliqua alia cauſa cogantur homines, præterquam à ſemetipſis: quippe qui ſint actionum ſuarum domini.

Quare bonis actionibus merito conſtituta debet eſſe laus & præmium, malis autem uituperatio ac pœna: quod quidem cùm ſingulos homines priuatim, tum uerò legumlatores ubiq; ſeruare conſtat.

FINIS LIBRI VIGESIMIQVARTI
Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER VIGESIMVSQVINTVS.

SECTIO PRIMA.

SEd cùm intelligere nos eſſe actionum noſtrarum dominos, non ſit perfectam & abſolutam libertatis noſtræ cognitionem habere, niſi ſciamus etiam qua in parte animi noſtri ſita ſit iſta libertas: operepræcium eſt ut hanc rem explicemus. de qua quidem etſi difficile eſt ſtatuere quid ſentiendum ſit, propter uarias doctiſſimorum ac ſapientiſſimorum philoſophorum opiniones & ſententias: tamen rem aggredi non dubitabimus, & quantũ quidem erit in nobis conabimur ſic ipſam explicare, ut omnis dubitationis tanq; nebula diſcuſſa, perfectam & abſolutam de libertate noſtra ſententiam tenere poſſimus. In primis autem lectores admonitos uelim, nobis propoſitum eſſe hoc loco ea tantum dicere, quæ conſentiant Ariſtoteli ex naturali ratione loquenti, etſi falſa etiam diceremus. ſatis enim futurũ eſt nobis in præſentia, ſi eas concluſiones poſuerimus, quæ ex fundamentis naturalibus neceſſariò ſequantur, uel eis certè non repugnẽt: ſalua tamen ſemper & incolumi ueritate Chriſtiana, pro qua tuenda ac defendenda erimus ſemper parati non ſolum rationem naturalẽ (ut facimus) negligere, uerum etiam uitam ipſam, ſi res ita ferret, libentiſſimè profundere. Sic igitur nunc agere nos oportet, quia tota nobis diſputatio inſtituta eſt cum his hominibus, qui profitentur ſe loqui ex eis fundamentis, quæ oriuntur ex ſenſu: quæ ſæpenumero à ueritate abhorrere, in ſuperioribus ſatis ſuperq; oſtendiſſe nos arbitramur. Aliter enim diſputatro noſtra inanis & ridicula eſſet futura. ſiquidem cum ijs qui non ſunt Geometræ, non eſt de Geometria diſputandum. Sed ut facilius intelligentia conſequi poſſimus, in qua parte animi ſita ſit ipſa libertas, non incommodè facturi eſſe uidemur, ſi in primis de animi noſtri poteſtatibus uerba faciemus. etenim his cognitis, non erit admodum difficile id intelligere, quod inprimis explicandum ſuſcepimus.

3. de Gene. animal. 27. 1. Ethic. ca. 9. & 18. et 7. Polit.

Poteſtates igitur animæ ſunt, nutritiua, uegetatiua, ſenſitiua, & ea quæ habet rationem. In plantis ineſt uegetatiuum & nutritiuum: in animalibus uegetatiuum, nutritiuũ, & ſenſitiuum: in hominibus autem uniuerſæ inſunt animæ poteſtates. nam præter has ineſt illa etiam quæ ratione prædita eſt, quæ bifariam ſecatur: & in eam quæ ui ſua rationem habet, & in eam quæ non habet, ſed dicitur habere, quia eſt apta nata obedire rationi. & iſta pars animi ratione prædita, in homine ſolo reperitur. Quæ omnia declarauit Ariſtoteles. primo lib. Eth. cap. nono. & decimo lib. ca.

1. Ethic ca. 9 & 10. Ethi. ca. 8.

octauo, & in multis alijs locis. Vegetatiua pars & nutritiua, ac ſenſitiua quædam, non omnis, carent omnino ratione: & ideo dicuntur irrationales, pars aũt illa quæ ui ſua rationem habet, ſeiungitur re ab illa quæ ui ſua rationem non habet. Atq; hæ duæ partes animi ſunt in homine re ipſa diſtinctæ, ſicut albedo & dulcedo in lacte: & ita quidem diſtinctæ ſunt, ac ſeparatæ, ut altera ſit generabilis & corruptibilis, altera æterna, ut ex eis quæ dicta ſunt à nobis in ſuperioribus de animi

noſtri

noſtri immortalitate perſpicuè patêre arbitramur, & ex eis etiam quę dicentur in in-
ferioribus perſpici poterit. Atq; illa quidem pars animi quæ ui ſua rationem habet,
dicitur uerè rationalis: illa uerò quæ ratione caret, uocatur phantaſia, quæ reuera
eſt & ipſa ſenſitiua. oritur enim ex potentia materiæ: tamen quia eſt apta nata obe-
dire rationi, Ariſtoteles ſeiunxit eam ab ea ſenſitiua quæ non eſt apta nata obedire
rationi, quæ eſt ſenſitiua brutorum animalium, & poſuit illam ſub potentia haben-
te rationem, ut perſpicuum eſt ex loco primi Ethic. citato. ubi quum ſtatuiſſet qua- 1. Ethic.
tuor partes animi, uegetatiuam, nutritiuam, ſenſitiuam, & habentem rationem, reli- cap. 9.
quas tres excluſit à fœlicitate, ſolam retinuit habentem rationem: quam deinde in
duas partes diuiſit, ut dictum eſt. ſed quia illa quæ ui ſua non habebat rationem, ue-
rè erat ſenſitiua, in decimooctauo cap. eiuſdem primi collocauit ipſam ſub parte ir-
rationabili. etenim dixit: Videmus ſanè irrationale duplex eſſe. aliud enim eſt 1. Ethic.
quod ad plantas attinet, quod nullo modo participat rationem: aliud concupiſcit, cap. 13.
& omnino appetit quod participat aliquo modo, quatenus uidelicet paret ipſi ra-
tioni, & obedit. Videtur autem omiſiſſe ſenſitiuam brutorum, quę nullo modo
participat & ipſa rationem, quia fortè comprehendit eam ſub priore membro. nam
quum nullo modo participet & ipſa rationem, ut diximus, uidetur quodammo-
do ſimilis ei parti quæ plantis conuenit. non enim uidetur poſſe collocari ſub al-
tero membro, quod complectitur eam animi partem quæ aliquo modo particeps
eſt rationis: niſi uellemus dicere, Ariſtotelem comprehendiſſe ipſam ſub ſecun-
do membro, uidelicet ſub appetitiuo, ſed noluiſſe omne appetitiuum participare
aliquo modo rationem, ſed illud ſolum quod obedit rationi: & tunc recidet eôdem
quò id quod dixit in nono capite: Et fortaſſe poſſumus dicere, ipſum nullo modo
feciſſe mentionem illius partis animi in decimooctauo cap. quoniam intelligeba-
tur reiecta fuiſſe ex eis quæ dixerat in nono capite, ſatis enim fuit ponere extrema
membra, & accipere ultimum. Porrò autem in decimooctauo uſque ad locum
dictum, diuiſit partem irrationalem in duas partes, & rationali unam tantum par-
tem attribuit. deinde paulo pòſt non negauit ſenſitiuam poſſe collocari ſub parte
rationali, quum dixit: Si autem oportet & hoc dicere rationem habere, duplex èſt “
rationem habens: aliud quidem propriè & in ſeipſo, aliud autem ſicut patri obedi- “
ens. Perſpicuum enim eſt, eam partē animi quæ ui ſua non habet rationem, eſſe ſen- “
ſitiuam, & eſſe re ſeiunctam ab ea quæ ui ſua habet rationem.

His explicatis, addimus quoque animam ſenſitiuam in homine præter faculta-
tes exteriores quæ perſpicuæ ſunt, ſecari in tres partes. quarum una dicitur ſenſus
communis, qua diſcernit ea quæ ſenſibus exterioribus ſibi offerũtur, & oſtendit in-
tereſſe inter illa: ut quòd odor non eſt ſapor, neque ſenſus odor: hanc autem fuiſſe
neceſſariam ex hoc colligitur, quod fieri non poterat, ut facultas uidendi de eis iudi
caret quæ auditui et olfactui obijciuntur, neq; contrà ut dicemus. Altera pars nomi
natur phantaſia, qua quidem anima ſenſitiua particulariter aliquo modo ratiocina-
tur: & eſt illa quæ repræſentat obiectum intellectui, ope intellectus agentis: & dici-
tur rationalis, quia obedit rationi: de qua phantaſia, deq; eius officio, uberrimè in fi
ne ſecũdi lib. de Anima uerba facit Ariſtoteles, ad quem locum me reijcio: eſt enim
ſuſceptiua ſpecierum, quas retinet dum operatur. Tertia eſt retentiua, quæ ſpecies
recipit à phantaſia, poſtquam operata eſt, easq; retinet, ac memoratiua appellatur.

Nec uerò his repugnat quod dixit Ariſtoteles tertio de Anim. 56. his uerbis: Om 3. de anim.
nino quidem igitur ſicut prædictum eſt, in quantum appetitiuum animal, ſic ipſius tex. 56.
motiuum eſt: appetitiuum autem non ſine phantaſia: phantaſia autem aut rationa- “
lis, aut ſenſibilis eſt. hac quidem igitur & alia animalia participant. Nam intelligen “
dum eſt, omnem quidem phantaſiam eſſe partis ſenſitiuæ: ſed Ariſtotelem dixiſſe
aliam phantaſiam eſſe rationalem, aliam ſenſibilem, ut ſeiungeret phantaſiam quæ
eſt in hominibus, ab ea quæ eſt in alijs animalibus: quippe quæ dicitur rationalis, ut
dictum eſt, quia apta nata eſt obedire rationi. Et huius rei apertam nobis ſignifica-
tionem dediſſe uidetur, cùm dixit: Hac quidem & alia animalia participãt. cùm ma-
nifeſtè loqueretur de phantaſia ſenſibili, quam rem uiſus eſt attigiſſe primo Ethic:
capite nono.

Sed rurſus hæc phantaſia ſecatur in duas partes, quæ ſumuntur à duobus mune-

ribus quibus ipſa fungitur. altera dicitur cognitiua, atque etiam aliquo modo intellectiua, eorum ſcilicet quæ ſibi offeruntur à ſenſibus exterioribus, & à ſenſu communi: & hoc eſt primum ipſius phantaſiæ munus. Altera dicitur appetitiua, eius uidelicet quod ab ipſa fuerit cognitum, quod eſt alterum illius munus. & iſta pars appetitiua diuiditur in concupiſcibilem, & iraſcibilem: quæ duæ facultates ſunt idem re ipſa, ſeparantur tantum ex diuerſis muneribus. quatenus enim eadem pars cognoſcit, dicitur cognitiua: quatenus uerò appetit, nominaĩ appetitiua: nec plures meo quidem iudicio dantur ex Ariſtotelis ſententia partes animæ ſenſitiuæ interioris, quicquid dicat Auerroes & Auicenna: nos enim profitemur ſequi tantummodo ipſum Ariſtotelem.

Phantaſia igitur diſcurrit ſuper rebus quæ ei offeruntur à ſenſibus exterioribus, & à ſenſu communi: & poſtquam cõcluſit quod ſibi uidetur, pars appetitiua appetit neceſſariò illud quod ipſa concluſit. ſpecies uerò, & formæ quæ cognitæ fuerunt ab illa, reponuntur poſtmodum in ea parte quam diximus uocari memoratiuam: atque hæc phantaſia in hominibus dicitur aliquo modo participare rationem, quia obedit rationi, ut dictum eſt. hunc igitur ordinem ac rationem uidentur habere inter ſe facultates animæ ſenſitiuæ.

Anima uerò quæ propriè eſt rationalis, primò in duas diſtribuitur partes, quarum una uocatur paſſiua, altera actiua. Paſſiua dicitur intellectus paſſibilis, actiua intellectus agens: de quibus quoniam pluribus egimus in ſuperioribus, ad eum locum, ne nimius ſim, reiicio lectorem. Facultas uerò paſſiua in duas ſecatur partes, quæ partes ſumuntur à muneribus, quibus ipſa fungitur. quarum una dicitur intellectiua, quia illa facultas paſſiua, quæ dicitur paſſibilis, intelligit ipſas res, & cognoſcit. altera uerò appellatur & ipſa appetitiua, quatenus ſcilicet appetit ea quæ concluſa ſunt ab intellectiua: appetitus enim eſt communis ſenſui & intellectui. atque iſte quidem appetitus ſecatur in uoluntatem & electionem, de quibus in ſequentibus uerba faciemus. Pars item intellectiua ſecatur & ipſa in duas partes, quarum una dicitur contemplatiua, altera practica ſiue operatiua: quia hoc in loco accipitur nomen practicæ communiori uocabulo, ut complectitur etiam factiuam, & ita idem ſignificat quod operatiua. Pars autem contemplatiua eſt duplex: altera ſpeculamur ea quorum principia non poſſunt aliter ſe habere, altera contemplamur contingentia.

6.Ethic. cap. 2. Nam ad ea, inquit Ariſtoteles, quę ſunt alia genere, ut pars animi, alia genere, quæ ad utrunque apta eſt, ſiquidem ſecundum ſimilitudinem & proprietatẽ quandam notitia illis exiſtat. Vocetur autem altera ſcientifica, altera ratiocinatiua: nam conſulere & ratiocinari idem eſt. Quare perſpicuum eſt, Ariſtotelem diuerſitatem rerum quæ percipiuntur ab intellectu, quarum aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ contingentes, poſuiſſe partes intellectus eſſe ſpeciei diuerſas, licet re ipſa ſit idem intellectus qui dicitur contemplatiuus, & practicus.

Atque hæc quidem de parte animi paſſiua, quæ dicitur intellectus paſſibilis. De intellectu autem agente ſatis abundè diximus in ſuperioribus, & quod ad eius ſubſtantiam, & quod ad eius opera & affectiones attinet. Quod uerò tot ſint poteſtates animi, quot expoſuimus, cùm ex multis locis Ariſtotelis, & ex eis quæ dicta ſunt intelligi poteſt, tum etiam ex his quæ dicentur perſpicuum erit.

Sed ſtatim contrà ita diceret aliquis: Diuiſio intellectus in ſpeculatiuum & practicum, ſeu conſultatiuum, quam attuliſti uidetur diſcrepare ab Ariſtotelis ſententia in tertio de Anima tex. 52. ubi inquit: Quod quidem igitur omnis potentia mouet, quæ uocatur appetitus, manifeſtum eſt. Diuidentibus autem animæ partes, ſi ſecundum potentias diuidant & ſeparent, ualde multa fiunt, uegetabile, ſenſibile, appetitiuum, intellectiuum, conſultatiuum. hæc enim plus differunt ab inuicem, quàm concupiſcibile & iraſcibile.

3. de anim. tex. 52.

Quibus uerbis planè ſignificat, eam partem animi quæ uocatur intellectiua, ſeparatam eſſe ab ea quæ dicitur conſultatiua. ex quo ſequitur, intellectum non poſſe diuidi in ſpeculatiuum & conſultatiuum, ſeu practicum. non enim conſultatiuum poneretur ut pars ſeiuncta ab ipſo intellectu, neque plus diſtarent inter ſe quàm differunt concupiſcibile & iraſcibile. Tuam ergo diuiſionem non conſentire cum uerbis Ariſtotelis perſpicuè patet. Ad

Ad hanc quæſtionem reſpondemus, Ariſtotelem fortaſſe ibi accepiſſe intellè-
ctum non generali quadam comprehenſione, ſed ſolum quatenus ſignificat intellè
ctum ſpeculatiuum: conſultatiuum uerò quatenus eſt idem quod practicum, neq;
hoc repugnat eius conſuetudini, ut norunt ij qui in eius lectione uerſati ſunt.

SECTIO SECVNDA.

CAEterùm quoniam cognitio huius rei eſt magni momenti in doctrina Ariſto
telis, plurimumq; facit ad multorum eius locorum ſententiam rectè percipien
dam, atque intelligendam: non alienum fore arbitramur, ſi antequam ad alia pro-
grediamur, more noſtro, nonnullas quæſtiones in medium attulerimus, aduerſus
ea Ariſtotelis uerba quibus uiſus eſt aſſerere has animi partes inter ſe ſpecie differ-
re ac ſeparari.

In primis igitur quæreret aliquis, quánam ratione potuerit Ariſtoteles ſeiūgere
eam partē animæ rationem habentis, quæ dicitur ſciētifica & ſpeculatiua, ab ea quę
dicitur conſultatiua: propterea quòd illa percipiat neceſſaria, hæc uerò contingen-
tia: cùm etiam pars ſcientifica percipiat contingentia, ut in pluribus quæ non ſunt
neceſſaria. Etenim Ariſtoteles multis in locis ſctiptum reliquit, contingentium ut 12. Meta.
in pluribus eſſe ſcientiam, inter quos ſatis erit ſi proferamus hunc: Omnis enim ſci tex. 26.
entia, inquit, eius eſt ſanè quod eſt ſemper, aut plerunq;: at accidens in neutro eſt ho 1. Poſt.
rum. In dubium igitur uenire apertè uidetur, quónam modo uerba Ariſtotelis in cap. 18.
ter ſe conſentiant, ac non omnino pugnent. & 2. Poſt.

Alia item ratione inſtant nonnulli, ex ijs qui interiores etiam & reconditas ſcru- cap. 1.
tantur literas, negantes ex diuerſitate rerum quæ ab anima rationem habente perci 1. Priorum
piantur, inferri poſſe eius partes eſſe ſpeciei diuerſas: quoniam apertè uidemus eun cap. de con
dē ſenſum contrariorum eſſe, ut albi & nigri uiſum, & eorum colorum qui inter hos tingenti.
medij ſunt atq; interiecti: Item auditum acuti & grauis ſoni, & reliquorum quæcun 2. Phyſ.
que plus uel minus ad hos accedunt, aut ab ipſis recedunt, qui tamē ſenſus non pro tex. 48.
pter hoc in ſpecies diuerſas diſtrahuntur.

Harum quæſtionum priori reſpondemus, Ariſtotelem noluiſſe per illa quorum
principia non poſſunt aliter ſe habere, intelligere ea quæ uerè aliter nullo modo ſe
habere poſſunt: tum quia nō potuiſſet ob rationes allatas ex hoc inferre, partes ani-
mę rationalis inter ſe ſpecie ſeu genere differre: tū quia pars ſpeculatiua apprehen-
dit etiā illa quæ ſpectant ad diuerſa genera, ut ad decē prędicamenta, & ea quæ per
tinent ad tres ſcientias genere diuerſas atq; diſtinctas: & tamen nullas in partes di-
ſtribuit, ſed duntaxat eſt una quæ dicitur contēplatiua & ſcientifica. ſed arbitramur
eum per neceſſaria intellexiſſe omnia quæcunq; ſunt à natura, quorū principia ſunt
æterna, uel ut in pluribus quatenus inueſtigantur ſolum modo ut ſciātur: quæ ideo
nuncupauit neceſſaria, quoniam partim ſunt uerè neceſſaria, partim ut in pluribus.
quæ quidē ſi comparētur cum illis quæ ſunt in paucioribus, uel cum ijs quæ ſunt ad
utrumlibet, uidentur ſemper eſſe ſicut dixit Ariſtoteles in Poëtica: Multos (inquit in Poetica.
enim) uideri tanq; omnes, omnes pro multis, ſecundum metaphoram dicuntur. Vt
igitur uocat Ariſtoteles multos, omnes: ita uidetur dixiſſe, quod ut in pluribus eue
nit, ſemper euenire. nihil em̄ abſurdi ex hoc ſequi arbitramur. quanq; alio modo eti
am poſſumus intelligere, ea quæ ſæpe fiūt, ſemper eſſe. & per id quod neceſſariò ſe-
quitur, eſſe neceſſaria, ut dicemus. per cōtingentia uerò putamus Ariſtotelē intelle
xiſſe ea quę proficiſcūtur à nobis, quæ planè ſunt ꝓpter opus, ut patet de mathema
ticis, & de cœlo, quod cōſideratur ab Aſtrologia, ut refert ad opus: & breuiter prin
cipia omniū facultatum, quarum finis eſt opus, cùm ſumātur à ſcientijs, ut nos in no
ſtra Apologia declarauimus, maioti ex parte ſunt neceſſaria: quæ poſtmodū appli-
cata ad opus, reſpectu illius operis, poſſunt aliter ſe habere, & ob hoc uidentur dici
cōtingentia. quod quidē ex eo etiam intelligi poteſt, quoniā Ariſtoteles conſtituit
differentiā habituum: & per id quod ſequitur ipſius intellectus, ex finium, nō ex ma
terierum diuerſitate. etenim 3. de Anim. Intellectus aūt, inquit, qui propter aliquid 3. de Aīa.
ratiocinatur, & qui practicus eſt, differt à ſpeculatiuo fine. Propterea quod primo 1. Ethi.
Ethic. loco ſuperius etiam citato ait: Etenim faber & geometra differēter quærunt cap. 10.
rectum, hic quidē in quantum eſt utilis ad opus, hic autē quid eſt, uel quale quod: «
ſpeculator enim ueritatis. «

O ij Patet

Patet igitur, intereſſe ex Ariſtotelis ſententia, inter hos habitus ratione finis, quia unius finis eſt ſcire, alterius operari. non enim recti ꝙ aliorum maior eſt ratio. Hanc
1. Ethic. cap. 2. item rem confirmare unius eſt, cùm dixit (quem locum citauimus etiam in ſuperioribus ob aliam occaſionẽ:) Quoniam præſens negotiũ non eſt cauſa ſpeculationis,
6. Ethi. capite 2. quemadmodum aliæ: non enim ut ſciamus quid ſit uirtus cõſideramus, ſed ut boni fiamus. Innuit enim hoc intereſſe inter habitus, quod alius ſit propter ſcire, alius
„ propter operari. Item 6. Ethic. cap. 5. Neq; enim, inquit, actio eſt affectio, neq; effe-
„ ctio actio. Deinde in eodem cap. Quoniam alius eſt finis actionis & effectionis.
„ Et paulo pòſt: Effectionis enim finis eſt alterum, ſupple ab affectione. Actionis au-
„ tem non: eſt enim ipſa bona actio finis.

1. Meta. tex. 15. Videtur hoc idem corroborare primo Metaphyſ. lib. ubi cùm oſtenderet primã philoſophiam non eſſe effectiuam, poſt multa ſubiunxit: Quare ſi quidem ut fuge-
„ rent ignorationem philoſophati ſunt, manifeſtum eſt quod propter ſcire ipſum, ſci-
„ re proſequuti ſunt, & non uſus alicuius.

Ex fine igitur probauit, primã philoſophiam non eſſe effectiuam, nõ quia ipſa contemplaretur ea quorũ principia non poſſunt aliter ſe habere: Effectiua autem uerſaretur circa ea quæ poſſunt aliter ſe habere: idq; fecit, quia finis eſt ſubſtantia rerũ.

1. œconom. 3. de Aña. tex. 46. Quod item differat ſpeculatiuus ab operatiuo, oſtẽdit ex diuerſitate finis, ijs uerbis: At uerò neq; rationatiua, & uocatur intellectus, eſt mouens, ſpeculatiuus quidem nihil ſpeculatur agibile, neq; dicit de fugibili aut de proſequibili, ſemper autẽ
„ motus aut fugientis, aut proſequentis aliquid eſt ſed neq; cùm ſpeculatus fuerit ali-
„ quid huiuſmodi, iam præcipit aut perſequi, aut fugere. puta multoties intelligit ter-
„ ribile aliquid, aut delectabile, non iubet autem timere. ſi autem delectabile, aliqua
„ altera pars.

1. Meta. cap 9. Stabilire etiam uidetur hanc eandem ſententiam, ubi ait: Recte enim ſe habet & uocare philoſophiam ſummam ueritatis contemplatricẽ, quoniam finis ſpeculati-
„ uæ eſt ueritas, actiuæ aũt opus. Etenim ſi quomodo res ſeſe habet actores ipſi conſi-
„ derãt, non tamẽ eius cauſam per ſe, neq; per ſe perpetuò talis eſt, ſed ut ad aliq̃d atq;
„ ut nunc contemplatur. Quibus uerbis apertè duo ſignificat, unũ, quod habitus omnes ex fine ſunt inter ſe diſtincti: alterum, quod habitus operatiui poſſunt conſide-
6. Ethi. cap. 3. rare cauſas, quæ ſunt etiam neceſſariæ, licet non conſiderent per ſe, ſed ad aliquid, id eſt in ordine ad aliquod opus. Sed quid plura? nónne oſtendit Ariſtoteles inter-
„ eſſe inter partẽ animæ ſpeculariuam ac actiuam, & factiuam: quoniam finis & opus
„ mentis ſpeculatiuæ erat ueritas ſimpliciter: actiuæ aũt, uel factiuæ ueritas non ſim-
„ pliciter, ſed ueritas practica. Quare ſi diſtinguuntur ex fine, non diſtinguentur ex materia. Ex quibus omnibus uidemur non ſine optima ratione dixiſſe, eam fuiſſe Ariſtotelis ſententiam quam oſtẽdimus. Neq; obſtat quod uiſus fuerit, illas partes ſeiungi ratione rerum: per res intellexit ea quæ ſunt propter ſcire, & quæ ſunt propter operari, quæ genere differunt. ex quo ſequitur, ut anima apprehẽdens illa, duabus partibus genere diuerſis apprehendat. Sexto aũt Metaph. & multis alijs locis
6. Meta. tex. 2. oſtẽdit, ſcientias inter ſe differre materia: quia cùm conueniant in forma (omnes enĩ ſunt propter ſcire) neceſſe eſt ut differant materia. Finis enim proprius ipſorum habituũ et reliquarum rerum eſt forma, ut patet ex primo Oeconomicorum, ſicut diximus. Et hoc modo intelligendo diſſoluitur prima, & altera etiam quæſtio: quia uerum eſt, unam potentiam, ut una eſt, poſſe percipere res ſpecie diſtinctas: ut uiſus percipit album & nigrum. Hæc uerò diximus, quia diſſolutio eorũ qui attulerunt illam quæſtionem, à nobis non probatur: quam tamen omittimus, tum quia facile eſt cognoſcere quantam uim habeat, tum etiam quia in hac re lõgiores eſſe noluimus.

SECTIO TERTIA.

6. Meta. tex. 3. SEd contrà adhuc poſſet quiſpiam afferre locum ſexti Metaph. ubi uidetur Ariſtoteles oſtendere ſcientiam naturalem non eſſe actiuam. ſed contemplatiuam ex materia ipſa, non ex fine, propter quòd ſic ait: Quoniam autem & naturalis ſcientia eſt exiſtẽs circa genus aliquod entis (eſt enim circa talem ſubſtantiam, in qua principium motus & quietis eſt in ipſa) manifeſtum, quòd non eſt actiua, neq; effe-
ctiua,

ctiua, quoniam effectiuæ principium eſt in efficiente, uel mens eſt, uel ars, uel facultas quædam, actiuarum autem in agente electio. Ex quo deinde infert, cùm omnis mens ſit uel actiua, uel effectiua, uel contemplatiua, philoſophiam eſſe contemplatiuam: proptereaq; nõ eſt neq; actiua, neq; effectiua. quod item confirmauit un decimo Metaph. tex. 26. quem tex. citauimus in ſuperioribus etiam. unde perſpicuè patet, Ariſtotelem non conſtituiſſe hanc differentiam ex fine, ſed ex materia, & ex ipſa rerum natura. « «

Huic quæſtioni, cõmotus rationibus dictis, reſpondeo: Ariſtotelẽ in illis quoq; tex. poſuiſſe differentiã à fine ſumptam: quoniam cùm dixit naturalẽ ſcientiam eſſe circa talem ſubſtantiam, in qua principiũ motus & quietis reperitur, circumſcripſit ipſum finem: quia fieri non poteſt, ut principium motus ſit in ipſa re, niſi facultas illa ſit ſpeculatiua: ſicut fieri nõ poteſt ut principium motus ſit in efficiente, uel in agente, & non re ipſa, niſi id quod conſideratur, ſit operis gratia. Voluit igitur Ariſtoteles, dicens philoſophiam naturalem non eſſe actiuam, neq; effectiuam, ſignificare quòd erat propter ſcire, non propter operari. Et ita nihil repugnare ſententiæ noſtræ uidentur illi textus.

Item cùm probat naturalẽ philoſophiam eſſe cõtemplatiuam, neceſſe eſt ut hoc probet ex eo, quia ſit propter ſcire: quoniam ſi non eſſet propter ſcire, nõ eſſet contemplatiua, ſicut oſtendit locus ſecundi Ethic. quem ſuprà citauimus. quo in loco negauit Ariſtoteles illud negotium eſſe contemplatiuũ: quia nõ erat propter ſcire. concedimus tamen ipſum multis in locis nuncupaſſe habitus effectiuos & actiuos nomine ſcientiæ, ut 1. Poſter. cap. 12. & 6. Metaph. cap. 2. ac rurſus ſpeculationes habitus nomine artis, ut ex uerbis ipſius in quarto Apologiæ noſtræ lib. oſtendimus, ad quem locum me reijcio. Neq; dici poteſt, quod concluſiones artium, quatenus concluduntur per ſyllogiſmum, ſint ſcientiæ: quatenus enim ita concluduntur, dirigũtur ad opus. ac ipſemet Ariſtoteles in lib. de Communi motu animaliũ declarauit, cõcluſiones eiuſmodi eſſe etiam actiones, cùm dixit: Quod autem concluſio ſit actio, manifeſtum eſt. 2. Ethi. cõ pite 3. 1. Poſter. cap. 12. 6. Meta. cap. 2.

Demonſtrationes enim ex quibus concluduntur ipſæ actiones, non propriè, ſed cõmuniori uocabulo dicuntur demonſtrationes. Quid aũt interſit inter ſcientiam, artem, & prudentiam, perſpicuũ eſt ex Ariſtotele, ut nos oſtẽdimus in loco citato. Concluſio autem demonſtrationis (inquit Ariſtoteles lib. de Motu communi,) eſt ſpeculatio, practici autem ſyllogiſmi eſt actio. Ex quo ſequitur, ut nullo modo poſſit eſſe ſcientia. Cogimur ergo, niſi uelimus Ariſtotelem ſibijpſi repugnare, dicere id quod dictum eſt. lib. de Communi motu animal.

SECTIO QVARTA.

Expoſitis iam ijs animi partibus quæ cognoſcunt, reliquum eſt ut exponamus eas quæ non cognoſcunt, ut oſtendemus: & quæ ſequuntur illas, quæ cognoſcunt. Ita enim facilè intelligetur, qua in parte animi ſita ſit propriè libertas noſtra.

Partes igitur animæ quæ non cognoſcunt, & neceſſario ſequuntur eas quæ cognoſcunt, ſunt appetitus, concupiſcentia, ira, uoluntas, & electio, de quibus in ſuperioribus uerba fecimus. In his aũt numerauimus appetitum, intelligẽtes de appetitu animali, non de appetitu naturali, qui rerũ naturã ſequitur, non quatenus cognoſcit, ſed quatenus talis natura eſt: qui quidem nihil aliud eſt ꝗ propenſio & inclinatio, quam habẽt ſingulæ res ad aliquẽ finem: ut ignis ad aſcendendũ, & terra ad deſcendendum, qui appetitus ineſt omnibus rebus naturalibus, nec minus inanimatis quàm animatis, eoq; mouetur una quæq; res naturalis perinde quaſi cognoſceret. quibus aũt appetitus ineſt qui ſequitur cognitionem, qui reperitur duntaxat in animalibus, hęc omnia habẽt etiam appetitum naturalem: ita enim uidetur ratio poſtulare. at nõ retrò commeat, ut quæ habẽt appetitum naturalem, habeant illum etiam qui ſequitur cognitionẽ: ſicuti perſpicuum eſt. non enim omnes res animo ſunt prędítæ. Iam uerò definitione explicandum eſt, quid ſit unaquæq; harum partium.

Appetitus ſimpliciter ſumptus pars eſt animi, quæ ſequitur, uel fugit affirmationem uel negationẽ intellectus. Ponimus enim in præſentia phantaſiam ſicut intelligentiam quandam, ut indicauit Ariſtoteles 3. de Anima his uerbis: Videtur autem hæc duo mouentia, aut appetitus, aut intellectus, ſi quis phantaſiam poſuerit ſicut 3. de Ani. tex. 48.

 intelli-

intelligentiam quandam. Quæ uerba citauimus etiam in ſuperioribus ob aliam occaſionem: Et in lib. de Communi motu animalium, ubi dixit: Phantaſiam & ſenſum referri ad intellectum, propterea quòd ambo ſunt iudicatiua. [*lib de Communi motu animal.*]

At hæc quidem uidetur idonea ipſius appetitus applicatio, quæ ſumitur ex tertio & ſexto Ethi. libro, & ex tertio de Anima tex. 54. ubi inquit Ariſtoteles: Etenim quod uerò eſt in mente ſentire & diſſentire, idem in appetitu ſequi & uitare. [*3. Ethic. cap. 6. 6. Ethic. cap. 3.*]

Quod ipſum uidetur ſignificare etiam in tex. 29. & 30. his uerbis: Intellectiuæ autem animæ phantaſmata, ut ſenſibilia ſunt, cùm autem bonum aut malum affirmat, aut negat, fugit aut perſequitur. Quare nequaquam ſine phantaſmate intelligit anima. [*2. de Ani. tex. 54.*]

Quæ ſanè appetitus explicatio non uidetur illi repugnare, quam attigit in tex. 54. cùm dixit: Et appetitus mouens quidem eſt uel actio. [*3. de Ani. tex. 29. & 30.*]

Atque iſte appetitus complexu ſuo continet concupiſcentiam, iram, uoluntatem, & electionem: omnia enim iſta ſunt appetitus. Nec obſtant illa uerba: Nunc autem intellectus non uidetur mouens ſine appetitu. uoluntas enim appetitus eſt: quãdo enim mouetur ſecundùm rationem, ſecundum uoluntatem mouetur: appetitus enim mouet præter rationem. [*3. de Ani. tex. 54. 3. de Ani. tex. 50.*]

Quibus uerbis uidetur innuere, appetitum non complecti uoluntatem & electionem, quæ ſequuntur rationem. nam ipſe ſeipſum explicauit, ſtatim ſubiungẽs: » Concupiſcentia enim appetitus eſt. Indicauit enim ſe loquutum eſſe de appetitu generaliter ſumpto, ſed de eo appetitu qui dicitur concupiſcentia: quæ quidem eſt in ea parte animi, quæ ratione caret, ut ipſe multis in locis ſcriptũ reliquit, quorum ſatis erit in medium afferre illum primi Rhet. ubi inquit: Quæcunque autem per ſeagunt, quorum ipſi ſunt cauſa, alia quidem per conſuetudinem, alia autem per appe» titum, alia uerò per rationalem appetitum, eſt autem uoluntas appetitus boni cum » ratione. nullus enim uult, niſi quod putauerit eſſe bonum. Irrationales autem ap» petitus, ira, & concupiſcentia. [*1. Rhet. cap. x.*]

Quibus uerbis duo indicat Ariſtoteles: quorum unum eſt, ipſum appetitũ continere concupiſcentiam, iram, uoluntatem, & electionem: alterum eſt, concupiſcentiam & iram eſſe appetitus irrationales. cuius rei hæc eſt ratio, quia ſunt appetitus animi carentis ratione, ut diximus.

Præterea inquit Ariſtoteles: Cuius cupiditas ineſt, omneque iucundum. nam cupiditas eſt appetitus iucundi. tertio Ethic. cap. quinto. Voluntatem uerò eſſe appetitum rationalẽ, ex eis quæ allata ſunt in ſuperioribus, & ex tertio de Anima text. 50, perſpicuum eſt. [*3. Ethi. capite 5. 3. de Ani. tex. 50.*]

SECTIO QVINTA.

SEd contra id quod de cõcupiſcentia dictum eſt ex uerbis Ariſtotelis, uidelicet eam appetitum eſſe irrationalẽ, ſtatim afferet aliquis eiuſdem uerba, quæ paulo pòſt eodem loco ſubiunxit: Concupiſcentiarum, aliæ quidẽ ſunt irrationales, aliæ autem cum ratione. Quibus planè contrariũ aſſerere uidetur. ponit enim aliquam eſſe concupiſcentiam cum ratione: Itaque uidetur prorſus à ſeipſo diſſidere. [*1. Rhet. cap. 10.*]

Verùm hanc ipſe repugnantiam ſuſtulit, opinor, cùm ſtatim explicans quid per » rationales & irrationales cupiditates intelligeret, addidit: Irrationales dico, quas » ex nulla cogitatione cupiunt. quales ſunt quæ natura eſſe dicuntur, ut quæ ſunt per » corpus: ueluti alimenti, ſitis & fames, & in ſingulis etiam alimenti ſpeciebus cupidi» tas: & in guſtabilibus atque uenereis, & uniuerſaliter in tangibilibus, ut in olfactu odo» ris, & in auditu, uiſu. Rationales uerò, cùm quædam perſuaderi cupiunt. nam multa » expectare & poſſidere cupiunt, cùm audierint, perſuaſique fuerint.

Quibus uerbis uidetur admonere, ſe dixiſſe aliquã eſſe concupiſcentiam cum ratione, non quia ſit appetitus ſequens rationem (manifeſtè enim id euerteret quod loco citato, & multis alijs in locis tradidit) ſed quia eſt cum cognitione, & cum quadam perſuaſione, ſiue bona ſiue mala: idque in comparatione ad cupiditates naturales, quæ ſine ulla omnino cogitatione cupiunt. & ſic interpretando, tantum meo quidem iudicio abeſt ut Ariſtoteles eo loco pugnet cum ſua ipſius ſententia, ut pulcherrimam cupiditatis diuiſionem tradiderit. Quare diligenter ubique animaduertenda ſunt eius uerba, neque putandum eſt primum omnium Magiſtrum pugnantia inter ſe atque contraria aſſerere, præſertim tam paucis in uerbis,

in uerbis. Quod ſi fecerimus, rectamq; ijs quæ dicit interpretationem adhibue
rimus, inueniemus eum ſemper aliquid reconditi docere.

Licet etiam fortaſſe dicere, aliquam cupiditatem uocari rationalem, nõ ui ſua,
ſed quia in homine rationi aliquando eſt obtẽperans: ſicut anima ſenſitiua in ho-
mine dicitur rationalis, quia obedit aliquando rationi, licet ui ſua ſit irrationalis.
Quare uidetur Ariſtoteles dixiſſe in tertio de Anima tex. 41. Etenim ſenſitiua, quã *3. de Anim.*
neq; ſicut irrationabilem, neq; ſicut rationem habentem, ponet quis utiq; facile. *tex. 41.*

Concupiſcentia uerò eſt appetitus iucundi, uel ueri, uel apparentis, ut dictum
eſt: quia fieri poteſt, ut ea pars animi quæ cognoſcit, quã ſequitur neceſſariò con-
cupiſcentia, decipiatur: quæ quidem concupiſcentia ſine alio appetitu, qui conue
niat animalibus, reperitur ſolũ in animalibus imperfectis, quia hæc habent ſolum
ſenſum tactus: ſicut oſtreæ & ſpongiæ, quę cum aliquid iucundi ſentiunt, dilatan-
tur: cum uerò aliquid moleſti, contrahuntur. atq; huius quidem rei illa uidet̃ eſſe
cauſa, quòd unũquodq; animal quod habet phantaſiam, habet etiã appetitũ: & ſi
habet phantaſiã imperfectã, habet etiã appetitũ imperfectũ. animalia uerò perfe-
cta, quæ mouent̃ pluribus motibus, cõſequuta ſunt cõcupiſcentiam & irã: & quia
hos habẽt appetitus, dicunt̃ ſponte agere. ſed ira eſt appetitus uindictæ apparẽtis
cũ dolore, quia eſt propter apparentẽ immeritò uel in ſe uel in ſuos contemptum.

Volũtas eſt appetitus boni cum ratione, itaq; primo de Anima tex. 42. inquit Ari *1. de Anim.*
ſtoteles: Ad hęc aũt appetitiua, quæ & ratione & potentia, altera uidet̃, quandoq; *tex. 42.* «
ab omnibus, & incõueniens utiq; hãc ſequi naturã: in ratiocinatiua uoluntas fit, in «
irrationabili cõcupiſcentia & ira. ſi aũt fit in anima, in unoquoq; erit intellectus. «

Electio uerò eſt appetitus intellectiuus, uel intellectus appetitiuus. Intellectus
enim dicit̃ appetitiuus, quia ipſum ſequit̃ appetitus. Et hoc quod dictũ eſt, uidet̃
Ariſtoteles dixiſſe, quia electio eſt appetitus rei agibilis: idẽ eſt aũt agibile, quod
eligibile. Ex quo ſequitur, ut ſit rei attinentis ad intellectum: uel dicitur eſſe intel-
lectus, quia eſt rei pertinentis ad intellectũ. hoc enim uidet̃ ſequi ex eo loco & ap
petitiuus, quia nõ eſt abſolutè rei intellectæ, ſed rei quæ attinet ad intellectũ, qua-
tenus intellectus eſt appetitiuus. Vel ſequit̃ ut ſit appetitus intellectiuus, quia eſt
appetitus: ut eſt ille appetitus qui eſt rei agibilis, quæ pertinet ad intellectum con
ſultatiuũ, ut dixit in tertio Ethic. cap. ſexto: Cũ igitur eligibile nihil aliud ſit quàm *3. Ethic.*
conſultabile appetibile eorũ quæ in nobis ſunt, & electio quoq; eorũ quæ in no- *cap. 6.*
bis ſunt conſultatiua appetitio erit: quia iudicantes ex conſultatione, appetimus «
ſecundum conſultationem. Et paulo antè dixerat: Quid igitur, aut quale eſt ele «
ctio? quoniã nihil eorũ quæ dicta ſunt, ſpontaneũ ſanè eſſe quoddam uidetur: nõ «
omne aũt ſpontaneũ eligibile eſt, ſed id quod eſt pręconſultatũ: quippe cũ electio «
ſeu propoſitũ cum ratione ac excogitatione extat. id quod ſignificare etiã nomen «
ipſum uidetur, quaſi id quod eligit̃ præponatur alijs, & legat̃, ponatur ue ante alia. «

Videtur enim ita dici oportere, ſi uolumus inferre id quod propoſitũ eſt Ariſto
teli. de quibus tamen uerbis fuſius agemus in explicatione eius cap. ſi Deo place-
bit. Quod poſtmodum idem eſt ac ſi diceret, ipſum eſſe appetitum qui ſequitur
conſultationem, quæ conſultatio eſt duntaxat circa agibilia. Intellectus enim dici
tur appetitiuus, quia ad ipſum ſequitur appetitus: etenim intellectus propriè dici
non poteſt appetere, quandoquidem (ut iam antè patuit) Intellectus & appetitus
ſunt facultates ratione diuerſæ, ſuntq; diuerſa actionum principia. Etenim pars
animi ratione prædita quatenus intelligit aliquid, dicitur intellectus: quatenus
uerò id appetit quod iam intellexit, dicitur appetitus: tamen quoniam appetitus
ſequitur intellectum (non enim appetimus niſi id quod iam cognitum habemus,
atq; perceptũ) ea parte animi quæ cognoſcit, intellectus dici poteſt appetitiuus,
quoniã ad ipſum immediatè ſequitur appetitus. Et hoc ut clarius eſſet, (uideba
tur enim habere difficultatẽ) ſubiunxit Ariſtoteles, electionẽ eſſe appetitum intel
lectiuũ: quia nõ eſt quilibet appetitus, ſed ille tantũ qui ſequit̃ intellectus delibera
tionẽ. Et idẽ eſt per uerba tranſpoſita, quæ poſtmodũ idem ſignificãt. Ex his ergo
efficit̃, ut electio ſit appetitus cõſultatiuus, quia ſequit̃ conſultationẽ intellectus.

Sed quærat aliquis, Quo modo electio poſſit eſſe appetitus cõſultatiuus, cum *Lib. de Cõ-*
in lib. de Cõmuni motu animalium dicat Ariſtoteles ipſam eſſe communem intel- *muni motu*
lectui & appetitui. inquit enim: Vidimus autem mouentia animal, mentẽ & phan *animal.*

 taſiam,

„ taſiam, & appetitum, & electionem, & uoluntatem, & concupiſcentiam omnia „ autem hæc rediguntur ad mentem, & appetitum. Etenim phantaſia & ſenſus habent hũc eundem locum cum mente, omnia enim ſunt iudicatiua: differunt aũt ſecundũ dictas in alijs differentias. Voluntas aũt & ira, & concupiſcentia, omnia ſunt appetitus: ſed electio eſt commune quid intellectui, & appetitui. Videri igitur electionem multo magis diffiniendã fuiſſe per intellectum, ꝙ per appetitum.

SECTIO SEXTA.

lib. de Cõ. motu animal. HAec quæſtio, quæ peritiſsimi cuiuſq; philoſophi ingenium exercere poſſet, fortaſſe nõ abſurde tolleretur, dicendo: Ariſtotelem in lib. de Cõmuni motu animalium accepiſſe communiori uocabulo nomen electionis, ut ſuo complexu continet intellectus iudicium & appetitũ: nos aũt hoc in loco accipimus electionem propriè, quæ quidẽ hoc modo ſumpta ad appetitũ pertinet. ſed de hac re pluribus diſputauimus in ſecundo lib. de Honore. *2. lib. de Honore.* Fuit igitur electio rectè definita per appetitum, non per intellectum: quia propriè eſt appetitus. impropriè autẽ intellectus iudicium dicitur, ſicut ex ipſius definitione colligitur. Vel fortaſſe dicere poſſumus, Ariſtotelem in lib. de Communi motu animal. cum protulit electionem eſſe communem intellectui & appetitui, uoluiſſe ſignificare idem quod *6. Ethic. cap. 3.* dixit ſexto Ethic. cap. tertio: Electionem uidelicet eſſe uel intellectũ appetitiuũ, uel appetitum intellectiuum, & ſic ipſam definiſſe per intellectum, & appetitum. Quanquam opus eſt ut eiuſmodi deſcriptiones redigantur ad eum ſenſum, quem diximus: ſed ſatis nobis erit, Ariſtotelem ex hoc loco inſerre, electionẽ eſſe appetitum rei agibilis: & ſic ipſam electionem eſſe intellectum appetitiuum, uel appetitum intellectiuum. Nam quod de hoc dicitur, idem accommodabimus ad illud quod electio eſt intellectus appetitiuus, uel appetitus intellectiuus. negare enim non poſſumus, quin ſit commune quid intellectui & appetitui. quod tamẽ in eum ſenſum accipiendum eſt, quem ſuprà demonſtrauimus. Quare propter quam rationẽ dixit illud Ariſtoteles, ob eandem uideť hoc etiam dixiſſe. Quod ſi hæc non ſatis faciunt, reuertamur ad reſponſionem datã, quòd uidelicet electio poteſt impropriè accipi: quemadmodũ uideť accepta in definitione ingenij ueri, *8. Top.* octauo Topi. aliter enim nõ potuit Ariſtoteles, ob nominũ penuriã, explicare munus ſiue ſubſtantiã ipſius ingenij, ſeu iudicij, de quibus infrà ſermonẽ habebimus.

Diximus etiam in ſuperioribus, electionem aliquando accipi impropriè, ut cõplectitur etiam uoluntatem. Sed quærat ad huc aliquis, quare non dixerit Ariſtoteles uoluntatem quoq; eſſe quid commune intellectui & appetitui, cum utriuſq; *3. de Anim. tex. 42. & 50.* ſit? quemadmodum oſtendit ipſe tertio de Anima tex. 42 & 50. ubi inquit: In rationali enim uoluntas fuit, in irrationali concupiſcentia & ira.

Item, quare uocauerit concupiſcentiam & iram ſolum appetitus, & nõ dixerit eſſe communes ſenſui & appetitui, ſicut dixit electionem eſſe communem intellectui & appetitui: cum tamen uideãtur habere eandem proportionem ad ſenſum, quam habet electio ad intellectum, ſunt enim appetitus ſenſus, ſicut electio appetitus intellectus. Hæ ſanè rationes uideri poſſint cogere nos ſequi priorem explanationem, quam item in lib. de Honore ſequuti ſumus.

Præterea poſſet quærere quiſpiã, quare nunq; definiuerit Ariſtoteles uoluntatẽ eſſe appetitũ intellectiuũ, uel intellectũ appetitiuũ, ſicut definiuit ipsã electionẽ?

Ad primam quæſtionẽ licet forraſſe reſpõdere, Ariſtotelẽ iccirco nõ dixiſſe uoluntatẽ eſſe cõmunem intellectui, & appetitui, quoniam acceperit eo loco intellectum pro ea parte rationalis animæ quæ eſt practica, cuius partis uolũtas propriè nõ eſt appetitus. Etenim uoluntas eſt eorũ etiã quæ nõ ſunt agibilia à nobis, ut dictũ eſt in ſuperioribus. Electio uerò eſt ſolum agibiliũ à nobis quæ ſunr in noſtra *3. Ethic. cap. 5.* poteſtate, ut in tertio Ethi. declarauit Ariſtoteles. ergo hæc eſſe uideť ratio, quare in libro de Motu cõmuni de uolũtate nõ dixerit, quod dixit de electione in ſexto Ethi. Cuius rei fortaſſe etiã illa poteſt afferri cauſa, quoniã dixit aliquãdo uoluntatẽ conuenire non ſolũ parti rationali, uerùm etiã parti irrationali. Itaq; nõ eſt propriè intellectus practici, licet ſit etiã eius appetitus. Inquit igitur Ariſtoteles ſepti*7. Pol. cap. 15.* mo Politic. Ira enim & uoluntas, amplius autem concupiſcẽtia, & ſtatim natis ineſſe pueris: ratio uerò, & mens procedentibus apta nata eſt aduenire uel fieri.

Quibus uerbis apertè ſignificat, uoluntatem eſſe in pueris, antequàm adſit anima

mã rationalis,uel eius operatio. Itaq; cogimur dicere,ipſam uoluntatem pertinere etiam ad partem animæ irrationalem: preſertim cum tertio Eth. loco paulo antè citato,dixerit Ariſtoteles uoluntatem eſſe impoſſibiliũ,ut immortalitatis: electio uerò eſt duntaxat partis rationalis, non omnis quidem, ſed eius quæ eſt practica & deliberatiua. Quocirca Ariſtoteles intelligens fortaſſe de uero intellectu practico,non de eo qui habet locum intellectus, ut phantaſia & ſenſus, protulit,electionem eſſe communem intellectui & appetitui: quod quidem dici de uolũtate, ex eis quæ dicta ſunt,non poterat. 3. Ethic. cap. 5.

Ad Ariſtotelis uerba, qui modò dixit uoluntatem eſſe partis rationalis, modò irrationalis, reſponderi poteſt: eum ita dixiſſe accipiendo uoluntatẽ nõ propriè, ſed communiori uocabulo, & ex uulgari hominũ opinione,de qua re in ſuperioribus uerba fecimus. Nihil tamẽ impedire uidetur, quin dicamus,ipſam quoq; eſſe duntaxat in hominibus, & ſi ſit partis irrationalis. quia ſcilicet eſt illius partis irrationalis,quę eſt apta nata obedire rationi, quę nõ poteſt cõuenire niſi hominibus. Ita ergo dicendũ uidetur,ſi uolumus uerba Ariſtotelis inter ſe cõuenire et cohęrere.

Ad alteram quæſtionẽ, quare non dixerit Ariſtoteles cõcupiſcentiam quæ eſt appetitus rei ſuauis, & iram quæ eſt appetitus uindictæ, eſſe cõmunem ſenſui & appetitui,cum uideatur utraq; habere eandem proportionem ad ſenſum ,quã habet electio ad intellectum, ut patet ex ipſarum definitione. Dicerem, afferens eandem cauſam,quam attuli ad quæſtionem de uoluntate: Quòd ſicut non dixit uoluntatem eſſe communem intellectui & appetitui, propterea quòd in eo loco accepit intellectũ pro ea parte animæ rationalis quæ eſt practica, cuius partis uoluntas propriè non eſt appetitus: Ita hic etiam non attribuit iram & concupiſcentiam ſenſui uel phantaſiæ, propterea quòd ira & cõcupiſcentia(quas dixit referri ad intellectum)nõ ſunt propriè ipſius intellectus, ſicut electio propria eſt intellectus practici,quod ut ſignificaret Ariſtoteles dixit illud de electione,& nõ de uoluntate,neq; de ira,neq; de cõcupiſcentia,quoniã ipſę non haberent eandem pro poſitionẽ ad ſenſum & intellectũ,quam habet electio ad intellectum practicum. Cùm ergo appareat ratio diuerſitatis,poſſumus reddere hãc rationẽ pro cauſa. ergo enim in præſentia quid aliud dicã non habeo. Quòd ſi non ſatisfaciat hæc reſponſio,poterimus accipere priorẽ reſponſionẽ,uidelicet quòd Ariſtoteles ſumpſerit electionem cõmuniori uocabulo,ut diximus;alios uerò appetitus propriè, quòd nõ eſt alienũ ab eius conſuetudine. Cõſtat enim ex tertio lib. Ethic. electionẽ eſſe propriè appetitũ cõſultatiuum, id eſt qui ſequitur conſultationẽ intellectus. quare ſi dicatur conuenire ei intellectus, neceſſe eſt ut nõ propriè conueniat: quia quod cõuenit alicui propriè,nõ poteſt alteri conuenire propriè. Cur aũt ibi acceperit Ariſtoteles electionẽ cõmuniori uocabulo,nõ alibi, fortaſſe dici poſſet hoc eum feciſſe.ut indicaret partẽ animi qua intellectus iudicat,unũ inter multa poſſe aliquo modo dici electionẽ, quia illud iudicare uidetur eſſe aliquo modo eligere. electio enim ſignificat appetitum unius rei, quæ fuit cum multis collata, ut ex tertio Ethic. cap. tertio colligi poteſt. at non uidetur ſic eſſe uelle: quia uelle aliquid propriè eſt ſine collatione aliquorum. 3. Ethic. cap. 7. 3. Ethic. cap. 3.

In hanc ſententiam explanauimus etiã in ſecũdo libro de Honore tex. Ariſtotelis citatum ex lib. de Cõmuni motu animalium:quòd uidelicet notio eius atq; uis, ut in ſequentibus quoq; oſtendemus,latius accepta fuit non contractẽ.

Iam declaratũ eſt quid ſit electio,& quomodo differat ab appetitu, & à cõcupiſcentia,& ira.perſpicuũ eſt etiam,inter ipſam & uoluntatẽ intereſſe:quia uoluntas poteſt eſſe eorum quæ fieri nullo modo poſſunt,ut immortalitatis:electio uerò nõ eſt taliũ.Item poteſt eſſe eorũ quæ non ſunt in poteſtate noſtra: electio uerò ut ex ſuperioribus patet,eſt duntaxat eorũ quæ ſunt in noſtra poteſtate. ut reges quidẽ uellemus fieri,at non poſſumus id eligere, quia non eſt arbitrij noſtri: ac uoluntas quidem eſt ipſius finis,electio uerò eorum quæ referũtur ad finem: uolumus enim ſanitatem,eligimus autem medicamenta,quæ conducunt ad ipſam.

De uoluntate diximus,eam uideri aliàs eſſe cũ ratione,aliàs ſine ratione. quòd ſi uelimus eam eſſe cum ratione ſemper,neceſſe eſt ut dicamus rationem bifariam ſecari,in ueram,& in apparentem rationem: quæ diuiſio colligi uidetur ex definitio

ne artis,

6.Ethic. cap.5. ne artis, quæ definitur eſſe habitus factiuus cũ uera ratione. etenim niſi eſſet ratio falſa, ſuperuacanee diceretur ratio uera. Quin etiã paulo pòſt definiẽs Ariſtoteles inertiam, quæ ferè eſt artis priuatio, dixit eſſe habitum factiuum cum ratione falſa, circa eas res quæ poſſunt aliter eſſe. Voluntas igitur quæ eſt cum uera ratione, nõ poteſt uelle quæ fieri non poſſint, & dicitur hac de cauſa appetitus rationalis: quã uis aliquando ſit cum falſa ratione, propterea quòd ſatis eſt illi ſi ſit cum ratione, id eſt cum diſcurſu, & ſequatur partem animæ habentem rationẽ, uel ſimpliciter, uel aliquo modo, ut infrà quoq; dicemus. quod non accidit iræ & concupiſcentiæ, quia ſunt appetitus irrationales. nullam enim, aut paruam admodum cogitationẽ adiunctam habent.

Quod autem huiuſmodi poteſtates animæ non cognoſcant, ex hoc præter alia uidetur colligendũ: quòd fruſtra eſſet intellectus, ſi uoluntas & appetitus cognoſcerent atq; intelligerent. Fruſtra enim fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora æquè bene. Si igitur appetitus cognoſceret, nõ indigeret intellectu cognoſcẽte, quod eſt omnium abſurdiſſimũ. Item, uoluntas ſecaret in intellectum & in uoluntatem: quod quidẽ eſſet in infinitum proficiſci.

SECTIO SEPTIMA.

SEd ob ea quæ dicta ſunt, ſi quærat aliquis, nunquid interſit inter electionem & iudicium? Reſpondeo, intereſſe: quia iudiciũ propriè attinet ad partem animi qua intelligimus: electio uerò ad partẽ animi qua appetimus. ex quo efficitur, electionem propriè ſequi iudicium ita ut ſi iudicium ſit rectũ, electio ſit recta: ſin autem iudicium non ſit rectum, electio ipſa nunquam poſſit eſſe recta. Etenim iudicium nihil aliud eſt quàm noticia concluſionum, quæ concluduntur ab intellectu. ut ſi quæreretur, nunquid bellum ſuſcipiendum eſſet contra turcas, & concluderemus per ſyllogiſmum, eſſe ſuſcipiendum: cognitio huius concluſionis, quã intellectus facit, eſt iudicium. Quare rectè dixit Ariſtoteles: Vnumquemq; rectè iudicare quæ cognoſcit, & eſſe eorum optimum iudicem. Electio uerò eſt iudiciũ intellectus, id eſt eligit ſtatim quod iudicauit intellectus: etenim cum intellectus iudicauit ſuſcipiendum eſſe illud bellum, electio neceſſariò id eligit, atq; imperat reliquis animæ potentijs, ut moueantur ad illud bellum ſuſcipiendum.

1.Ethic. cap.3.

At hic contra afferret quiſpiam communem hominum loquendi conſuetudinem, diceretq; ea comprobari, iudicium eſſe idem quod eſt electio: quia dicunt eũ qui bono iudicio eſt præditus, eſſe etiam præditum bona electione.

Cui quæſtioni reſpondeo, alterum alteri conſequens eſſe, ut qui eſt bono iudicio præditus, ſit idem præditus etiam bona electione. & è contrariò non ſequi ex hoc, ut idem ſit iudicium quod electio: multa enim ſe uiciſſim conſequuntur, quæ tamen non ſunt idem, ut patet.

Quæreret item aliquis, Cùm poſitum fuerit intereſſe inter iudicium & electionem, nunquid interſit inter electionem & ingenium? non enim uideri intereſſe. nam cùm dicat Ariſtoteles octauo Topic. ingeniũ eſſe animi facultatem qua poſſumus eligere uerum, & fugere falſum: alterum duorum neceſſariò ſequi, uel ut ingenium ſit idem quod electio, uel ut ſit ipſius electionis ſpecies, quippe quod in eius definitione ponatur.

8.Top. cap.12.

Huic quæſtioni reſpondeo: fieri non poſſe ut ingenium ſit idem quod electio, uel eius ſpecies: quandoquidem eſt idem quod iudicium. iudicium autem ſeiungi ab electione, ſuprà oſtenſum eſt.

Quod autem ingenium ſit idem quod iudicium, uidetur oſtendi poſſe ex definitione ipſius iudicij. ſiquidem nihil aliud eſt uerum iudicium, ut ex quinto Ethic. colligitur, quàm facultas animi, qua poſſumus ex multis rebus propoſitis rectè eligere uerum, & fugere falſum: & ideo qui controuerſijs ciuilibus dirimendis præficiuntur, iudices appellantur: quia cognitis utriuſq; partis rationibus, iudicant quo cum ſit ius, proq; illo ſententiam ferunt.

Hoc poſito, ſic argumentor: Illa facultas animi qua poſſumus ex multis rebus propoſitis eligere uerum, & fugere falſum, dicitur eſſe iudicium: prædicatur enim definitum de ſua definitione. Ingeniũ eſt huiuſmodi facultas: ergo eſt iudicium.

8.Top. cap.12. Minor poſita eſt ab Ariſtotele in octauo Topic. & colligitur etiam ex eis quæ tradit

tradit in octauo cap. tertij Ethic. quod explanauimus, ubi ait: Verum & perfectum ingeniũ eſſe rectè iudicare, & eligere bonum. εὐφυΐαν enim ponimus eſſe idẽ quod latini ingenium dicunt, ut uidentur ferè omnes interpretes uertere. 3. Ethic. cap. 8.

Sed adhuc inſtaret aliquis dicens, ex definitione allata ſequi, iudicium ſaltẽ eſſe partem electionis, uel idẽ quod eſt electio: ſiquidẽ ponitur in definitione iudicij ſeu ingenij electio. deinde ipſi iudicio conuenire definitionem electionis, quæ (ut in ſuperioribus declaratũ eſt) definitur eſſe facultas, qua ex duabus rebus propoſitis alteram accipimus, alteram fugimus.

Reſpondemus, iudicium omnino ſeiungi ab electione, ut dictum eſt: quoniam eſt in parte intellectiua, ipſa uerò electio propriè eſt in parte appetitiua.

Ad rationes autem contrà allatas dicimus, electionem quæ eſt poſita in definitione iudicij ſeu ingenij, nõ eſſe propriè eam de qua nũc loquimur, ut in ſuperioribus diximus, quæ propriè ſequitur cõſultationem intellectus: ſed ſignificare, cum unum uerum ex multis ſumimus: eſſe enim actionem, quam agit pars intellectiua, cuius loco cum deeſſet nomen, poſuit Ariſtoteles electionem, ſatis tamen impropriè, ut mos eſt ipſius: quia electio propriè eſt appetitus, qui neceſſariò ſequitur cõſultationem intellectus. Quod etiam uiſus eſt ipſe oſtendere in primo Ethi. cũ inquit: Electionem eſſe cum ratione & mente. Subſignate autem id nomen, & uidetur innuere ipſum ex alijs eligibile eſſe: quod quidem nihil aliud eſſe poteſt, quàm appetitus ſequens iudiciũ intellectus, in ijs quæ ſunt in poteſtate noſtra: ut colligi poteſt ex uerbis Ariſtotelis quæ citauimus in ſuperioribus ex libro de Motu in communi. ex quo loco planum eſt, iudicium attinere ad intellectum. ait enim, ſenſum & phantaſiam dici intellectum, quia ſunt iudicatiua. neceſſe eſt igitur, ut iudiciũ ſit ipſius intellectus: & cum dixit electionẽ eſſe cõmunem intellectui & appetitui, dicimus eũ ibi accepiſſe nomẽ electionis, ut eius uis ac notio latiſsimè patet, ut uidelicet cõplexu ſuo cõtinet iudiciũ intellectus & electionẽ, quæ eſt appetitus ſequẽs conſultationẽ intellectus, & eſt propriè electio, ut paulo antè explicauimus. 1. Ethic. cap. 5.

Quod uerò dicebatur, definitionem electionis conuenire ipſi iudicio: hoc negamus, quia electio definitur eſſe facultas, quæ eſt appetitus: quæ propterea dicitur ex duabus rebus propoſitis unum accipere. quia ſequitur intellectum qui ex duobus propoſitis iudicat unum uerum, alterum falſum: & quod uerum intellectus iudicat, id poſtmodum electio eligit.

Sed ſtatim aliquis inſtaret dicens, communem hominum loquendi conſuetudinem repugnare ei quod diximus, ingenium eſſe idem quod iudicium. Etenim qui facillime aliquid diſcunt, & bene retinent, dicuntur eſſe bono ingenio prædití. atq; ita eos uocat etiam M. Tullius, qui tamen ſæpenumero dicuntur iudicio carere. Quare fit, ut ingenium ex communi hominum loquendi conſuetudine non uideatur eſſe idem quod iudicium.

Reſpondemus, id quod dictum eſt comprobari ratione allata, quæ quidem iudicio meo uidetur hanc rẽm plane confirmare: pręſertim cum ingenium apud latinos idem ſignificet quod εὐφυΐα apud Græcos, & iudicium idem quod κρίσις. illud enim cõſtat, omnes ferè eos qui Ariſtotelẽ ex gręco in latinum ſermonẽ conuerterunt, εὐφυΐαν conuertiſſe ingenium: idq;, ut mihi quidem uidetur, non ſine optima ratione. quandoquidem apud latinos ingenium ſignificare uideatur, naturam uni cuiq; innatã & ingenitam: quod itẽ apud Græcos ſingnificare εὐφυΐαν, ita in promptu eſt, ut minime neceſſe ſit id oſtẽdere. Itaq; nulla uidetur eſſe uox quæ latinè magis reddat εὐφυΐαν, quàm ingenium.

De uoce autem κρίσις nihil mihi dicendum arbitror. in dubium enim nemini uenire poteſt, quin in lingua latina ei non reſpondeat iudicium.

Ad communem uerò loquendi hominum conſuetudinem, quę contra nos facere uidetur, dicimus multa eſſe probabilia, quæ tamen ſunt falſa: & ſic de ea eſſe dicendum. ut contrà, Multa ſunt uera, quæ nõ ſunt probabilia: quare inquit Ariſtot. in Poëtica: Probabile eſt multa accidere, præter probabile. Et in Ethic. ait: Famã quam multi populi celebrant, non eſſe omni ex parte ueram. in Poëtica. 7. Ethic.

Si quæras, quo nomine uocet Ariſtoteles illam diſcendi facilitatem, ſi quidem non appellat ingenium: reſpondeo, nominare εὐμάθειαν. cap. 14.

Ad M.uerò Tullium,qui uidetur eos qui facile percipiunt & retinent, ingenioſos appellare,dicimus, ipſum non proprie uti eo loco nomine ingenij. Quod ſi quis contendat eum propriè loquutum eſſe,non repugnabimus:ſed dicemus,nos in iſtis nõ ſequi eius ſententiã,ſed Ariſtotelis, quam rationi conſentire opinamur.

SECTIO OCTAVA.

EXplicatis iam partibus animi,cõſequens eſt ut oſtendamus, quantũ quidem per nos fieri poterit, in qua animi parte ſita ſit libertas noſtra. hoc enim eſt quod demonſtrare inſtituimus. Dicimus ergo, omnem libertatem noſtram con ſiſtere,& ſitam eſſe in ea animi parte,quæ dicitur intellectus: & nullo modo reperi ri,neq; in uoluntate,neq; in electione,neq;(ut uno uerbo me expediam) in appeti tu. Idq; dictum intelligi uolumus ex ſententia Ariſtotelis, naturaliter loquentis: non ex ipſa Chriſtiana ueritate,ex qua nunc propoſitum non eſt nobis. Hoc uerò licet ex eis quæ dicta ſunt de natura, & officio ipſius intellectus & uoluntatis, ſatis concludi poſſe uideatur: tamen ut clarius ſit, non dubitabimus alias afferre rationes ad id ipſum confirmandum.

Ac primò ſtatuamus,libertatem noſtram neceſſariò eſſe uel in intellectu, uel in appetitu,ut perſpicuum eſt:quandoquidem non poteſt eſſe in alia parte.

Deinde hãc ipſam libertatem nihil aliud eſſe, quàm facultatem utramlibet contradictionis partem accipiendi. Quod item uidetur eſſe clariſſimum:quia nõ dicitur liber,qui non poteſt niſi unam contradictionis partem accipere:ut ignis, quia non poteſt niſi calefacere, non dicitur liber eſſe naturaliter: & ſerui non dicuntur liberi,quia non poſſunt agere niſi id quod iuſſerit dominus.

His poſitis,argumentamur primò ex definitione uoluntatis, ad hunc modũ: Voluntas eſt appetitus boni cum ratione, ut dictum eſt: ergo fieri non poteſt ut ſit libera. Antecedens perſpicuum eſt ex uerbis Ariſtotelis eo in loco, ubi ait: Nemo enim uult,niſi quod putauerit eſſe bonum: Ex quo ſequitur,ut qui uult, non uelit niſi bonum, Voluntas ergo erit appetitus boni. Eſt præterea cum ratione,quia ſequitur diſcurſum intellectus. nõ tamen efficitur ex hoc,ut ſit neceſſariò cum uera ratione:quia,ut ſuprà oſtendimus, poteſt eſſe etiam ſine uera ratione,ut cùm uolumus ea quę nullo modo fieri poſſunt, ut immortalitatem:& quæ nõ ſunt in poteſtate noſtra,ut eſſe Reges,& huiuſmodi alia.

Conſequentia uerò ſic oſtenditur. Voluntas ſemper appetit bonum : ergo non poteſt appetere quod non eſt bonum : igitur non poteſt appetere malum: non eſt ergo libera,ut patet ex definitione libertatis,quam poſuimus: quandoquidem non poteſt appetere niſi unam partem contradictionis.non enim poteſt uelle malum, quatenus malum eſt.

Item,Quęcunq; agunt homines ſponte,uel ſunt bona,uel apparentia bona,uel iucunda,uel apparentia iucunda:ergo fieri non poteſt ut uoluntas ſit libera. Antecedens eſt ipſius Ariſtotelis, atq; ipſum per ſe perſpicuum eſt. Patet item conſequentia: Quia ſi uoluntas eſſet libera,poſſet agere ſponte quę non eſſent bona uel iucunda,uel quæ non apparerent bona uel iucunda. poſſet enim utramlibet contradictionis partem accipere. Quod cùm non poſſit, ut aſſeramus ipſam non eſſe liberam neceſſe eſt.

Præterea fieri non poteſt,ut quis bonum uideat, & malum ſequatur. etenim nemo ſponte mala cognoſcens eligit. ergo libertas non eſt in electione, uel in appetitu. Probatur Conſequentia: quia ſi eſſet in electione, uel in appetitu,poſſet aliquis eligere mala cognoſcens,ut patet quod eſt falſum.

Item,omnis ars,omnis methodus, omnis actio ſimiliter & electio, appetit bonum:ergo non poteſt appetere malum,ergo non poteſt agere malũ, quatenus malum eſt. electio igitur nõ poteſt eſſe libera:quia ſi hoc daretur, poſſet appetere malum,quatenus eſt malum.

Item,omnia bonum appetunt, ergo non poteſt ulla res appetere malum: quia eſſet falſum,omnia bonum appetere,etenim malum etiam appeteretur. Sed hoc à ueritate & à ſententia Ariſtotelis abhorret:ergo uerum eſt, omnia bonum appetere: ergo appetitus non poteſt eſſe mali.ergo non poteſt eſſe liber: non enim poteſt eſſe utriuſq; partis contradictionis.

Item,

Item, omnis noſtra cognitio & electio appetit bonum: ergo non poteſt appetere malum: ergo ſi appetit malum, appetit ſub ratione boni: igitur non poteſt appetere malum, ut malum: ergo appetitus non eſt liber: quia non poſſumus appetere malum, ſicut poſſumus opinari & intelligere malum, quatenus malum eſt.

Item, in omni actione & electione finis eſt bonum, & huius gratia omnes agunt reliqua: ergo electio & appetitus nõ poſſunt eſſe libera: quia ſi eſſent libera, poſſent homines appetere, & eligere, & agere quod non eſſet bonum. Conſequens eſt falſum: quia eſt contra ſententiam Ariſtotelis, & ueritatem: ergo id unde fluxit, falſum eſſe neceſſe eſt.

Item, omnis prauus ignorat quæ oporteat facere, à quibus oporteat abſtinere: & propter talem errorem multi praui, & omnino iniuſti fiunt: ergo appetitus uel uoluntas uel electio non poteſt eſſe libera. Antecedens eſt Ariſtotelis. Conſequentia probatur: quia ſi uoluntas eſſet libera, uel electio, uel appetitus, homines poſſent agere praua, non ignorantes, ſed ſcientes eſſe praua. etenim poſſent utramlibet partẽ cõtradictionis ſequi: ſed nõ poſſunt agere praua ſcientes: ergo nõ poſſunt utramlibet partẽ contradictionis ſequi: ergo uolũtas & appetitus nõ poſſunt eſſe libera.

Præterea quòd cæteris in conſultatione præferimus, id eligibile eſt: ergo uoluntas uel electio nõ eſt libera. Probatur conſequentia: quia ſi electio eſſet libera, eligi poſſet illud qđ in cõſultatione nõ præfertur: & ita electio nõ ſequeretur iudiciũ intellectus, & eligibile nõ eſſet illud quod præfertur in cõſultatione, quod falſum eſt.

Item, ſi ipſum eligibile eſt conſultabile, appetibile, ex his quæ in noſtra ſunt poteſtate: ergo & ipſa electio erit deliberatiua appetitio eorum quæ in noſtra ſunt poteſtate. nam iudicantes ex conſultatione, appetimus ſecundum ipſam cõſultationem: ergo appetitus non eſt liber: quia ſi eſſet liber, non appeteremus quæ iudicata fuiſſent ex conſultatione: poſſemus enim appetere eorum contrarium.

Item, uoluntatis obiectum eſt uel bonum uerum, uel apparens bonum: ergo uoluntas nõ poteſt eſſe libera. quia ſi eſſet libera, poſſet uelle malum, ut malum: & ſic eius obiectum non eſſet uel bonum uerum, uel apparens bonum: quia malũ etiam eſſet eius obiectum. Auctoritas aũt eſt Ariſtotelis lib. tertio Ethic. cap. ſeptimo. 3. Ethic. cap. 7.

Item, multis uidetur fieri deceptio propter uoluptatem, quæ cùm non ſit bonum apparet eſſe bonum: eligunt ergo iſti iucundum tanquam bonum, dolorem autẽ tanquam malum fugiunt: ergo libertas non eſt in uoluntate, quia ſi eſſet in uoluntate, poſſent eligere malum, ut malum, & hoc modo non deciperentur. ſed hoc eſt falſum: ergo id unde ortum eſt, à ueritate abhorrere neceſſe eſt.

Item, nemo uult quod non putat eſſe bonum: ergo libertas non eſt in uoluntate. quia ſi eſſet in uoluntate, poſſet aliquis uelle quod non putat eſſe bonum, haberet enim poteſtatem ad oppoſita. at non habet: ergo neceſſe eſt uoluntas nõ ſit libera.

Item, quod eſt in mente affirmatio uel negatio, hoc in appetitu eſt perſequutio uel fuga: ergo appetitus non eſt liber: quia ſi eſſet liber non perſequeretur uel fugeret id quod affirmaret uel negaret intellectus: etenim quod ſequitur in operatione ſua neceſſariò id quod alterum operatur, nullam habet libertatem ut patet. ſi uerò appetitus non ſequeretur neceſſariò iudicium intellectus, falſum eſſet, quod eſt in mente affirmatio uel negatio, id eſſe in appetitu proſequutionem uel fugam: libertas ergo eſt in intellectu, non in uoluntate. 6. Eth. capite 2.

Item, ſi hæc ſunt uera quæ dicit Ariſtoteles, ſi quis naturaliter inſpiciat cauſam, alia eſt uniuerſalis ſcientia, alia ſingularium rerum quibus ſenſus iam dominatur. Cũ aũt ex illis ſit una, neceſſe eſt ut cõcluſioni huic quidem aſſentiatur animus, & in his quæ factũ requirunt, ſtatim agat. ueluti ſi omne dulce guſtare oportet, hoc aũt dulce tanquam unũ ex ſingularib. neceſſarium, qui poteſt nec prohibetur ſimul ex hoc agere.

Si hæc inquam uera ſunt, ſequitur ut appetitus nõ ſit liber: neceſſe enim eſt ut appetat id quod concluſum eſt ab intellectu: quod enim pendet ab alio, id liberũ non eſſe, plane conſtat.

Item, ſi omnes agunt omnia cauſa apparentis boni: ergo uoluntas non eſt libera. non enim poteſt agere malum, ſed cogitur ſequi apparens bonum. 1. Polit. cap. 1.

Item, ſi ſentire quidem ſimile eſt ipſi dicere ſolũ, & intelligere: cum aũt delectabile eſt, aut triſtabile, aut affirmans, aut negans, proſequitur aut fugit: ergo uoluntas nõ poteſt eſſe libera, ſequitur enim affirmationem uel negationẽ intellectus, quod 3. de Anima. 28.

quidem nihil aliud eſt quàm ſequi iudiciũ intellectus. Ex quo apparet, fieri nõ poſ-
ſe ut ſit libera. quod enim ab alio pendet in ſua operatione, quin id careat libertate,
in dubium uenire non poteſt.

3. de anima Item, ſi intellectiuæ animæ phantaſmata, ut ſenſibilia ſunt, cũ autem bonum aut
tex. 30. malum, affirmat aut negat, fugit aut proſequitur, propter (quod uidetur) nequaq̃ ſi
„ ne phantaſmate nihil intelligit anima: ergo uoluntas uel appetitus non eſt liber, ut
ex eis quæ dicta ſunt perſpicuum eſt.

3. de anima Item, ſi aliquando his quæ ſunt in anima phantaſmatibus, aut intellectibus, tanq̃
33 & 34. uidens ratiocinatur, & deliberat, & cõſentit futura & præſentia: ut cùm dixerit, ubi
„ lætum aut triſte hic fugit, aut mutatur, & omnino in actione. eſt autem uerum & fal
„ ſum in eodem genere çum bono & malo, ſed in eo quod ſimpliciter differt, & quo-
dam. Ergo appetitus non eſt liber: quod enim in operatione ſua ſequitur actionem
alterius, ut id non poſſit eſſe liberum neceſſe eſt.

Item libertatem noſtram eſſe in intellectu, & non in uoluntate, planè colligi uide
Lib. de cõ- tur ex eis quæ dixit Ariſtoteles in lib. de Communi motu animal. ubi inquit: Ad ali
muni motu quam rẽ intelligendã oportet efficere ratiocinatione, uel ſyllogiſmum, cuius finis ſit
animal. concluſio: quippè quę eſt ſcientia, & finis. Sed ſi aliquã rem efficere uolumus, opus
„ eſt ut in primis efficiamus ratiocinationẽ, cuius finis ſit concluſio, quę quidẽ eſt ope
„ ratio: ueluti quãdo intellectus ratiocinabitur oportere omnẽ hominem ambulare,
„ & quod ego ſim homo, ſtatim ego deambulabo: & quando dicet nullũ hominẽ de-
„ bere ambulare in tali tẽpore, & quod ego ſim homo, ubi uis mihi nõ inſeratur quie-
„ ſcam: Itẽ oportet me res quæ mihi ſint bonæ efficere: domus eſt res mihi bona, ergo
„ domũ oportet me efficere: quare ſtatim ſi fieri poterit, domũ ædificabo. Itẽ, oportet
„ cuius ego indigeo, oportet me efficere ueſtẽ, ueſtis eſt illa cuius ego indigeo: ergo
„ ueſtẽ oportet me efficere. operatio igitur eſt concluſio. & propoſitiones talis cõclu
„ ſionis fiunt duobus modis, & ex duobus locis eliciũtur: ex locis uidelicet ipſius bo-
„ ni, & ipſius poſſibilis. Sed ſępe accidit, ut cũ altera ex duabus ꝓpoſitionibus ſit per-
„ ſpicua, nos ipſam nõ conſideremus: ut exẽpli gratia, ſi ſit homini bonũ deambulare,
„ non cõſiderabo me eſſe hominẽ, quia res ita in promptu eſt, ut nulla cogitatione in
„ digere uideaẽ. Quare res quas ſine ratiocinatione efficimus, illico efficimus, ut ſępe
„ accidit, ut actio appetitus locũ ratiocinationis tenere uideatur. cõcupiſcẽtia, inquit
„ bibendi indigeo: & ſenſus uel phantaſia, uel mens inquit, hoc eſt bonũ ad bibendũ:
„ et ſtatim ego bibo, nõ poſſumus igitur aliquid efficere, niſi in primis efficiamus ſyl-
„ logiſmum, ſaltem latenter, & efficimus quod concluditur ex illo ſyllogiſmo.

Ex his enim ſequitur, ut uoluntas non ſit libera. nam ſi eſſet, nõ cogeretur ſequi
concluſionẽ ſyllogiſmi, qui ſit ab intellectu cũ quid agitur: quia quod in ſua operati
one neceſſario ſequitur id quod ab alio oſtenditur, nõ poteſt dici liberũ: uolũtas ne-
ceſſariò ſequitur in ſua operatione cõcluſionẽ ſyllogiſmi, quẽ facit intellectus, alio-
quin ſine ſyllogiſmo poſſemus agere aliquid (quod eſt euertere uerba Ariſtotelis,
quæ recitauimus) ergo uoluntas non eſt libera. libertas igitur erit in intellectu, ipſe
enim eſt qui ſyllogizat, ut probat Ariſtoteles in fine rationis.

3. de anima Item ex his uerbis: Vnde ſemper mouet appetibile: ſed hoc eſt bonũ, uel apparẽs
51. bonũ: Sequitur appetitũ non eſſe liberum. Quia ſi eſſet liber, non omne appetibile
haberet rationem boni: ſed malum etiam, ut malum, eſſet appetibile.

Hanc quoq; concluſionem ratione corroborare & ſtabilire poſſumus ad hunc modum: Voluntas, & electio, & appetitus non cognoſcunt: ergo non poſſunt eſſe liberi. Cõſequentia perſpicua eſt: quia libertas nõ poteſt eſſe ſine cognitione. oportet enim utranq; partẽ contradictionis cognitã habere. Antecedẽs ſic oſtenditẽ: Si uoluntas & appetitus cognoſcerent, fruſtra eſſet uel intellectus, qui nõ eſt pars appetitus, uel intellectus ipſius appetitus. Cõſequentia probatur: quia homo indiget operatione, eius enim ſummũ bonũ eſt in operatione: ergo indiget appetitu. niſi enim appeteret, nõ poſſet operari: ſed nõ poteſt appetere aliquid, niſi cognoſcat illud eſſe bonũ, ut perſpicuũ eſt: ergo neceſſe eſt ut habeat potentiã aliquã, qua illud cognoſcat: ergo oportet ut habeat intellectũ. ſed unus tantũ intellectus poteſt hoc pręſtare, ut patet: ergo fruſtra eſſet uel intellectus qui nõ eſt pars appetitus. uel intellectus ipſius appetitus. ſed fruſtra nõ eſt intellectus, qui nõ eſt pars appetitus: ergo falſum eſt quod appetitus cognoſcat. id quod probare inſtitueramus.

Item,

Item, eſſet progreſſus in infinitū in intellectibus, in appetitibus, & in uolūtatibus,
ut diximus etiā ſuprà. Conſequens falſum eſt: ergo & id unde deducitur falſum ſit ne
ceſſe eſt. Probatur conſequentia: quia ſi appetitus cognoſceret, diuideretur in intel-
lectū & in appetitū. tunc quærā de hoc appetitu, utrū cognoſceret, nec ne: ſi nō co-
gnoſceret, ergo neq; primus appetitus cognoſcere deberet: etenim nō eſt maior ra-
tio unius q̃ alterius. ſin aūt cognoſceret, ergo diuideretur in intellectū & in appeti-
tū, quia appeteret & intelligeret. Iſtæ enim ſunt actiones ſeiunctæ. & quatenus intel
ligeret, diceretur intellectus: quatenus uerò appeteret, diceretur appetitus. ſicut di-
ctum eſt, partem animæ quæ ui ſua eſt rationalis, ſecari in intellectū & in uoluntatē,
ex diuerſis ipſius actionibus, cū ſit una & eadem res. Tunc etiam licebit quærere de
alio appetitu, & ſic ibitur in infinitum: quod quidem à natura abhorrere conſtat. Ne-
gare igitur non poſſumus appetitum eſſe cæcum, neq; eo poſſe hominē cognoſcere,
ſed duntaxat appetere: Intellectū uerò eſſe quo intelligimus atq; cognoſcimus: Sex-
centa ſunt alia Ariſtotelis loca, ex quibus colligi poteſt, libertatem noſtram eſſe in in
tellectu, & non in appetitu. Sed ea quæ attulimus, ſatis uidentur idonea ad eam
quam propoſuimus concluſionem confirmandam atq; ſtabiliendam.

SECTIO NONA.

REſtat iam, ut excutiantur illa quæ uidentur hanc ſententiam labefactare atq; in-
fringere, ut intelligatur quid tandem de hac re ſentiendū ſit: etenim multorum
mentes imbuit opinio hæc. quod libertas ſita ſit in uoluntate, & in appetitu, nō in in-
tellectu. Quare auctoritates & rationes, quæ pro illa facere uidentur, in medium affe
rendæ ſunt, ac tollendæ, ut firma ac ſtabilis, & non errans uagaq; concluſionis propo
ſitæ noticia relinquatur.

Primò igit̃ argumentari licet ad hunc modū. Si eſſet uerū, uoluntatē noſtrā & ap-
petitiones eſſe cæcas, & nullam habere cognitionē ac libertatē, euerterentur multi
Ariſtotelis loci, omninoq; rationi atq; experientiæ repugnaretur. Conſequens eſt ab
ſurdū: ergo id unde ortū eſt, falſum eſſe neceſſe eſt. Cōſequentia ꝓbatur, ac primū qui
dem quòd multi euerterentur Ariſtotelis loci. nā is primo Rhet. Quę igitur (inquit) 1. Rhet.
ſpōte facimus, non omnia eligimus: quæ aūt eligimus, omnia cognoſcimus. Ex qui- cap. 10.
bus uerbis planè ſequitur, ut ſi eligamus peccata, electio cognoſcat ipſa, q̃a nō ea eli-
geret: ergo appetitus cognoſcet, & nō erit cæcus, neq; ſemper appetet bonū uerum
uel apparens. ex quo deinde efficitur, non omnem prauū eſſe ignorantē, quia prauus
praue agit ex electione: et qui agit ex electione, cognoſcit: ergo prauus, praue agen
do cognoſcit, ergo non eſt ignorans.

Item ait tertio Ethic. cap. quinto: Videntur aūt non eadem eſſe ante eligere opti- 3. Ethi.
ma, & opinari: ſed nonnulli opinant̃ quidē melius, ꝓpter prauitatē eligunt quæ non cap. 5.
oportet. Vnde ſequit̃, ipſam electionem cognoſcere malū, quia eligit illud: Et falſum
eſſe, omnē prauū eſſe ignorantē, & ignorare principia rectè agendi, quia cognoſcit
melius, & agit propter prauitatē, quod non oportet, ergo non ignorat.

Eodē loco dicit, electionē eſſe ſpontaneā: eſt ergo libera, alioqn nō eſſet ſpōtanea. 3. Ethic.
Item, uoluntatem eſſe rerum quæ fieri non poſſunt: ex quo ſequitur, ut ſit libera. capite 5.
Probatur conſequentia: quia fieri non poteſt, ut intellectus & ratio oſtendant uolun 3. Ethic.
tati, appetenda eſſe illa quæ fieri non poſſunt. capite 5.

Item cap. decimoquarto eiuſdem libri inquit: Incontinens, quòd non putat eſſe fa
ciendum, facit: ergo facit contra iudicium intellectus. idq;, quoniam ita uult: uolun- 3. Ethic.
tas ergo eſt libera: eſt enim appetitus non ſolum boni, ſed etiam mali. Quare ſequi- capite 14.
tur etiam, non omnem prauum eſſe ignorantem.

Item quinto Ethic. ait: Qui fuit inſidiatus, non ignorat. Falſum eſt ergo, omnem
prauū eſſe ignorantem: quia inſidians eſt prauus, & tamen non ignorat: ergo uolun- 5. Ethic.
tas non ſequitur intellectum. capite 14.

Itē inquit ſeptimo Ethic. Incontinēs, ſciens praua eſſe, facit per paſſionem: conti- 7. Ethic.
nens aūt, ſciens quòd prauę ſint cupiditates, nō ſequitur, propter rationes: ergo non capite 3.
omnis prauus eſt ignorans. Incontinentem enim prauū eſſe conſtat: ergo uoluntas
& appetitus ſunt libera, quia poſſunt appetere malum, quatenus malum.

Quid uerò? nonne Ariſtoteles eodem loco Socratem redarguit, qui rationibus 7. Ethic.
ijs quæ oſtendunt libertatem ſitam eſſe in intellectu, & uoluntatē eſſe cæcam, cona- capite 3.
batur probare, nullum reperiri incontinentem: quandoquidem ille dicatur inconti-

nens,qui ſciens praua agit:neminem autem aiebat eſſe,qui ſciens praua ageret. Cùm igitur Ariſtoteles refellat hanc opinionem,cogimur fateri,eũ euertere rationes quæ pro illa uidentur facere:& confiteri,incontinentem praua agere, non ignorantem, ſed ſcientem,& uoluntatem noſtram eſſe liberam.

7. Ethic. capite 7. Item ſeptimo cap. eiuſdem libri:Incontinens,inquit,quod non putat quidem,pro ſequitur:ergo non ſequitur appetitus iudicium intellectus.

9. Ethic. cap. 5. Item nono Ethic.cap.quinto ait:Hi rurſus propter timiditatem & ineptiam abſtinent facere ea,quæ ſibi ipſis optima uidentur:ergo non omnis malus eſt ignorans.

9. met. tex. 9. Item nono Metaphyſ. oſtendit aliquas eſſe poteſtates,quæ poſſunt unam duntaxat partē contradictionis efficere,ut ignis,& alia huiuſmodi:aliquas uerò, quæ poſſunt efficere oppoſita,ut Medicina.Et addit,nihil à nobis fieri poſſe, niſi adſit poteſtas,quæ nos ad alterum oppoſitorũ agendũ impellat.non enim contraria ſimul agere poſſumus:exempli cauſa,habemus poteſtatem ſanandi,& non ſanandi.ſi nō adeſſet potentia,quæ nos impelleret ad ſanandum,nunq̃ ſanaremus:ſed iſta potentia eſt electio & appetitus:electio igitur & appetitus poſſunt facere eam partem contradictionis,quam appetunt:ergo ſunt libera:quia libertas,ut dictum eſt, eſt ad utrumlibet oppoſitorum:non ergo appetitus eſt cæcus,ſed liberi.

1. Rhet. cap. 10. Præterea primo Rhet.cap.decimo,ita ſcriptum reliquit Ariſtoteles:Quare neceſſarium eſt omnia quæcunq; agunt homines,propter cauſas ſeptem agere:per fortunam,& uiolentiam,per naturam,per conſuetudinem,per rationem,per iram,per cōcupiſcentiam.Illa uerò quæ agunt per fortunam,& per uiolentiam,non uidentur appetere bonum:non ergo illud erit uerum, omnia bonum appetere.

3. de anima 87. Item tertio de Anima tex.87.Propter quod,inquit, deliberatiuum non habet appetitum:uincit autem,aliquando mouet deliberationem:ſi appetimus, uincit deliberationem:ergo non ſequitur deliberationem:ergo eſt liber.

3. de anima 47. Item tex. 47. eiuſdem libri dicit: Amplius & præcipiente intellectu,& dicente intelligentia fugere aliquid,aut perſequi,non mouetur:ſed ſecundum concupiſcentiã agit,ut incontinens.Ergo appetitus nō ſequitur intellectum, quia agit præter iudicium intellectus:eſt ergo liber.

Item in problem.ſect.30.probl.11.quærit Ariſtoteles,cur hōmo maximē aliud intelligat,aliud faciat?ergo uoluntas non ſequitur intellectum:ergo eſt libera.

Hi ſunt Ariſtotelis loci,qui uidentur euerti,ſi ſtatuatur,uoluntatem noſtram & appetitiones eſſe cæcas,neq; ullam habere cognitionem & libertatem. Quam opinionem repugnare etiā rationi atq; experientiæ,quæ reliqua erat conſequentiæ deductæ pars,ſic oſtenditur.Qui ſunt fures,qui adulteri,qui ſacrilegi,qui ſicarij,qui parricidæ,& huiuſmodi,hæc faciunt ſcientes ſe praua agere:non enim conſentaneum eſt rationi,quenquam eſſe qui neſciat hæc eſſe praua: ergo falſum eſt, quæ agunt homines,omnia agere cauſa boni ueri,uel apparentis boni.& ita uoluntatis obiectum eſſe bonum uerum,uel apparens bonum:& omnes qui praui ſunt,eſſe ignorantes.

Præterea ſi homines praua agerent ignorantes,nō eſſent propter illa puniendi. Conſequens eſt falſum:ergo id unde emanat,falſum eſſe neceſſe eſt.Probatur conſequentia,quia leges nolunt eos puniri qui peccant ignorantes,quandoquidem decipiuntur à malo,quod ipſis apparet bonum.Quid autem efficere poſſunt ipſi,ſi nemo malũ uult,& unuſquiſq; gratia illius quod apparet ſibi bonũ agit, quicquid agit, & nemo eſt cauſa illius apparentiæ,uidelicet quod malum ſibi bonum uideatur.

Iam uerò nōnne experimur in nobiſmetipſis,nos cognoſcere bonum,& uelle malum.unde eſt illud peruulgatum: *Video meliora,proboq;,Deteriora ſequor.*

Præterea aduerſatur hæc opinio ſanctiſsimę religioni noſtrę:ergo penitus & abolenda,& exterminanda.Probatur id quod antecedit:quia religio noſtra tradit,peccata ideo eſſe peccata,quia ſunt uoluntaria, & cum electione.

Item aduerſatur philoſophiæ morali, quæ docet uirtutem moralem eſſe habitum intellectiuum.Sequitur enim ex hac ipſa opinione,nos ob uirtutes non poſſe laudari,neq; ob uitia uituperari:propterea quod electio cogitur, & non cognoſcit. Quæ omnia cum ſint abſurdiſſima,illa etiam ex quibus fluunt,repudiari debent.opinio ergo iſta deteſtanda eſt,atq; omnino relinquenda.

FINIS LIBRI VIGESIMIQVINTI *Euerſionis ſingularis certaminis.*

LIBER VIGESIMVS SEXTVS.

SECTIO PRIMA.

HActenus attuliſſe mihi uideor Ariſtotelis uerba & rationes, quæ primo intuitu uidentur labefactare atque euertere concluſionem quam poſuimus: uidelicet libertatem noſtram ſitam eſſe in intellectu, ita ut omnis prauitas noſtra, omniſque error conſiſtat in ipſo intellectu, nihilque peccet uoluntas uel appetitus, propterea quòd cogitur id appetere & ſequi, quod iudicauit intellectus: accipiendo nomen intellectus, quatenus complectitur eam partem ſenſus qua cognoſcimus.

Sed quoniam arbitramur hanc concluſionem eſſe ueram, ac peripateticæ doctrinæ maximè conſentire, præter rationes iam allatas conabimur alijs item rationibus eam confirmare ac ſtabilire: deinde ad ea quæ in contrariam partem ſunt allata reſpondebimus. Prima igitur ratio eſt talis.

In ea parte animi, in qua eſt ratiocinatio, eſt libertas: ſed in intellectu eſt ratiocinatio, ut per ſe patet, & ex ijs quæ dicta ſunt in ſuperioribus: ergo in intellectu eſt libertas. Maior probatur: quia ratiocinatio fit, ut uideamus quid ſentiendum ſit de aliqua re, uel quid agendum, aut fugiendum: dataque eſt ratiocinatio illi parti, quæ poſſet accipere utramlibet partem contradictionis, uerum uel falſum in ſpeculatiuis: bonum uel malum, in operatiuis, ne deciperetur. etenim ſi ratiocinatio rectè eſt adhibita, uerum iudicatur uel bonum: ſin minus, falſum uel malum: Quare danda eſt in primis opera, ut rectè ratiocinemur.

Item, ſi libertas eſſet in uoluntate, eſſet in poteſtate noſtra opinari, & credere quæcunque uellemus. Conſequentia perſpicua eſt: quia uoluntas poſſet imperare, ut crederemus quæcunque uellet, & ſtatim ſine ratione ei fidem haberemus. Conſequens euertit Ariſtotelis uerba: ergo & id quod antecedit reijciendum eſt.

Conſequens autem repugnare ijs quæ dicit Ariſtoteles, oſtenditur, quia is ita ſcriptum reliquit: Phantaſia autem alterum eſt à ſenſu, & ab intellectu: & hæc non fit ſine ſenſu. Quod autem non eſt eadem phantaſia & opinio, manifeſtum eſt. Hæc quidem paſſio eſt in nobis, cum uolumus. præ oculis enim eſt facere, ſicut & in recordatiuis poſiti: & idolum ſunt facientes. opinari autem non eſt in nobis, neceſſe enim falſum aut uerum dicere. non eſt ergo in noſtra poteſtate, opinari quod uolumus: quia neceſſe eſt ut opinemur id eſſe uerum uel falſum, quod nobis ſic apparet: ut uerò appareat uerum uel falſum, nõ eſt in poteſtate noſtra, ſed habetur ex ratiocinatiõe: quæ ſumitur ex ipſis rebus. quæ ſi erit rectè adhibita, ut dictum eſt, opinabimur uerum id eſſe, quod re ipſa ſic erit: ſin minus, opinabimur falſum eſſe uerum, & malum eſſe bonum, & ita decipiemur. Cuius quidem deceptionis cauſa erit uel ignoratio, uel rei difficultas, uel praua conſuetudo: uel quia non erimus ſic affecti natura, ut percipere queamus res ipſas eo modo quo ſunt: ſed quocũque modo ſe res habeat, ſatis eſt quòd opinari non eſt in poteſtate noſtra: ergo neque etiam credere: quia ad opinari ſequitur fidem habere, ut declarauit Ariſtoteles ſecundo de Anima, loco in ſuperioribus citato. Fidẽ aũt habere nihil aliud eſt, quàm credere: credere ergo nõ eſt in poteſtate noſtra. 2. de anima tex. 157.

Quod planè ex hoc intelligi poteſt. nam ſi quis polliceretur nobis ſe daturum mille aureos, ſi uellemus credere Regẽ aliquẽ, qui longè abeſſet, nũc ſedere, uerbo quidem poſſemus affirmare, id nos credere, te aũt ipſa nõ crederemus. illud enim nõ euitaremus, quin ſtatim nobis ueniret in mentem, fieri poſſe, ut hoc ipſo tẽpore ille Rex ambularet: quare non crederemus omnino, ipſum ſedere.

Neque uidetur fieri poſſe, ut tantummodo ſponte noſtra credamus alicui religioni (loquimur aũt nunc ex fundamentis naturæ ſalua ſemper incolumique ueritate Chriſtiana, ut ſæpe iam diximus) ſed neceſſe eſt habere auxilio præpotentis Dei, rationes quaſdam & ſigna, quibus appareat illam eſſe ueram, ſicut accidit ſanctiſſimæ religioni noſtræ, cui iure optimo maximam habemus fidem, propterea quòd iudicamus, ac pro explorato & comperto habemus illam eſſe uerã ex ſacris ſcripturis, quæ neque falli neque fallere poſſunt, & ex innumerabilibus miraculis, atque ex præceptis eius, & inſtitutis, quæ non niſi diuinitus excogitari ac tradi poſſe uidentur.

Cum igitur opinari & credere,ut oſtendimus,non ſit in poteſtate noſtra:fieri non poteſt,ut libertas ſit in uoluntate: erit ergo in intellectu.

SECTIO SECVNDA.

SEd cùm dixerimus,neceſſe eſſe ut quod opinamur appareat nobis ita eſſe, id eſt uerũ uel falſum,bonum uel malum: cauſam aũt huius apparentiæ eſſe,uel ignorationem,uel prauam conſuetudinem,uel rei difficultatem,uel quia non ſimus natura apti nati. Contrà inſtabit aliquis,arguens,hinc ſequi ut uitia & uirtutes non ſint in noſtra poteſtate: propterea quod agimus quod nobis apparet bonũ, & nõ ſumus ipſi cauſa huius apparentiæ,ſed eſt uel ignoratio,uel praua conſuetudo, uel rei difficultas,uel natura. etenim cùm naſcamur expertes omnis habitus ſpeculatiui & operatiui,quid nos prȩſtare poſſumus,ſi contingat ut naſcamur in ijs locis, in quibus non ſint morum & bonarum literarum magiſtri: uel ex parentibus qui ignorent quomodo liberi ſint inſtituendi,uel qui propter inopiam & egeſtatẽ non poſſint eos ut par eſt educare. ſi item naſcimur in ea ciuitate, quæ malis moribus ſic imbuta, ita ut neceſſe ſit cum prauis hominibus dies & noctes uitam degere. Iam uerò quid eſt quod poſtuletur à nobis,ſi naſcimur hebeti ingenio, ita ut ne ratiocinari quidem poſſimus & falſum à uero,malum à bono diſtinguere: accuſanda enim eſt ipſa natura,non homines qui ita naſcuntur. Quid etiam ſi res ita difficiles ſint,ut decipi facile poſſimus: non erit ergo uerum,nos eſſe liberos.

Ad hanc ſanè difficilem quæſtionem reſpodemus, de ijs quidem quȩ uitio naturæ ſecus apparent nobis atq; oportet,nos minime eſſe accuſandos, neq; increpandos: quia non erat in poteſtate noſtra,fieri aptos natos ad rectè diſcernendũ uerũ uel falſum,bonum uel malũ: ſed tales ſimus,quales natura nos generauit. Quare ſi huiuſmodi homines ſimpliciter & abſolutè non poſſint dici liberi,id tamen nõ euertit omnino ſententiam noſtram: quippe qui uerba facimus de ijs hominibus qui naſcuntur apti nati ad iudicandũ,ut diximus: hoc enim eſt per accidens,non per ſe. Quod autẽ diximus homines eſſe liberos,intelleximus hoc eſſe uerum per ſe, & quantum attinet ad naturam ipſorum: atq; etiam, quia maiori ex parte naſcuntur homines natura apti ad comparandos habitus tum ſpeculatiuos,tum practicos. Quod fortaſſe ſpe-
2. Ethic. ctans Ariſtoteles ſecundo Ethic. cap. primo,(quem locum citauimus etiam in ſupe-
cap. 1. rioribus,cùm de animi immortalitate diſputaremus) hæc protulit uerba: Non igitur
2. Ethic. natura,neq; præter naturã fiunt in nobis uirtutes,ſed fiunt in nobis aptis natis ad eas
capite 1. ſuſcipiendas, ſed perfectis per conſuetudinem.

Videtur enim dixiſſe,homines naſci aptos natos ad ſuſcipiẽdas uirtutes, quia maiori ex parte & per ſe ſic naſcũtur: nõ tamen ei fuit propoſitũ negare,naſci aliquos ſine illa aptitudine: ſed quia hoc erat per accidens,nullã eius rei mentionẽ fecit. quod
1. Ethic. indicauit primo Ethic. ubi de beatitudine humana loquens dixit: Fieri enim poteſt
cap. 13. ut inſit omnibus,qui non ſunt impediti ad uirtutem per quandã diſciplinam & cu-
" ram. Sunt ergo aliqui ita natura affecti,ut nõ poſſint uirtutes acquirere: qui quidem, quin multo minus apti nati ſint ad habitus ſpeculatiuos comparandos, in dubiũ uenire non poteſt. Atq; huiuſmodi ſanè homines fatemur paruã libertatẽ habere, quia maiori ex parte decipiuntur,non tamen ſemper: ita enim nullo modo eſſent liberi, ſed tanq; mancipia & belluæ,meritoq; dicerentur ſerui natura: quod tamen non eſt per ſe,ſed per accidens. & hoc modo nihil impedit,quin ſint uera. & quæ ab Ariſtotele,& quæ à nobis ex eius ſententia dicta ſunt.

Concedimus item,ignorationem eſſe cauſam apparentiæ: negamus tamen, hanc tollere libertatem noſtram: quia per ſe erat in poteſtate noſtra,ſicut dictum eſt, non ignorare. ſed ignoratio & praua conſuetudo,& mala educatio, & paupertas, & rei difficultas,eò tantum pertinent,ut intelligamus qui nam ſuorum errorum ueniam merearntur,qui ſecus: Quocirca per hæc non tollitur,quin homines per ſe ac natura ſint liberi: id quod nobis propoſitum fuit ad probandum.

SECTIO TERTIA.

SEd ueniamus iam ad quæſtionum earum quæ propoſitæ ſunt diſſolutionem: In primiſq; hoc ſtatuamus, aliud eſſe agere ignorantes, ut declarauimus in ſuperioribus: aliud agere per ignorationem. agunt enim ignorantes, illi qui prauè agunt, eo modo quo agunt ebrij & irati: qui inebrietate illa & ira ſi interficiãt aliquem, non

agunt

agunt per ignorationem, quia antequã eſſent in illa ebrietate & ira ſciebant malum
eſſe homines interficere (loquor de iratis ſine electione) ſed dum uerſantur in illo af
fectu atq; animi pertubatione, agunt pro eo tempore ignorantes: quia non cogitãt
illam ueram propoſitionem, quam nouerant, uidelicet neminem eſſe interficien-
dum. ſed interfectio illa occurrit eis ut bonum, quia habent aliam propoſitionem,
uerbi gratia, bonum eſſe uindictam ſimpliciter facere. & hoc modo ignorant pro
eo tempore principia bene agendi.

Per ignorationẽ uerò dicuntur agere illi, qui prauè agunt, nullam habentes prius
noticiam illius rei quam agunt: qua de re in ſuperioribus longum habuimus ſermò
nem. & iſti agunt etiã ignoranres: quia quicunq; agunt per ignorationẽ, neceſſariò
agunt etiam ignorantes, ut perſpicuum eſt. non tamen retro commeat, ut qui agunt
ignorantes, agant per ignorationem. nam ebrij & irati agunt ignorantes, non ta-
mẽ per ignorationem: ut ſi quem interficiant. ſciebant enim, antequam in illa ira uel
ebrietate eſſent, neminem eſſe interficiendum. Quare inquit Ariſtoteles quintò E-
thic. loco ſuperius etiam citato: Quæcunq; enim non ſolũ ignorantes, ſed per igno- 5 Ethic.
rationem peccant, ſunt digna uenia: quæcunque autem non per ignorationem, ſed capite 14.
ignorantes quidem per paſſionem non naturalem, neque humanam, non ſunt di- "
gna uenia. "

Et ob hanc cauſam dixit etiam: omnem prauum eſſe ignorantem: quoniam tem-
pore illo quo prauè agit, ignorar principia bene agendi: id eſt ignorat eas propoſi-
tiones ſyllogiſmi, ex quibus emanat illa concluſio, quæ ipſum adhortatur ad rectè
agendum, & dehortatur à malo.

Homo enim prauus ſcit hanc propoſitionem, Homines non eſſe occidendos:
(nulli enim, modo ſit ſanus, hoc poteſt eſſe ignotũ) nihilominus occidit aliquẽ: quo
niam in eo tẽporis puncto obliuiſcitur propoſitionis ueræ, uel non cogitat ipſam;
ſed recordatur alterius falſæ, uidelicet bonum eſſe homines occidere, ut euadamus
ſuperiores, uel ut uindictam ſumamus. cuius falſę propoſitionis recordatione com
motus, hominem interfecit. & ideo dicitur ignoranter hoc feciſſe: quia eo tempo-
re uictus ab ira, & quaſi obcæcatus, uel ab aliquibus alijs cauſis, quib. uidemus quo-
tidie homines commoueri, & ad aliquid agendum impelli, non intelligit illam pro
poſitionem, Neminem eſſe occidendum. quia ſi in eo puncto temporis uel recorda
retur ipſius, uel intelligeret eam, quamuis ore eam proferat, non poſſet interficere
aliquem. etenim omnis noſtra actio appetit bonum.

SECTIO QVARTA.

HIs poſitis, putamus non inutile futurum, ſi explanemus tertium capùt ſeptimi
Ethic. lib. in quo tradit Ariſtoteles modum, quo & ea quæ dicta ſunt intellige
re, & quæſtiones propoſitas diſſoluere facile poterimus.

Cùm igitur Ariſtoteles propoſuiſſet, quærendum eſſe utrum incontinentes age
rent ſcientes, necne: & ſi agerent ſcientes, quomodo hoc fieret: hoc autem loco ac-
cipitur nomen ſcientiæ communiori uocabulo, ut ſignificat etiam opinionem: ete-
nim hoc non refert ad eam rem de qua agitur. & cùm id feciſſet Ariſtotes. quia So-
crates omnino tollebat incontinentiã, negans poſſe quemquã facere cõtra id quod
ſciret eſſe bonum. ſicut uidebat̃ facere incõtinens, ſed hoc accidere ſolum propter
ignorationẽ. Cùm ergo uellet Ariſtoteles remouere hũc errorẽ & Socratis opinio
nẽ refellere, affert in hoc cap. diſſolutionẽ quæſtionũ ꝓpoſitarũ: quod quidẽ caput
in multas diſtribuit̃ partes, ut erit perſpicuũ. In prima declarat, intereſſe, utrũ is qui
agit ea quæ non oportet agere, habeat ſcientiam, ſed nõ utatur, an habeat, & intelli
gat ſe agere, ſupple quæ non oportet. Etenim hoc (inquit) uidetur graue, id eſt hoc ui
detur abſurdum. ſed non eſt, ſupple abſurdum, quod ſciens agat quæ non oportet,
ſi agat non contemplans: eſſet quidem certè abſurdum ſi haberet ſcientiam, & con-
templaretur illam, deinde ageret quæ non ſunt agenda. hoc enim fieri non poſſet:
quia nemo uerè cognoſcens, poteſt uelle malũ, quatenus malũ eſt: ergo neq; agere:
& ad hoc declarandum accipit iſtam propoſitionem, uidelicet ſcire dupliciter dici:
Etenim, inquit, Et is qui habet ſcientiã, ſed nõ utitur ipſa, & is qui utitur ipſa, dicitur
ſcire. ſi ergo ſcire duobus his modis dicitur, neceſſe eſt ut interſit inter ea quæ dicta
ſunt, aliter enim ſcire, & nõ uti ſciẽtia, non eſſet diuerſum ab ipſo ſcire, & uti ſciẽtia:

Hanc uerò diſtinctionẽ ueram eſſe patet: quoniam fieri poteſt ut aliquis geometriæ ſcientiam optimè teneat, & tamen nihil de ipſa geometria cogitet: ut, exempli cauſa, cùm is dormit. habebit enim habitũ geometriæ, & tamen eo tempore non utetur eius ſcientia. alius item dicetur ſcire geometriam, cùm habebit habitum geometriæ, ipſamq́; contemplabitur: uterq; igitur dicitur habere geometriã, & ille qui habet & non utitur, & ille qui habet & utitur. ex quo concludit Ariſtoteles, ualde intereſſe utrum qui ſciat & non cogitet, an ſciat & cogitet. & ait, hoc uideri abſurdum, quod aliquis ſciens prauè agat: ſed negat eſſe abſurdum, niſi is ſpecularetur: quia nemo quidem poteſt ſciens & cogitans facere quæ non oportet, ſed poteſt aliquis ſciens, & non cogitans.

» Prɇterea quoniam duo ſunt modi propoſitionum.) Poſtquam oſtendit Ariſtoteles ſcire duobus modis dici: quoniam habens ſcientiam, et non utens ipſa, dicebatur ſcire: & habẽs & utẽs. atq; ex hoc intuliſſet, intereſſe inter eum qui ſcientiã haberet, & non uteretur, agendo ea quæ non oporteret: & inter eum qui haberet atq; uteretur, dixiſſetq́; hoc quidem eſſe abſurdum, quod is qui haberet & uteretur, cogitans ſcilicet atque contemplans, prauè ageret: at non illud, quod qui haberet, & non uteretur, nihil ſcilicet cogitans & contẽplans: in hac parte oſtendit modum quo incontinentes agunt incontinenter. Et inquit, poſitis iſtis, præter ea quæ dicta ſunt, dicimus, fieri poſſe ut aliquis agat incontinẽter, habendo duas propoſitiones, & utendo uniuerſali, & non ſingulari. Præterea quoniam ſunt duo modi propoſitionũ, ex quibus, ſupple impellimur ad agendũ: etenim declarauimus in ſuperioribus ex ſententia Ariſtotelis, fieri non poſſe ut aliquid agamus, niſi habeamus duas propoſitiones, in actu, uel habitu: id eſt niſi agamus ui ſyllogiſmi, quippe qui cõſtat ex duabus propoſitionibus (concluſio eñ non eſt pars ſyllogiſmi, ſed eius effectus, ut ex ipſius deſcriptione colligitur) ac licet homines rudes ignorent hanc ratiocinationẽ, nihilominus agunt & ipſi eius ui: ſunt ergo duæ propoſitiones, ex quibus operamur: quia ſcilicet operamur ex ſyllogiſmo. qui conſtat ex duabus propoſitionibus, quarum una eſt uniuerſalis, altera ſingularis.

His ita conſtitutis, ponit Ariſtoteles hanc concluſionem: quod cùm duæ ſint huiuſmodi propoſitiones, nihil impedit quin is qui eas haber, agat præter ſcientiã ipſarum. quod ait euenire, quia fieri poteſt ut conſideret uniuerſalem, & ipſa utatur, ſingulari aũt non utatur. Hoc enim perſpicuũ eſt ex eo quod diximus, fieri poſſe ut aliquis habens ſcientiam, & non utens, agat ea quæ nõ oportet. & hoc non eſſe abſurdum: ſed eſſe abſurdum, ſi ageret ea quɇ non oportet, ſciens & cogitans: fieri ergo poterit, ut aliquis habeat ſingularem propoſitionem, & non utatur ipſa, quoniam (ut oſtenſum eſt) qui habet ſcientiam, & non cogitat, dicitur ſcire. quare non eſt mirum ſi agat contra eam propoſitionem, quam habebat. Et quia potuiſſet aliquis negare opus eſſe nobis ſingulari propoſitione ad agendum, oſtendit hoc eſſe falſum, quia agibilia ſunt ſingularia. ergo neceſſe eſt ſyllogiſmos qui ſunt de agibilibus, habere alteram propoſitionem ſingularem.

» Differt autem.) Quoniam dixerat Ariſtoteles, fieri poſſe ut habens duas propoſitiones, agat præter ſcientiã ipſarũ: & declarauerat hoc euenire propterea, quia poſſumus uti uniuerſali ꝓpoſitione, & non uti ſingulari: potuiſſet aliquis dubitare quo modo hoc fieri poſſet. nam cùm uniuerſalis propoſitio habeat ſemper coniunctam ſecum propoſitionem ſingularẽ, non uidetur quis poſſe habere uniuerſalem, & uti ipſa, quin etiam utatur ſingulari. huic tacitɇ dubitationi occurrit mea quidẽ ſententia Ariſtoteles dicens uniuerſale differre, id eſt intereſſe inter ipſum uniuerſale: quaſi dicat, uniuerſale non ſimpliciter & uno modo dici. etenĩ aliud eſt uniuerſale in ſeipſo, aliud in re: id eſt, aliud eſt uniuerſale quod habet ita coniunctam ſecũ ſingularem propoſitionẽ, ut ipſa prolata intelligatur ſtatim ſingularis propoſitio: de quo, ſupple non loquimur in exemplo noſtro. aliud uerò eſt uniuerſale in re, id eſt quod non habet cõiunctam ſecũ ſingularem propoſitionẽ, ita ut prolato ipſo uniuerſali, ſtatim intelligamus ſingularẽ propoſitionem, & hoc uniuerſale facit ad rem noſtrã. Prioris uniuerſalis dat exẽplum, cùm inquit: ut quòd omni homini conferunt ſicca, & quòd iſte ſit homo, poſito illo uniuerſali, & cõſiderato, nõ poſſumus facere quin ſtatim cõſideremus & intelligamus ſingularẽ propoſitionem: non enim poſſumus eius obliuiſci, & non intelligere ipſam.

Alterius autem uniuerſalis exemplum poteſt eſſe hoc.ſi ſciamus omnia quæ purgant choleram, eſſe ſicca:& nobis oſtendatur aliqua herba, quæ uerè choleram purget,ignoremus tamen illam herbam purgare choleram: propoſitio illa uniuerſalis, omnia quæ purgant cholerã ſunt ſicca,non habebit ſecũ coniunctam ſingularem propoſitionẽ, uidelicet Hæc herba purgat choleram, ita ut ipſa uniuerſali inſpecta conſideretur neceſſariò,& cognoſcatur ſingularis. quia poteſt quiſpiam habere & cogitare uniuerſalem,ignorare uerò ſingularem,quum tamen reuera illa ſingularis contineatur ſub illa uniuerſali: quæ propter hanc cauſam dicitur uniuerſale in re, id eſt uniuerſale quod habet in re ſingularem propoſitionem, non in apparentia. & hoc intellexit Ariſtoteles,cùm dixit, quod ſiccum tale: id eſt, quod omne purgans choleram eſt ſiccum:ſed ſi tale, id eſt ſi hoc ſit tale, ut purget choleram, uel non habet,ſupple is qui habet uniuerſale,id eſt non intelligit:neſcit enim utrum iſta herba, quæ oſtenditur,ſit huiuſmodi,ut purget choleram, quamuis habet uniuerſalẽ propoſitionem,quòd uidelicet omne purgans choleram eſt ſiccum: uel non operatur, ſupple quia non cogitat illam ſingularem propoſitionem.Quibus uerbis admonemur,Ariſtotelem(cùm dixit, fieri poſſe ut aliquãdo qui habet duas propoſitiones, quarum una eſt uniuerſalis,altera ſingularis, agat præter concluſionem: quia poſſit accidere,ut utatur uniuerſali,non ſingulari)hoc intellexiſſe non generaliter de omni uniuerſali, (non enim de uniuerſali quod habet ſecum connexam manifeſtè ſingularem propoſitionem, quia hoc non poſſit accidere)ſed de uniuerſali quod non habet ſecum coniunctam manifeſtè propoſitionem ſingularem: quia poſſumus uti hoc uniuerſali,& ipſum conſiderare, non conſiderando,neq; utendo ſingulari propoſitione,etiamſi haberemus ipſam.

SECTIO QVINTA.

Secundum ſanè hos differt modos,ut uix dici poſſit quantum.)Cùm oſtendiſſet Ariſtoteles nihil prohibere eum qui duas haberet propoſitiones, agere præter ſcientiam utendo uniuerſali,& non ſingulari:potuiſſet aliquis opinari,poſſe hoc accidere,etiamſi uteretur ambabus propoſitionibus, quia non uidetur intereſſe inter iſtos modos:in hac parte reſpõdet, uix dici poſſe quantũ interſit inter hos modos: et declarat tantum intereſſe,ut ſcientem uno modo minime ſit abſurdum agere quę non oportet:altero uerò modo ſit abſurdum, uidelicet ſcientem & utentem ambabus propoſitionibus. Ex ijs ergo uidetur reſponderi poſſe ad quæſtionem propoſitam, Incontinentes agere incontinenter ſcientes uniuerſalem propoſitionem, & non utentes ſingulari,quod non eſt abſurdum. ſed eſſet abſurdum ſi agerent incontinenter, utentes ambabus propoſitionibus, ex quibus fit ſyllogiſmus qui impellit ad agendum. «

Item habere ſententiam.) Hoc locò uidetur mihi Ariſtoteles tradere alium modum diſſoluendi argumentum propoſitum, quia fortaſſe modus ille poſitus non uidebatur tueri incontinentiam,ipſamq; perfectè declarare. Quare inquit:Etiam habere ſcientiam alio modo à modis dictis,ineſſe hominibus contingit: id eſt,homines dici poſſent habere ſcientiam alio modo ab eis qui dicti ſunt. & declarat hoc dicens:quia in habere,& non uti,uidemus habitum differre,ita ut dicere poſſimus, aliquem aliquo modo habere,& non habere ipſum habitum.& erit,exempli cauſa, ut Geometra dormiens,uel furens,uel ebrius.is enim dum dormit,dici poteſt habere habitum ſcientiæ.dicitur non habere,quia non habet actu,non enim cogitat:habere autem,quia habet potẽtia.Etenim nullam propoſitionem ſyllogiſmi Geometra eo tempore cogitat.ita,inquit, diſpoſiti ſunt,qui ſunt in affectibus cõſtituti.Etenim irę,& cupiditates Venereæ,& quędam huiuſmodi manifeſtè corpus immutãt, ac nonnullos etiam in furorem & inſaniam impellunt. «

Quod ſi ita eſt,illud etiam erit manifeſtum, incontinentes qui ita ſunt in affectibus conſtituti,ſimiliter affectos eſſe,atq; illos qui dormiunt: qui quidem habent ſcientiam in potentia, non in actu,quippe qui nihil tunc intelligunt.Sic enim incontinentes,dum uerſantur in illis affectibus,& animi perturbationibus,non actu intelligunt propoſitiones quas habent,ſed tantum in potentia.

Dicere autem ſermones.) Quoniam dixerat incontinentes non habere ſcientiam actu,ſed in potentia,quia non intelligunt propoſitiones quas habent, & ita incontinen- «

continenter agunt,ſicut ebrij: contrà potuiſſet quiſpiam dicere,hoc non uideri eſſe uerum, propterea quòd incontinentes dicunt uerba & ſententias dum agunt incontinenter, quæ à ſcientia proficiſcuntur:id eſt, declarant ipſas habere ſcientiam actu,dum agunt incontinenter: quia uniuerſaliter fieri non poſſet,ut illas ſententias proferrent. quæ enim ſunt in uoce ,ſunt ſigna earum quæ ſunt in anima paſſionum. dicunt autem incontinentes, dum incontinenter agunt, uerbi gratia,nullum dulce eſſe guſtandum,& hoc eſſe dulce, & tamen guſtant: habent ergo agentes incontinenter,cognitionem propoſitionum uerarum,& ita ſcientiam actu,cõtra quàm dictum eſt. Huic ergo tacitæ hominum cogitationi occurrens Ariſtoteles,inquit: Dicere autem ſermones qui proficiſcuntur à ſcientia,eo modo quo diximus,non eſt ſignum,ſupple uerum,quod incontinentes, dum agunt incontinẽter, agant ex ſcientia,ita ut habeant ipſam actu,et utantur illa: quia illi qui ſunt in affectibus conſtituti, dicunt demonſtrationes & uerſus Empedoclis: & illi etiam qui primùm dicunt, ut pueri,connectunt quidem orationes & ſermones,ſed nõdum ſciunt: oportet enim ipſos eſſe aptos natos natura,ſupple ad ſciendum,ad quod tempore opus eſt. Quare putandum eſt, ipſos incontinentes ſic dicere ſermones illos qui proficiſcuntur à ſcientia,quemadmodũ hiſtriones,ſupple in ſcenis uerſus recitãt, qui ſæpe illos non intelligunt. etenim incontinenter ita perturbantur,& mutantur ex illis paſſionibus, ut nihil uerè intelligant, quamuis proferant uerba quæ ex ſcientia proficiſcuntur. Quare fieri non poreſt ut dicentur habere ſcientiam in actu, & incontinenter operari ex illa. ac licet uerba ſint ſigna paſſionum quæ ſunt in anima, non ſunt tamen illa uerba quæ proferunt ſigna, quòd ea ipſi intelligant dum proferunt: uertuntur enim ad ea,ad quæ impelluntur ex affectu.

SECTIO SEXTA.

INſuper & hoc modo quiſpiã naturaliter inſpexerit cauſam. Cùm dixiſſet Ariſtoteles incontinenter agere quæ non oportet, ſcientes in potẽtia,non in actu,quia ſunt in perturbationibus ſicut ebrij & furentes: in hac parte uult declarare modum, quo ueniãt in furorẽ illum ut agant cõtra ſcientiam,quam habẽt, quod eſt agere incontinenter. hoc enim potuiſſet in dubium uenire,et ab aliquo quæri: nõ enim ſatis eſt ad hanc rem perfectè cognoſcẽdam,ſcire incontinẽter facere,quod dixit. Et uolens hoc declarare, in primis facit ſyllogiſmum naturalem, id eſt quo naturaliter ad agẽdum ſine impedimento,ut melius cognoſcamus,quando nõ ſequimur illum uerum,ſed alium falſum. Quàre inquit: Præterea poterit quiſpiam inſpicere cauſam eius quod diximus naturaliter,id eſt ex naturali ſyllogiſmo & ratione,qua uti ex natura ſolemus ad agendum. quæ quidem ratio conſtat,ut dictum eſt, ex duabus opinionibus: quarum,id eſt ex duabus propoſitionibus quas opinamur: quarũ,inquit, una eſt uniuerſalis,altera ſingularis,cuius ſenſus eſt dominus. præſidet enim ſenſus ei,ipſamq́; percipit. & hoc dicit, quia intellectus non percipit ſingularem propoſitionem,ut dicemus.

His poſitis declarat Ariſtoteles modum, quo naturaliter aſſentimur cõcluſionibus in ſpeculatiuis,& operamur in actiuis,ex iſtis duabus ꝓpoſitionibus. & inquit: Cùm una concluſio fit ex ipſis duabus propoſitionibus, neceſſe eſt concluſionem illam hic,id eſt in ſpeculatiuis,animam affirmare, & illi aſſentiri, in actiuis uerò ſtatim facere. & dat exemplum in actiuis: ſi habeamus,inquit,hanc, Omne dulce neceſſariò eſt guſtandum: & habeamus etiam hanc,Hoc eſt dulce, quæ eſt una ex ſingularibus: ſequitur neceſſariò,ut ille qui poteſt,& non prohibetur, guſtet illud dulce. hæc enim fiunt naturaliter. & ex hoc modo,quo procedimus naturaliter,cũ non prohibemur, perſpicere poſſumus modum & cauſam, quare incontinentes operentur. quia uidelicet ab incontinentia prohibentur facere, quod naturaliter ſequitur ex propoſitionibus ueris, quæ impellunt ad operandum. Quaſi diceret: Si uolumus perſpicere modum & cauſam quare incontinentes agant incontinenter, oportet ut nobis fingamus cogitatione, ipſos incontinentes habere duas propoſitiones in anima, quarum una ſit iſta, Nullum dulce eſt guſtandum: altera uerò, Omne dulce eſt ſuaue. idq́; neceſſarium eſt in omni actione praua. deinde ſit iſta ſingularis, Hoc eſt dulce: ſi poneremus hanc ſingularem, Hoc eſt dulce, ſub hoc uniuerſali, Nullum dulce eſt guſtandum, quæ prohibet guſtare:

eamq́;

eamq; uere conſideraremus, nunquam guſtaremus. ſed quia ponimus ipſam nō ſub
illa quæ erat uera uniuerſalis, in exemplo noſtro, Nullum dulce eſt guſtandum : ſed
ſub illa, quæ erat falſa, Omne dulce eſt ſuaue: propterea guſtamus. & ita incontinen
ter operamur contra uniuerſalem ueram. & iſte eſt modus, quo incontinēter homi-
nes operantur. Atq; ineſt cupiditas.

Poſtquam oſtendit modum quo incontinentes agunt incontinenter, qui erat,
quòd ponebant ſingularē propoſitionē ſub falſa uniuerſali, non ſub uera: in hac par
te propoſitum eſt ei declarare cauſam, quare hoc faciāt, & inquit: Atq; ineſt cupidi-
tas, ſupple cauſa ut ponant incontinentes ſingularē propoſitionē ſub falſa uniuerſa
li: quia ꝓpoſitio uniuerſalis uera dicit fugiēda eſſe dulcia, cupiditas uerò ducit nos
ad guſtandum dulcia, poteſt eñ mouere ſingulas partes. Itaq; mouentur ab illa ad
ponendum ſingularem propoſitionem ſub uniuerſali falſa: quia ſenſus percipit hoc
eſſe dulce, & ſtatim iudicat eſſe ſuaue: incontinentes uerò habent pro eo tempore
illam propoſitionem falſam, Omne dulce eſt ſuaue, & appetunt illam: atque ita o-
perantur, quia guſtant, intelligentes tamen tacitè hunc alium ſyllogiſmum, Omne
ſuaue eſt guſtandum, Hoc eſt ſuaue, ergo eſt guſtandum. obliuiſcuntur autem illius
uniuerſalis propoſitionis contrariæ, Nullum dulce eſt guſtandum, uel conſiderant
ipſam pro eo tempore. cauſa ergo huius deceptionis eſt cupiditas.

Quare contingit, ex ratione aliquo modo, & ex opinione incontinenter agi.
Concludit Ariſtoteles ex eis quæ dicta ſunt, incontinentem incontinēter agere ex
ratione, id eſt habentem aliquo modo rationem, id eſt uniuerſalem propoſitionem
ueram. & dixit Aliquo modo, quia non habet ipſam actu, ſed in potentia. & ex opi-
nione, id eſt ex ſingulari propoſitione. non enim uult dicere Ariſtoteles, ſequi ex ra
tione illa, & ex opinione, ipſum incontinentē agere incontinenter, quia huiuſmodi
actio nō ſequitur ex illa ratione, ſed potius prohibetur ab illa: ſed ſignificat id quod
diximus, quòd uidelicet incontinēs ponit ſingularē propoſitionem ſub alia uniuer
ſali propoſitione: illæ tamē duæ propoſitiones, ratio & opinio: id eſt uniuerſalis pro
poſitio uera, & ſingularis, non ſunt contrariæ per ſe. quia hæc, Nullum dulce eſt gu
ſtandum: & hæc, Hoc eſt dulce, non ſunt per ſe contrariæ : quia ſimpliciter ſingula-
ris illa non repugnat ipſi uniuerſali, poteſt enim poni ſub illa: ſed accidit ei, ut repu
gnet pro eo tempore, quia cupiditas à qua ducitur ipſa ſingularis propoſitio, repu
gnat illi rationi, id eſt uniuerſali propoſitioni, quam uocat Ariſtoteles rationem,
quia eſt uera propoſitio. ipſa uerò ſingularis propoſitio, quā appellat opinionem,
non rationem, quia non eſt uniuerſalis propoſitio, non eſt (inquit) contraria recta
rationi, id eſt uniuerſali propoſitioni ueræ, quæ dicitur recta, quia erat uera, et duce
bat ad rectam & uerā operationem, uidelicet ad non guſtandum illud dulce: hęc au
tem ſequuntur, poſito quòd aliquis ita ſit affectus, ut dulcia ſint ei mortem uel maxi
mum nocumentum allatura. Etenim eo tempore propoſitio illa, Nullum dulce eſt
guſtandum, erit bona, & ſic uera, quatenus ad ipſum attinet: altera uerò uniuerſalis,
uidelicet Omne dulce eſt ſuaue, non erit bona: & ideo quatenus ad illum attinet, di
cetur falſa. non tamen ſimpliciter eſt falſa, imò eſt uera, ut perſpicuum eſt: dulcia eñ
quin ſimpliciter ſuauia ſint, nemini (modò ſit ſanus) dubium eſſe poteſt. cauſa ergo
quare incontinenter quis agat, & cupiditas & appetitus.

SECTIO SEPTIMA.

QVare & proptet hoc belluæ. Quia concluſerat Ariſtoteles, incontinentē agē
re inconninenter, habētem rationē, id eſt uniuerſalem propoſitionem: infert
ex hac concluſione aliam concluſionem, dicens, Sequi ex dictis, belluas non eſſe in
continentes, quia incontinens dicitur ille qui habet propoſitiones uniuerſales: bel-
luæ uerò non habent exiſtimationem, uel propoſitiones uniuerſales. cuius ratio ha
beri poteſt ex eis quę diximus de intellectu: ergo nō ſunt incontinētes. & quia dixe
rat, Belluas nō habere propoſitiones uniuerſales, aliquis potuiſſet quærere, quáſnā
igit haberēt propoſitiones? reſpondet, habere phantaſiā & memoriam ſingulariū.
quod quidē eſt ſignum, animam ipſarū interire, quia educitur ex potentia materiæ.
itēq; ex eo ſequitur, ipſas nō indigere intellectu agēte, quia eſt ꝓpter uniuerſalia: &
animū nō educi ex potētia materiæ, qa & ipſe nō haberet uniuerſalia. ſed cùm mani
feſtū ſit quod habet uniuerſalia, fieri non poteſt ut ſit mortalis. Quomodo aūt ſolui-
turigno-

tur ignoratio. Hac in parte tacitæ hominum cogitationi reſpondere uidetur Ariſtoteles, qua aliquis potuiſſet ex eis quæ dicta ſunt quærere, Tu dixiſti incontinentem agere ſcientem habitu, ignorantem uerò actu propoſitionẽ illam uniuerſalem, contra quam agit: & hoc euenire, quia eſt in illo affectu conſtitutus. ego uellẽ ſcire, quo modo ſoluetur illa ignoratio, & fiet actu ſciens? id eſt, quónam modo ex ſciente in potentia, & actu ignoranti, poſsit fieri actu ſciens? quia tũc erit ſolutus ab illa ignoratione, cùm factus fuerit actu ſciens. Reſpondet igiĩ Ariſtoteles dicens: Quæris ſupple, quomodo ſoluetur ignoratio illa incontinentis, ita ut rurſus fiat actu ſciens, ſicut erat antequã in illo affectu eſſet cõſtitutus. reſpondeo ſupple, & dico eandem eſſe rationẽ, quæ eſt de ebrio, & de dormiente, cùm reuertuntur ad ſcientiã propriè quæ eſt ſcientia actu. ſimiliter enim reuertuntur ad ſcientiam incontinẽtes, ut ebrij & dormientes: etenim iſta ratiò non eſt propria huius perturbationis.

Et quia aliquis potuiſſet adhuc inſtare, & quærere, qui ſit iſte modus? reſpondet, oportere hunc modum, uel hanc rationem audire ab ipſis philoſophis naturalibus, quia in libro de Somno & uigilia de hac re pluribus agitur. reijcit autem ſe ad philoſophos naturales: quia iſta facultas eſt ſubalternata philoſophiæ naturali, & in facultatibus ſubalternantibus niſi adſit ali quod impedimentum, uberius & fuſius tractatur de eis rebus quas petunt ab ipſis ſubalternatæ, quàm in ipſis ſubalternatis. attinent enim huiuſmodi res ad ipſas ſimpliciter & abſolutè. Sciendum eſt autem breuiter, ipſas continentes fieri actu ſcientes quum deſinit illa affectio, id eſt quum non ſunt amplius in eo affectu: quod fit, ubi cupiditas illa receſſerit: ſicut euenit ebrijs, quum ceſſauit ebrietas, & dormientes quum expergiſcuntur. etenim geometra dormiens, tunc diſſoluitur ab ignoratione, cùm è ſomno expergiſcitur. Quare ſicut ebrietas & ſomnus impediebat animam, ut non poſſet cogitare illas propoſitiones quas habebat: ita etiam paſsio illa affert idem impedimentum ipſi animo. Quocirca incontinens, diſſoluto illo affectu anima, rurſus fiet actu ſciens & cogitans, ſicut ebrius, ut perſpicuum eſt.

Quomodo uerò iſta diſſolutio fiat, reijciamus nos ad philòſophos naturales, ſicut reiecit ſe Ariſtoteles, ſatis eñ eſt in præſentia noſſe ebrios & dormiẽtes, qui ſciebant anteq̃ facti eſſent ebrij & dormientes, aliquas propoſitiones, quas in ebrietate & in ſomno non cogitabãt, diſſoluta ebrietate & ſomno reuerti ad illas cogitandas.

Cùm autem ultima propoſitio rei ſit ſenſibilis opinatio atq; actuũ domina. Poſtquam declarauit Ariſtoteles, incontinentes, dum in affectibus conſtituti ſunt, agere ſcientes, & quomodo ſcientes in potentia: oſtenditq; cauſam quare agerent contra ſcientiã quam habebãt actu, quia uidelicet cupiditas impellebat ipſos ad ponendã ſingularẽ propoſitionem uniuerſali falſa, quod neceſſariũ ad agendũ incontinenter: actio enim neceſſariò oriĩ ex duabus propoſitionibus, ut dictũ eſt: in hoc textu uidetur quaſi reſpondere tacitę hominũ cogitationi, qua potuiſſet aliquis quęrere, nunquid de propoſitione ſingulari ita ſit dicẽdũ, ſicut de uniuerſali: uidelicet quòd incontinẽs cognoſcat ipſam ſicut uniuerſalem, nẽpe in potentia, quia hoc non uidetur uerũ. nam cùm dictum ſit, incontinentẽ ponere ipſam ſingularem propoſitionem ſub uniuerſali falſa: uidetur neceſſarium eſſe, ut cognoſcat ipſam. Reſpõdet ergo Ariſtoteles, incontinentẽ cùm eſt in affectu, uel nõ habere ipſam ſingularẽ, quia nõ utitur ipſa: uel ſic habere, ut hoc non ſit ſcire, ſed dicere, et temulentorũ more carmina Empedoclis proferrre: idq; ait euenire, quia ultima propoſitio, quæ eſt minor propoſitio, eſt opinatio rei ſenſibilis, et eſt domina actionũ: ergo neceſſe eſt ut ipſam non habeat, aut ſic habeat ut hoc nõ ſit ſcire, ſed dicere: quia ſi eam ſciret, cùm ſit domina actionum, non ageret incontinenter, quia poneret ipſum ſub uniuerſali uera. Ex quo colligendum eſt, ita dicendum de ſingulari propoſitione ſicut de uniuerſali, quod uidelicet ſciat ipſam in potentia, non actu.

Sed urgeret aliquis dicẽs, uideri falſum eſſe, quod dicit Ariſtoteles, quia incontinẽs qui habet iſtas propoſitiones, Nullũ dulce eſt guſtãdum, Omne dulce eſt ſuaue: & habet hanc, Hoc eſt dulce: & ponit ipſam dũ agit incontinẽter ſub hac uniuerſali falſa, Omne dulce eſt ſuaue: nõ poteſt ignorare actu hoc eſſe dulce. Quæſtio hęc eſt ualde difficilis, tamẽ uerba Ariſtotelis uidenĩ nos cogere, ut dicamus, incontinẽtes, etſi collocẽt ſingularem propoſitionẽ ſub uniuerſali falſa, tamẽ nõ intelligere perfe

ctè ipſam

ctè ipſam, quia non intelligunt illam cũ ſuà uera uniuerſali, ſub qua eſſet collocanda. ſi enim intelligerent, collocarent ipſam cum ea, quia ergo non faciunt hoc, non uidentur perfectè intelligere ipſam, licet eam dicant cum ponũt ſub uniuerſali falſa. Equidem non uideo ad quod aliud præſidium cõfugiamus, ſi uolumus Ariſtotelis uerba tueri contra rationem allatam. aliorum tamen ſit iudicium.

Et propter hoc.) Cùm dixiſſet Ariſtoteles, extremam propoſitionem eſſe opinionem rei ſenſibilis, & dominam actionum: in hoc loco uidetur alteri etiam tacitæ hominum cogitationi reſpondere, quare uidelicet non appellauerit illam ſcientiam, & dominam ſcientiæ, ſicut appellauit opinionem, & dominam actionum. & uidetur hãc cauſam reddere, quia terminus extremus, id eſt ſingularis propoſitio, non eſt uniuerſalis, nec ita ut uniuerſalis ſcientia efficere uidetur. non ergo erit mirum, inquit, ſi diximus ipſam eſſe opinionem rei ſenſibilis, & dominam actionũ, non ſcientiæ: quia ſenſibilium ipſorum non poteſt eſſe ſcientia, ſed opinio.

Et id accidere uidetur.) Videtur in hac parte oſtendere ex dictis, ſententiam Socratis poſſe in aliquo ſenſu eſſe ueram. dictum enim fuit in principio cap. intereſſe utrum quiſpiã ageret quæ nõ oportet huiuſmodi ſcientiam, & non cõſiderans, an habens & conſiderans: quia primũ fieri poterat, alterũ nõ poterat, ut oſtenſum eſt.

Ex his ergo inferens id quod diximus, Videtur (inquit) contingere quod quærebat Socrates, quippe qui dicebat incontinentiam non reperiri in rerum natura, propterea quòd nemo uerè cognoſcens agebat contra optimum. quia loquendo de ſcientia propriè, id eſt de ſcientia in actu, eſt uerũ, quia nemo ſciens & cogitans poſſet agere contra optimum, ut faciunt incontinentes. nam cum ea quæ propriè uidetur ſcientia, id eſt quæ eſt actu ſcientia, eſt præſens, non fit paſſio, neq; ipſa trahitur à paſſione. quantum igitur ad hoc attinet, concedimus, (inquit,) uerum dicere Socratem, quoniã propoſitio ſenſitiua eſt illa quæ trahitur, & eſt actionis domina, quia eſt ſingularis: ideoq; dicimus incontinentes agere quæ non oportet, non cognoſcentes propriè, id eſt non cognoſcentes actu. In eo autem decipiebatur Socrates, quòd negabat dari incontinentiam: quia agere incontinenter, non requirit ut agat quiſpiam contra ſcientiam actu, ſed contra ſcientiam in potentia, & in habitu: idq; euenit, quia ſingularis propoſitio tracta à paſſione, impellit incontinentem ut agat contra optimum, quia facit ut uel obliuiſcatur, uel non intelligat uniuerſalem ueram, quam antequàm eſſet in illo affectu intelligebat: & hoc modo uerum eſt dicere, incontinentem agere ſcientem, ſeu cognoſcentem, & non agere ſcientem & cognoſcentem: quia agit cognoſcens in potentia, non actu. etenim propoſitionem illam, quam nouerat actu antequam eſſet in affectu conſtitutus, nõ cognoſcit amplius, etiam ſi ipſam proferat. Ex his perſpicuũ uidetur, Ariſtotelem non dixiſſe ex animi ſui ſententia illud, incontinentes agere habentes duas propoſitiones præter ſcientiam, utendo uniuerſali, & non ſingulari: quia fieri non poteſt ut quiſquam præſente ſcientia propriè, agat incontinenter. ideoq; tradidit Ariſtoteles alium modum ſciendi, quo incontinenter agerent incontinenter: per quem diſſoluitur cõmodè ratio, quæ è medio tollebat incõtinentiam. In ultima parte epilogo breuiter colligit dicta, & inquit: Tot dicta ſint de ſciente, & nõ de ſciente, & quo modo contingat ſcientem incontinenter agere. Etenim dictũ eſt incontinentem agere ſcientem in habitu, & potentia, nõ actu: quod ſequitur ex ijs quæ declarauit in principio cap. cùm dixit, Scire dici dupliciter, & de eo qui habet ſciẽtiam, ſed non utitur ea, neq; cogitat, ut geometra dormiens: & de eo qui habet ſcientiã, & utitur, & cogitat. Quare iam diſſoluta eſt quæſtio illa, quæ uidebatur tollere incontinentiam.

De hac item re diſputauimus in ſecundo lib. de Honore, ubi ſi quid aliter quàm hic dixiſſe uidemur, huius rei culpam omnem ſuſtinet is qui impreſsit illud exemplar (ut diximus) quòd non planè fuerat à nobis emendatum, neq; id erat quod in publicum edere conſtitueramus. *2. lib. de Honore.*

SECTIO OCTAVA.

IIs explicatis, ueniendum eſt ad diſſolutionem quæſtionum, quæ omnino libertatem ab intellectu auferre uidebãtur: quas quidem facile erit oſtendere, ex eis quæ dicta ſunt, inanes eſſe atq; nullius momenti.

Ad primam igitur quæſtionem reſpondentes, negamus conſequentiam. Ad probationem concedimus: eos qui eligunt, cognoſcere quæ eligunt, quæ habent potentiam quæ cognoſcit, quam potentiam neceſſariò ſequitur electio. negamus tamẽ ex hoc ſequi, ipſam electionem cognoſcere, ſed tantum ſupponere cognitionem. At eligimus errores, & peccata: ergo electio cognoſcit hoc non domus: ſed dicimus, prauos ſcire & cognoſcere quæ eligunt, uerùm decipi. Etenim mala iudicant bona, & eligunt ea tanquàm bona, quæ deceptio non eſt in electione, ſed eſt in intellectu, qui decipitur in iudicando. Quare dicitur prauus ignorate principia rectè agẽdi: quomodo autem decipiatur, dictum eſt ſuprà. patet igitur, non ſequi, appetitum cognoſcere, & non eſſe cœcũ, & non ſemper appetere bonum, uel uerum, uel apparens.

Ad Ariſtotelis auctoritatem concedimus, non eſſe idem eligere optima, & opinari: ac nonnullos opinari melius, & propter prauitatem eligere quæ nõ oportet: negamus tamen ſequi ex hoc, electionem eſſe liberam: quia electio iſta ſequitur iudicium partis quæ cognoſcit. Quare non ſequitur, ipſam electionem cognoſcere malũ, propterea quòd eligat ipſum. etenim dictũ eſt in ſuperioribus, ex Ariſtotelis ſententia, & ex eo quod experimur, nos ſcire propoſitiones ueras, quæ ducunt nos ad bonum: tamen eligere malum propter cupiditatem & prauitatem, quæ ducit nos ad collocandum propoſitiones ſingulares ſub uniuerſalibus falſis, ex quibus ſequitur appetitus & electio erroris, quo quidem tempore ſic affecti ſumus, ut non cogitemus id quò dirigebat propoſitio uniuerſalis uera: & ita non intelligamus eam uerè, licet proferamus, ſed habemus tantum in potentia. ut, uerbi gratia, cognoſcebamus, nullum dulce eſſe guſtandum, nihilominus guſtamus aliquid dulce, quod quidem eo modo (quo diximus) eſt malũ. & hoc accidit, quia ponimus propoſitionem ſingularem, quæ eſt domina actionis uidelicet. Hoc eſt dulce, ſub hac propoſitione falſa. Vnde dulce eſt ſuaue. nõ enim impelli poſſumus ad agendum, niſi ex ſyllogiſmo. Cauſa autem quare ita faciamus, eſt cupiditas noſtra, ut dictum eſt. Concedimus ergo, nos opinari, ſeu ſcire optima, (idẽ enim eſt quantum ad hanc rem attinet) & mala eligere: nihil tamen quod ſententiã Ariſtotelis euertat arbitramur.

Ad alteram quæſtionem concedimus, electionem eſſe ſpõtaneam: negamus tamen eſſe liberam, quia dicitur ſpontanea propterea quòd ſequitur intellectum, qui non cogitur, ſed liber eſt.

Erat alia quæſtio, ad quam reſpondentes concedimus, uoluntatẽ uelle ea quæ fieri non poſſunt: negamus tamen conſequentiam, uidelicet ipſam ob hoc eſſe liberam. Ad probationẽ dicimus, falſum eſſe, fieri non poſſe, ut intellectus & ratio oſtendat ipſi uoluntati, res quæ fieri non poſſunt eſſe appetendas: quoniã animi noſtri facultates talem inter ſe ordinẽ natura conſequutæ ſunt, ut nõ poſſint eum mutare. intellectus autem munus & officium eſt, ut ex eis, quæ dicta ſunt perſpicuum eſt, ratiocinari & iudicare, ipſius uerò appetitus exequi, quandoquidem ſit ille qui operatur. Quare ſi uoluntas immortalitatem, quæ haberi non poteſt, uelit & appetat, hoc fit, quia intellectus concluſit immortalitatẽ eſſe bonã: & cũ conſtet omne bonum eſſe appetendũ, neceſſariò uoluntas appetit immortalitatem.

Intellectus tantũ in hac cõcluſione decipitur, quia propoſitiones quæ nõ ſunt ueræ ſimpliciter, ut ſimpliciter ueras accipit. Etenim iſta propoſitio, Omne bonũ eſt appetendũ, non uidetur ſimpliciter uera: quia non eſt uerè appetendũ illud bonum quod non poteſt haberi, inanis enim eſt appetitus, quippe qui planè naturæ repugnet: eſt tamen illa propoſitio uera ex aliqua parte. ut ſi dicamus, Omne bonum quod poteſt haberi, & à nobis acquiri, eſt appetendum: & tunc minor propoſitio erit falſa, bonum quod poſsit à nobis haberi & acquiri: & ita non ſequitur concluſio, quòd immortalitas ſit appetenda. Quare huius deceptionis cauſa eſt intellectus, qui non rectè iudicauit immortalitatem eſſe appetendam. Etenim ſi intellectus recta ratione ratiocinaretur, nunquam iudicaret immortalitatem eſſe appetendam, nec eam uoluntas uellet: ſed quia ſæpe decipitur, ex hac deceptione uoluntas uult ea quæ fieri non poſſunt.

Ad aliam auctoritatem, concedimus, incontinentẽ facere quod non putat eſſe facien-

faciendum, eo modo, quo diximus. negamus tamen ſequi, ipſum facere contra iudicium intellectus: quia ſequitur iudicium intellectus, quod iudicium non fuit rectum. idq; accidit propter prauitatem & cupiditatē, ut oſtendimus. & falſum eſt, ipſam uoluntatem non eſſe appetitum boni: quia ſi appetit malum, non appetit ut malum, ſed ut bonum: quæ deceptio oritur ab intellectu, ut dictum eſt.

Concedimus item, eum qui inſidiatus eſt, non ignorare: quia antequàm inſidiaretur, non ignorabat. negamus tamen, eum non ignorare, tum cum inſidiaretur. nam qui inſidiatur, agit ignorans, at non per ignorationem: ſicut cōcedimus, geometram ebrium non ignorare antequàm eſſet in ebrietate. cum uerò eſt in ebrietate, dicimus ipſum ignorare, quia pro eo tempore ignorat actu principia geometriæ, & propoſitiones ueras. Quare non ſequitur, falſum eſſe, omnem prauum eſſe ignorantem: quia propoſitio illa intelligitur de prauo, cum prauè agit, quia eo tēpore neſcit actu principia bene agendi, ut declarauimus in ſuperioribus.

Ad aliam item auctoritatem, quæ ſequebatur, concedimus, incontinentem ſcientem praua facere per paſſionem: quia omnis incontinens, quatenus eſt incontinens, agit ignorans, non per ignorationem: negamus tamē ſequi, falſum eſſe, omnem prauum eſſe ignorantem, quia incontinens eſt prauus, & eſt actu ignorans, quamuis potentia ſit ſciens, ut qui reuerti poteſt ad ſcientiam. & dicitē ſciens, quia antequam eſſet in illo affectu, erat ſciēs: ſicut principium demonſtrationis dicitur definitio, quia antequam eſſet principium demonſtrationis, erat definitio.

Ad id uerò quod addebatur, Ariſtotelem redargueie Socratē, qui incontinentiam è medio tolleret: negamus fieri poſſe, ut aliquis ſciens, praua ageret, ſed omnia praua naſci ex ignoratione. itaq; neceſſariò ſequi, ipſum Ariſtotelem opinari incontinentem agere non ignorantem. dico Ariſtotelem concedere, incontinentem agere praua ignorantem: quia eo tempore, quo agit praua, ignorat principia bene agendi, ſed non per ignorationem: quia antequam eſſet in illo affectu, ſciebat praua illa nō eſſe agenda: ſed cum agit, nō cogitat, neq; intelligit ea quæ oſtendunt eiuſmodi agi non oportere. itaq; concedit Ariſtoteles, incōtinentem habentem actu ſcientiam, quæ prohibet praua agere, eamq; uerè conſiderantem & intelligentem, nunquā agere contra ſcientiam illam. Sed inſtat, poſſe illum qui habet ſcientiam, aliquando agere contra ipſam, cum uidelicet ipſam non cogitat, & non intelligit: quia tunc non habet actu ſcientiam, ſed potētia. Quòd autem aliquis poſſit habere ſcientiam, & non cogitare, & non uti ipſa, ex eis quę dicta ſunt in dubium uenire non poteſt. ex quibus dictis non ſequitur, uoluntatem eſſe liberam, ut ratio oſtendere uidebatur.

Concedimus item, quod addebatur, incontinentem agere quod nō putat eſſe agendum, ſupple antequam ſit in illo affectu: negamus tamen, ob hoc appetitum non ſequi iudicium intellectus.

Eodem modo reſpondendū eſt ad ea Ariſtotelis uerba, quibus aſſerebat, nonnullos timiditate deterreri quo minus faciant ea quæ ſibi optima uiderētur: quia timiditas erat cauſa ut deciperentur: & eo temporis puncto decipiebantur, utentes propoſitione falſa, quæ erat, non eſſe facienda ea quæ uiderentur nocitura: & non cogitabat ueram propoſitionem, illa honeſta ſimpliciter eſſe facienda. ita ſequitur, omnem malum eſſe ignorantem. Etenim dum praua agit, pro eo tempore ignorat actu principia bene agendi, quæ ſunt propoſitiones uniuerſales, quæ docent mala non eſſe agenda.

Erat alia quæſtio ſumpta ex nono primæ philoſophiæ libro, quæ aſſerebat, potentiarum alias unam duntaxat partem contradictionis efficere poſſe, alias uerò oppoſita: & addebat, fieri non poſſe ut nos, qui habemus huiuſmodi potentias, efficiamus aliquid (quia contraria ſimul agi nō poſſunt) niſi adſit alia poteſtas, quæ ſit domina, & quæ nos ad agendum hoc, & non illud, impellat: quæ poteſtas, inquit Ariſtoteles, eſt appetitus & electio: ergo hæ duæ poteſtates ſunt dominæ, quia imperant & ſunt liberæ, quia poſſunt utramlibet contradictionis partem efficere: quod quidem nihil aliud eſt, ut ex ſuperioribus patet, quàm eſſe liberas, nō cæcas, neq; coactas, ſed potius eiuſmodi ut ipſæ ad cogendum ualeant. 9. Metà. tex. 9.

Huic quæſtioni, quæ multorum, & eorum quidem doctiſsimorum hominum

ingenia non parum exercuit, reſpondentes dicimus,poteſtates illas rationalis animæ poſſe oppoſita,non tamen ſimul. & concedimus fieri non poſſe, ut homines, quibus natura huiuſmodi poteſtates tributæ ſunt,agant,alterā oppoſitionis partem,ad quam ſunt in potētia,niſi adſit facultas, quæ ſit domina,quæq; eos impellat ad agendum hanc contradictionis partem,& non illam, quam poteſtatem fatemur,eſſe appetitum,& electionem: negamus tamen ex hoc ſequi,appetitum & electionem eſſe potentias liberas, quia ſunt dominæ agendi unius partis cōtradictionis,iubentq; illam fieri, non alteram, non ui ſua, ſed quia intellectus prius ita iudicauit.ipſæ enim(ut dictū eſt) exequuntur quod concluſum fuit ab intellectu, tamen non poſſet ſine ipſis eſſe actio. quia ita natura comparatum eſt, ut ipſæ moueant unumquodq; membrum, poſtquam intellectus hanc partem. non illā eſſe agendam iudicauit. ſunt enim in natura, uelut in actionibus ad ius pertinentibus ipſi miniſtri, qui iudicis mandata exequuntur iudicat enim iudex hunc eſſe in carcerem detrudendum, uel necandum: miniſtrorum uerò partes ſunt, eum detrudere in carcerem, uel necare. nihil aliud ex ipſo iudice quærentes. non enim ad ipſos attinet cognoſcere aliquid, ſed tantummodo exequi, perinde ac ſi nō haberet intellectum. Ad hunc modum ſe habent, meo quidem iudicio, electio, & uniuerſaliter appetitus ad intellectum. Etenim intellectus iudicat hoc eſſe faciendum: appetitus & electio exequuntur, mouentes membra ad illud efficiendum. ſunt ergo dominæ, quia alijs poteſtatibus quæ ſunt ſub ipſis imperant. non ſunt tamē dominæ ſimpliciter & abſolutè, quia intellectus eſt ille qui ſimpliciter & abſolutè eſt dominus. etenim nihil ipſæ poſſunt efficere ſine intellectu. Quod ſi eo in loco hoc non expreſſit Ariſtoteles, expreſſit multis alijs in locis, ut ex eius uerbis perſpicuū eſt. Quare appetitus, & electio non ſunt potentiæ liberæ, quia poſſint efficere utrāuis contradictionis partem: hoc enim ex intellectus libertate proficiſcitur, non ex ipſarum ui & facultate: quæ omnia facile perſpiciuntur ex eis quæ in ſuperioribus declarata ſunt. Nihil ergo uerba Ariſtotelis allata faciunt aduerſus intellectus libertatem, quam poſuimus.

SECTIO NONA.

Ad id uerò quod contrà afferebatur ex deſcriptione boni ſimpliciter, & ex prima propoſitione primi Ethic. dicimus, propoſitionem illam eſſe ad hunc modum intelligendam: uidelicet omnes actiones noſtras quæ ſunt ſpontaneæ, & à nobis proficiſcuntur, bonum appetere, uel uerum, uel apparens: quia appetunt finem, qui eſt bonus, uel apparet bonus. Ariſtoteles enim per illam propoſitionem, Omnis ars, omnis methodus, ſimiliter actio & electio appetunt quoddā bonum: nihil aliud uolunt ſignificare, quàm omnia illa appetere quendam finem, qui finis habet ſemper rationem boni uel ueri, uel apparentis. etenim Ariſtoteli opus erat in eo loco hac propoſitione, quòd omnes noſtræ actiones appeterēt finem, ut ſcilicet haberet iſtam minorem propoſitionem, in actionibus humanis eſſe finem aliquem: ex qua deinde cōcludit, in actionibus humanis dari id quod eſt optimum, ac ſummum bonum. Ea uerò quæ ſunt à fortuna, & per uim, & per naturam, non proficiſci à nobis, ſatis clarè indicat Ariſtoteles, cùm inquit: Omnes autem agunt omnia, partim quidem non ex ſeipſis, partim uerò ex ſeipſis. eorū autem quæ non ex ſeipſis, partim quidem per fortunam agūt, partim aūt ex neceſsitate. eorum uerò quæ ſunt ex neceſsitate, alia quidem uiolētia, & alia natura. Quare omnia quęcunq; non ex ſeipſis agunt, alia quidem à fortuna, alia natura, alia uiolentia.

[Margin: 1. Ethic. in princi pio. 1. Ethic. cap. 1. 1. Rhet cap. 10.]

Cùm igitur ea quæ fiunt ex fortuna, & ex uiolentia, & natura, non proficiſcantur à nobis, ſi hæc non appetant bonum, tamen non euertitur propoſitio illa Ariſtotelis, quippe quæ eo quo diximus modo interpretāda eſt: Quanquā fieri poſſe uidetur, ut aliqua etiam quæ fiunt per uiolentiam, fiant cauſa boni: ut ſi tyrannus aliquis iuberet nos facere quippiam quod non eſſet honeſtum, ut patrem interficere, & mortem niſi illum interficeremus minaretur, ſi interficimus patrem, hoc facimus, quia iudicamus melius eſſe uiuere, quàm patrem nō interficere: licet hac in re decipiamur. nam ſunt quædam, ut docuit Ariſtoteles ad quæ peragenda non poſſumus honeſte permittere nos impelli, ne ob eam quidē cauſam ut uitam noſtram tueamur ac defendamus: ſed potius moriendum eſt, quàm illa perpetranda.

[Margin: 3. Ethic. cap. 1.]

Deſcri-

Deſcriptio aũt illa boni, quòd uidelicet bonum ſit quod omnia appetunt, intelligitur ut eam declarauit Ariſtoteles, de omnibus quæ uel habent mentẽ: uel ſi haberẽt, appeterẽt. nihil ergo facit illa deſcriptio ad intellectus libertatẽ tollendam. 1. Rhet. cap. 6.

Ad auctoritatem uerò ex 47. tex. tertij de Anima prolatam, concedimus, præcipiente intellectu, & dicente intelligẽtia, aliquid eſſe fugiendũ, aut perſequendum, non moueri hominem ſupple ad illud agendum, ſed agere ex ipſa concupiſcentia, ut incontinentes: negamus tamen ex hoc effici, appetitum non ſequi intellectum. qui & ſi non ſequatur uerum intellectum, id eſt intellectum uerè ratiocinantem, & habentem propoſitionem ueram, quæ prohibet aliquid efficere. ſequitur tamen intellectum nõ uerè ratiocinantem, ſed habentem falſam propoſitionem. cuius rei cauſa eſt concupiſcentia, à qua ita impelluntur homines, ut cogantur ponere propoſitionem ſingularem, quæ actionis eſt domina, ſub propoſitione uniuerſali falſa, & non ſub uera. itaq; agit incontinens præter intellectum, non illum quidẽ uerum, ſed tamen intellectum. Etenim non poſſumus dicere, ipſum agere præter intellectum ſimpliciter, cum omnis actio fiat ex ſyllogiſmo. qui ſaltem conficitur ex una propoſitione uniuerſali, quæ planè non poteſt eſſe ſine intellectu: alioquin Belluæ poſſent incontinenter agere, quod Ariſtotelis ſententiæ planè repugnat, ut ex eis quæ dicta ſunt patet. 3. de Anim. tex. 47.

Quod uerò hæc fuerit in eo tex, Ariſtotelis ſentẽtia, ex eo colligi poteſt, quòd ad eam rem declarandam uſus eſt exemplo incontinentis. quem quidem ſequi intellectum, ex eis quæ diximus perſpicuum eſt.

In eandem ſententiam accipiendus eſt Tex. 57. eiuſdem tertij de Anima, ut ei erit perſpicuum qui illum diligenter conſiderabit. 3. de Anim. tex. 57.

Neq; 1. Problema, ſec 30. aliquid cõtra noſtram ſententiã facere uidetur, propterea quòd nos etiam concedimus hominem aliud intelligere, aliud agere: quia intelligit bonũ, & facit malũ, ob eas quas in ſuperioribus attulimus cauſas, loquẽtes de ipſo incontinente. hoc enim modo in præſentia reſpondendum eſſe arbitror, quicquid eo in loco reſponderit Ariſtoteles ad illud problema: nunc enim id non agimus. Probl. 11. ſec. 30.

Ad eas uerò que deinceps afferebantur rationes, fatemur illarum propoſitiones omnino ueritati conſentire, uidelicet omnia, quę agunt homines, eſſe bona, uel apparentia bona: uel uera, uel apparentia uera. nihil enim, quantũ attinet ad præſentem locum, refert, quo modo dicatur. & concedimus, obiectum uoluntatis eſſe bonum, uerum, uel apparens, & omnem malum eſſe ignorantem: concedimus item, fures, & hominũ interfectores, & adulteros, ſacrilegos, patricidas, ſe ipſos ſuſpendentes, mala illa patrare, cognoſcentes illa eſſe mala, antequàm patrarẽt. negamus tamen, ipſos non agere illa ſub ratione boni, dũ uerſantur in huiuſmodi actione: eo enim tempore ignorant illa eſſe mala. Itaq; concedimus, fures, antequàm aliena furentur, ſcire hanc ueram propoſitionem, non eſſe furandum: nihilominus cum res alienæ ipſis obijciuntur, eas furantur, quia ex cupiditate ponunt ſingularem illam propoſitionem ſub hac uniuerſali falſa, bonum eſſe & utile furari, ad uitam cõmodè degendam. Quare furantur, iudicantes ex illa falſa propoſitione, illud eſſe maius bonum: atq; eo ipſo tempore non intelligunt, ut diximus, propoſitionem uniuerſalem ueram: non enim habent ipſam actu, ſed potentia tantum. & quamuis illam proferant, non tamen intelligunt, ſed ita ſe habent quemadmodum ebrij. illa enim cupiditas habẽdi, eos pro illo tempore tanquàm ebrios reddit. Eodẽ modo dicendũ eſt de eis qui cædem faciunt. illa enim cædes occurrit ipſis ſub ſpecie maioris boni, exiſtimantibus tunc ſe bene agere. nam & ſi ſciunt neminem eſſe interficiendum, ſciunt etiam hãc propoſitionem, uindictam eſſe ſumendam de eis qui iniuriam intulerunt, uel aliã huiuſmodi: quare cum ipſis obuiã fiunt ij à quibus iniuria ſunt affecti, ponunt ſingularem propoſitionem ſub illa uniuerſali falſa, ut ita dicamus pro hoc tempore, & ſic ad illos occidendos impelluntur: qui error eſt in intellectu, qui illa cupiditate uelut obcæcatus anteponit uniuerſalẽ falſam, uniuerſali ueræ. & ita qui interficit, dicitur ignorare principia rectè agendi: quia ignorat illam propoſitionem ueram eſſe anteponendam propoſitioni falſæ.

Illi etiam qui ſibi mortem conciſcunt, id agunt putantes hoc eſſe maius bonum,

& ita ignorantes agunt: licet antequàm eſſent in illo affectu, & animi perturbatione, ſcirent non licere alicui ſeipſum interficere. quare iſtos uituperat Ariſtoteles, cùm ait: Mortem uerò ſibi inferre ob fugiendam paupertatem aut amorem, aut aliud quidquam graue, nõ fortis eſt, ſed magis timidi: eſt enim mollities quædam, labonoſa fugere. & non quia decorum ſit, mortem fugit, ſed quia malum deuitat.

3. Ethic. cap. 9.

Ex quibus perſpicuũ eſt, eos qui ſibi ipſis manus afferunt, id agere, quia putant longè melius eſſe mori quàm perpeti aliquid quod ipſis uideť graue, ut paupertatẽ uel amorẽ, uel aliquid huiuſmodi. ac patet etiã, eos hoc agere ignorãtes quæ ſacere, à quibus abſtinere oporteat: & propter huiuſmodi errorẽ iniuſtos fieri, ac malos: etenim ignorat eo tempore, mortem non eſſe appetẽdam niſi honeſti gratia.

Quare uituperandus uidetur eſſe Cato ille Vticenſis, & non laudandus quòd ſeipſum interfecerit. nõ enim uidetur honeſti gratia hoc feciſſe, ſed ut fugeret contumelias, & pœnas, quas à Cæſare & ab alijs quos iniuria affecerat, ne ſibi infligerentur, timebat.

Quod uerò dictum eſt de furibus, de hominum interfectoribus, & de eis qui ſe ipſos necant, pari ratione dicendum eſſe conſtat de adulteris, de ſacrilegis, & breuiter de omnibus illis quos praua, & ea quæ uituperatione ſunt digna quotidie patrare conſpicimus: qui quidem, & ſi antequàm eſſent in illis affectibus, ſcirent illa praua eſſe, & non eſſe agenda, tamen eo temporis momẽto ita commouentur cupiditatibus illis, & obcæcantur, ut propoſitiones ueras non intelligant, & ſi eas proferant. quare agunt ſcientes in potentia, non actu, ut dictum eſt.

Quamobrem nihil impedire uidetur, quin illud uerum ſit: Omnes actiones noſtras bonum quoddam appetere, ſiue id ſit uerum bonum, ſiue ſit apparens, & uoluntatis obiectũ bonum uel apparens: Itemq́ uerum eſſe, Omnem prauum ignorare, dum prauè agit, quæ facere, à quibus abſtinere oporteat: & propter huiuſmodi errorem iniuſtos ac malos fieri homines.

Quod uerò addebatur, ſi homines praua agerent ignorantes, non eſſe ob illa puniendos: negamus conſequentiam. Ad probationem dicimus, legum latores nolle puniri eos qui prauè agunt ignorantes, & per ignorationem, cuius ignorationis ipſi nõ fuerint cauſa, quòd ſi fuerint ipſi cauſa illius ignorationis, uolunt eos puniri, ac pro delicti grauitate ſupplicio affici: ut ex eis quæ citata ſunt in ſuperioribus ex tertio Ethic. cap. octauo, & ex quinto Ethic. cap. decimo quarto, conſpicuum eſſe poteſt, ubi ita ſcriptum reliquit Ariſtoteles, quæ uerba citauimus etiam ſuperius in aliã occaſionem: Quæcunq; quidem non ſolum ignorantes, ſed etiam per ignorationẽ peccant, ſunt uenia digna: quæcunq; uerò nõ per ignorationem, ſed ignorantes per paſſionẽ, neq; naturalẽ, neq; hummanã, non ſunt uenia digna.

3. Ethic. cap. 8.

5. Ethic. cap. 14.

Non ualet ergo, Homines praua agunt ignorantes, ideo non ſunt puniẽdi. etenim ſunt ipſi cauſa, ut dictum eſt in ſuperioribus, ſuæ deceptionis, & quare malum ſibi uideatur bonum: ac falſum eſt, ipſos non eſſe cauſam illius apparentiæ:

Quod ſubiungebatur, experiẽtiæ repugnare, quod omnis prauus ſit ignorans: hoc non damus. Ad probationem uerò cùm dicebatur nos bonum cognoſcere, & eligere malum, iuxta illud peruagatum & illuſtre dictum, *Video meliora proboq́; Deteriora ſequor:* Ex eis quæ dicta ſunt reſpõdetur, quòd meliora uidemus antequàm ſumus in affectu, eligimus autem peiora cũ ſumus in affectu ex prauitate noſtra, eo modo quo diximus. in quo tantum quidem abeſt ut experientia ſententiæ noſtræ repugnet, ut ipſam maximè confirmat. Etenim quid poteſt eſſe clarius, quàm nos cupiditate & affectibus ad ea agenda, quæ ſciebamus nullo modo eſſe agenda, commoueri atq; impelli? cùm ea occurrunt, quæ ipſam cupiditatẽ & affectus excitant ac mouent? Certè nihil.

Ad illud autem, quod hæc opinio aduerſetur ſanctiſsimæ religioni noſtræ, quæ docet peccata ea ratione eſſe peccata, quia ſunt uoluntaria: reſpondemus, ut in ſuperioribus diximus, nos in præſentia loqui ex Ariſtotelis ſententia, naturaliter loquentis, atq; id ipſum profitemur: Quare ſi quid falſi à nobis dici contingat, non tamen ob id reprehendendi uidemur, quippe qui omnẽ noſtram diſputationem in præſentia non ad religionis noſtræ normam ac regulam, ſed ad huius philoſophi ſententiam dirigamus.

Quod uerò addebatur, hãc opinionem repugnare philoſophiæ morali, quæ fun
damentis naturæ innititur, ex quibus nos loqui profitemur, hoc negamus.

Ad probationem, quòd uirtus moralis definitur eſſe habitus intellectiuus: cõce
dimus. & uitia quoq; eſſe cum electione, hoc item damus. Ex hac aũt opinione ſe-
qui, nos ob uirtutes non poſſe laudari, neq; ob uitia uituperari: id uerò negamus.
Nam licet electio cogaẽ, et non cognoſcat, tamen nihil impedit, quin ex uirtutibus
laudemur, ex uitijs uituperemur: quia uirtutes & uitia ſunt in poteſtate noſtra, ut
declarauimus. Etenim ſumus liberi, & libertas iſta eſt in intellectu: ratione cuius
laudamur ex uirtutibus, & ex uitijs uituperamur.

At hic contrà urgeret quiſpiam, dicẽs: hoc omnino Ariſtotelis ſententiæ multis
in locis repugnare, quibus oſtendit prauitatem omnẽ eſſe & dici prauitatem, ſi eſt
cum electione & uoluntate: ſine electione uerò, non dici prauitatẽ. Inter quos ſit ſa
tis, enumeraſſe illũ primi Rhet. quem locũ in ſuperioribus etiam attulimus. In ele- 1. Rhet.
ctione eſt prauitas, & iniuria afficere. Et illum quinti Ethic. ubi ad hunc modum cap. 12.
ſcriptum reliquit, quæ uerba recitauimus etiã in ſuperioribus: Quando aũt ſciens, 5. Ethic.
ſed non ante conſulens iniuria ut quæcunq; per iram & alias paſsiones quę ſunt ne cap. 14.
ceſſariæ, uel naturales contingunt hominibus, in ijs enim lædentes & aberrantes "
iniuria afficiunt, & iniuriæ ſunt, nõ tamen ob hæc iniuſti, neq; praui ſunt. non enim "
propter prauitatem nocumentum fit, quando aut ex electione iniuſtus & prauus. "
Quare rectè ea quæ ex ira proficiſcuntur, iudicantur non eſſe ex prouidentia, & "
quæ ſequuntur. "

Quibus planè uerbis oſtẽdit, prauitatẽ ab electione proficiſci, nec aliter eſſe pra
uitatem: ſequitur ergo, ut intellectus non ſit errorũ cauſa, & non ſit liber, ſed ipſa
electio, contra quam concluſum eſt ex Ariſtotelis ſententia. is igitur ſecum ipſe pu
gnabit: quo quidem nihil eſſe à tãto philoſopho alienius, nemo eſt qui neſciat, qui
paulum modo in eius doctrina uerſatus ſit.

Ad hanc quæſtionem dicimus, prauitatẽ attribui electioni, nõ quia ipſa electio
ſit cauſa principalis prauitatis: ſed quia qui praua agit ex electione, agit cum conſul
tatione & meditatione. electio enim ſequiẽ conſultationem: qui aũt agit praua cõ
ſultò, eſt prauus, quia non poteſt agere niſi cum prauitate, quippe qui non impelli
tur niſi ab ipſa prauitate. Quare quæ fiunt ſine electione, non fiunt cum prauitate,
quia non fiunt ex cõſultatione & meditatione. Quamobrem qui praua agunt per
iram, & per paſsiones neceſſarias, uel naturales, nõ dicuntur iniuſti & praui, impel
luntur enim ad illa agenda, ab ira, & à paſsionibus illis, ſine aliqua cõſultatione &
meditatione. Itaq; meritò non appellãtur iniuſti & praui, quandoquidem repentè
& inconſultò agunt, quicquid agunt: ob idq; ſæpe ſunt digni uenia. Illa uerò mala
quæ ex electione fiunt, dicunẽ fieri cum prauitate, quia fiunt cum conſultatione &
meditatione: hæc autem quin prauè & iniuſtè fiant, in dubium uenire non poteſt.

Peccata item dicũtur uoluntaria & electiua, quia ipſa exequitur uoluntas & ele
ctio: noſq; merito punimur ob delicta, quæ admittimus electione & uoluntate im
perãte: quoniam ſumus cauſa ut electio eligat illa, & uoluntas uelit. Quomodo au
tem intellectus ſit cauſa omnium quæ peccamus, & quæ rurſus ſit cauſa erroris ip-
ſius intellectus, ex eis quæ dicta ſunt perſpicuè liquet. Quam rem pluribus etiã ex-
plicauimus in lib. de Honore: ad quem locum, ne hic nimius ſim, me reijcio. Ita
ergo accipienda ſunt uerba Ariſtotelis allata: alioquin ipſe, non ſolum pugnantia,
uerùm etiam negantia aſſereret, & à naturali ueritate prorſus aliena: quæ quidem
de tanto philoſopho dicere facinus eſt, unum ex omnibus meo quidem iudicio
indigniſsimum.

Quare ſi hæc quæ dicta ſunt bene teneamus (quæ mihi ſanè ita firma uidentur,
ut nullo modo conuelli poſsint) profectò libertatem noſtram non in appetitu, ſed
in intellectu poſitã & collocatam eſſe, pro certo atq; explorato habebimus. Quod
erat illud quod probare inſtitueramus. Intelligimus ergo iam, nos eſſe liberos: &
in qua parte animi ſita ſit hæc libertas.

FINIS LIBRI VIGESIMI SEXTI

Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER VIGESIMVSSEPTIMVS.

SECTIO PRIMA.

SEd adhuc inſtaret aliquis, negans in rebus contingentiam reperiri, ut uidetur ſentire Ariſtoteles, & experientia ipſa cõprobari: quandoquidem cogamur fateri (niſi impij eſſe uelimus) Deum omnia cognoſcere quæcunq; ſunt, fuerunt, & futura ſunt. Hoc aũt conceſſo, contingentia & omnis libertas noſtra ex natura tollatur quod ſic oſtendi uidetur.

Si Deus ab æterno cognouiſſet me hodie ſcripturum ea quæ nunc ſcribo, fieri non poterat quin ego hæc ſcriberem: alioquin Deus, uel non cognouiſſet ab æterno me hodie ſcripturum, uel falſum cognouiſſet, ac deceptus fuiſſet. quod quidem nefas eſt de Deo aſſerere.

Dicimus nos, ſi naturaliter loquamur, maxima in difficultate uerſari, utrãcunq; contradictionis partẽ acceperimus. nam ſi dicamus Deum omnia cognoſcere, pręterita, præſentia, & futura: ex neceſsitate ſequi uidetur id quod diximus, ut ſi Deus ab æterno cognouit me hodie hæc ſcripturum, neceſſariò hæc hodie ſcripſerim. etenim ſi hæc non ſcripſiſſem, Deus fuiſſet deceptus. Neq; ſatis tutum uidetur eſſe illud perfugiũ, quo nõnulli, & illi quidem celeberrimi philoſophi utuntur, aſſerentes Deum cognoſcere res futuras tanquã præſentes: & hoc modo nullam cõſtitui neceſsitatem in rebus, quandoquidẽ naturaliter loquendo, nihil magis inſulsè & magis ineptè dici poſsit. conſtat enim ex fundamentis philoſophiæ naturalis, alterum duorũ omnino fatendum eſſe, aut Deum res cognoſcere eo modo quo ſunt, aut decipi. Etenim ſi cognoſceret Cæſarem dictatorẽ, qui fuit abhinc mille & quingentis annis, nũc bellum gerere aduerſus Gallos, intelligeret res aliter quàm ſunt: ergo falſum intelligeret, & crederet: igitur deciperetur.

Pari ratione dico de futuris. nam ſi cognoſcat nũc Deus id quod non eſt in rerũ natura, & futurũ eſt eſſe in rerũ natura, quis neget eum decipi? certè nemo (loquor aũt, ut dixi, ſecundum naturalem rationem & ſenſum, quibus tota innititur philoſophia) etenim ſi quod non eſt, cognoſceret, tanquam eſſet, quomodo non deciperetur? dicant quæſo. Neq; uerò poſſunt dicere, futurũ eſſe id quod nunc ei præſens eſt, quemadmodũ ego ſum: ac multo minus illud, Deum hoc temporis momento non eſſe in rerum natura, & non cognoſcere. Si ergo hoc ipſo temporis momento Deus eſt, & cognoſcit omnia, faciamus (uerbi gratia) Socratem futurũ poſt decem annos, neceſſe eſt ut cognoſcat Socratem futurum, & non eſſe in rerum natura pro hoc temporis momẽto: alioquin deciperetur, ut diximus. ex quo deinde efficitur, ut ſocrates neceſſariò ſit futurus. & ita de reliquis, quæ futura ſunt. Iſtos igitur non euitare ſua illa diſſolutione uim rationis allatæ, nemo eſt, ut ego quidem arbitror, qui non uideat.

1. Periher. Euerterẽtur præterea omnes rationes, quibus Ariſtoteles primo Periherm. conclusit, in futuris contingentibus non eſſe determinatam ueritatem.

Concedentes igitur, Deum omnia cognoſcere, niſi uelimus eum in ſua ipſius cognitione decipi, cogimur dicere, quòd cognoſcit præterita ut præterita, & futura ut futura, & præſentia ut præſentia. nam ſi Deus ſemper eſt, uereq; cognoſcit, qui tandem fieri poſsit ut me, qui hoc ipſo temporis puncto ſum, & ſcribo, cognoſcat fuiſſe abhinc centum annos, uel futurum eſſe, neq; decipiatur?

Quod ergo dicitũ, Deum noſſe præterita & futura, tanquã præſentia, habet (meo quidem iudicio) hanc ſententiã, ut intelligatũ, Deum ita cognoſcere præterita & futura, quemadmodũ cognoſcit præſentia: quia tẽpus non affert ei obliuionem rerũ, ſicut nobis. cognoſcit enim præterita & futura ſicut præſentia, ſed cognoſcit præterita, ut præterita, & futura, ut futura, & pręſentia ut præſentia: ac licet ſit ſupra tẽpus, cognoſcit tamẽ ipſum tempus. Et cùm præſens & præteritũ & futurũ differentiæ ſint temporis, ut has ipſas differẽtias cognoſcat neceſſe eſt. alioquin nõ cognoſceret ipſum tempus, neq; omnia Non ergo uidetur illo perfugio quod dictum eſt uitari, quin poſita Dei cognitione, ſeqũatur rerum omnium neceſsitas. Quare uideant iſti quid agant, qui eiuſmodi opinionẽ in Ariſtotele cõferunt ex naturæ fundamentis, quam omnino eius ſententiæ repugnare liquido apparet.

Seque-

Sequerentur item hanc Dei cognitionem ex natura loquẽdo, abſurda alia: atque illud in primis, Deum ex natura ſua imperfectum eſſe, quia cognitio eorum quæ extrinſecus exiſtunt, à natura rebus tribuitur, ut perfectiores fiant: alioquin fruſtra tribueretur. in dubium enim uenire non poteſt, quin res intellecta, quatenus intellecta eſt, ſit intelligẽte perfectior, & perficiat ipſum: agens enim, in eo quòd agẽs, nobilius eſt atque præſtantius patiente. alioquin ea conuelleretur demonſtratio, qua probauit Ariſtoteles in tertio de Anima, loco ſuperius citato & explicato, Intellectum agentem eſſe ſimplicem & immixtum, impoſſibilẽ. At rationi omnino repugnat, res iſtas mortales & caducas Deo, qui omnis perfectionis fons eſt & auctor, quicquàm perfectionis addere poſſe. Ergo fieri nõ poteſt, ut Deus intelligat iſta inferiora. 3. de Anim. tex. 19.

Deinde ſequeretur, Deum ſingulis diebus, imò ſingulis horis, atque adeò temporis momentis immutari: ſiquidem continuè alij naſcantur, alij intereant. Quare in cõtinuo motu uerſaretur, modò intelligendo Socratem eſſe, modo non eſſe, & huiuſmodi. atque hæc quidem intellectio, ut infrà oſtendimus ex Ariſtotele, laborioſa eſſet ipſi: in quem nullus tamen labor, nulla defatigatio cadere poteſt.

Præterea ſequeretur, Deum eſſe in potentia ad eas res intelligendas quæ futuræ ſunt. quia hoc temporis punctò quo nõ ſunt actu, eas non intelligeret actu exiſtentes, ſed poſt cum iam eſſent actu: ergo prius eſſet in potentia, ad intelligendas eas actu exiſtentes. Sed hoc repugnat philoſophiæ naturali: quippe quæ ponit (ut diximus in ſuperioribus) Deum eſſe actum ita purum, ut nulla omnino potentia poſsit ei admiſceri. ergo falſum eſt, Deum ex philoſophia naturali poſſe intelligere futura.

Tollerentur item omnia quæ in ſuperioribus dicta ſunt ex ſententia Ariſtotelis, de ſubſtantijs abſtractis: quod uidelicet nõ intelligant aliquid extra ſe: & quòd in telligens in eis, & quod intelligitur, ſint idem. ad quem locum me reijcio.

Conuellerentur etiam quæ ille docuit in duodecimo Meta. tex. 37. quo in loco probauit, Deum nihil penitus extra ſe intelligere. quem text. quia difficilis eſt, & ad rem de qua agitur accommodatus, non erit alienum ab inſtituto noſtro, quàm maximè poterimus explanare. 12. Meta. tex. 37.

SECTIO SECVNDA.

CVm igitur Ariſtoteles in ſuperioribus tex. eius libri oſtẽdiſſet, quid ſentirent antiqui de rebus diuinis: in hoc textu inſtituit loqui de prima mente, quę eſt Deus: & quærit, quo modo ſe habeat in intelligendo: id eſt, utrum nihil intelligat, an aliquid. & ſi intelligat aliquid, quid nam hoc ſit. inquit ergo: Ea quæ attinent ad mentem, id eſt ad Deum, quem per excellentiam ſimpliciter appellat nomine mentis, habent quaſdam dubitationes. cuius rei cauſam reddit: Videtur enim, inquit, eſſe eorum quæ apparent diuiniſsima. & cum ſit talis, id eſt diuiniſsima, quomodo ſe habeat ſupple, in natura, habet quaſdam difficultates: quæ oriuntur ex hóc, ut dictum eſt, quia eſt diuiniſsima. Etenim uel non intelligit, uel intelligit. Si ponamus ipſam non intelligere, cum ſit talis, ſequuntur abſurda, & ea quidem non negligenda: ſin autem ponamus eam intelligere, ſequuntur item alia abſurda. Oſtendit autem primum abſurda quæ ſequuntur, ſi ponamus ipſam non intelligere, & inquit: Si nihil mens ipſa intelligit, quomodo erit, quid uenerandum? interrogatiuè quidem. Quaſi dicat, nihil erit cur ueneranda ſit, atque honoranda. quod ſanè abſurdum eſt, cum poſitum ſit ipſam eſſe diuiniſsimam. Quòd autem, ſi nihil intelligeret, non eſſet ueneranda, ex hoc dicit colligi: quòd ſe haberet ut dormiens, & nihil agens. nullo autem honore eſt dignum, quod planè ocioſum eſt, & nihil agit. quod tanquam abſurdiſsimum relinquit.

Si uerò intelligit, uel aliud eſt cauſa huius intellectionis, uel non eſt cauſa. in hac parte ponit quid ſequať, ſi mens intelligat, & huius intellectionis aliud ſit cauſa, nempe obiectũ, quod ipſam moueat ad intelligendum. Quare inquit: Si ponamus hoc, ſequetur certè, ipſam intellectionem non eſſe id quod eſt ſubſtantia ipſius mentis: id eſt, intellectio non erit ſubſtantia ipſius mentis intelligentis, id eſt non erit idem intelligens & intellectum, & intellectio, quia obiectum quod mouebit mentem,

mentem,non erit idem quod mens ipſa intelligens.non enim moueret ipſa m ad intelligendum.& tunc mens erit potentia:quia quod mouetur ad actum, e ſt potentia. Ex quo deinde ſequetur,mentem non eſſe purum actum.quòd ſi mens illa non erit actu,ſed potentia:non erit optima ſubſtantia,quia per intellectionem acquireretur ei honor & perfectio. Quod autem perficitur, non eſt optimũ. ſi ergo eſſet in potentia,perficeretur per intellectionem, ut patet. igitur non eſt optima ſubſtantia. Sed poſitum eſt, ipſam eſſe optimam ſubſtantiam: ergo perfici non poteſt per intellectionem,ergo non poteſt eſſe in potentia ad intelligẽdum: ergo intellectio erit ſubſtantia ipſius mentis,quia erit actus:ergo non poterit mens intelligere, ita ut aliud ſit cauſa & efficiens ipſius intellectionis.

» Amplius aũt,ſi aut mens ſubſtantia ipſius.) Hic oſtendit quid ſequatur,ſi mens intelligat,& non ſit aliud cauſa et efficiens eius intellectionis:ſed mens ipſa ſit ſubſtantia ſui ipſius, ſiue intellectio.& inquit: Præterea ſi mens ſit ſui ipſius ſubſtãtia, ſiue intellectio:id eſt,ſi mens intelligens, & ipſa intellectio, ſint idem(ſic enim nõ erit aliud cauſa intellectionis)tum quærit quid mens intelliget.uel enim intelliget ſeipſam,uel intelliget alterũ quid ab ipſa. etſi alterũ quid, uel idẽ ſemper,uel aliud. antequã uerò tollat hęc membra,& cõcludat id quod ſibi propoſitũ eſt cõcluderes quęrit utrũ aliquid,an nihil interſit intelligere honeſta,id eſt honorabilia,uel quid libet ſine diſcrimine.& reſpondet,An abſurdũ eſt intelligere quædam,quaſi dicat, abſurdum eſſe intelligere quædam, uidelicet uilia,& non honeſta,idq; ſupponit.

» Manifeſtum igit.) Videtur hic uelle oſtendere, mentem nõ intelligere alterum quid à ſe ipſa,ſiue ſit idẽ ſemper,ſiue aliud:& per cõſequens, ipſam eſſe idem quod eſt eius intellectio. Quare inquit:Manifeſtũ eſt mentẽ intelligere,quiddã diuiniſſimum & honoratiſsimũ,& non mutari. Ex quo ſequit, ipſam non poſſe intelligere aliquid extra ſe,quia mutaretur. iſte enim tranſitus eſſet motus quidã.ſed non poteſt moueri,ergo non poteſt intelligere aliquid extra ſe.

Quòd aũt non poſsit moueri,probat:quia ſi mutaret in intelligendo, mutaretur in peius.ſed nõ poteſt mutari in peius,efficeretur enim imperfectior(quia abſurdũ eſt ac uile intelligere quædam ut dictum eſt) ſed non poteſt fieri imperfectior, eſt enim diuiniſsima & honoratiſsima,& intelligit diuiniſsima & honoratiſsima:ergo non poteſt intelligere aliquid extra ſe,ſiue id ſit idem ſemper, ſiue alias aliud.

» Primum quidem.) Poſtquam indicauit Ariſtoteles, quid ſequatur ſi mens ſit ſui intellectio:in hac parte uidetur oſtendere, quid ruſus ſequatur, ſi nõ ſit ſui intellectio.& inquit:ſi mens non eſt ſui intellectio,ſed potentia (hoc enim ſequitur ex dictis,Si nõ ſit intellectio ſui) rationabile eſt,continuã intellectionem ipſi menti laborioſam eſſe. Quod planè ſic uidetur inferri:Quod intelligit aliquid, quod nõ eſt ſubſtantia ipſius,neceſſe eſt ut laboret, quia neceſſe eſt ut ab eo moueatur. Quod

8.Phyſic. autem mouetur ab alio,id laborare, declaratum eſt octauo Phyſ. Si ergo mens intelligeret aliquid quod non eſſet ſua ſubſtantia,laboraret: ſed mens non poteſt laborare,quia eſt diuiniſsima,ideoq; optima: ergo non intelligit aliquid diuerſum à ſeipſa,quod non ſit ſui intellectio.

Deinde ſubiungit aliud abſurdũ,quod ſequitur ex hac opinione, & ait: Poſtea præter id quod dictũ eſt,manifeſtũ eſt, quod dabit aliud ipſa mente honorabilius. Conſequens eſt falſum:ergo antecedens. Probatur Conſequẽtia: quia intellectũ erit honorabilius ipſa mente intelligente, quia intellectũ mouet & perficit intelligens.quod aũt mouet & perficit aliquid, ut patet ex eis quæ in ſuperioribus dicta

3.de Anim. tex.19. ſunt,ex tertio de Anima,eſt honorabilius ipſo moto.ſed hoc fieri non poteſt, quia mẽs ipſa eſt diuiniſsima,& honoratiſsima:ergo neq; id ex quo emanat fieri poteſt.

» Etenim intelligere,& intellectio.) Videtur hic oſtendere, idẽ ſequi abſurdũ,ſi ponamus mentẽ non eſſe ſui intellectionẽ. quòd ſequebatur omnino, mentẽ eſſe intellectionem, & intelligere aliquid extra ſe.& inquit:Etenim præter ea quæ dicta ſunt abſurda,ſequetur etiã ex eadem poſitione,ut intelligere, & intellectio ſit peſſima ipſi menti intelligenti. Probatur conſequẽtia:quia intelliget deteriora, quæ melius eſt nõ intelligere,quoniam mentem reddũt imperfectiorẽ: ſicut melius eſt non uidere quædam,quàm uidere. Erit ergo intelligere, & intellectio menti peſsima. Sed hoc eſt abſurdum, & fugiendum, quia intellectio eius non eſſet optima: eris

erit ergo abſurdum etiam & fugiendum, mentem intelligere aliquid extra ſe. ſeipſam igitur intelligit, ſiquidem eſt optimum, & eſt intellectionis intellectio.

Seipſum igitur intelligit.) Cùm oſtendiſſet Ariſtoteles, primã mentem aliquid intelligere: quia cùm ſit diuiniſsima, neceſſe eſt ut aliquid intelligat. non enim eſſet honoranda, quia ſe haberet ut dormiens. & ſi intelligit, quia neceſſe eſt ut uel intelligat ſeipſam, uel aliquid aliud extra ſeipſam, poſtquam demonſtrauit fieri non poſſe, ut intelligat aliquid aliud extra ſeipſam, in hac parte euerſis membris dictis concludit, mentem ſeipſam intelligere: quaſi dicens, ſi intelligit, & non poteſt intelligere aliquid aliud extra ſeipſam: igitur neceſſe eſt ut intelligat ſeipſam. Et breuiter repetit fundamentum concluſionis, dicens hoc euenire: quia ipſa eſt optima, & intellectio eſt intellectionis intellectio: ergo non poteſt intelligere aliud à ſe. quia ſi intelligeret, eſſet aliquid aliud, & ſic non eſſet optima ſubſtantia: eſſet enim in potentia. & eius intellectio nõ eſſet intellectionis intellectio, quando quidem intellectum eſſet aliud ab intelligente.

Quare meo quidem iudicio minimè probanda uidetur eſſe interpretatio illorum, qui negant Ariſtotelem in tex. citato, ea ratione quæ dicta eſt auferre ab ipſo Deo cognitionem eorum quæ ſunt extra ipſum: quia hoc perſpicuè patet ex eius uerbis, ut explicauimus. Quod ſi dicant Ariſtotelem eo in loco ſenſiſſe, Deum non intelligere quæ ſunt extra ipſum, ita ut moueatur ab ipſis, ſicut nos mouemur ab ijs quæ intelligimus, ſed per eſſentiam ſuam intelligere ea quæ ſunt extra: neq; ſibi tamen ullum reperirent exitum: cogentur enim ei attribuere imperfectionem & potentiam: quandoquidem & ſi id ſit uerum, non tamen conſentit Ariſtoteles ſententiæ in eo loco: ubi ratione naturali uſus eſt. Etenim abſurda illa quæ ibi oſtẽdit ſequi, ſiue Deus res quæ ſunt extra intelligat per eſſentiã, ſiue ponatur aliquis auctor eius intellectionis, ſequentur opinionem iſtorum. nam, ut diximus, mens ipſa non eſſet optima, ſiue intelligeret idẽ, ſiue plura: & intellectio non eſſet eius ſubſtantia, & mutaretur in peius. ſequetur etiam, ipſum Deum nõ intelligere multa ſubitò, neq; intelligere omnia uniuerſaliter, neq; particulariter, ob eaſdem rationes.

Item, à ratione alienum eſt, Ariſtotelem textu dicto deducere ad abſurdũ probabiliter. uidetur enim ex ijs quę dicit, apertè deducere ad abſurdum neceſſarium, ex fundamentis tamen naturæ non ſimpliciter.

Falſum quoq; eſt ex ijſdem fundamentis, falſis tamen, quod ad hãc rem attinet, Deum intelligere aliquid extra ſe, & non perfici ex hac intellectione: quandoquidem patet ex hac doctrina, intelligentem intelligere, ut maiorem conſequatur perfectionem. omnes enim homines natura ſcire deſiderant: propterea quòd omnis ars & ſcientia, ut declarauit Ariſtoteles ſeptimo Polit. & primo Ethic. implere uult quod deeſt naturæ alioquin non deſideraremus ſcire, ſi nobis nihil deeſſet, fruſtraq; id appeteremus, & fruſtra ſciremus. non poteſt igitur ex ijs fundamentis illud aſſeri. Itaq; longè melius exiſtimationi ſuæ, atque hominum utilitati conſuluiſſent uiri illi egregij, ut diximus in ſuperioribus, ſi dixiſſent Ariſtotelem ratione naturali oſtendiſſe, Deum non cognoſcere quæ ſunt extra ipſum. ſed rationem illam falſam eſſe, quia non concludit ita ſequi niſi ex principijs illis, non ſimpliciter: præſertim cùm non poſsimus etiam ex ratione naturali dicere, in mente diuina reperiri eas ideas quas nonnulli aſſerunt Platonem poſuiſſe: propterea quod falſum eſſet, Deum omnia intelligere. Etenim demonſtratum eſt in ſuperioribus, fieri nõ poſſe ut intellectus noſter qui dicitur poſsibilis, ſit mixtus cum ſpeciebus, quia non poſſet omnia intelligere. Iam uerò ſi ponimus Deum omnia cognoſcere, fateri cogimur eum utramq; partem contradictionis intelligere, (alioquin eſſet intellectu humano longè imperfectior, & non habere ſpecies rerum ſecum naturaliter innatas, ut patet ex eis quæ dicta ſunt. Denique quicquid dicetur de iſta mente, dicemus de anima, quantum attinet ad uirtutes, & ad alias ſpecies quas recipit: non enim eſt maior ratio unius, quàm alterius. Item, non uitarent ea abſurda quæ ſequi dixit loco ſuperius citato.

7. Polit. et 1. Ethic.

2. lib. de Honore.

SECTIO TERTIA.

NEc uidetur fieri poſſe ex hac uia, ut afferamus ſpecies rerum eſſe idem in ſubſtantia, quod Deus: quia cogeremur fateri, ipſius Dei eſſentiam nõ eſſe ſimplicem, ſed uariam, & quaſi diſtinctis imaginibus depictam, quæ imagines res diuerſas referrent, & eſſent infinitæ: ſiquidem præſentia, præterita, & futura repræſentarent, quod quidem conuellit naturæ principia. ex quibus luce clarius concluditur, ipſum Deum eſſe actum purum & ſimplicem, & omni compoſitione carentem. Coguntur item dicere, Deum mutationes infinitas quotidie recipere, atq; in eſſentia mutari: quia mortuo Socrate, ſpecies eius quæ referebat ipſum nunc exiſtere, non amplius refert illum nunc exiſtere, ſed mortuum eſſe: ergo fruſtra erit in mente diuina illa ſpecies æterno tempore, quia nunquam ex hac uia Socrates poterit reuerti, uel mutabitur Deus in eſſentia. Et quod de Socrate dictum eſt, de omnibus rebus exiſtentibus pari ratione dicendum eſſe conſtat: quod quidem eſt abſurdiſsimum.

Item Ariſtoteles multis in locis clamat, ut nos ex eius uerbis in ſuperioribus palàm fecimus, in eis quæ ſunt à materia & in eſſe, & in operando ſeiuncta, idem eſſe intelligens, & quod intelligitur. ſunt enim puri actus, & omni carent potentia: neceſsitas igitur cogit, ut non ſolum fateamur Deum nihil extra ſe cognoſcere, ſed etiam intelligentias inferiores: de quibus intelligentijs in ſuperioribus longum habuimus ſermonem, cum oſtenderemus nihil eas extra ſe intelligere: alioquin ſi aliquid extrà intelligerent, quomodocunq; intelligerent, euitare meo iudicio nõ poſſemus quin intellectum eſſet ſeiunctum, & diuerſum ab intelligente, & intellectio non eſſet intellectionis intellectio, quod Ariſtotelis uerba omnino labefactat atq; euertit. etenim ſi id quod intelligitur ab aliquo. aliud eſt ab ipſo intelligente, neceſſe eſſe ut id quod intelligit, non ſit idem atq; id quod intelligitur, ita in promptu eſt, ut qui hoc negare audeat, ſummæ ſtultitiæ damnandum eſſe, in dubium uenire non poſſit: ſequeretur enim, ut patet, contrarium, atq; poſitum fuiſſet, quod planè eſſet contradictionis implicatio.

7.Ethic. cap.ult. Item ſeptimo Ethic. in fine inquit: Quoniam autem ſi huius natura eſt ſimplex, ſemper eadē actio erit iucundiſſima. Quare Deus ſemper una & ſimplici gaudet » uoluptate. non enim ſolum ipſius motus eſt operatio, ſed & immobilitatis. uolu» ptas enim magis eſt in quiete, quàm in motu.

Si ergo Deus ex ſentẽtia Ariſtotelis naturaliter loquentis, ſemper gaudet una & ſimplici uoluptate, quæ non poteſt eſſe niſi in intelligendo, ut ponit in decimo 10.Ethic. cap.8. Ethic. cap. decimo, planè efficitur ut non poſsit intelligere plura, & nõ poſsit intelligere iſta inferiora: quia ſi intelligeret plura, gauderet pluribus uoluptatibus, & non una & ſimplici uoluptate. Itẽ, ſi intelligeret iſta inferiora, non gauderet ſemper una & ſimplici uoluptate: quia ſunt plura, & intereunt. Quoniam ergo Deus eſt ſimplex, ſemper gaudet una & ſimplici uoluptate: & quoniã gaudet una & ſimplici uoluptate, quæ eſt in intelligendo, non poteſt plura, neq; aliud extra ſe intelligere. Item, ſi Deus nullam aliam habet operationem niſi contemplationem, ergo non poſſumus dicere ipſum cognoſcere iſta inferiora: quia ſi cognoſceret iſta inferiora, niſi fruſtra ipſa cognoſceret, haberet aliam operationem, præter contemplationem: produceret enim ipſa, & illis benefaceret. ſed eis non benefacit, quia, ut 10.Ethic. cap.8. declarauit Ariſtoteles decimo Ethic. cap. decimo, nullam habet operationem præter contemplationem: ergo non cognoſcit ipſa.

7.Polit. cap.3. Præterea inquit Ariſtoteles ſeptimo Politic. ocium enim habet Deus honeſtè, & omnis mundus quibus nõ ſunt externæ operationes, præter proprias ipſorum. Ergo Deus, & intelligentiæ non cognoſcunt iſta inferiora: quia ſi cognoſcerent præter operationes proprias, haberent etiam externas: propria enim earum operatio eſt, ſui ipſarum contemplatio. operationes autem quibus intelligerent alias res, eſſent ſeiunctæ ab operationibus quibus intelligunt ſeipſas: ergo haberẽt operationes externas, præter proprias. ſed has non habent, ut inquit Ariſtoteles, ergo non cognoſcunt iſta inferiora.

12.Meta. Sed quid clarius: nõnne dixit Ariſtoteles, ut ex ſuperioribus patuit, Deum tantummodo ſeipſum intelligere? At ſi intelligeret aliquid extra ſe, quomodocunq;

id

id intelligeret, nónne falſum eſſet illum tantummodo ſeipſum intelligere? Quare nihil mihi ſanè occurrit, quod non apertè oſtendit, Ariſtotelē ex fundamentis naturæ putaſſe, Deum nihil extra ſe intelligere ſimpliciter. Itaq; non ſequitur, eius cognitionem rebus quæ ſunt hic imponere neceſſitatem. quod eſt illud quod erat nobis in hac parte propoſitum ad probandum.

SECTIO QVARTA.

HActenus uidimus ea abſurda quæ ſequebantur, ponentes Deum cognoſcere ea quæ ſunt extra ipſum. Nunc alia afferenda ſunt, quæ uidentur exiſtere, ſi ponamus Deum non cognoſcere ea quæ extra ipſum ſunt: quæ longè abſurdiora apparent.

Ac primùm quidem ex hac opinione ſequitur, Deum eſſe ignorantem. quod eſt unum ex omnibus quæ non ſolum proferri, ſed cogitari poſſunt, indigniſsimum. Quæ enim perfectio eſſet Dei opt. max. ſi eſſet ignorans? nónne eſſemus nos, qui ſumus homunculi, ipſo Deo perfectiores? etenim in dubiū uenire non poteſt, quin cognoſcens ſit non cognoſcente perfectius.

Item, ſi Deus non cognoſceret iſta inferiora, cùm negari non poſſit quin ab eo principaliter producantur, ſequeretur, ut produceret ipſa per modum naturæ, ſicut ignis producit calorem, & arbores fructus, non cognoſcendo hós affectus. Conſequentia perſpicua eſt. At conſequens eſt omnium abſurdiſſimum: ergo id ex quo fluxit, abſurdiſſimum eſſe, neminem latère arbitror. Quis enim, modò ſit ſanus, negare audebit, alienum eſſe prorſus à ratione, aſſerere cauſam primam, quæ eſt omnium rerum præſtātiſſima ac perfectiſſima, ita producere effectus ſuos, quemadmodum ignis producit caliditatem? Certè nemo.

Item, ſi Deus non cognoſceret iſta, ſequeretur, cognóſcentem (ut cognoſcens eſt) producere effectus, quos non cognoſceret: quod quidem eſt non ſolum pugnantia, uerùm etiam (quod multo abſurdius eſt) negantia aſſerere. Conſequentia nota eſt: quia Deus ponitur cognoſcere: & dum cognoſcit, producit, quia ſemper producit iſta inferiora.

Præterea, corpora cœleſtia habent certum ordinem inter ſe, & certam proportionem ad iſta inferiora, id quod ipſo ſenſu percipitur. etenim ſi ſol eſſet maior uel minor quàm eſt, & ſi uel propius ad nos accederet uel longius recederet quàm facit, interiret mundus, propter nimiam caliditatem uel frigiditatem.

Item, ſi alium haberet ordinem quàm habet, periret mundus: omnis enim uirtus huius mūdi, ut dictum eſt in ſuperioribus, gubernatur à corporibus cœleſtibus, eo tamen modò quo oſtendimus.

His poſitis, argumentor ſic: Si Deus nòn cognoſceret iſta inferiora, fieri non poſſet ut ratio eius ordinis quem habent corpora cœleſtia inter ſe, & proportionis quam habent ad iſta inferiora, redderetur. Conſequens eſt abſurdum: quia ſi nulla reddi poſſet ratio illorum, eſſent à caſu. ergo id unde emanat, abſurdum ſit neceſſe eſt. Probatur conſequentia: quia ſi non dicamus ita ſe habere corpora cœleſtia, propterea quòd Deus cognóſcens ea ſic creauit, nihil à nobis quòd ueritatis ſpeciem habeat, proferri poteſt. cogimur igitur fateri, Deum cognoſcere iſta inferiora.

Nec uerò ſolum rationibus allatis repugnat hæc opinio, uerum etiam uerbis Ariſtotelis, quæ manifeſtò uidetur euertere multis in locis: quorum nonnullos (ne nimij ſimus in hac re) proferemus. atque hic erit primus, ubi dixit: Deū compleuiſſe omne faciens continuam generationem, eiſq; dediſſe perfectionem ſuam, quatenus exigebat eorum natura. quod quidem illum facere non potuiſſe conſtat, niſi ipſorum naturam cognouiſſet. *2. de gene. & cor. 59. 1 Cœli tex. 100.*

Item ſecundo Rhet. Arbitramur, inquit, Deum auxilium ferre ijs qui iniuria affi ciuntur. at hoc fieri non poſſe ſine cognitione neminem latère arbitror: neceſſe eſt enim, ut Deus cognoſcat eum qui iniuria fuit affectus, ſi auxilium ei ſit laturus. *2. Rhet. cap. 5.*

Eodem lib. ait: Iniuſtum enim, quod factum eſt præter dignitatem: quare Dijs at tribuimus indignari. At ſi Dij indignantur, ergo neceſſariò cognoſcunt. aliter enim *2. Rhet. 9.*

indignari nõ poſſent, ut ex definitione indignationis colligi poteſt: eſt enim, rebus
ſecundis indigne collatis dolere.

Item, laudat eos qui ſunt in poteſtatibus conſtituti, qui amant deos. At ſi dij non
» cognoſcerẽt, non eſſent illi ob hanc cauſam laudandi. inquit uerò: Vnus aũt ſequi-
» tur melior mos bonæ fortunæ. quod ſunt Dei amatores, & ſunt quodam modo affe-
» cti erga Deos, propter bona facta ab ipſa fortuna.

2.Rhet. Item hæc ait: Multis enim Deus non ex beneuolentia ingentes tribuit proſperi-
cap.23. tates, ſed ut illuſtriores accipiant calamitates.

in Poetica. Item in Poetica ita ſcriptum reliquit: Omnia enim attribuimus Deis uidere.

6.Ethic. Item in ſexto Ethi. cap. tertio, quem locum citauimus etiam in ſuperioribus, uſus
cap.3. eſt his uerbis: Quare rectè dixit Agathon, hoc ſolo & Deum priuari, infecta facere
» quæ facta ſunt.

Quibus uerbis cùm probet ſententiam Agathonis, oſtendit ſe putaſſe illam eſſe
ueram. ſed ex hac ſententia ſimpliciter, Deum cognoſcere, quia non priuaretur illo
ſolo quod dicebat Agathon, ut infecta redderet quæ facta fuiſſent. ergo fateri co-
gimur, hac illum ſententia fuiſſe, ut exiſtimaret, Deũ cognoſcere quæ ſunt extra ſe.

Sed quid clarius, quàm ea uerba quæ ad hunc modum ſcripta reliquit decimo
» Ethicorum? Qui ſecundum mentem operatur, & eam colit, & optimè diſpoſitus
» eſt, amiciſſimus Dijs uidetur eſſe. nam ſi Dij curam aliquam habent rerum huma-
» narum, ut exiſtimatur & creditur, rationabile eſt gaudere optimo & cognatiſſimo
» (tale autem huiuſmodi mens eſt) & amantibus illam, & honorantibus fauere tan-
» quam rerum ſibi chariſſimarum curatoribus, & rectè ac benè agentibus. Quod au-
» tem hæc omnia ſapienti maximè competant, non eſt obſcurum: amiciſſimum ergo
» Deorum, eundemq́; feliciſſimum eſſe decens eſt. Itaq; ex hoc modo ſapiens utique
» erit maximè fœlix.

Quis iam dubitet, quin Ariſtoteles uerè ſenſerit, Deum cognoſcere bonos, quos
dicit ab illo amari, ipſisq́; benignè fieri? Certe nemo.

8.Ethic. Itẽ 8. Ethi. Poſſibile em̃, inquit, amicitia quærit non ſecundũ dignitatẽ. non enim
cap. x. in omnibus euenit, quemadmodũ in honoribus, qui ſunt erga Deos, & parentes.
» nullus enim ex dignitate poteſt reddere, ex facultate autem obſequens probus eſſe
» uidetur. Si ergo Dijs non poſſunt à nobis ſecundum dignitatem reddi honores: er-
go neceſſe eſt ut Dij cognoſcant quia ſi non cognoſcerent, fruſtrà eis redderemus honores.

7.Polit. Item ſeptimo Politic. cùm loqueretur de magnitudine ciuitatis, hæc protulit uer-
cap.4. ba: Numerus autem excedens, non poteſt participare ordinem. hoc enim eſt di-
» uinæ potentiæ, uel ſi aliquis contineat omne. Vult ergo, Deum cognoſcere: alio-
quin fruſtra hoc dixiſſet, non enim poſſet ei ordinem attribuere.

7.Polit. Item in eodem lib. ſic ait: Oportet autem prægnantem curam habere corporum
cap.16. ne pigreſcant, neque uni ſubtili nutrimento. hoc autem legiſlatori facile eſt facere, ſi
» præceperit eas ſingulis diebus proficiſci ad templa Deorum habẽtium honorẽ pro-
» pter ipſam generationem: id eſt, qui præſunt generationi liberorum, & ob hoc affi-
» ciuntur honoribus.

Ibidem paulo pòſt, quum enumeraret ea ſine quibus non poteſt eſſe recta ciuitas:
Quintum, inquit, & primum, habendam eſſe curam rerum diuinarum, quam uocãt
ſacerdotium. Quod ſi Dij non cognoſcerent, fruſtra hoc præcepiſſet.

5.Polit. Item quinto Polit. ait, exiſtimari non poſſe homines ſine ſtulticia Deos negligere:
cap.11. ergo putat Deos cognoſcere ipſos homines. quia ſi non cognoſcerent, poſſent ſine
ſtulticia negligi.

1.Oecon. Item primo Oeconom. teſtatam reliquit eandem ſententiam his uerbis: Sic enim
» diuina prouidẽtia utriuſq; natura ordinata eſt, uiri ſcilicet & mulieris ad ſacietatem,
» tendunt enim eorum omnia in idem utilitatis, licet contraria uideantur.

2.Oecon. Et ſecundo Oeconom. cùm dixit: Exiſtimare autem debet mulier bene compo-
» ſita, mores uiri eſſe legem ſuæ uitæ, impoſitam ſibi à Deo per coniunctionem matri-
» monij atq; conſortij. Hæc enim lex nõ potuiſſet imponi à Deo mulieri, niſi cogno-
ſceret mulierem & uirum, ut patet.

Et paulo

Et paulo pôſt ubi ait: Cùm tanta adhibeatur cura pro corporis eſca, quid pro li- 2.Oecon.
beris & matre educatrice? nónne protinus omne ſtudium fuerit adhibendum. hoc "
enim ſolo hominum conditio mortalis per ſucceſſionem immortalitatem conſe- "
quitur, omniumq́ parentum uota huc tendunt. Quamobrem qui iſta negligit, & "
Deos ipſos uidetur negligere. Propter Deos igitur, quibus præſentibus ſacra fe- "
cit, & uxorem duxit, ac multò magis ſe poſt parentes uxori tradidit ad honorem. "
Nam ſi Dij non cognoſcerent, & ſi curã horum inferiorum nõ haberent, fruſtrà his
haberetur honos, poſſentq́ negligi. negliguntur enim ea, quæ nõ cognoſcunt, neq́
dici poſſet præſentibus Dijs ſacra fuiſſe facta, nihilq́ referret quod ad ipſos Deos at
tinet matrimonium uiolare.

Item cùm hæc ſubiunxit: Vter eorum magis profecerit in familiæ gubernatione, 2.Oecon.
ac ſtatim ſcire per fortunam malum, aut per uirtutem bonum, in quibus ſuperauit, "
maximum præmium à Dijs conſequuntur, ut Pindarus inquit: Dulce enim cor, & "
ſpes mortalium ſibi multiplicem alit uoluptatem: ſecundum uerò, à filijs educari. "
Quapropter & priuatim & publicè decet eum qui uitam gerit, ad omnes Deos ho "
minesq́ reſpicere, multumq́ & ad uxorem & ad filios & ad parentes. Non enim il- "
lud aſſeri poſſet, homines à Dijs præmia conſequi rerũ geſtarum, niſi Dij ipſorum "
hominum cognitionem haberent. Neque oporteret homines & priuatim & publi "
cè uitam degentes, ad omnes Deos reſpicere. fruſtrà enim hoc facerent, perinde ac
ſi arbores & lapides reſpicerent. Iam uerò poteſt'ne quiſquam dubitare, an con-
iugi, & uiro, ex ſententia Ariſtotelis præſit Deus cognoſcens et ſciens, cum eiuſmo
di ille præcepta de hac ipſa re tam diligenter tradiderit?

Item in lib. de Diuinatione per ſomnium, cùm uellet oſtendere ſomnijs non eſſe lib. de Di-
fidem habendam: Nullam uerò, inquit, rationabilẽ cauſam uidere ſecundum quam uin. per
hoc fiat, diſcredere facit. nam Deum quidem eſſe mittentem cum alia irrationabili- Somn.
tate, & non optimis & prudentiſſimis, ſed quibuslibet mittere inconueniens eſt. ab
lata uerò quæ à Deo cauſa, nulla aliarum uidetur conueniens eſſe cauſa.

Quibus uerbis planè oſtendit, ſe crediſſe Deum cognoſcere hæc inferiora: a-
lioquin nõ reddidiſſet hanc cauſam, cur iſta diuinatio non ſit à Deo: quia Deus non
mittit illam optimis & prudentiſſimis, ſed quibuslibet. Sed dixiſſet Deum non mit
tere, quia Deus non cognoſcit iſta inferiora. Quod cùm non fecerit, exiſtimemus
eum putaſſe Deum opt. max. horum inferiorum cognitionem tenere neceſſe eſt.

Confirmat hanc eandem ſententiam in eodem lib. ijs uerbis: Omnino autẽ quo- "
niam & aliorum animalium quædam ſomniant à Deo utiq́ miſſa, non erunt ſom- "
nia, neq́ facta ſunt. Et paulo pòſt cùm ait: Valde enim multi homines præuidentes "
ſunt, & rectè ſomniantes, tanquam Deo non mittente. "

Item cùm ſubiunxit: Et ideo accidit paſſio hæc quibuslibet, & non prudentiſſi-
mis. Indies utiq́ enim fierent & ſapientibus, ſi Deus eſſet mittens. Quare conclu-
dendum eſt, Ariſtotelem ſenſiſſe, Deum hæc inferiora cognoſcere.

Sed quid opus eſt, ad ſtabiliendam Dei cognitionem rationes ullas, & uerba Ari
ſtotelis afferre? quum nulla gens tam fera, nulla ſit tam immanis natio, cuius men-
tem non imbuerit Dei cognitionis opinio? Quare quum omnium conſenſus uox
quædam naturæ ſit, nobis quoque qui naturam ſequimur, is uel maximè ſequendus
uidetur.

Quod autem omnium de aliqua re conſenſus probet, declarauit Ariſtoteles in 1. Cœli
primo Cœli, ubi dixit: Quod quidem igitur ſempiternum, & non augmentum ha- tex. 22.
bens, neque decrementũ, ſed inſeneſcibile & inalterabile, & impaſſibile eſt primum "
corporum, ſi quis ſuppoſitis credit, ex dictis manifeſtum eſt. uidetur autem & ratio "
apparentibus teſtificari, & apparentia rationi. "

Si ergo omnes eandem habent de cognitione Dei opinionem, ex conſenſu om
nium ſequitur, Deum iſta inferiora cognoſcere: alioquin uniuerſum genus huma-
num deciperetur, ſemperq́ deceptum fuiſſet. Fruſtra tot laudum genera, tôt cere-
moniæ, tot honores Deo optim. maxim. inſtituti fuiſſent. Fruſtra tot ei præces ad-
hiberentur, fruſtra tot templa erecta illi ac dedicata fuiſſent, fruſtra tot labores in

ipſo colendo & placando ſuſciperentur: certè miſeriores eſſemus omnibus brutis animalibus, quippe qui ieiunijs & flagellis corpora noſtra ultrò maceramus & affligimus, nosq́ omni uoluptate et delectatione priuamus. Vana & inanis eſſet ſanctiſſima religio noſtra: Falſum eſſet Ieſum Chriſtum Dei filium extitiſſe. Quæ quidem omnia eiuſmodi ſunt, ut nihil abſurdius, magisq́ impiè non ſolum dici, ſed ne cogitari quidem poſſit. Quare concludendum uidetur, ac ſine ulla dubitatione omnino aſſerendum, & ex rationibus allatis, et ex uerbis Ariſtotelis & ex cõmuni omnium gentium quæ ſunt, quæq́ fuerunt, conſenſu, Deum opt. max. non modò hæc inferiora cognoſcere, ſed eorum quoque maximam curam gerere. Ita poſſet aliquis inſtare contra ea quæ prius dicta ſunt.

SECTIO QVINTA.

SEd quoniam iſta euertunt rationes naturales, & Ariſtotelis uerba ſuperius allata (pugnant enim inter ſe) quærendum eſt quid ſit de hac re ſentiendum, ex ipſius Ariſtotelis ſententia, ex qua hoc in loco nos loqui profitemur.

Ad hanc quæſtionem reſpondentes, dicimus, eas rationes & ea Ariſtotelis uerba, quibus probatum eſt Deum omnia quæ ſunt extra ſe cognoſcere, ueritati conſentire, atque ipſimet Ariſtoteli non ex ratione naturali loquenti, ſed ex ijs quæ ut homo prius credebat. quam planè rem luce clarius oſtendunt auctoritates, quibus uſi ſumus ad demonſtrandum, Deum illa etiam quæ extra ipſum ſunt cognoſcere. non enim putandum eſt, tantum philoſophum in hoc manifeſtiſſimo ac turpiſsimo errore uerſatum fuiſſe, ut arbitraretur deum optimum maximum nullam horum inferiorum cognitionem habere. Etenim hoc planè eſſet ſcelus unum ex omnibus maximè nefarium ac deteſtandum, omniq́ pœna & ſupplicio uindicandum. Quænam igitur eſt iſta amentia, arbitrari Ariſtotelem non credidiſſe Deum omnium quæ ſunt, quæ fuerunt, quæq́ futura ſunt, cognitionem tenere? quum ipſe tot locis huius ſuæ ſententiæ tam apertam nobis ſignificationẽ dederit: quam ſi quis negare audeat, non uideo quid is conceſſurus ſit.

Quod ſi aduerſus nos afferantur rationes eæ, atque auctoritates, quibus ille uidebatur à Deo harum rerum, quæ in hoc mundo inferiori exiſtunt, cognitionem omnino auferre: Reſpondebimus, eum loquutum fuiſſe ex ratione naturali, ex qua quidẽ concedimus etiam nos (&, ut opinor, multi concedunt Theologi) fieri non poſſe ut uerè probemus, Deum cognitionem eorum quæ in hoc mundo inferiori, atque etiam ſuperiori exiſtunt, habere: quandoquidem hoc ſit unum ex eis quæ per fidem habeantur, ad quod (ut ſuprà diximus) non aſpirat ratio naturalis. Quare qui ſolo lumine naturali ducuntur, non eſt cur ueritatẽ huius rei ſe conſequutos eſſe arbitrentur. etenim eſt una ex illis ueritatibus, quæ non à leuibus coniecturis & ignotis teſtibus, quales ſenſus, & rationes naturales proficiſcuntur, ſed à Deo optimo maximo, qui neque fallere neque falli poteſt, à principio mundi uſque ad hoc tempus, orta eſt. quod ſi quis negare audeat, eum omni pœna, omniq́ ſupplicio afficiendum eſſe, qui dubitet arbitror eſſe neminem.

Neq́ uerò putandũ eſt hoc ſummæ Dei opt. max. poteſtati aliquid detrahere. ſi quidem fas non fuerit (quod etiam in ſuperioribus dictum eſt, ad quem locum me reijcio) in iſtis rebus generalibus & corruptibilibus, & in eis quæ ſenſu percipiuntur, ea poſita eſſe ſigna, quibus omnem tanti numinis, tamq́ admirabilis principij uim & naturam, nos homunculi, qui eius tanquam mancipia ſumus, cognitione planè comprehenderemus, ac perciperemus. pares enim ferè illi, & æquè beati eſſemus.

Neque rationi conſentaneum erat, ut tantum numen ita ſe contraheret, atq́ in anguſtum deduceret: ut ad eos duntaxat affectus ſeipſum alligaret, qui in iſtis ſenſibilibus apparent: nec ſibi poteſtatem reſeruaret alia agendi, quàm ea quæ oculis nos homunculi, & quaſi bruta animalia cernere poſſumus: quocirca opinari debemus, hanc Dei cognitionem ex ijs eſſe, in quibus uia naturalis peruertitur.

Itaq́

Itaque nihil meo iudicio impedire uidetur, quin aſſeramus Ariſtotelem credidiſſe, Deum optimum maximum rerum quæ ſunt in hoc mundo inferiori perfectiſſimam cognitionem tenere: licet ea fuerit ſententia, ut exiſtimaret rationem naturalem contrarium indicare. non enim arbitror locos citatos in eam ſententiam accipi poſſe, ut Ariſtoteles ſignificare uoluerit, Deum optimum maximum nullam eorum quæ ſunt extra ipſum ſimpliciter cognitionem tenere. Sed tantum in animo habuerit oſtendere, quid concluderet ratio naturalis in eis libris, in quibus ipſe rerum cognitionem duntaxat ex fundamentis naturæ traderet.

Quod autem ſuppoſitis fundamentis naturalibus ita loquutus ſit, colligi poſſe uidetur ex eis quæ ſcripta reliquit in primo de Cœlo ad hunc modum (quæ uerba in ſuperioribus quoque citauimus ad aliud propoſitum) inquit autem: Quod quidem ſempiternum, & neque augumentum habens, neque decrementum, ſed inſenſibile, & inalterabile, & impaſſibile eſt primum corporum, ſi quis ſuppoſitis credit, ex dictis manifeſtum eſt. 1. Cœli 22.

Quum ergo dicat ita eſſe, ſi credamus ſuppoſitis: non ſignificat ſimpliciter ita eſſe, ſed ita eſſe poſitis principijs naturalibus. Eodem igitur modo in propoſito noſtro eſt dicendum. Quod etiam clarius colligi poteſt ex eis locis, in quibus aperte uiſus eſt indicare ſententiam contrariam. longe enim melius uidetur eſſe ita dicere, ꝗ̃ eos imitari, qui nullo modo uolunt concedere ipſum crediſſe aliquid quod à ratione naturali oſtenſum non fuerit. & ita obſtinatè ac mordicus hãc ſuam opinionẽ tueri conantur, ut ab illa nullis rationibus ſe dimoueri patiantur: arbitrantes ſi quid Ariſtoteles de Dei optimi maximi cognitione proferre uiſus ſit, id eum feciſſe duntaxat ad bene beateque uiuendum, non ex animi ſui ſententia. in quam illi quidem ſententiam impulſi fortaſſe fuerunt eis uerbis, quæ ſcripta reliquit in ſecundo primæ Philoſophiæ lib. ad hunc modum: Auſcultationes ſecundum conſuetudinem contingunt. ut enim ſumus conſueti, ſic dignum putamus dici, & præter hæc nihil ſimile apparet. ſed propter inaſſuetudinem ignotiora, & magis externa putamus. quod enim conſuetum eſt, notius eſt: quantũ autem robur habeat, quod conſuetum eſt, quàm cognoſcere de ipſis propter conſuetudinem. 2.1. Philoſ. tex. 20.

Quorum uerborum ſenſus uidetur eſſe: homines fidem habere legibus diuinis, non quia ueræ ſint, cùm dicat in eis fabuloſa & puerilia quædam contineri, ſed quia aſſueti fuerint.

Sed fortaſſe reſpondere poſſumus, his illum uerbis intelligere de quibuſdam antiquis ac peruetuſtis religionibus, quæ ridiculæ uidebantur, & fabuloſæ, ſed non de religionibus ſimpliciter: uel etiam loqui de legibus, quæ attinent ad iuſticiam, & ad alias uirtutes morales. quoniam multæ eiuſmodi reperiuntur, quæ uidentur puerilia continere, ut indicat ipſe ſecundo Polit. cùm ait: Probari autem dicet aliquis ex ſuperioribus, antiquas leges nimium ſimplices uel rudes eſſe, & barbaras: armati quidem incedebant Græci, & uxores emebant inuicem: & quæcunque uetuſta iura alicubi extant, penitus ſtulta ſunt. ceu apud Cumas lex eſt, ſi accuſatur teſtes inducat ex agnatis proprijs, reum cædis, contra quem probatur. 2. Polit. cap. 6.

SECTIO SEXTA.

SEd ſtatim aliquis contra hanc reſponſionẽ induceret text. 36. duodecimi primæ Philoſophiæ lib.: cuius hæc ſunt uerba: Traditum eſt ab antiquis in figura fabulæ relicta poſterioribus, quòd Dei ſunt hi, & quod diuinum continet uniuerſam naturam, reliqua autem fabuloſe ſunt addita ad perſuaſionem multorum, & ad uſum legum, & eius quod confert. Forma enim humana hos conſtare, & ſimiles eſſe quibuſdam ex alijs animalibus dicunt, & ijs altera ſequentia, & ſimilia eis quæ dicta ſunt. à quibus ſi aliquis ſeparans ipſum, ſumat ſolum primum, quod uidelicet Deos opinabantur primas ſubſtantias eſſe, diuinè dici arbitraretur, & ſecundum ueriſimilitudinem ſæpenumero inuenta, quantum fieri poteſt unaquæque & arte & philoſophia, & rurſus corruptis: & has opiniones illorum, ut reliquerunt con- 12. Meta. 36.

ſeruatas eſſe uſque ad hoc tempus. paterna igitur opinio ab ipſis primis in tantum nobis manifeſta ſolum.

Induceret inquam hunc textum aliquis aduerſus reſponſionem quam dedimus, & oſtenderet Ariſtotelem eo in loco intellexiſſe de Legibus diuinis, in quibus ait multa puerilia & fabuloſa addita fuiſſe ueris, ad multorum perſuaſionem, & ad uſum legum, & ad hominum utilitatem: non de legibus humanis, quæ ad conſeruationem ciuilem, ſicut ad ultimum finem ordinantur, quibus utuntur homines ad iuſta iudicãdum, & alia quæ fiũt inter homines. Quam explanationem nonnulli perperam, ut dicemus, ſecuti ſunt. hic ergo textus uidetur eam reſponſionẽ quam dedimus, apertè infirmare ac labefactare: quòd uidelicet Ariſtoteles in ſecundo primæ Philoſophiæ lib. per leges intellexerit eas quæ traduntur de iuſtis ciuilibus: nec uerò hanc ſolum, ſed priorem etiam, quòd uidelicet per leges in quibus erant puerilia & fabuloſa, intellexerit de legibus quarundam religionum, quæ fuerunt antiquitus, quæ ridiculæ uidebantur & fabuloſæ, & non de religionibus ſimpliciter. Etenim in hoc textu uidetur loqui de religionibus ijs quæ ad illam opinionem antiquorum: quòd Dij uidelicet eſſent primæ ſubſtantiæ, & continerent uniuerſam naturam. Multa alia de ipſis Dijs addunt. at hoc faciunt omnes religiones, ut perſpicuum eſt: ergo ſequitur, Ariſtotelem in eo ipſo textu generali quadam comprehenſione loquutum eſſe de omnibus religionibus, quum diceret, ea quæ adduntur, ab ipſis eſſe addita fabuloſe ad multarum perſuaſionem, & ad uſum legum, & hominum utilitatem: non ex ueritate ipſa. Itaque uerba Ariſtotelis allata, in eam ſententiam erunt accipienda, ut per leges in quibus puerilia & fabuloſa dixit contineri, intelligamus leges quæ de Dijs traduntur: & de omnibus talibus ſimpliciter. unde poſtmodum emanat, ut ſimpliciter euertatur omnis religio ex ipſius Ariſtotelis ſententia. Quamobrem fateri cogemur, Ariſtotelem fuiſſe eius ſententiæ, ut exiſtimaret ea ſolum de Dijs eſſe uera, quæ naturali ratione tradita ſunt ab antiquis. & per id quod neceſſariò ſequitur, eum protuliſſe omnia illa uerba quæ attulimus, ad probandum Deum opt. max. rerum quæ ſunt hic cognitionem tenere, ad perſuaſionem multorum, & ad uſum legum, & ad hominum utilitatem, non ex animi ſui ſententia. quod quidem aperte euertit ea quæ à nobis dicta ſunt.

Reſponderem adductus rationibus ijs quæ dictæ ſunt, Ariſtotelem loquutum eſſe ex ſententia antiquorum, qui ad ea quæ naturali ratione de ipſis Dijs demonſtraſſent, addiderunt fortaſſe fabuloſa (ut ipſe dixit) id eſt quæ non demonſtrabant, ſed quibus ſe tantum credere profitebantur: non autem ſimpliciter hoc intellexiſſe de omnibus religionibus, quæ adderent aliquid ſententijs dictis.

1. Polit. cap. 1. Quod autem loquutus ſit de religionibus antiquis, uidetur etiam colligi poſſe ex eis quæ ad hunc modum ſcripta reliquit in primo Politicorum libro: ſparſim
» namq; ſic antiquitus habitabant, & Deos ob hoc ipſum putãt cuncti regem habere,
» quoniam & ipſi partim nunc, partim antiquitus ſub regibus degebant. quemadmo
» dum enim formas humanas Dijs attribuunt homines, ſic etiam uitas. Hęc enim fue
» runt antiquo tempore. de iſtis ergo loqui oportet.

Quod uerò, quum uellet oſtendere quæ fabuloſe addita fuiſſent, ſubiunxerit, Dijs attributam fuiſſe formam humanam: quod uidetur repugnare religioni noſtræ, quę aſſerit Ieſum Chiſtum filiũ Dei unigenitum ſumpſiſſe formã humanam, & factũ eſſe hominẽ: nihil hoc facit contra Ariſtotelẽ. etenim cõcedimus, eos qui non legerũt ſacras literas ante aduentũ Chriſti redẽptoris noſtri, uel eas nõ intellexerũt, uel lumine ſpiritus ſancti non fuerunt illuſtrati, nunq; potuiſſe hanc rem credere: ſicut accidit Iudæis. nõ tamẽ ex hoc ſequitur, quin Ariſtoteles potuerit credere Deũ cognoſcere iſta inferiora: et lumine aliquo diuino cõmotus proferre illas auctoritates, nõ ſolum ad perſuaſionẽ multorum, et ad uſum legum, uerumetiã ad ipſam ueritatem: præſertim cum eas multis in locis protuliſſe uideatur, in quibus nulla neceſ-

ſitate

ſitate cogebatur hoc facere. Quare cùm nulla ſit ratio quæ nos impediat, quò minus aſſeramus Ariſtotelem aliud ratione naturali oſtendiſſe, aliud credidiſſe: & hoc pium ſit, & rationi conſentaneum: non uideo cur nonnulli homines ita obſtinatè & mordicus uelint tueri, Ariſtotelem nihil credidiſſe niſi id quod ratio naturalis oſtenderit. præſertim cùm nos qui Chriſtiani ſumus, non negemus rationem naturalem aliquando concludere aliud ab eo quod ipſi credimus: nõ enim exiſtimandum eſt, id ei quoq; accidere non potuiſſe, quod multis ex nobis accidere experimur, ut uidelicet aliud ex ſua religione crederet, aliud ex ratione naturali dicendum eſſe arbitraretur. Etenim nemo eſt ex nobis qui Chriſti redemptoris ac ſeruatoris noſtri religionem & pietatem uerè profitemur, qui neſciat, ex principijs naturalibus fieri nõ poſſe, ut ex eo quod non eſt, ſimpliciter aliquid fiat: & ſimul fieri non poſſe, ut uerbum fiat caro: & tamen firmiter non credat, mundum uniuerſum à Deo opt. max. ex eo quod non erat ſimpliciter creatum fuiſſe, & uerbum factũ eſſe carnem. Proq; his tuendis ac defendendis uitam libentiſſimè (ſi opus eſſet) non profunderet. Etenim quamuis Ariſtoteles non eas ueritates de Deo opt. max. & de Chriſto ſeruatore noſtro aſſequutus fuerit, quas nos immenſo ipſius Dei beneficio conſequutos eſſe firmiter tenemus: non tamen ex eius dictis colligere poſſumus, eum lumine diuino ita prorſus deſtitutum fuiſſe, ut aſſerendum ſit ipſum nullam omnino, tanti numinis, tamq; admirabilis principij cognitiõem tenuiſſe, de quo clariſſima uoce tam multa præclarè tot in locis protulit, ac teſtata reliquit: præſertim cùm exiſtimandũ ſit, Deum opt. max. non tam fuiſſe hominum generi infenſum & inimicum, ut paſſus fuerit ipſum tam diu in omnibus rebus decipi, atq; in turbulentiſſimis erroribus uerſari: ſed ſingulis ei ſæculis aliquas ueritates, & eas maximè quæ maximi erant momenti, diuerſis uijs & uarijs oraculis aperuiſſe. quarum ueritatum hæc una fuit uel maxima, Deum opt. max. omnia quæ uniuerſa natura continentur, ita cognita & perſpecta habere, ut nulla res ne minima quidem eum latêre poſſit. Rationes ergo quæ oſtendunt Deum cognoſcere, exiſtimandum eſt eſſe ex lumine illo, quod neq; fallere neq; falli poteſt, eaſq; tenere firmiter debemus: eas uerò quæ oſtendere uidentur ipſum nullam horum inferiorum cognitionem habere, falſum concludere ſimpliciter, ex ſuppoſitione tamen aliquam fortaſſe ueritatem in ſe continere, poſitis uidelicet principijs illis quæ oriuntur ex ſenſibus, qui (ut dictum eſt) non habent tantam uim ut poſſint omnes ueritates patefacere. Etenim ſi non habuiſſemus lumen diuinum, quo ducti ſenſus comprimeremus, & quaſi uinculis conſtringeremus, cogeremur ipſis ſenſibus omnino aſſentiri, & fidem habere: ut cogimur ijs in rebus, quæ oriuntur è ſenſu. cùm nihil adeſt, quod ui diuina ordinem rerum quas Deus condidit impediat, atq; eas à proprijs motibus euertat, & aliquando ipſas ita cohibeat atq; contineat, ut nolit calida calefacere, & frigida frigefacere. nunc uerò in hac re de qua agimus, adeſt numen diuinum, quod nobis oſtendit diuerſis uijs & uarijs oraculis, ut antea dictum eſt, ac demum ſuæ ipſius mortis teſtimonio, Deum omnia cognoſcere. Itaq; nihil eſt iam, quod de hac ueritate dubitare poſſimus, ſine maximo ſcelere atq; impietate.

Quod ſi quiſpiam tamen obſtinatè & mordicus uelit aſſerere, Ariſtotelẽ in omnibus locis, in quibus apertè poſuit Deum opt. max. horum inferiorum perfectam cognitionem tenere, loquutum eſſe ad multorum perſuaſionem, & ad uſum legum, & hominum utilitatem, non ex eo quod ipſe crederet atq; ſentiret: is ſciat ſe & D. Thomæ, & D. Auguſtini, & beati Pauli, & breuiter omnium Theologorum doctrinam & ſcripta euertere. Eodem enim poterit ſuſpicari aliquis, & dicere, eos quoq; eſſe loquutos ad multorum perſuaſionem, & ad uſum legum, & hominum utilitatem, non ex eo quòd uerum eſſe crederent. Neq; obſtat, quòd nuſq; contrarium ſe ſentire oſtenderint, ſicut oſtẽdit Ariſtoteles: quia nemo eſt illorũ qui nõ fateretur, ex nõ ente ſimpliciter nihil poſſe fieri uia ordinaria, nec poſſe eadẽ uia mortuos reuiuiſcere, cęcos uidere, & Deũ fieri hominẽ, & tamen nõ hęc omnia crederet diuina uirtute ac potentia effecta fuiſſe. Sed qd dicemus, cũ nulla res ferè ſit quã Ariſtoteles aſſe

rat, non poſſe fieri naturaliter, cui Theologi repugnent? nam quis eorum neget, quod dicit Ariſtoteles ignem ad motum paſſo bene diſpoſito, & nõ impedito, neceſſariò comburere: & tamen omnes crediderunt, non ſequutam eſſe actionẽ ignis, in quem tres illi pueri coniecti fuerunt, propterea quod Deus opt. max. ſuſpendit pro eo tempore ignem illum à ſua actione: & ſic de multis alijs. Nihil igitur uidetur prohibere, quin idem exiſtimemus de ipſo Ariſtotele. Vtrum uerò Theologi contrarium aliquando ſcripſerint, nec ne, nihil refert: cum ſatis ſit nobis, quòd nemo ipſorum negare potuerit, illa quæ dicta ſunt fieri non poſſe ex uia naturali, quæ tamen crediderunt facta fuiſſe ſuperiore ui ac potentia. Quare opinio illa de ſententia Ariſtotelis, quam diximus nonnullos ſequi, planè improbanda uidetur, atq; reijcienda.

FINIS LIBRI VIGESIMISEPTIMI
Euerſionis ſingularum certaminis.

LIBER VIGESIMVSOCTAVVS.

SECTIO PRIMA.

Caeterum adhuc aliquis quærere poſſet, & non ſine ratione, ſi ponamus, ut quidem pro certo atq; explorato ponendum eſt, Deum opt. max. harum rerum quæ ſunt in hoc mundo inferiori, & omnium deniq; quę ſunt extra ipſum, cognitionem tenere: quo modo tuebimur libertatem noſtram, & rerum contingentiam, quas Dei cognitione penitus euerti, oſtendebat ratio in ſuperioribus allata?

Ad hanc quæſtionem reſpondemus, Ariſtotelem, ut qui ex religione penderet, Dei cognitionem & prouidentiam crediſſe, ac libertatem noſtram, præter rationes, ipſa experientia commotum poſuiſſe: quoniam in nobiſmetipſis experimur nos moueri, & non moueri, ut uolumus, & ſic de alijs huiuſmodi. neq; adeſt ulla ratio, quæ cogat nos hanc quam ſentimus poteſtatem alteri cauſæ attribuere, quã illi quæ eſt in nobis. Neq; uerò ſolum nos homines qui ratione præditi ſumus ſpontè agere poſſumus, uerum etiam animalia bruta, ut declarauit Ariſtoteles in tertio Ethicorum. *3. Ethi. capite 5.*

Ad quæſtionem autem, quomodo cum Dei ſcientia ſtet libertas noſtra, & rerum contingentia: dari poſſent omnes eæ reſponſiones, quas dant Theologi, quas quidem multas eſſe non ignoramus: ſed opinamur magis rationi atq; ipſius Ariſtotelis ſententiæ conſentire eam reſponſionem, quam nos dedimus in ſecundo libr. de Honore, propterea quòd alias reſponſiones multa abſurda ſequi uidentur.

2. lib. Honore. Reſponſio autem illa hæc fuit. Ponendum eſſe omnino, & credendum, Dei opt. max. cognitionem, & prouidentiam, itemq; libertatem noſtram, & rerum cõtingentiam: ſed ignorari modum, quo libertas in noſtra, & rerum contingentia, cohæreat cum ipſa Dei cognitione & prouidentia: propterea quòd hoc eſt unum ex eis arcanis quæ ferè ſunt infinita, quæ ſibi Deus opt. max. reſeruauit. Atq; hæc quidẽ reſpõſio, tantum quidem abeſſe opinamur ut dari non poſſit, ut nullam aliam eſſe hac tutiorem & meliorem, & quæ diuinæ maieſtati magis conueniat, exiſtimemus. non enim (ut diximus) fas erat, ut tam diuinum numẽ, tamq; admirabile principium, nobis homunculis, qui eius tanq; mancipia ſumus, omnia ipſius arcana aperiret, perinde quaſi ab eius ſecretis eſſemus.

Rationes uerò in contrariam ſententiam allatas, negamus eſſe ſimpliciter ueras, ſed ex ſuppoſitione, uidelicet poſitis illis principijs naturalibus: nihilq; aliud uoluiſſe Ariſtotelem oſtendere rationibus illis, quàm quòd concluderet ratio naturalis, quam quidem arbitrari debemus in omnibus uerum concludere, propterea quòd Deus res quas condidit, ita adminiſtrat, ut eas maiori ex parte proprios motus facere ſinat, cum nullum adeſt impedimentum, quod nos in ſententiam oppoſitam deducat: quẽadmodũ in hac ipſa quæſtione affuit lumẽ diuinũ, qđ aperte indicauit, ſicut in

cut in cæteris omnibus quæ attinent ad fidem, rationem naturalem ſimpliciter à ueritate recedere, atq; alienam eſſe.

Sed adhuc aliquis inſtaret dicens, ſi Dei prouidentia & ſcientia ſit ex eis quæ per fidem habentur: non ergo rationes allatæ ex ſententia Ariſtotelis ad probandum, Deum optimum maximum rerum quæ ſunt extra ſe cognitionem habere, concludent ueritatem. alioquin fateri cogeremur, prouidentiam diuinam poſſe haberi ex rationibus naturalibus: illæ enim ſunt rationes naturales. quod quidem euertit id quod dictum eſt, eam uidelicet non haberi ex ratione naturali, ſed tantum ex ipſa fide.

Reſpondemus, rationes illas, quas Dei prouidentiam ex Ariſtotelis ſententia oſtendere uidebantur, naturales quidem eſſe, ſed probabiles & ueriſimiles, non neceſſarias: easq; naturaliter, paruo admodum negotio, ſi non haberemus aliud lumen, quàm illud quod nobis ſenſus, & ipſiuſmet Dei uia ordinaria, de qua in ſuperioribus plura diximus, oſtendit, diſſolui poſſe. Quare ad primam rationem reſpondetur, falſum eſſe, ſi Deus nihil extra ſe intelligeret, ſequi ipſum Deum eſſe ignorantem: quia non ignorat ſeipſum, ſed ſeipſum intelligit, ut diximus, & intelligendo ſeipſum, intelligit omnes perfectiones quæ ſunt in omnibus rebus, modo quodam perfectiori & illuſtriori, quod quidem maiorem indicat diuini numinis excellentiam & præſtantiam. Etenim nulla eſt perfectio, nullaq; excellentia in natura, quæ non reperiatur in ipſo Deo, modo quodam eminentiori & perfectiori: quod exemplo ſic oſtendi poteſt. Faciamus elementa, quæ ſunt cæteris corporibus imperfectiora, continere decem perfectionis & excellentiæ gradus: mixta uerò imperfecta quindecim: mixta perfecta inanimata, uiginti: mixta perfecta animata anima uegetatiua, triginta: mixta perfecta animata anima ſenſitiua, quadraginta: mixta animata anima intellectiua, quinquaginta: corpora aũt cœleſtia, centum: atq; ipſum Deum, ducentos: qui intelligit ducentos iſtos perfectionis gradus, eundem intelligere gradus inferiores, fateri neceſſe eſt: & qui hoc modo intelligit, quin is non ſit ignorans & imperfectus ob ignorationem, in dubium uenire non poteſt.

Quod ſi quis dicat, ipſum Deum dici ignorantem, proptereaq; res ipſas & gradus perfectionis earum non cognoſcit, eo modo quo ſunt, atq; iſtam ignorationem eſſe defectum quendam qui Deum reddit imperfectum: concederem ſecundum Ariſtotelem, Deũ hoc modo dici ignorantẽ, quia ignoret ea quæ ſunt extra ipſum, eo modo quo ſunt: negarem autem hanc ignorationem eſſe defectum qui Deum reddat imperfectum: imò uerò tantum abeſſe ut ita ſit, ut huiuſmodi ignoratio maximè oſtendat ipſum Deum eſſe perfectiſſimum. Declarat enim, eum non intelligere niſi perfectiſſima & optima, & modo excellentiori quàm dici, aut cogitari poſſit: & ignorare uiliſſima, & modo uiliſſimo, quæ ſi intelligeret, uileſceret: ut oſtenſum eſt ex Ariſtotelis ſententia: quia melius eſt non uidere quædam, quam uidere. ſatis enim eſt ad Dei opt. max. perfectionem & præſtantiam, nullum in rebus eſſe perfectionis gradum, quem ipſo modo illuſtriori ac perfectiori non intelligat, intelligendo ſeipſum. neq; ex hoc ſequitur, homines eſſe Deo ipſo præſtãtiores, quia res quæ ſunt præter Deum, eo modo quo ſunt intelligimus. Etenim hoc euenit ob noſtram imperfectionem, ut uidelicet perficiamur, & ut ſeruemur, cùm ſimus mutationibus obnoxij.

Quod ſi aliquis diceret, homines dici cæteris animalibus præſtantiores, propterea quòd plura illis intelligant: & inter homines, eos quoq; præſtantiores, qui plurium rerum cognitionem ſunt conſequuti, ita ut qui non intelligunt eos exiſtiment felices: quia, ut dixit Ariſtoteles, arbitrantur eos multarum rerum ſcientiam aſſe- 1.Ethi. capite 4.
quutos eſſe: itaq; ſequi, ut plurium rerum cognitio reddat etiam homines præſtantiores quàm ſit Deus. quod eſt omnium in philoſophia etiã naturali abſurdiſſimũ.

Si aliquis inq; hoc modo inſtaret, reſponderem ſecũdum Ariſtotelem ex dictis fundamentis, uerum eſſe homines ob multarum rerum cognitionem eſſe brutis animalibus præſtãtiores: & inter homines ipſos longè pręſtare eos qui pluriũ rerũ cognitionẽ ſunt conſequuti, ita ut pluriũ rerum cognitio præſtantiã arguat. Ad id qđ inferebatᷣ negarẽ: quia multarũ rerũ cognitio eo modo quo ſunt, arguit tantũ præſtantiam illarum rerum quæ ſunt imperfectæ, & indigent perfectione ac tutamine:

quia

quia ex hac cognitione perfici & defendi poſſunt, non ſimpliciter & abſolutè, ſed in rebus quæ ſunt perfectiſſimæ, & quas nullam mutationem ſuſcipere contingit. Tantum abeſt ut multarum rerum eo modo quo ſunt cognitio arguat prǽſtantiam, ut ſi haberent illam, deteriores fierent. mutarentur enim, idq́ in peius: & ſuperuacanea eſſet ipſis illa cognitio, etenim nullam eis perfectionem adiungeret, nullamq́ opem afferret: quia ſunt perfectiſſima, & nulli mutationi ſubiecta.

Quare multorum cognitio non arguit ſimpliciter & abſolutè præſtantiam, ſed in rebus tantum imperfectis: cuiuſmodi ſunt illæ quæ mutantur, & deſtrui poſſunt, ut perficiantur, & ut ſeruentur, & non deſtruantur.

Falſum ergo eſt, cognoſcens plura, non cognoſcente plura eſſe perfectius, licet ſit non cognoſcente ſimpliciter perfectius. Et tunc nō ſequitur, homines qui plura cognoſcunt, eſſe ipſo Deo, qui non cognoſcit plura, præſtantiores: propterea quòd Deus eſt cognoſcens ſeipſum, qui habet omnes perfectiones. ſed ſequitur ut ſint præſtantiores ijs quæ non cognoſcunt ſimpliciter & abſolutè, qualia ſunt bruta, & inanimata. Ita reſpondendum arbitror ex ſententia Ariſtotelis ad primam quæſtionem.

Ad aliam item quæ ſequebatur, reſponderem ſecundum ipſum Ariſtotelem: tantum abeſſe, ut ſit abſurdum, Deum res quæ ſunt hic producere per modum naturæ & conſequentiæ, ſicut quodam modo, ignis producit calorem, ut ſi aliter produceret, eſſet ex hac uia abſurdiſſimum. nam Deus eſt perfectiſſimum, & optimum, & immutabile: eſtq́ propter ſeipſum principaliter, & non propter nos, & operatur propter ſeipſum, eiusq́ operatio eſt tantum ſui ipſius contemplatio. Quare ſi produceret ea quæ ſunt extra ipſum, & non per modum conſequentiæ, ut dicemus, ſequerentur ea quæ dicta ſunt abſurda: quæ cùm non ſint concedenda, fateri cogimur uia naturali, Deum producere per modum naturæ & cōſequentiæ, ea quæ producit: etenim eius eſſentiam, & ſui ipſius contemplationem, ob ſummam eius perfectionem ſequitur illum dare eſſe ipſi cœlo, & ipſum mouere: ex quo tanquam ex cauſa uniuerſali (ut dictum eſt) ſequitur omnium generatio & conſeruatio: ſicut umbra ſequitur corpus, & ab ipſo corpore conſeruatur.

Quare niſi diuinum lumen adeſſet, quod aliter nobis oſtenderet, non eſſet abſurdum ex uia naturali, aſſerere Deum non cognoſcere ea quæ ab ipſo producuntur: ſicut ignis non cognoſcit calorem quem producit, neq́ arbores fructus quos ferunt: quia hæc inferiora non producuntur à Deo principaliter, atq́ ex eius propoſito, non enim eſſet tantum propter ſe: ſed producuntur, quia ſequuntur perfectionem eius, atq́ præſtantiam. Quare hæc ipſa dicitur producere Deus, perinde ac ſi produceret: ſicut accidit magnis principibus, ut multòs alant, quos minimè norūt, neq́ ſibi propoſitum eſt alere, ſed hoc eorum amplitudinem atq́ opes propemodum neceſſariò ſequitur: idq́ tantum abeſt ut arguat aliquam eorum imperfectionem, ut maximam oſtendat inter cæteros homines ipſorum præſtantiam.

Non abhorret igitur à ratione naturali, Deum ignorare eos effectus, quos non ex propria & principali intentione producit, ſed qui eius perfectionem ſequuntur. Abſurdum uerò eſſet, ſi eos effectus non cognoſceret, quos principaliter produceret: ſicut etiam magnis principibus turpe eſſet ignorare eos homines, qui ex primo & principali ipſorum propoſito domi ſuæ alerentur. Quare ſecundum hanc uiam nihil abſurdi ſequi arbitramur ex ea Dei ignoratione, quam diximus.

Ad aliam quæſtionem quæ ſubiungebatur, dicerem, Deum producere has res, non ut illas cognoſcentem, ſed ut cognoſcentem ſeipſum, quam cognitionem ſequitur harum rerum productio & ſalus. eſſet igitur abſurdum, ſi Deus has res produceret, ut eas cognoſcens, & ipſas ignoraret. hoc enim aſſerere, eſſet non ſolum pugnantia, uerùm etiā (quod multo maius eſt) negantia aſſerere. Nunc uerò dicimus, cognoſcere ſeipſum, & has res producere, non ut eas cognoſcentem, ſed ut cognoſcentem ſeipſum: quia hæc rerum productio, ut dictum eſt, ſummam eius perfectionem atq́ præſtantiam ſequitur. ſicut corpus dicitur producere umbram, quæ ſequitur ipſum: res tamen ipſæ ita ſe habere dicuntur, perinde ac ſi eas cognoſcens Deus produceret.

Quod uerò deinde quibuſdam poſitis inferebatur: Si Deus nō cognoſceret iſta

inferiora,

ſnferiora,fieri non poſſe ut ratio ordinis illius quem habent corpora cœleſtia inter ſe,& proportionis quã habent ad iſta inferiora,redderetur: negamus cõſequentiã.

Ad probationem,dicimus corpora cœleſtia eſſe eo modo ordinata, quo ſunt ornata ſtellis, non propter nos, ſed propter Deum, & reliquas ſubſtantias à materia ſeiunctas principaliter. non enim ex hac uia naturali fas eſſe uidetur,corpora illa perfectiſsima ordinata fuiſſe,& ornata propter res imperfectas. quandoquidem perfectiora non ſunt propter imperfectiora,ſed, ut inquit Ariſtoteles ſeptimo Polit. Semper deterius melioris gratia eſt.patet hoc in his quæ ſunt ſecundum artem,& in his quæ ſunt ſecundum naturam. 7.Polit. "

Corpora autem cœleſtia ijs inferioribus longè eſſe præſtantiora, ita in promptu eſt in philoſophia naturali,& in Ariſtotelis doctrina,ut turpe ſit huius probationẽ afferre. Concedimus ergo, ſi ſol eſſet maior uel minor ꝙ eſt,&ſi propius accederet quam facit,aut longius recederet,futurum eſſe, ut mundus uel propter caliditatem, uel propter frigiditatem periret. Concedimus itẽ,neceſſarium eſſe,hunc mundum inferiorem ſuperioribus lationibus eſſe contiguum,ut omnis eius uirtus gubernetur eo modo quo diximus.at negamus hæc facta fuiſſe à Deo cognoſcente, ut cognoſcens eſt:ſed ſequi ſummam eius bonitatem, ut antè diximus. Negamus item, cœlũ eſſe factũ principaliter propter iſta inferiora, ſed propter ſeipſum. dicimusq́ ſequutum eſſe iſta inferiora ad ipſum ita ſe habere ſolum propter præſtantiam, & excellentiam primarum cauſarum: ac præſertim primę & præſtantiſſimæ cauſæ: idq́,ſi ex fundamentis naturæ loquamur, non modò ueritatis ſpeciem quam diximus habere,ſed aliter dici non poſſe,ut ex eis quæ dicta ſunt facile conſtat. 1.de Part. cap.5.

Sciendum eſt autem,ad maiorem declarationem eorum quæ dicta ſunt, & quæ ſunt dicenda, ita ſe habere mundum, ac ſi fuiſſet factus ab aliquo efficiente, quod efficiens pro hoc tempore dicatur natura uniuerſalis,quæ etiam Deus appellari poteſt:quæ natura intelligatur mundum effeciſſe. quia ita ſe habet mundus, ac ſi quædam natura uniuerſalis effeciſſet ipſum.quæ natura uniuerſalis non poteſt intelligi eſſe illa ſubſtantia, quam nos ut philoſophi naturales,primã cauſam & Deum nuncupamus: quia Deus,& illa prima cauſa,licet ratione habita ad hæc inferiora, dicatur natura uniuerſalis,propterea quòd concurrit ad omnes effectus qui producuntur in iſtis inferioribus:tamen quia reuera eſt natura particularis primi cœli(etenim eſt forma illius)nõ dicitur(quod ad hoc ipſum attinet)natura uniuerſalis:quia inter alia quæ ſunt in natura,uidetur eſſe particularis:quippe quæ non producit omnia quæ ſunt in natura,ſed eſt cauſa particularis ipſius primi cœli, ut diximus. Idemq́ dicendum eſt de reliquis intelligentijs.Sed natura uniuerſalis eſt illa,quam dicimus produxiſſe omnia quæ ſunt in hoc mundo:quoniam eum habent ordinem, perinde ac ſi producta fuiſſent ab illa natura,atq́ ita quidem diſpoſita & ordinata, ut ſuperiora quodam modo conſeruarent inferiora. Itaq́ licet ſuperiora quidem facta ſint principaliter propter ſeipſa:tamen quia eorum præſtantiam ſequitur ſalus & conſeruatio horum inferiorum,dicimus ita ſe habere,ac ſi à natura uniuerſali facta fuiſſent,atq́ ita deſcripta,ut ſecundo loco iſta conſeruaret.

Hanc naturam uniuerſalem neceſſe eſt intellexiſſe Ariſtotelem, cum dixit cauſas eſſe notiores naturæ,compoſita uerò nobis:quia non poteſt intelligere primam cauſam,quæ eſt forma primi cœli. eſt enim cauſa ipſius primi cœli,quod eſt compoſitum.oportet autem eum intelligere cauſam illam uniuerſalem, quæ non eſt cauſa alicuius compoſiti,ne proficiſcamur in infinitum in cauſis. Hæc uerò uniuerſalis cauſa erit quaſi per ſe exiſtens,& ſeparata ab omni corpore: & intelligetur producere tum æterna,tum corruptibilia.Idq́ propter noſtrum cognoſcendi modum.

De hac ipſa natura uniuerſali uiſus eſt loqui Ariſtoteles, cum dixit, rectè feciſſe naturam futurum ingenerabile & incorruptibile,&c.& in omnibus locis ubi dixit, Deum & naturam feciſſe generationem continuam, & compleuiſſe omnia. Atq́ hoc modo intelligendo,poterimus reddere cauſam omnium ſubſtantiarum & proprietatum quas habent corpora quæ natura conſtant. 1.Cœli tex.20.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

2.de Gen. AD auctoritates autem ſumptas ex ſecundo de Generatione & corruptione,
& cor. & ex primo Cœli, reſponderem: Ariſtotelem dixiſſe, Deum compleuiſſe o-
tex.59. mne faciens continuam generationem, & eis dediſſe perfectionem ſuam, quate-
nus eorum natura exigebat: quia ita reperiuntur ſe habere, ac ſi Deus mundũ com-
pleuiſſet per generationem continuam, & rebus dediſſet perfectionem, quatenus
earum natura exigebat: ut ex eis quæ dicta ſunt perſpicuum eſt, & hoc propter no-
ſtrum modum intelligendi.

Ad alias uerò, quibus apertè dixit, rerum quæ ſunt extra ſe, Deum cognitionem
tenere, dicerem: Ariſtotelem ipſam ueritatem concludere, nec eis tamen quæ dixit
alibi quicquam repugnare. illis enim in locis eum loquutum eſſe ex creditis, non ex
ratione naturali: & hoc colligi poſſe ex illis ipſis locis, in quibus ferè ſemper dixit
10.Ethi.ca ita credi & exiſtimari, ac præcipuè in decimo Ethic. ubi ita ſcriptum reliquit: Nam
pite 9. ſi Dij curam aliquam habent rerum humanarum, ut exiſtimatur & creditur: rationa
» bile eſt gaudere optimo & cognatiſſimo. Tale autem huiuſmodi mens.

Perſpicuum igitur eſt, eùm loqui ex creditis. licet in principio illius decimi cap.
cum declarauit Deum nullam aliam habere operationem præter contemplationē,
loquutus ſit ratione naturali: Etenim ex illa ſequitur, ipſum Deum nullam harum
rerum curam habere, neq; eis poſſe benefacere, quia non habet inſtrumenta bene-
faciendi: nam ſi haberet ea, non tantum contemplaretur, ſed ageret etiam. perfectio
nem autem ipſius contemplationis ait eſſe, tantam, ut ſi Deus cognoſcat, & curam
habeat harum rerum, ut creditur, ueriſimile ſit ab ipſo amari eos qui ex mente ope-
rantur, eamq; colunt, philoſophia enim moralis, quæ humana dicitur, & ſi non pro-
ficiſcitur ex creditis, ſed ex eis quæ oriuntur à natura: tamen in ipſa ſæpenumero uti
tur Ariſtoteles eis quæ credita ſunt, quia hæc maximo eſſent auxilio hominibus ad
bene beateq; uiuendum: ſicut etiam in naturali philoſophia rationibus probabili-
bus plerunq; uſus eſt. Et ob hanc cauſam nos in ſecundo libro de Honore diximus,
Ariſtotelis dicta bifariam conſiderari poſſe: uno modo ut naturaliter loquitur, alio
modò ut moraliter, & quòd opinabatur Deum curam horum inferiorum ac proui-
dentiam gerere. non ut aſſereremus oſtendi hoc poſſe ex morali philoſophia, quæ
ex uia naturali proficiſcitur: ſed ut admoneremus, Ariſtotelem his dictis multo ma
gis uſum fuiſſe in morali quam in naturali philoſophia. Quare in hac re nobis ipſis
non repugnamus.

Sed adhuc urgeret aliquis, dicens: Ariſtotelem naturaliter loquendo poſuiſſe a-
liam prudentiam, quæ excellit humanæ prudentiæ, quæ quidem (ut perſpicuum
eſt) non poteſt eſſe niſi diuina prudentia: ergo poſuiſſe diuinam prudentiam, natu-
raliter etiam loquendo. non enim fieri poteſt ut prudentia ſit ſine prouidentia, ete-
nim non eſt ſine ratione. Antecedens oſtenditur ex his uerbis Ariſtotelis, quæ ſcri-
In lib. Diu. ptà reliquit in lib. de Diuinatione per ſomnium: Qui enim circa Herculeas colum-
per ſomni- nas, & quæ in Boryſthene, præuidere aliquos, ſupra noſtram uidetur eſſe pruden-
um. tiam, inuenire originem horum.

Quibus uerbis innuere uidetur id quod diximus. quia fruſtra dixiſſet, eſſe ſupra
noſtram prudentiam eorum originem inuenire, niſi daretur alia prudentia excel-
lentior, quæ quidem non poteſt eſſe niſi Dei prudentia: quoniam nihil eſt in uia na
turali quod hominibus excellat, niſi ſubſtantiæ abſtractæ.

Reſponderem, Ariſtotelem non aſſeruiſſe ſimpliciter & abſolutè, dari aliam pru
dentiam humana prudentia præſtantiorem: ſed uoluiſſe ſignificare, illa eſſe ita admi
rabilia, ut humana prudentia nón uideatur inuenire illorum originem: quæ ſi poſſet
inueniri, neceſſe eſſet fateri, eſſe aliam prudentiam noſtra præſtantiorem. Itaq; lo-
quutus eſt Ariſtoteles conditionaliter, ut innueret, cum fieri non poſſit ut detur pru
dentia quæ ſit ſupra humanam prudentiam, illud ſequi, ut nullo modo poſſimus il-
larum rerum originem inuenire. Hic igitur tex. ſententiæ noſtræ minimè aduerſa-
tur. uidetur enim Ariſtoteles in eo ſignificare, illos portenta & monſtruoſa quædã
aſſeruiſſe, quæ prudentiam humanam excederent. Ex quo ſequitur ut ſinr falſa: quia
quod ignoratur à prudentia humana, ſimpliciter ignorari ex fundamentis naturæ,
exiſtimandum uidetur.

Ad

Ad eas autem auctoritates quibus uſus eſt in lib. de Diuinatione per ſomnium,
ad probandũ, nullam fidem eſſe adhibendam ſomnijs. Dicimus, ipſum in eo item
loco ex creditis, & ex uulgata hominum opinione eſſe loquutum. quod ſæpenu-
mero facit etiam in eis libris, in quibus ex fundamentis naturæ loquitur. Peruaga
tum enim erat apud omnes, diuinationem per ſomnium mitti ab ipſo Deo homi-
nibus: Ariſtoteles autem uoluit oſtendere, & ſi uerum eſſet Deum cognoſcere, ut
opinantur homines, non tamen ſequi ut ſomnia mittantur à Deo, cũ non mittan-
tur optimis & prudentiſsimis, ſed quibuslibet: quod eſſet abſurdum. Nõ reddidit
autem ibi cauſam quæ erat uera naturaliter loquendo, quia diſputabat contra uul-
gatã hominum opinionem. ueram autẽ cauſam uidetur attigiſſe, ubi inquit: Cum "
alia irrationabilitate.) Etenim negat poſſe dici, iſta ſomnia per qua uaticinantur
homines, mitti à Deo, non tam propter alia abſurda, quàm propter id quod dixit
ipſa dari quibuslibet, & non optimis, & prudentiſsimis. quia alia abſurda non ex-
plicauit, propterea quòd loquebatur in eo loco ex uulgata hominũ opinione. Ete
nim res iſta erat apud homines tum uulgatiſsima, ut eſt etiam nunc. Et ut paucis
me expediam in omnibus locis, ſiue in naturali philoſophia, ſiue in morali, ubi po
nit Deum cognoſcere aliquid extra ſe: intelligendum eſt ipſum uel loqui ex credi-
tis, ut loquutus eſt etiam in primo Topic. cum dixit: Qui enim dubitant, utrũ opor 1. Top.
teat Deos honorare, & parentes amare, uel non, pœna indigent. Et in ſeptimo cap. 9.
Polit. ubi præter locos citatos cum dixiſſet, (Neq; agricolas, neq; uiles homines 7. Polit.
conſtitui oportere ſacerdotes) addidit: (decet enim à ciuibus honorari Deũ.) &
in primo Ethic. ubi quæſiuit, utrũ fœlicitas eſſet à Deo, an ab alia cauſa: quod non 1. Ethic.
quęſiuiſſet, niſi ſciuiſſet homines exiſtimare fœlicitatẽ poſſe à Deo proficiſci. uel 13.
loci illi ſunt redigendi ad bonum ſenſum, ut redegimus text. ſecundum de Gene-
rat. & corrup. & tex. 100. primi Cœli, & alios multos in naturalibus etiã libris. Ete
nim fieri non poteſt, ut hoc habeatur ex fundamentis naturæ. Quare ſic interpre-
tando uerba Ariſtotelis, omne tolletur abſurdum, omnisq; repugnãtia, quæ in eis
ineſſe uideatur.

Ad id uerò quod poſtremo loco afferebatur, nullam eſſe gentem tam feram, nul
lam nationem tam immanem, cuius mentes nõ imbuerit Dei cognitionis opinio:
& cum omnium conſenſus naturæ ſit uox, nobis quoq; qui ipſam naturam ſequi-
mur, ita eſſe exiſtimandum: Reſpondemus, opinionem illam cognitionis Dei,
ita eſſe peruagatam, ob eius probabilitatem: non tamen neceſſariò eſſe ueram ex
fundamentis naturæ ordinariæ, & conſenſum omnium eſſe uocem naturæ ordina
riæ probabilem, non neceſſariam. quod mirum uideri non debet, cum Ariſtoteles 2. Rhet.
multis in locis dixerit multa falſa eſſe probabilia, & multa uera improbabilia.

Sed ſtatim occurret aliquis dicens, fieri non poſſe ut omni ex parte, id quod il-
luſtre ac peruagatũ eſt, à ueritate recedat: ergo fieri nõ poſſe, ut opinio illa cogni-
tionis Dei tam illuſtris, tamq; peruagata, non aliquam ueritatem in ſe contineat.

Probatur id quod antecedit, ex his uerbis Ariſtotelis: Quod autem omnes etiã 7. Eth.
beſtiæ, uoluptatem ſequuntur, id ſignum eſt uoluptatẽ eſſe optimum: fama uerò cap. 1.
non omnino perditur, quam populi multi decantant.

Ergo ſi omnes aſſerunt, Deum horum inferiorum cognitionem habere, neceſſe
eſt, ut aliqua ex parte hoc ſit uerum: quia quod peruagatum eſt, non omnino de-
perditur, falſum ergo erit, Deũ tantummodo ſeipſum intelligere. Confirmatur:
quia uolens diſſoluere Ariſtoteles eam rationem, quæ oſtendebat uoluptatẽ eſſe
ſummũ bonum, proptereaq; eam omnia ſequerent̃, dixit: Falſum eſſe, omnia ſequi
eandem uoluptatem, quia non erat idem neq; natura, neq; habitus optimus, neq;
erat, neq; uidebatur, neq; eandem uoluptatẽ ſequebãtur omnes, & ſi omnes uolu
ptatẽ, & fortaſſe ſequuntur nõ quam putant, neq; quam dicerent, ſed eandem: om
nia enim habent aliquod diuinum: ſed acceperunt hęreditatẽ nominis corporeæ
uoluptates, quia ſæpenumerò incidimus in ipſas: & omnes participant ipſis, quia
ſolæ iſtæ ſunt manifeſtæ, ideo ſolas ipſas putant eſſe. Ariſtoteles ergo ſoluens
rationem dictam, non negauit illud quod uidetur omnibus eſſe uerũ: ſed negauit
omnes ſequi eandem uoluptatem, innuens, ſi omnes ſequerentur eandem uolu-
ptatem, futurum fuiſſe ut ipſa ſummum eſſet bonum. ſed quid? Nón ne in decimo

Ethic. eos redarguens qui negabant illud eſſe ſummũ bonum quod omnes appe-
4 Ethic. tunt, uſus eſt ijs uerbis: Qui uerò negant bonum id eſſe quod omnia appetunt, ij
cap. 2. nihil omnino dicunt. quod enim uniuerſis uidetur, id eſſe dicimus. Qui autẽ hanc
» fidem tollit, non multo credibiliora dicet. nã ſi ea ſolum quæ mente carent, ipſam
» appeterent, eſſet aliquid quod dicitur. ſin uerò ex ea quæ prudentiã habent, ipſam
» affectant, qui fit ut aliquid dicant? fortaſſe autem & in prauis eſt aliquod naturale
» bonũ præſtabilius, quàm ipſa per ſe ſunt, quod propriũ appetit bonũ. Quibus
uerbis apertè aſſerit, quod uidetur uniuerſis eſſe uerum. Quam ob rem ſi uniuerſi
conſentiunt, Deum omnia extra ſe cognoſcere: planè efficitur ut uerum ſit etiam,
Deum eorum, quæ ſunt extra ipſum, cognitionẽ tenere, ergo reſponſio allata non
uidetur eſſe probanda.

SECTIO TERTIA.

RESpondemus etiam nunc, opinionem illam illuſtrem ac peruagatam eſſe probabilem, non ueram, naturaliter loquendo: idq; colligi ex rationibus ijs quibus probatum eſt ex fundamentis naturæ, Deũ extra ſe nihil intelligere. quia neceſſarium eſt, ut id quod contrariũ aſſerit, non ſit ex fundamentis naturæ, ſed probabile. Cùm uerò dicebatur, quòd Ariſtoteles ſoluens argumentum illud, quo quidam probabant uoluptatem eſſe ſummũ bonum, non negauit id eſſe uerum, quod apparet omnibus: ſed dixit non omnes ſequi eandem uoluptatem, quaſi innueret uerum eſſe illud quod apparet omnibus: Concedimus, cùm illi in eo deciperentur. quòd dicerent omnes ſequi uoluptatem, hoc ſatis uiſum fuiſſe ipſi Ariſtoteli, ad diſſoluendam eorum rationem, qua probabant uoluptatem eſſe ſummum bonum, ſed tamen negamus illum ſenſiſſe, id quod apparet omnibus eſſe uerum
in Poetica. ſemper. quippe qui in libro Poëticæ dixit, Veriſimile eſſe multa accidere præter
10. Ethic. ueriſimile.
cap. 2. Ad id uerò quod ſumebatur ex decimo Ethic. dicimus: noluiſſe Ariſtotelẽ illis
» uerbis ſignificare, id eſſe ſemper uerum quod omnibus uidetur, ſed eſſe uerum ex
» communi hominum conſenſu. quod indicant uerba quæ addidit: Quia enim om-
» nibus uidetur, id eſſe dicimus: qui uerò hanc fidem tollit, is non admodum proba-
biliora dicturus eſt, ſignificant enim, propoſitionem illam eſſe prolatam ex communi hominum conſenſu. quia, inquit, nos affirmare eſſe quod omnibus uidetur.

Deinde quod dixit, Qui hanc fidem tollit, is non admodum probabiliora dicturus eſt: innuit, fidem illam eſſe probabilem, cùm neget fieri poſſe ut afferatur aliquid probabilius, quod eam ipſam fidem euertat, nam ſi eam ueram, & neceſſariam putaſſet, dixiſſet, nihil afferri poſſe uerius, non probabilius.

Sed ſtatim aliquis urgeret dicens, fruſtra Ariſtotelem refelliſſe eos qui dictam propoſitionem negabant, ſi propoſitio illa erat ſolum probabilis, & non uera ſemper, quia ex hoc non inferebat ſuum propoſitum.

Addi etiam poſſet, Ariſtotelem illis uerbis, (Si mente carentia hæc appeterent, eſſet ſanè aliquid quod dicitur. at ſi etiam ea quæ prudentia ſunt prædita, quomodo dicere aliquid poſſunt) ſignificaſſe propoſitionem illam eſſe ueram: quia ſi diceremus, inquit, bonum eſſe quod omnia uidelicet mente carentia appetunt, uiderentur aliquid dicere, quia non uidetur rationi conſentire, ut nos opinemur id bonum eſſe quod eis quæ carent ratione uidetur. Sed ſi dicimus bonum eſſe id quod omnia appetunt, id eſt & ratione carentia, & quæ ſunt ratione prædita, nihil uidetur contra hanc propoſitionem afferri poſſe, quod alicuius ſit momenti: propterea quòd nõ uidetur rationi conſentire, ut id ſit falſum quod uidetur & ratione carentibus, & ijs quæ ſunt ratione prædita. Et quia aliquis potuiſſet dicere, nihil eſſe quod apparet illis quę ratione carent, reſpõdet ipſe dicens: Fortaſſe in prauis, id eſt in eis quę carent ratione, naturale quoddam bonum eſt præſtantius, quàm ipſa per ſe ſint, quod proprium bonũ appetit: id eſt, fortaſſe bruta animalia haběr aliquid diuinum inſitum à natura, præſtãtius quàm ipſa ſunt, quatenus talia, quod facit ipſa appetere id quod propriũ bonum eſt, id eſt quod uerè & propriè eſt bonum: ijs ergo uerbis uidetur Ariſtoteles confirmare, illud eſſe ueriſsimum, quod apparet & carentibus ratione, & non carentibus.

Dicerem

Dicerem ex eis quæ citata ſunt in ſuperioribus, Ariſtotelē refelliſſe eos qui negabant illam propoſitionem, nō quia negarenr illam eſſe ſemper ueram, ſed quia negabant eſſe probabilem, neq; rectè diſſoluebant uериſimilitudinem rationis Eudoxi, quę erat iſta: Quod appetunt omnia, eſt ſummum bonum: Voluptatem appetunt omnia: ergo uoluptas eſt ſummum bonum: propterea quod debent negare minorem propoſitionem, non maiorem. quia maior propoſitio, & ſi non ſit neceſſaria, eſt tamen probabilis. Et cùm ſit talis, ſi minor eſſet uera, non poſſent euadere quin argumentum ipſius Eudoxi ſaltem probabiliter concluderet, uoluptatem eſſe ſummum bonum. quod non uult admittere Ariſtoteles, quippe qui in ſeptimo Ethic. negauit minorem propoſitionem rationis Eudoxi, quæ erat (ut diximus) uoluptatem omnia appetere. 7. Ethic. cap. 15.

Ad alteram quæſtionē reſpondemus, nihil aliud uoluiſſe Ariſtotelem indicare præter probabilitatem illius propoſitionis, quia quod appetitur ab omnibus qui carent mente, & quæ habenr mentem, uериſimile uidetur id eſſe ſummū bonum: quia non eſt uериſimile, ut omnia decipiantur.

Quod uerò illa quæ ſumuntur ex communi hominum conſenſu, non uerè, ſed probabiliter demonſtrent, declarauit Ariſtoteles, multis in locis, & maximè ubi definit probabilia, ad hunc modum: Probabilia autē ſunt, quæ uidētur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus: & his uel omnibus, uel pluribus, uel maximè notis & præcipuis.

Nam ſi probabile eſt, illud quod uidetur omnibus: ergo quod aliquid dicatur ſummū bonum, propterea quia omnibus uideatur, erit probabile. ergo in uia naturali probabile erit, Deum rerum quæ ſunt hic agnitionem habere, quia omnes ita aſſerunt: uериſimile enim eſt ut omnes non decipiantur. ſicut dixit in primo Eth. 1. Ethi. 10. ijs uerbis: Hæc partim multi & antiqui, partim pauci & præclari uiri dicunt, quorum neutros in totum aberrare rationabile eſt, ſed in aliquo, & pleraq; rectè aſſequi. Non dixit autem, neceſſarium eſſe ut non aberrent in rotum, ſed rationabile eſſe: quod quidem eo in loco nihil eſt aliud quàm uериſimile eſſe.

Hoc idem uidetur etiam indicaſſe, cum principia facultatum quæ nullo modo poſſunt demonſtrari, ex conſenſu hominum ſæpenumero confirmari dixit. ut in primo Poſt. cap. 20. ubi oſtendit ſcire eſſe rem per cauſam cognoſcere, ijs uerbis: Patet igitur ipſum ſcire tale quid eſſe. nam & hi qui neſciunr, & hi qui ſciunt, ita ſe habere putant quorum ipſi ſcientes, & ita ſeſe etiam habere. 1. Poſt. cap. 20.

Atque hoc quidem argumento eſt, rationem ſumptam ex communi omnium cōſenſu probabilem eſſe, & non demonſtratiua: & ſacere aliquam fidem, ſed non ſcientiam, ut uiſus eſt indicare in lib. de Diuinatione per ſomnium, cum dixir: De diuinatione uerò quæ in ſomnis fit, & dicitur accidere à ſomnis, neq; contemnere, neq; ſuadere facile. nam quod omnes, uel plures exiſtimant habere aliquam ſignificationem ſomnia. Facit fidem tanquam ab experientia ductum. uult enim conſenſum omnium facere fidem, nō ſcientiam: quia diuinatio eorum quorum origo non eſt in nobis, à caſu eſt, ut ipſe in eodem libro ijs uerbis inter alia ſcriptum reliquit: Sic ergo contingit ſomniorum quędam ſigna & cauſas eſſe, plurima uerò accidentibus aſsimilantur, maximè ut tranſcendentia omnia, & quorum non eſt origo in nobis.

Sed ſtatim diceret aliquis, hanc propoſitionem, Quòd omnia, bonum appetunt, non modò probabilem eſſe, ſed ueram ſemper, & neceſſariam, quippe quæ neceſſariò ſequitur ex propoſitione ſemper uera & neceſſaria. quod enim ſequitur ex ueris neceſſarijs, ut uerum ſit ſemper & neceſſarium oportet, ut declarauit Ariſtoteles primo Poſt. his uerbis: Cùm igitur concluſio ex neceſsitate quidem, 1. Poſt. eſt, nihil prohibet medium non neceſſarium eſſe per quod monſtratum eſt. cùm cap. 0. enim ex non neceſſarijs neceſſarium ſyllogizare, ſicut & uerum ex non ueris: cùm autem medium ex neceſsitate eſt, & concluſio ex neceſsitate, ſicut ex ueris uerum ſemper.

Quod autem illa propoſitio ſequatur ex propoſitione ſemper uera, oſtendit Ariſtoteles primo Ethic. cum inquit: Omnis ars, omniſq; methodus, actio item, 1. Ethic. atq; electio, bonum quoddam appetere uidetur. quapropter bene id eſſe bonum cap. 1.

ipſum aſſeruerunt, quod omnia appetunt. His enim uerbis demonſtrat apertè, hanc boni definitionem ſequi ex prima illa propoſitione. alioquin ex eius ueritate non oſtendiſſet antiquos rectè dixiſſe, id eſſe bonum quod omnia appetunt. Hæc autē definitio uidetur ſequi hoc modo: omnis ars, omnis methodus, ſimiliter actio & electio, bonum quoddam appetere uidetur: ergo bonum quoddam appetitur ab arte, quoddam à methodo, quoddam ab actione, quoddam ab electione: ergo bonum ſimpliciter eſt, id quod ab omnibus his appetitur. hūc enim modū arguendi uidetur innuere, cùm ait: Vnuſquiſq; iudicat rectè quæ cognoſcit, & horum eſt optimus iudex. Is ergo in unaquaq; re bene iudicat, qui in illa eſt eruditus: ſimpliciter autem, qui in omnibus eſt eruditus. Item ubi dicit: Vnumquodq; quod eſt ſciens bonum inuenire dicebat, quemadmodum & alimentum.

Quod igitur uniuerſis eſt bonū, quodq; cuncta affectant, id eſſe ſummū bonum aiebat. uidetur ergo ſequi, quemadmodum ſe habet ſingulare ad ſingulare, ita uniuerſale ad uniuerſale: & quemadmodum ſecundum quid ad ſecundū quid, ita ſimpliciter ad ſimpliciter. Cōcluſio ergo iſta, quòd bonum eſt quod omnia appetunt, erit uera, & neceſſaria: quia neceſſariò ſequitur ex illa ptopoſitione uera, non ergo eſt propoſitio probabilis.

Reſponderem, definitionem illam boni eſſe probabilem, & ſequi primam illam propoſitionem ueram: at nō ſequi neceſſariò, ſed probabiliter. probabile enim eſt, ſi aliquod bonū appetatur ab arte, aliquod à methodo, & ſic de reliquis, ut bonum ſimpliciter ſit id quod appetitur ab omnibus. & probabile eſt, ut ſicut ſe habet ſingulare ad ſingulare, ita ſe habeat uniuerſale ad uniuerſale. Definitio ergo illa boni ſequitur ex prima propoſitione probabiliter, non tamen neceſſariò. Itaq; bonum eſſe quod omnia appetunt, probabilis eſt propoſitio, non neceſſaria.

SECTIO QVARTA.

PRæterea aliquis quæreret, Quid nam ſit intelligēdum pet hanc uocē (omnia) quæ eſt in definitione boni? quia ſi intelligamus omnes res, falſum erit, dari aliquod bonum quod appetatur ab omnibus rebus. etenim multæ ſunt res quæ non cognoſcunt, non ergo poterunt appetere. ſi autem per omnia intelligamus res quę habent ſenſum, uel intellectum: falſum erit, quòd detur bonum ſimpliciter. ſed dabitur bonum duntaxat quod appetetur ab ijs quæ intellectū uel ſenſum habent, non erit ergo illud bonum ſimpliciter.

1. Rhet. ca. 6. et 7. Ad hanc quæſtionem reſpondere licet, interpretando hæc uerba Ariſtotelis, bonum eſſe id quod omnia appetunt: ut intelligamus, uel quod appetunt omnia quæ habent ſenſum aut mentē, uel ſi haberent appeterent. Dicitur ergo ſimpliciter bonum eſſe id quod omnia appetunt, id eſt omnes res. Cùm uerò dicebatur, multas eſſe res quæ non cognoſcunt: concedo. At cùm inferebatur, Ergo non appetunt: nego conſequentiam. quia multæ ſunt res quæ appetunt appetitu naturali, qui non ſequitur cognitionem, ut ex ſuperioribus perſpicuum eſſe arbitror. & dicuntur appetere bonum, & ſi non habent ſenſum, uel intellectum: quia ſi haberent, appeterent illud. Quare datur bonum ſimpliciter, uel quia appetitur ab omnibus rebus: uel quia ſi res omnes haberent intellectum, aut ſenſum, appeterent illud.

At quæres, Ego uellem ſcire quid ſit iſtud bonum, quod appetitur ab omnibus rebus. Item, cur Ariſtoteles uſus ſit diſiunctione in deſcribendo bono?

Ad priorem quæſtionem reſponderem, Deum eſſe illud bonum ſimpliciter, quod ab omnibus ſimpliciter appetitur: quia, ut ex eis quæ dicta ſunt patet, omnes res agunt propter Deum.

Ad alteram dicerem, Ariſtotelem uſum eſſe diſiunctione in deſcribendo bono, ut comprehenderet omnes deſcriptiones boni quæ traduntur ab omnibus. Illa uerò qua bonum deſcribitur eſſe id quod omnia appeterent, ſi haberent mentē, uidetur eſſe deſcriptio boni ſimpliciter. At illa quæ dicitur bonum eſſe quod appetunt habentia ſenſum uel intellectum, eſt deſcriptio boni cuiuſdam uniuerſalis, non autem boni ſimpliciter.

Sed adhuc quæreret aliquis, quid nam ſit illud bonum quod dixit primo Ethic.

rectè deſcriptum fuiſſe? Reſponderem, illud eſſe bonum quoddã uniuerſale, non ſimpliciter, id eſt uniuerſale bonũ quod appetitur ab illis quæ habent intellectum. cuius quidem rei hæc uidetur eſſe ratio, quia hæc deſcriptio deducitur ex prima illa propoſitione primi Ethic. quæ ſolum attinent ad ea quæ mẽre ſunt prædita, ut perſpicuum eſt. etenim ut dicit Ariſtóteles in Problem. Omnis ars, omnis methodus, Probl. ſect. & actio, & electio, ſunt opera noſtra: ſunt ergo opera eorũ quæ habẽt intellectum. 30. Prob. neceſſe ergo eſt, ſi dicamus aliquod bonum appeti ab arte, aliquod à methodo, ali- 4. quod ab actione, & electione, ut bonum uniuerſale ſit illud quod appetunt omnia iſta quæ habent intellectum.

SECTIO QVINTA.

ITem quæreret aliquis, quare Ariſtoteles eo in loco tradiderit illam boni deſcriptionem: non enim uidetur ad rem facere. Reſpõderem, Ariſtotelem intuliſſe ex illa prima propoſitione illam deſcriptionem, ut ipſam propoſitionem, quã non poterat demonſtrare, confirmaret ex communi omnium opinione. quaſi diceret, propoſitionem illam, Omnis ars, & quæ ſequuntur, eſſe ueram, quia antiqui ſic exiſtimauerunt. cuius ſignum fuit, quoniam ex ea rectè intulerunt bonum eſſe quod omnia appetũt. Quod non feciſſent, ſi illam falſam exiſtimaſſent. Conſentit igitur rationi, ut nos etiam ipſam eſſe ueram arbitremur.

Quare iam perſpicuum uidetur eſſe, ex eo quòd opinio cognitionis Dei mentes omnium imbuerit, non ſequi ut ita ſit ex ratione naturali: quia propoſitio illa, non eſſe ex omni parte falſum quod uidetur omnibus, eſt probabilis, non neceſſaria.

Quod autem propoſitiones quæ conceduntur ab omnibus, non ſint neceſſariò ueræ, ſed ſolum faciant aliquam fidem, & cur hanc ipſam fidem faciant, mihi uidetur luce clarius oſtẽdiſſe Ariſtotelem in libro de Diuinatione per ſomnium, ijs uerbis quæ ſupra quoq; citauimus: Nam quod omnes, uel plures quidem exiſtimant habere aliquã ſignificationẽ ſomnia, facit fidem, tanquam ab experientia dictum. lib. de Diu. per Som.

Dicit enim, conſenſum omnium aliquam fidem facere, non ſcientiam: & oſtendit quare hanc ipſam fidem faciat.

Sed contrà etiam ſic inſtaret aliquis: Ratio, qua probatum fuit Deum cognoſcere iſta inferiora, erit hæc. Quod illuſtre ac peruagatum eſt, non poteſt omni ex parte eſſe falſum: Deum cognoſcere iſta inferiora, eſt illuſtre & peruagatum: ergo non poteſt eſſe omni ex parte falſum, in uia etiam naturali. Tu reſpondiſti ex ſententia Ariſtotelis, negando maiorem propoſitionem. At quare non reſpondiſti ſicut ipſe Ariſtoteles ad argumentum Eudoxi, negando ſcilicet minorem propoſitionem? nempe illuſtre ac peruagatum eſſe Deum cognoſcere iſta inferiora, quia non omnes gentes hoc teſtantur. nam ſi ita reſpondiſſes, non incidiſſes in tot quæſtiones, in quot incidiſti: in quas non incidit Ariſtoteles, cùm negauit omnia ſequi uoluptatem: & non negauit, quod eſt illuſtre ac peruagatum, non eſſe penitus falſum.

Reſpondeo, me non negaſſe minorem propoſitionem, quia mihi non uidebatur poſſe eam negari: cùm perſuaſum ſit omnibus gentibus, Deum cognoſcere iſta inferiora. Itaq; coactus fui, naturaliter loquendo, negare maiorem propoſitionem, quam non fuit coactus negare Ariſtoteles, reſpondendo ad rationem Eudoxi: quia poterat negare minorẽ propoſitionem, uidelicet omnes ſequi uoluptatem. Et ſic Eudoxus neq; uerè neq; probabiliter cõcludere poterat ex illa ratione, uoluptatem eſſe ſummum bonum.

Sed adhuc urgeret aliquis dicens. Eſſe ita peruagatũ, uoluptatẽ eſſe ſummum bonum, ſicut Deum cognoſcere iſta inferiora. Etenim omnia, & carentia mente, & non carentia, ſequuntur uoluptatem, quin etiam plures ſunt qui ſequuntur uoluptatem, quàm quot credunt Deũ hæc inferiora cognoſcere. Quare longe melius erat negare minorem propoſitionem, ſicut fecit Ariſtoteles, quàm maiorem.

Reſpondeo, & nego hanc propoſitionem, quòd uoluptas ſit ſummum bonum, eſſe ita illuſtrem & peruagatam, ſicut eſt illa, Deum cognoſcere iſta inferiora: pro-

pterea quòd in es opinione non fuerunt niſi homines illiberales ac ſerui, qui pecu- 1.Ethic. dum uitam elegerunt, ut declarauit Ariſtoteles primo Ethic. ſed homines ingenui cap.6. & elegantes hoc uitæ genus penitus repudiarunt: honorem autem & uirtutem, ue riꝙ contemplationem elegerunt: iidemꝙ maiori ex parte ſenſerunt, Deos horum inferiorum curam gerere.

Ad probationem dico, conſenſum omnium hominũ, & præcipuè elegantiorum, magis facere illuſtrem ac peruagatam aliquam propoſitionem, quàm conſenſum quorundam, rudium præſertim atꝙ imperitorum, & pecudum ritu uitam degenti um. Illuſtres enim & peruagatæ propoſitiones dicuntur illæ, quæ naſcuntur ex con ſenſu uel omnium, uel plurimorum, uel illuſtriorum, ut diximus. Quare ſatis patere arbitror, nos rectè negaſſe maiorem propoſitionem. Quòd ſi aliquis uellet ob ſtinatè tueri propoſitionem illam, Deum intelligere iſta inferiora, eſſe minus illu- ſtrem & peruagatam, propterea quòd multi reperti ſunt, & illi quidem nõ obſcuri philoſophi, qui planè negauerunt Deum cognoſcere iſta inferiora: Dicerem, hoc non tollere quin propoſitio illa ſit illuſtris & peruagata, quia ſatis eſt plures ex uno quoꝙ genere hominum ei fidem maximam habuiſſe, & habere. quanquàm poſſu- mus etiam negare illam, & ita nihil ſequetur aduerſum nos ex fundamentis naturæ loquentes

SECTIO SEXTA.

SEd adhuc quæreret aliquis, unde nata ſit illuſtris & peruagata illa cognitionis Dei opinio, quę mentes omnium imbuit? Reſpondeo, hanc eſſe natam ex ipſa ueritate, quam diuinum lumen oſtendit, quod lumen nõ patet nobis ex ratione na turali. Quare mirum non eſt, ſi loquentes ex ipſa naturali ratione, nihil concludere poſſumus de hac Dei cognitione.

At hic diceret quiſpiam: Tu reddis hanc cauſam, non ex uia naturali, ſed ex reli gione, ego uellem ſcire an Ariſtoteles haberet aliquã huius rei cauſam naturalem?

Diceret opinor Ariſtoteles, innixus tantum naturæ fundamentis, omniꝙ lumi- ne diuino deſtitutus, omnes quicunꝙ fuerunt ſapientes elaboraſſe, ut ex multis ſi- gnis eorum quæ & in ſuperioribus & in inferioribus cernuntur, mentibus homi- num inijcerent Dei timorem, ad bene beateꝙ uiuendũ, unde nata eſt hæc opinio. quare dixit ille: *Primus in orbe Deos fecit timor.*

Ad id uerò quod addebatur, Si Deus iſta inferiora nõ cognoſceret, ſequi uniuer ſum genus humanum deceptum fuiſſe, ac decipi: concederet hoc Ariſtoteles, & abſurdum eſſe negaret, quia deceptum fuit ab ipſis ſapientibus propter cauſam di- ctam. Tum diceret: Sicut uidemus partem maximam orbis temporibus etiam noſtris decipi, quia maior pars non aſſequuta eſt ueritatem Chriſti redemptoris noſtri: ita fieri potuiſſe ut uniuerſus orbis deceptus fuerit. Quod ſi diceretur ab- ſurdum eſſe hoc, reſponderet, non eſſe abſurdum apud eos qui lumen ſolum natu- rale ſequuntur: quia non eſt neceſſarium, mundum non decipi, ſed probabile.

Cùm uerò adiungebatur, Fruſtra tot preces, fruſtra tot honores Dijs exhiberent homines, & fruſtra tot labores quotidie ſuſciperẽt, totꝙ ſumptus religionis cauſa.

Reſponderet Ariſtoteles, etiam ſi non reperiretur aliud lumen præter naturale, falſum tamen eſſe omnia iſta fruſtra fieri ab hominibus, propterea quòd maxime conducunt (ut dicebatur in ſuperioribus) ad benè beateꝙ uiuendum. Etenim ad perſuaſionem multorũ qui ſunt ueluti beſtiæ & ad ſeruandas leges, & ad uiuentiũ utilitatẽ plurimum conferunt. niſi enim homines exiſtimarent Deũ eſſe, et cogno ſcere iſta inferiora, neꝙ legibus obtemperarent, neꝙ ex uirtutibus uiuerent, ſed ex libidine omnia iura euerterent, uniuerſumꝙ orbẽ uexarent atꝙ perturbarent. Nunc uerò (diceret Ariſtoteles) quia uident Deos coli à ſapientioribus, Deos eſſe exiſtimant, eosꝙ timent, ac propterea legibus tum diuinis tum humanis parent. etenim tanta eſt hominum prauitas, ut in hoc etiam timore conſtituti, ea tamẽ ſce lera committant quæ quotidie conſpicimus. Quid igitur facerent, ſi putarent Deos non cognoſcere, & ullam horum inferiorum curam gerere? Certè euertere- tur natura humana: non ergo fruſtra tot honores Dijs tribuunt homines, ac tot la bores ſuſtinent. tantũmꝙ abeſſe perſpicuum eſt, ut ob eam cauſam hominum ge- nus

nus ſit infelicius cæteris animantibus, ut hoc potiſſimùm nomine ſit maximè om-
nium beatum & fœlix, propterea quòd ob hanc rem magis ex uirtutibus & ex legi
bus uiuunt homines, quæ reddunt ipſos fœlices. Quare ſi non haberemus aliud lu-
men quàm ipſius naturæ, non eſſe abſurdum hoc modo reſpondere. ſicut diximus
Ariſtotelem reſponſurum fuiſſe, ſi nullo alio clariore lumine fuiſſet illuſtratus. ſed
quando nos Chriſtiani ſumma Dei opt. max. benignitate, clariſsima uirtutis lucē
ſumus illuſtrati: tanto magis debemus aſſiduas ei preces effundere, et ſanctiſſimo e-
ius numini quàm maximos poſſumus honores tribuere, maximosq́ labores ob e-
ius in nos beneficia libentiſſimis animis ſuſtinere, eiq́ perpetuò gratias quàm poſ-
ſumus maximas agere, quòd nos propter infinitam ſuam benignitatem ex maximis
tenebris in ſplendidiſſimā lucem traduxerit. neq́ eſt quod ratio naturalis nos moue
at: non enim eſt tantæ uirtutis, ut ad hanc ueriſſimā & perfectiſſimam cognitionem
deducere nos potuerit.

Deſinant igitur aliquando nugari, qui exiſtimant nihil eſſe uerum, niſi id ratione
naturali demonſtretur: præ ſe ferre enim uidentur ignorationem naturalis uiæ, ut ex
eis quæ in ſuperioribus à nobis explicata ſunt perſpicuum eſſe arbitror. Veritas er
go eſt illa quam oſtendit religio noſtra non natura. Sed ſi loquamur ex fundamen
tis naturæ, facilè etiam ſoluitur argumentum ſumptū ex Dei cognitione, quo euer-
tebatur rerum contingentia: quia ex fundamentis naturæ non poſſumus conclude-
re Deum cognoſcere ea quæ ſunt extra ipſum: imò cogimur hoc negare. neq́ ſequi
tur ut ſint impij qui hoc aſſerunt: quia non aſſerunt hoc ſimpliciter & abſolutè, ſed
ſolùm uolunt dicere hoc concludere rationē naturalem, quam rationē perſpicuum
iamdudum eſt eſſe falſam, quatenus attinet ad hanc rem, & reſtrictam fuiſſe à po-
tentia abſoluta.

Ex quibus apparet, non ſequi ut ob Dei cógnitionem à rebus contingentiā aufe
ramus, quod planè id erat quod ex fundamentis naturæ oſtendere inſtitueramus.
Quare omnia quæ adduntur concluſionibus, quæ ſunt à naturali uia demonſtrata,
poſſent dici addita eſſe ob eas cauſas quas in lib. de Interpretatione recenſuit Ariſto
teles. Ex quo quum ſequatur, ea quæ ſunt in hoc mundo inferiori, non neceſſariò
euenire ex ipſo cœlo: ſequetur etiam apertè, fieri non poſſe ut ex ſolo ipſius cœli a-
ſpectu uerè prædicentur. quod argumentum unum erat ex principalibus, propter
cuius diſſolutionem ita longè digreſſi ſumus.

SECTIO SEPTIMA.

IIs explicatis, ueniamus ad aliud argumentum, quod erat: Homines uidere me-
liora, et facere peiora. ex quo inferebatur, ipſos cogi, quia nullus facit ſpōte quod
putat eſſe malum. Ad hoc igitur reſpondentes, negamus conſequentiam.

Ad probationem dicimus, nullū ſponte facere quod putat eſſe malum, dum illud
facit. ſed oſtenſum eſt, nihil prohibere, homines uidere meliora antequam ſint in af
fectu, & facere peiora poſtquam ſunt in affectu credentes eſſe meliora: non tamen
cogi, quia in eorum poteſtate erat facere ut non traherentur in affectum. ſed de ijs
in ſuperioribus longior à nobis habitus eſt ſermo.

Erat alia ratio quæ aſſerebat, homines ſomniando multa uaticinari, & hoc non
poſſe fieri niſi à cœlo. Cui quæſtioni reſpondentes, concedimus antecedens: ſed
negamus hoc ex ſolo cœlo euenire, propterea quòd cœlū non eſt per ſe cauſa ſom
niorum, neq́ ſignum, ut ſignificat Ariſtoteles in lib. de Somno & uigilia: ubi reddēs
harum rerū cauſam, nō à cœlo dixit fieri, ſed ex ipſis phantaſmatibus, & ex eis quæ
ſunt & fiunt in nobis. hæc enim præter cætera ad hunc modum ſcripta reliquit: At lib. de Som
uerò quædam quidē in ſomnijs phantaſmata eſſe propriorum actuum cuiuſq́, non no & uig.
eſt irrationabile. quēadmodum enim debētes agere, & in actionibus exiſtētes, aut “
operati ſæpe recta, ijs ſomnia intuemur & agimus. Cauſa aūt, quoniam præparatus “
exiſtit motus à diuturnis inchoationibus. ſic rurſus neceſſariū eſt, eos qui in ſomno “
ſunt motus eſſe frequēter diuinorum principiū actuū, eo quòd præparata ſit rurſus “
eorū intelligētia in phantaſmatibus nocturnis. ſic ergo non cōtingit ſomniorū quę “
dā ſigna & cauſas eſſe, plurima aūt accidētibus aſsimilantur. maxima aūt trāſcēden “
tia omnia, et quorū nō eſt origo in nobis, ſed de nauali bello, & de his quę ꝓcul acci “
dūt ſunt. de his eñ eodē modo ſe habere uériſimile eſt: ueluti memorāti de aliq̃, con “

» tigerit hoc factum eſſe. Quod enim prohibet, & in ſomnijs ita, magis autem uerisi-
» mile multa huiuſmodi accidere. Quemadmodum igitur meminiſſe de aliquo, neq;
» ſignum, neq; cauſa eueniendi ipſum: ſic neq; ibi ſomnium uidenti, neq; ſignũ, neq;
» cauſa, ſed συμπτωμα, ideo multa ſomniorum non eueniunt. συμπτώματα enim neq;
» ſemper, neq; ut frequenter eueniunt. Et paulo pòſt: Quemadmodum enim cùm
» quis moueat aquã, ual aërem, hoc aliud mouit: & quieſcente illo, accidit huiuſmodi
» motum prodire uſq; ad aliquid, illo qui mouit non præſente: ſic nihil prohibet, mo
» tum aliquem & ſenſum pertingere uſq; ad animas ſomniantes, à quibus ille idola fa
» cit: & defluxiones quocunq; fuerint pertingentes, magis ſenſibiles eſſe nocte, eo
» quòd qui in die deferũtur diſſoluuntur. magis enim ſine perturbatione aër noctis,
» eo quòd ſilentiores ſint noctes: & in corpore facere ſenſum propter ſomnium, eo
» quòd & paruos motus intrinſecus dormientes ſentiunt magis quàm uigilantes. ſi
» uerò motus phantaſmata faciunt, ex quibus præuident futura, & huiuſmodi: ideo
» accidit paſſio hæc quibuslibet, & non prudentiſſimis, de eis quæ remotiſſima
» ſunt ab ipſis.

Quibus uerbis perſpicuè aſſerit, cauſam ſomniorum referri debere uel ad motus præparatos diurnis inchoationibus, uel ad caſum. non ergo referuntur ad cœlum, tanquam ad ſuam cauſam. Item quemadmodum negat Ariſtoteles Deum eſſe cauſam ſomniorum: ita negamus & nos de ipſo cœlo. Nihil igitur concludere uidetur ratio ex diuinatione per ſomniũ ducta: quia diuinatio fit aliquàndo à temperamento, ut ipſe in lib. de Melãcholicis & ecſtaticis oſtendit: eſtq; per accidens, ut quis uaticinetur de eis quæ remotiſsima ſunt ab ipſo.

Quod uerò addebatur, Sibyllas & oracula temporibus antiquis uera prædixiſſe, quod fieri non poterat niſi à cœlo: negamus ex ſententia Ariſtotelis cõſequẽtiam.
Probl. ipſe enim hæc ſcripta reliquit: (quæ uerba ad aliam rem oſtẽdendã in ſuperioribus
ſect. 30. quoq; citauimus: Multi etiam propterea quòd ille calor ſedi mentis in uicino eſt,
Probl. 1. quia morbis ueſaniæ implicantur, aut inſtinctu lymphatico inferueſcunt, ex quo Si
» byllæ & oracula efficiuntur, & Bachæ, & omnes qui diuino inſpiraculo inſtigari
» creduntur, cùm ſcilicet id non morbo, ſed naturali intemperie accidit. Maracus ciuis Syracuſanus, poëta etiam præſtantior erat, dum mente alienaretur. Iis uerbis perſpicuè oſtendit Ariſtoteles Sibyllas & oracula non à cœlo effici, ſed ab ipſo corporis habitu. ad quam item ſententiam redigi poſſe uidentur ea quæ ſcripta reliquit
lib. de Di- in libro de Diuinatione per ſomnium, ad hunc modum: Et quod quidem Ecſtatici
uinat. per præuident, cauſa eſt, quoniam proprij motus non infeſtant, ſed longè proijciuntur.
Somn. extraneos igitur maximè ſentiunt. Quoſdam autem rectè ſomniãtes eſſe, & notos
» de notis maximè præuidere, accidit eo quòd noti maximè pro ſe inuicem ſolliciti
» ſint, quemadmodum procul exiſtẽtes maximè cognoſcunt, & ſentiũt: ſic & motus,
» notionũ notiores ſunt motus. Melancholici autem in propter uehemẽtiam, quem-
» admòdum iacientes longè bene coniectant, & propter permutationem citò adhærent, imaginantur ipſi.

Quare perſpicuè patet, cauſam Sibyllarum & oraculorum, & aliorum quæ dicta ſunt, non referri ab Ariſtotele ad cœlum, ſed ad ipſius corporis habitum, ut in ſuperioribus etiam diximus. Non ergo ſequitur, ut ex cœlo poſſimus omnia prædicere, ex Ariſtotelis ſententia, quod uidebatur probare argumentum.

FINIS LIBRI VIGESIMIOCTAVI
Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER

LIBER VIGESIMVSNONVS

SECTIO PRIMA.

SED contrà ſic inſtaret aliquis: Dantur portenta,auguria,& ueneficia ex Ariſtotelis etiam ſententia,quorum non poteſt reddi cauſa aliqua pręter cœlum. Ergo poterit cœlum multo magis eſſe cauſa aliarum rerum, & non habitus corporis. & ita tua diſſolutio ad argumentum dictum nullam uim habet.

Antecedens autem oſtenditur ex Ariſtotele in tertio de Hiſt. animalium ubi ait: Nam & in Lemno inſula Caper,ex mammis quas geminas iuxta genitale gerit,tantum lactis emulgebatur,ut coloſtra inde conficerent:quod idem etiam proli maſculæ capræ illius eueniſſe accepimus. ſed hæc oſtentis annumeranda potius ducunt. nam & Lemnio illi pecoris domino conſulenti Deum amplius incrementum pecudis futuri reſpondet. *3.de Hiſt. anim.20.*

Ex quibus uerbis perſpicuum eſſe uidetur, Ariſtotelem oraculis fidem habuiſſe, quæ quidem fieri non poſſunt ex habitu corporis. indicat enim Ariſtoteles oraculum eſſe Deum:quia homines non conſulunt eos,qui ex habitu corporis loquũtur, quippe qui non reſpondent niſi cùm inferueſcunt.Danẽ ergo oracula quæ nõ ſunt ex habitu corporis,ex Ariſtotelis ſententia:quæ cùm non poſſint niſi à cœlo proficiſci, ſequitur ut perperam concluſum ſit contrarium.

Item dari oſtenta, oſtendit Ariſtoteles in ſexto de Hiſt. animalium, ubi inquit: Mula etiam gemellos peperit. quod quidem pro oſtento accipitur. Idem concedit auguria in nono de Hiſt. animal. cùm ait: Carniuora etiã & oppugnantur à cæteris animalibus, & ipſa cum cæteris pugnant: quoniam uictus ijs ab animalibus ineſt. Vnde augures & ſua diſſidia & conſidia colligunt. diſſidio bella omnemq; diſcordiam ſtatuunt: conſidio pacem omnemq; concordiam. Et in primo lib. his uerbis: Sternutamentũ quoq; eadem agitur parte, quod flatus uniuerſi eruptio eſt ſignum augurale,& unum,ex ſpirituum omnium generibus ſanctum & ſacrum. *6.de Hiſt. anim.22.* *9.de Hiſt. animal. cap.1.* *1.de Hiſt. animal.*

Sed hæc non poſſunt habere fundamentũ naturale niſi ex cœlo: ergo falſum eſt, non poſſe prædici ex aſpectu ipſius cœli,contra quam concluſum eſt.

Item nono de Hiſt. animalium: Tempore,inquit,quo apud Pharſala hoſpites Mediæ periere,corui locis Athenarum Peloponnenſiúq; defuerunt, quòd ſenſum haberent aliquẽ,quo inter ſe rerum inuenta ſignificarent. Quibus uerbis uidetur innuere,uaticinia ortum habere ex cœlo. *9. de Hiſt. anim. 31.*

Veneficia item concedere Ariſtotelem colligi poteſt ex ſecundo de Hiſt. animalium,ubi loquens de remora piſce, hæc ſcripta reliquit: Piſciculus quidam hæc eſt, ſaxis aſſuetus,in cibos non admittendus,nomen à remorandis nauibus adeptus,utilis ad iudiciorum cauſas,& amatoria ueneficia,ut aliqui uolunt. Item nono: Grex inquit,moribus pugnacibus eſt, ingenio ualens ad uictum,ſed cætera infelix. Sunt & ei qui ſitta dicitur, mores pugnaces:ſed animus hilaris,concinnus,compos uitæ facilioris. rem maleficam ei tribuunt, qui rerum callent cognitionem. Quæ quidem omnia non poſſunt niſi à cœlo proficiſci. *2.de Hiſt. Anim.14.* *9. de Hiſt.*

Cæterùm præter ea quę prolata ſunt ex uerbis Ariſtotelis afferẽda ſunt alia,quæ cùm non poſſint euenire niſi fateamur proficiſci à cœlo, facile erit intelligentia conſequi,fieri poſſe nõ ſolum ut talia prædicentur ex aſpectu ſolo ipſius cœli,ſed etiam alia omnia:propterea quod de alijs magis uidetur. Primùm ergo ſit reperiri homines ignaros linguæ latinæ & græcæ,& tamen loqui latinè & græcè.

Item inuentos eſſe pueros qui ſtatim nati loquerentur:quod quidem non potuit fieri niſi à cœlo.cognito igitur aſpectu cœli,poterit hoc præcognoſci:quia cognita cauſa cognoſcitur effectus.

Antecedens oſtenditur teſtimonio Halij ebenragel, qui loquens de natiuitatibus hęc ſcripta reliquit:Rex noſter uocauit nos, eo quòd unà ex mulieribus ſuis peperit filium,& fuit aſcẽdens octo graduũ libræ terminus Mercurij, & in ipſo fuerũt Iupiter,

» Iupiter, Venus, Mars, & Mercurius, & conuenit illic una ſocietas Aſtrologorũ, quo
» rum quilibet dixit ſuam opinionem, & ego tacui. Tunc Rex dixit mihi: Quid ha-
» bes? cur non loqueris? ego reſpondi: Date mihi terminum trium dierum. quia ſi fi-
» lius ueſter tranſierit terminum trium dierum, erit de ipſo miraculum magnum. &
» quum natus compleuit uigintiquatuor horas, incepit loqui, & facere ſigna cum ma
» nu, & Rex multum expaueſcit. Vnde & ego dixi: poſſibile eſt quod dicat aliquam
» prophetiam, & aliquod miraculum. & tunc cum Rege fuimus ad puerum, & dixit
» puer: Ego ſum natus infortunatus, & natus ſum ad iudicandum amiſſionem regni
» Agedeit, & deſtructionem gentis Almantis. Hic ſtatim cecidit, & mortuus eſt, &
» compertum eſt ut dixit puer.

Ergo ipſe habet hoc à cœlo, quia aliter habere non potuit. neq; enim ex ſe potuit habere, neq; ab alio homine: ergo ex uirtute intelligentiarum, & corporum cœleſtium. Quare & in alijs idẽ poteſt accidere. ex quo ſequitur, ut hæc ex ſolo aſpectu cœli poſſint prædici, proficiſcuntur enim ex ſolo cœlo.

Albertus Magnus in lib. de Motu ani. 3. Item Albertus cognomẽto Magnus narrat, duos in Germania natos eſſe pueros, quorum unus cùm ferretur iuxta oſtia, omnia oſtia uerſus ſiniſtrũ eius latus patuiſſe, quamuis clauſa fuiſſent. & hanc uirtutem quam habuit ille in ſiniſtro latere, habuiſſe fratrem eius in dextro. & dicit hoc multos uidiſſe. Quod quidem non poteſt referri niſi ad proprietatem occultam, quam conſequuti erant à cœlo: non enim ex alia cauſa poterat hoc accidere. Cœlum ergo eſt cauſa omnium, quæ uidentur miracula.

At quid dicemus de Marſis, quos nos Chriſtiani (ut more noſtro loquar) dicimus habere gratiam ſancti Pauli? naturaliter enim loquendo, non poteſt eorum uirtus contra uenena, non referri ad cœlum.

Quid item de Regibus Gallorũ, quos uidemus apertè curare morbos eos quos nuncupant ſcrophulas? Hoc enim nõ uidetur poſſe ad aliud referri, niſi ad cœlum, ſi naturaliter loquimur. Ergo & alij effectus, quorum cauſæ non apparẽt, ad cœlum feruntur. prædici igitur poterunt ex cœli aſpectu.

Plin. lib. 35. ca. 10. Præterea nónne Plinius hęc ſcripta reliquit? Xanthus hiſtoriarum auctor, in prima earum tradidit, occiſum draconis catulum reuocatum ad uitam herba quam Ba
» lim nominat: eademq; Tillonem, quem draco occiderat, reſtitutum ſaluti. & Iuba, in
» Arabia herba reuocatum ad uitam hominem tradit. Id uerò quomodo efficere poterunt herbæ illæ, niſi ex uirtute cœli?

Quid præterea dicemus de bobus qui loquuti ſunt uoce humana, ut narrant Valerius Maximus & Liuius & Plutarchus? nónne cogimur, naturaliter loquẽdo, omnia hæc ad cœlum referre?

* Albert. in lib. de Mineralibus. Præterea nónne dicit Albertus in ſuis Mineralibus, lapides multotiẽs effingi diuerſis animalium figuris, & alios habere uirtutem diuinationis, alios pandendi ſecreta, & huiuſmodi alia, quæ quidem non poſſunt referri niſi ad cœlum.

Item nónne conſtat, piſces & aues pręcognoſcere tẽpeſtates futuras? quod item aliunde proficiſci non poteſt niſi à cœlo.

Quid etiam de cometis dicemus? & de alijs ſignis quæ apparent in ortu & in obitu Imperatorum & Regum, & magnorum hominum? ex quibus ſignis homines uerè prædicunt exitia & fœlicitates regnorum, & cætera.

Quid de uocibus quæ auditæ ſunt in aëre, & de imaginibus uarijs tum hominum tum aliorum animalium, quæ uiſæ ſunt in aëre? quæ quidem non poſſunt referri ad aliam cauſam, quàm ad cœlum.

Plut. in uita Syllæ. Præterea refert Plutarchus in uita Syllæ, Haſtas quibus uexilla geſtarẽtur per ſe ignem emiſiſſe, qui ægrè reſtinctus eſt, & alia huiuſmodi, quæ planè uidentur attribuenda eſſe ipſi cœlo.

Item Plutarchus: Sedente (inquit) Senatu in templo Bellonæ, & ſuper his rebus operam uatibus dante, paſſer inſpectantibus cunctis inuolauit ore cicadam gerẽs, cuius eiectam partem reliquit, partem etiam tenens obſcedit. Hinc augures, ſeditionem agreſtium aduerſus urbanã & forenſem turbam dimicationem coniectabant.

Albert. in 2. lib. de Anim. Hoc igitur à cœlo effectum eſt, quia non potuit ex alia cauſa proficiſci.

Item quòd Albertus ita ſcriptũ reliquit: Si uirga lupi in alicuius nomine uiri uel mulieris

mulieris ligetur, non poterit coire, donec nodus ille ſolutus fuerit. Hoc non poteſt fieri niſi à cœlo: ergo cœlum multo magis eſt cauſa aliorum effectuum, qui minus mirandi ſunt.

Item peruagatum eſt, annulum inſignitum charactere Iouis, uel alterius cuiuslibet doli, depellere febrem ab aliquo: at hoc facere non poteſt niſi à cœlo. Ergo cœlum eſt cauſa omnium iſtorum.

Quid item dicemus de ſocijs Diomedis in aues, & de ſocijs Vlyſsis in beſtias uerſis? & de Arcadibus, qui cùm trāſirent quoddam ſtagnū, uertebantur in lupos? quæ quidem non poterant niſi à cœlo effici.

Quid de eis qui ſanant uulnera ſolis uerbis & carminibus, quæ uulgò dicuntur incantationes? nonne hæc ſunt miracula ex cœlo facta?

Item de eis qui euellunt ſolis uerbis ferrum infixum in aliquo membro, quod nullius medici ope euelli poterat?

Item de eo inſtrumēto quod Tamiſium uocant, quod ſolis uerbis ab aliquo moueri compertum eſt?

Quid præterea dicemus de pueris illis qui in phialas uitreas intuentes, cernunt uarios homines, & uarias res, multaq́ue uaticinantur?

Quid de magica arte, qua homines multa miracula edere uidentur?

Item de Geomantia, Pyromantia, Necromantia, & cæteris huiuſmodi?

Qua item ratione, niſi ex cœlo, Spuria admonuit Caium Cæſarem, ut ſibi caueret? nam Idus Martiæ nondum tranſierant.

Et Iulius Marathus, antequam naſceretur Auguſtus Cæſar, dixit naturam citò parituram Regem populo Romano. & cùm iam natus eſſet, affirmauit Nigidius, dominum terrarum orbi eſſe natum.

Qua denique ratione prædictum fuit de Tyberio, & de Galba, & de Othone, & de Veſpaſiano, quòd erant futuri Imperatores? & de multis alijs, quos longum eſſet omnes commemorare.

Quid uerò dicemus de ſtatuis, quæ uiſæ ſunt ſudere, lachrymas emittere, & ex alio in alium locum ſe mouere? an non neceſſe eſt hæc fieri beneficio & uirtute ipſius cœli?

Iam uerò quid dicendum de Oraculis & Sibyllis, quæ apud antiquos in maximo honore habebantur, & reſponſa dabant, & uaticinabantur? ad easq́ue Principes & cæteri homines confugiebant, ut quid ſibi in magnis rebus eſſet faciendum intelligerent?

Quid etiam de Prophetis? quos ſi quis negare auderet, neſció quid eſſet conceſſurus. Iſta uerò omnia non poſſunt aliunde proficiſci, quàm à cœlo. ergo ex aſpectu cœli poterunt prædici: ergo multo magis alia quæ magis apparent ab ipſo cœlo pendere, atque effici. Falſum igitur eſt, quod à te in contrariam partem ex Ariſtotelis ſententia concluſum fuit.

SECTIO SECVNDA.

HAE ſunt quæſtiones quæ ſemper exercuerunt, atq́ue etiā nunc exercent ingenia doctiſſimorū Philoſophorū; quas ſi quis rectè diſſolueret atq́ue explicaret, pauca relinquerētur in effectibus naturæ, quæ homines magno ingenio & doctrina præditos torquerent. Hæc em̄ ſunt ex omnibus quæ in philoſophia naturali tractantur difficillima: quippe quæ uidentur apertè euertere ea omnia quæ à nobis in ſuperioribus dicta ſunt ex Ariſtotelis ſentētia, atq́ue adeò uniuerſam philoſophiam. Quare danda nobis opera eſt, ut has quæſtiones, ſi modò noſtris uiribus id aſſequi poſſumus, diſſoluamus ex ſentētia ipſius Ariſtotelis naturaliter loquētis, non ex ueritate ipſa Chriſtiana. Ex hac em̄ facile eſt ipſas quęſtiones non ſolum diſſoluere, uerùm etiam penitus extirpare: ſed in primis ſtatuēda eſſe uidentur nonnulla, ex quibus, ut ego quidem opinor, facilius ad quæſtiones propoſitas reſponderi poterit.

Primùm igitur ſit, homines facillimè decipi, deceptosq́ue maiori ex parte ſemper fuiſſe: & cùm in falſa aliqua opinione diu perſeuerauerint, difficillimum eſſe eos ad uirtutem reuocare: propterea quòd quæ diuturna conſuetudine ſemel noſtris animis inhæſerunt, hæc inde difficillimè euelluntur. tantamq́ue uim habet inueterata

falſi

falſi opinio, ut nullis penè rationibus poſſit ipſa probari ueritas. Aliquando etiam non ſolum hoc efficere difficile eſt, uerùm etiam maximè periculorum conari. Quare nemo admiratione affici debet, ſi homines in falſis opinionibus, quibus ſemel animos imbuerunt, longo tempore perſeuerant. cauſa autem cur ita facilè decipiantur homines, uidetur naſci tum ex noſtra, tum ex ipſarum rerum natura: Ex noſtra quidem natura, quia in lucem prodimus ſine aliqua cognitione: etenim animus noſter in principio ſui ortus non eſt minus nudus, quàm corpus, quemadmodum in ſuperioribus oſtenſum eſt ex Ariſtotelis ſententia, & ex naturali ratione.

Diximus enim, intellectum eſſe paſſibilem & immaterialem & ſimplicem, & in pura potentia, & natura natum aptum perfici ex ſpeciebus rerũ omnium, quæ ſunt in ipſa natura: alioquin mancus & imperfectus eſſet, etenim non poſſet ſuum opus exercere. Quare cùm neceſſe ſit ut ex rerum ſpeciebus perficiatur, & ſic operetur, indiguit neceſſariò phantaſia in opere ſuo quod eſt intelligere, quæ ſibi obiectum miniſtraret. Etenim ea quæ ſunt extrà, non poterant ipſum mouere: indiguit etiam intellectu agente, ob cauſas in ſuperioribus allatas. Cùm autem moueri non poſſet ab exterioribus, quia phãtaſia erat interius, neceſſarij fuerunt ſenſus exteriores, qui rerum ſpecies deferrent ad ſenſum communẽ, & ad phantaſiam, quæ deinceps ſubminiſtraret eas ipſi intellectui, à quibus moueretur. eſt enim in pura potentia. Res uerò quæ ſunt extra intellectum bifariam ſecari, conſtat ex eis quæ antea explicata ſunt. Etenim aliæ ſunt abſtractę à materia, ut intelligentiæ, alię uerò immerſæ in materia, quæ omnes maxima cum difficultate intelliguntur, quia difficile mouent ſenſus exteriores. Etenim materiales ex natura ſua difficillimæ ſunt ad intelligendum, propterea quòd ſunt in potentia: abſtractæ item à materia, nõ paruo negocio, ab in
2.Meta. tellectu noſtro percipiuntur, ut dixit ſecundo primę philoſophię lib. quia longè abſunt à ſenſibus noſtris. Etenim ſubſtantiæ rerum, quæ nihil aliud ſunt quàm rerum cauſæ & principia, nobis ignotæ ſunt, easq́ cognoſci neceſſe eſt ex rerum acciden-
1.Phyſ. tibus, ut ex primo Phyſ. perſpicuè patet, & ex primo de Anima.
tex. 20. Neq; illud obſtat quod Ariſtoteles ſeptimo Metaphyſ. ita ſcriptum reliquit: Mul
& 30. tis modis dicitur primum, tamen omnium ſubſtantia primum, & ratione, & cogniti
1.de Aiã. one, & tempore, & natura.
tex. 11. Ex quibus uerbis uidetur ſequi, ut ſubſtantia ſit notior accidentibus. quoniam in
7.Met. telligenda ſunt hæc uerba de cognitione perfecta, & ſcientia uera: alioquin non ſo-
tex. 2. lum euerterentur tex. citati, uerùm etiam uniuerſa tum prima, tum naturalis philoſo
phia: quippe quæ ex accidentibus rerum cauſas inueſtigant. Hunc etiam ſenſum ui
» detur oſtendere Ariſtoteles in eodem textu, quum addidit hæc uerba: Et ſcire tunc
» opinamur unumquodq; maximè, quando quid eſt homo cognoſcimus, uel ignem,
» quum uel quale, uel quantum, uel ubi. Quibus ſignificat ſe loquutum eſſe de cognitione perfecta. etenim accidentia quæ cognoſcunt̃, non cognita ſubſtantia, non cognoſcuntur perfectè, ſed cognitione tantum quæ pertinet ad eſſe ipſorum. loquitur aũt ipſe in hoc tex. de ſcientia qua maximè ſcimus, inquit enim: Scire tunc opinamur unumquodq; maximè. Nihil ergo uerba illa repugnant ſententiæ noſtræ.

Accidentia uerò ipſarum rerum uaria eſſe perſpicuum eſt. etenim alia ad eſſentiam attinent, alia non attinent, & quæ ad eſſentiam attinent aliquando ſunt ita obſcura, ut uix moueant ſenſus exteriores. Quare non poſſumus ex ipſis rerum cauſas perfectè inueſtigare: ex eis uerò quæ non attinẽt ad eſſentiam, ſæpenumero decipimur, tum quia non ſunt ſemper firma & ſtabilia, tum quia ſunt nimis cõmunia. Quocirca ex ipſis non poſſumus uerè & propriè cauſas rerũ concludere: unde oriri deceptionem atq; errorem facile eſt.

Item ſtatuamus, ſenſus noſtros ſæpenumero decipi ob multa quæ poſſint contingere: & homines indigere multis, ut poſſint rerũ ſcientiam conſequi, quibus deficientibus, ut deficiat ſcientia neceſſe eſt. Quæ quum ita ſint, nemini mirum uideri debet, ſi quod ſtatuimus primum facillimè decipiãtur homines, ſemperq; decepti fuerint, & in deceptionibus longo temporis ſpacio perſtiterint.

Addamus præterea, quod quidem opinor eſſe ueriſſimum, multos eorum qui hiſtorias conſcribunt, non ſemper uera ſcribere, ſed aliquando falſa, idq; multis quidem de

dem de cauſis. Etenim fieri poteſt ut falſa ſcribant, uel ob rerum quas tractant ignorationem, uel ob auaritiam, uel ob timorem, uel ob ambitionẽ, uel ob alias cauſas, quibus ſolent homines ſæpenumerò commoueri: inter quas illud eſt etiam, quòd libentiſsimè narrant ea quæ maximam afferunt admirationẽ, propterea quòd quæ huiuſmodi ſunt, maximã etiam afferunt iucunditatem, ut in lib. Poëticæ indicauit Ariſtoteles his uerbis: Etenim quod eſt admirabile, iucundum eſt. ſignum autem, inquit, omnes enim aliquid annunciantes addunt, tanquàm gratificaturi. *in Poëtica 25.*

Cùm igitur Hiſtoriarum ſcriptores maximam adhibeant curam, ut lectores uoluptate afficiant, ne ſuas hiſtorias reijciant: exiſtimandum etiã eſt, eos libentiſsimè narrare ea quæ afferant, hominibus præſertim rudibus, admirationem: atq; ipſa quidem quæ maximè poſſunt amplificare, ita ut ſæpe etiam illis fides non adhibeatur. quod temporibus etiam noſtris, multis accidiſſe nõ ignoramus: & in Hiſtorijs antiquis facile perſpicitur. in quibus ea aliquãdo narrantur, quibus nemo qui non planè plumbeus ſit, nulloq; iudicio & rerum uſu præditus fidem habere poſſit.

Mirum igitur non erit, ſi nos quædã negabimus, quæ ab hiſtorijs traduntur, ea uidelicet quæ rationi naturali apertè repugnabunt, quæq; nullis Religionis principijs erunt innixa.

Statuamus item, aliquos ſæpe reperiri, qui multis aciem oculorum ſuis artibus ita perſtringant, ut inducant eos ad credendum alba eſſe quæ ſunt nigra, & quæ quieſcunt moueri, & unũ plura eſſe, & imagines eſſe homines, & alia huiuſmodi: quæ quidem nonnullos ita credere compertum eſt, ut ſi quiſpiam contradicere audeat ab eo ne manùs quidem abſtineant.

Accedit ad hæc conſuetudo, quæ quantam uim habeat, facile conſtat ex ijs locis Ariſtotelis, quos ſuprà citauimus. ea quidem certè tantam eſſe compertum eſt, ut maximam hominum partem in fraudem ſępenumero impellat, & ueritatem in cõtrariam partem rapiat.

SECTIO TERTIA.

HIs hunc in modum ſtabilitis, antequàm ueniamus ad diſſoluẽdas quæſtiones propoſitas, faciendũ uidetur ut hoc etiã ſtatuamus, has ipſas quæſtiones ſanctiſsimæ religioni noſtræ (quæ neq; falli, neq; fallere poteſt) nullã ambiguitatẽ, nullamq; omnino difficultatem afferre: quippe quæ ſtatuit, Deo opt. max. ſummã eſſe omnium rerum poteſtatem, atq; omnium quæ ſunt in hoc mundo inferiori perfectiſsimam cognitionem, eumq; ſine ope & auxilio aliarum cauſarum ipſum per ſe poſſe omnia efficere.

Deinde ponit ſubſtantias quaſdam abſtractas, & ſine corpore à Deo ex nihilo creatas, quas angelos bonos uocat, quorum miniſterio aſſerit Deum uti ad ea peragẽda quæ cauſis naturalibus nullo modo effici queant, & ad multa alia bona opera ut ei placet facienda.

Alias itẽ ſtatuit ſubſtantias ſine corpore ex nihilo creatas, quas dęmones appellat, quæ & peſsimę & generi humano infeſtiſsimæ ſunt, quibus diuinum numẽ ob noſtram prauitatem facultatem dedit multa contra nos faciendi, quæ naturæ fines ac terminos tranſiliant. Quare omnium quę fiunt in hoc mundo, quęq; ſunt etiam ſupra naturæ uires, cauſas ad ipſum Deum, & ad eius miniſtros eſſe referendas, ex Chriſtiana ueritate conſtat: quam qui ſectantur, nullam ijs (ut dixi) difficultatem, nullamq; dubitationem afferre poſſunt propoſitæ quæſtiones, etiam ſi omnes ueræ eſſent.

At uelle explicare modum, quo Deus eiuſmodi poſsit efficere: hoc uerò eſt conari, id quod uires humanas longè ſuperat. ſcimus enim ita eſſe, ſed modum ignoramus.

Cæterùm quia nos hoc in loco non ex ipſa ueritate ſimpliciter loquimur, ſed ex fundamentis naturæ, ex eis ſignis quæ ſita ſunt in iſtis ſenſibilibus, & ex ſententia Ariſtotelis naturaliter loquentis. reſtat ut quæramus, quid nã diceret ad quæſtiones propoſitas ij qui philoſophiam à ſenſibus ortam, & Ariſtotelis doctrinam ex ipſis ſenſibus loquentis profitentur, eos enim ſolos exercent, opinor, atq; urgent propoſitæ quæſtiones. itaq; eorum eſt elaborare, ut ipſas diſſoluant.

SECTIO QVARTA.

QVare Petrus Pomponatius Mantua oriundus, urbe uetuſtiſsima atq; cele-
berrima, & ex nobiliſsima Peripateticorum familia, Philoſophus non igno-
bilis temporibus ſuis habitus, conatus eſt maximè in eo libro qui inſcribitur de In-
cantationibus oſtendere, ea quæ continent quæſtiones illæ, nõ repugnare naturæ,
& Ariſtotelis fundamentis: illiſq; effectibus omnibus conceſſis, ipſorum cauſam
reddere. Quod ut facilius aſſequeretur primum nonnulla ſupponit, quorũ unum
» eſt: Deum eſſe cauſam uniuerſalem omnium, & ſic uim gerere cauſæ finalis, & effi-
» cientis, & exemplaris, quæ (inquit) ad cauſam formalem deduci ſolet. Hanc au-
12.Met. tem ſuppoſitionẽ patêre dicit ex duodecimo primæ philoſophiæ lib. cuius tamen
locum non citat, ſed fortaſſe eſt textus 25. ubi loquens Ariſtoteles de mouente im-
12.Met. mobili quod eſt Deus: Ex tali igitur principio (inquit) cœlum ipſum, naturaq; pen
25. det: unde uidetur ſequi, Deum eſſe cauſam omnium efficientem. Etenim quod ſit
finis, in controuerſiam non uenit. Poſſet item hoc fortaſſe colligi ex eiuſdem li-
12.Meta bro tex. ultimo, quo in loco ita ſcriptum reliquit Ariſtoteles: At ea quæ ſunt, male
tex ult. gubernari nolunt. multos Principes eſſe, bonum nõ eſt: unus ergo ſit princeps.
Etenim ſi Deus non cognoſceret iſta inferiora, & per id quod neceſſariò ſequitur,
non produceret ea, curamq́ue ipſorum gereret, non diceretur ab Ariſtotele & ab
Homero iſta gubernare, & oportere eſſe unum Principem, quia res uelint bene gu
bernari. quandoquidem ſi Deus non cognoſceret, nõ poſſet bene gubernare. Ete
nim omne quod aliquid gubernat, ut id ipſum cognoſcat neceſſe eſt. aliter enim nõ
1.Ethic. poſſet illud bene gubernare. nam ſicut unusquiſq; (ut dixit Ariſtoteles) bene iudi-
cap.3. cat quæ cognoſcit, ita unusquiſq; bene gubernat quæ cognoſcit. & quæ nõ cogno
ſcit, nõ bene gubernat. ſicut non bene iudicat, qui nõ cognoſcit: eadem enim eſt
ratio. Cognoſcit ergo Deus iſta inferiora.

1 Cæli. Confirmat hoc idem Pomponatius illis uerbis primi de Cœlo: Sempiternitas
tex.100. eſt, à ſemper eſſe ſumens denominationem: immortalis ſanè, atq; diuina, unde &
» alijs communicatum eſt, his quidem clarius, his autem obſcurius eſſe & uiuere.
Ex quibus uidetur ſequi, Deum eſſe omnium cauſam efficientem, & cognoſcen-
tem. alioquin non deriuaret ab ipſo omne ens, neq; daret ipſe ijs quidem clarius,
ijs autem obſcurius eſſe & uiuere.

» Supponit deinde Pomponatius, omnium corporalium ſaltem generabilium &
2.Phyſ. corruptibilium hominem eſſe ſupremum, & omnium nobiliſsimum. Et hoc ait
t.24. » patêre ex omnium philoſophorum auctoritate, & maxime Ariſtotelis in ſecundo
Phyſ. ubi inquit: ſumus enim nos quodã modo finis omniũ. Potuiſſet hoc item
1.Polit. Pomponatius confirmare ex primo Polit. quo in loco clarius loquens Ariſtoteles,
cap.5. ita ſcriptum reliquit: Quapropter ſi ſimiliter manifeſtum eſt, et ingenitis exiſtiman
» dum plantas animalium eſſe cauſa, & alia cætera animalia hominũ eſſe cauſa: man-
» ſueta autem propter uſum & cibum, fera uerò, & ſi nõ omnia, at plura eorum prop
» ter cibum, & aliorum adiumentorum cauſa, ut fiant ueſtes, & alia inſtrumenta ex
» ipſis. ſi ergo natura nihil neq; imperfectum facit, neq; fruſtra, neceſſariũ eſt cauſa
» hominum ipſa omnia feciſſe naturam.

Ex his enim uerbis perſpicuè apparet, Ariſtotelem ſenſiſſe, hominẽ eſſe finem
omnium ſublunarium: & naturam, quæ non poteſt eſſe niſi Deus, feciſſe omnia, &
» ita fuiſſe omnium cauſam efficientem, ut aſſerebat prima ſuppoſitio. Et cum ho
» mo ſit finis, inquit Pomponatius, ſequitur ut omnia dependeant ab ipſo. etenim
» ordinata ad finem, dependent à finè.

» Tertio loco ſtatuit Pomponatius, quòd ſicut quæ ſunt poſt hominem, depen-
» dent ab homine: ita in tota natura humana aliqui homines dependent ab alijs, &
» unum & multitudo ordinatur ad unum, uel ad minorem multitudinem. Hanc ſup
» poſitionem patêre dicit Pomponatius experimento & ratione: idq; oſtendit in Im
peratoribus & Regibus, & ſubditis. & ratione confirmat: Quia homo, inquit,
» eſt animal gregale & ciuile: & debet ipſi accidere ſicut apibus, & gruibus, & co-
» turnicibus, quibus natura dedit lucem. Quanto uerò magis homini, qui rationem
habet?

Quarto

Quarto ſtatuit, ordinem qui eſt Regis ad ſubditū, & contrà, eſſe diuerſum. Ete- “
nim Rex, inquit, aliter eſt utilis ſubdito, aliter ſubditus Regi: quoniam maior eſt de “
pendentia ſubditi ad dominum & Regem, quàm Regis ad ſeruū & ſubiectum. & “
ait, ſuppoſitionem iſtam poſſe declarari ex dictis Platonis & Ariſtotelis, in ſuis Po “
liticis. unde infert: Quod licet Deus omnium ſit gubernator et conſeruator, tamen “
maiorem curam gerit Regum quàm ſubditorū, Dominorum quàm ſeruorū, Bono “
rum quàm malorum, & doctorū quàm indoctorū. Intendens namq; finem, inquit, “
& ordinata ad finē, quanquàm utrumq; intendat, magis tamen finē intendit quàm “
ordinata ad finem: quoniā ordinata in finem intendit propter finem. propter quòd “
autem unumquodq; tale, & illud magis. “

Quinto ſtatuit, quòd Deus, quamuis ſit omnium cauſa, tamen ex Ariſtotelis ſen
tentia nihil poteſt operari in hoc ſublunari mundo, niſi mediantibus corporibus
cœleſtibus, tanquàm inſtrumentis per ſe & neceſſariò requiſitis ad effectionem &
conſeruationem horum ſublunarium. & hoc conatur oſtendere ex octauo Phyſ. 8. Phyſ.
& ex ſecundo de Generatione. 2. de Gen.

Vltimo ſupponit, in rebus difficillimis & occultis reſponſiones magis ab incon “
uenientibus remoras, ac magis ſenſatas, & rationibus conſonas, eſſe magis quàm “
oppoſitas recipiendas. “

His poſitis, narrat deinde Pomponatius, quid ad ea quæ dicta ſunt reſpōderent
qui ſectantur religionem noſtram: illiſq; reiectis, in hanc uenit ſententiam, ut aſſe-
rat omnia illa quæ dicta ſunt, quæ uidentur fieri ex cauſis præter naturæ ordinem
diſpoſitis, fieri omnino ex cauſis naturalibus. Etenim fiunt, inquit, ab intelligentijs
immaterialibus, uerùm non ab eis quas religio noſtra dicit: quandoquidem ſuffi-
cit numerus ab Ariſtotele poſitus, fiuntq; ab ipſis intelligentijs mediantibus cor-
poribus cœleſtibus, tanquam earum neceſſarijs inſtrumentis. Cuius rei hoc affert
argumentum: quòd corpora cœleſtia ad tales effectus concurrant. quia multa eo
rum quæ dicta ſunt de Diuinatione, & de reliquis huiuſcemodi, quoquo modo in
beſtijs & animalibus reperiuntur. Coruus, inquit, apud Ariſtotelem præcognoſcit
cladem & bella futura, multi piſces graues prænunciant tēpeſtates futuras. & tan-
dem concludit omnia dicta in quæſtionibus, fieri ab intelligētijs, mediantibus cor
poribus cœleſtibus, idq; naturaliter: & nos ex illis effectibus non cogi ponere alias
cauſas, quæ ſupra naturam agant. Atq; his ita conſtitutis, facile ait eſſe, reſponde
re ad quæſtiones propoſitas. & putat hanc eſſe ſententiam Ariſtotelis, narratq; de-
inde multa quæ ſuperuacaneum eſſet recenſere.

Et quia aliquis aduerſus ipſum potuiſſet afferre, ea quæ duodecim libris contra
Aſtrologos conſcripſit Ioannes Picus Mirandulæ Princeps, ex quibus apertè con-
uellebatur etiam eius reſponſio, ut huic rei occurreret, addidit hæc uerba: Quare & “
quidam recentes, multis uerbis ornatis inſectantes Aſtrologos, eodem peccato la “
borant, quo & Auerroes. aut enim Aſtrologos non intelligunt: aut ſi intelligunt, “
grauiter errāt. & certè in illis ſuis libris non uideo, inquit, niſi ignorantiam, & petu “
lantiam, & præter ornatum nihil boni contineri: quanquàm aliqui referant ſenten- “
tiam non eſſe ſuam, ſed tantum ornatum appoſuiſſe. Deinde negat ea quæ diſpu “
tauit Ioānes Picus contra Aſtrologos, quicquàm facere contra ſuā reſponſionem
propterea quòd nullius ſint momenti.

Tum multas affert dubitationes contra ſuam reſponſionem, quas conatur diſſol
uere. Atq; in diſſolutionem quidem primi argumenti, quod probat Deum non
poſſe producere tales effectus, ait: Deū & intelligentias omnia intelligere per ſuas “
eſſentias, ſic uidelicet ut Deus ſemper intelligat ſe ipſum, quoniam ipſe eſt intelle- “
ctio: reliqua uerò intelligat, quoniam omnium eſt cauſa. cæteras uerò intelligen- “
tias primo & per ſe intelligere, & in ſeipſis, non extrà: ſuperiora quidem, quia ſunt “
effectus ſuperiorum: inferiora autem, quia ſunt cauſæ inferiorum. Et hanc dicit ex “
ſententia Diui Thomæ, fuiſſe opinionē Philoſophorū, & maximè Peripateticorū. “

Deinde addit: Vlterius dicitur, ipſos exactam & perfectiſsimam de unaquaq; re “
ſublunari ſcientiam habere. Itaq; negat ullam eſſe ſpeciem in mundo, quæcunq; ſit “
illa de qua non cognoſcant, quicquid de illa cognoſci queat. ſunt enim, inquit ho- “

» rum omnium ſublunarium artifices, artifex autem non producit ſuum artificia-
» tum, niſi per cognitionem. Et paulo pòſt ſubiungit: Neq; opus eſt, ſi Deus uel in-
» telligentia Socratem producat, ut nunc intelligat particulariter Socratem & hoc
» inſtans.

Pergit deinde Pomponatius reſpondere ad alias quæſtiones, quas ipſe propoſuerat: ſed quia ex eis quæ à nobis dicentur, erit perſpicuum quantum ualeant, eas miſſas eſſe faciendas breuitatis cauſa indicauimus. Et quoniã hæc eius opinio atq; reſponſio (pace tanti uiri dixerim) non uidetur mihi digna Philoſopho, ſed potius conuenire mulierculis, & illis hominibus quos in ſuperioribus diximus facile decipi, ſæpeq; deceptos fuiſſe: quippe qui omnibus ex rebus quæ ſibi occurrunt, ita afficiantur admiratione, ut omnia credant quæ à quouis audiuerint (etenim concedit ipſe omnia quæ propoſita ſunt in quæſtionibus allatis, eſſe uera naturaliter etiam loquendo, quæ ne pueri quidem concederent, neq; mulierculæ) Hæc igitur cum ita ſint, elaborandum nobis eſſe uidetur, qui philoſophiam naturalem ex ſenſibus ortam nunc ſectamur, ut oſtendamus, ipſum Pomponatium à Peripateticorum doctrina longè aberraſſe: atq; in illo ſuo libro neq; philoſophum, neq; quod multo fœdius eſt, & grauius, Chriſtianum extitiſſe, atq; etiam contra omnem rationem in Ioãnem Picum (uirum celeberrimũ, & omni laude dignum) uerbis tã contumelioſis inuectum eſſe: cum quo neq; doctrina, neq; ingenio ipſum eſſe comparandũ (liceat enim mihi ſine iniuria dicere quod ſentio) neminem latêre arbitror, qui utriuſq; libros legerit. Idq; eo libentius faciemus, quia cùm oſtenderimus effectus dictos non poſſe redigi ad cauſam naturalem, neceſsitas cogit, cũ negare non poſsimus, multos ex illis eſſe ueros, ut cõfugiamus ad præſidia ſanctiſsimę religionis noſtræ. quo quidem fiet, ut ea maximè confirmetur cõtra impios homines, atq; ſtabiliatur, id quod in primis in hoc libro nobis eſt propoſitum.

SECTIO QVINTA.

Dicimus igitur, quæ diſputata ſunt à nobis in ſuperioribus libris, cum ex naturæ fundamentis, & ex Ariſtotelis ſententia loqueremur de modo, quo ſcientia fit in nobis, & de intelligentiarum, atq; ipſius Dei cognitione: & cauſas afferremus, quare ex ſolo aſpectu cœli non poſsimus uerè aliquid prædicere, ea omnia euertere (ut nos quidem arbitramur) Pomponatij reſponſionem, & primam eius ſuppoſitionem. Etenim luce clarius oſtenſum eſſe putamus, ex ratione naturali demonſtrari non poſſe, Deum & intelligentias abſtractas, eorum quæ ſunt extra ſuam eſſentiam, cognitionem habere, ut exiſtimauit Pomponatius: ſed hanc concluſionem, quę uerìſsima eſt, ſolum ex fide & beneficio Dei opt Max. nos eſſe conſequutos. Quare eius opinio tanquàm Philoſophiæ naturali contraria, atq; Ariſtotelis ſententiæ, ex qua ille ſe loqui profitetur, omnino repudianda uidetur. Ad ea autem quæ his de rebus dicta ſunt in ſuperioribus, & concluſa, me reijcio.

Neq; illud quod citat Pomponatius ex primo Cœli, ut confirmet ſuam diſſolutionem, & ſuppoſitionem, ullo modo ſententiam noſtram labefactat: quoniam, ut ſuprà diximus, atq; ex uerbis Ariſtotelis confirmauimus, cum dixit Ariſtoteles,
1 Cœli tex. 100. Vnde & alijs communicatum, his quidem clarius, & his obſcurius, eſſe & uiuere ita loquutus eſt, quia perinde ſe habent entia, ac ſi facta fuiſſent à primo ente, & cognoſcente: non quòd re uera ita ſit. atq; hoc ſanè loquendi modo uſus eſt Ariſtoteles, ut clarius rerum ordinem indicaret. qua de re cùm pluribus diſputatum ſit in ſuperioribus, eundum eſt ad illa loca, ne bis eadem repetamus.

Quòd item pendeant à Deo omnia entia in genere cauſæ finalis, & quod ipſe
2. de Gen. anim. ca. 1. producat per modum naturæ, & ita ſine cognitione, & quod omnium ſit finis, uidetur declarare Ariſtoteles in ſecundo de Generatione animalium, ubi hæc ſcri-
» pta reliquit: At uerò quod ad melioris rationẽ, & cauſam cuius gratia pertinet, cœ
» litus principium ducitur. Cùm enim rerum aliæ ſint ſempiternæ, ſummeq; diuinæ:
» aliæ quæ poſſunt & eſſe, & non eſſe: pulchrum autem, diuinumq; illud cauſa ſem-
» per ſua natura melioris conditionis in rebus contingentibus ſit, & cætera quæ ſe-
» quuntur.

Perſpicuum igitur eſt, Deum eſſe cauſam finalem, & eſſe cauſam eſſendi alijs clarius, & alijs obſcurius ex natura ſua: ergo ſine cognitione. quia quod producit aliquid ex natura ſua, ut ignis ignem, non cognoſcit neceſſariò illud. ſed ille effectus dicitur produci ab eo, quia ſequitur naturam illius. ſicut motus ſequitur Dei naturam, quæ eſt uita ſempiterna, ut declarauit Ariſtoteles ijs uerbis quæ citauimus in 2. Cœli tex. 17. ſuperioribus ob uarias occaſiones: Vnumquodq; enim eſt quorum eſt opus gratia operis, Dei autem operatio eſt immortalitas: hæc autem eſt uita ſempiterna. Itaq; neceſſe eſt Deo motum ſempiternum ineſſe. Quia ergo operatio Dei eſt uita ſempiterna, neceſſe fuit ut moueret æterno tempore. mouet ergo neceſſariò, & non liberè: ergo quicquid agit beneficio motus, neceſſariò agit, non ergo cum cognitione.

Quod autem ſecundo loco ſtatuit Pomponatius, uidelicet hominē eſſe finem omnium eorum quæ ſub cœlo ſunt: id concedimus, non tamen quod ſit finis ſupremus. & hoc ex eis auctoritatibus Ariſtotelis quæ citatæ fuerunt. Concedimus item, naturam feciſſe omnia ſublunaria cauſa hominis: quia ſcilicet ita reperiuntur ſublunaria eſſe ordinata ad hominem, ac ſi natura feciſſet illa hominis gratia.

Damus etiam, quod cùm homo ſit finis eorum quæ dicta ſunt, omnia pendeant ab ipſo tanquàm à cauſa finali. negamus tamen, ſequi ex hoc aliquid quod ſententiam eius confirmet, noſtram uerò labefactet: quia non ſequitur, Deum cognoſcere iſta inferiora, eaq; producere, ſicut ipſe dixit.

Quod terrio loco ſtatuit, id neq; rationi, neq; experiētiæ conſentire arbitramur. neq; illud quod affert de Regibus & ſubditis, ſententiā eius cōfirmare poteſt: propterea quòd maiori ex parte Reges nō ſunt Reges ex natura, ſed ex fortuna, et ſubditi non ſunt ex natura ſubditi, ſed maiori ex parte ex fortuna. Declarauit enim Ariſtoteles primo Polit. multos eſſe dominos non ex natura, ſed ex fortuna: & ita de ſubditis. & multos eſſe dominos fortuna, qui ſunt ſerui natuta: ac rurſus multos eſſe ſeruos fortuna, qui ſunt domini natura. Et licet dentur domini ex natura, & ſerui ex natura, tamen illos reges quos citat uidemus eſſe ex fortuna, non ex natura: quia maiori ex parte ſunt reges, propterea quòd parentes eorum fuerunt reges, non quia ipſi alijs præſtent ingenio. Neq; etiam ratio cogit, ut omnes homines ordinentur ad unum, quia natura apibus dederit ducem, hoc euenit eis, quia carēt intellectu, quo non carent homines. ſatis enim eſt quod homines ordinentur ad unum finem, non ad unum hominem. quia fieri poteſt ut dentur plures homines eodem ingenio, quorum unus ex natura non debet alteri ſeruire. Sed faciamus ita eſſe: nihil tamen ex hoc fundamento ſequi apparet, quod ſententiam eius muniat atq; ſtabiliat, noſtramq; labefactet atq; conuellat. Etenim ex hoc non ſequitur, ut cœlum ſolum ſit cauſa, eo modo quo dicit Pomponatius, eorum effectuū quos commemorauimus: neq; ſequitur illum hominem, ad quem omnes alij referuntur, ita gubernare alios, ut alij in eſſe dependeant ab illo.

Quod uerò ex quarto ſuppoſito infert, Deum maiorem curam gerere regum quàm ſubditorū, dominorum quàm ſeruorum, bonorum quàm malorum, doctorum quàm indoctorū: hoc ex eis ſignis quæ reperiuntur in rebus ſenſibilibus non damus. Cùm uerò id probat, quia Deus eſt omniū gubernator & conſeruator, omniumq; curam & prouidentiam habet, hoc itē ex eis quæ in ſuperioribus oſtenſa ſunt, nō dandum eſſe opinamur: niſi ad eum ſenſum reuocetur, quem toties diximus. quod ſi fiat, nihil inde ſequi, quod eius ſententiam ſtabiliat, noſtram infringat, ſatis patere arbitror.

Ex quibus efficitur, ut quod addit, uidelicet intendens finem, intendere ordinata in finem, nihil ad rem faciat de qua loquitur

Quod quinto loco ſtatuit, Deum eſſe cauſam omnium: ſi intelligat eo modo quo diximus in ſuperioribus, concedimus: ſed dicimus hoc nihil aduerſari ſententiæ noſtræ. eſt enim Deus cauſa finalis omnium. & ſi dicatur efficiens, ita dicitur, quia perinde ſe habent res, ac ſi ab eo factæ fuiſſent. nō tamen damus ex hac uia, licet falſa, Deum poſſe aliquid operari in hæc inferiora, niſi opportunitate & beneficio corpotum cœleſtium. & ita negamus ex hoc ſequi id quod ipſe aſſeruit.

Concedimus item, quod ultimo loco ſupponit: ſed negamus, eius reſponſiones ad quæſtiones propoſitas magis eſſe remotas ab abſurdis, & magis rationi quæ ſenſu nititur conuenire: propterea quòd (ut patet ex dictis, patebitque ex ijs quæ dicentur) longè maiora abſurda ſequi uidentur eius poſitionem, quàm aliam quæcunque poſſit ab aliquo excogitari, & ſic magis ſenſui & rationi naturali repugnat.

Perperam igitur eum reſpondiſſe apparet, omnes effectus dictos fieri ab intelli-
» gentijs immaterialibus, mediantibus corporibus cœleſtibus, tanquàm earum ne-
» ceſſarijs inſtrumentis: quia illi ipſi effectus non poſsint ex eius ſententia ad aliam
cauſam, niſi ad ipſas intelligentias referri, uidelicet diuinatio, loquutio beſtiarum, auguria, uerſio hominum in beſtias, incantationes, prophetiæ, & huiuſmodi.

Perſpicuum etiam uidetur eſſe ex eis quæ dicta ſunt, omnia quæ dicit in ſolutione primi argumenti, de Dei & intelligentiarum ſcientia & cognitione, abhorrére à ſententia Ariſtotelis, naturaliter loquentis: quanquàm in illa ſolutione ui-
» detur pugnare etiam cum ſua ipſius ſententia. nam cùm dixiſſet, Deum & intelli-
» gentias exactam & perfectiſsimam de unaquaque re ſublunari ſcientiam habe-
» re: & nullam eſſe ſpeciem in mundo, quæcunque ſit illa, de qua non cognoſcant
» quicquid de ipſa cognoſci poteſt) addidit paulo pòſt: Neque opus eſt, ſi Deus uel
» intelligentia Socratem producat, ut nunc intelligat particulariter Socratem, &
» hoc inſtans. At ſi Deus & intelligentiæ exactã & perfectiſsimam de unaquaq;
re ſublunari ſcientiam habent, & ſi nulla ſit ſpecies in mundo, quæcunq; illa ſit, de qua non cognoſcant quicquid de illa cognoſci poteſt, quia ſunt horum ſublunarium artifices (artifex enim, inquit, non producit ſuum artificiatum, niſi per cognitionem) ergo fieri non poteſt, ut ſi Deus & intelligentiæ producant Socratem, nõ cognoſcant particulariter nunc Socratem: quia ſunt artifices ſocratis, ut eius more loquar: unumquemq; aut artificem, ex ipſius ſententia, oportet cognoſcere ea, quæ producit.

Item ſequeretur falſum eſſe, Deum & intelligentias exactã & perfectiſsimam de unaquaq; re ſublunari habere ſcientiam: ſiquidem Socrates & præſens tempus ſunt ſublunaria. Deus autem & intelligentiæ, ut aſſerit ipſe, nullã habent ipſorum cognitionem. Item, aliquid eſſet cognoſcibile de Socrate, quod tamẽ à Deo & ab intelligentijs non cognoſceretur: contrà quàm poſuit. quod quidem meo iudicio nihil aliud uidetur eſſe, quàm non ſolum pugnantia, uerùm etiã (quod multo maius eſt) negantia loqui: quo ſanè Peripateticorum doctrinam profitenti, nihil poteſt eſſe turpius.

SECTIO SEXTA.

QVod etiam dixit, Deum intelligere omnia, quia eſt cauſa omnium: uidetur à Peripateticorum doctrina diſcrepare quia elementa producunt mixta, & ignis a producit ignem, b, & tamen non cognoſcunt. Repugnare etiam uidetur huiuſmodi doctrinæ, quod ait intelligẽtias in ſe ipſis intelligere ſuperiora, propterea quòd ſunt effectus ipſorum. quandoquidem ex hac poſitione ſequitur, ut elementa ut omnia inferiora intelligant Deum & intelligentias, cùm ſint effectus Dei & intelligentiarum, ut ſentit ipſe. quæ quidem res eſt ita abſurda quàm quæ abſurdiſsima. Neq; ei præſidio poteſt eſſe, quòd Deus & intelligentiæ cognoſcant, elementa autem non cognoſcãt: tum quia non reddidiſſet idoneam cauſam cognitionis, cùm dixit Deum omnia cognoſcere, quia eſt cauſa (oportuiſſet enim addere, cognoſcens: quod quidem nihil aliud fuiſſet, quàm dicere, Deum cognoſcere, quia cognoſcit) tum etiam, quia ex ſentẽtia Ariſtotelis oſtenſum eſt in ſuperioribus, Deum & intelligentias producere iſta inferiora, non quatenus cognoſcunt, licet ſe ipſa cognoſcant. ſed per modum naturæ & conſequentiæ. eorũ enim excellentiam & præſtantiam ſequi hæc inferiora per modum naturæ, ſicuti corpus ſequitur umbra. demonſtratumq; eſt, nihil hoc ex hac uia naturali, falſa tamen, in hac parte detrahere de ipſius Dei & ſubſtantiarum abſtractarum præſtantia &

nobi-

nobilitate: imò ſi contrarium teneretur, fore ut ex eorum nobilitate atq; præſtantia quod optimum eſſet auferretur.

Dictum tamen eſt, hæc inferiora ita bene eſſe diſpoſita & ordinata, ac ſi ab aliquo cognoſcente perfectiſsimè, quatenus cognoſceret, eſſent producta. Quare hac quoq; in parte mihi quidē reprehēdendus uidetur eſſe Pomponatius, tanquā nō germanus et ex peripateticorum familia philoſophus, ſed nothus & transfuga: modò enim ad Platonicos, modò ad Poëtas, nunc ad iſtum nunc ad illum, nulla uel parua conſideratione adhibita confugere uidetur, & ita miſcere quadrata rotundis, ut penè turpe exiſtimem cum eo de his rebus diſputationem inire. neminem enim legiſſe memini ex eis qui Peripateticorum doctrinam profitentur, Alberto Magno excepto, qui plura miracula, plures fabulas & narret & credat, ipſo Pomponatio. ſi quis enim conſiderauerit quæ dicat iſte de Petro cœleſtino, & de uerſione ſociorum Diomedis & Vlyſsis in beſtias, naturaliter etiam loquendo, & de multis alijs huiuſmodi: facere ut opinor non poterit quin maxima admiratione afficiatur, quomodo factum ſit, ut hic homo alioquin doctiſsimus, in has ineptias atque in hos errores, ab omni cuiuſuis philoſophi grauitate penitus alienos deuenerit. Bone Deus, nulla eſt ita abſurda fictio, nulla eſt ita horrenda chimera, nullæ ſunt tam pueriles & aniles nugæ, nulla eſt Ouidij Metamorphoſis, quam homo iſte ex natura fieri poſſe non audeat affirmare. Longè quidem melius, ut ego puto, exiſtimationi ſuæ conſuluiſſet, ſi omnia iſta fieri uel uirtute angelorum bonorum, uel malorum poſuiſſet: ueritati enim, Chriſtianæ ſaltem, conſenſiſſet. Sed cùm angelos omnes ab ijs effectibus reijcere non ſit ueritus, & confugerit ad peripateticorum doctrinam, non uideo quo modo ferri ab homine qui ſit mente ſanus queat. Quare non dubitabimus, antequàm ad quæſtionum propoſitarum diſſolutionem ueniamus, afferre nonnulla alia ex peripateticorum fontibus eruta: ut homines intelligentia conſequi melius poſsint, quàm longè iſte hac in parte ab ea quam profitetur Peripateticorum doctrina aberrauerit, atq; receſſerit: ut mea quidem fert opinio, aliorum tamen erit iudicium.

SECTIO SETIMA.

HOc autem ſic perſpici poſſe arbitror. etenim negare non poſſumus, quin Ariſtotelis tempore fuerint Sibyllæ, & illi qui exiſtimantur afflati numine diuino, uel bono uel malo: quin fuerint Poetæ, Diuinationes per ſomnium, per chiromantiam, per hydromātiam, per onomantiam, & per pyromantiam, & geomantiam: quin etiam ueneficia, & maleficia: quin fuerint fabulæ, quibus homines eſſe conuerſos in beſtias traderētur: adde his loquutiones puerorum in ipſo naſcendi initio. & tamen nullius iſtorum cauſam ex beneficio cœli reddidit, ſed aliam cauſam aſsignauit ſine cœlo, imò alia negauit poſſe proficiſci ab ipſo Deo. aliorum uerò nullam reddidit cauſam, propterea quod ea figmēta & ſomnia eſſe exiſtimauit.

Itaq; qui reddit cauſam horum ex Dei opportunitate, & beneficio cœli, ut ab Ariſtotelis ſententia diſcedat neceſſe eſt.

Antecedens oſtenditur ex 30. ſectione Problematū probl. primo, (quem locum ſuprà quoq; citauimus) ubi ille quidē Sibyllarum & Baccharum, & omniū eorum qui diuino inſtinctu afflati oracula fundere creduntur, & Poetarum cauſam ex habitu melancholico corporis reddit: Et in lib. de Diuinatione per ſomnium (ut uidimus) diuinationis per ſomnum, & aliorum ex habitu ipſo corporis cauſam aſsignauit, negauitq; hæc à Deo fieri. non igitur ſunt manifeſtiſsima numinum monita, ut inquit Pomponatius: ergo qui diſcedit in his ab ea cauſa quam tradit Ariſtoteles ut ab eius quoque ſententia diſcedat neceſſe eſt. Neque dici poteſt, illum habitum corporis proficiſci à Deo, et ſic Deum diuinationem efficere, proptereaq; hoc reijcit Ariſtoteles ut uidimus in loco citato ex lib. de Diuinatione. 3. Sect. Probl. prob. 1.

Præterea cœlum concurreret ſolum ad generationem illius humoris: quod quidem eſt alienum ab Ariſtotelis ſententia. ſol enim & homo generant hominem, non ſolum cœlum, uel Deus.

Item perperam Ariſtoteles, omiſſa uera cauſa illarum rerum, quam ipſi erat pro poſitũ in eo loco tradere, reddidiſſet illas cauſas quas expoſuimus, ſi ſolum Deus & cœlum eſſet cauſa. peccaſſet enim per fallaciã non cauſæ ut cauſa. quod quidem nihil aliud eſt, quàm de ſummi philoſophi doctrina & artificio plurimum detrahere: quod planè indignum eſſe arbitror.

Item manifeſtiſsimè à ſententia Ariſtotelis abhorret illud, quod in eo ſuo libro Pomponatius ita ſcriptum reliquit: In hoc maximè Deus oſtendiſſe uidetur, nobis dubitandum non eſſe quin præclara hæc Poëmata diuina, deorumque potius quàm humana hominumquè ſint opera. Poëtæ nihil aliud ſunt quàm Deorum interpretes, dum ſunt furore correpti, à quocunque tandem numine quis corripiatur. Quod Deus oſtendere uolens, de induſtria per ineptiſsimum Poëtã pulcherrimã cecinit melodiam: & quæ ſequuntur, eandem ſententiam manifeſtant. Huic ſententiæ in totum conſonant quæ dicuntur ab Ariſtotele 30. particula Proble-
30. Par. matum, problemate primo, de Sibyllis, Bacchis, & uniuerſaliter de his qui diuino
Probl. ſpiraculo inſtigari creduntur.) Hoc inquam apertè repugnat ſententiæ Ariſtote-
prob. 1. lis. Etenim perſpicuum eſt, ipſum in eo loco omnia potius dixiſſe, quàm Sibyllas & Bacchas, & eos qui inſtinctu diuino afflati creduntur, proficiſci à Deo: cùm luce clarius aſſeruerit, ut patet ex uerbis citatis, omnia iſta proficiſci ex habitu corporis. qui enim hoc ex illo loco non cognouit: neq; utrum ſit ſol, nec ne, cum cognitu rum eſſe exiſtimo. Quid enim eſt hoc illo euidentius?

SECTIO OCTAVA.

PRæterea quid eſt quo magis probare poſsimus, ipſum Ariſtotelem Deo non attribuere ea quæ dicta ſunt, quàm hoc quòd non attribuit Deo illa etiam quę ab ipſis hominibus Deo attribui uulgatũ eſt? Etenim dicit: Omnes qui diuino ſpiraculo inſtigati creduntur, naturali intemperie laborare: nõ ergo uult, ex Deo hoc proficiſci, licet credatur, & uulgatum ſit.

Maracum etiam ciuem Syracuſanum, dum mente alienaretur, fuiſſe præſtantiorem Poëtam, ex naturali intemperie aſſeruit: non dixit hoc euenire ex ipſo Deo. Tantum igitur abeſſe mihi uidetur ut locus ille Ariſtotelis ab hoc homine citatus, eius opinionem confirmet ac ſtabiliat, ut eam labefactet, atque omnino conuellat.

Item, ſi Deus beneficio & opportunitate cœli faceret Poëtas, ut aſſerit Pomponatius, & prophetas, & oracula, efficeretque ut pueri ſtatim nati & beſtiæ loquerentur, neceſſe eſſet ut in iſtis generaret ſpecies earum rerum quas proferrent.

Probatur conſequentia: quia in principio natiuitatis carebat omni ſpecie intel-
3. de Anim. lectus eorum, ut patuit ex quarto tex. tertij de Anima, quem nos in nono libro ci-
tex. 4. tauimus, atq; explanauimus. cuius hæc ſunt uerba: Neceſſe eſt, quoniam omnia in-
3. de Anim. telligit, immixtum eſſe ipſis, ſupple ſpeciebus. Et ex tex. quinto eiuſdem tertij:
tex. 5. quo in loco intulit, intellectum poſsibilem in principio natiuitatis noſtræ eſſe in pura potentia, & nullam ſpeciem habere actu, antequam intelligant. Et ex tex. decimoquarto, qui meo quidem iudicio uim habet ex quarto tex. hæc autem ſunt
3. de Anim. eius uerba: At pati quidem ſecundum commune aliquid diuiſum eſt prius, quo-
tex. 14. niam potentia quodammodo eſt intelligibilia intellectus, ſed non actu antequam intelligat. oportet autem ſic, ſicut in tabula nihil eſt actu ſcriptũ, quod quidem accidit in intellectu.

Ex quibus patet, Ariſtotelem ſentire, intellectum noſtrum nullam habere cognitionem à natura, cùm in nos uenit. Neceſsitas igitur cogit, ſi intelligat, ut accipiat ſpecies quæ ſunt rerum ſimilitudines, ab aliquo extrinſecus exiſtente. aliter enim, cùm careat ſpeciebus, non intelligeremus. Intelligere enim nihil aliud eſſe uidetur, quàm receptio ſpecierum quæ ſunt extra.

Si ergo iſtud extrinſecus exiſtens, quod facit loqui Poëtas, & Prophetas, & oracula, & pueros ſtatim natos, & beſtias, eſſet Deus, beneficio & opportunitate cœli: ergo Deus beneficio cœli in intellectu ipſorum generaret neceſſariò ſpecies earum rerum quas proferunt: quia ſi non generaret ſpecies, non poſſent eas

res

res proferre & loqui, ea enim quæ ſunt in uoce, ſunt ſigna paſsionum quæ ſunt in anima: et paſsiones in anima ſunt rerum ſimilitudines. ſed fieri non poteſt, ut Deus ſolo beneficio cœli generet has ſpecies in anima: igitur fieri non poteſt ut Deus ſolum beneficio cœli faciat loqui Poëtas, Prophetas, oracula, pueros ſtatim natos, & beſtias. quod planè euertit ſententiam Pomponatij.

Probatur id quod antecedit. etenim non apparet, Deum beneficio cœli poſſe hæc efficere: quia ſi hoc efficeret, indigeret inſtrumento. Etenim Ariſtoteles primo de Generatione animalium hæc ſcripta reliquit: Ad omnem autem officij functionem inſtrumento opus eſt. Sed iſtud inſtrumentum non poteſt eſſe, ex iſtius ſententia, niſi cœlum: quod dari non poteſt. ergo fieri non poteſt, ut Deus iſta efficiat beneficio cœli. 1. de Gen. animal.

Probatur antecedens: quia ſi ſic eſſet, cùm longè diſtet à nobis cœlum, indigeret & ipſum alio inſtrumento ad huius officij functionem, ex eadem ratione. ſed non apparet ex ſenſu, neque ex ratione quæ à ſenſu oritur, cœlum habere eiuſmodi inſtrumentum, cuius beneficio generet has ſpecies: igitur non eſt ponendum, Deum modo dicto poſſe eas generare. Quod antecedit, oſtenditur: quia ſi cœlum haberet eiuſmodi inſtrumentum, quo ſpecies in intellectu generaret: hoc eſſet uel motus, uel lumen, uel ambo. Etenim cùm ſimus philoſophi naturales, non poſſumus ponere niſi illud quod ex ſenſu oritur: nullum autem aliud inſtrumentum apparet cœlum habere, præter hæc duo. Sed motus & lumen non ſunt idonea inſtrumenta ad generandas has ſpecies in intellectu: ergo non habet cœlum huiuſmodi inſtrumentum. Probatur id quod antecedit. Etenim motus cœli non peruenit ad nos: & ſi etiam perueniret, ex natura ſua non poſſet producere has ſpecies.

Neque etiam lumen: quia naturæ luminis non eſt generare ſpecies rerum, ſed tantum calefacere.

Præterea, ſi talis eſſet natura luminis & motus, ut poſſent generare ſpecies, generarent in omnibus hominibus: etenim ſunt inſtrumenta uniuerſalia, ſemperque uel maiori ex parte efficiunt quod intendunt: ſunt enim agentia per modum naturæ, & neceſſariò agunt quicquid poſſunt agere: maiorque pars hominum eſt ſemper naturaliter diſpoſita ad recipiendas rerum ſpecies à cœlo, ſicut eſt diſpoſita ad illas recipiendas ab ipſis obiectis, ut perſpicuum eſt. ſed non generant in omnibus hominibus neque ſemper, ut perſpicuum eſt, neque maiori ex parte: ergo nō poſſunt generare has ſpecies.

Item, ſuperuacanea eſſent obiecta ad ſpecies generandas: propterea quòd fruſtra fit per plura, quod æquè bene poteſt fieri per pauciora. æquè autē bene, ac melius etiam poſſent generari ſpecies à cœlo: eſt enim longè præſtantius, & plus uiriū continet quàm obiecta.

SECTIO NONA.

Item euerteret uniuerſa Ariſtotelis doctrina, ut patet. & primo nomina, & uerba, & orationes non eſſent ad placitum: eſſent enim à natura, quia eſſent à Deo, beneficio cœli, ſine aliqua noſtra uoluntate.

Præterea euerteretur illuſtris illa & peruagata propoſitio, Omnem doctrinam & omnem diſciplinam intellectiuam fieri ex præexiſtenti cognitione ſubiecti, prędicati, & dignitatis: & non eſſet neceſſarium dupliciter præcognoſcere. Etenim doctrina poſſet haberi beneficio ſolius cœli: ſicut dixit ipſe Poëtas, oracula, & Prophetas effici, & pueros ſtatim natos loqui. Præterea ſcire non eſſet per cauſam cognoſcere, quia hoc poſſet ſine cognitione cauſæ haberi: ut patet in pueris ſtatim natis.

Item falſum eſſet, quod deficiente ſenſu deficeret ſcientia illius ſenſus: etenim poſſet haberi à cœlo. 1. Poſt. cap. 14.

Item conuellerentur ea quæ dixit Ariſtoteles in ultimo capite ſecundi Poſt. quem locum in ſuperioribus quoque citauimus: quòd uidelicet ex ſenſu fit memoria, ex memoria experimentum, & ex experimēto uniuerſale, quod eſt principium ſcien- 2. Poſt. cap. ult.

7.Met ſcientiæ & artis. Quam item ſententiam teſtatam reliquit in ſeptimo Meta.ubi dixit, Senſum & ſenſibilia eſſe neceſſaria ad illam perceptionem. Hæc inquam conuellerentur: quia cœlum poſſet imprimere propoſitiones uniuerſales in animo noſtro, & ita non eſſet neceſſe habere ſenſum. Præterea cùm cœlum non poſsit efficere uniuerſalia (non enim diſcurrit, & non abſtrahit ipſa ex rebus) ergo darentur uniuerſalia in re. Conſequens euertit ſententiam Ariſtotelis, ergo id unde emanat.

Item falſum eſſet, quòd innata eſſet nobis uia ex notioribus nobis, & prioribus, ad priora naturæ & notiora. etenim poſſemus addiſcere ſine iſtis, & ſic euerterêtur prima philoſophia, & philoſophia naturalis: quippe quæ traduntur ex nobis notioribus & prioribus.

Deinde cæcus poſſet de coloribus diſputare: haberet enim illorũ cognitionem De ſenſu à cœlo. Præterea falſum eſſet, quod dixit in lib. de Senſu & ſenſibili ad hunc mo- & ſenſib. dum: Neq; enim intelliget intellectus quæ exterius ſunt, ſine ſenſu.

Item, phantaſia eſt motus factus à ſenſu: quod quidem falſum eſſet, ſi à cœlo haberet ſpecies.

Item, non omnis ſurdus eſſet mutus. Conſequens euertit ſententiam Ariſtotelis in libro de ſenſu & ſenſibili: ergo & id unde ſequitur. Conſequentia perſpicua eſt: quia poſſet proferre ea quæ à cœlo fuiſſent ei impreſſa.

Item, ſi ita eſſet, non magis cœlum imprimeret unam linguam, quàm alteram. Etenim nulla eſt huius ratio, ſiquidem eſt agens naturale & uniuerſale: imprimeret ergo cœlum omnes linguas. ergo unuſquiſque proferret omnes linguas. hoc autem nunquam uiſum eſt: igitur hæc non fiunt à cœlo, cùm tamen ex hac uia neceſſariò agar.

Item, non eſſet neceſſe intelligentem phantaſmata ſpeculari. Conſequens à ſententia Ariſtotelis, ex fundamentis naturæ loquentis, alienum eſt: ergo & id quod antecedit. Conſequentia eſt perſpicua: quia ſpecies haberent è cœlo. quare phantaſmata tunc non eſſent ſicut ſenſibilia: quod à Peripatetica doctrina abhorret.

Item, non eſſet neceſſarius intellectus agẽs, qui abſtraheret phantaſmata: eſſent enim in intellectu poſsibili à cœlo.

Item, Ariſtoteles non poſſet probare intellectum poſsibilem non habere organũ, ex eo quia non intelligeret beneficio phantaſiæ. Conſequens euertit ipſius ſententiam: conuellit ergo id ex quo profectum eſt. Conſequentia eſt perſpicua ex eis quæ diximus. ſicut enim cœlum poſſet imprimere in phantaſiam, ita in intellectum, maximè ex ſententia iſtius hominis, qui exiſtimat ipſum mortalem.

Item, unicuiq; daretur habere eaſdem ſpecies, cœlum enim eſt agẽs uniuerſale: etſi dicat iſte, dari uni magis quàm alteri ratione diſpoſitionis ſubiecti: ergo hoc nõ proficiſcetur ex ſolo aſpectu cœli: concurrent ergo cauſæ particulares.

Item, ſi homines poſſent à Deo generari beneficio ipſius cœli, ut aſſerit Pomponatius, tolleretur demonſtratio Ariſtotelis, qua demõſtrauit ſemper eſſe genus ho-
2.de Gen. minum & beſtiarum & plantarum, ubi dixit: At uerò quod ad melioris rationem,
anim. ca.1. & cauſam cuius gratia, pertinet, cœlitùs principium ducitur. cùm enim rerum aliæ
» ſint ſempiternæ, ſummeq; diuinę, aliæ poſſunt eſſe, & non eſſe: pulchrum autem di
» uinumque illud ſua natura melioris conditionis in rebus contingentibus ſit. quod
» uerò ſempiternum non eſt, id & eſſe, & particeps tum deterioris conditionis, tum
» melioris eſſe poſsit: cumq; anima ſit corpore melior, animatumq; inanimato præ-
» ſtet propter animam, & eſſe quàm non eſſe, & uiuere quàm non uiuere melius ſit:
» efficitur, ut ijs de cauſis generatio ſit animaliũ. Cùm enim natura eius generis ſem-
» piterna eſſe non poſsit, quomodo fieri poteſt eo ſempiternum quod gignitur? nu-
» mero igitur non poteſt: ſubſtantia enim rerum in ſingularibus eſt, quæ ſi talia eſ-
» ſent, ſempiterna eſſent. ſpecie uerò poteſt: itaq; genus hominum ſemper & beſtia-
» rum & plantarum eſt.

Si ergo Deus ſolo beneficio ipſius cœli poſſet homines & beſtias & plantas omnes producere, non efficeretur neceſſariò ex cauſis ab Ariſtotele dictis, ut eſſet generatio animalium & plantarũ. Etenim ſola ui ipſius cœli propagari poſſent, etiam ſi de-

ſi deficerent. Itaq; nullam uim haberet demonſtratio Ariſtotelis, qua probat ſemper eſſe genus hominum & beſtiarum & plantarum. Reijcienda igitur eſt Pomponatij ſententia, quæ demonſtrationem Ariſtotelis dictam perſpicuè infringit.

Euerteretur item alia ratio, quam eodem loco ſubiungit Ariſtoteles his uerbis: Sed cum principium ſit eorum (ſubaudi hominum, beſtiarum, & plantarum: hæc enim enumerauerat, ut uidimus) mas atque fœmina, fit ut generationis gratia ſit mas & fœmina in rerum natura, ſicqúe naturæ ſit melioris, magiſqúe diuina cauſa ſit ea quæ prima mouet, cui ratio ineſt & forma, quàm materia. cumqúe melius eſt ſeparari à deteriori, quod melius eſt. Ideoqúe in quibuſcunq; fieri poteſt, & quoad fieri poteſt, mas à fœmina ſuperatur. melius enim magiſqúe diuinum eſt principium maris, quod per generationem mas obtinet. Fœmina enim materia eſt, ſed coit & iungitur ad generationis officium mas cum fœmina. Idem enim commune ambobus eſt.) Euerterentur inquam quæ hic dicit Ariſtoteles: quia ſi beneficio ipſius cœli homines poſſent generari, non eſſet neceſſe marem à fœmina eſſe principium generationis in natura: neque fuiſſet neceſſe ipſa ſeparari, loquendo etiam de perfectiſsimis: ſine ipſis enim potuiſſent homines & beſtiæ & plantæ generari, quod quidem aſſerere, eſt Ariſtotelis ſententiam omnino ſine aliqua ratione oppugnare atq; labefactare. Quod item uidetur euertere ea quæ Ariſtoteles ſcripta reliquit in quarto de Generatione animalium, cap. tertio, ijs uerbis: (quæ uerba citauimus etiam in ſuperioribus ad aliud propoſitum) Qui enim ſuis parentibus ſimilis non eſt, monſtrum quodammodo eſt: diſceſsit enim in eo quodammodo natura ex proprio genere, cœpitqúe degenerare. ſed initium primum degenerandi, eſt fœminam generari, non marem. uerùm hoc neceſſarium eſt, naturæ. genus enim ſeruari oportet eorum quæ fœmina & mare diſtinguuntur. Nam ſi fœmina eſt neceſſaria ipſi naturæ, ergo ſine fœmina non poſſunt generari quæ ex illa naſcuntur: ergo non poterunt ex cœlo generari. Hæc enim intelligi uidentur de eis quæ diſtinguuntur natura, neq; ſunt orbata, neque generationem ſpontaneam habent. Neque licet dicere, ea quæ generantur ex mare & fœmina, dici ita generari, propterea quod melius generantur quàm ex putri materia: quia ſi ita eſſet, non eſſet neceſſaria ipſi naturæ fœmina, ut genus eorum quę fœmina & mare diſtinguuntur ſeruaretur. ſine quo enim aliquid fieri poteſt, hoc non dicitur eſſe illi neceſſarium.

4. de Gen. anim. ca. 3.

Item, tribus annorum millibus nunquam uiſum eſt aliquem hominem generari ex putrefactione: ergo fieri non poteſt, ut ita generetur. Probatur Conſequentia: quia ſi generari poſſet, tam longo tempore fuiſſet generatus aliquādo. ſed non eſt generatus: ergo fieri non poteſt ut generetur.

Sed diceret Pomponatius, idem euenire de generatione hominis ex putri materia, quod dixit Ariſtoteles primo Meteor. de terra & mari, cuius hæc ſunt uerba: Propter quod & circa aridam permutatur, & mare. & non ſemper hoc quidem terra, hoc autem mare perſeuerant omni tempore: ſed fit mare quidem, ubi fuit ante arida: ubi autem nunc terra, iterum mare. ſecundum tamē quendam ordinem oportet putare fieri & periodum. Et paulo pòſt: Et in temporibus longiſsimis ad noſtram uitam latent hæc facta, & prius omnium gentium interitus fiunt, & corruptiones antequam memoretur horum permutatio à principio ad finem. Multaq; alia addit in eandem ſententiam. ſic igitur de homine diceret Pomponatius, eum uidelicet generari ex putri materia, ſed latêre, quia fit in longiſsimo tempore. Sed hoc mea quidem ſententia non poteſt dicere Pomponatius, propterea quòd facile eſſet ipſi cœlo ex putri materia generare hominem, ſi ita generari poſſet: quia facilis eſt generatio ex putri materia, ſicut perſpicuum eſt in eis quæ ad hunc modum generantur. Sed non eſt ita facile ex mari fieri aridam terram, & ex terra arida fieri mare. oportet enim hoc fieri ex caliditate & frigiditate, quæ nō habēt tantā uim, ut paruo tempore poſsint hæc efficere: neceſſe enim eſt fontes & fluuios exſiccari, quæ non poſſunt fieri paruo tēpore. Quare ſimilitudo quā poſſet ex hoc loco accipere Pōponatius, non uidet̃ eius opinioni fauere. Etenim Ariſtoteles ex eo quod factū eſſe cōſtat in paruis locis, potuit putare idem accidere poſſe in

1. Meteor. cap. 5.

magnis

magnis, ut ipſe oſtendit loco citato. Sed Pomponatius ex nulla re particulari uiſa concludere poteſt, hominem poſſe aliquando generari ex putri materia. Quare reſpuenda uidetur hæc Pomponatij opinio.

SECTIO DECIMA.

5. Polit. cap. 6. SEd ſtatim urgeret dicens, Ariſtotelem in ſecundo Polit. apertè ſenſiſſe, hominem poſſe generari ex putri materia, quippe qui ita ſcriptum reliquit: Veriſi-
» mile eſt, Priſcos illos homines, ſiue ex terra geniti fuerunt, ſiue ex corruptione ali-
» qua ſeruati, ſimiles eſſe, & quoſcunque, & multos, quemadmodum dicitur & de gi-
» gantibus, ita quod abſurdum ſit manere in eorum traditionibus.

Plato in Menexeno. Quibus uerbis uidetur omnino concedere, quòd item aſſerit Plato in Menexemo, homines & cuncta animalia beneficio corporum cœleſtium ex terra generari poſſe, imò antiquitus generatos fuiſſe. quod planè non ſolum noſtram ſententiam labefactat, uerum etiam ipſius Ariſtotelis, in eis locis quos citauimus. etenim in libro de Generatione animalium poſuit alia generari ex ſola putredine, alia ex ſola propagatione, alia utroque modo, ut diximus in ſuperioribus. quæ uerò generantur ex ſola propagatione, ſunt homines, & cætera animalia perfecta.

7. Met 25. Quod autem dentur quæ non poſſint generari niſi ex propagatione, indicat Ariſtoteles in ſeptimo Meta. loco ſuperius citato ob aliam occaſionem, cuius
» hæc ſunt uerba: Atqui quorum materies, ut ibi, & à ſeipſa eo motu moueri poteſt,
» quo ſemen mouit, ea à caſu fiunt: quorũ uerò non poteſt, ea nullo alio modo quàm
2. de Anim. 36. ex generationibus fieri poſſunt. Hoc idem ſignificat in ſecundo de Anima, tex. 36. cuius uerba ſuprà quoque citauimus ad aliam rem probandam. inquit autem: Natu-
» raliſsimum operum uiuentibus eſt, quæcunque perfecta, & non orbata, aut genera-
» tionem ſpontaneam non habent, facere alterum quale ipſum, animal quidem ani-
» mal, planta autem plantam.

Dantur ergo quæ non poſſunt generari ex propagatione, quia non poſſunt generari ſponte. ſi enim ſponte generarentur, non eſſet neceſſarium ut facerent alterum quale ipſum. Quare neceſſe eſt ut reſpondeamus ad illum text. ſexti Politic. & dicendum uidetur, Ariſtotelem non loquutum eſſe eo in loco ex animi ſui ſententia, ſed ex antiquorum illorum opinione, quos fortaſſe dixit ex terra genitos, & ex corruptione, propter eorum ignorationem & inſcitiam, quæ eas leges tulerant, quæ non erant dignæ ut à ueris hominibus promulgarentur. ſeque loquutum eſſe ex eis quæ uulgò ferrentur, indicat, cùm inquit: Quemadmodum & de
4. Par Problem prob. 15. terra natis dicitur, Quod item uidetur indicaſſe in decima particula Problem. problemate decimoquinto. inde enim apertè colligitur, eum loquutum non eſſe ex animi ſui ſententia. Quare Auicenna in libro de diluuio perperam aſſerit, homines & cuncta animalia beneficio corporum cœleſtium ex terra genita fuiſſe. Et Pomponatium, qui profitetur ſe loqui ex ſententia Ariſtotelis, in maximo errore uerſari, conſpicuum eſſe arbitror, & ex eis quæ nunc diximus, & quæ in ſuperioribus de hac ipſa re pluribus diſputauimus, ad quem locum lectores reijcimus.

Præterea ſi ſermo eſt hominis proprius, ergo Belluæ non poſſunt loqui, neque aër. Conſequentia perſpicua eſt. Antecedens oſtendit Ariſtoteles in quinto de
5. de Gen. anim. ca. 7. Generatione animalium, ubi ait: In cæteris animalibus fœmina uocem emittit, quàm mas, acutiorem. quod maximè in homine patet. Hanc enim facultatem na-
» tura homini potiſsimum tribuit, quoniam oratione ſolus animalium homo uti-
1. Polit. ca. 2. & 5. tur: orationis autem materia eſt uox. Et in primo Politic. his uerbis: Nihil enim natura fruſtra facit, orationem ſolum ex animalibus homo habet. Eſt igitur oratio propria hominis: ergo non poteſt conuenire alijs præterquam homini. quod enim
1. Rhet. cap. 2. alicuius eſt proprium, id ei ſoli conuenit. Hoc idem in primo Rhetor. confirmat Ariſtoteles.

Illud uerò quod Pomponatius addit in ſecundo lib. Apologiæ, probabile eſſe argumentũ, at non facere fidem, quòd homo uel equus non generet ex putri materia, quia nunquam uiſum eſt aliquem ſic generari. hoc inquam uidetur omnino à ratione abhorrere, propterea quòd nulla maior fides haberi poteſt in philoſophia naturali,

naturali, quàm illa quæ habetur ex ſenſu. Cùm igitur nullis unq̃ ſæculis, neq; in diluuijs, neq; in alijs humani generis, cæterorumq; animantium cladibus atq; internitionibus uiſum fuerit, hominem uel equum ex terra eſſe generatum, planè debet philoſophus naturalis aſſerere, ipſós non poſſe ita generari: quia ſi poſſet ita generari, aliquando hoc uiſum fuiſſet. quod ſi aliquis tamen hoc, cum nunquam fuerit uiſum, aſſerere audeat, eum ſine ratione ac temerè loqui, qui dubitet arbitror eſſe neminem.

Quod deinde addidit Pomponatius, loquens ex ſententia Alberti Magni, beneficio cœleſtium corporum in rebus inanimatis diuerſa ſimulachra figurari poſſe: igitur & in phantaſia, cum maximè receptiua ſit ſimulachrórum, & idonea ad ipſa: hoc nullò modo probandum nobis uidetur, propterea quòd negamus ſimulachra illa figurari in rebus inanimatis beneficio corporum cœleſtium principaliter: nullum enim finem ipſis aſſignare poſſumus. Etenim ita reperiri ex neceſſitate materiæ opus eſt, & ſic temerè fieri: quemadmodum uidemus in nubibus uarias figuras, quæ apparent ex neceſſitate materiæ, & ex diuerſo ſitu ipſius cœli (ſicut ex eis quæ dicta fuere ab Ariſtotele in lib. Meteor. intelligi poteſt. cœlum enim non habet inſtrumentum quo poſſit in aliquo marmore regiam figuram imprimere) & in conchis piſcium figuras multorum ſerpentum: hæc enim eueniunt, quia materia ita fuit affecta. attribuere autem illa cœlo, tam mihi uidetur abſurdum, quàm quod abſurdiſſimum. Quod ſi etiam hoc daretur, quod tamen nullo modo mihi dandum uidetur, non uideo cur ſequatur, cœlum poſſe imprimere in phantaſia ſpecies illas, cum ſint ſpirituales. ſunt enim ſine qualitatibus ſenſibilibus, & non ſunt reales: illa uerò ſimulachra ſunt realia, quia ſunt cum qualitatibus ſenſibilibus: quæ quidem poſſunt facilius à cœlo produci, quàm ſpiritualia. quare reijcienda omnino hac in re nobis uidetur Pomponatij opinio.

Non minus quoq; reſpuenda uidetur eius reſponſio ad rationes & auctoritates dictas, quam in ſecundo lib. ſuæ Apologiæ ſcriptam reliquit. Quare ad omnes illas quas affert opinionis ſuæ confirmationes, una ſit reſponſio: propoſitiones illas eſſe intelligendas ſecundum communem curſum naturæ, & non ſecundum portenta uel monſtruoſitatem: quoniam iſta non ſunt monſtra, cum nullo modo poſſint fieri à cœlo: quoniam cœlum caret huiuſmodi inſtrumento, quo poſſit producere immediatè ſpecies in phantaſia, ſine beneficio ſenſuum exteriorum.

Item, nunquam fuit uiſum nos non procedere ex nobis notis ad nota naturæ, & nobis ignota.

Præterea nunq̃ fuit uiſum, intelligentem phantaſmata non ſpeculari. Præterea nunquam fuit uiſum, fieri uniuerſale in ſcientia, niſi eo modo quo declarauit Ariſtoteles in fine ſecundi Poſt. & primi Meta. 2. Poſt. & 1. Meta.

Item Ariſtoteles in ſecundo Poſt. quærens quomodo fiant in nobis primæ propoſitiones, non fuiſſet coactus dicere ipſas fieri ex ſenſu, cum alia uia poſſent fieri. 2. Poſt. Mirum præterea eſſe uidetur, nunquam Ariſtotelem meminiſſe de iſtis monſtris: ſicut de alijs quæ à natura poſſunt fieri, eum meminiſſe multis in locis compertũ eſt.

Neq; illa uerba quæ affert Pomponatius ex ſexto de Hiſtoria animalium (Vtrũ ita nos exponimus, ut magna ex parte res euenit) ad rem faciũt, de qua agitur: quia eo in loco loquitur Ariſtoteles de tempore quo coëunt piſces, & quo ferunt utero, & quo pariunt. quæ cum explicaſſet, intelligeretq; hæc aliquando non euenire, addidit: ſe ita nunc expoſuiſſe, quia res magna ex parte ſic euenit, non ſemper.

Præterea quid afferre potuit, quod magis oſtenderet, falſam eſſe eius opinionẽ, quàm illa uerba, quibus ut ſuum tertium argumentum in ſecundo Apologiæ libr. diſſolueret, ad hunc modum uſus eſt: Ad tertium dicitur, quòd quamuis loquutio «
latina, uel græca nobis ſit ad placitum, tamen loquutionis græcæ, uel latinæ cogni «
tio Deo & intelligentijs eſt naturalis. naturaliter enim ſecundum modum ei con- «
gruum cognoſcunt omnia hæc inferiora: quandoquidem ſunt cauſæ iſtorum infe- «
riorum, & naturalium, & ad placitum ſecundum intellectum & uoluntatem. Qua- «
re ſtat, quòd iſtæ loquutiones ſignificent nobis ad placitum: & tamen naturaliter fi «
ant à corporibus cœleſtibus, unà cum ſuis intelligentijs: imò principaliter ab ipſis «
intelligentijs. Ad ea autem quæ annectebantur, uidelicet cur Romæ bos ſit loquu- «

» tus latinè, & non græcè, & in iſto tempore, & nõ in illo: curq; magis facta fuerit per
» hunc bouem ꝙ per illum, uel magis per bouem, quàm per aſinũ, cúrue potius huic
» homini quàm alteri. Dicimus hoc prouenire ex prouidentia intelligentiæ, & diſpo
» ſitione paſſi: agunt enim ratione finis, & intendunt bonum, quare diſponunt ſecun-
» dum finis exigentiam.

Etenim ſi cognitio loquutionis græcæ uel latinæ inſit Deo & intelligentijs naturaliter, & faciat ipſam loquutionem græcam & latinam nobis ineſſe naturaliter: igitur fieri non poteſt ut ſignificet nobis ad placitum. quia quod in nobis ineſt naturaliter, non poteſt ineſſe ex conſenſu omnium: quia ſi ineſſet ex conſenſu omnium, non ineſſet naturaliter. Hæc enim conſequentia perſpicua eſt. Præterea ſi Deus & intelligentiæ beneficio corporum cœleſtium naturaliter in aliquo puero nuper nato in Italia imprimerent linguam caldæam, non intelligeretur ab Italis: ergo ipſis non ſignificaret ad placitum. Equidem non uideo quomodo homo iſte, alioquin doctiſſimus, potuerit aſſerere iſtas loquutiones ſignificare nobis ad placitum, & tamen naturaliter fieri à corporibus cœleſtibus unà cum intelligentijs. Miſſum etiam facio, uia naturali demonſtratum fuiſſe, in ſuperioribus Deum & intelligentias nullam harum rerum cognitionem tenere. Quare falſum quoq; erit, ex prouidentia ipſius Dei & ex diſpoſitione paſſi factum eſſe ut Romæ bos loqueretur latinè, & non græcè, & in iſto tẽpore, & non in illo, idq; magis per bouem quàm per aſinum fieret: quia hoc non potuit fieri prouidentia eius, quod nullam eiuſmodi rerum habeat prouidentiam.

Præterea non habent, ut diximus, Deus & intelligentiæ inſtrumentum quo poſſint loquutiones illas imprimere in hominum animis: ergo falſum, & à ratione alienum, quòd imprimant. Id quod antecedit, ex eis quæ dicta ſunt perſpicuè patet. Reſpuenda igitur omnino, ac repudianda eſt iſtius ſententia.

Præterea quid dici potuit quod magis abſurdum ſit, quàm illa quæ dixit homo iſte? Etenim ex eius uerbis apertè ſequitur, caſum & fortunam in rebus non reperiri ex Ariſtotelis ſententia. nam ſi Deus & cæteræ intelligentiæ, ut ipſe aſſerit, beneficio cœli ſua prouidentia producunt omnes effectus in his inferioribus: ergo nihil temerè fiet in iſtis inferioribus. ſed hoc in doctrina Ariſtotelis ita manifeſtè abſurdum eſt, ut nulla oſtenſione indigere uideatur. Quamobrem pergendum eſt ad diſſolutionem quæſtionum propoſitarum, cùm Pomponatius nobis uideatur minimè eas ex ſententia Ariſtotelis & ex philoſophia naturali diſſoluiſſe, ſicut profitebatur ſe uelle diſſoluere.

Ad primum igitur argumentum, cùm dicitur, dari portenta, auguria, uaticinia, oracula, ex ſententia Ariſtotelis, quorum non poteſt reddi cauſa niſi ex cœlo: ergo poſſe cœlum eſſe cauſam illarum rerum, & non habitũ corporis. Negamus id quod antecedit, uidelicet dari illa ex ſententia Ariſtotelis, eò modo quo ipſi loquuntur.

Ad auctoritatem ex tertio lib. de Hiſtoria animalium prolatam, dicimus: Ariſtotelem eo in loco loqui ex ſententia uulgi, ut ipſe teſtatũ reliquit ijs uerbis: Sed hæc oſtentis annumeranda potius ducunt.

Vſus enim eſt uerbo Ducunt, uolens ſignificare ſe id non ſentire, ſed ita uulgò exiſtimari. Quod ſi ex his ipſis aliquando prædictum fuit aliquid futurum quod euenerit, temerè eueniſſe diceret Ariſtoteles: ſicut de oraculis etiam dicemus in eis quæ ſequentur, quod aliqua ſunt ex habitu corporis, aliqua ex deceptione hominum, & aliqua ex dæmone. Et ita de eis augurijs, quæ recitat in nono de Hiſtoria animalium, cap. primo. Diceret enim augures illos temerè & caſu colligere ex diſſidio animalium quæ carniuora ſunt, bella & omnem diſcordiam: ex conſidio autem pacem, omnemq; concordiam: quoniam huiuſmodi diſſidia & conſidia non ſunt cauſæ, neq; effectus bellorum & diſcordiarum, neq; pacis & cõcordiæ. Fieri igitur non poteſt, ut ratione aliqua poſſimus ex illis inferre uel bella, uel pacem. Quod ſi aliquando poſt illorũ animalium diſſidia ſequantur inter homines bella, uel poſt eorum conſidia pax, quin ea caſu ac temerè eueniant, nemo mea quidem ſententia in uia Peripatetica dubitare poteſt. non enim minus accidit diſſidio illorum animalium, uel conſidio, ut ſequatur bellum uel pax, ꝙ accidit illi, qui eſt in balneo ut fiat coruſcatio. Quare ſicut ille qui eſt in balneo, nõ eſt cauſa illius coruſcationis neq; ſignũ: ita cõſidia illa & diſſidia nõ ſunt cauſa, neq; ſignum belli, neq; pacis, ſed acci-

dit

dit ut poſt illa inter homines cõſequatur bellũ uel pax. alioquin ſequeretur, nõ dari 1. de H.
ex Ariſtotelis ſententia caſum neq; fortunam, ut diximus. Quare eodem modo di Anim.
cendum eſt de ſternutamento, de quo meminit in primo de Hiſtoria animalium,
eum dixit ipſum eſſe ſignum augurale ex ſpirituum omnium generibus, ſanctum,
& ſacrum: quoniam loquutus eſt ex uulgata hominum opinione, quæ peruenit e-
tiam uſq; ad tempora noſtra, non quia ſignificet aliquid niſi quòd aperiuntur mea-
tus cerebri & narium, ex quo ſanat cerebrũ, & ita ſignum aliquo modo ſanitatis. ac
ꝑpterea ſternutamẽtũ ex generibus omniũ ſpirituũ, ſanctũ & ſacrũ exiſtimãdũ eſt.

Quod item ſcribit nono de Hiſtó. animalium, cap. 31. Coruos defeciſſe in locis A- 9. Hiſt.
thenarum, Peloponneſiq́;, tempore quo apud Pharſala hoſpites Mediæ perierunt, Anim. 31.
qui uiſi ſunt habere aliquem ſenſum, quo inter ſe rerum euenta ſignificarent: exiſti- "
mandum eſt hoc eueniſſe ob aliquam aliam cauſam, quam ob hanc. "

Etenim uel temerè, uel inopia alimenti in eis locis defecerunt corui, non quia ua
ticinarentur. quòd ſi eo ipſo tempore aliquid accidit illis hoſpitibus, hoc temerè
euenit, & caſu, non ob defectum coruorum. neq; enim defecerunt illi in illis locis
propter Mediæ hoſpites.

Quòd uerò de ueneficijs affertur ex ſecundo de Hiſto. animalium, ubi meminit 2. de Hiſt.
de remora piſce: diximus, ipſum eo in loco oſtendiſſe, ſe loqui ex uulgata hominum Anim. 14.
opinione, non quod ita ipſe ſenſerit, cum hæc protulit uerba: Vtilis ad iudiciorum "
cauſas, ad amatoria ueneficia, ut aliqui uolũt. neq; enim remora piſcis eſt cauſa, neq;
ſignum amoris illius. Concederet tamen Ariſtoteles, poſſe fieri ueneficia: quia con-
cederet, etiam homines poſſe necari ueneno: negaret autem, poſſe ex his quenq; in
amorem compelli.

Quod ſi aliquando poſt huiuſmodi ueneficia aliqui uiſi ſunt in amorem impelli,
exiſtimaret hoc euenire ob aliam cauſam: multæ enim poſſunt eſſe amoris cauſæ,
ut notiſſimum eſt illis qui in huiuſmodi amoribus quotidie uerſantur.

Ex uulgata item hominum opinione ſe loquutum eſſe in nono de Hiſt. anima- 9. de Hiſt.
lium de grege, ſatis clarè mihi uidetur oſtendere, cũ ait: rem maleficam ei tribuiſſe, Anim. 17.
qui rerum callent cognitionem. ".

Ad id uerò, quod ſanè omnium maximè urgere uidetur, uidelicet aliquos qui lin
guæ latinæ & græcæ ignari eſſent, loquutos tamen fuiſſe & latinè & græcè: & ali-
quos pueros ſtatim natos loquutos eſſe, & prædixiſſe futura aliqua quæ poſtea eue
nerunt, ut ille puer de quo narrat Halij ebenragel: ad id inquam reſpondens Ari-
ſtoteles ex fundamentis naturæ, diceret ſe cogi negare, aliquem ſiue hominem ſiue
puerũ potuiſſe loqui ea lingua quam nõ nouiſſet, quia nõ potuit habere ſpecies ſibi
naturaliter inſitas: neq; fieri potuit ut eas à cœlo conſequeretur, ob eas cauſas quas
in ſuperioribus commemorauimus: etenim cœlum eſt agens uniuerſale, eiusq; in-
ſtrumenta ſunt motus & lumen, ex quibus imagines rerũ proficiſci nequeunt: neq;
unquam compertum eſt, è cœlo ipſas in animo cuiuſq; fuiſſe productas. Quod ſi
cõtrà afferretur multorum teſtimonium, qui dicerent ſe audiſſe aliquos loqui ijs lin
guis quorum notum erat nullam eos cognitionem unquàm fuiſſe conſequutos: di-
ceret Ariſtoteles iſtos deceptos fuiſſe, putantes eos omnino eſſe ignaros illarum
linguarũ quibus loquerentur, cum tamen non eſſent penitus ignari, ſed ea quæ di-
cerent, loqui didiciſſent ijs qui audierunt inſcientibus. ſic fieri deceptiones, quibus
quotidie (ut diximus in ſuperioribus) facile capiuntur homines, eamq; opinionem
qua ſemel imbuti ſunt ita mordicus tenent, ut uitam malint quàm ipſam relinquere:
huiusq; rei hoc ſignum daret Ariſtoteles, quod illi qui ſic loquuntur, paucis uerbis
loquuntur: quod non facerent, ſi à cœlo has cognitiones haberent.

Eodemq; modo de pueris nuper natis, qui loquuti fuiſſent, dicendum putaret.

Teſtimonio autem ipſius Halij fidem habendam negaret: quoniam fieri non po
tuerit, ut ille puer ſtatim natus eo modo loqueretur, ſicut narrat Halij. Diceretq; eũ
hoc finxiſſe, quo maior fides haberetur Aſtrologiæ, quam ipſe facultatem profite-
batur. Neq; mirum, cum temporibus etiam noſtris inueniantur multi, qui ut ſuas fa
cultates tueantur, ijsq; fidem & auctoritatem pariant, ea mendacia non dubitant aſ-
ſerere, quæ ne pueri quidem dicerent: tanta eſt hominum improbitas, tanta cupi-
ditas, & ignoratio. Negaret igitur Ariſtoteles hæc omnia, ex eis fundamentis quæ

ſupra poſita ſunt. ac præter illa fundamenta hoc quoq; uidetur ipſe innuere in ſectione undecima Problem. Prob. 27. quod quidem Problema totidem uerbis in medium afferemus, ut lectores ſine ullo labore habeant ante oculos uerba illa, ex quibus ſtatim poſſint ueritatem cognoſcere.

Probl. ſect. 11 Problem. 27.

» Cur pueri nonnulli, anteq; ætas ueniat qua uocabula ſuo tempore explanare
» poſſint, fari incipiant: & ubi aliquid expreſſe dixerint, rurſus obmuteſcant, atq; ut
» prius degant, quouſq; ſolitum tempus loquendi accedat. quæ quidem à pleriſq;
» portenta eſſe putantur. Iam aliquos etiam ſtatim cùm in lucem uenerunt, loquutos
» eſſe proditum eſt. An magna quidem ex parte ſecundum naturam homines prode
» unt: Itaq; illud paucis accidit: ſed naturæ ratione ſimul hæc contingere, ac perfici ſo
» lent. Quamobrem ſimul & audiunt, & uocem emittunt: ſimul & intelligunt faculta
» te audiendi, & loquuntur, & explicant. euenit tamen interdum ut hæc ſimul contin
» gant. Sed ut alij prius intelligant, q̃ membrum id abſoluatur quo loqui poſſumus:
» alij contrà, qui ſcilicet quæ loquuntur, intelligere nequeant. Quæ enim audierint, ſi
» mulatè eadem reddunt. Sed cum tempus affuerit, utroq; iam munere naturæ fungi
» incipiant. Quibus autem prius ſenſa auditus in animo ualeant, quàm membrum id
» abſoluatur, quo primo uocem mouemus, orationemq; condimus, ijs nõnunquam
» ubi iam multa intellexerint, facultas quoq; membri illius, & abſolutio properè con
» tingit, maximè quidem à ſomno. cuius rei cauſa eſt, quòd ſomnus data requie, tum
» corpora tota, tum membra ſingula facit ſegniora. ſed fieri, ut uel ob aliam huiuſce-
» modi mutationem idem eueniant: complura autem ſunt quæ ut efficere ualeamus,
» breuiſſimi temporis adiumento opus eſt, & tamen eadem poſtmodum æquè agere
» nequaquam poſſimus. Quotiens itaq; membrum illud ita ſe habet, ut liberum abſo
» lutumq; ſit, efficitur ut quod per auditum intelligentiam mouet, idem cum pendet
» fluitatq; in ſenſu remeat, uerbumq; reddat. Hinc nobis & carmina & uocabula ſæ-
» penumero non ex uoluntate occurrunt: & quæ prius uoluntate petita diximus, ea-
» dẽ poſtea non uoluntariè dicimus. hinc etiã ſæpe quę nouimus, explicare non qui-
» mus. Ita fieri poteſt, ut pueri aliquid dicant, rurſusq; membrum cui fandi data pote-
» ſtas eſt, redeat ad ſuam naturam, ac obmuteſcat, dum tempus corroborandi, abſol-
» uendiq; ultimum ueniat.

Ex quibus perſpicuum eſt Ariſtotelem ſentire, eos pueros qui loquuntur antequam ætas uenerit, loqui ea quæ audierunt. Patet etiam, eius tempore narratum fuiſſe quoſdam pueros, cum ſtatim in lucem ueniſſent, loquutos eſſe. Etenim inquit,
» Iam aliquos cum ſtatim in lucem uenerunt loquutos eſſe proditum eſt. & tamẽ nullam huius rei rationem reddidit. Quod quidem mihi uidetur eſſe ſignum maximũ, eum ſenſiſſe hæc eſſe mendacia. etenim ſi uera putaſſet, conatus fuiſſet aliquas reddere huius rei cauſas: alioquin mancus & mutilatus extitiſſet.

Non erat etiam hoc ab ipſo negligendum, propterea quòd ſi fuiſſet uerum, euertebantur fundamenta naturalia. non igitur exiſtimandum eſt, tantum philoſophũ hanc rem, quam ad aures ſuas perueniſſe ipſe teſtatum reliquit, & quæ erat in philoſophia tanti mouenti, ſilentio prætermiſiſſe, ſi putaſſet eam eſſe ueram. quam cum omiſerit, in dubium uenire non poteſt quin exiſtimauerit falſam eſſe atq; cõfictam. Ita poterimus etiam nos dicere, ipſum Halij falſa narraſſe de puero illo regis, ob eã cauſam, quam diximus.

Quod ſi aliquis fidẽ feciſſet Ariſtoteli, homines quoſdam linguæ latinæ & græcę prorſus ignaros & pueros, etiam ſtatim natos, loquutos eſſe latinè & græcè, ſicut tempore Chriſti ſeruatoris noſtri uerè contigiſſe compertum eſt (ſicut etiam temporibus noſtris multi, & illi quidem fide digni aſſeruerunt) non confugiſſet ille ad cauſas naturales, ſicut fecit Pomponatius, quoniam hæ non poſſunt horum effectuum rationem reddere: ſed ad cauſas quæ excedunt uires cauſarum naturalium. & aſſeruiſſet, dari aliquas cauſas, quæ naturalibus cauſis & uirtute & præſtantia maximè excellerent. Quare nos qui ſanctiſſimam Chriſti ſeruatoris noſtri religionem ſequimur, dicimus, eos effectus quos commemorauimus, nõ poſſe redigi ad cauſas naturales: ſed redigendos eſſe ad Deũ opt. max. uel ad eius miniſtros bonos aut malos, quibus data eſt ab ipſo Deo poteſtas efficiendi maiora etiam quàm ſint illa quę expoſuimus. Modũ aũt quo Deus opt. max. uel eius miniſtri hos effectus produ-

cunt

cunt in his inferioribus, fatemur nos ignorare, propterea quòd illud præſtantiſſimũ numen noluit nobis omnia aperire.

Verum Ariſtoteles non confugit ad Deum opt. max. uel ad eius miniſtros, propterea quòd qui latinè loqui dicebantur ipſius tempore, uel græcè, cùm eſſent ignari illarum linguarũ, eos ipſe non credebat uerè ita eſſe loquutos, ſed exiſtimabat has eſſe deceptiones: ſicut temporibus etiã noſtris multi in eiuſmodi rebus fuerunt decepti, & quotidie decipiuntur. Quòd ſi ille uidiſſet ea quæ nos Chriſtiani uidimus, & audiſſet quæ aſſeruit ipſemet Chriſtus Dei filius, ſine dubio ad cauſas aliquas ſupra naturæ ordinẽ poſitas confugiſſet. Quare improbandus eſt omnino Pomponatius, qui ad cauſas naturales eos retulit effectus, quos narrauimus: quos quidem nullo modo ab illis proficiſci potuiſſe conſtat.

Quod uerò afferebatur ex Alberto, de duobus pueris, quorum alteri ad ſiniſtrũ latus oſtia aperiebantur, alteri aũt ad dextrum: rideret hæc Ariſtoteles, diceretq; Albertũ narrare ſomnia: & qui dixerunt hæc ſe uidiſſe, eos quoq; fuiſſe deceptos. & ita nihili faceret Alberti auctoritatem, præſertim cùm is ſit, qui ſuo tempore unus uiderit plura in rebus naturalibus miracula, quàm cæteri omnes à principio mundi uſq; ad hoc tempus. Quæ quidem cùm rationi conſentire non uideantur, rationi cõſentaneum eſt, ut opinemur eum ſibi finxiſſe illa quæ narrat ſe uidiſſe, præſertim cùm ſint præter naturæ ordinem: ipſe autem ea non referat ad cauſas ſupra naturam. in quo ſanè eo magis uidetur eſſe reprehendendus, cum eſſet ex eis qui Chriſti ſanctiſſimam religionem ſectantur. nam fas erat, ſi intelligeret ſe non decipi, neq; ea fieri aliquo humano artificio, ut ſæpe accidit, fas inquam erat ut ad cauſas ſupra naturæ ordinem conſtitutas confugeret: à naturalibus enim cauſis nullo modo poſſe eiuſmodi effectus proficiſci, ex eis quæ dicta ſunt, neminem qui ſit mentis compos, & in philoſophia naturali aliquantum uerſatus, latere arbitror. Quare cùm Pomponatius fidem omnibus iſtis miraculis habuerit, neq; ea ad cauſas ſupra ordinem naturæ conſtitutas: ſed ad naturales retulerit, ut in maximo errore uerſetur neceſſe eſt: quippe cum huiuſmodi cauſæ non ſint eius uirtutis ut poſſint hos effectus producere. Nihil ergo contra nos ſequitur ex ijs quæ dixit Albertus Magnus.

Idem reſponderet Ariſtoteles de Marſis, quos nos dicimus habere gratiam ſancti Pauli. diceret enim eos uel decipere homines, qui facillimè ſe decipi patiuntur ut diximus, & in ſuis deceptionibus diu perſeuerant: uel ſi omnino non decipiunt, producere effectus illos aliqua naturali cauſa, quã nobis occultãt. aciem enim oculorũ imperitis hominibus uſq; adeò perſtringunt, ut ijs uideaẽ unũ eſſe duo, & duo unũ, & alba nigra: & quæ mouentur quieſcere: & quæ quieſcunt moueri. Quare fieri nõ poteſt ut certi aliquid ſtatuamus ex eis quæ quidẽ homines ſe uidiſſe teſtantur, propterea quòd facillimũ eſt ipſos fuiſſe deceptos. maior enim pars hominũ non conſiderat res ea ingenij acie, qua ſunt conſiderandæ. Quare facile eſt eos decipi, ut diximus. Itaq; putandum eſt, Ariſtotelem non crediddiſſe eiuſmodi effectus, qui ſuo tempore narrarentur, eſſe ueros: propterea q; ſi eis fidem habuiſſet, cũ non poſſent referri ad cauſas ſecundũ naturæ ordinem cõſtitutas, poſuiſſet alias cauſas, ſicut nos ponimus. Neq; hoc mirum uideri debet. etenim hoc ei potuit accidere, ut tẽpore ſuo eiuſmodi effectus ueros non uiderit: quoniam temporibus etiã noſtris, nos qui fidẽ maximã habemus eis qui gratiã ſancti Pauli habere exiſtimantur, à multis qui uerẽ ipſam non habent deciperemur, niſi diligentiã & curã adhiberemus. ſicut multos imperitos homines ab iſtis ipſis circunforaneis, falſis ſuis artibus decipi, quotidie uidemus. non opus igitur eſt, ob hos effectus ad cœlum confugere.

De regibus autem Gallorũ, qui ſanant id morbi genus quod Itali ſcrophulas uocant, diceret Ariſtoteles, hoc euenire ex opinione hominũ, nõ ex rei ueritate: quoniam eiuſmodi effectus non poteſt redigi ad cauſam naturalem. neq; enim poteſt dici, proficiſci ex proprietare alicuius indiuidui: quia hoc aſſerũt fieri ab omnibus qui ſunt reges Galliæ, quatenus ſunt reges Galliæ. Quòd aũt iſti effectus eueniãt ex opinione hominũ, nõ ex ipſa rei ueritate, illud argumẽto eſt, quòd ex decẽ millibus qui tanguntur his regib. decẽ non ſananẽ: quos ipſos ſanari putandũ eſt ex diſpoſitione paſſi, potius q; ex alia cauſa, quòd ſcilicet ex eo tempore ſic illi diſpoſiti ſunt, atq; affecti, ut facile adiuuante phantaſia, (quã mirum in modum in morbis ſanandis ua-

lere aſſerunt medici) nō ſine ratione ſanari poſsint. pauci ergo ſunt qui uerè ſanentur, & fortaſſe nulli: ex his tamen paucis colligunt omnes ſanari, ut ſolet colligere uulgus nō ſolum ex rebus ueris, ſed etiam ex apparentibus & non ueris. etenim ex parua ſimilitudine, ob cauſas in ſuperioribus expoſitas, maiori ex parte decipiuntur homines, & ij maximè qui ſunt ex multis. Quare ſi huiuſmodi effectus uerè proficiſcerentur à regibus Galliæ: quatenus ſunt Galliæ reges, neceſſe eſſet ut illi hanc uirtutem conſequuti eſſent ab aliqua cauſa. ex natura enim ipſa, quatenus homines ſunt, nam ineſt ipſis huiuſmodi uirtus. ſed cùm huius uirtutis cauſa non poſſit eſſe natura, ſi rectè ea quæ dicta ſunt conſiderentur: neceſſitas cogit ut ſit cauſa, quæ excellentia & præſtantia cauſas naturales antecedat. Et cùm iſta cauſa nō poſſit eſſe niſi Deus, uel eius miniſtri, planè ſequitur, hanc uirtutem proficiſci ab ipſo Deo, ſine beneficio alicuius rei, uel ab eius miniſtris. Quare ſi Ariſtoteles uidiſſet hos reges ſanare huiuſmodi morbos (ut multi, & illi quidem fide digni, ſe uidiſſe teſtati ſunt) cùm nón poſſet hanc uirtutem attribuere cauſis naturalibus, (nam cauſæ naturales non poſſunt regibus Galliæ, quatenus tales ſunt, hanc uirtutem tribuere: non enim eos cognoſcunt, neq; habent inſtrumentum, quo hanc ipſam uirtutem illis conferant) ipſi Deo, uel eius miniſtris, qui ſine beneficio alicuius inſtrumenti agunt, ſine dubio attribueret. Quod cùm non fecerit Pomponatius, quin à ſententia Ariſtotelis receſſerit, iure negare non poſſumus. Sed quia multi decipiuntur in hac re, Ariſtoteles negaret hoc fieri, totumq; attribueret opinioni uulgi: quo nihil facilius poteſt decipi, ob eas quas recitauimus cauſas. multitudo enim ignara & imperita eſt, & omnia afferunt ei admirationem: quare faciſlime decipitur.

Quod uerò Plinius refert de Xantho hiſtoriarum auctore, reſponderet Ariſtoteles, Xanthum deceptum fuiſſe, qui crederet catulum illum eſſe mortuum, cùm tamen non eſſet mortuus: quia ſi fuiſſet mortuus, non potuiſſet ad uitam reuocari beneficio illius herbæ, quam balim nominat.

Eundem diceret deceptum, cùm crederet Tillonem à dracone occiſum fuiſſe, quem aſſerit eadem herba, ſaluti eſſe reſtitutum: eum enim illi uiſum eſſe mortuum, cùm reipſa non eſſet mortuus. ſicut accidiſſe compertum eſt nonnullis qui mortui ſunt exiſtimati, & tamen ſine beneficio alicuius herbæ reuixerunt.

Idem ſentiret de homine illo, quem idem auctor tradit, in Arabia eſſe ad uitam reuocatum iuba herba. negaret enim illum uerè fuiſſe mortuum: rationemq; huius reſponſionis redderet, quia herba illa non poteſt habere talem uirtutem, ut faciat corruptum reuerti. Nam ſecundo de Generatione & corruptione, tex. ultimo hæc ſcripta reliquit: Principium autem intentionis rurſus hoc, utrum ſimiliter omnia iterantur, aut non: ſed hoc quidem numero, hoc aūt ſpecie ſolum: quorum quidem incorruptibilis ſubſtantia mota, manifeſtum quod eodem numero erunt. motus enim ſe-

2. de Gene. & corrup. tex. ultimo

» quitur, quod mouetur. quorum autem non, ſed corruptibilis, neceſſe ſpecie, nume-
» ro aūt non reirerari. Ideo aqua ex aëre, & aër ex aqua ſpecie idem, non aūt numero.
» Si aūt & hæc eadem numero, ſed non quorum ſubſtantia generatur, exiſtens tali,
» quale contingit non eſſe. Cùm igitur talia ſint animalium corpora, ut eorum ſubſtantia ſit ſaltē ex aliqua parte corruptibilis, fieri nequit ut reuertanr eadē numero.

Quare ex ſententia Ariſtotelis, alterutrū euenire neceſſe eſt. uel enim Xanthus ille falſum prodidit, ut ſolent multi ex eis qui hiſtorias conſcribunt, ſicut diximus in ſuperioribus: uel deceptus fuit credens eos homines eſſe mortuos, cùm tamen mortui non eſſent. Fieri tamen potuit ut præ magnitudine doloris perinde afficerentur atq; illi qui cadunt in ſyncopim, ita ut mortui uiderentur, et beneficio illarum herbarum amiſſas animi uires recuperarent. habent enim herbæ multas uirtutes, præſertim ſanandi, quas nō habent ſolum beneficio ipſius cœli, ſed maximè ex uirtute ſui temperamenti. Etenim inquit Ariſtoteles quarto de Generatione animalium cap. tertio: Valet autem ſemper in generando magis, quod proprium & particulare eſt. Cauſa enim particularis plus ualet ad effectus particulares producendos, & ſibi aſſimilandos, quàm cauſa uniuerſalis: licet principalius cauſa uniuerſalis concurrat. Quare magis etiam unuſquiſq; effectus attribuendus eſt cauſæ propriæ, quam uniuerſali: aliter enim omnia eſſent eandem conſequuta uirtutem: quandoquidem

4. de Gene. animal. capit. 3.

cau-

cauſa uniuerſalis eſt communis omnibus. quamobrē quin ea quæ dicit Xanthus de mortuis illis ad uitam reuocatis, philoſophiæ naturali repugnent, dubitare nō poſſumus. corruptū enim nō poteſt idem numero reuerti naturaliter, quia corruptum eſt, & non amplius eſt: alioquin ſequeretur, à priuatione ad habitum fieri poſſe mutationem. quod quidem à ueritate abhorrere, oſtendit Ariſtoteles in Poſtprædicamentis, ijs planè uerbis: *in Poſtprædicament. c.* Verùm in priuatione & habitu impoſſibile eſt mutationem inter ſe fieri, ſed ex habitu in priuationem fit mutatio: à priuatione uerò in habitum impoſſibile eſt. neq; enim cæcus factus, rurſus uidit: neq; cùm eſſet caluus, rurſus comatus eſt factus: neq; cùm eſſet ſine dentibus, dentes iterum orti ſunt. Conſequentia autē perſpicua eſt, propterea quòd, ſi fieri poteſt ut mortui uia naturali reuiuiſcant, cùm ſint uita priuati, neceſſitas cogit ut uia naturalis à priuatione ad habitum ſit regreſſus. Quare reſpuenda ſunt, atque omnino reijcienda quæ ſcribit Xanthus. Ita diceret Ariſtoteles, uia naturali: qui tamen ſi cognouiſſet uerè mortuos reuixiſſe, & uerè cæcos uidiſſe, ſicut nos qui Chriſti ſeruatoris noſtri religionem ſectamur cognouimus, dubitādum non eſt quin aſſeruiſſet, dari aliquā cauſam ſupra naturā agentem, & ſine beneficio alicuius producentē eos effectus, quos cauſæ naturales non poſſunt producere. Verùm ſi aliqua herba poſſet homines reuocare ex mortuis in uitā beneficio ipſius cœli: dubium nō eſſet quin quod eſſet corruptum, poſſet idē numero reuerti naturaliter, & quin cęcus poſſet uidere: & ita perperā aſſeruiſſet Ariſtoteles ea quæ diximus, ex naturæ ordine loquens. Quare cùm nobis qui Chriſti religionem ſequimur, omnino compertum ſit atq; exploratū, mortuos ad uitā fuiſſe reuocatos, & cæcos uidiſſe, multaq; eiuſmodi alia miracula edita fuiſſe: eſt quòd Deo opt. max. gratias immortales agamus, qui his miraculis nobis admirabilis numinis ſui uim atq; poteſtatem patefecit, noſq; ex maximis tenebris in clariſſimam lucem traduxit: quæ miracula ſi cognouiſſet Ariſtoteles, ut diximus, nemini dubium eſſe debet, quin ea credidiſſet, ſicut & nos credimus. Sed quia hæc miracula non uidit, & ratio naturalis ipſis repugnabat, nemini mirum eſſe debet ſi uia naturali protulerit propoſitiones illas uniuerſales, mortuos ſcilicet non poſſe ad uitam reuocari, & cæcos non poſſe uidere: quia reipſa ita eſt, etenim ratione naturali hæc fieri non poſſunt, quicquid dicat Pomponatius.

Ad id uerò quod affertur de bobus qui loquuti ſunt uoce humana, ut tradit Valerius Maximus, Liuius & Plutarchus: reſpondet Ariſtoteles, ſomnia hæc fuiſſe, neque potuiſſe fieri ex cauſis naturalibus, illoſq; ſcripſiſſe quę audiſſēt à uulgo. Quod ſi ipſi aſſererent ſe audiſſe illos boues loquentes: diceret Ariſtoteles, eos deceptos fuiſſe, & falſa memoriæ prodidiſſe, ſicut multi faciunt qui hiſtorias ſcribūt, & nos in ſuperioribus poſuimus. Quis enim negare audeat, libros iſtorum plenos eſſe mendacijs, ob eas quas commemorauimus cauſas? certè nemo negabit, qui in eorum lectione uerſatus fuerit. ſunt enim referti rebus inter ſe pugnantibus. Et temporibus etiam noſtris pro certo compertum eſt, hiſtoricos multos falſa ſcripſiſſe. Quare ſine errore uidetur Ariſtoteles poſſe negare illa quæ traduntur ab iſtis hiſtoriarum auctoribus, quando repugnāt naturæ principijs. Quod ſi uerè cognouiſſet eos boues uoce humana eſſe loquutos, nihil eſt quod dubitemus, quin cauſam eiuſmodi effectus retuliſſet non ad cauſas naturales quæ agunt neceſſariò, & nō maiori ex parte producunt ſuos effectus (alioquin ſententiam ſuam euertiſſet) ſed in cauſas agentes ex uoluntate, & liberè, & ſupra naturam, & ſine beneficio alicuius inſtrumenti. etenim cauſæ cuiuſmodi eſt cœlum, darent omnibus, & non uni magis quàm alteri, & haberent inſtrumentum idoneum ad hoc agendum: quod non uidetur. Sed non credendū eſſe omnibus ijs quæ referuntur ab hominibus, neq; uera eſſe omnia quæ uidentur, indicauit Ariſtoteles ijs uerbis quæ citauimus in ſuperioribus ob aliam occaſionem: Iam puerum ortum capite arietis aut bouis referunt, idemq; in cæteris membrū nominant animalis diuerſi uitulū capite pueri, & ouē capite bouis natam aſſeruerant: quæ omnia accidunt quidē cauſis ſupradictis. ſed nihil ex ijs quæ nominant, quamuis ſimilitudo quædam generatur, quod euenit etiam non in monſtrum peruerſis. Quamobrem ſæpenumero per conuicium nonnulli deformes aſſimilantur aut capræ ignem efflanti, aut arieti peculeo. Phyſiognomon quidam omnes ad duorum, uel trium animalium formas redigebat, et dicendo plerunq; perſuadebat. *4. de Gen. anim. ca. 3.*

quo lauante in balneo corruſcaret. Illa enim fiunt ex neceſſitate materiæ, & nihil eſt ipſis cum imperatoribus & regibus. Diceret etiam Ariſtoteles multas ſæpe cometas apparuiſſe, & multa ſigna in cœlo uiſa fuiſſe ſine morte uel ortu imperatorum & regum: ſed quia aliquãdo accidit ut poſt cometas interierint imperatores & reges, homines ignari rerum naturalium, putauerunt eſſe factas à cœlo, ut hæc significarent. & hoc euenit, quia ipſi ignorant cœlum non maiorẽ curã gerere imperatorum & regum, quàm lapidum & plantarum, & uermium, & alterius cuiuslibet rei quæ eſt ſub ipſo. Loquimur autem ex fundamentis naturæ. etenim cœlum eſt cauſa uniuerſalis, quæ beneficio motus & luminis, omnia quæ ſunt in hoc mundo nullo diſcrimine alterat & uegetat, nullam ipſarum rerum cognitionem habens. Etenim ſi cometę ſunt exhalationes quæ lumine ſolis eleuantur è terra, quare uel int ipſas indicare interitus imperatorum & regum, non uideo. cœlum enim non ex fundamentis naturæ continuè fertur circa terram, deferens ſolem, cuius beneficio omnia inferiora æqualiter gubernat & regit: quia omnia recipiunt uirtutem ex ipſo, quatenus natura ipſarum rerũ eſt receptiua talis uirtutis, non cognoſcens ea quibus uirtutem ſuam largitur.

Diceret etiam Ariſtoteles, ſæpenumerò imperatores & reges eſſe mortuos, & euerſa eſſe regna, & tamen non apparuiſſe cometas in ipſorum regionibus: ſicut hoc anno, qui eſt milleſimus quinquageſimus octauus, mortuus eſt in Hiſpania Carolus v. Imperator, ex illuſtriſſima Auſtriæ familia, uir geſtarum rerum gloria clariſſimus: & mortuæ ſunt Maria & Leonora, eius ſorores, quarum una fuit regina Panno-niæ, altera Galliæ: mortua eſt item Catherina Anglorum regina, optima & ſanctiſſima fœmina (cuius quidem morte quantum damnum fecerit illis in locis Chriſtiana religio, declarant quæ poſtea conſequuta ſunt) & tamen nulla cometa apparuit, neque in Hiſpania, neque in Anglia, ut referunt qui in illis regionibus hoc anno fuerunt.

Diceret item Ariſtoteles multos imperatores & reges eſſe natos, nullis in cœlo ſignis apparentibus. Quare concludendum eſt, quicquid ex his ſignis prædicitur, id temere fieri.

Neque experientiam contra nos poſſunt afferre, quia contrarium maiori ex parte accidit: non eſt enim annus, nec fortaſſe menſis, in quo non naſcatur in orbe Chriſtiano aliquis magnus uir, & tamen nulla circumſpiciuntur in cœlo ſigna eorum ortus.

Idem diceret Ariſtoteles de uocibus quæ auditæ ſunt in aëre, uidelicet eſſe hominum figmenta, uulgus decipere uolentium, uel eorum qui decepti ſunt ipſi ex ſimilitudine uocũ. Et ita de imaginibus uarijs & hominũ & aliorum animaliũ, apparẽtibus in aëre: etenim diceret illud idem accidiſſe iſtis, ſicut accidit illis qui retulerunt puerum eſſe natum capite arietis, aut bouis, & uitulum capite pueri: qui decepti fuerunt ex ſimilitudine quadam, non quod re ipſa ita eſſet. Imò facilius eſt ex ſimilitudine decipi ab ijs quæ apparent in aëre: quia quotidie uidemus ex uario nubium ſitu, modò apparere unam figuram, modò aliam, non ſolum beneficio ipſius cœli, ſed ex uaria materiæ nubium diſpoſitione, quatenus in uarijs ſitibus ſunt collocatæ: quæ collocatio nubiũ in aëre non fit à cœlo, ſed temerè. Quare negaret Ariſtoteles uoces illas uerè auditas fuiſſe in aëre: ſed talem ſonum fortaſſe ibi auditum eſſe, quẽ homines ignari rerum naturalium exiſtimauerunt uocẽ eſſe, uel quoſdam homines finxiſſe ſe audiſſe eiuſmodi uoces, gratia alicuius ſui commodi, uel propter alias cauſas quibus ſolent homines commoueri: & diceret Ariſtoteles, uarias illas imagines ita uideri ex uaria materiæ nubium diſpoſitione.

Ad Plutarchum uerò, narrantem de haſtis illis quæ ignem emiſerunt, reſponderet Ariſtoteles falſum eſſe haſtas illas potuiſſe ex ſe ignem emittere: uel hoc fuiſſe figmentum aliquorum, ut dictum eſt de multis alijs: & ita non eſſe neceſſe referre hoc ad cœlum.

Concederet Ariſtoteles, ſedente ſenatu in tẽplo Bellonæ, & ſuper ijs rebus operam uatibus dante, fieri potuiſſe ut paſſer inſpectantibus cunctis inuolaret ore cicadam gerens, eiusq; partem eiectam relinqueret, partem retinens abſcinderet: & au

gures

gures coniectaſſe, ſeditionem agreſtium aduerſus urbanam & forenſem multitudinem futuram, atq; ita eueniſſe. ſed negaret illius ſeditionis ſignum, cauſam ue fuiſſe illum paſſerem, & illam cicadam. Quod ſi ita euenerit, diceret Ariſtoteles hoc eueniſſe temerè, & ex accidenti, non ex aliqua ratione: propterea quod ille paſſer nullam habet conuenientiam neque cauſæ, neque ſigni, cum ſeditione agreſtium & urbanorum, quòd tamen eſſet neceſſarium ut ſignificaret ſeditionem illam futuram. Idem igitur neceſſariò dicendum eſt de iſto paſſere, quod dixit Ariſtoteles in libro de Diuinatione per ſomnium, de ſomnijs, quo in loco hæc ſcripta reliquit:

lib. de Diuinatio. pro Somn. Neceſſe eſt igitur, ſomnia uel cauſas eſſe, uel ſigna, eorum quæ fiunt, aut accidentia, uel omnia, uel alqua eorum, uel unũ ſolum. Dico aũt cauſam, ut lunam defectus ſolis, & laborem febris: ſignum uerò defectus lunam ſubintrare, aſperitatem uerò linguę febriendi: accidens uerò, ambulãte aliquo deficere ſolem. neq; enim ſignũ deficiendi hoc eſt, neq; cauſa, neq; defectus ambulandi. Ideo accidentium nullum neq; ſemper fit, neq; ut multum.

Etenim cùm paſſer ille non fuerit cauſa, neq; ſignũ illius ſeditionis, neceſſitas cogit ut illa ſeditio acciderit illi paſſeri. quod cùm detur, in dubium uenire non poteſt, quin euenerit temerè, ſicut accidit temerè, ut aliquo deambulante ſol deficiat. deambulare enim non eſt neq; ſignum neq; cauſa ſolis defectus, neque defectus ſolis eſt cauſa uel ſignum deambulationis. quare ſi uates illi ex illo paſſere prædixerunt ſeditionem illam, à caſu prædixiſſe diceret Ariſtoteles, & ſic iſte paſſer diceretur cauſa, uel ſignum illius ſeditionis ex accidenti: ex quo accidenti nihil certi poſſumus concludere. non enim erit ex cœlo. Quare uel neceſſe eſt euertere ſententiam Ariſtotelis prolatam de diuinatione per ſomnium: uel aſſerere idem de alijs, quæ non ſunt neq; ſigna, neq; cauſæ illorum quæ prædicuntur, ſed ſunt accidentia, eadem enim eſt omnino ratio: alioquin quodlibet poſſet dici cauſa & ſignum cuiuslibet. quod quidem ita abſurdum eſt, quàm quod abſurdiſſimum. nullam enim maiorem conuenientiam ſigni & cauſæ habet paſſer ille ore tenens cicadam, cum ſeditione agreſtium & urbanorum, quàm habeat quodlibet cum quolibet. & hoc mea quidẽ ſententia perſpicuum eſt.

Ad Albertum autem, dicẽtem, ſi uirga lupi, in alicuius nomine uiri uel mulieris, ligetur, illum uirũ non poſſe coire, donec nodus ille ſolutus fuerit: reſponderet Ariſtoteles, hoc eſſe aliud figmentum ipſius Alberti, propterea quòd (ex fundamentis naturæ loquendo) hoc fieri non poteſt. Etenim neceſſe eſt omne mouens tangere id quod mouetur. Fieri enim non poteſt, inquit Ariſtoteles, ut moueat quod non tangit: & ut ab eo quod non mouet, aliquid efficiatur.

Et propter iſtam cauſam dixit etiam in primo Meteor. loco in ſuperioribus ob aliam occaſionem citato: Neceſſe eſſe hunc mundum inferiorem ſuperiobus lationibus eſſe contiguum, ut omnis inde uirtus gubernetur. quia ſi elementum ignis non tangeret cœlum, non poſſet mouere elementa cœlum. neceſſe ergo eſt, omne mouens tangere id quod mouetur.

¶ In uacuo item non eſt actio. ſed qui ligat uirgam lupi in nomine alicuius, non tangit ipſum, ergo non poteſt ipſum mouere, neque aliquo modo afficere: ergo non poterit prohibere ut non coeat, niſi diſſoluatur. nihil enim cũ coitu habet commune illud uinculum uirgæ lupi, ſed eſt ſomnium & figmentum hominum alios decipere uolentium. quod ſi aliquando hoc accidere uideatur, erit potius ex uehementi phantaſia, quàm ex rei ueritate. Quod ſi hoc tamen uerum eſſe conſpiceretur, non ad cœlum (ſicut facit Pomponatius) ſed ad ueriores cauſas confugeret Ariſtoteles, ſicut in alijs ſuprà diximus. Quare nihil quod ſententiæ noſtræ repugnet, attulit Albertus: quia hoc non fieret ex cœlo. Abeat igitur cum ſuis miraculis naturalibus Albertus. Nos enim, qui Ieſu Chriſti ſeruatoris noſtri religionem ſectamur, non concedimus miracula fieri poſſe ex cauſis naturalibus, ſed ex cauſis ſupra ordinem naturæ conſtitutis: idq; ex uoluntate Dei optimi maximi, qui miracula edit quum placet, ſine beneficio cœli, & aliarum particularium.

Diceret item Ariſtoteles de annulo impreſſo charactere Iouis, uel alicuius idoli, depellente febrem ab aliquo, eſſe figmentum. Quòd ſi alicui hoc uiſum

ſum eſt accidiſſe, à caſu fuiſſe, uel uehementi phantaſia ægrotantis, quæ ſæpe ſolet eſſe cauſa ſanitatis alicuius, non ex cœlo ipſo, quia cœlum non poteſt hoc efficere.

Item de ſocijs Diomedis in aues, & de ſocijs Vlyſſis in aues, & beſtias uerſis: & de Arcadibus, qui quum tranſiſſent quoddam ſtagnum, uertebantur in lupos: diceret Ariſtoteles fabulas eſſe, & figmenta Poëtarũ. quippe qui .1 Metaphyſ. Multa enim mentiuntur (inquit) Poëtæ, & nõ dicunt uera. Perſpicuum eſt autem hæc non poſſe fieri ex cauſis naturalibus, alioquin quodlibet fieret ex quolibet. Etenim ſi cauſæ naturales poſſent efficere huiuſmodi uerſiones, nulla eſſet ſpecies in natura, quæ non poſſet uerti in aliam ſpeciem: & hoc modo quodlibet fieret ex quolibet, & quodlibet fieret quodlibet: quod quidem aſſerere eſt non ſolum naturalem philoſophiam labefactare atque infirmare, uerùm etiam penitus conuellere. 1. Meta. tex. 15.

Item de eis qui ſanant uulnera ſolis uerbis & carminibus, quas actiones uulgus nuncupat incantationes, diceret Ariſtoteles figmenta eſſe, & commenta ab eis excogitata, qui uolunt alios decipere propter lucrum, uel alias cauſas, quibus ſæpe cõmouentur homines. & non concederet Ariſtoteles, id quod conceſſit Pomponatius in cap. tertio ſui lib. de Incantationibus, quo in loco ita ſcriptum reliquit: Quartò ſupponitur, quòd ſicut in herbis & lapidibus & animalibus inueniuntur tales & tantę uirtutes, ita in tota ſpecie humana non repugnat reperiri conſimiles uirtutes, « ſic quod aliqui participent de natura unius herbæ, aliqui uerò alterius. & ſic dicatur « de cæteris. « lib. de Incantat.

Etenim hoc ſuppoſitum uidetur eſſe hominis ſine ratione loquentis. nam lapides & herbæ, quæ conſequutæ ſunt aliquam uirtutem, eam ſunt conſequutæ ex temperamento totius ſpeciei: ita ut unaquæque ſcamonea purget choleram, in ſua naturali diſpoſitione conſtituta: item unaquæque magnes in ſua naturali diſpoſitione conſtituta, trahat ferrum, ſed hoc non poteſt dici de ſpecie humana: quare non eſt ſimile.

Præterea ſequeretur ut poſſemus dicere, in tota ſpecie ſcamoneæ alia eſſe indiuidua, quæ participant naturam unius herbæ, alia alterius: & ita de magnete, & de alijs huiuſmodi. quod quidem aſſerere, eſt falſa omnino & abſurda proferre.

Item, ſi ſcamonea attrahit choleram, & non alios humores, hoc non poteſt proficiſci niſi ex proprio temperamento: ſed temperamentum ſcamoneæ non poteſt eſſe in corpore hominis alicuius: ergo nullus homo poterit hoc efficere. facimus enim nunc hanc uirtutem eſſe proprium ſcàmoneæ. Quòd autem nullus homo poſſit habere temperamentum ſcamoneæ, uel magnetis, patet: quia anima eſt diuerſa, ergo corpus, ergo temperamentum. Probatur ex Ariſtotele, quippe qui inquit: Sed enim omnis animæ ſiue uirtus, ſiue potentia, corpus aliud participare uidetur: idq; magis diuinum, quàm ea quæ elementa appellantur. Verùm pro ut nobilitate, ignobilitate, ut animæ inter ſe differunt, ita & natura eius corporis differt. 2. de Gene. Aial. cap. 3. «

Perperam ergo negat Pomponatius, uirtutes illas ſequi proprium temperamentum, quia eſſent in omnibus rebus. Ex natura ergo fieri non poſſunt huiuſmodi effectus, quum neceſſe ſit loquendo naturaliter, ut mouens tangat motum. Quod ſi aliquando uiſum fuit ſolis uerbis ſanata fuiſſe uulnera, diceret Ariſtoteles hoc accidiſſe uel temerè, uel ob phantaſiam, uel ob aliquam deceptionem. cuius rei hoc ſignum afferret, quod illi qui profitentur ſe ita ſanare uulnera, maiori ex parte non ſanant, ſed rarò. etenim ſi maiori ex parte ſanarent, homines irent ad illos, non ad medicos. quod non uidemus fieri, quia raròconſpiciuntur ſanaſſe uulnera. Quod quidem argumento eſt, hæc temerè euenire, nõ ex uirtute aliqua: etenim maiori ex parte ſanarent, ſi ex aliqua ratione & uirtute hoc fieret.

Etſi aliqui ſanant addentes aliquas res naturales, & tangentes: diceret Ariſtoteles hoc accidere uel ex diſpoſitione paſſi, uel ex re illa naturali admota illi paſſo, quæ aliquam uirtutem habeat: quia res naturales non ſunt ſine qualitate aliqua, ergo non ſine uirtute: ex qua uirtute cum diſpoſitione paſſi, & ex iudicio agentis poteſt fieri ſanitas.

Item

Item de illis qui ſolis uerbis euellunt ferrũ infixum in aliquo membro, quod non poterat extrahi auxilio alicuius medici: negaret Ariſtoteles, ferrum illud ſolis uerbis extrahi, ſine aliquo inſtrumento. quod ſi quis præter uerba adhibeat etiam manus, diceret Ariſtoteles extrahi manuum agilitate, nõ uirtute illa uerborum, quam ponit Pomponatius. non enim id fieri poteſt ex uirtute quæ ſequitur temperamentum ſingularis hominis, ſicut magnes uirtute ſui temperamenti attrahit ferrũ: quoniam fieri non poteſt ut aliquod indiuiduum hominis habeat id temperamentum, quod habet magnes, uel aliqua alia herba, quia habet animam & formam diuerſam: ſicut colligitur ex Ariſtotele ubi dixit: Hi aũt ſolum conantur dicere quale quid ſit

1. de Anim. 53. anima. De ſuſceptiuo autẽ corpore nihil adhuc determinatum, tanquam continens
» ſit ſecundum Pythagoricas fabulas, quamlibet animam quodlibet corpus ingredi:
» Videtur enim unumquodq; propriam habere ſpeciem & formam, ſimile utiq; di-
» cunt, ſicut ſi aliquis dicat Rhetoricam in fiſtulas ingredi. oportet enim artem uti or-
» ganis, animam autem corpore.

Nam ſi unaquæq; anima habeat proprium corpus, ergo proprium temperamentum: ergo nullius hominis temperamentum poteſt habere illam uirtutem quam habet magnes, uel ſcamonea: ergo non poteſt operari, quod operatur magnes.

Quin autem magnes habeat illam uirtutem propriam attrahendi ferrum, ex temperamento, in dubium uenire non poteſt, habet enim ex tota, & ſola ſua ſpecie: & cùm hoc accidat omni indiuiduo magnetis in ſua naturali diſpoſitione conſtituto, neceſſe eſt ut hanc uirtutem ipſi temperamento attribuamus. non enim conſentit rationi, ut ad aliud referatur, quia hoc non poteſt eſſe cœlum, cùm ſit cauſa uniuerſalis. Quare illa ferri extractio non poteſt referri ad ſola uerba: ſed diceret Ariſtoteles, homines addere uerba, ut uideantur diuino aliquo auxilio id præſtare, quo maiorem de ſeipſis afferant admirationem: neq; mirum eſſe aliquem ui atq; uſu manuũ id efficere, quod nulli Medici arte ſua potuerint: propterea quòd uni alicui poteſt contingere aliqua corporis uis atq; diſpoſitio, quam multi alij conſequi non potuerunt: ſicut accidit de ingenio, ſiue iudicio, quod quidem natura datum uidemus uni alicui, quod non datum eſt multis: ut patet de Ariſtotelis ingenio, quod paucis fuit datum, quo ille quidem multa præſtitit, quæ infiniti alij aſſequi non potuerunt, neq; poſſunt. Nemo ergo admiratione affici debet, ſi quiſpiam agilitate manuum, non ex cœlo, poſſit extrahere ex membro aliquo ferrum, quod non potuerint multi medici: hoc enim non eſt abſurdum.

De eo item inſtrumento quod Tamiſiũ uocant, quod quidẽ ſolis uerbis moueri aſſerunt: negaret Ariſtoteles hoc fieri poſſe, & diceret illud uideri ſolis uerbis moueri: quia qui tenent ipſum, uno tantum digito tenẽt, ita ut minima illius digiti impulſione poſſit illud facillimè moueri. Quare præſtigiatores iſti, atq; deceptores, pſuadent mulierculis atq; imperitis hominibus, illud ſolis uerbis moueri, cũ leui impulſione digiti moueatur. quòd ſi nullo modo tangerent illud inſtrumentũ, & uerbis ſolis moueretur, hoc quidem eſſet admiratione dignum, oporteretq; nos hunc motum attribuere alijs cauſis quæ non ſunt naturales. Sed quum hoc non ita fiat, tangunt enim digito: non eſt cur confugiamus ad alias cauſas, quàm ad eas quæ perſpicuè ſunt.

De pueris etiam qui in phialas uitreas intuentur, & uident uarios homines: diceret Ariſtoteles, deluſiones eſſe. quia pueri ita inſtituuntur ab eis qui uolunt lucrari, ut dicant ſe uidere aliquem furari, & aufugere, atque alia huiuſmodi: eſſe tamen figmenta.

Idem diceret de arte Magica, de Geomantia, Pyromantia, Hydromantia, Onomantia, uidelicet eſſe figmenta hominum prauorum, decipere uolentium, ut diximus in ſuperioribus: & concederet, aliquos interdum aliquid ueri prædicere, at nõ ex illis artibus, ſed à caſu ac temerè. perinde ut accidit lunæ defectus, aliquo deambulante. Artes autem huiuſmodi nullis omnino fundamentis naturalibus inniti, ſed figmenta eſſe hominum ſine ratione loquentium, atq; mulierculas et imperitos homines quæſtus cauſa decipere uolentium, perſpicuè liquere arbitramur ex ijs quæ diximus in ſuperioribus. Declarauimus enim ex naturæ fundamentis, ſolam Phyſionomiam poſſe aliquo modo uera prædicere. Chiromantiam item ex quatuor

tuor lineis principalibus, de longitudine & breuitate uitæ, aliquo modo poſſe aliquid prædicere: reliqua uerò eſſe deliramenta & ſomnia à prauis hominibus excogitata.

Quod uerò prędicant aliqui interdum uèra ex iſtis, hoc diceret Ariſtoteles temerè & à caſu accidere. Quòd ſi aliquis uerè oſtenderet Magicam illam artē aliquid efficere, referret hoc Ariſtoteles ad cauſas ſupra naturales, ſed quia nullam iſtius mentionem fecit Ariſtoteles, putandum eſt eum non uidiſſe temporibus ſuis aliquid ex ipſa aut prædici, aut fieri, quod eſſet fide dignum. mentionem enim eius omnino feciſſet, quippe quæ naturalium cauſarum ordinem peruertat.

De aruſpice uerò Spuria, qui admonuit Caium Cæſarem ut caueret Idus Martias: diceret Ariſtoteles hoc uel falſum fuiſſe uel temerè illum eſſe uaticinatum, ut ſæpe accidit, uel coniurationis conſcium extitiſſe.

Idem diceret de Iulio illo Maratho, quem prædixiſſe ferunt, antequam Auguſtus Cæſar naſceretur, naturam regem populo Romano parituram.

Hoc idem de Nigidio affirmaret. Hæc enim uel negaret fuiſſe uera, uel temerè accidiſſe diceret: nec poſſe referri ad cœlum, quippe quod neq; Cæſaris, neq; Auguſti ullam habuerit curam: neq; inſtrumenta habeat, quibus poſſit eiuſmodi ſignificare, ut dictum eſt antea.

Idem aſſereret de eo quod prædictum fuit de Tiberio, de Galba, de Othone, de Veſpaſiano, quòd erant futuri Imperatores.

Statuas item ſudaſſe, lachrymas emiſiſſe, ſeq; de loco ad locum cōmouiſſe, & alia huiuſmodi: hæc omnia diceret figmenta eſſe hominū alios decipere uolentiū: ſicut uidemus etiam temporibus noſtris multos elaborare, ut decipiant.

Quod ſi uerè hæc eueniſſe oſtenderetur: ea nō ad cauſas naturales, ſed ad eas quę naturalibus nobilitate & præſtantia antecellunt eſſe referenda aſſereret. diceretq; uulgus facile decipi, & multitudini idem accidere quod ſomniātibus dixit in lib. de Diuinatione ijs uerbis: Arbitramur enim fulgura cadere, ac tonitrua fieri paruis ſonis in auribus factis: & melle & dulcibus ſaporibus perflui tenui flegmate defluente. etenim multitudo paruis motibus factis in rebus (eſt enim ueluti ſomnians, quia eſt ignara) miracula exiſtimat facta eſſe, & magnā ex omnibus rebus admiratione afficitur. *Lib. de Diuination.*

De oraculis uerò, & de Sibyllis, deq; ijs qui diuino afflatu cōmoti uaticinari creduntur, quid ſentiat, ipſe oſtendit in 30. particula Problematum, probl. 1. cuius uerba citauimus in ſuperioribus, ad quem locum me reijcio. Vbi uiſus eſt concedere oracula, & Sibyllas, & Bacchas, & eos qui ſpiritu lymphatico inferueſcunt, uaticinari: at non ex cœlo, ſed ex habitu corporis melancholico, idq; temerè, eo modo quo aliqui ſomniando futura prædicunt, ut declarauit in libro de Diuinatione per ſomnium: quem locum in ſuperioribus quoq; citauimus, ad quem lectores relegamus, ne nimij ſimus. Ex ijs igitur quæ in utroq; loco dixit Ariſtoteles, apparet idē eſſe dicendum de oraculis & Sibyllis, & de omnibus qui diuino ſpiritu afflati exiſtimantur, ſicut de eis qui in ſomnijs uaticinantur. eadem enim eſt omnium cauſa, nempe corporis habitus. temerè omnes uera prædicunt, & magis melancholici quàm cæteri, propter cauſas allatas. *30. Partic. Probeml. Probl. 1.*

Quare dixit etiā Ariſtoteles, Maracū illum ciuem Syracuſanum, poëtā præſtantiorem fuiſſe dum mente alienaretur. & ob hanc fortaſſe cauſam in Poëtica protulit hæc uerba, quæ etiam citauimus in ſuperioribus ad aliam rē probandam: Quare boni ingenij, uel furore perciti Poëtica eſt. horum autem alij quidem bene formati, alij autem ſunt qui mente facile commouentur. *in Poëtica.*

Concederet igitur Ariſtoteles, oracula & Sibyllas fuiſſe, prædixiſſeq; aliquando futura: & Principes ac cæteros homines ſolitos fuiſſe ipſa cōſulere, ſed non ex cœlo diceret futura prædixiſſe, neq; ex Deo. hoc enim in lib. de Diuinatione ſomniantibus planè reiecit, ſed ex habitu corporis. *lib. de Diuinatione.*

Eodem modo aſſereret de Poëtis qui mente alienātur, quomodo cōcedit etiam diuinationem per ſomnium. Quicquid igitur de alijs dicitur qui prædicunt ex ſomno, idem dicendum eſt ex fundamentis poſitis de oraculis, & de Sibyllis, & de Poëtis, & de huiuſmodi alijs qui diuino ſpiritu afflati oracula fundere creduntur.

Sed contrà inſtaret aliquis: Ex eis quæ dixiſti, uidetur Ariſtoteles conceſsiſſe oracula prædicere ex habitu corporis, idq; temerè. quare ſequitur, ſi erant huiuſmodi, ut non eſſent ex arte facta, neq; ficta. Sed in 3. Rhet. lib. cap. 5. uidetur dicere, illa eſſe ex arte facta, & ficta ab hominibus, decipere uolẽtibus: ergo pugnantia aſſerit.

3. Rhet. cap. 5.

» Probatur id quod antecedit. etenim inquit: Non ambiguè niſi conſulto ita quiſpiam faciat: quod faciunt, qui cùm nihil habent dicere, aliquid tamẽ ſe dicere ſimulant: ut in Poëſi fit, et Empedocles facit. Decipit enim circuitio, cùm multũ ſit, ac ita auditores afficiuntur: ſicut multi, cum ambigua oracula audiant, annuunt, Cræſum eum Halyn traiecerit magnum principatum delebit. & omnino quoniam minor committitur error, icc irco rem in genere oracula dicunt. Dicet enim fortè uerum magis, in ludo paria uel imparia dicens, quàm quod: & magis quod hoc erit, quàm quando. Quare oracula non determinant quando. Hæc ergo omnia, hisq; ſimilia, fugienda, niſi quis ſtudiò faciat.

Quibus uerbis apertè ſignificat ſe ſentire, eiuſmodi uaticinia eſſe ex arte facta, & ficta. quia uidetur dicere fuiſſe dolos hominum, & non ex habitu corporis. Qui aũt uerè prædicũt ex habitu corporis non dicunt hoc ex arte facere, neq; fingere, dum enim furore correpti agitantur, proferunt quicquid uenit in buccam. neq; hi ambiguè loqui, ſed furore perciti, oracula fundere exiſtimantur: contra quàm faciunt qui ex arte & dolo uaticinari conantur. Perſpicuum eſt autem, Ariſtotelẽ loqui de ipſis oraculis. quia utitur exemplo Cræſi, quem Herodotus narrat cõſuluiſſe oraculum: idq; reſponſum tuliſſe, quod hoc in loco cõmemorat Ariſtoteles. Quare uidet Ariſtoteles non ſolum pugnãtia, uerùm etiã (quod multo maius eſt) negãtia aſſeruiſſe.

Dicerem tẽpore Ariſtotelis oracula quæ ipſe uidit, alia fuiſſe ex habitu corporis, alia ex arte, ut deciperent homines: quæ quidem uidentur excogitata fuiſſe occaſione eorum quæ ex habitu corporis uera prædicerẽt. Quidam enim cùm uidiſſent aliquos ex habitu corporis uaticinari, conati ſunt ob eas cauſas, quibus ſæpe uidemus homines cõmoueri, arte imitari atq; exprimere illa oracula. ac de iſtis uidetur Ariſtoteles intellexiſſe, ubi meminit de illo pecoris domino Deum conſulente. Atque hæc quidem uidentur contigiſſe temporibus antiquis. ſicut etiam temporibus noſtris inuenti ſunt, qui ut imitarentur uera miracula, excogitauerunt modum, quo aliquæ imagines & Chriſti ſeruatoris noſtri, & beatæ Mariæ uirginis uiderẽtur fundere lachrymas, & ſudare: quos cùm deprehendiſſet Eccleſia (quę pati nõ poteſt fictiones, & mendacia, & homines decipi, ut quæ ueris utitur fundamẽtis) eos grauiſſimis pœnis affecit. Sed diceret aliquis, poſt aduentũ Chriſti, pro certo compertũ eſt oracula fuiſſe, neq; homines ex habitu corporis uera prædicentes, neq; hominum deceptiones, ſed dæmonum. Quare perperã Ariſtoteles attribuit huiuſmodi oracula uel habitui corporis, uel artificio humano.

3. de Hiſt. animal. cap. 20.

Reſpondeo, fieri fortaſſe potuiſſe ut reperirent oracula, quę non ſolum ex habitu corporis, & ex arte proficiſcerentur, ſed etiam ab ipſo dæmone. ſed Ariſtotelẽ non cognouiſſe niſi duo illa ſuperiora genera oraculorũ, quæ diximus. quòd ſi tertiũ genus, quod eſt ex dæmonũ deceptione, cognouiſſet, putandũ eſt, id eum relaturum fuiſſe ad cauſas ſupra naturam, non ad cœlum, ut dictum eſt. Quod autẽ ita ſenſerit, hæc ſcripta reliquit: Deniq; quum de beſtijs quædam etiam ſomnient iudicare debemus ſomnia à Deo non ſuppeditari, nec illius cauſa fieri. Dederim tamen, ea dæmonia dici poſſe, ſiquidem natura dæmonia eſt, non diuina.

in lib. de Diuinatione per Somn.

Quibus uidetur innuere, Dæmones eſſe aliam naturã à Deo: qui quidẽ cùm non poſſint eſſe ex ratione naturali ſubſtãtiæ cõpoſitæ, neceſsitas cogit ut ſint ſubſtãtiæ eo modo, quo ponit religio noſtra: ex ſententia etiam Ariſtotelis eſſe nõ poterunt.

Dicerem, Ariſtotelẽ ex fundamẽtis naturæ loquentẽ, nunq; poſuiſſe Dæmones diuerſos à Deo. nominans enim ſubſtãtias abſtractas, modò Deos, modò Dæmones uocauit, ut perſpicuũ eſt ex multis eius locis. Neq; obſtãt illa uerba 2. Rhet. ubi loquens de locis: Alius (inquit) ex definitione. ut ſi dicas, Dęmoniũ nihil eſt aliud, niſi

2. Rhet. cap. 23.

» Deus, aut Dei opus: atq; ſi qs putat Dei opus eſſe, hũc putare neceſſe ẽ Deos quoq; eſſe. Neq; illa tertij cùm dixit: Deinde cùm propoſitionũ alia manifeſta ſit, aliam daturos aduerſarios non ambigis: tum etiã neceſſe non eſt, eam propoſitionẽ quæ

3. Rhet. cap. 10.

» manifeſta eſt interrogando proponere, ſed concluſionem inferre. Velut Socrates,

cùm

cùm Melitus diceret,non arbitrari ipſum Deos eſſe: atqui(inquit) Dæmonia quę- "
dam eſſe fateor. quod ille cùm affirmaſſet, interrogauit, an dæmones Deorum filij "
eſſent,uel ſaltem diuinum quiddam. quo dato: Eſt igitur (intulit) qui Deorum qui- "
dem filios eſſe,Deos uerò non eſſe arbitratur? "

Quibus locis uidetur ponere Dæmones non eſſe Deos, ſed Deorum filios, uel
opus. Hæc inquam contra nos nihil faciunt. quia facile eſt intelligentia conſequi,
eum ibi loquutū eſſe ex opinione aliorum,non ex animi ſui ſententia. perſpicuè em̄
patet ex fundamentis naturę,non poſſe dari ſubſtantiam abſtractam à materia, quę
nullum corpus informet.

In ſecundo etiā Rhetor. loco proximè citato, manifeſtè nomine Dæmonis intel- 2.Rhet.
ligit Deū,cùm ait: Alius, ſupple locus, ſi cuius gratia id factum non ſit, huius gratia cap.23.
eſſe, aut factum fuiſſe, dicere: ut ſignis afferat cuiſpiam aliquid, ut quum abſtulerit
doleat. unde & hoc dictum eſt: Multis enim Dæmon non ex beneuolentia ingen-
tes præſtat proſperitates,uerùm ut illuſtriores ſint calamitates. Etenim conſtat has
proſperitates proficiſci non poſſe niſi à Deó,quem uocat Dæmonem.

Ad locum uerò lib. de Diuinatione per ſomnium, dicerē, eum locutum eſſe cum
conditione. etenim ait ſe daturū, ſomnia illa poſſe dici Dæmonia, ſi natura Dæmo-
nia non ſit diuina. quaſi dicat, ſe concedere illa eſſe Dæmonia, ſi ponamus naturam
dæmoniam non eſſe diuinam. quod quidem poni non poſſe ex fundamentis natu-
ræ, oſtendunt rationes in ſuperioribus allatæ. Quare illud negare non poſſumus,
Ariſtotelem ratione naturali non perueniſſe niſi ad formas, quæ in corpore aliquo
ſunt. ex loco enim illo de Diuinatione non poſſumus redigere oracula & Sybillas
ad Dæmones. quod ſi alicubi aſſerat(ut multis in locis uidet aſſeruiſſe) dari aliquas
formas ſeiunctas à materia, ac ſeparatas, & per ſe exiſtentes, & producentes ſine be
neficio alicuius inſtrumenti effectus in iſta inferiora: quin loquutus ſit ex creditis,
nemini qui philoſophiā naturalem profiteatur, dubium eſſe poſſe arbitror. Etenim
euerteretur uniuerſa naturalis philoſophia: quippe quæ ex accidentibus corporum
quæ notiora ſunt ſenſui, inueſtigat corporū cauſas quæ notiores ſunt naturæ. Qua-
re concludendum eſt, Ariſtotelem non cognouiſſe ea oracula, quibus dæmones lo
quebantur: ſed ſolum ea quæ uel ex arte hominū, uel ex habitu corporis futura præ
dicebant. etenim ſi illa cognouiſſet, coactus fuiſſet concedere, dari ſubſtātias per ſe
exiſtentes & liberè agentes: eos enim effectus non potuiſſet ad cœlum referre.

Concedimus etiam nos, multos ex habitu corporis poſſe uera prædicere, & ali-
quos ex arte uideri idem facere: quia maior pars uulgi facillimè ex paruis ſimilitudi
nibus ob eorum ignorationem decipitur.

Aſſentimur item, Dæmones poſſe uera prædicere: imò eos permiſſu Dei multa
ſæpe prædixiſſe, teſtatum reliquerunt diuinæ literæ: ſed hæc non repugnant ijs quę
diximus. quoniam etſi nobis luce clarius perſpectum ſit, multa & à Deo, & ab eius
ſanctis edita fuiſſe miracula: tamen ſcimus multos etiam conatos eſſe miracula fin-
gere, ut lucrarentur. Quæ cùm ita ſint, in dubiū uenire non poteſt, quin fieri potue
rit, ut temporibus antiquis, aliqua ex Dæmone, aliqua ex habitu corporis, quædam
etiam ex arte & deceptione hominū eſſent oracula, & Sibyllæ. Falſum etiam eſt,
uaticinia Prophetarū poſſe redigi ad cœlum, & dixit Pomponatius: quoniā cœlum
non eſt tantæ uirtutis. ſed dicendum eſt, quum manifeſtè fuerint, ad Deum optim.
maxim. non naturaliter agentem, ſed ex uoluntate & liberè, tanquā ad ſuam ueram
& germanam cauſam eſſe redigenda. Quare ualeat Pomponatius cum ſuo cœlo:
quandoquidem neq; ex philoſophia, neq; ex religione eam uim habeat, quam ipſe
arbitratus eſt. perperāq;, & falſo ad ipſum redigit leges, & religiones, earumq; lato-
res, & alia multa, quæ neq; philoſophiæ neq; religioni conueniunt. Quocirca eius
ſententia in illo ſuo libro de Incantationibus, planè reſpuenda eſt, atque deteſtan-
da, tanquam exitialis quædā peſtis, quæ & philoſophiæ naturali, & quod multo pe
ius eſt, ſanctiſſimæ religioni noſtræ omnino repugnet atq; aduerſetur.

Diſſolutæ iam nobis uidentur ex ſententia Ariſtotelis naturaliter loquētis, quæ-
ſtiones illæ, quæ omnino uidebantur oſtēdere, Deum beneficio cœli, ſeu ipſum cœ
lum, eſſe cauſam omnium effectuum inferiorum: & ita ex ſolo cœlo aſpectu cœli
poſſe uera prædici de omnibus quæ fiunt in hoc mundo inferiori, quia cognita ue-

ra & proxima cauſa, neceſſarium eſt ut cognoſcatur effectus. Quæ quidem quæſtiones nullam difficultatem, nullamq́ ambiguitatem afferunt ſanctiſſimæ religioni noſtræ, ob eas rationes quas expoſuimus: ſed ſolum exercent atq; urgent eos, qui philoſophiam profitentur ex ſenſibus ortam, quatenus ex ſenſibus eſt orta: & Ariſtotelis doctrinam ex eiſdem fundamentis profectam. qui etſi poſſent multos effectus eorum quos enumerauimus negare, & dicere multas deceptiones ab hominibus fieri: tamen quum multi ſint ex illis ipſis effectibus ita noti ac manifeſti, ut ſi quis eos negare auderet, eum ſenſu indigere omnino ſtatuendum eſſet: coguntur (uelint nolint) relictis naturæ & Ariſtotelis fundamentis, ad cauſas ſupra naturæ ordinem conſtitutas (ut diximus) confugere, faterię́ præter naturæ ordinem hæc euenire, & ipſos philoſophos ſcire ſolum cauſas rerum ordine naturæ conſtitutas.

Ad alias uerò cauſas quæ ſunt longè ijs præſtantiores atq; ſublimiores, non perueniſſe niſi ex creditis: propterea quod fas nō fuit ut Deus opt. max. ea ſigna in iſtis ſenſibilibus poneret, quibus nos homunculi immenſam atq; incomprehenſibilem numinis eius uim atq; potentiam intelligentia conſequi poſſemus. pares enim propemodum illi eſſemus, ut antea diximus. Fieri tamen potuiſſe exiſtimo, ut Ariſtoteles eos duntaxat effectus uiderit, quibus non cogeretur ad cauſas ſupra ordinem naturæ conſtitutas confugere. nullos enim alios fortaſſe uidit, niſi eos qui erant deceptiones, atq; hominum illuſiones. Sicut accidit etiam pleriſque ex nobis, qui Chriſti religionem piè colimus. etenim quàm multi reperiuntur, qui nulla miracula uiderunt, niſi ea quæ praui homines finxerunt: ſed tamē ueris miraculis credunt, quæ diuino beneficio ex ſacris literis cognouerunt. Quare nemo admiratione affici debet, ſi Ariſtoteles ex fundamentis naturæ loquens, ad cauſas ſupra ordinem naturæ conſtitutas nuſquam confugerit. etenim quum iudicaret deceptiones eſſe huiuſmodi effectus atq; miracula, nulla neceſſitate cogebatur ut quæreret alias cauſas ſupra uires naturæ ualentes. Quod ſi cognouiſſet ea quæ nos Chriſtiani cognouimus, in dubium uenire nō debet, quin eadem ipſe quoque aſſeruiſſet, quæ nos aſſerimus. Quare mihi uidetur omnino repudianda Pomponatij ſententia, qui uoluit numerum intelligentiarum ab Ariſtotele poſitum eſſe idoneum ad efficiendos eos effectus quos narrauimus. eā enim & ſanctiſſimæ religioni noſtræ, & Peripateticæ doctrinæ apertè repugnare, neminem (modo ſit ſanus) ex eis quæ dicta ſunt latêre arbitror. Quare, uelit nolit, cogitur ponere, ſi concedit effectus illos eſſe ueros, alias cauſas, quæ ſupra ordinem cauſarum natura conſtitutarum agant.

FINIS LIBRI VIGESIMINONI
Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER TRIGESIMVS.

SECTIO PRIMA.

HIS explicatis, reuertamur ad Argumenta principalia. Ad id uerò quod
ſequebatur, negamus antecedens, intellectum uidelicet noſtrum à cœlo
dependere. Ad auctoritates autem Empedoclis & Homeri, quibus pro-
barur antecedens, eos falſam de hac re accepiſſe opinionem, apertè oſten-
dit Ariſtoteles, præter id quod eo loco dixit his uerbis: Quod igitur non idem ſit "
ſapere, quod ſentire, manifeſtum eſt. Hoc autem in omnibus animalibus ineſt, illud "
autem in paucis: & demonſtratione etiam, quam attulimus, quæ probauit intereſſe
inter ſenſum & intellectum, oſtendens intellectum non eſſe mixtum cum corpore.
Cùm uerò additur, auctoritatem Homeri ſemper fuiſſe tanti momēti apud omnes,
ut Ariſtoteles multarum ſuarum opinionum ueritatem ex eius dictis roborauerit,
concedimus: negamus tamen Ariſtotelem ita ſemper ſequutum eſſe Homeri ſen-
tentiam, ut nunquam putauerit ipſum erraſſe. etenim ſi quis hoc opinaretur, turpiſ-
ſimo errore detineretur. multis enim in locis ab eo diſſentit Ariſtoteles: inter quos
quia perſpicuè patet, ſatis ſit enumeraſſe locum citatum, & eum quem ſcriptum re-
liquit in libro poetices: Auctoritas enim Homeri & aliorum peritiſſimorum ho-
minum, apud Ariſtotelem probabilis eſt, non demonſtratiua.

Ad aliam uerò quæſtionem quæ aſſerebat, cauſam diuerſitatis omnium rerum
quæ ſunt in Aſia, in Aphrica, & in Europa, eſſe cœli aſpectum, ut declarauit Ariſto
teles 8 de Hiſtoria animalium cap. 18. concedimus, cœli aſpectum multarum diffe- *8. de Hiſt.*
rentiarum cauſam eſſe. itemq́ cauſam eſſe, ut multæ res reperiãtur in uno loco, quæ *animal.*
non reperiantur in alio: quia aliquæ res oriuntur & nutriuntur fœlicius ſub uno cœ *cap. 18.*
li aſpectu, quàm ſub alio. & ita concedimus, ipſum cœlum in maximam uim habere
in iſta inferiora, ſicut dicemus etiam in ſequentibus: negamus tamen & hoc ſequi,
ut cœlum per ſe ſolum ſit cauſa earum rerum quæ reperiuntur ſub aliquo cœli aſpe
ctu, & non ſub alio: ſed concurrunt aliæ particulares cauſæ ſicut diximus. Quare ne
ceſſe eſt falſum eſſe, diuerſitatem omnium rerum quæ in uniuerſo exiſtunt, ex ſolo
aſpectu cœli uario proficiſci: quia proficiſcuntur etiam ex diuerſitate cauſarum
particularium, eo modo quo dicemus. Ex quo perſpicuum eſt non ſequi, fieri poſſe
ut generaliter proferamus, omnia quæ ſunt in hoc mundo, poſſe ex ſolo aſpectu cœ
li uerè prædici, quia omnia dependeant ex eo. nam & ſi dependēt à cœlo tanquam
à cauſa generali et principali: non dependent tamen ſolū ab ipſo cœlo, ut in ſuperio
ribus uerbis declarauimus. Neq́ huic ſententiæ obſtare uidentur ea quæ ſcripta *10. Ethi.*
reliquit Ariſtoteles 10. Ethi. cap. 11. ijs uerbis: Fieri tamen bonos exiſtimamus, alios *cap. 11.*
quidem natura, alios autem conſuetudine, alios autem doctrina. "

Quam ſententiam 7. etiam Polit. confirmaſſe uidetur cùm dixit: Veruntamen & *7. Polit.*
boni & ſtudioſi fiunt, ex tribus. tria autē hæc ſunt, natura, conſuetudo, ratio, etenim *fo. 196.*
naſci oportet primùm, ut homines, ſed non aliorum animalium. ſic enim & qualem "
quendam ſecundum corpus & animam, quæ diſpoſitio uidetur à ſolo cœlo: quoni- "
am hoc eſt, quod negamus. Concedimus enim ita oportere naſci, ſed negamus "
hoc proficiſci ex ſolo cœlo: quandoquidem perſpicuè pateat ex eis quæ dicta ſunt,
quod aliquis naſcatur, natus ad aliquid agendum, hoc non ſolùm è cœlo ortum ha-
bere, uerùm etiam ex cauſis particularibus. quod quum detur, nihil contra nos faci-
unt Ariſtotelis uerba. Nos tamen in ſuperioribus uberrimè explicauimus hos te-
xtus, ubi de uirtutibus, quo modo in nobis fierent, uerba fecimus. ad quem locum
lectorem reijcio: nunc uerò ſatis fuit quod diximus pro hac occaſione.

SECTIO SECVNDA.

Erat alia quæſtio, uidelicet infinities fuiſſe eaſdem opiniones, & infinities itera- *7. Polit.*
tas in hominibus factas: ex quo inferebatur, hæc à ſolo cœlo proficiſci. Ad quã *et 1. Meta.*
quæſtionem reſpondentes, negamus conſequentiam: quia hęc iteratio opinionum
non fit ex ipſo ſolo cœlo, ſed ex cauſis etiam particularibus, ut dicemus: concedi-
mus tamen id quod antecedit. Ad probationem autem dicimus, falſum eſſe hęc

 à nulla

à nulla alia cauſa prẹter cœlum proficiſci poſſe. etenim proficiſcuntur à cauſis etiam particularibus, quæ cauſæ licet ſingulæ corrumpantur, non tamen ita corrumpuntur, quia ſemper aliqua ipſarum reperiatur: etenim ſeruantur ex indiuiduorum ſucceſſione. quæ res ut facilius intelligi poſſit, nõ erit inutile nonnulla in medium afferre, ad eam declarandam.

Dicimus igitur ex fundamentis naturæ falſis tamen quatenus ad hanc rem attinet, cœlum æterno tempore extitiſſe: & res quæ ſunt in hoc mundo inferiori, quæ item ſunt illæ quę intelliguntur, æternas eſſe, non in indiuiduo, ſed in ſpecie: & intellectum noſtrum eſſe in pura potentia ad res intelligendas, ut in ſuperioribus ex ſententia Ariſtotelis demonſtratum eſt. Quare cùm cœlum ſit æternũ, & ſit cauſa uniuerſalis omnium noſtrarum actionum, & cùm cæteræ res quæ intelliguntur, quatenus intelliguntur, ſint æternæ: & intellectus ſit in pura potentia: & phantaſia & alia quæ ſeruiunt intellectui, ſint, & ipſa æterna in ſpecie: conſentit rationi, quæ ex natura ortum habet, ut reuerti poſſint eædem opiniones, & reuertantur etiã ſæpè. quia res quæ mouerunt intellectum Ariſtotelis & aliorum in ſpecie, nunc ſunt ſicut fuerunt eius tempore, & erũt æterno tempore. ergo poterunt mouere multos alios intellectus, & ab ipſis percipi.

Hoc enim perſpicuè patet: quia ab eodẽ agente, eodem modo ſe habente, proficiſci idem effectus eſt aptus natus. Ex parte etiã paſſi hoc poteſt euenire: quia intellectus eſt pura potentia, itaq; aptus natus eſt moueri quocunq; tempore. Diſpoſitio etiam phantaſiæ & aliorum organorum, poteſt eadem ſpecie reuerti: quia idem eſt cœlum, quod fuit olim: & cauſæ particulares efficientes ipſam corporis diſpoſitionem, uidentur poſſe reperiri in eadem diſpoſitione, non numero, ſed ſpecie, ſicut repertæ ſunt uarijs temporibus. hoc enim nihil impedire uidetur. Quare neceſſe eſt, ut effectus etiam poſſint reperiri in ſimili diſpoſitione: quia quum agens & patiens ſunt eodem modo affecta & diſpoſita, quo olim fuerunt, & approximata non impediuntur, neceſſe eſt ut idẽ in ſpecie ſaltem conſequatur effectus: & quia fieri poteſt ut infinities reperiantur huiuſmodi diſpoſitiones (neceſſe enim eſt, ut reperiantur cauſæ in ſimili diſpoſitione. quia ut dictum eſt, ſunt æternæ:) neceſſe ergo eſt, ut infinities reuertantur & iterentur eædem opiniones in ſpecie, non numero. Sed hoc non eſt ex ſolo cœlo, ſed etiam ex alijs cauſis, ut diximus, ad intellectionem concurrentibus, nihil ergo contra nos.

SECTIO TERTIA.

SEd ſtatim aduerſus ea quæ dicta ſunt inſtaret aliquis dicens, ex hac opinione ſequi, ut tollantur rerum primi inuentores. etem̃ ſequitur eaſdẽ opiniones ſemper extitiſſe, quia ſemper extant eædem cauſæ, & ex parte agentis, & ex parte patientis: ergo idẽ effectus. Sequitur etiam, dari reminiſcentiam. licet enim dicere, reiterari eaſdẽ opiniones, quia reminiſcimur: præſertim ex eis fundamentis, quæ poſuimus, animam uidelicet rationalem eſſe in omnibus hominibus unam. Conſequẽs tamen uidetur repugnare Ariſtoteli: quippe qui multis in locis hos poſuit, ut perſpicuum

Probl. ſec. 19. probl. 28. eſt ex Problem. ſect. decimanona, proble. uigeſimooctauo, quo in loco ita ſcriptum reliquit: Cur leges pleræq; cantilenæ appellentur? an quod homines, priuſquã literas ſcirent, leges cantabant, ne eas obliuioni mandarent: quod etiam noſtra
» ætate Agathirſis in morem eſt. ergo primas quoque poſteriorum cantilenarum
» eodem appellauerant nomine, quo omnes ſuperiores uocabantur. Ex his enim
» ſequitur, non ſemper extitiſſe eaſdem opiniones: quia fuit tempus, quum nulla erat literarum opinio.

1. Meta. tex. 5. Idem aſſeruiſſe uidetur primo Meta. textu quinto ijs uerbis: Atqui uerisimi-
» le eſt, eum hominem, qui primum præter communes ſenſus, quamuis artem in-
» uenerit, non ſolùm ob utilitatem quæ ab inuentis proficiſcitur, ſed ut ſapientem e-
» tiam, antecellentemq; cæteris admiratione affici: utq; complures artes inuenirẽtur,
» & alię ad neceſſaria, aliæ ad degentia cõferẽtes, ſemper tales ſapientiores putamus,
» propterea quòd ſcientiæ ipſorum non ad uſum pertineant. quocirca cunctis iam ta-
» libus cõparatis eæ ſcientiæ inuentæ ſunt, quæ neq; ad uoluptatem, neq; ad neceſſa-

ria com-

ria comparanda conducant.primoq; in ijs locis,ubi primùm homines otio indulſerunt.Quapropter Mathematicæ artes primò circa Aegyptũ obortæ ſunt : ibi enim conceſſum eſt, ut ſacerdotes ocio uacent.

Quibus uerbis ſignificat,ſcientias fuiſſe inuentas,& artes, cùm non eſſent, non ergo præextiterunt: quia ſi præextitiſſent,non fuiſſent de nouo inuentæ. Eandem ſententiam & in tex.14.& 15.eiuſdem lib.pluribus uerbis indicauit. Quam rem etiam confirmauit 12.Meta.tex.36.quem locum citauimus etiam in ſuperioribus ob aliam occaſionẽ,ubi hæc ſcripta reliquit:Atq; ut ueriſimile eſt,perſępe,quod fieri poteſt,una quaq; arte,ſcientiaq; inuenta,rurſusq; occidente, has quoq; illarum opiniones uſq; ad hanc noſtram tempeſtatem ueluti reliquias perueniſſe, conſeruatas fuiſſe cenſebit.

1. Meta. tex. 14. & 15.
12. Meta. tex. 36.

Idem etiam oſtendit ſecundo Elenchorum,capite ultimo,ubi ſic ait: Operæpretium autem eſt nos non latêre,quod accidit circa hoc negocium. nam eorum quæ inueniuntur omnium, quæ quidem ab alijs ſumpta ſunt, prius elaborata paulatim augentur ab eis qui accipiunt poſtea.quæ autem ex principio inueniuntur, paruum in primis augmentum ſolent ſumere, utilius autem plurimum illo,quod poſtea ex his fit augmento. maximè enim fortaſſe principium omnium , ut dicitur. quare & difficillimum.quanto enim ualidiſsimum poteſtate, tanto paruiſsimum magnitudine,difficillimum eſt inueniri.hoc autem inuento,facilè eſt addere & coaptare reliquum. Hæc ergo,& illa quæ ſequuntur uſq; ad finem illius capituli,uidentur manifeſtiſsimè oſtendere,dari nouam rerum inuentionem.quod quidem fieri non poſſet,ſi infinities fuiſſent eædem opiniones.nihil enim eſſet dictum, quod non prius fuiſſet dictum.nullum ergo nouum inuentum.Eandem enim ſententiam tetigit in primo Rhet.cap.2.

1. Rhet. cap. 2.

Item urgeret aliquis dicens:Si ita eſſet,ſequeretur, ut ſingulis ætatibus darentur homines ſcientes omnia ea quæ ſciuit Ariſtoteles.quod quidem eſt contra experientiam:quia à tempore ipſius,uſq; ad hoc tempus,hoc non compertum eſt.Conſequentia uidetur perſpicua:quia idem eſt cœlum,quod fuit eius tempore : eædem ſunt res, quæ tũc erant,ſaltem in ſpecie.Idẽ etiã numero eſt intellectus poſsibilis,ex hac uia,falſa tamen.Eadem quoq; poterit eſſe diſpoſitio phantaſiæ, & eorum quæ ſeruiunt intellectui:ergo uidetur neceſſarium,ut aliquis quacunq; ætate ſciat omnia illa quæ ſciuit Ariſtoteles.

SECTIO QVARTA.

His quæſtionibus reſpondentes,dicimus ex fundamentis naturæ, falſis tamen, uerum eſſe,non ſemel,neq; bis eaſdem opiniones reitereatè factas eſſe in hominibus,ſed infinities,uerùm etiam eſſe,nouos rerum inuentores extitiſſe, & dari poſſe. neq; hæc pugnare inter ſe,quia fieri poteſt ut opiniones,quæ aliquo tempore fuerint,perdantur,ac rurſus reuertantur,idq; infinities.nam cùm ſit cœli, & rerũ quæ intelliguntur æternitas,idemq; ſit intellectus poſsibilis,& eadem in ſpecie diſpoſitio ſenſuum exteriorum & interiorum:nihil impedire uidetur quin ſicut intellectus antiquorũ philoſophorum,& Ariſtotelis fuit motus ab ipſis rebus,& à rerũ accidentibus ad aliqua intelligenda:ita etiam aliquis alius intellectus,cui ſint organa,quæ obiecta ei ſubminiſtrant benè diſpoſita,moueatur ab eiſdem rebus, & ita eaſdem res percipiat.quod quidem nihil aliud erit, quàm habere eaſdem opiniones.& cùm hoc fieri poſsit,infinities conſequens uidetur,ut etiam infinities reuertantur eædem opiniones.non tamen eſt hoc neceſſarium, ſed uerisimile. Neq; uerò hinc ſequitur reminiſcentia:quia ponimus has cognitiones proficiſci à rebus extrinſecus exiſtentibus,& de nouo.cauſa autem cur illæ non ſemper ſint, hæc eſt, quia corrumpuntur ſenſus interiores & exteriores hominum particularium, quorum ſenſuum interiorum memoria eſt affectus.& ideo non ponunt homines reminiſci,& quia non generantur ijdem numero homines, & quia poſſunt ijs accidere impedimenta quæ illos prohibeant eam rerum cognitionem conſequi, quam conſequutus fuit Ariſtoteleles & alij, quibus non contigerunt huiuſmodi impedimenta. has ob cauſas dicimus neceſſarium non eſſe, ut omnino reuertan-

tur eædem opiniones, ſed eſſe ueriſimile: quia licet in ſpecie perpetuæ ſint res quæ intelliguntur, perpetuusq́ ſit ipſe intellectus, tamen ſenſus exteriores & interiores non ſunt omnino ijdem, ſed in diuerſis hominibus diuerſi: quare diuerſo modo intellectui obiecta ſubminiſtrant, multáq́ ſunt impedimenta, & uariè hominibus accidunt. non ergo neceſſe eſt, ſicut diximus, ut omnino eædem opiniones reuertantur: ſed uerisimile eſt, atq́ ita comprobauit experientia, ut etiam eſſet neceſſarium, nihil tamen hoc facit contra inuentionem. neq́ ob hanc cauſam uidetur neceſſarium, ut ſemper ſit idem numero intellectus ſpeculatiuus, cū phantaſia & reliqui ſenſus interiores non ſint ijdem, & res etiam intelligendæ non ſint eædem numero, & intellectus poſsibilis ſit in pura potentia, quia caret omni ſpecie intelligibili: neq́ uidetur, fieri poſſe, ut ſemper detur homo fœlix, qui uidelicet habeat intellectum agentem coniunctū ut forma ipſi poſsibili, eo modo quo uidetur ſenſiſſe Auerroes, propterea quòd ipſius intellectus poſsibilis non eſt memoria. Quare non datur etiam eius reminiſcentia, eſtq́ in pura potentia. ergo opus erit ei ſemper phantaſia, quæ ſibi præſens faciat obiectum, ut intelligat: quod cùm fieri nunq́ poſsit ſine intellectu agente, ut ex eis quæ dicta ſunt perſpicuum fuit: ſequitur, fieri nō poſſe ut intellectus agens copuletur unq́ intellectui poſsibili, tanq́ forma, ita ut non abſtrahat, cùm intelligit formas à materia, ſicut uiſus eſt opinari Auerroes. etenim ſi hoc fieri poſſet, poſſet etiam fieri ut intellectus poſsibilis intelligeret, ſine phantaſia, antequam homo fieret fœlix. quia cauſa quare non intelligit ſine phantaſia, non poteſt eſſe alia quàm quòd intellectus ex natura ſua eſt in pura potentia: & non poteſt, cùm ſit ſine memoria, rerum ſpecies retinere. neceſſè ergo fuit, ut ad eius intellectionem reperiretur aliqua potentia, quæ ei obiectum faceret præſens: & quia iſta potentia non referebat niſi ſpecies ſingulares, opus fuit ut daretur intellectus agèns, qui eas uniuerſales redderet. Quare ſi dum eſt in nobis, eſt in pura potentia, & ſpiritualis, neceſsitas cogit ut ſemper dum intelligit homo, phantaſmata ſpeculetur: & dum phantaſma ſpeculatur, neceſſe eſt ut ſemper intellectus agens abſtrahat. non ergo erit unquam ei coniunctus ut forma, eo modo quo uidetur Auerroes intelligere: quia cùm deſinit phantaſma ſpeculari, deſinit intelligere: ſicut deſinente ſenſibili, deſinat ſenſus ſentire neceſſe eſt. eam enim proportionem quam habent ſenſibilia ad ſenſum, habent phantaſmata ad intellectum. mouetur enim intellectus, qui eſt pura potentia, & qui ſpecies non retinet. etenim conſeruatio ſpecierum fit beneficio primarum qualitatum, ut declaratum eſt in libro de Memoria & reminiſcentia, & declarauimus etiam nos in ſuperioribus. Quare cùm intellectus ijs qualitatibus careat, ut etiam illa retentione careat neceſſe eſt. Opus igitur erit ad eius intellectionē phantaſia, & intellectu agente abſtrahente, alioquin nunq́ intelligeret: q̄nunq̄ moueret̃ ab obiecto, quippe qđ nō eſt in ipſo, ſed extrinſecus aduenit: & cùm ſit pura potentia, nunq́ intelligeret. nō eſt ergo neceſſariū, ut det̃ intellectus ſpeculatiuus idem numero æternus, ut uidetur dicere Auerroes: quia non eſt ſemper idem agens. etenim non eſt ſemper idem phantaſma, quod etiam habet rationem agentis: efficiens ergo intellectionem idem numero non eſt æternum. Ex quo non poteſt ſequi, ut factum ſit æternum. & falſum eſt, intellecta ſpeculatiua nō eſſe generata & facta: quoniam in unoquoq́ generantur & fiunt, eo modo quo generatio & corruptio conuenit huiuſmodi rebus, quamuis intellectus eſſet unicus: quia ipſe (ut dictum eſt) non poteſt retinere ſpecies. neceſſe ergo eſt ad intellectionem, ut ſemper phantaſma abſtrahatur à materia, & educat ſuam ſimilitudinem ex potentia ipſius intellectus: alioquin crearetur. & ſi educit ex potentia materiæ, neceſsitas cogit ut ſit de nouo facta: non ergo erat æterna. ac licet intellectus poſsibilis ſit unus numero, nō tamē ſequitur ut intellectū ſit unū numero, quia intellectū eſt uariū & diuerſum ratione phātaſmatis, ſicut imagines in ſpeculis ſunt uariæ & diuerſæ ex diuerſitate obiectorū, q̄uis ſpeculū ſit unū, ita licet intellectus ſit unus numero, res tamē intellectæ ſunt uariæ, & nō eædē numero, ex diuerſitate ipſorū phantaſmatū, à q̄bus depēdēt in eſſe, & in cōſeruari: ſicut imago in ſpeculo depēdet & in eſſe & in cōſeruari ab obiecto. nō ſunt ergo unica intellecta, ut dicebat Auerr. ſecū-

dum

dum recipiens: quia licet recipiens ſit unum, non tamen ſequetur ut recepta non poſſint eſſe multa: alioquin omnia quæ intelligerentur ab intellectu noſtro eſſent unum, ita non poſſet intelligere intellectus intereſſe inter hominem & aſinum, ſi quia ipſe eſt unus, res quæ recipiuntur eſſent unum: etenim tunc non eſſent diuerſæ. Quamuis igitur fatendum uideatur, intellectum poſſibilem ſemper intelligere, cùm ponatur unicus, ex his fundamentis, falſis tamen, in omnibus hominibus: & cùm res intellectæ ſint æternæ. non tamen neceſſe eſt, ut ſemper intelligat idem: quia eius intellectio, eſt diuerſa ex phantaſmatum diuerſitate. & fieri poteſt ut dentur noui artium & facultatum inuentores, ut diximus: quia fieri poteſt ut quis inueniat artem, quam neſciat fuiſſe unquam in uniuerſo, ſed ipſam excogitat ex rebus ipſis. Quòd uerò illa ars fuerit inuenta infinities, nihil prohibet, quin ille dicatur eius inuentor, propterea quòd inuenta eſt ab ipſo, perinde ac ſi nunquam fuiſſet inuenta. Quòd enim ab alijs fuerit inuenta, nullam hoc ei opem, nullum auxilium attulit ad eam inueniendam: & eſt, quatenus ad hanc ipſam inuentionem attinet, perinde ac ſi nunquam inuenta fuiſſet. Textus ergo illi Ariſtotelis inter ſe cohærent, quòd uidelicet fieri poſſit ut infinities in hominibus reiterentur eædem opiniones, & quòd harum opinionum dentur primi inuentores. Dantur ergo literarum primi inuentores, & Dialecticæ, licet infinities fuerint inuentæ. Ad inuentionem enim ſatis ſuperq; eſſe uidetur, ſi ille qui inuenit aliquam artem, ita inueniat, ut nullum ei auxilium ad ipſam inueniendam afferat, quòd alias inuenta fuerit. Etenim eam excogitauit ex ipſis rebus, perinde ac ſi nũquam fuiſſet inuenta, ut dictum eſt. meritò igitur primus dicetur illius artis inuentor. Quòd ſi illa ars infinities fuerit inuenta, & amiſſa, nihil faciet ad eius inuentionem. ipſe enim non excogitauit illam artem ex inuentionibus prioribus, ſed ex rebus ipſis, ut dictum eſt. Ac licet nihil ſit dictum, quod non prius fuerit dictum: nihil tamen impedit, quin aliquid poſsit dici de nouo inuentum, eo modo quo diximus. ex quibus omnibus uidetur aſſerendnm, fieri non poſſe, ut intellectus idem ſemper intelligat: quia apparet fieri non poſſe, ut perdatur cognitio alicuius artis, & opinio: quia ſi opiniones & artes omnino non poſſent deperdi, falſo protuliſſet Ariſtoteles illa uerba: Non enim utiq; dicemus ſemel, neq; bis, neq; raro eaſdem opiniones reiterato factas in hominibus, ſed infinities. quia quod nunq; deperditum fuit in hominibus, id non poteſt dici iterari in ipſis hominibus, neq; ſemel, neq; bis, neq; raró, ſed infinities.

SECTIO QVINTA.

NEq; etiam uera fuiſſent illa uerba: Non enim ſemel, neq; bis, ſed infinities oportet putare eaſdem opiniones aduenisse ad nos. Quia ſi ſpecies humana ſemper habuiſſet illas cogitationes, falſè dicerentur infinities aduenire ad nos, quia illud quod habemus, & nobiſcum eſt, non poteſt dici ad nos aduenire infinities, ut perſpicuum eſt. Quare quod dixit Auerroes in tertio de Anima his uerbis: Quoniam cùm ſapientia & eſſe in aliquo modo proprio hominum eſt, ſicut modus artificiorum eſſe in modis proprijs hominum exiſtimatur, quod impoſſibile eſt, ut tota habitatio fugiat à philoſophia: ſicut opinandum eſt, quod impoſſibile eſt ut fugiat ab artificibus naturalibus. ſi enim aliqua pars eis ſcilicet artificis V. G. quarta terræ ſeptentrionalis, non carebunt eis aliæ quartæ. hoc enim declaratum eſt, quòd habitatio eſt poſſibilis in parte meridionali, ſicut in ſeptentrionali. fortè igitur philoſophia inuenitur in maiori parte ſui ſubiecti in omni tempore: ſicut homo inuenitur ab homine, & equus ab equo. intellectus igitur ſpeculatiuus non generabilis: neq; corruptibilis ſecundum hunc modum.) Hoc inquam quod dixit Auerroes, repugnare uidetur Ariſtoteli locis citatis. ex hac enim eius ſententia non darentur inuentores ſcientiarum: & ita falſum eſſet illud, propter admirationem cœpiſſe philoſophos philoſophari, & ut fugerent igniorationem. falſum item eſſet quod dixit in primo Rhetor. dari artes quæ nondum ſunt inuentæ: quia omnes eſſent (ut eius uerbis utar) in aliqua mundi quartá. falſum quoq; eſſet, eaſdem opiniones reiterari in homi-

Auerr. 3. de Anim. tex. com. 5.

1. Rhet c. 2.

in hominibus, ſi eas ſemper habuiſſemus omnes. Quare falſum eſt etiam, intellectū ſpeculatiuum eſſe æternum hoc modo: etenim eſſet neceſſarium, ut intellectus ſemper intelligeret in aliquo ſingulari, ne ocioſus eſſet, quæ æterno tempore per ſucceſſionem duraret: quia non ſemper idem intelligeret. nam licet intellectus agens & poſſibilis ſint numero æterni, phantaſmata tamen non ſunt eadem numero æterna: neq; etiam res intellectæ numero ſunt æternæ, ſed ex ipſorum ſingularium ſucceſſione. Quare intellectus ſpeculatiuus qui oritur ex ipſis phantaſmatibus, non poteſt eſſe idem numero æternus. neq; ſimile eſt de hominibus ac de equis: quia ſi perderentur omnes homines, & omnes equi, non poſſent reiterari, quia eorum cauſæ particulares non poſſunt reuerti omnino in eadem diſpoſitione: quia homo nō poteſt fieri niſi ex homine, & equus niſi ex equo, ſicut in ſuperioribus ſatis ſuperq; nos oſtendiſſe arbitramur.

SECTIO SEXTA.

AD aliam autem quæſtionem, quæ uidebatur urgere, quòd uidelicet ſequeretur ut ſingulis ætatibus reperirentur homines ſcientes ea omnia quæ ſciuit Ariſtoteles, & cætera: Dicerem, non eſſe neceſſarium hoc ſequi. Ad probationem, quod idem nunc eſt cœlum quod fuit olim eius tempore, eædem ſunt res in ſpecie, idem eſt numero intellectus poſſibilis, eadem poteſt eſſe diſpoſitio phantaſiæ, & aliarum facultatum quæ ſeruiunt intellectui. ergo neceſſarium eſſe, ut quacunq; ætate aliquis ſciat omnia quæ ſciuit Ariſtoteles: Dicerem, fortaſſe non eſſe uerum, quòd Cœlum, quamuis ſit æternum in qualibet ætate, ſit in eadem diſpoſitione: quia perpetuò uarios habet aſpectus, & uarias diſpoſitiones ad iſta inferiora. ex quo ſequitur horum effectuum diuerſitas, ſicut ex eis quæ in ſuperioribus citauimus ſecundi lib. de Generatione, & corruptione tex. 56. ſatis clarum eſſe arbitramur.

2. de Gene. et cor. tex. 56.

Quod ſi etiam daretur, cœlum eſſe idem, & in eadem diſpoſitione ad iſta inferiora, & eaſdem eſſe res, eandemq; diſpoſitionem phantaſiæ & facultatum quæ intellectui deſeruiunt: non tamen ſequitur neceſſarium eſſe, ut ſingulis ætatibus reperiatur aliquis qui ſciat omnia quæ ſciuit Ariſtoteles, propterea quòd multa poſſunt accidere, impedimenta, quæ prohibeant homines ea diſcere, quæ didicit Ariſtoteles. etenim præter ipſam naturæ diſpoſitionem, multa alia ſunt ad diſcendum neceſſaria: quæ ſi deſint, fieri non poſſit ut homines hanc doctrinæ excellentiam conſequātur, etiam ſi nati eſſent ad ſcientias capeſſendas aptiſſimi. multis enim deſunt boni doctores, multis rei familiaris facultatis, ſine quibus fieri non poteſt ut commode literis operam nauent: multis parentes, aut alij qui eos ad literarum ſtudia, dum ſunt iuuenes atq; animo remiſſo & ad uoluptates procliui, incitent atq; inflamment. nō paucos etiam à ſtudijs prohibent diuturna bella, quæ in regionibus eorum geruntur, ut ſæpe accidit. Quare cùm tam multa neceſſaria ſint ad hanc doctrinæ excellentiam conſequendam, quæ cum maxima difficultate ſimul conuenire poſſunt, nemini mirum uideri debet ſi ſingulis ætatibus non inueniantur homines ita doctrinæ laude præſtantes. etenim rarò accidit, ut ſimul hæc omnia uni alicui & à natura & à fortuna contingant.

Illud etiam non prætermittendum puto, fieri poſſe, ut aliquo temporis puncto ſit aliqua diſpoſitio ipſius cœli, & cauſarum particularium ad aliquem effectum introducendum, quæ diſpoſitio non niſi longiſsimo temporis interuallo reditura ſit. quæ res erit cauſa, ut unus aliquis naſcatur ita ad literarum ſtudia aptus, ut eiuſmodi diſpoſitio duobus annorum milibus, aut tribus etiam non reperiatur. qualis fortaſſe fuit cœli diſpoſitio, & cauſarum particularium, quæ Ariſtotelem tulerunt. in eo enim opinor, omnia quæ ad omnium rerum cognitionem comparandam erant neceſſaria atq; utilia, diuina uoluntate, tam cumulate cōcurrerunt, ut nō maiori perfectione in aliquo alio conuenire poſſe uideantur. Atq; ut de ipſo corporis temperamento loquar, eo quòd aliud perfectius, & ad naturæ ſecreta inueſtiganda, aperiendaq;, & ad actiones humanas illuſtrandas, ac breuiter ad omnia illa ad quæ homines aptos natura finxit, aptius cuiquam ab ipſa natura contingere poteſt, equidem nemini arbitror: quòd ſi alicui contingeret, humanam id naturam, quæ non eſt uirtutis infinitæ, (habet enim certos fines, ac terminos, quos planè egredi non poteſt)

teſt)longo interuallo mea quidem ſententia excederet. Quare nulla admiratione affici debemus, ſi ſingulis ætatibus non naſcantur homines, qui eam rerum omniũ intelligentiam conſequantur, quam conſequutus fuit Ariſtoteles. non negamus tamen, fieri etiam nunc poſſe, ut alicui à natura ſimile temperamentum cõtingat, atq; ipſi Ariſtoteli contigit. nullam enim conſpicimus cauſam, quæ impediat, quo minus hoc euenire poſſit: ſed hoc perrarò euenire dicimus. quem enim duobus ante millibus annorum Ariſtoteli ſimilem proferre poſſimus? Quanquam etiã ut idem temperamentum daretur, longè eſſe difficillimum, ut reliqua omnia ad illam doctrinæ præſtantiam neceſſaria & utilia ſimul cum temperamento concurrerent. Quòd ſi hæc omnia uni alicui aliquando contingerent, tamen locum iam occupaſſe mihi uidetur Ariſtoteles, ut non uideam quomodo ille poſſet parem ingenij & doctrinæ laudem comparare, atq; ipſi Ariſtoteli ab omnibus tribuitur, ſemperq; tributa eſt. maiores enim honores ijs qui in aliquo uirtutis & laudis genere principes extiterunt habendos eſſe, neminem latêre arbitror. Quare nos quidem, qui tantum uirum conſecuti ſumus, & ij qui deinceps conſequentur, nullum maius induſtriæ decus, nullam ingenij laudem maiorem comparare poſſe uidemur, quàm ſi eius uerba & ſenſa recta interpretatione alijs explicare conabimur: quod certè eſt difficillimum, ob eas quas ſupra expoſuimus cauſas, quas hic repetere non eſt neceſſe.

Hæc autem dicimus, dum extabunt Ariſtotelis libri, qui quidem ſi iniuria temporum (quod Deus auertat) aliquando perirent, non nego (ex eius ſententia, qui dixit infinities fuiſſe eaſdem opiniones, & infinities redituras) fieri poſſe, ut aliquis naſceretur temperamento quo fuit ipſe Ariſtoteles, in quo etiam eadem fœlicitate concurrerent reliqua omnia, quæ in Ariſtotele cumulata fuiſſe diximus. ſed quoniam hoc fortaſſe perinde eueniret, ac ſcribit Ariſtoteles de mutatione locorum, quæ ex aquoſis arida fiunt, & contra, quam quidem mutationem non niſi longiſſimis temporibus fieri tradit, ita ut ad noſtram uitam omnino lateat priuſq; omnium gentium interitus fiant, & corruptiones, quam memoretur talis permutatio à principio uſq; ad finem: ſummis quidem precibus Deus optimus maximus orandus eſt, ut nobis Ariſtotelis libri conſeruentur. Iam uerò ex his, quæ dicta ſunt, perſpicuum eſſe arbitror, non ſequi, ut neceſſariò ſingulis ætatibus naſcantur aliqui homines, qui ſciant ea omnia quæ ſciuit Ariſtoteles: quo uidebatur propoſita quæſtio probare. ſed tantum fieri poſſe, ut naſcantur: id autem eſſe longè difficillimum, propter eas quas attulimus cauſas. cuius rei difficultas nimis etiam experientia ipſa comprobatur. Quare nihil uidetur aduerſus nos quæſtio illa concludere, id quod nobis propoſitum fuit demonſtrare.

SECTIO SEPTIMA.

AD aliam quæſtionem ab experientia ductã reſpondemus, nõ debere philoſophos experientiæ repugnare: uerumq; eſſe quod dicit Ariſtoteles, relinquendam eſſe rationem, & adhærendum ſenſui, cùm pugnant, propterea quòd illa ratio quæ ſenſui & experientiæ repugnat, non poteſt eſſe uera ratio, ſed uel probabilis, uel ſophiſtica: propterea quòd neceſſe eſt ueram rationem ſenſui & experientiæ omnino cõſentire. ſenſus enim eſt ille, ex quo philoſophi cognitiones ueras, quas habent, eliciunt. Vnde emanauit illuſtris illa ac peruagata propoſitio, omnem noſtram cognitionem ortum à ſenſu habere, ut diximus in ſuperioribus, & dicemus. Sed negamus experientia cõprobatũ eſſe per tot ſecula, ex ſolo aſpectu cœli prædici uerè futura, imò tantum abeſſe dicimus ut hæc diuinatio ipſa experientia conſtituatur & comprobetur, ut ab ea omninò reijci ac tolli uideatur. Quis enim eſt qui ignoret, Aſtrologos quatenus ad hoc ipſum diuinationis genus attinet, maiori ex parte in magnos ac manifeſtiſſimos errores ſemper incidiſſe, & quotidie incidere? nemo certè. hoc enim uerum eſſe, experientia ipſa omnibus demonſtrauit: demonſtrabitq;, ſi ad huiuſmodi prædictiones attentius animum ac mentem homines adhibuerint. Quare fit ut ſi aliquando uera prædixerint, aut prædicarint, hoc non ſit ipſi arti (quippe quæ falſis fundamentis nititur) ſed potius fortunæ & caſui attribuen- 6. Ethic.

attribuendum, quorum ſunt ea quæ minori ex parte eueniunt. horum enim non poteſt eſſe ars, uel ſcientia: ad quas ea tantùm pertinent, quæ ſemper, uel maiori ex parte eueniunt. Geomantia etiam, quæ (ut in ſuperioribus declarauimus) falſis fundamẽtis nititur, hac ratione ars uera diceretur: quam tamen ipſi Aſtrologi cõmentum eſſe uolunt, ac figmentum quoddam ad homines & principes illudendos inuentũ, nam nihilominus uera prædicunt aliquando Geomantici, quàm Aſtrologi.

Hoc idem perſpici poteſt de quocunque homine, qui profiteatur ſe futura prædicere, & quotidie prædicat: hoc enim ſatis ipſa experientia comprobatur. Quare ut nulla ſit Aſtrologorum experientia ad artem ſuam ſtabiliendam & confirmandam, neceſſe eſt. Multi præterea ſine Aſtrologia uera prædixerũt aliquando, ut Sibyllæ, & Bacchæ & omnes illi qui numine diuino afflati crederentur, & ſomniantes etiã. quos tamen omnes Ariſtoteles, ut in ſuperioribus uidimus, dicit prædixiſſe ex habitu corporis, & à caſu, non ex ipſo cœli aſpectu. Quare nihil eſt cur Aſtrologi experientiæ ſuæ tantum tribuant, qua conſtat Aſtrologiæ diuinationem labefactari, ac omnino conuelli. luce enim clarius oſtendit illa, non ſolum Aſtrologos maiori ex parte, de eis quæ attinent ad bonam uel malã fortunã falſa prædicere, uerùm etiã de eis quæ attinent ad ea quæ ſine aliquo medio ipſi cœlo ſubijciuntur, de quibus uera magis prædicere deberent. quo in genere ſunt pluuiæ, grandines, uenti, aëris & aquæ alterationes & mutationes, & alia huius generis complura. Quare idem uidetur rectè dici de iſta Aſtrologorum experientia, quod dictum eſt in ſuperioribus de Geomantium experientia, & Chiromantium. Neque illud dici poteſt, eos qui profitentur Aſtrologiæ diuinationem, maiori ex parte aberrare non artis uitio, ſed ipſorum culpa qui eam exercent. huius enim reſponſionis reiectio perſpicuè mihi ex eo loco patêre uidetur. Inſpiciantur enim quæſo ſingulorum annorum reuolutiones, quas Aſtrologi quotannis in publicum edunt: uidebimus maiori ex parte contrariũ euenire, atque prædicunt tantũ igitur abeſt ut Aſtrologia corroboretur ac ſtabiliatur experientia, ut ex ipſa eam omnino euerti atque conuelli liquidò appareat.

SECTIO OCTAVA.

QVod uerò attinet ad auctoritates ſummorum uirorum, qui hanc artem diu exercuerunt, eamque ueram eſſe teſtatum reliquerunt, quas non eſſe negligendas oſtendit Ariſtoteles: concedimus, auctoritates ſummorum uirorum nõ eſſe negligendas, immò maximam rationem earum habendam eſſe: ſed addimus, horum auctoritates opinionẽ noſtram corroborare atque ſtabilire, & diuinationem Aſtrologiæ omnino conuellere, propterea quòd plures, & longè doctrinæ laude clariores atque illuſtriores fuerunt ij, qui totis uiribus, toto (ut aiunt) pectore eam labefactare atque exterminare conati ſunt, quàm qui illã poſuerint ac defenderint: ut intelligi poteſt ex primo libro celeberrimi & doctiſſimi uiri Ioannis Pici, qui eos (ut mos eſt ipſius) diligentiſsimè recenſuit ac numerauit. Quare non uideo cur hac ratione non multo magis ſit Aſtrologiæ diuinatio reijcienda atque extirpanda, quàm ſtatuenda & retinenda. Quanquàm etiamſi non haberemus tot ſummorum uirorum auctoritates, quas contrà proferre poſſemus, cùm ueritas nobiſcum faciat, liceret illud reſpondere, auctoritates ſummotum uirorum (ut in ſuperioribus oſtenſum eſt) probabiles eſſe, non demonſtratiuas.

Ad auctoritatem autem Ariſtotelis, ſumptum ex ſexto Ethic. cap. 14. eadem reſponſio dari meo iudicio poteſt, quæ data eſt ad uerba tertij de Generatione animalium cap. 10. & ad alia etiam in proxima ſuperiori quæſtione prolata. Quod ſi aliquis urgeret dicens, & ſi plures, atque illi quidem illuſtriores Aſtrologiæ diuinationem reiecerint: tamen multos etiam fuiſſe non contemnendos uiros, qui de ipſa non malè ſenſerint, eamque ueram eſſe planè aſſeruerint: quos non conſentit rationi, ut omni ex parte à ueritate abhorreant. Etenim cùm Ariſtoteles de ijs qui à beatitudinis ratione alieni eſſe uidebantur, hæc protulerit uerba.

6. Ethic. cap. 14.
2. de Gene. Animalium cap. 10.

Neutros autem horum rationabile eſt peccare in totum, ſed ad aliquid: & plurima rectè dicere, non magis rationi conſentaneum fuiſſe, ut illi omni ex parte non errarent, ſed aliqua ex parte, & plurima rectè dicerent, quàm ut iſti, qui diuinationem Aſtrologiæ ueram eſſe affirmarunt: iſtos ergo non omni ex parte errare: igitur

ueram eſſe aliquam diuinationis Aſtrologiæ partem:non ergo eſſe omni ex parte reijciendam atq; extirpandam,ſicut in ſuperioribus concluſum fuit. Dicerem illud Ariſtotelis dictum eſſe ueritati conſentaneum,non tamen neceſſarium. etenim conſtat multos,& eos quidem egregios philoſophos extitiſſe,ut Empedoclem,Anaxagoram,Meliſſum & Parmenidem,& alios, quorum ſententias ſecuti ſunt multi, qui etiam in maximo honore habiti ſunt:& tamen Ariſtoteles,ut mihi quidem uidetur, luce clarius oſtendit,eos falſas omni ex parte opiniones accepiſſe.locos enim ab autoritatibus ductos probabiles eſſe,non neceſſarios,nemine latere arbitror,qui paulùm modò Ariſtotelis doctrinam deguſtauerit:fatemur tamen,eos egregios uiros qui diuinationem Aſtrologiæ approbarunt, non omni ex parte deceptos fuiſſe, neq; fruſtra laboraſſe: propterea quòd, qui cognoſcunt unam aliquam ex cauſis quæ neceſſariò ad aliquem effectum producendum concurrunt, magnam ex eius cognitione utilitatem conſequi poterunt.utile eſt enim ſcire omnes cœli aſpectus, non ad honores,& ad bonam fortunam conſequendam, & ad omnes eos effectus quos ſe ſcire iactant Aſtrologi,ſed ad terræ cultum adſerendum, ad plantandum, ad cædendas & inſerendas arbores,ad ſanitatem uel tuendam uel recuperandam, & ad omnes eos effectus de quibus in ſuperioribus longum habuimus ſermonem: eo tamen modo quo diximus,ut uidelicet intelligamus illos effectus non à ſolo aſpectu cœli dependere:ſed nobis eſſe notum,quatenus ad illam ipſam cauſam uniuerſalem attinere effectum illum ita futurum ſimpliciter & abſolutè: quæ quidem cognitio poteſt humano generi magnam afferre utilitatem ad res agendas,propterea quòd ex hac cognitione poſſumus ſcire cauſas particulares accommodare cauſis uniuerſalibus,quæ ex ſeipſis non poſſunt effectus diuerſos producere,& ita plerunq; quod uolumus efficere. Quapropter ij qui diuinationem Aſtrologiæ ueram eſſe affirmant,non omni ex parte à ueritate aberrarunt:decepti tamen ſunt, ut opinamur:quia uidentes homines ex hac cognitione ſæpenumero de nonnullis rebus eo modo,quo dictum eſt in ſuperioribus, uera prædixiſſe, uenerunt in eam opinionem, ut exiſtimarent,de omnibus rebus quæcunq; eſſent ex ſolo ipſius cœli aſpectu ueritatem poſſe ſimpliciter prædici. Peccaſſe enim uidentur ob cauſas in ſuperioribus allatas, fortaſſe ex fallacia ſecundum quid ad ſimpliciter:quæ opinio non ſolùm ut falſa reijcienda eſt,ſed tanq; generi humano maximè pernicioſa uelis remisq; (ut dicitur) fugienda nobis uidetur.

FINIS LIBRI TRIGESIMI

Excurſionis ſingularis certaminis.

SECTIO PRIMA

IAm ſatis ſuperq; nobis uidemur ex ſententia Ariſtotelis naturaliter lo-
quentis oſtendiſſe, ut polliciti in ſuperioribus eramus, Aſtrologiæ diui-
nationem non omnino eſſe reijciendam: ſed partim reijciendam, partim
ferendam: non eo tamen modo quo multi ex Aſtrologis eam conſtitue-
runt, propterea quòd putamus nos oſtendiſſe eorum ſententias ab Ariſtotelis ſen-
tentia, & à ueritate ipſa abhorrere, atq; omnino aliena eſſe. perſpicuum etiam ex di
ctis uidetur, ipſam Aſtrologiæ diuinationem ex ea parte quæ eſt ferenda, neq; intel
lectui noſtro, neq; etiam alijs rebus quæ ſunt in hoc mundo inferiori neceſsitatem
aliquam importare, ut multi perperam arbitrati ſunt. Argumentati autem ſumus ex
eis effectibus, quos ſenſu percipimus, cœlum producere, & ex uerbis Ariſtotelis:
rationes uerò ſumptas ex parte cœlo (ut quod in cœlo non ſunt imagines, ſigna, pa
res, antiſia, dodecaniemona, domus, & huiuſmodi alia, quibus utuntur Aſtrologi)
miſſas faciendas eſſe in hoc loco opinati ſumus, tum quia à Io. Pico celeberrimo &
doctiſsimo uiro abundè tractata ſunt hæc omnia: tum quia nos argumentati ſu-
mus, aſſentientes uera eſſe multa ex ijs quæ de cœlo narrant Aſtrologi. quibus e-
tiam datis exiſtimamus nos oſtendiſſe, eos decipi, putantes ex ſolo ipſius cœli aſpe
ctu fieri poſſe, ut de omnibus rebus quæ ſunt in hoc mundo inferiori, uera prædi-
cantur. ex quo ſequitur propoſitum noſtrum, nos uidelicet à cœlo non cogi.

7. Polit. cap. 7. Nec obſtat, quod Ariſtoteles ſept. Polit. hæc protulerit uerba: Nunc autem, qua
les natura ciues eſſe oportet, à nobis dicetur. forſan id uerò deprehendet quis, ſi in-
” ſpiciat ad ciuitates græcas, quæ benè gubernari dicuntur: & alterum terrarum or-
” bem, ut à gentibus uarijs incolitur. nam quæ frigidas regiones incolunt gentes, &
” quæ per Europam, animo quidem ſunt plenæ, mente autem & arte indigent, qua
” propter in libertate magis perſeuerant, diſciplinam uerò Reipub. difficulter recipi
” unt, ac finitimis dominari non poſſunt. quæ uerò circa Aſiam, intellectiua quidem,
” & artificioſa ſecundum animam, ſed ſunt ſine animo: quare gubernata & ſeruientia
” perſeuerant. At Græcorum genus, quemadmodum, ut mediam regionem locorũ
” ſortitum eſt, ſic etiam amborum particeps eſt. nam & animo ualet, & intellectiuum
” eſt: ex quo fit, ut in libertate perſeueret, & diſciplinam Reipub. optimè recipiat, &
” unius Reipub. conditionem ſortitum imperare omnibus poſsit.

Hæc inquam uerba non obſtant ſententiæ noſtræ, quibus uidetur Ariſtoteles
apertiſsimè ſignificare, cœlum eſſe cauſam ingenij & artium: quia nos conceſsimus
in ſuperioribus, cœlum concurrere ad omnes effectus horum inferiorum, tanquam
cauſam uniuerſalem, quæ multum in producendis effectibus bonis uel malis ualet.
Quare urbes quæ optimum cœli aſpectũ ſunt conſecutæ, longè melius ſeſe habere
dicimus, quàm illas quæ ſub prauo cœli aſpectu ſitæ ſunt: negamus tamen ob hoc
cœlum nos cogere, quia non eſt ſola cauſa horum effectuum. Etenim concedimus
etiam, quæ bonum cœli aſpectum conſecutę ſunt, longè melius ſe habere, ſi bonas
habuerint cauſas particulares, quàm ſi malas ac prauè diſpoſitas: propterea quòd
maximam uim habent ad effectus particulares producendos, ſibiq; aſsimilandos,
cauſæ particulares, licet ſimpliciter cauſæ uniuerſales maiorem uim habere aliquo
modo uideantur. Verba igitur Ariſtotelis allata nihil uidentur ſententiæ noſtræ re-
pugnare. quam rem firmiter ex ſententia Ariſtotelis tenere (ut opinor) poterimus,
ſi conſiderabimus librum de Cauſa longitudinis & breuitatis uitæ, & librũ de Mor-
te & uita, de Iuuentute & ſenectute, & alios libros particulares philoſophiæ natu-
lis: in quibus non reddit cauſam particulariũ effectuũ ex parte cœli, ſed ex cauſis
particularibus. quod quidem non feciſſet, ſi ſenſiſſet cœlum horũ omnium cauſam
uerã eſſe. ſuperuacanei enim eſſent illi libri, ut patet. Quod cùm abſurdum ſit, ut ſit
abſurdum id unde fluxit neceſſe eſt.

Quare reuertendũ modò eſt, unde egreſsi ſumus: uidelicet ad eas auctoritates,
quæ ſumptę erant ex libro phyſonomiæ: ad quas reſpondentes in ſuperioribus di-
ximus, eas uerum concludere de animo, qui oritur ex potentia materiæ: & ſic intel-
ligi oportere, non aũt de intellectu, qui ſeiunctus eſt à materia.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

CVm uerò addebatur, reſponſionem hanc euertere phyſonomiam, ſi intellectus nõ ſequitur corporis paſsiones, neq; patitur ex paſsionibus corporibus, quia homo eſt maximè homo per intellectum: & tunc euenit, ut ex inſpectione corporis, & partium corporis non poſſemus iudicare qualis quiſq; eſſet, bonus'ne an malus & alia quæ dicta ſunt: quod planè nihil aliud eſt quàm euertere ipſam phyſionomiam: non ergo putandum eſſe, Ariſtotelem eo in libro intelligere per animas, ſolum ſenſitiuam, & non intellectiuam: dicimus, id quod in ſuperioribus concluſum fuit, conſentire Ariſtotelis doctrinæ, uidelicet per animas quæ ſequuntur paſsiones corporis, & ab ipſis patiuntur, Ariſtotelem deſignare animam ſenſitiuam, non intellectiuam. alioquin pugnantia loquutus fuiſſet: quippe qui dixerat (ut ex ſuperioribus perſpicuum fuit) intellectum eſſe impaſsibilem, non mixtum cum corpore, & ſeparatum à corpore. ex quo ſequitur, ut non poſſet pati à corpore. quot ſi loquens de parte animi, qui eſt intellectus, diceret ipſum ſequi corpus: neceſsitas cogeret, ut eſſet mixtus cũ corpore, & ſic nõ eſſet impaſsibilis ex motibus corporis. Quare falſum eſſet, eum eſſe impaſsibilem. Pugnaret igitur Ariſtoteles cum ſua ipſius ſententia: quod de tanto philoſopho in re tanti momenti aſſerere, eſt facinus (mea quidem ſententia) ex omnibus indigniſsimũ. Quare nihil meo iudicio impedire uidetur, quo minus interpretemur locum illum de anima ſenſitiua, præſertim cùm ex ſententia ipſius Ariſtotelis cogamur in homine ponere duas animas, ut dicemus etiam: quarum ſenſitiuam ponimus, pendere à corpore, & pati ad ipſius corporis paſsionem. Hanc uerò reſponſionem negamus phyſionomiam euertere. Ad probationem dicimus, falſum eſſe, ſi intellectus non ſequitur paſsiones corporis, fieri non poſſe, ut ex inſpectione corporis & partium corporis iudicetur qualis quiſq; ſit, bonúsne an malus, quando quidem illud ſit ex Peripateticorum doctrina perſpicuũ, duas in homine neceſſariò reperiri animas, ut diximus, & in ſequentibus etiam oſtendemus: quarum una dicitur anima intellectiua, cuius pars eſt intellectus paſsibilis, quo homo maximè eſt homo, qui quidem eſt à materia ſeiunctus. ſic autem dicitur, quia eſt in pura potentia non ſolùm in rerum natura, propter quam cauſam oſtendimus opus ei fuiſſe intellectu agente, ut forma: uerùm etiam ratione ipſorum intelligibilium. oſtenſum enim eſt, illum non eſſe mixtum cum ſpeciebus, itaq; non poterat ſe ipſum redigere ad actũ intelligendi. opus ergo ei fuit obiecto, quod moueret ipſum, & redigeret ex potentia ad actum. ſed obiectum hoc non poterat intellectum mouere, niſi eſſet præſens illi (hoc enim perſpicuum eſt) neq; poterat ei fieri præſens ui ſua, niſi beneficio alicuius partis animæ, quæ eſſet educta ex potentia materiæ, ut palàm etiam erit in ſequentibus. Etenim obiecta, quæ ſunt extra animam, quia ſunt ſingularia, & ualdè materialia, non poterant ab extremo ad extremum proficiſci ſine medio: non poterant ergo ſine aliquo medio moueri intellectũ. oportebat igitur, ut homo præter intellectũ haberet aliã animã, quæ moueretur primo à ſenſibilibus, propterea quòd hoc non poterat fieri ſine anima: neceſſe enim erat, ut illud ſenſibile abſtraheretur aliquo modo à materia, ac tranſiret de extremo ad extremum ſine medio: quod non poterat, ut perſpicuum eſt, fieri ſine anima, quæ eſſet educta de potentia materiæ, alioquin non potuiſſet moueri ab ipſis ſenſibilibus: quippe quæ ſunt ſingularia. opus ergo fuit hac anima, quæ ipſi intellectui præſens ſubminiſtraret obiectum, quod poſtea beneficio intellectus agentis moueret ipſum intellectum poſsibilem, ex quo motu intelligeret. quare neceſſe fuit, niſi uellemus ponere hominem eſſe otioſum, quod quin planè fugiendum ſit in dubium uenire non poteſt, ut in eo poneremus has duas animas, quibus homo conſtituitur in eſſe hominis, licet maximè ex anima intellectiua. homo enim eſt propter operationem. quod cùm detur, fieri non poteſt ut intellectus intelligat, niſi beneficio huius animæ, quæ planè quia ſine aliquo medio mouetur à ſenſibilibus, ſenſitiua dicitur. itaq; neceſsitas cogit, ut intellectus intelligat id quod ei præſens ſit ab hac anima: quod fit, dum ipſa habet obiectum ſingulare. Quare dictum eſt, neceſſe eſſe intelligentem ſimul phantaſmata ſpeculari in homine. ergo duæ erunt animæ neceſſariò, quarum una erit abſtracta à materia, altera nõ abſtracta ob cauſas dictas. ſed quoniam illa anima quæ non eſt abſtracta à materia,

eſt in nobis, ſicut brutorum animalium animæ: & quia homines maiori ex parte uiuunt ex hac anima, qua conueniunt aliquando cum brutis (uiuunt enim appetitu & concupiſcentia, & non intellectu & ratione) & iſta anima utitur corpóre, & órgano corporis, & ſequitur paſsiones corporis, quoniam educta eſt ex potentia corpòris: neceſſe eſt ut ex inſpectione corporis & partium corporis poſsimus iudicare maiori ex parte, qualis quiſq; ſit homo, bonúsne an malus, prudens an imprudens. & quoniam communicamus aliquomodo hac anima cũ brutis animalibus, ut diximus, quæ uidentur ſemper ſequi eius paſsiones, quia carent ratione corrigente: ideo ex inſpectione corporis brutorum, & partium corporis, ex natura ipſorum iudicamus de ipſis hominibus, propterea quòd homines maiori ex parte, (ut dictũ eſt) uiuunt & operantur ex hac anima, ſicut faciunt bruta. Quare ipſa phyſionomia optimis ſundamentis nititur: quod non accidit Pyromantiæ, Hydomantiæ, Geomantiæ, Chiromantiæ, & Aſtrologiæ diuinationi. Sequitur enim complexionem, ex qua complexiône maiori ex parte uiuunt homines. Quare rectè à nobis fuit dictum in ſuperioribus, phyſionomiam dari: & ita dari, ut non ſit alia ſacultas ex eis quibus homines utuntur ad prædicendum ſutura, quæ uerioribus innitatur ſundamentis. iſta enim ſupponit cauſas uniuerſales & partieulares, quod non facit diuinatio Aſtrologiæ: & uidet (quod utinam non eſſet) homines maiori ex parte uiuere ex complexione, & ex hac anima quæ patitur ex paſsionibus corporis, & alteratur ad eius alterationem. Non mirum igitur eſt, ſi uera dicatur hæc ars, cur ea declaret quæ maiori ex parte eueniunt. hoc enim ſatis eſt ad facultates: quippè quæ ſunt de eis quæ ſemper ſunt, uel maiori ex parte: non tamen nobis imponit neſsitatem, quia nihil impedit (ut in ſuperioribus declarauimus) quin ex intellectu, quo maximè ſumus homines, uiuamus: quemadmodum ex ipſo uiuunt homines boni & prudentes, qui ratione ſuperant appetitum & concupiſcentiam. quo quidem poſito, non ſequitur id quod ipſa phyſionomia indicabat: quippè quæ non imponit nobis neceſsitatem, ſed tantummodo ualet propterea, quòd homines maiori ex parte uiuunt ex ſenſu, ſicut bruta animalia. Ex eis ergo quæ dicta ſunt perſpicuè liquet, non ſequi, ſi intellectus non ſequatur corporis paſsiones, & homo ſit maximè homo per intellectum, ut ex inſpectione corporis & partiũ corporis nõ poſsimus iudicare qualis quiſq; ſit homo, bonúsne an malus, prudens an imprudens: propterea quòd etſi intellectus nõ ſequitur paſsiones corporis, anima tamen ſenſitiua ex qua plerunq; (ut dictum eſt) uiuunt homines, & ſine qua intellectus non poteſt operari, ſequitur paſsiones corporis, & mutatur ex mutationibus corporis, de qua anima intellexit Ariſtoteles primo phyſionomiæ, loco in quæſtionibus citato. Ratio igitur allata tantùm abeſt ut phyſionomiam ob hanc cauſam euertat, ut ipſam maximè conſtituat.

SECTIO TERTIA.

CVm uerò addebatur, intellectum delirare ex maniã, mania autem fieri à corpore, ergo intellectum delirare à corpore, concedimus. At cùm inſerebatur, ipſum pati ex paſsionibus corporis: hoc eſt quod negamus. quia neq; per ſe patitur ex paſsionibus corporis, neq; per accidens.

Ad probationem concedimus, ex purgatione corporis intellectum liberari à mania. ſed hoc non fit, quia intellectus per ſe patiatur ad paſsionem corporis: ſed fit, quia ex purgatione corporis purgatur anima ſenſitiua, quæ pendet à corpore: quæ purgata rectè, particulariter diſcurrit, & obiecta rerum ipſi intellectui facit præſentia: quibus præſentibus, intellectus rectè operatur, & non inſanit. Ariſtoteles tamẽ in illis uerbis citatis intelligit de anima ſenſitiua, ſicut in alijs ſuperioribus, quę per ſe pendet à corpore.

Sed argumentati ſumus de intellectu: quia errante phantaſia, quæ ei obiectum facit præſens, neceſſe eſt ut ipſe erret. ſed hoc non fit, quia ipſe aliquid patiatur: ſed euenit, quia illa pars animi quæ ei ſeruit, patitur. nôn ergo ex hoc ſequitur, intellectum per ſe pendere à corpore: quia malè affecto corpore, malè ipſe afficiatur: & curato corpore, liberetur à mania. Atq; hæc reſponſio oritur ex demonſtratione, qua oſtendimus intellectum non eſſe mixtum cum corpore, ſed indigere uirtute exiſtente in corpore ad ſuam operationem, ut obiectum quod mouere debet intellectum, faciat præſens ipſi intellectui, eiq; illud ſubminiſtret.

Ad

Ad confirmationem autem, quæ ſumebatur ex lectione 14. Problematum, aſſentimur, optimam temperiem non corporis ſolum, uerùm etiam intelligentiæ hominis prodeſſe. etenim qui habet optimam temperiem, optimè diſcurrit particulariter, & optimè obiectum intellectui ſubminiſtratur. quo fit ut intellectus & facilè & rectè intelligat. & hoc eſt, propter quod in ſuperioribus diximus, Ariſtotelem hanc propoſitionem protuliſſe: Molles carne, aptos mente. Quare opinandum eſt, Ariſtotelem impropriè loco citato temperamentum mentis nuncupauiſſe optimã temperiem, quæ ſeruit menti: non quòd re ipſa uoluerit ſignificare, mentem temperamentum habere. hoc enim euerteret eius demonſtrationem, & cum ſua ipſius ſententia pugnaret: quod planè omnium abſurdiſsimum eſt, etenim uerba ſunt redigenda ad rationem demonſtratiuam, quæ quidem apta nota eſt ſoluere omnes quæſtiones, quæ afferri poſſunt aduerſus eam rem quæ fuit demonſtrata. nõ ſequitur ergo ex iis uerbis Ariſtotelis, intellectum oriri ex temperamento corporis. Quare nihil uerba allata nobis concludere uidentur aduerſus ſententiam noſtram.

In eandem ſententiam uidentur eſſe accipienda uerba, quæ fuerant aſſumpta ex primo problemate trigeſimę particulæ. etenim cõcedimus, eos qui ualent ingenio, eſſe melancholicos: & qui ualent intellectu, ualere ingenio: & per id quod ſequitur neceſſariò, qui ualẽt intellectu, eſſe melancholicos: negamus tamẽ ex hoc oriri, ut intellectus ſequatur tẽperaturã corporis. etenim ſi ij qui ualent intellectu, ſint melancholici, non eſt quia intellectus pendeat ex habitu corporis: ſed eſt, quia corpus melancholicum eſt magis aptum ad ſeruiendum ipſi intellectui, & ſignum eſt eos qui ualent intellectu eſſe melancholicos: quia ualere intellectu, & rectè operari, eſt ſignum quòd corpus (quòd eſt ueluti inſtrumentum quo utitur intellectus) ſit benè diſpoſitum: intelligendo per inſtrumentum intellectus, corpus quod ſubminiſtrat ipſi obiectum: non quod intellectus habeat organum corporale, id eſt habeat partem determinatam corporis, in qua intelligat, ſicut uiſus habet oculum, quo uidet. hoc enim fuit reiectum ab Ariſtotele loco citato, & ſecundo de Anima. etenim intellectus in nulla parte determinata corporis opus ſuum perficit. ac licet quod ei obiecta rerum ſubminiſtrat, ſit phantaſia, quæ eſt in determinata parte corporis: tamẽ non indiget ipſe determinata parte corporis ut inſtrumento, in quo intelligat, ſed quod ſibi obiecta ſubminiſtret. & hoc indicat ipſum (ut diximus) non eſſe mixtum cum corpore. etenim illæ uirtutes, quæ rectè ſuis muneribus funguntur, nobis indicant ſe habere organa benè diſpoſita: alioquin fieri non poſſet, ut ſuis muneribus rectè fungerentur. fieri enim poteſt, ut aliquid, quod in ſui muneris functione indiget aliquo uelut inſtrumento, rectè munere ſuo fungatur, niſi inſtrumentum illud rectè ſe habeat. hoc autem non euenit intellectui, ea ratione qua eſt intellectus, ſed ratione corporis, quo indiget ad munera ſua obeunda. nam ſi intellectus ex hac uia, falſa tamẽ, ſit unicus in omnibus hominibus: neceſsitas cogit, ut quatenus ad ipſum attinet, idem ualeat in omnibus hominibus, alioquin non eſſet idem in ſubſtantia in omnibus. Quare ſi in uno uideatur pluſquàm in alio ualere, & uires ſuas magis exercere, in dubium uenire nõ poteſt, hoc non accidere ex parte ipſius intellectus. eueniet ergo ex parte diuerſorum corporum, & ita ex parte diuerſarum phantaſiarũ: quod poſtmodũ non arguit intellectum pendere à corpore. ac licet utatur corpore ueluti inſtrumento, quod obiectum ſibi beneficio intellectus agentis ſubminiſtret, & licet nunquam intelligat extra corpus: non tamen ſequitur ex hoc, ipſum ortum fuiſſe ex corpore: tum deniq; ortum ſuum proficiſci ex potentia corporis oſtenderet, ſi uteretur in ſuo munere fungendo parte determinata corporis. etenim uti aliquo modo corpore, & indigere aliquo modo corpore ad munera ſua obeunda, non oſtendit intellectũ eſſe eductum ex potentia corporis, & per id quod neceſſariò ſequitur mortalem eſſe: ſed ſi uteretur aliqua parte determinata corporis, & indigeret aliqua parte corporis determinata, in qua munera ſua exerceret, hoc omnino ſignum fore eius mortalitatis iudicant omnes ſenſitiuæ facultates, tam interiores quàm exteriores, quæ cùm in muneribus ſuis obeundis utantur parte determinata corporis, in qua munera ſua exerceant, ut ſimul cum ipſo corpore intereant neceſſe eſt. intereſt enim, utrum facultas aliqua utatur corpore ad munera ſua obeunda, an uta- 2. de Ani.

tur determinata parte corporis. nam fieri poteſt ut aliqua facultas animæ utatur
corpore,tanq̃ obiectum ſibi ſubminiſtrante ad munera ſua obeunda: & tamen nõ
pendeat in eſſe ab ipſo corpore,ut in ſequennibus dicemus etiam. ſed fieri non po-
teſt ut aliqua facultas utatur in ſuo munere fungendo aliqua determinata parte cor
1. de Ani. poris,& non educta ſit ex potentia corporis. Quare rectè dixit Ariſtoteles, ſi intel-
tex. 12. ligere eſt phantaſia,uel non ſine phantaſia,non contigit ipſum ſeparari à corpore:
quia ad intelligendum(ſi non eſt phantaſia)ſemper opus erit ut ſit in corpore, cu-
ius phantaſia eſt uirtus. ſine enim corpore phantaſia dari non poteſt. Quod ſi intel-
lectus non poteſt intelligere ſine phantaſia,non poterit ergo intelligere ſine cor-
pore. non tamen hoc indicat ipſum eſſe mortalẽ:quia quod intellectus nõ poſsit in
telligere ſine corpore,bifariã(ut dictum eſt)poteſt accipi:uno modo ſimpliciter &
abſolutè,non contrahendo nos ad hoc uel ad illud corpus (& hoc eſt uerisſimum,
ſed non indicat mortalitatem:)altero uerò modo, quòd non poſsit intellectus in-
telligere ſine hoc determinato corpore,& ſine parte determinata:& hoc eſt falſum.
etenim cùm hoc ſingulare corpus ſit corruptibile,euitare non poſſemus quin intel
lectus ad interitum illius ſingularis corporis interiret. ſi uerò intelligamus ipſum
non eſſe ſine corpore abſolutè,fieri poterit ut ſemper intelligat. etenim ſi non intel-
ligat in hoc,intelliget in illo:& ita per ſucceſsionem indiuiduorum in infinitum, æ-
terno tempore intelliget. etenim ſingularia hominum æterna ſunt per continuam
ipſorum ſucceſsionem ex fundamentis naturæ,falſis tamẽ,quatenus attinet ad hãc
Sect. 30. rem. Verba igitur Ariſtotelis ex libro Probl. ſectione 30. accepta, ſententiam no-
probl. 1. ſtram non conuellunt.

SECTIO QVARTA.

» NEq; illa uerba eiuſdem Probl. quæ addita fuerunt(uidelicet, Multi etiam pro-
» pterea quòd ille calor ſedimentis in uicinio eſt morbis ueſaniæ implicata, &
cætera)euertunt ſententiam noſtram,propterea quòd ex eis cogamur dicere men-
tem habere ſedem determinatam in corpore, quia aliter calor ille non poſſet eſſe
in uicinio ſedis mentis. etenim neceſſe non eſt atrribuere menti ſedem determina-
tam, ex eo quod Ariſtoteles dicat calorem illum eſſe in uicinio ſedi mentis,quia eſt
in uicinio ſedi phantaſiæ,quæ obiecta ſubminiſtrat ipſi menti:ex quo poſtea Sibyl-
læ efficiuntur & Bacchæ,& omnes quorum mentes diuina quadam ui concitari ui
dentur.& eſt cauſa,ut mens abalienetur. ſed quia ipſa phantaſia ſubminiſtrat ſine
medio intellectui,& eſt cauſa ut intellectus ita alienetur:ideo calor ille quo ipſa affi
citur,dicitur eſſe in uicinio ſedi mentis. Quanquam dicere poſſemus, per mentem
in eo loco Ariſtotelem intellexiſſe eam potentiam animi,quam(ut in ſuperioribus
diximus)alibi nuncupauit intellectum paſsiuum, quæ eſt ipſa phantaſia. ſed hoc
nihil refert,propterea quòd utrouis modo dicatur,nullum ſequitur abſurdum con-
tra id quod à nobis concluſum fuit. neq; illud item ſententiam noſtram infringit,
quod Sibyllæ & Bachæ,& qui diuino afflatu concitari uidentur,& poetæ præſtan
tiores,non morbo,ſed naturali intemperie ſic afficiantur,ob idq; uideantur oſten-
dere intellectum affici affectione corporis, quia illa ſint opera intellectus. etenim
hoc nõ accidit propterea,quòd intellectus afficiatur affectione corporis: ſed quia
pars illa quæ(ut diximus)obiecta ſubminiſtrat intellectui,ſine qua non poteſt in-
telligere intellectus,dicitur affici affectione corporis. Vel per intellectum accipit
eo loco Ariſtoteles intellectum paſsiuum,de quo in ſuperioribus longum habui-
mus ſermonem.

In eandem ſententiam trahenda nobis uidentur uerba illa eiuſdem problematis:
» Calor autem,qui eam continet ſedem qua ſperamus & ſapimus,facit ut ſecuro ani-
» mo ſimus. Ex quibus uidetur ſequi,intellectum habere ſedem in corpore: quia
potentia animæ qua ſperamus & ſapimus, uidetur eſſe intellectus, ut probant uer-
ba Ariſtotelis allata. etenim per eam ſedem,qua ſperamus & ſapimus, intelligit Ari
ſtoteles ſedem eius potentiæ animi, quæ ſubminiſtrat illi parti qua ſperamus & ſapi
mus. nam ſedes potentiæ ſenſitiuæ dicitur eſſe ſedes intellectus,propterea quòd eſt
ſedes eius potentiæ quæ ſubminiſtret intellectui. finis enim eius eſt intellectus. Li-
ceret etiã dicere, Ariſtotelẽ uocare ſedem qua ſapimus & intelligimus, intellectum
paſſiuũ:quo dici poſſumus ſperare & ſapere,nõ quidẽ ꝓpriè:ſed q̃a ille ſubminiſtrat
ei

ei parti animi qua propriè ſperamus & ſapimus. Neq; hoc alienum eſſe ab Ariſtotelis conſuetudine, oſtendunt illius uerba quæ in ſuperioribus citauimus ex primo Ethic. ubi dixit, partẽ animi concupiſcibilem carere propriè ratione: ſed tamen dici rationabilem, propterea quòd obtemperat rationi. Ita nihil impedire uidetur, quin pars animi quæ ſeruit illi parti qua ſperamus & ſapimus, quæq; illi obtemperat, eodem quo ipſa nomine appellet̃.

1. Ethic. ca. 9. & 18.

Verba igitur Ariſtotelis allata, & omnia alia quæ afferri poſſent, quę uideantur oſtendere intellectum noſtrum poſſibilem à corpore pendere interpretanda eſſe & accipienda eo modo quo diximus, luce clarius oſtendit demonſtratio, qua probauit intellectum noſtrũ non eſſe mixtum cum corpore, propterea ꝙ nõ habet inſtrumentũ corporale. alioquin cogeremur fatêri, Ariſtotelem non ſolũ pugnantia, uerùm etiam (quod multo fœdius eſt) negantia aſſeruiſſe: quod de tanto philoſopho proferre, in re tanti momẽti, & quæ poteſt bonũ ſenſum recipere, mihi quidẽ tam abſurdum uidetur, quàm quod abſurdiſſimum. Miſſum etiam facio, ſi uerba Ariſtotelis allata eo ſenſu accipiantur, quem primo intuitu pręſeferunt, demonſtrationẽ clariſſimam è medio tolli, ac funditus conuelli. Quod ſi detur, nõ uideo cur non omnes item demonſtrationes & naturalis & primæ Philoſophiæ in dubium uocẽtur: etenim nulla illarũ eſt hac demonſtratione (ut diximus in ſuperiorib. & ut dicemus) euidẽtior. Nihil igitur auctoritates allatæ ex probl. & ex libro Phyſionõ. impediunt, quò minus liceat dicere, ſicut diximus: Ariſtotelẽ uidelicet illis in locis eſſe loquutũ de ijs animi facultatibus, quæ oriuntur ex potẽtia materiæ, quæ ſunt ſenſitiuæ & concupiſcibiles, quęq; impropriè dicunt̃ intellectus, ſicut etiam impropriè uocantur rationales: non de intellectu propriè, quẽ demonſtrauimus ſeiunctũ eſſe à materia. etenim illę partes animæ, cùm oriantur ex potẽtia materiæ, ſequuntur neceſſariò corporis alterationes, & patiuntur ex paſſionibus corporis, ruſuſq; ex earum paſſionibus patitur ipſum corpus. Quod ſi ob hoc intellectus dicitur pati, nõ ideo dicitur quia propriè patiatur ipſe, ſed quia patitur ea pars quæ ſubminiſtrat ipſi uelut inſtrumentum. ſicut ſi diceremus Citharedum pati, quia Cithara, qua utitur in pulſando, patiatur. Neq; ob hoc exiſtimandum eſt, intellectum habere organum corporale, quia indiget phanthaſia & corpore ſibi obiectum ſubminiſtrante, tanquam inſtrumẽto & organo ad operandum: quia non eſt ſenſus iſte uerborum Ariſtotelis. Etenim Ariſtoteles negare non poteſt, quin phantaſia, quæ ſubminiſtrat intellectui, non ſit intellectus inſtrumentum, & ſit corporale. quod enim ſubminiſtrat alicui, ut eius inſtrumenrum dicatur neceſſe eſt: non enim ſubminiſtraret illi. ſed eius ſententia fuit intellectum non habere organum corporale, id eſt, non habere determinatam partem corporis, in qua propriè munus ſuum & operationem exerceat; ut declarauit in 3. de Anima, tex. 6. & in 2. de Generatione animalium, cap. 3. ſicut habent reliquæ partes animæ, ut uiſus, auditus, olfactus, tactus, phantaſia, memoria, & ſenſus communis, quæ potentiæ habent partes corporis determinatas, in quibus munera ſua obeunt: quæ partes ſi deficiãt, eorum ſenſuum operationem deſitere, ita in promptu eſt, ut nulla oſtenſione indigere uideatur. intellectus uerò nullam determinatam corporis partem habet, ob eam quam in ſuperioribus attulimus cauſam, in qua munus ſuũ exercere poſſit: ſed in toto corpore id exerceat neceſſe eſt. Quare ſequebatur, ipſum non eſſe mixtum cum corpore, & ſeparabilem eſſe à corpore, & impaſſibilem: uti tamen corpore tanquã inſtrumento, quod ei ſubminiſtret obiectum: non autem ut in aliqua eius parte intelligat, ſicut dictum eſt. Quibus omnibus palàm factum eſſe arbitror, Ariſtotelis auctoritates ſumptas ex phyſionomia, nihil penitus concludere, quod intellectus immortalitati aduerſetur. Quare ad alias quæſtiones diſſoluendas proficiſcendum eſt.

3. de Aĩa: tex. 6.
2. de Gen. anim. ca. 3.

SECTIO QVINTA.

ERat alia quęſtio, uidelicet pondus corporis reddere tardiorem mentem, & ſenſum communẽ: ergo neceſſe eſſe, ut anima patiatur à corporis paſſionibus. Ad quam quæſtionem reſpondentes, negamus conſequentiam.

Ad probationem, quòd pondus corporis mentem non impediret, niſi ipſa à corpore penderet, hoc etiam à ueritate abhorrere, eis quæ dicta ſunt perſpicuum

 eſſe

eſſe arbitror:propterea quòd fieri poteſt, ut pondus corporis mentem impediat ad intelligendum, & tamen ipſa non pendeat à corpore, utpote educta ex potentia illius corporis,licet pendeat à corpore:quia ſine ipſo non poteſt(ut dictum eſt)intelligere. etenim obiectum intelligibile non poſſet ipſam mouere. Cùm igitur in intelligendo pendeat à corpore,tanquam ab eo quod ei obiectum ſubminiſtrat, & corpus graue non poſſit illi ea ſinceritate & puritate obiectum ſubminiſtrare, qua corpus magis leue: nemini mirum uideri debet, ſi dicatur pondus corporis reddere ipſam tardiorem,& ſenſum cōmunem,quia non cito & ſincere ſubminiſtrat eis obiectum.non tamen ſequitur,ob hoc ipſam mentem ex corpore ita pendere,ut ex eius potentia educatur.etenim quamuis pondus corporis & mentem & ſenſum cōmunem tardiores reddit,nos tamen eodē modo.nam per ſe pōdus corporis reddit tardiorem ſenſum communem,quia ipſe oritur ex potentia corporis : per accidens uerò,id eſt per aliud dicitur reddere tardiorem ipſam mentē, propterea quòd partem illam quæ ipſi menti ſeruit, tardiorem reddit. Quam interpretationem uidetur Ariſtoteles ſignificaſſe tex. citato ex quarto de Partib. ubi inquit: Solus aūt animalium homo erectus eſt, quoniam eius ſubſtantia atque natura diuina eſt : officium aūt diuini eſt,intelligere & ſapere. Si ergo mens diuina eſt, fieri non poteſt ut ex potentia materiæ educta ſit:non poteſt ergo ex pōdere corporis per ſe reddi tardior.neceſſitas igitur cogit,ut ſi reddatur tardior ex pondere corporis,hoc eueniat ex accidenti,non per ſe:id eſt,ratione alterius,non ratione ſui ipſius. Tantū igitur abeſt(meo quidem iudicio)ut ex uerbis citatis colloqui poſſit animi mortalitas, ut omnino ex illis ipſis immortalitatem concludere poſſimus.ea enim quæ ſunt diuina , non intereunt.

4. de Part.

Neque fieri poteſt ut dicatur Ariſtoteles nuncupaſſe mentem diuinam , non quia eſſet æterna, ſed quia omnibus cæteris animi facultatibus honore & dignitate antecelleret. Etenim hoc aſſeri non poteſt: quia addidit, officium autem diuinorum eſt intelligere & ſapere.Intelligere autem ſolum,præter hominem,conuenit Dijs. Cùm ergo dicat mentem intelligere , quod eſt officium diuinorum, ut ipſam inter uerè diuinā ponat,in dubium nemini ſano uenire poteſt.Etenim ponit eam inter ea quæ intelligunt,quæ ſunt diuina. quare ex hoc ipſo loco non modò nō ſequitur animi mortalitas,ſed eum eſſe perpetuū,atque omnino à corpore ſeiunctum , niſi plumbei ſimus exiſtimare cogimur. Quod ſi præterea addit,quod non facile eſſet, ſi iuſta corporis moles aſſideret, ut intelligatur : hoc euenire ratione corporis, quod ei ſeruit,neceſſe eſt. Alioquin uerba iſta poſteriora pugnarent cum prioribus. non enim hæc inter ſe cohærere poſſunt, mentem eſſe diuinam, & eductam eſſe ex potentia corporis. alterum enim ab altero tolli atque euerti,nemini poteſt eſſe dubium: quandoquidem nullam diuinitatem habeant,quæ ex potētia corporis educuntur,ſed omnino ſint materialia. quod quidem ab earum rerum quæ diuinæ ſunt natura abhorrere neminem latere arbitror.

SECTIO SEXTA.

QVod uerò poſt hanc quæſtionem addebatur,excellentiam animi in animalibus ſpectari ex copioſiori caliditate corporis,quod probabatur ex lib.de Inſpiratione:ex eoque inferebatur,animum neceſſariò oriri à corpore:concedimus auctoritatem,at conſequentiam negamus. Concedimus enim,excellentiam animæ in animalibus cognoſci ex cōpioſiori caliditate,ita ut ſit ſignum perfectioris animi: quoniam natura excellētiori animo tradit excellētius inſtrumentum. ſed negamus ex hoc ſequi, omnem animæ facultatē naſci ex corpore. eſt enim hoc uerum de eis duntaxat animi facultatibus,quæ ex potentia corporis oriuntur:de quibus loco citato ex libro de Inſpiratione uideť Ariſtoteles intellexiſſe. Quod ſi copioſior caliditas in homine oſtēdat excellentiam intellectus,hoc non euenit,quia intellectus naſcatur ex potētia corporis : ſed quia intellectus cùm ei contigit excellentius inſtrumentum,longè melius operationes ſuas exercet , quàm cùm inſtrumentum deterius conſecutus eſt. Quare ratio ſumpta ex libro de Reſpiratione , ſententiam de intellectus immortalitate non ſolùm euertere, ſed ne minima quidem ex parte labefactare uidetur.

Ad

Ad aliam quęſtionē dicimus, animam noſtram, uidelicet intellectiuā, eſſe immortalē: non tamē ſequi, ut idem numero Socrates poſſit reuerti ad probationē. concedimus, in diſſolutione Socratis remanere materiā & formam æternam, quæ eſt anima intellectiua: negamus tamen poſſe eundē numero Socratem reuerti, quia non remanet anima ſenſitiua, & phantaſia, quæ quidem præter materiam & intellectiuam animam erant neceſſaria ad Socratis conſtitutionem: quę quum ſint corrupta, fieri non poteſt ut Socrates idem numero reuertatur. Quod autē præter materiam ingenerabilem & incorruptibilem, & animam intellectiuam, ad Socratis conſtitutionem ſit neceſſaria anima ſenſitiua, ex eis quæ dicta ſunt in ſuperioribus, & ex eis quæ dicentur, erit perſpicuum. Quod quidem non accidit mundo, propterea quòd ratio Ariſtotelis uim habebat ex hoc, quòd probantur partes omnes mundi æternæ, & poſſe diſſolui: quo poſito, ſequebatur ut infinities poſſent ſimul conſtare. Sed hoc nihil repugnat ſententiæ noſtræ: quippe qui non ponimus omnes partes neceſſarias Socratis poſt eius obitum remanere.

Ad eam uerò quæ ſequitur quæſtionem reſpondemus, falſum eſſe, operationem noſtri intellectus non eſſe æternam, quia intelligere eſt æternum: ut dicebat Ariſtoteles in tertio de Anima, tex. 20. non enim quādoq; quidem intelligit, quandoq; autem non: ſed ſemper, ſupple intelligit. 3. de Anima. tex. 20

Ad probationem dicimus, nos intelligere aliquam hominis operationem eſſe æternam: quia ex ratione naturali ſcimus intellectū eſſe æternum, & ſingularia per ſucceſſionem eſſe æterna, & res intelligibiles in ſpecie eſſe ęternas. ex quibus ſequitur, neceſſarium eſſe ut intelligere ſit æternum. 2.

Quod uerò dicitur, nos uidere interitum ſingulorum hominum, interire omnes operationes intellectus: dico hoc uerum eſſe, tamen quia non uidemus omnes homines, ſed aliquos interire, neceſſarium eſt ut aſſeramus, etiam nos non uidere operationes omnes intellectus interire: quod erat neceſſarium, ut ratio alicuius momenti eſſet: nihil ergo contra nos.

Erat alia quæſtiò, quòd motis nobis, neceſſariò omnia quæ ſunt in nobis, moueantur: ergo intellectus, quia eſt in nobis, mouebitur, non erit igitur æternus: æterna enim ſunt immobilia per ſe & per accidens. 2. Top. cap. 24.

Ad quam quęſtionem reſpondemus, illuſtrem illam & peruagatam propoſitionem. Quòd motis nobis moueantur omnia quæ ſunt in nobis, intelligi de ijs quę pendent à nobis: ſed intellectus licet ſit in nobis, & in nobis operetur, non tamē nobis motis, mouetur ipſe, neq; per ſe, neq; per accidēs: quia in eſſe ex nobis non pendet, ſed extrinſecus accedit. Etenim ſubſtantiæ abſtractæ ſunt in corporibus cœleſtibus: motis tamen corporibus cœleſtibus non mouentur illæ, neq; per ſe, neque per accidens, propterea quòd non pendent in eſſe ex corporibus cœleſtibus. & id quod dicimus de intelligentia (uerbi gratia) lunæ, quæ eſt nunc in parte occidentali, & cras erit in parte orientali, nihil impedire (meo quidem iudicio) uidetur, quin idem dicamus de anima Socratis, qui ex loco ad locum mouetur: in dubium enim uenire non poteſt, quin intelligentia lunæ tota ſit in parte illa cœli quæ dicitur corpus lunare, quæ nunc eſt in occidente, & cras erit in oriente: & tamen non dicimus ipſam intelligentiam moueri neq; per ſe, neq; per accidens. Si ergo uerum eſt dicere, animam corporis lunaris eſſe hoc puncto temporis in occidente, & alio puncto temporis eſſe in oriente, & tamen non erit mota, quia eſt à materia ſecundum eſſe ſeiuncta: non uideo cur non ſit uerum etiam dicere, animam intellectiuam quæ eſt in Socrate, hoc temporis momento eſſe in hoc corpore quod hic nunc eſt præſens, & alio momento temporis futurum in eodem corpore quod erit in alio loco, abſq; eo quod ſit mota, propterea quòd eſt à materia ſecundum eſſe ſeiuncta. neq; (mea quidem ſententia) negari poteſt hanc ſimilitudinē ualere, propterea quòd intelligentia lunæ perficit ut forma corpus cœleſte, quod eſt cōtinuum, & quod non mutat locum ſecūdum totum: anima uerò intellectiua perficit corpora nō cōtinua, ſed loco ſeiuncta & ſeparata, & mota ſecundum totum. hoc enim ſi benè conſideremus, non impediri uidetur hanc ſimilitudinem.

Nam etſi corpus cœleſte non moueatur ſecundum totum, mouetur tamen ſecundum partes. quia ut colligitur ex quarto Phyſic. loco etiam in ſuperioribus citato: 4. Phyſic. tex. 43. & 49.

Cœlum

„ Cœlum eſt in loco ratione ſuarum partium quæ intrinſecus ſunt, quarum una ſucce
„ dit in locum alterius, quia circulariter mouentur, & unaquæque pars continetur
„ ſub alia ratione circulationis. Etenim ſatis eſt quod in cœlo poſſint partes ſignari.
4. Phyſic. tex. 45. Et hoc eſt quod dixit Ariſtoteles eo loco quarti Phyſic. partes enim in loco quodam modo omnes ſunt. In eo enim, quod circulariter ſunt, continet alia aliam. ſi ergo moueatur ſecundum partes corpus cœleſte, & in ea parte quæ mouetur ex oriente in occidentē, uel econtrariò, reperiatur tota intelligentia, (eſt enim indiuiſibilis) non uideo quomodo non ſequatur idem abſurdum, ſi partes mutent locum, in quibus eſt uniuerſa intelligentia, ac ſi totum mutaret locum. Idem etiam ſequitur, ſiue ponamus corpus continuum, ſiue diuiſum: quia quod intelligentia moueatur neque per ſe, neque per accidens, hoc non proficiſcitur ratione continuitatis corporis, propterea quòd intelligentia non eſt extenſa ad extenſionem corporis. nihil igitur refert, quatenus ad hanc rem attinet, utrum eius bonitatem ſequatur, ut det eſſe corpori continuo, an ſeiuncto. non ergo tollit ſimilitudinem dictam, quod intelligentia lunæ ſit forma corporis continui, quod non mutat locum ſecundum totum, ſed ſecundum partes: anima uerò corporis diſcreti, quod ſecundum totum mutat locum: quoniam luce clarius perſpicuum eſt, hoc nihil, quatenus ad hunc ipſum motum attinet, impedire. Vera igitur fuit reſponſio, quòd motis nobis non moueantur omnia quæ ſunt in nobis, ſed ſolum ea quæ ex corpore moto pendent.
Quare neceſſarium eſſe uidetur, ut aſſeramus, hanc ipſam propoſitionē, acceptam
2. Top. ab Ariſtotele in ſecundo Top. ~~capite 24~~ contra ponentes ideas in nobis, acceptam
cap. 24. fuiſſe ut probabiliter, non uerè concluderet. Sicut etiam uidetur probabile id, quod in eodem cap. addidit: manifeſtum eſt quod ſunt, & ſenſibiles, ſi quidem in nobis
„ ſunt. nam per ſenſum qui circa uiſum eſt, eam quæ in unoquoq; eſt formam cogno
„ ſcimus. etenim hoc eſt falſum: quia ſenſus noſter non penetrat uſque ad ſubſtanti-
1. Phyſ. am, alioquin repugnaret eis quæ dixit in primo Phyſic. ubi dixit, innatam eſſe nobis uiam ex nobis notioribus ad notiora naturæ, & compoſita eſſe nobis notiora. ex ipſisq; nota fieri nobis principia, quæ ſunt formæ, ſubſtantia enim non eſt aliquo
2. de Anima. tex. 63. 64. & 65. modo ſenſibilis, ſed intelligibilis: ut patet ex ſecundo de Anima, tex. 63. 64. & 65. Ex hoc etiam colligi poteſt probabiliter acceptam fuiſſe in Top. propoſitionem quandam primo, & ſeptimo Meta. & in ſecundo de Generatione & corruptione
1. & 7. Meta. tex. 52. & in alijs locis. Vbi uerò diſputat Ariſtoteles contra eos qui ponunt ideas in nobis, non utitur hac propoſitione. Non obſtat etiam ijs quæ de animi immobi-
2. de Gen. et corrup. tex. 52. litate diximus tex. 62. 2. de Anima, ubi uidetur Ariſtoteles innuere, animam moueri ad motum corporis, cùm dicat, quòd corpus mouet: quia nō eſt uerum de anima
2. de anim. tex. 62. intellectiua. ſed ita locutus eſt Ariſtoteles, quia nondum demōſtrauerat, an aliqua pars animi eſſet à materia ſeiuncta, ut ipſemet ſignificationem apertam nobis dediſ
2. de anim. tex. 63. ſe uidetur in eodem lib. tex. 63.

Quod ſi aliquis diceret ſibi mirum uideri, eãdem animam eſſe in loco, & cùm eſt hic, & cùm ad alium locū mouetur, nec tamen moueri ipſo moto: Reſponderem, mihi quoq; idem mirum uideri. non tamē quia nobis uideatur mirum, propterea putare debemus uerum eſſe non poſſe. alioquin nunquam putaremus uerū eſſe, terram in medio cœli exiſtere, eamq; non moueri, neq; ad hanc cœli partem, neq; ad illam, quia ſurſum aſcenderet: neq; putaremus Antipodas dari, neq; extra cœlum nihil eſſe, neq; corpus neq; uacuum, quia uix poteſt hanc rē intellectus noſter percipere. Quis enim percipiat extra cœlum nihil eſſe, cùm poſſimus quærere, ſi aliquis ſupra cœlum conſtitueretur, nunquid is poſſet manū ulterius extēdere? quod ſi non poſſet, ergo neceſſe eſſet ut aliquid prohiberet, quod quidē non poſſet eſſe niſi corpus. ſin aūt poſſet, ergo neceſſe eſſet ut daretur uacuum. hoc enim facit, ut maxima cum difficultate intelligi poſſit, extra cœlum non eſſe neq; uacuum, neq; plenum. hoc tamē tam mirum, multis rationibus ueritati cōſentire oſtēdit primus omnium magiſter: nulla igitur neceſſitas obſtat, quin illa quæ etiã maximam nobis admirationē afferre uidentur, dicantur ueritati omni ex parte conſentire. Cur igitur neceſſe ſit fateri intelligentias neq; per ſe neq; per accidens moueri, cùm tamē partes in quibus totæ ſunt, moueantur, non uideo quid repugnet. Quare non licet idem de anima intellectiua aſſerere. Quod cùm detur, putare debemus alium modum eſſendi reperiri in

rici in eis quæ ſeiuncta ſunt à materia ſecundum eſſe, ab eo qui reperitur in formis, quæ ex potentia materiæ educuntur, qui quidem modus erit, ut poſsint eſſe in corporibus motis ſecundum locum, abſque eo ut ipſæ moueantur, ſiue per ſe, ſiue per accidens. Et hoc non ſine ratione uidetur contingere, propterea quod illæ non pendent à corpore: nos tamen, quia uidemus formas quæ ex potentia materiæ educuntur, moueri per accidens ad motum corporis, quod ipſæ mouent, putamus ita etiam eueni re neceſſariò formis ſeparatis exiſtentibus in aliquo ſubiecto. Sed ſi rectè conſideremus, uidebimus neceſſitatem cogere, ut aliter de formis materialibus, aliter de abſtractis ſentiamus. etenim quæ ex potentia materiæ educuntur, conſentit rationi ut dum mouetur corpus cum corpore trahantur, quia ex ipſo in eſſe pendent, & ſunt mixtæ cum illo: ſed quæ non pendent ab ipſo corpore, & extrinſecus accedunt, nō uideo cur cogamur fateri corpus eas ſecum trahere. Quod ſi neceſſe eſt fateri ipſas ineſſe in corpore exiſtente nunc in uno loco, & poſtea in alio, cogimur rationibus dictis putare hoc non fieri motu neque per ſe neque per accidens, ex quo motu poſsit concludi eas interire ad interitū corporis: ut ſequitur de formis, quæ mouentur per accidens ad motum corporis. Sed cogimur dicere, hoc fieri alia uirtute, quæ nobis perſpicua eſſe non poteſt ex ſenſu, ſed ſolum ratione. Hæc mihi uidentur dicenda ad auctoritatē illam, ex qua animi mortalitas ſequi uidebatur: quod uidelicet motis nobis, neceſſe eſt ut omnia quæ in nobis ſunt moueantur. Propoſitio enim illa, uidetur ob rationes dictas ad eam quem diximus ſenſum contrahēda atque coarctanda. quod ſi fiat, nō uideo quid aduerſus animi immortalitatem, quod ſit alicuius momenti, concludere poſſit.

SECTIO SEPTIMA.

AD id uerò quod ſubiungebatur ex ſententia nonnullorū, qui putabant rationē ſuam diſſolui non poſſe, reſpondentes, negamus conſequentiā: quia anima rationalis eſt æterna. & tamen uia, qua uſus eſt Ariſtoteles ad demonſtrādas formas materiæ expertes æternas eſſe, demonſtrat, poſitis principijs naturalibus: & à ueritate abhorret, demonſtrationes et rationes illas falſas eſſe. etenim rationes, quibus demōſtrauit Ariſtoteles formas cœleſtes eſſe abſtractas à materia, ſumptę ſunt ex proprijs operationibus illarum formarum, ut uerbi gratia, quòd mouent ęterno tempore eadem corpora: quod non poſſit cōuenire alijs formis, præter quàm cœleſtibus. Rationes uerò quibus utitur ad demonſtrādum, animam intellectiuam eſſe à materia ſeiunctam, ſunt ex ipſius animæ intellectiuæ proprijs operationibus, ſicut oportet: non enim aliter fieri poteſt. quæ propriæ operationes ſunt lōgè diuerſæ ab operationibus formarum cœleſtium, nam ſunt huiuſmodi. etenim ſi anima eſſet mixta cū corpore, fieret calida & frigida: & inſtrumentū haberet corporale, ſicut ſenſitiuū, quo fungeretur in ſuo opere exercendo. ſed cùm eius opus ſit, ut antequam intelligat, ſit pura potētia, & uniuerſaliter intelligat: ſequitur apertè, ipſam non habere organum corporale: ex quo emanat, ipſam non eſſe mixtam cum corpore: & per id, quod neceſſariò ſequitur, ut ſit impaſſibilis. Diuerſa igitur eſt operatio iſta ab illa. Quare tantum abeſt ut ex eiſdem rationibus oporteat omnes ſubſtātias abſtractas demonſtrari eſſe abſtractas, ut nullo modo hoc fieri poſſit. Etenim iſtæ ſubſtantiæ non ſunt eiuſdem rationis, licet conueniant in hoc quod ſunt à materia abſtractæ: ſunt enim diuerſæ: habēt igitur, ut conſtat operationes diuerſas: diuerſas igitur conſequutæ ſunt demonſtrationes. Nihil ergo quod iſti aſſerunt, concludit (ut opinor) aduerſus ſententiam noſtram.

Erat alia ratio, quòd uidelicet, ſi intellectus poſſibilis eſſet æternus, non indigeret agente. Cui reſpondentes negamus cōſequentiam: & dicimus ipſum eſſe æternum, quia non eſt mixtus cum corpore: indiget tamen intellectu agente, quia eſt in pura potentia, ut ex ſuperioribus patet, magiſque ex eis etiam quæ dicentur, patebit. Falſum præterea eſt, licet eius natura ſit longè ſuperior quàm res materialis, quòd prius intelligat ſeipſum ſine auxilio alicuius, quàm intelligat materiales formas: quia cùm ex ſua ipſius natura ſit pura potentia, nō poterat ſeipſum intelligere. quod enim eſt pura potentia, non poſſe ex ſeipſo in actum redigi, ita in promptu eſt, ut nulla penitus oſtenſione indigere uideretur, nōn poterat ergo intelligere ſeipſum ſine benefi-

cio

cio alterius: neq; poterat intelligere res extrinſecus exiſtentes, cùm eſſet abſtractus
à materia, niſi beneficio intellectus agentis, qui illas ex materia ſecerneret, ut in ſu-
perioribus declaratum eſt. etenim intellectus poſſibilis intelligit ſeipſum, intelli-
gendo opus ſuum. nam intelligens ſe intelligere omnia, intelligit ſe non eſſe mi-
xtum cum ſpeciebus à natura: & intelligens hoc, intelligit neceſſarium eſſe, ut ante-
quam intelligat, ſit in pura potentia: & per hoc deinceps intelligit, ſe non eſſe mi-
xtum cum corpore, propterea quòd ex hoc, & ex illo quòd intelligit uniuerſaliter,
intelligit ſe non habere organū corporale: & hoc intelligēs intelligit ſe non eſſe mi
xtum cū materia. & quia non poteſt intelligere uniuerſaliter niſi auxilio intellectus
agētis, ut demonſtratum eſt, falſum eſt quod prius intelligat ſeipſum quàm formas
materiales. qui quidē intellectus licet longè nobilitate ſuperior ſit rebus materiali-
bus, tamē quia eſt imperfectus, & pura potētia poteſt perfici à formis materialibus,
ut dicemus: non quatenus materiales ſunt, & ſua ui, ſed quatenus factæ ſunt imma
teriales auxilio intellectus agentis, & quatenus mouentia ſunt. qui quidem intelle
ctus agens eſt ipſo intellectu poſſibili longe præſtantior: deinde etiā mouens, qua-
tenus mouens, ipſum motum honore antecedit. & hoc modo intelligendo, nihil
abſurdi (meo iudicio) ſequitur, quod intellectus poſſibilis immortalitatem labefa-
ctet atque conuellat.

SECTIO OCTAVA.

AD aliam autem quæſtionem, quæ hanc ſequebatur, reſpondentes, dicimus à
ueritate alienum eſſe, intelligētias eſſe eiuſdem rationis in ſpecie: eſſent enim
multæ numero. quod ſi daretur, in dubium uenire non poſſet quin (ut ex eis quæ di
cta ſunt perſpicuè patet) eſſent generabiles, & corruptibiles: quod planè à ueritate
abhorrere, & ab Ariſtotelis ſententia, ita clarum eſt, quàm quod clariſſimum. ſunt e-
nim omnes inter ſe ſpecie differentes, & præſertim anima intellectiua, ratione intel
lectus poſſibilis, quæ differt omnino ſpecie ab alijs intelligentijs: quam quidem ſci
mus æternam eſſe, quia non eſt mixta cum ſpeciebus, neq; in pura potentia: & per
id quod ſequitur neceſſariò, non eſt mixta cum corpore, cùm ergo non ſit eiuſdem
rationis cum formis cœleſtibus (licet in hoc cum illis conueniat, quòd eſt æterna)
non planè efficitur, ut omnia quæ de intelligentijs inueſtigauit Ariſtoteles ſint at-
tribuenda intellectui potentiæ. Quare non ſequitur, ut quia aliæ intelligentiæ ſint
actu, ipſa ex natura ſua ſit actu, non potentia, ratio enim illa quæ oſtenditur illam
eſſe æternam, luce clarius oſtendit, non conuenire æternis, quatenus æternæ ſunt,
actu eſſe. materia etiam prima, quam eſſe æternam uia naturali in dubium uenire
non poteſt, eſſe in pura potentia, quatenus ipſa eſt, & non actu, ita in promptu eſt,
ut nihil magis. Quare cogimur fateri, dari aliqua æterna, quæ ſint ex potentia, ut
3. de Aīa. perſpicuè etiam patuit ex tex. 19. 3. de Anima. Quo in loco accepit Ariſtoteles, in-
tex. 19. tellectum agentem eſſe impaſſibilem: uidelicet, quia intellectus potentia erat
impaſſibilis. Hoc enim in doctrina Ariſtotelis perſpicuum eſt, quod uidelicet de-
tur aliquod æternum, quod ſit potentia, non actu, ut id quod indiget corpore in o-
perando tanquam ſubminiſtrante obiectum. ſed tamen rectè contingit dicere, con
uenire æternis, quæ neque in eſſe, neque in ipſorum opere indigent corpore, ut
ſint actu, & nullam habeant potentiam: quod ab intellectu poſſibili longè abeſſe,
oſtenderāt dictæ demonſtrationes, quibus (ut diximus) cognouimus ipſum in-
tellectum non eſſe mixtum cum ſpeciebus, ſed eſſe in pura potentia antequam in-
telligat, & non eſſe mixtum cum corpore. nihil igitur ſententiæ noſtræ (niſi falli-
mur) aduerſari uidetur ratio ablata: abijcienda igitur eſt tanquam à Peripatetico-
rum ſententia aliena.

Ad aliam autem quæſtionem, quæ erat, intellectum agentem eſſe cauſam, ut in-
tellectus poſſibilis intelligeret res materiales, ergo multo magis ipſum eſſe intelli-
gere, reſpondentes dicemus, conſequentiam illam omnino à ueritate alienam eſſe.
Ad probationem uerò negamus, quicquid eſt cauſa, ut alia intelligant, illud magis
intelligere, & prius etenim dicimus lumen eſſe cauſam ut uiſus uideat, non tamen
concedimus ipſam magis uidere.

Ad probationem illam autem illuſtrem & peruagatam, propter quod unum-
quodq;

quodq; tale eſt, & illud magis: reſpondemus illud idem quod diximus in primo libro Inſtitutionis noſtræ in primum Poſter. librum, interpretantes hanc ipſam propoſitionem ad hunc modum. Propoſitiones autem ex quibus una aliqua concluſio diſcitur, dicuntur eſſe illa ipſa concluſione notiores, propterea quòd quotieſcunque eſt aliqua affectio occidentalis, quæ duabus rebus non propriè conueniat, & uni quidem propterea conueniat quòd alteri prius conueniebat: tunc ijs conditionibus diligenter conſideratis uidebimus illam affectionem magis ſemper conuenire cauſæ, quàm effectui. Quod ſi dicatur, ut neceſſe uidetur, facilè diſſoluimus quæſtionem dictam: quia cognoſcere res materiales, non conuenit intellectui in actu. Non ergo in hoc caſu intelligitur propoſitio. homo enim eſt ebrius propter uinum, non tamen ſequitur uinum eſſe magis ebrium: iſta etiam corpora inferiora ſunt calida propter corpus cœleſte, corpus tamen cœleſte nō eſt magis calidum, nihil igitur contra nos.

SECTIO NONA.

PRæterea arguebat etiam Symon Portius, dicens: Si intellectus eſſet abſtractus à materia, non poſſet perfici à rebus materialibus: huis argumenti conſequentiam nos negamus. Ad probationem uerò dicimus, falſum eſſe, & à ſententia Ariſtotelis abhorrere, non perfici, & non moueri à materialibus formis, eſſe proprium intellectus abſtracti. hoc enim eſt, quod erat probandum. Etenim illud ſolum conuenit intellectui abſtracto, quod eſt actu ſimpliciter: nec fieri poſſe, ut unquā probet. Hæc, quæ dixerunt conuenire intellectui abſtracto ſecundum communem rationem intellectus oſtendit ratio, quæ probat intellectum poſſibilem eſſe à materia ſeiunctum.

Erat alia quæſtio, quæ hic urgeri uidebatur: Intellectus perficitur à formis materialibus, ergo non poteſt eſſe immaterialis. Cui quæſtioni reſpondētes, negamus etiam conſequentiam. Ad probationem dicimus, non abhorrere à ratione, ut aliquid, quod non ſit perfectum ſimpliciter, perficiatur ab imperfectiori non ſimpliciter, ſed aliquo modo: ut intellectus poſſibilis perficitur à rebus materialibus beneficio intellectus agentis. & quia res materiales, quatenus ſunt actu & mouentes, ſunt aliquo modo intellectu poſſibili perfectiores (licet ſimpliciter ſint imperfectiores) quia uidelicet eſt pura potentia in rerum natura, & quo ad res recipiendas.

Hoc item abſurdum ſequeretur, ſi poneremus intellectum poſſibilem eſſe materialem, quia non poſſet perfici ab alijs formis materialibus, propterea quòd ipſe etiam eſt longè perfectior omnibus alijs formis materialibus, à quibus perſpicuè patet ipſum intellectum poſſibilem perfici. Quare nihil impedire uidetur, quia perfectius, quod tamen non omnem habet perfectionem, poſſit aliquo modo perfici ab imperfectiori, præſertim beneficio alicuius perfectioris.

Nec ratio qua demonſtratum fuit, Deum non cognoſcere aliquid extra ſe, probat aliquid aduerſus noſtram ſententiam: propterea quòd declarauimus in ſuperioribus, rationem illam habere uim, quia Deus erat omnium diuiniſſimum, & optima omnium ſubſtantia, & perfectiſſima, & honoratiſsima, & immutabilis. ex quibus omnibus ſequebatur, ipſum non poſſe intelligere aliquid extra ſe: nam ſequeretur, ipſum non eſſe omnium diuiniſſimum, neque ſubſtantiam omnium optimam & perfectiſſimam & honoratiſſimam & immutabilem, ut oſtenſum eſt in ſuperioribus ex uia naturali, falſa tamē: quod quidem erat ita abſurdum, quàm quòd abſurdiſſimum. quæ quidem non conuenire intellectui poſſibili, qui eſt pura potentia, & infimus inter ea quę à materia ſunt ſeiuncta, nemini (qui modo ſit ſanus) dubium eſſe poteſt. Quare concludimus, nihil impedire quia illud quod non eſt optimum, nec perfectiſſimum ſimpliciter, ſed ei deſunt multæ pręfectiones, poſſit aliquo modo perfici ab imperfectiori ſimpliciter, non ab imperfectiori, ſecundū quid: quia illud mouens quatenus eſt actu, dicitur eſſe perfectius, quàm id quod eſt potentia, licet illud perfectius ſit à materia ſeiunctū. perfectius ergo aliquid poteſt ab eo quod eſt imperfectius, ſimpliciter perfici, non quatenus eſt imperfectum ſimpliciter, ſed quatenus ſecundum quid eſt perfectius, præſertim beneficio alicuius perfectioris, ut dictum eſt. Cogimur enim ita dicere ex demonſtratione Ariſtotelis, quæ probauit in

uit intellectum noſtrum poſsibilem eſſe abſtractum: & ex eo quod cognoſcimus ipſum intelligere formas materiales, ab iiſq; perfici: dicimus tamen hoc non oſtendere eius mortalitatem, propterea quod ſi eſſet etiam materialis, perficeretur ab omnibus alijs formis materialibus, quæ ſunt ipſo longè imperfectiores. etenim hæc eadem difficultas remanet, ſi ponatur etiam ipſum intellectum eſſe materialem: quia quærendum erit, quomodo poſſit intelligere alias formas materiales, quum ſit illis multo perfectior. Quod uerò perfectum poſſit etiam aliquo modo perfici ab imperfectiori, uidetur Ariſtoteles declaraſſe in primo Ethic. capite octauo, iis uerbis:

1 Ethic. cap. 8. Per ſe ſufficiens ponimus, quod ſolum eligibilē facit uitam, & nullius indigentia. » tale aũt eſſe fœlicitatem opinamur: præterea omnium aũt eligibiliſsimam, non con» numeratam: cõnumeratam aũt, manifeſtum quod eligibilior cum minimo bonorũ. » excellẽtia eñ bonorum fit, quod additur. motus aũt bonũ eligibilius ſemper. perfe» ctum autem quid uidetur, & per ſe ſufficiẽs fœlicitas, omnium agibilium exiſtens fi» nis. Quibus ſignificat, fœlicitatem, quæ erat eligibiliſſima, & ob eam rem perfectiſſima, non cõnumeratam fieri eligibiliorem, cum minimo bonorum, quod erat longè imperfectius ipſa fœlicitate. Videtur igitur perfectiſſimum perfici poſſe ab imperfectiori: quod tamen non poteſt intelligi de eo quod eſt ſimpliciter, & omni ex parte perfectiſſimum, ſicut eſt Deus optimus maximus. etenim fœlicitas illa non cõnumerata, non eſt fœlicitas omni ex parte perfectiſſima & eligibiliſſima, ſed ratione habita ad alia bona. nam fœlicitas, quæ eſt ſimpliciter perfectiſſima, complexu ſuo continet omnia alia bona, nec ei adiungi aliud bonum poteſt. ſed ſatis eſt ad rem noſtrã, ut aliquid perfectius poſſit aliquo modo perfici ab imperfectiori. Quare perſpicuum eſſe poteſt, propoſitionem illam non eſſe intelligendam ſimpliciter, ſed eo quo diximus modo: & tunc diſſoluta erit quæſtio illa, quam iſti maximè urgere exiſtimarunt.

Erat alia quæſtio, uidelicet quòd intellectus habet temperamentum ex ſanguine, ergo non eſt æternus. Cui occurrentes, negamus id quod antecedit: & dicimus illud idem quod in ſuperioribus diximus, colorē cordis puriſſimũ indicare temperamentum intellectus, quia indicat temperamentum phantaſiæ, quæ ſeruit intellectui. quæ etiã poteſt dici intellectus, quia ſeruit & obedit ipſi. & quia dicitur etiam intellectus paſsiuus, non ergo uult Ariſtoteles poſſibilem conſtare ex temperamento. neq; iſtæ interpretationes ſunt ſomnia, ducuntur enim ex ipſis Peripateticæ do-

1 Ethic. cap. ultim. ctrinæ fontibus. Neq; ſunt, ut oſtendimus ex primo Ethic. præter Ariſtotelis conſuetudinē. in dubium enim uenire non poteſt, quin ex optimo caloris temperamento intellectus noſter excellentius exerceat ſuum opus: quia phantaſia ex eo temperamento longè melius ei ſubminiſtrat obiectum.

Neq; ſequitur id, quod concludere conabatur ratio illa, quæ aſſerebat dari reminiſcentiam ex Ariſtotelis ſententia, ſi intellectus poſſibilis & agens eſſent æterni. Ad probationem enim dicimus, intellectum poſſibilem eſſe æternum, & agentem eſſe æternum, & rem intellectam eſſe æternam, quia eſt uniuerſale, & factum eſt æternum: ſed æterna dicuntur uniuerſalia facta, quia æterno tempore eſt ſucceſſio indiuiduorum à quibus ſumuntur. at non ſunt æternæ numero in hoc uel in illo, neq; in eodem: quia uniuerſale (uerbi gratia) animal, quod erat ante in intellectu meo, non eſt idem numero cum animali quod nũc eſt in ipſo intellectu: propterea quòd intellectus qui erat in me heri, hac nocte quieuerit, & non intellexit animal uniuerſale. etenim non datur memoria intellectualis quæ reſeruet phantaſma, ſed oblitus erat illius uniuerſalis, in me, quia phanthaſia mea quieſcebat in ſomno, & illi non offerebat ſpeciē illam: hodie uerò cùm è ſomno expergefactus fuit, oportuit ut phantaſia ex memoria acciperet omnia indiuidua animalis, quæ ſunt in ipſa. ut q; ea conſiderans intellectus agens inde abſtraheret formam uniuerſalem, quæ deinde mouet intellectum poſſibilem, is q; modus recipit illam, & hoc modo intelligit. ſed forma animalis proximè abſtracta, alia eſt numero ab illa quam heri percepit intellectus: eſt enim accidens intellectus. quod ſi dicantur uniuerſalia eſſe æterna, ideò dicuntur, quia ſingularia eorum ſunt per ſucceſſionem æterna, à quibus ſingularibus æterno tempore intellectus agens poteſt abſtrahere uniuerſalia: & ſatis eſt intellectui,

ctui, quòd forma animalis uniuerſalis nunc percepta referat eadem ſingularia, quæ
referebat forma heri percepta. etenim non uidetur neceſſariũ, ut uniuerſalia ſint æ-
terna numero, ratione etiam eiuſdem indiuidui, ob rationes dictas: multo minus er-
go in diuerſis indiuiduis erunt æterna numero, cùm referantur à diuerſis phan-
taſmatibus. quare ſi uniuerſale factum eſt æternum hoc modo, nõ eſt neceſſe ut de-
tur reminiſcentia: quia ſi intellectus poſsibilis & agens deſinerent informare Socra
tem, & unirentur Ariſtoteli, habitus uniuerſales qui erant in Socrate non remane
rent in Ariſtotele: quia corrumperetur phantaſia Socratis, & memoria, in qua erant
ſingularia illa, ex quibus intellectus agens abſtruxit uniuerſalia. quare perderentur
hæc omnia, opusq; eſſet ſi Ariſtoteles uellet intelligere, ut laboraret, & comprehen
deret ſingularia, à quibus ſubinde intellectus agẽs abſtraheret formas uniuerſales.
quod declarauit Ariſtoteles loco citato ex tertio de Anima, ubi dixit: Non remini- *3. de Aia. tex 20.*
ſcimur autem, quia hoc quidem impaſsibile: paſsiuus autem intellectus corruptibi-
lis, & ſine hoc nihil intelligit. In controuerſiam autem uenire non poteſt, quin A-
riſtoteles diſſoluat hanc queſtionẽ, ut colligi poſſe arbitramur ex eis quæ dicta ſunt
in ſuperioribus, dum explicaremus hunc textum: ad quem locum, ne nimij ſimus,
lectorem reijcimus. Non ſequitur ergo ex æternitate intellectus poſsibilis & agen
tis, ut detur reminiſcentia, propterea quòd Ariſtoteles reminiſcatur omnium habi-
tuum qui fuerunt in Socrate. nam oportuit ipſum laborare, ut ex ſingularibus acci-
peret uniuerſalia, ſicut dictum eſt. nihil igitur hæc prohibent quin intellectus ſit æ-
ternus, ex Ariſtotelis ſententia.

SECTIO DECIMA.

AD aliam quæſtionem fatemur, quod læditur & laceratur per ſe non eſſe æter-
num. quum uerò addis mentem lædi & lacerari, ſi intelligat per ſe, negamus:
ſi impropriè & per aliud, eo modo quo diximus, dabimus, ſed nihil contra ſenten-
tiam noſtram: quia dicimus Ariſtotelem innuiſſe mentem lacerari poſſe, & lædi:
quia eius inſtrumenta, uidelicet quæ ipſi ſeruiunt, lacerantur & læduntur. quod ſi
ipſa ob hoc dicitur lædi, impropriè dicitur: ut ſi dicamus citharedum læſum fuiſſe,
quia læſum fuerit eius inſtrumentum, non enim poteſt opus ſuum exercere.

Ad aliud quod additur, cor eſſe ſedem animæ ex ſententia Ariſtotelis in libro de
Iuuentute & Senectute, concedimus: quia ipſe loquitur de anima ſenſitiua. Quod *in lib. de Iuuentute & Senectute.*
ſi etiam de intellectiua intelligeretur, in eandem ſententiam trahẽda eſſent hæc uer
ba Ariſtotelis, in quam ſuperiora. quo item ſenſu accipienda ſunt illa ex libro de
Communi motu animalium: quę quoniam ex eis quæ dicta ſunt perſpicua eſſe arbi
tror, non opus eſt toties idem repetere.

Ad id uerò quod dicit Ariſtoteles, Mortem eſſe forti maximo dolori, quia finis
eſt, & nihil amplius mortuo uidetur eſſe neq; bonum neq; malum: dicimus hanc au
ctoritatem oſtendere tam immortalitatem quàm mortalitatem. quia ſi eſſet morta- *3. Ethic. cap. 9.*
lis intellectus, dixiſſet quòd mortuo nihil reſtat, & quòd non ſentit, neq; intelligit.
Sed uoluit (meo quidem iudicio) idem ſignificare, quòd dixit in primo Ethic. capi- *1. Ethic. cap. 15.*
te 15. ad hunc modum: Magis autem dubitantur fortaſſe circa mortuos, ſi alicuius
boni participarent, uel contrarij. uidetur autem ex ijs, ſi & peruenit ab ipſo quod- “
cunq;, ſiue bonum ſiue contrarium, debile quoddam eſſe, & prauum, uel ſimplici- “
ter, uel illis. ſed ſi eſt, non eſt tamen tale & tantum, ut poſſet facere beatos eos qui “
non ſunt, neq; ſi ſunt, ut poſsit auferre beatitudinem, & ea quæ ſequuntur. Quare “
ſicut in eo loco ſupponit immortalitatem animi, alioquin (ut dicemus) quæſtio illa
eſſet inutilis & inanis: ita in hac auctoritate, de qua auctoritate in ſequẽtibus etiam
pluribus agemus, uerum quomodocunq; ſit, nihil facit aduerſus ſentẽtiam dictam
ex demonſtratione Ariſtotelis naturaliter loquentis. quoniam cùm dicimus intelle
ctum eſſe æternũ, & unicum, & ſeparari ab indiuiduo particulari, ut à Socrate mor-
tuo non uidetur iam aliquid ipſi eſſe neq; boni neq; mali ex hac uia, falſa tamẽ: quia
corrupta eſt eius ſenſitiua, & intellectus ab eo eſt ſeparatus, non tamen ſequitur, ut
perſpicuum eſt, intellectum eſſe mortalem. ſatis enim eſt, quod à Socrate mortuo
ſit ſeiunctus: quia quatenus ad ipſum Socratem attinet, perinde eſt ac ſi interijſſet.

Ad id uerò quod addebatur, animã eſſe in loco per accidens, concedimus, ſi per animam intelligimus ipſam ſenſitiuam. ſi uerò per animam intelligamus intellectiuam, hoc eſt quod negamus, quia non eſt per ſe, neq; per accidens in loco, ut declaratum eſt.

4. Phyſ. Ad auctoritatem Ariſtotelis ſumptam ex quarto Phyſic. dicimus ipſum intellexiſſe de anima ſenſitiua, quæ extenditur ad extenſionem corporis, & in eſſe ab ipſo corpore pendet. ſi aũt intelligeret de anima cœli, ut uiſus eſt eo in loco innuere Auerroes, illud idem dicerem de intellectu, quòd diceretur de anima cœli.

Sed melius eſt ut Ariſtotelis uerba referamus ad eum ſenſum qui eſt uerus, & facilè intelligi poteſt, quàm ad ſenſum quem percipere ſine maxima uerborũ eius uiolentia non poſſumus. Quare dicimus, nihil ſententiæ noſtræ repugnare.

Cùm uerò addebatur, animam noſtram moueri propterea, quòd eius corpus mouetur, quod acceptum fuit ex 8. Phyſic. ad id iam reſponſionẽ dedimus in ſuperioribus. Concedimus enim illud quod eſt in corpore, & pendet à corpore in eſſe, moueri ad motum corporis: & hoc modo dicimus intellexiſſe Ariſtotelem. Sed quod eſt in corpore, & non pendet à corpore, neq; per ſe, neq; per accidens, mouetur à ſe ipſo, licet per accidens poſſit fortaſſe moueri ab alio, ut declarauimus in ſuperioribus, dum explicaremus illa uerba Ariſtotelis 8. Phyſic. Non eſt autem idem moueri ſecundum accidens à ſeipſo, & ab altero quidem ineſt, & eorum quæ ſunt in cœlo quibuſdam principijs, quæcunque ſecundum plures feruntur motus, alterum autem corruptibilibus ſolum. Quæ etiam uerba apertè indicant, textum citatum in eam ſententiam eſſe accipiendum, ut intelligatur de corruptibilibus ſolùm, ut nos aſſeruimus. etenim loquitur de eis quæ mouentur à ſeipſis per accidens, quæ non poſſunt eſſe niſi corruptibilia: non ergo textus ille labefactat ſententiam noſtram.

8. Phyſic. tex. 51.

Ad id uerò quod ſubiungebatur, intellectiuum nõ poſſe eſſe ſine ſenſitiuo, & ob hoc intellectum eſſe inſeparabilem: perſpicua eſt ad hanc quæſtionem reſpõſio, ex eis quæ à nobis ex ſententia Ariſtotelis declarata ſunt in ſuperioribus, cùm diximus intellectum eſſe ſeparabilem à corpore, & inſeparabilem: ſeparabilem ob hoc, uel ab illo: inſeparabilem uerò ſimpliciter, imò ſemper eſſe cum corpore. Dico igitur ſe qui ex ea auctoritate, intellectum eſſe inſeparabilẽ ſimpliciter à corpore, quia ſemper eſt cum phantaſia aliqua: cùm uerò infers, ipſum futurum eſſe in eadem particula corporis, in qua eſt ſenſitiuum & uegetatiuum: dicimus quòd eſt in omni parte corporis, quia eſt totus in toto, et totus in qualibet parte. eſt ergo in corpore, & operatur in corpore. Et concedimus, ſicut materia non poteſt ſeparari ab omni forma, ita intellectum non poſſe ſeparari ab omni corpore. hoc eſt enim quod conceſſimus & probauimus in ſuperioribus. Tantum igitur abeſt ut hoc dictũ ſententiam noſtram labefactet atq; infringat, ut eam maximè confirmet.

Erat alia quæſtio: Si intellectus eſt æternus, ergo eius materia deberet eſſe æterna. ad quam reſpondentes, concedimus conſequentiam. Cùm uerò dicis, falſum eſſe materiam eſſe æternam: hoc eſt quod negamus. Cùm addis, ſingularia eſſe corruptibilia: reſpõdemus, ipſa eſſe corruptibilia, ſingulariter per ſucceſſionem, tamen eſſe incorruptibilia. & hoc pacto ſunt materia ipſius intellectus.

Erat item alia dubitatio, quæ ingenia multorum doctiſſimorum hominum exercere uiſa eſt, quæ erat huiuſmodi: Nihil uidetur prohibere quin intellectus ſit generabilis & corruptibilis, & tamen ſit tantæ perfectionis, ut eſt: ergo eſt ponendus talis. Cui occurrentes, negamus id quod antecedit, ut ſit generabilis & corruptibilis, & ſit tantæ perfectionis. quia ſi eſſet generabilis, non poſſet intelligere uniuerſaliter: quæ eſt ſumma ipſius intellectus perfectio. Ad probationem dico, longè plus diſtare equum & elephantem & ſimiam ab ipſo homine, quàm diſtant oſtreę & uermes ab equis & elephantibus, & alijs animalib. perfectis: quia licet ſint ualde imperfecta comparata ad illa, tamen quum omnia habeant formas quæ ex materia proficiſcũtur, neceſſitas cogit, ut minus differant ab illis quàm formæ corruptibiles à formis incorruptibilibus. eſt enim inter ipſas tanta diſtantia, ut uix cognitione comprehendi poſſit.

Hac prętereà ratione poſſemus uti etiam ad probandum intelligentias ipſas, etſi ſint tãtæ perfectionis, tamẽ poſſe eſſe generabiles & corruptibiles, propterea quòd plus diſtent imperfectione oſtreæ & uermes ab homine, quàm homo ab intelligentijs. ſed illa oſtrearum & uermium imperfectio non obſtat, quin forma hominis ſit generabilis & corruptibilis: ergo ne forma quidem hominis impedit, quo minus intelligentiæ, quæ tantum excedunt formam hominis, quantum forma hominis excẽdit formam oſtrearum & uermium & elephãtum, ſint generabiles & corruptibiles. Quod cùm non ualeat de ipſis intelligentijs, neceſſitas cogit ut non ualeat etiam de homine, ſi bene res erit intellecta.

SECTIO VNDECIMA.

QVod uerò additum fuit ex ſententia Alexandri, nihil repugnare quin forma hominis quæ eſt perfectiſſima, fiat ex perfectiſſima mixtione elementorum, ergo ita ponẽdum eſſe: dicimus, id quod antecedit à ueritate abhorrere. propterea quod fieri non poteſt, ut ex perfectiſſima mixtione elementorum, quæcunque ea ſit, exiſtat forma quæ ſit tantæ perfectionis, quantæ eſt forma humana.

Ad probationem dicimus, quòd licet ex parua mixtione quatuor qualitatũ, fiat tanta differentia inter elementa, ut aliud ſit ignis, aliud aër: non tamen ſequi, ut poſſit eſſe tanta mixtio, & ita perfecta in homine & in alijs animalibus, ut fiant uirtutes perfectiores, cuiuſmodi eſt (uerbi gratia) forma hominis: quia perfectio quæ poteſt exiſtere ex optima mixtione elemẽtorum, habet determinatũ modum, ultra quem progredi non poteſt. Etenim nõ poteſt peruenire niſi uſque ad hominem, qui habet phantaſiam, quæ oritur ex elementis. homo enim eſt principium à quo incipit immortalitas, & in quo deſinit mortalitas. Hac itẽ ratione poſſemus probare, ſubſtantias abſtractas eſſe generabiles & corruptibiles: quia poſſent fieri ex perfectiori mixtione elemẽtorum, quàm fiat forma hominis: ſicut forma hominis fieri poterat ex perfectiori mixtione quàm formæ aliorum animalium. etenim quicquid dicetur de ipſis intelligentijs, dicam de forma hominis: aliquid ergo repugnat, ut forma hominis fiat ex perfectiſſima mixtione elementorum. etenim elementorũ mixtio non eſt tantæ uirtutis, ut ex ipſa poſſit oriri ea forma quæ operetur uniuerſalia uniuerſaliter, & abſtracta à materia: quandoquidẽ quæ oriuntur ex mixtione elementorũ; & per id quod neceſſariò ſequitur ex materia, non poſſent exercere operationem, quæ ſit ultra uires rei materialis, quæ cogitur operari ſingulariter.

Ei uerò quæſtioni quæ aſſerebat intellectum eſſe in corde primùm, & propterea ei ineſſe organum: negamus id quod antecedit, quia ex oppoſito conſequentis infertur oppoſitum antecedentis. Etenim conſequens apertè euertit dictum Ariſtotelis in 3. de Anima, tex. 6. Ad probationem ſumptam ex ſeptimo Meta. reſpondemus eodem modo quemadmodum in ſuperioribus: rationem uidelicet eſſe in corde primo, quia ibi eſt phantaſia, quæ diſcurrit particulariter, quæ dicitur ratio: quia ſubminiſtrat obiectum rationi, uel obedit rationi. negamus ibi eſſe rationem, id eſt intellectum diſcurrentem uniuerſaliter: propterea quòd cogeremur fateri, intellectui ineſſe organum corporale, ſicut ſenſitiuo, quod apertiſſimè Ariſtoteli repugnat. 3. de Anim. tex. 6. 7. Meta.

FINIS LIBRI TRIGESIMIPRIMI
Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER TRIGESIMVSSECVNDVS.

SECTIO PRIMA.

SEQVEBATVR deinceps alia quæſtio, quæ præter cæteras maximè urgere uidebatur. Delio enim uidetur indigere natatore. erat autem huiuſmodi: Si intellectus eſt æternus, ergo uel eſt unus numero, uel numeratus ad numerationem ſingulorum hominum. alterum enim duorum euenire neceſſe eſt, ut patet: ſed neutrum iſtorum poteſt dari, ergo non eſt æternus.

Ad hanc quæſtionem reſpondeo, quod ſæpius iam diximus, intellectũ noſtrum ex ueritate ſanctiſſimæ religionis noſtræ eſſe numeratum, ad numerationem ſingulorum indiuiduorum: ſed hoc tamen repugnare naturæ fundamentis. Quare niſi haberemus religionem, quæ hanc ueritatem luce clarius nobis oſtenderet, ut facit, cogeremur cedere rationi naturali: ſicut alijs in rebus, in quibus non repugnat religio, quandoquidem tunc cogimur ſequi ſenſum & rationem naturalem. ſed ubi fides oppoſitum oſtendit, ſequamur oportet ipſam fidem, relictis rationibus naturalibus: ut in ſuperioribus ſatis fuſè nos oſtendiſſe arbitramur. Hæc igitur concluſio una eſt ex illis quæ oſtenduntur ex fide, quæ omnino pro ueriſſima habenda eſt, eiq; ſine ulla dubitatione planè aſſentiendum: credendumq; tot numero eſſe animas rationales, quot ſunt ſingulares homines. tamen quia nos hoc in loco profitemur id ſolùm quod ex naturali ratione ſequitur, ut melius poſtea ſciamus quid credere debeamus ex fide, quid non debeamus credere, non dubitabimus, innixi fundamentis naturæ, ad quæſtionem propoſitam reſpondere: ex illo antecedenti, quòd uidelicet intellectus eſt æternus, ſequi intellectum eſſe unum numero in omnibus hominibus: idq; ob eas rationes quæ in ſuperioribus allatæ fuerunt, ad demonſtrandum ipſum intellectum non eſſe numeratum ad numerationem ſingulorum hominum: quas quidem rationes ex fundamentis naturæ, falſis tamen, uim habere, perſpicuè patere arbitramur. & quia per intellectum in hoc loco accipimus animam rationalem, quam diximus in ſuperioribus eſſe compoſitam ex intellectu poſsibili & agente, intelligimus habere uim ex fundamentis naturæ rationes eas, quæ probant animam rationalem non eſſe multiplicatam: non quæ probant ſolum intellectum non eſſe unicum, quia non eſſet pura potentia, & huiuſmodi aliæ. Has enim nullam uim habere conſpicuum eſt: quia animæ rationalis non eſt ſolum intellectus potentia, ut dictum eſt in ſuperioribus, ſed compoſita ex actu & potentia. Fateor igitur, rationes illas quæ demonſtrant intellectum noſtrum unum eſſe numero in omnibus hominibus re uera falſas eſſe: concludere tamen ex fundamentis naturæ, ut diximus.

Neque reſponſio nonnullorum ad tex. allatos ferenda eſt, meo iudicio: ut uidelicet, quòd habeat materiam, id eſt hæcaitatem, & huiuſmodi alia: quandoquidem textus per ſeipſi ita ſunt perſpicui, ut nulla interpretatione indigere uideantur. nihil enim eſt tam clarum, tamq; apertum, quàm illis planè oſtendi hanc cõſequentiam: In hac ſpecie ſunt multiplicata numero indiuidua: ergo ſunt generabilia & corruptibilia, aliter enim non eſſent multiplicata: quia nullam aliam ob cauſam natura multiplicat indiuidua in eadem ſpecie: etenim natura non facit per plura, quod ęquè bene aut melius efficere poteſt per pauciora. Quum uerò perpetuitati maximè conſultum uelit, ſi tribueret in ſingulari perpetuitatem uni ſpeciei, longe melius eſſet quàm per ſucceſſionem indiuiduorum: ſeruaretur enim melius perpetuitas, ſicut in intelligentijs quæ ſunt perpetuę, quia una tantum eſt in una ſpecie.

Si quis igitur diligenter animaduertat uerba Ariſtotelis, facilè intelliget omnes interpretationes, quas multi in locos citatos commenti ſunt, ſomnia eſſe delirantium, ut prorſus ſtultum uideatur contrà aliquid proferre: laudanda ta-

da tamen uidetur eorum uoluntas, conſiliumq́. ſed tamen longe melius feciſſent, ut diximus in ſuperioribus, ſi dixiſſent reijciendas eſſe rationes, demonſtrantes id quod falſum eſt. etenim multa uitaſſent incommoda, nihilq́ de ſanctiſsimæ religionis noſtræ ueritate, & auctoritate detraxiſſent, propterea quòd nullis ipſa nititur rationibus naturalibus: ſed ijs planè neglectis, ex ipſa ueritate ſanxit dogmata ſua, quæ ſciebat repugnare naturæ.

Quare nihil nos impedire debet, quin afferamus rationem naturalem oſtendere, in una ſpecie non dari multiplicationem indiuiduorum: neq; enim mirum hoc nobis uideretur, ſi lumine diuino non eſſemus illuſtrati. uideretur enim planè conſentire rationi, quæ ex natura ortum habet, ut multiplicatio indiuiduorũ in eadem ſpecie eſſet à natura comparata: quia nõ poſſet in indiuiduo ſeruare perpetuitatẽ, quippe qui nihil aliud propoſitum habeat niſi ut perpetuitatẽ ſeruet: fruſtra ergo plures homines procreaſſet, ſi in uno potuiſſet humani generis perpetuitatem ſeruare. Quare uenia digni mihi uidentur eſſe illi, qui nullo ſibi diuino lumine oblato, ſolam rationem naturalem ſequentes, in hanc falſam opinionem ſunt delapſi. Quo maiores quidem gratias, nos qui Chriſti ſeruatoris noſtri religionem ſectamur, Deo opt. max. agere debemus, qui ſummo eius beneficio ex maximis tenebris in clariſsimam lucem uocati ſumus.

SECTIO SECVNDA.

SEd erant multa abſurda, quæ hanc quã diximus ſententiam ſequi uidebantur: quæ tollenda ſunt. alioquin non firmam & ſtabilem, ſed errantem & uagam, in doctrina etiam naturali harum rerum opinionem haberemus. quod quidem maximè reprehendendum uidetur.

Primum ergo abſurdum hoc erat, fore ut ſemper intellectus intelligeret idem, & intellecta eſſent æterna, ſiquidem intellectus eſſet unus. Ad hoc reſpondeo, & nego ſequi intellectum ſemper intelligere idem numero, & intellecta eſſe æterna: quia ea, ut dictum eſt in ſuperioribus, ex quibus ſumebantur, erant æterna: at non neceſſariò æterna numero, ſed æterna in ſpecie per ſucceſsionem indiuiduorum.

Ad probationem concedo, patiens eſſe idem: ſed nego agens intellectionem eſſe ſemper idem: quia ad hanc, præter intellectum, concurrit etiam actiuè phantaſma, quod uariatur ad uariationem rerum quæ ſunt extra. non ergo erit idem numero effectus: ſed idem ſpecie: quam rem poſtmodum nullum ſequitur abſurdum.

Ad id uerò quod addebatur, quod tu eſſes per eſſe mei, & ego eſſem per eſſe tui: nego hoc ſequi ex dicta poſitione. Ad probationem autem concedo, illa eſſe eadem, quorũ tota ſubſtantia eſt una: quia ſi aliter intelligeretur falſum eſſet. Cùm uerò adiungis, intellectum eſſe ſubſtantiam plurium indiuiduorum, concedo: at non totam ſubſtantiam, ſed partem ſubſtantiæ, proptereaq́ ad eſſe ipſius Socratis præter animam intellectiuam, concurrit anima etiam ſenſitiua. ergo ſicut non ualet, ipſa indiuidua quæ habent eandem materiam, numero eſſe eadẽ, licet materia ſit de ſubſtantia, quia materia non eſt tota ſubſtantia indiuiduorum: ſic non ualet, indiuidua eſſe eadem, quia anima rationalis quæ eſt ſubſtantia, ſit eadem. nam præter ipſam, ex parte etiam formæ, neceſſaria eſt alia forma, ex qua ſimul cum anima intellectiua fit tota ſubſtantia ipſius Socratis, quatenus ad formam attinet: nihil ergo abſurdi ex poſitione dicta ſequi uidetur.

Quod uerò ſubdis, futurum ex hac intellectus unitate, ut homo non ſit generabilis & corruptibilis, quatenus homo, ſed ſolum quatenus animal: hoc eſt quod negamus: quia poſita intellectus unitate, homo quatenus homo, generatur & corrumpitur. Ad probationem conſequentiæ concedo, hominem eſſe hominem per intellectum: at dico eſſe etiam per phantaſiam. Quod uerò dicis, poſita intellectus unitate, ſi homo periret, non periret intellectus: ſed intellectus eſt id quo homo eſt homo: ergo, &c. dico, quod intellectus eſt id quo homo maximè eſt homo, ſed non eſt id quo eſt homo ſimpliciter: ſicut etiam tu conceſsiſti in argumento.

Sed ut etiam homo ſit homo per intellectum ſolum, nego: tamen futurũ ut non pereat quarenus homo, licer intellectus non pereat. quia homo, ut (uerbi gratia) Socrares, dicitur perire, non ſolum quia partes eius pereunt, ſed etiam quia ſeiunguntur à ſe inuicem. homo enim cõſtat ex anima & corpore, ergo eſt compoſitus: qua compoſitione diſſolura, non eſt amplius homo: ſicut domus non dicitur amplius domus, poſtquàm eſt diſſoluta eius compoſitio, licet lapides & cementum & ligna remaneant. nihil igitur contra poſitionem dictam urgere uidetur hoc argumentum.

Non minus item negandum eſt, illud ſequi ex intellectus unitate, ut cùm ego intelligo aliquid, tu etiam idem intelligas. Ad probationem concedo, intellectum recipere ſpecies: ſed nego recipere, niſi homo ſpeculetur etiam phantaſmata. quia licer intellectus dicatur locus ſpecierum, non eſt tamen locus qui conſeruet ipſas, ſed oportet ſemper adeſſe phantaſma, & adeſſe ante intellectum, ſicut ſenſibile ante ſenſum. Quare Ariſtoteles in tertio de anima: Et ob hoc neq; non ſentiens (inquit) nihil utiq; addiſcet, neq; intelliget: & cùm ſpeculetur, neceſſe ſimul phantaſma ſpeculari. phantaſmata enim ſicut ſenſibilia ſunt, præter hoc quod ſunt ſine materia.

3. de Anima. 39.

» »

Quare ut intellectus recipiat ſpeciem, neceſſe eſt hominẽ ſpeculari phantaſma: in omnibus uerò indiuiduis non eſt idem phantaſma: ergo nõ eſt eadem receptio. quia intellectus non intelligit ex ſe tantum, ſed ſemper relationem habet ad illud phantaſma, cuius corpus informat. quod cùm non ſit idem in omnibus, ſequitur ut non ſit etiam eadem intellectio in omnibus: Tum quidẽ ſequeretur, ſi intellectus poſtquàm recepir ſpeciem intelligibilem, retineret ipſam, nec eſſet neceſſe eum in quo eſt intellectus ſpeculari ſimul phantaſma: neq; refertur intellectus ſemper ad illud phantaſma, cuius corpus informat, & non cogeretur illud ſolum in illo ſubiecto intelligere. ex quibus ſequitur, ut intellectus non habeat uim retinendi ipſas ſpecies: quia ſi haberet, poſſet homo intelligere non ſpeculando etiam phantaſma. Cùm ergo non ſit eadem repræſentatio phantaſmatis in ſingulis indiuiduis, fieri non poteſt ut quod ego intelligo, tu intelligas eo ipſo temporis momento, quo ego intelligo. nam licer ſit idem intellectus ex ſua ſubſtantia, eſt tamen aliquo modo differens à ſe ipſo, cùm informat meum copus, et tuũ, ut dicemus: quia in te non eſt phantaſma quod occurrat intellectui. quamuis enim intellectus eo tempore quo recipit aliquam ſpeciem, ſimpliciter intelligat: id eſt, homo ipſo intellectu (intellectus enim ipſe propriè intelligere non dicitur, ſed homo intellectu) nõ tamen intellligit ratione tui, licet tuus intellectus recipiat illud intellectum. Etenim recipere aliquod intellectum, eſt intelligere, ſed non ratione tui: ſed ad hoc ut tu intelligas quod intelligit intellectus meus, requiritur ut phantaſia tua per quam ſeiungeris à me, ſubminiſtret intellectui inte illud idem, quod mea ſubminiſtrat intellectui in me. Sed cùm hoc non fiat ſemper, neq; neceſſariò, non ſequitur ut tu intelligas id quod ego intelligo: quia ad particularem intellectionem requiritur, ut res intellecta recipiatur in intellectu, & ut recipiatur à phantaſia particularis hominis: quia ſi quid ſubminiſtratur intellectui à phantaſia alterius hominis, tu illud receptum nõ intelliges, ſed ille cuius phantaſia ſubminiſtrat. Quare tu non potes tunc intelligere, quia non potes ſpeculari ſimul phantaſma illud. Hæc reſponſio aperte mihi uidetur ſequi ex uerbis Ariſtotelis. Sed nos in ſequẽtibus fuſius & clarius, in diſſolutione poſtremæ quæſtionis, hanc rem declaraturos putamus: quẽ locum lectores expectare uoluimus.

Item non ſequitur, ſi meus intellectus obliuiſcatur alicuius rei, ut eiuſdem obliuiſcatur etiam tuus, quia intellectus non habet memoriam: erenim memoria (ut perſpicuum eſt ex lib. de Memoria & reminiſcentia, & ex eis quæ dicemus) eſt per ſe partis ſenſitiuæ paſsio, per accidens uerò ipſius intellectus. Etenim recordatur intellectus, quia recordatur ſenſus. Quare ſi ſenſitiua potentia tua retinuit ſpecies, quas mea retinere non potuit: eo fit, ut intellectus obliuiſcitur in me alicuius rei, cuius tuus recordatur.

At hic dicet aliquis: Videtur fieri poſſe, ut intellectus intelligat ſine phantaſmate: ergo ſit, quod tu intelliges, ego intelligam: quia ſpecies intelligibilis erit in intellectu, & non ſpeculabitur ſimul phantaſma. Antecedens probatur ex uerbis
Ariſtotelis in tertio de Anima, tex. octauo, ubi dixit: Cùm autem ſic ſingula ſuit, ut 3. de Anim.
ſciens dicitur qui ſecundum actum, hoc autem accidit cum poſsit operari per ſeip tex. 8.
ſum, & eſt quidem tunc potentia quadam, non tamen ſimpliciter, & autem addiſcere & inuenire, & ipſe autem ſeipſum poteſt intelligere. Nam ſi poſsit intellectus operari per ſeipſum, ergo poterit intelligere ſine phantaſmate: ergo quod tu intelligis, omnes ſingulares homines intelligent, ſi eſt idem intellectus. ſed hoc eſſe falſum, experientia comprobat: ergo falſum eſt quod idem numero ſit intellectus in omnibus hominibus.

Ad hanc quæſtionem reſpondens, nego fieri poſſe ut intellectus intelligat ſine phantaſmate: quia non ſolum hoc dixit Ariſtoteles multis in locis, uerùm etiam
probauit in tertio de Anima tex 30. cuius hæc ſunt uerba, quæ citauimus etiam in 3. de Anim.
ſuperioribus ob alias occaſiones: Intellectiuæ autem animæ phantaſmata, ut ſenſi- tex. 30.
bilia ſunt: cùm autem bonum aut malum affirmat, aut negat & fugit, aut proſequi-
tur, propter quod nequaquàm ſine phantaſmate intelligit anima. Et in tex. 39. 3. de Ani.
quem locum citauimus etiam in ſuperioribus: Et cùm ſpeculetur, neceſſe eſt ſimul 39.
phantaſma aliquod ſpeculari. phãtaſmata enim ſicut ſenſibilia ſunt, niſi quod ſunt ſine materia. De qua re etiam inferius uerba faciemus. Si ergo phantaſmata ita ſe habent ad intellectum, ut ſenſibilia ad ſenſum: & perſpicuum eſt, ſenſum nõ poſſe ſentire ſine ſenſibili: ergo perſpicuum item eſſe debet, intellectum non poſſe ſentire ſine phantaſmate: alioquin non ita ſe haberet phantaſma ad intellectum, ſicut ſenſibile ad ſenſum.

Item, ſi intellectus poſſet intelligere ſine phantaſmate, profectò retineret in ſeipſo ſpecies: ergo haberet memoriam. Conſequens ab Ariſtotelis ſententia abhorret, ergo & antecedens: conſequentia perſpicua eſt. Conſequens autem ab Ariſtotelis ſententia diſcrepare ex multis locis colligitur, ſed maxime ex
libro de Memoria & reminiſcentia, ubi ita ſcriptum reliquit: Memoria autem, lib. de Me-
& ea quæ eſt intelligibilium, non ſine phantaſmate eſt. Quare intellectui ſecun- moria &
dum accidens utique erit, per ſe autem primi ſenſitiui. unde & alijs quibuſdam remi. c. 1.
eſt animalium, & non ſolum hominibus, & habentibus opinionem aut prudentiam: ſi autem intellectiuarum partium eſſet, non utique ineſſet multis aliorum animalium.

Si ergo Ariſtoteles ex hoc, quòd memoria intelligibilium non eſt ſine phantaſmate, infert, hanc memoriam eſſe ipſius intellectiui per accidẽs, & per ſe primi ſenſitiui: ergo non uult quòd intellectus recordetur, niſi quia ſenſus recordatur, non habet enim intellectus uim retinendi ſpecies.

Item probat, memoriam non eſſe partis intellectiuæ: quia ſi eſſet, inquit, partis intellectiuæ, non ineſſet multis aliorum animalium. at ineſt multis aliorum animalium: ergo non eſt partis intellectiuæ. Fieri ergo non poteſt ut intellectus intelligat, niſi intelligens ſpeculetur phantaſmata. Quare neceſſe eſt, niſi uelimus Ariſtotelem pugnantia aſſerere, ut recta interpretatione explicemus octauum tex. prolatum ad confirmandam & ſtabiliendam ſententiam noſtræ ſententiæ oppoſitam.

Dicimus igitur, quod cùm Ariſtoteles dixiſſet in quinto tex. non eſſe aliam naturam intellectus præter hanc, quod eſt poſsibilis: nec eſſe actu aliquod entium antequam intelligat: & in fine ſexti textus hæc uerba protuliſſet, Et recte ſunt dicentes animam eſſe locum ſpecierum, præter quod non uniuerſa, ſed intellectiua, neque actu, ſed potentia ſpecies, reiecta quadam tacita dubitatione. In tex. ſeptimo, ut diximus in ſuperioribus, reuertitur ad reſpondendum alteri tacitæ cogitationi, quæ ortum habere potuiſſet ex eis quæ dixerat. eſt autem huiuſmodi: Tu dixiſti intellectum eſſe potentia ſpeciem, non actu: at quando erit actu ſpecies? Reſpondere mihi uidetur, quòd tunc erit, cum ſic fiet ſingulæ ſpecies, ut ſciens ſecundũ actum. ſciens enim bifariã dicitur, ut declarauit Ariſtoteles multis

in

7.Ethic. cap.5. in locis, ſed maximè in ſeptimo Ethic. capite quinto. Etenim dicitur ille qui habet ſcientiam, & non utitur, uti dormiens, & non cogitans: & ille qui habet & utitur. Quare cum dixiſſet, intellectus fiet ſingula ſicut ſciens: ne aliquis crederet ſe intelligere de ſciente in potentia, id eſt qui habet, & non utitur: oſtendit ſe loqui de ſciente qui actu ſit. Voluit ergo dicere, intellectum eſſe tum actu ſpecies, cũ ſit ſingulæ ſpecies, id eſt cũ actu intelligit ipſa ſpecies. Et in tex. 37. & 38. tertij de Anima, 3. de Anim. 37 & 38. cum uellet oſtendere, quomodo anima uel intellectus fiant omnia: Dicamus iterum (inquit) quod omnia ea quæ ſunt quodam modo eſt anima. aut enim ſenſibilia quæ ſunt, aut intelligibilia, eſt autem ſcientia ſcibilia, ſenſu autem ſenſibilia. ſed quomodo hoc ſit, oportet inquirere. ſecatur igitur ſcientia & ſenſus in res, quæ quidem potentia eſt in ea quæ ſunt potentia, quæ uerò actu in ea quæ ſunt actu: animæ autem ſenſitiuum, & quod ſcire poteſt potentia, hæc ſunt, hoc quidem ſcibile, illud autem ſenſibile. neceſſe autem eſt aut ipſa, aut ſpecies eſſe, ipſa quidem non ſunt: nõ enim lapis in anima eſt, ſed ſpecies eius. Quare anima, ſicut manus. manus enim eſt organum organorum, & intellectus eſt ſpecies ſpecierum, & ſenſus ſpecies ſenſibilium.

Quibus uerbis ſignificat animam, cum habeat in ſe ſpecies quas habet: & dixit quodammodo, quia non ſimpliciter fit ſpecies, dici aliquo modo eſſe ipſas ſpecies quas habet, ſed aliquo modo. habens enim illas, fit aliquo modo ipſa. Quo circa rectè dixit Ariſtoteles quòd cum intellectus fit ſingula, ſicut ſciens actu dicitur eſſe ſpecies.

Sed quia aliquis potuiſſet quærere, quando ſciemus intellectum fieri ſingula? Reſpondere uidetur dicens: Hoc autem, uidelicet quod fiat ſingula, accidet tum, cum intellectus poterit operari per ſe, id eſt cum habebit actu ſpecies: quod ſcilicet tunc erit, cum facta fuerit abſtractio ab intellectu agente: quia tunc erunt receptæ ſpecies in intellectu, & intellectus intelligit per ſe ipſum, quia non indigebit amplius abſtrahente. Et quia aliquis potuiſſet etiam quærere, an futurum ſit amplius intellectus potentia cum habebit ſpecies, & non indigebit intellectu agente, quia erit ille ſpecies actu: reſpondere mihi uidetur Ariſtoteles, quòd tunc etiam cum intelliget omnia, erit intellectus potentia quodam modo ſupple ad intelligendum. ſed ea potentia quam habet cum intelligit actu ſpecies, non eſt eodem modo ſe habens, ſicut erat antequam intelligeret & inueniret: quia tunc erat longinqua potentia, & nullã habebat actu ſpeciem. ſed poſtquam didicit & inuenit, eſt in potentia propinqua, non ſimpliciter. eſt autem in potentia, quia dum actu intelligit ſpecies, ipſe ſe ipſum poteſt intelligere: quia intelligens ſe intelligere omnia quemadmodum declarauimus, intelligit ſe non eſſe mixtum cum ſpeciebus antequam intelligat: & intelligens hoc, intelligit ipſius non eſſe naturam quandam, neq; unam, niſi hanc quod poſsibilis eſt, qui uocatur animæ intellectus. Dico autem intelle- 3. de Anim. tex.5. ctum (inquit Ariſtoteles) quo opinatur & intelligit anima: & nihil eſt actu eorum quæ ſunt ante intelligere. Ex hoc ergo quod intelligit ſe intelligere, omnia intelligit, quod eſt potentia, quæ eſt eius natura. Cùm ergo intelligit ſingula, quod idem eſt quod omnia, & eſt actu ſingula quæ ſunt extra ipſum, eſt adhuc in potentia ad ſe ipſum intelligendum, ſed non eodem modo ſicut erat antequam intelligeret omnia, quia illa erat potentia remota, & iſta eſt propinqua. intellectus ergo dicitur eſſe actu, cum ſit ſingula: quod eſt illud quod quærebatur.

Nunc igitur reuertendo ad propoſitum noſtrum, dico hunc tex. non aſſerere intellectum intelligere per ſe ſine phantaſmate, cum actu intelligit: quia neceſſe eſt ut phantaſma ſit etiam præſens ipſi, ſicut oportet ſenſibile eſſe præſens ſenſui: alioquin non intelligeret intellectus, ſicut ſenſus abſente ſenſibili non ſentiret, ut tex. citati & rationes allatæ indicare uidentur. Sed ſignificat quòd intellectus fit ſingula, cum actu intelligit ſpecies: tunc uerò actu intelligit, cum non indiget intellectu agente, qui abſtrahat. Hic mihi uidetur ſenſus Ariſtotelis, qui ſenſus nullo modo uidetur euertere ſententiam noſtram, omniqúe ex parte conſentire Ariſtotelis doctrinæ. Quare non ſequitur, ut quod tu intelligas, idem ego intelligam. ſpecies enim intelligibiles nunquam erunt in intellectu, niſi ſint phan-

taſmata

taſmata præſentia. Cuius rei hæc eſt cauſa, quia oportet hominem intelligentem phantaſmata ſimul ſpeculari. Itaq; nunquàm ex hac uia naturali, falſa tamen, dabitur intellectio ſine phantaſmate: licet intellectus poſsibilis poſsit operari intellectu agente, non operante. & hoc fit, cùm ipſe habet ſpecies iam abſtractas, & actu cogitat. Poſtquàm enim intellectus agens abſtraxit ſpecies, deſiſtit ab opere, quia functus eſt officio ſuo: & tunc intellectus poſsibilis dicitur operari per ſe ipſum, quia non indiget intellectu agente. Ac licet hoc non fiat ſine pręſentia phantaſmatis, tamen dicitur operari per ſe ipſum: quia indiget ſolum phantaſmate quod ſubminiſtrat obiectum, neq; phantaſma facit ipſum operari, quia non mouet intellectum: ſed intellectus agens, qui abſtrahit, ex cauſa ut moueatur. & ſic per accidens indiget phantaſmate: per ſe uerò, intellectu agente.

SECTIO TERTIA.

SEquebatur alia quæſtio, quæ & ipſa omnibus uiſa eſt mirum in modum urgere. In hunc autem modum inſtituebatur. ſi intellectus eſſet incorruptibilis & unus, in homine eſſent duæ animæ, quarum una non contineret aliam in uirtute, & diſtinctæ eſſent etiam ſubiecto. Reſpondeo, ſicut etiam dictum eſt in ſuperioribus, tantum abeſſe ut abſurdum ſit ex ratione quę ex ſenſibus ortum habet, in homine eſſe duas animas re ipſa diſtinctas, ut ſit omnino neceſſarium: quod præter rationes quas in ſuperioribus attulimus, ex his etiam colligi poteſt. nam quod anima ſenſitiua ſit in homine, ita in promptu eſt, ut turpe ſit uelle id demonſtrare. quod enim ſenſui perſpicuum eſt, nulla id oſtenſione prorſus indiget. Quod item anima intellectiua ſit in ipſo, non minus perſpicuum eſt: quod autem re ſint ſeiunctæ, oſtendunt omnes rationes quæ probant animæ rationalis immortalitatem: quia altera eſt impaſsibilis, altera paſsibilis & corruptibilis: altera non mixta cum corpore & ſimplex, altera mixta: altera uenit deforis, altera intrinſecus: altera eſt pura potentia & in natura, altera eſt actus. neceſſitatem autem harum animarum in homine, declarauerunt quædam rationes in ſuperioribus à nobis inductæ. non enim homo poterat eſſe homo una tantum anima: quia fieri non poterat ut intelligeret, ut dictum eſt, ad quem locum me reijcio. Hoc etiam præter rationes dictas uidetur conſentire operibus naturę, propterea quòd non uidebatur congruum ut natura tranſiret ſine medio à rebus omnino corruptibilibus ad res omnino incorruptibiles. Congruum enim uidebatur, ut natura tranſiret per medium quod haberet partes, quarum una eſſet corruptibilis, altera incorruptibilis, ut daretur medium inter incorruptibilia ſimpliciter, & corruptibilia: natura enim, ut in ſuperioribus dictum eſt, non ſolet tranſire ab extremo ad extremum ſine medio. Quare ex ſententia Ariſtotelis naturaliter loquentis, cogimur ponere duas animas in homine re diſtinctas: neq; tamen eſt neceſſarium ut ſint ſubiecto diſtinctæ. quia ſi anima rationalis eſt in homine, & informat hominem, ſicut declarauimus in ſuperioribus, & dat eſſe homini, maximè quia homo eſt: neceſsitas cogit ut ſit in eodem ſubiecto, ſed modo diuerſo: quia ſenſitiua extenditur ad extenſionem ſubiecti, intellectiua non extenditur. Item ſenſitiua utitur in opere ſuo organo corporali, quod oſtendit eius mortalitatem: intellectiua non utitur organo corporali ad intelligendum, id eſt non utitur aliqua parte determinata corporis: ex quo ſequitur ipſam eſſe æternam. Falſum eſt ergo, fieri non poſſe ut forma incorruptibilis ſit in eodem ſubiecto, in quo ſit forma corruptibilis: licet non poſsit ineſſe eodem modo, ut diximus. Concedimus igitur, hominem eſſe hominem per duas formas ſubſtantiales neceſſariò, propterea quòd ad eſſe ipſius hominis requiruntur duæ formæ ſubſtantiales re diſtinctæ, idq; cognoſcitur ex opere ipſius, ut diximus.

Ad Ariſtotelem autē, qui in ſeptimo Meta. tex. 38. dicebat, propterea Socrates, qui quidem eſt ſubſtantia, ſubſtantia erit, uti patet. quare duabus ſubſtantijs Socrates ſubſtātia erit. Dico Ariſtotelem noluiſſe Socratem eſſe ſubſtantiā duabus ſubſtantijs eiuſdē generis, quemadmodū fuiſſet ſi uniuerſale eſſet ſubſtantia: ſumitur 7. Meta. 38.

enim

enim à ſingularibus. ſed non negat Ariſtoteles, quin Socrates poſſit eſſe à duabus ſubſtantijs diuerſi generis, quia una nõ impedit alteram, ſed ſeruit ipſi ut ſenſitiua intellectiuæ: abſurdum enim eſſet, ſi ambæ eſſent eiuſdem naturæ, quia uel altera alteram impediret, uel eſſet ſuperuacanea: quod nõ accidit, ſi ſunt diuerſi generis, ut eſt intellectiua & ſenſitiua. nihil igitur abſurdi uidetur ſequi, ſi ponamus duas animas re diſtinctas in homine: imò tantum abeſt ut hoc ſit abſurdum, ut ſit omnino ex iſtis fundamentis, falſis tamen, neceſſarium.

SECTIO QVARTA.

Ad id uerò quod addebatur, fieri non poſſe ut comparemus uniuerſale ad ſingulare, & exponamus differentias inter uniuerſale & ſingulare, & ea quæ ſequuntur. Reſpondent nonnulli, & illi quidem egregij Philoſophi, conſequentiam illam omnino à ueritate abhorrere: propterea quòd, & ſi intellectus eſt à materia ſeiunctus, tamen poteſt facere illam comparationem, quia dicunt intellectum cognoſcere uniuerſale primò & directè: ſingulare uerò nõ cognoſcere, niſi reflexè & mediante ſenſu: hoc eſt, inquiunt, in quantum conſideratur ut eſt phantaſiæ & tempori alligatus. Veniunt autem iſti in hanc opinionem, propter argumẽtum factum: & hãc reſponſionem ſumunt tum ex tex. nono, decimo & undecimo tertij de Anima, tum ex Auerroe illum locum exponente.

3. de Anima. tex. 9. 10 & 11. Sed hæc opinio mihi uidetur eſſe maximè improbanda, propterea quòd nullo modo uidetur fieri poſſe ut intellectus ſingularia intelligat: quandoquidem ſi intelligere poſſet ſingularia, poſſet ab ipſis moueri, & tunc nõ cogeremur ponere intellectum agentem: quippe qui ob id tantum ponitur, quia ſingulare non poteſt mouere intellectum, qui eſt abſtractus à materia, & eſt in pura potẽtia: ſicut non cogimur ponere ſenſum agentem, propterea quòd ſenſibile ſingulare poteſt mouere ſenſum, utpotè qui eſt eductus ex potentia materiæ.

Item non poſſemus demonſtrare intellectum eſſe abſtractum à materia, ſi intelligeret ſingulare, ut oſtenſum fuit in ſuperioribus.

Quod uerò dicunt intellectum intelligere per ſe & primò uniuerſale, particulare autem reflexè, inquantum eſt phantaſiæ & tempori alligatus: mea quidem ſententia eſt ſomnium. Ex ijs enim quærendum eſt, quomodo poſsit reflecti ſupra phantaſiam, cum ſit pura potentia? & quo modo poſsit intelligere ſingulare, niſi moueatur ab illo? intelligere enim eſt pati. quòd ſi moueatur à ſingulari, ſanè immateriale poteſt moueri à materiali: quod quidem tam eſt abſurdum, quàm quod abſurdiſsimum. Et ſi hoc demus, nihil opus erit ponere intellectum agentẽ. Etenim ſingularia omnia poſſent mouere intellectum poſsibilem: et ita intellectus poſsibilis poſſet efficere uniuerſale ex illis ſingularibus: poſſet ergo intelligere ſine beneficio intellectus agentis, quæ omnia euertunt uniuerſam de ipſo animo Ariſtotelis doctrinam. Fieri præterea non poteſt, ut potentia ſuperior & abſtracta poſſit reflecti ad inferiorem. Item ſingularia ſe haberent ad intellectum, ſicut ſenſibilia ad ſenſum: eſſent etiam obiectum intellectus.

Item, Ariſtoteles non dicit intellectum, dum intelligit, ſpeculari phantaſmata: ſed intelligentem, uidelicet hominem. Quorum uerborum hæc eſt ſententia, neceſſarium eſſe ut intellectu intelligente homo ſpeculetur phantaſmata, quia oportet ut ſit præſentia intellectui. Quare concludendum mihi uidetur, intellectum nullo modo intelligere ſingulare, neq; directè neq; indirectè: opus enim eſſet ut moueretur ab illo ſingulari, ut ſingulare eſt. quod licet aliquando comprehendatur ſub uniuerſali, tamen intellectus non intelligit ipſum niſi uniuerſaliter.

SECTIO QVINTA.

Ad tex. uerò Ariſtotelis qui ſunt difficillimi, & uarijs modis explanantur, ut planius reſponderemus, uiſum eſt faciendum ut eos interpretaremur, quo magis intelligi poſsit eos nullam ſententiæ noſtræ uim afferre.

Cùm igitur oſtendiſſet Ariſtoteles, intellectum fieri ſingula, & ita intelligere ſe ipſum, aliquis potuiſſet uenire in eam opinionem, ut exiſtimaret intellectum intelligere ſingularia & uniuerſalia, quod quidem abhorrebat à ratione: uel dicamus, quòd

quod cùm dixiſſet intellectum intelligere uniuerſalia, aliquis potuiſſet credere quòd intelligeret etiam ſingularia. Quomodocunq; ſit (ad idem enim redire uidetur) dicit tandem hominem ſenſu carnem percipere, eſſentiam uerò carnis intellectu: quod ſignificat, intellectū nō percipere ſingularia. Quare inquit in tex. 9. quē citauimus etiam in ſuperioribus ad aliam rem ſtabiliendam & confirmandā: Quo- «
niam aliud eſt magnitudo, & aliud eſt eſſe magnitudinis: id eſt quoniam aliud eſt «
compoſitum, aliud forma compoſiti, id eſt eſſentiam compoſiti: quod magis decla «
rans addit: Aliud eſt aqua, & aliud eſt eſſe aquæ, id eſt forma aquæ, quæ eſt eſſen- «
tia aquæ: & ſic in multis alijs, non autem in omnibus. in quibuſdam enim idem eſt «
eſſe carnis, id eſt eſſentia carnis, & ipſa caro: id eſt, in quibuſdam idem eſt eſſe quod eſſentia. & iſta ſunt ſimplicia, in quibus idem eſt eſſe quod eſſentia. Et hoc eſt quod uiſus eſt etiam dicere in primo Cœli ijs uerbis, quæ uerba attulimus etiam in ſuperioribus ob aliam occaſionem: In omnibus enim, & ijs quæ natura, & his quæ 1 Cœli
ab arte conſtantibus & generatis, alterū eſt ipſa ſecundum ſe forma, & quæ eſt mi- 29.
xta cum materia, puta ſphere forma, aliud eſt & aurea & ærea ſphera: & iterum cir «
culi alia forma, & æreus & ligneus circulus. «

Ex multis præterea locis Ariſtoteles & maximè ex ſeptimo Meta. luce clarius 7.Meta.
colligitur, Ariſtotelem per formam ſine materia intelligere ipſa uniuerſalia, quæ quidem formæ dicuntur: quoniam forma eſt principium eſſendi, & cognoſcendi, & eſt illa quæ principaliter eſt de eſſentia: ab ipſa enim ſumuntur uniuerſalia. id quod uiſus eſt Ariſto. declarare in ſeptimo Meta. tex. 30. ubi hæc ſcripta reliquit: Vniuerſale autem non eſt ſubſtantia, ſed quoddam totum ex hac ratione, atq; hac 7.Met.30.
materia, eſt & in cæteris ſimili modo. «

Eſt igitur & formæ pars, ipſius inquam quidditatis, perinde ac ipſius quoq; totius, quod quidem ex forma atq; ipſa materia conſtat. ſed formæ partes rationis ſunt ſolum partes, ratio uerò eſt ipſum uniuerſale: nihil igitur uetat quin per eſſe carnis intelligamus formam carnis, quæ eſt uniuerſalis. Et paulo ante dixerat Ariſtoteles, ipſius rationis partes ea quæ ſunt ſolum ipſius formæ, ratio autem eſt ipſius uniuerſalis, id eſt ipſum uniuerſale.

His ergo conſtitutis Ariſtoteles infert: Et alio, aut aliter ſe habente, diſcernit, uel iudicat intellectus. & reddit rationem: Quia caro non eſt ſine materia. id eſt, compoſitum illud quod dicitur caro, haber formā in materia. ſi ergo ita eſt intellectus, id eſt homo qui habet intellectū: etenim non uidetur fieri poſſe ut per intellectum accipiamus partem animæ intellectiuam, quæ intelligit, quia de ea non poſſumus uerè dicere quòd habeat partem ſenſitiuam qua intelligat carnē, & intellectiuam qua intelligat eſſe carnis. eſt enim ipſa met & ſimplex: non enim habet diuerſa principia, ut dicet Ariſto. neceſſe igitur uidetur eſſe, ut per intellectum intelligatur id quod in ſe continet ſenſum & intellectum: quod quidem non poteſt eſſe aliud quàm homo, qui habet intellectum. Quia ergo caro eſt in materia, & eſſe carnis eſt ſine materia, & homo percipit carnem & eſſe carnis, neceſsitas cogit ut alio & alio principio iudicet eſſe carnis, & ipſam carnem: quia eodem principio non poteſt iudicare ea quæ ſunt in materia, & ea quæ ſunt abſtracta à materia: & ſi eodem principio neceſſe eſt ut aliter ſe habeat aliquo modo ut dicemus. nō enim fieri poſſet ut moueretur ab eo quod percipit, quia illa facultas quæ iudicat quæ ſunt in materia, non poteſt iudicare quæ ſunt abſtracta à materia: eſſe enim in materia, & abſtractum eſſe à materia, maximè ſeiuncta ſunt, itaq; non poſſunt percipi ab eadem potentia. quod ſi poſſent percipi, neceſsitas cogeret, ut alio & alio modo ſe haberet illa potentia, alioquin eſſet abſtracta, & non abſtracta: quod quidē fieri nequit. etenim quatenus potentia, aliqua iudicat & percipit abſtracta, neceſſe eſt ut ſit abſtracta. opus enim oſtendit ſubſtantiam. neq; opus poteſt eſſe perfectius ſubſtantia: ex operibus enim oſtenditur ſubſtantiæ operans.

Ita etiam potentia quæ percipit abſtracta à materia, non poteſt recipere immerſa materiæ, ut ſunt immerſa: eſſet enim & ipſa abſtracta, & non abſtracta, quod abſurdum eſt. neq; fieri poteſt ut oſtenderemus aliquam ſubſtantiam eſſe abſtractam à materia, ſi immerſa materiæ, ut ſunt immerſa, perciperet & abſtracta etiam. Quo circa rectè dixit Ariſtoteles, quod cum aliud ſit caro, aliud eſſe carnis, neceſſe eſt ut

cognoſcens utrumq; diuerſis principijs illa cognoſcat. & ſi uno, ut alio modo ſe
habeat neceſſe eſt: propterea quod aliud eſt cũ materia, uidelicet caro, & aliud eſt
ſine materia, quod eſt eſſe carnis.

Et quia aliquis potuiſſet quærere, quæ nam ſint ea quibus iudicans iſta, diuerſa
iudicat, in tex. decimo hoc declarat dicens: ſenſitiuo, id eſt parte ſenſitiua cogno-
ſcens iudicat calidum & frigidum, quoniam ſcilicet calidi & frigidi ratio quædam
7. Met. eſt caro, idem quoq; ſubiectum eſt caro. ſubiectum enim, ut patet ex ſeptimo Me-
ta. eſt de ratione accidentis: deſignatq; per calidum & frigidum ſingularia & com-
poſita, quæ ſenſu percipiuntur. & mentionẽ fecit de calido & frigido, quia ſenſus
non penetrat uſq; ad ſubſtantiam: ſed quæ obijciuntur ſenſibus, ſunt accidentia. de
ſignat ergo ſingularem carnem, quam cognoſcens iudicat parte ſenſitiua. Alio au-
tem principio, inquit, ſeparabili: id eſt ipſo intellectu qui eſt ſeparatus à materia, &
per id quod neceſſariò ſequitur, à ſenſu iudicat cognoſcens eſſe carnis, id eſt car-
nem abſtractam à materia. cum autem dicit aut ſicut circumflexè linea ſe habet ad
ſe ipſum cum extenſa ſit, deſignat intellectum. Etenim intellectus intelligit res di-
uerſas genere, uidelicet ſpeculatiuas, quæ ſunt tantum propter ſcire, & operati-
uas, quæ ſunt tantum propter operari: & cùm intelligit ſpeculatiuas, uidetur dif-
6. Ethic. ferre à ſeipſo quatenus intelligit operatiuas, ut patet ex ſexto Ethic. capite ſecun-
cap. 2. do. nam cùm intelligit ſpeculatiuas, uidetur eſſe ſicut linea circumflexa, quia non
recipit aliquid extra, & non extendit ſe ad alia, quaſi reflectẽs ſupra ſeipſam. Cùm
uero intelligit operationem, uidetur aſsimilari lineæ rectæ, quia extendit conſi-
derationem ſuam uſque ad opera extra ipſam. Res ergo omnino diuerſæ neceſſa-
riò cognoſcuntur à diuerſi, potentijs, uel ab una alio atque alio modo ſe haben-
te. Videtur igitur dicere Ariſtoteles, quòd eſſe ipſius carnis iudicatur ab homi-
ne beneficio potentiæ ſeparabilis, quæ eſt aliud principium à ſenſu, ut ſeparabi-
lis eſt: uel ab eadem potentia ſeparabili, ut differt à ſe ipſa, ſicut linea circumflexa
differt à ſeipſa extenſa. Non enim uidetur Ariſtoteles uſus eſſe hac diſiunctione,
ut indicaret intellectum poſſe percipere reflexè ſingulare, quia hoc fieri non po-
teſt ob rationes allatas: neque etiam ipſe hoc dicit. etenim refert illa uerba, Alio au
tem aut ſeparabili, aut ſicut circumflexa, ad eſſe carnis duntaxat, non ad carnem,
& eſſe carnis ſimul: ſicut oporteret eum feciſſe, ſi uoluiſſet ſignificare intellectum
intelligere reflexè ſingulare, & directè uniuerſale: ſed retulit, ut dixi, illam diſiuncti
uam ad eſſe carnis tantum. quibus uerbis nihil aliud mihi quidem uidetur ſignifica
re, quàm quòd intellectus diuerſis nominibus nominatus poteſt intelligere etiam
diuerſa. Quare uti dictum eſt, non poſſumus dicere ipſum deſignaſſe intellectum
reflexè intelligere ſingulare: quia ſolum dicit quòd intelligit eſſe carnis. ſatis enim
eſt quod inquit alio principio, aut aliter ſe habente, iudicare eſſe carnis: quod prin
cipium eſt aliud à ſenſitiuo, quo iudicat carnem. Quod ſi ad hunc modum interpre
temur, mea quidem ſententia facimus Ariſtotelem ueritati conſentire, & ea aſſere-
re, quæ in re de qua loquutus erat conueniunt: non tamen hac interpretatione ita
delectamur, ut negemus nullam uim nos afferre illi uerbo Intellectus, quod ob ra-
tiones allatas interpretamur, habens intellectum. Veruntamen ſi rectè conſide-
remus morem loquendi Ariſtotelis, nulla ex hoc admiratione afficiemur. etenim
in eius doctrina frequentiſsimè (niſi uelimus ipſum aliena à ueritate, & negantia
aſſerere) cogimur uim eius uerbis inferre: quod eos minimè latêre arbitror, qui in
eius librorum lectione paulum modò uerſati ſunt, eiusq; doctrinæ cognitionem
uel minimam ſunt conſequuti. Ego ſanè longè melius eſſe iudico uim alicui uerbo
afferre, quàm facere ut ſententias à ueritate abhorrentes, & quæ in rem non conue
niant, tam diuinus philoſophus protulerit.

Quanquam etiam poſſumus dicere, non afferri tantam uim illi uerbo, propte-
rea quòd homo uidetur poſſe dici intellectus, quia eſt homo principaliter per intel
lectum: ut nos in ſuperioribus ex ſententia Ariſtotelis luce clarius oſtendiſſe arbi-
tramur. ad quem locum, ne nimium prolixus ſim, lectores reijcio.

Rurſus autem in his. Quia dixerat Ariſtoteles, in naturalibus aliud eſſe car-
nem, aliud formam carnis, ob idq; cognoſcentem cogi alio principio cognoſcere
iſta uel eodem diuerſo modo ſe habente, & declarauit hanc rem: In hac parte uide-

tur

tur ei propoſitum eſſe declarare, hoc idem reperiri in mathematicis. quare inquit:
Rurſus enim in eis quæ dicuntur ex abſtractione, id eſt in mathematicis: ita enim
ſolet frequentiſsimè nuncupare res ipſas mathematicas. cuius rei cauſa eſt perſpi-
cua. In eis ergo, inquit, rectum eſt ueluti ſimum. rectum dicitur eſſe in materia, ſi-
cut ſimum quod eſt in materia, quia eſt in naſo. Deinde probat hoc dicens: Cùm
continuo enim eſt. quaſi argumentetur: Illud quod eſt cum continuo, eſt cum ma-
teria: rectum eſt cum continuo, hanc ponit: ergo rectum eſt cum materia.

Prima propoſitio perſpicua eſt ex multis Ariſtotelis locis, ſed maximè ex ſepti-
mo & undecimo Meta. quibus in locis duplicem dicit eſſe materiam, unam ſen- 7.Meta.
ſibilem, alteram intelligibilem, quam ait ipſorum mathematicorum eſſe. etenim 11.Met.
in ſeptimo Meta. ita ſcriptum reliquit: Materia uerò per ſe eſt ignota: atque mate- 7.Meta.
ria alia ſenſibilis, alia intelligibilis. ſenſibilis, ut æs, lignum, & quæ eſt materia mo- «
bilis: intelligibilis, quæ in ipſis ſenſibilibus ineſt, non ut ſenſibilia ſunt, ut ipſæ res «
mathe. Quibus uerbis apertè uult, res mathematicas materiam habere. Quare,
inquit, ſi quod quid erat eſſe eſt alterum eſſe recto, & ipſum rectum: id eſt, ſi diuer-
ſum eſt rectum quoad ſuam eſſentiam, atque ipſum rectum: id eſt, ſi ratio eſſe recti,
eiusquè eſſentia eſt alia à recto, ſicut ratio carnis: neceſsitas cogit, ut qui cognoſcit
eſſentiam recti, & ipſum rectum, percipiat ea alio & alio principio.

Sit ergo dualitas, ſupple ratio ipſa & uniuerſalis, diuerſa ab hac dualitate ſingu-
lari, cognoſcens percipiet dualitatis rationem alio principio, aliter ſe habente à
principio quo percipiet hãc dualitatem: quia percipiet ipſam dualitatis rationem
intellectu, quo percipit abſtracta à materia, qui intellectus ex diuerſitate ipſorum
abſtractorum quæ percipit, percipiet ea alio modo ſe habens. etenim cùm perci-
piet ſpeculatiua, ſeſe ut linea circumflexè habebit: cùm uerò percipiet operatiua,
ſe habebit ut linea extenſa, quia ſcilicet eius cogitatio ſe extendit ad opus extra ip-
ſum. Quare dixit Ariſtoteles, intellectum ſpeculatiuũ differre à practico, fine: quia
finis ſpeculatiui eſt tantum ſcire, actiui autem opus.

Et omnino igitur.) Iis uerbis concludit Ariſtoteles, prout res ſunt ſeparatæ à ma- «
teria, ſic eſſe & quæ ſunt circa intellectum: id eſt, ut res ſunt ſeparatæ à materia,
ſic percipi ab intellectu. quaſi dicat, ea quæ percipiuntur ab intellectu, eſſe illa
quæ à materia ſunt ſeiuncta. Quibus uerbis apertè indicat, ſe per eſſe carnis, &
eſſe recti, intelligere uniuerſalia: & uult, quòd cognoſcens cognoſcat illa alio prin-
cipio, quàm quo percipit hanc carnem, & hoc rectum, quod quidem principium
eſt intellectus. Ita quidem explanãdum uidetur, alioquin iſta ultima uerba in rem
non conuenirent. Tantum igitur meo quidem iudicio abeſt, ut Ariſtoteles in ijs
tex. dicat intellectum intelligere ſingularia reflexè, ut omnino contrarium aſſe-
rere uideatur. Vuult enim, ſenſitiuo ipſum intelligere calidum & frigidum, intel-
lectiuo autem eſſe ipſius carnis, id eſt carnem uniuerſalem, quippe quæ eſt for-
ma carnis abſtracta à materia. Non ſolum ergo tex. ij ſententiam noſtram non
infringere uidentur, uerùm etiam maximè confirmare atque ſtabilire. Non me la-
tet tamen, hos tex. uario modo à multis, & illis quidem doctiſsimis philoſophis,
explanatos fuiſſe: ſed eorum explanationes mihi non uidentur probandæ, ut quæ
nec in rem uideantur conuenire, neque ueritati conſentire: quas tamen non re-
fellimus ſeparatim, tum quia ex eis quæ dicta ſunt ſatis clarè perſpici poteſt quan-
tum uerbis Ariſtotelis quadrent, tum quia hic non eſt locus omnia refellendi. fa-
temur tamẽ hos tex. eſſe omnino explanatu difficiles, & indigere Delio (ut aiunt)
natatore.

SECTIO SEXTA.

QVare reuertentes ad argumenti diſſolutionem, cuius cauſa hucuſq; digreſ-
ſi ſumus, dicimus, intellectum non poſſe comparare uniuerſale ad ſingula-
re, neq; oſtendere intereſſe inter uniuerſale & ſingulare: quia fieri non poteſt ut in-
tellectus percipiat aliquo modo ipſum ſingulare, neque item ſenſum poſſe facere
hanc comparationem, propterea quòd ipſe proprii non percipit uniuerſale. aliter
enim opus non eſſet intellectu agente, & multa alia ſequerentur abſurda. ſed eſt

homo qui cognoſcit iſta duobus principijs diuerſis, intellectu uidelicet uniuerſale,
& ſenſu ſingulare, & ita cognoſcit ea differre maximè ut tex. explicati indicarunt.
Dicimus item, ſyllogiſmum factum ex altera propoſitione uniuerſali, & altera ſin-
gulari, non fieri ab intellectu ſolo, ſed ab intellectu & à ſenſu: ab eodem tamen ho-
mine, qui habet utrumq; hoc principium, id quod uidetur declaraſſe Ariſtoteles
1. Poſt. multis in locis, quorum nonnullos proferam. Inquit ergo in primo Poſt. Fit au-
cap. 1. tem ut cognoſcamus quædam prius cognoſcentes, quorundam autem ſimul acci-
» pientes cognitionem, ueluti quæcunq; ſunt ſub uniuerſali, quorum habetur cogni
» tio. nam omnem triangulum tres angulos duobus rectis æquales habere, antea ſci
» uimus. at id quod eſt in ſemicirculo, triangulũ eſſe, ſimul inducentes cognouimus.
» Hoc enim pacto nonnullas addiſcimus uerum, & non per medium extremum co
» gnoſcimus quæcunq; iam ſingulates ſunt, & de nullo prædicantur ſubiecto.

Quibus uerbis apertè oſtendit, ſingularem triangulum percipi à ſenſu: & cum
non ſit dubium, quin altera propoſitio quæ naturalis eſt, opus ſit intellectus, in
controuerſiam mea quidem ſenrentia uenire non poteſt, quin ad eiuſmodi ratio-
nem conficiendam concurrant ſenſus & intellectus. Non ergo iſte ſyllogiſmus fit
ab intellectu tantum, ſed ab intellectu et à ſenſu. Inductionem enim fieri ab intel-
lectu & à ſenſu, ita perſpicuum eſt, ut nihil ſit magis perſpicuum. Concludit enim
1. Poſt. uniuerſale, ut inquit Ariſtoteles, per id quod manifeſtum eſt ſingulare. Deinde
cap. 1. addit: Eſt autem demonſtratio quidem ex uniuerſalibus, inductio autẽ ex ijs quæ
ſunt ſecundum partem. impoſsibile autem uniuerſalia ſpeculari, et nõ per inductio
» nem. Et paulo pòſt: Inducere autem non habens ſenſum, impoſsibile eſt. ſingu-
» larium enim ſenſus eſt, non enim contingit accipere eorũ ſcientiam: neq; enim ex
» uniuerſalibus ſine inductione, neq; per inductionẽ, ſine ſenſu. Perſpicuè igitur
patet, ſingulare percipi à ſenſu, & uniuerſale ab intellectu: inductio igitur ſit à duo
bus principijs.

2. Poſt. Hoc item declarauit Ariſtoteles in ſecundo Poſt. cap. ultimo ijs uerbis: Ex ſenſu
cap. ult. igitur fit memoria, ſicut diximus: ex memoria autem multoties facta, experimen-
» tum. multæ enim memoriæ experimentum numero unum ſunt. experientia uerò
» aut ex omni uniuerſali, quietem iam in anima conſequuto, quod eſt unum præter
» multa, quodq; in omnibus illis unum ineſt, idemq; principium artis atq; ſcientiæ
» pullulat: artis, ſi circa generationem: ſcientiæ, ſi circa id quod eſt.

Vult ergo Ariſtoteles quod uniuerſale fiat ex ſingularibus quæ à ſenſu percipi-
untur, licet ipſum uniuerſale percipiatur ab intellectu: quia cum multa ſunt ſingu-
laria ſimilia in phantaſia, intellectus agens abſtrahit ab illis uniuerſale, quod ſubin
de mouet intellectum: & concluditur neceſſariò illud uniuerſale ab homine, qui
ſentit ſimilitudinem in multis ſingularibus. ac dum percipit uniuerſale, phantaſia
1. Poſt. ſentit illa ſingularia, quæ habuit à ſenſu exteriori, ut patet ex primo Poſt. cap. 18.
cap. 18. Non enim uniuerſalis, inquit, eſt ſenſus, ſed ex conſideratione multoties acciden
» te uniuerſale uenantes. demonſtrationem habemus: & ex ſingularibus pluribus
» uniuerſale eſt manifeſtum.

Perſpicuum igitur eſt, inductionem fieri à ſenſu & intellectu: & hominem eſſe,
qui ſenſu cognoſcit ſingularia, intellectu autem uniuerſalia: itemq; ſyllogiſmum,
cuius una propoſitio eſt uniuerſalis, altera ſingularis, fieri ab homine duobus prin
cipijs, intellectu uidelicet, & ſenſu. Neq; obſtat quòd in ſecundo Poſter. dixerit
2. Poſt. Ariſtoteles. Stante enim uno indifferentium primum quidem in anima uniuerſa
cap. ult. le eſt, eſt namq; ſentire quidẽ ſingulare: ſenſus autem uniuerſalis eſt, ut hominis,
» non Calliæ hominis.

His enim uerbis Ariſtoteles ſignificat, ſenſum eſſe uniuerſalis, id eſt ſingularis.
ex quo ſumitur uniuerſale, quod declarat exemplo ut hominis: id eſt, ſenſus eſt ho
minis, id eſt ſingularis à quo ſumitur homo: non Calliæ hominis, à quo nõ ſumitur
homo, ut eſt Callias hoino: quia cſt ſingulare ut ſingulare eſt, à quo non ſumitur
uniuerſale. niſi enim ita interpretaremur hæc uerba, inter ſe ſic pugnarent, ut nullo
modo defendi poſſent. In quam ſententiã uidetur ueniſſe aliquo modo Linco. ex-
planator eorum librorum nõ negligendus, nihil ergo tex. illum ſententiæ noſtræ
repugnare arbitramur.

Quod

Quod item ſyllogiſmus ex maiori uniuerſali, & minori ſingulari fiat ab intellectu & à ſenſu, luce clarius uidetur oſtendiſſe Ariſtoteles in ſeptimo Ethic. capite quinto ijs uerbis, ſuprà etiam ad aliud propoſitum allatis: Præterea ſic naturaliter *7. Ethic.* aliquis inſpiceret cauſam. alia enim eſt uniuerſalis opinio, alia autem eſt ſingulari- *cap. 5.* um, quorum ſenſus eſt dominus. quando autem una fuerit facta ex ipſis, neceſſarium eſt ſic quidem affirmare animam: in actiuis enim agere ſtatim, ut ſi oporteret omne dulce guſtare. Hoc autem eſt dulce, tanquàm unum aliquod ipſorum ſingularium. neceſſarium autem eſt potentem, & non prohibitum, ſimul hoc & facere. quando autem alia fuerit propoſitio uniuerſalis, inerit prohibens guſtare. hæc autem eſt, Omne dulce eſt ſuaue. Hoc autem dulce ipſa operatur, fuerit autem concupiſcentia exiſtens. hæc igitur dicit ſugiendum hoc, concupiſcentia autẽ ducit: mouere enim unumquodq; membrum poteſt. Et paulo pòſt: Quoniam ultima propoſitio eſt opinio ſenſus, & domina actionum, uel ipſam non habet qui eſt in paſsione: uel ita habet, ut illud habere non ſit ſcire, ſed dicere, ut ebrius uerſus Empedoclis.

Quibus uerbis apertiſsimè oſtendit Ariſtoteles ſenſum & concupiſcentiam eſſe illam, quæ ponit ſingularem propoſitionem, ſub uniuerſali ſalſa. ſed cùm uniuerſalis ſit ab intellectu, in dubium uenire non poteſt, quin duo ſint principia, quibus homo utitur ad conficiendum ſyllogiſmum, cuius prior propoſitio ſit uniuerſalis, altera ſingularis. Quod item colligitur apertè ex multis locis libri de Motu in com *lib. de Motu in com. animal.* muni animalium, quorum nonnullos in ſuperioribus citauimus, ad aliud tamen propoſitum.

SECTIO SEPTIMA.

SEd quid eſt quod dubitemus aſſerere, ſingulare & uniuerſale percipi ab homine alio & alio principio, cũ ex eis quæ dicta ſunt perſpicuè liqueat, uniuerſale fieri ex ſingularibus multis, quę ſunt in phantaſia: quæ quidem ab intellectu agente abſtrahũtur à ſingularitate, & poſtmodum percipiuntur ab intellectu poſsibili. neceſsitas igitur cogit, ut in hoc ordine homo cognoſcat ſingulare, alioquin non poſſet abſtrahere uniuerſale. etenim neceſſe eſt ut homo cognoſcat ſingularia illa eſſe multa, & non eſſe uniuerſalia, alioquin deciperetur: & ut cognoſcat in alio inſtanti uniuerſalia, antequàm reflectatur, etiã ſi fieri poſſet iſta reflexio. Ergo in eo inſtanti percipiet ſingulare phantaſia, & cognoſcet ipſum non eſſe uniuerſale, & uniuerſale intellectu. Duobus ergo principijs homo percipiet ſingulare & uniuerſale: & hoc eſt quod nos probare inſtitueramus. Quare ad argumenti diſſolutionem redeundum eſt.

Cùm ergo dicitur, ſi anima rationalis ſit immortalis, fieri non poſſe ut comparemus uniuerſale ad ſingulare, & ponamus differentiam inter uniuerſale & ſingulare, conſequentiam negamus.

Ad probationẽ uero cùm dicis in nobis eſſe animã rationalem, quæ abſtracta eſt à materia, ergo non poterit intelligere ſingulare, & eſt phantaſia quæ non poterit intelligere uniuerſale: iſta concedimus, ergo non poterimus ipſa comparare: hoc eſt quod negamus, quia homo duobus principijs (ut dictum eſt) poteſt hoc efficere. ſed reflectimus argumentum, quia etiam ſi eſſet immerſa materiæ, non poſſet facere iſtam comparationem: non poſſet enim percipere uniuerſale.

Ad probationem autem, cùm dicis neceſſe eſſe ut qui ponit differentiam inter aliqua duo, cognoſcat utrumq; ſub propria ratione: concedo. at nego oportere, ut cognoſcat ambo eodem principio, quia & rationes allatæ, & tex. Ariſtotelis citati oſtendunt, alio & alio principio cognoſci ſingulare & uniuerſale.

Ad tex. autem Ariſtotelis ſecũdi de Anima, & lib. de Somno & uigilia, reſpon- *2. de Ani.* dentes, non negamus quin maximè uideantur urgere: tamen quoniã & rationes *145 &* eæ, & tex. quos diximus, uidentur omnino concludere ſingulare & uniuerſale ab *146.* homine percipi diuerſis principijs: cogimur putare tex. illos non eſſe generaliter *lib. de Sõ.* intelligendos, proprerea quòd grauiſsima ſequerentur incommoda: ſed in eã ſen- *& uig.* tentiam accipiendos, ut id quod dicunt intelligatur in eis quæ ſunt eiuſdem generis, qualia ſunt ſenſibilia: quorum ſi oporteat cognoſcere differentiam, opus ſit ob eas rationes quas in eis locis attulit Ariſtoteles, ut fiat eorum comparatio ab uno

principio nempe ſenſu. perſpicuè enim loquitur Ariſtoteles de ipſis ſenſibilib. ete
» nim inquit: Quoniam autem & album & dulce, & unumquodqꝫ ſenſibilium, ad
» unumquodqꝫ comparando diſcernimus, & ſentimus, quia differunt: neceſſe eſt igi
tur ſenſu, ſenſibilia enim ſunt.

Non ergo mirum alicui uideri debet, ſi nos eos tex. trahamus & reſtringamus
ad ſententiam dictam. Etenim ratio non poteſt ſic fieri de uniuerſali & ſingulari,
quæ neqꝫ poſſunt dici ſenſibilia neqꝫ intelligibilia: ſingularia enim ſunt tantum ſen
3. de Aia. ſibilia, & uniuerſalia intelligibilia. imò Ariſtoteles tex. citato, ex tertio de Anima,
11. ex eo quia aliud erat ſingulare quod erat ſenſibile, aliud uniuerſale, id eſt abſtractū
à materia, & intelligibile, concluſit oportere cognoſcentem cognoſcere uniuerſa
le principio quod aliud eſſet à ſenſu, uel aliter ſe haberet.

Quare cogimur dicere, illa abſurda quæ dicit Ariſtoteles ſequi, ſi ponamus dif-
ferentiam inter album & dulce ob eam cauſam euenire, quod album & dulce ſunt
eiuſdem generis. quod ſi eſſent diuerſi generis, ſicut ſingulare, & uniuerſale, tantū
abeſſet ut neceſſarium eſſet ipſa cognoſci ab eodem principio, ut oporteret omni
no percipi diuerſis principijs, ut ex eis quę dicta ſunt ab Ariſtotele, & à nobis luce
clarius colligi poſſe arbitramur.

» Cùm igitur, inquit, Ariſtoteles, Quod quidem igitur non poſsibile ſeparatis iu
» dicare ſeparata palàm: ita intelligendum eſſe opinamur, ut ſignificet fieri non poſ-
ſe, ut ſeparatis principijs res ſeparatæ (quæ ſunt eiuſdem generis iudicentur) uerbi
gratia, quo modo ſunt ſenſibilia, nō poſsint iudicari diuerſa à ſeparatis ſenſibus, &
quæ ſunt intelligibilia à diuerſis intellectibus, ſed ab uno duntaxat ſenſu uel intel-
lectu. Quod ſi iudicentur aliquando ab uno, id fiat ab uno diuerſo modo ſe ha-
bente. Sed dices, Ariſtotelis rationem probare, etiam de eis quæ ſunt diuerſi
generis, cuiuſmodi ſunt uniuerſalia & ſingularia, quorum altera ſunt ſine materia,
» altera cum materia. Etenim, inquit, ſi ita enim ſe haberet, id eſt ſi album eſſet diffe-
» rens à dulci diuerſis potentijs. iudicaretur ſe habere perinde, ac ſi ego dulce ſenti-
» rem, & tu album. Manifeſtum enim erit, ipſa eſſe diuerſa inter ſe: ſed oportet
me, uerbi gratia, dicere unum, quia eſt alterum, quia alterum eſt dulce ab albo. Di
cit igitur idem ſupple, aliud quod album eſt, aliud à dulci: et ut dicit, ſic intelligit et
ſentit. ergo ſentio id quod tu ſentis, & ſi ignorem te ſentire illud dulce, quod qui-
dem fieri nō poteſt. abſurdum ergo quod uidetur ſequi ex ratione Ariſtotelis, eſt
(ni fallor) huiuſmodi: quòd ſentiret aliquis, id quod ſentiret alius, quamuis igno-
raret ipſum ſentire illud. quod quidem fieri non poteſt, ut uidelicet ſentias me ſen
tire, quod neſcis me ſentire. Quare fieri non poteſt ut iudicentur ſeparata ſepara-
tis principijs. Videtur ergo iſta ratio accomodari ſenſibus: quia uidetur fieri poſſe,
ut unus ſenſus ſentiat alio non ſentiente, ut uiſus uideat guſtu non guſtante. Itaqꝫ
uidetur etiam illud euertere, quòd uniuerſale & ſingulare poſsint iudicari diuerſis
principijs.

Dicerem hanc rationem non poſſe accomodari uniuerſali & ſingulari, quando
quidem fieri nō poſsit ut uniuerſale intelligatur niſi ſingulare ſentiatur: propterea
quòd, ut dictum fuit ſuprà, neceſſarium eſt intelligentem ſimul phantaſmata ſpe-
culari. Quare non uidetur ſequi illud abſurdum, ut uidelicet cum unus intelligat
uniuerſale, alius ſingulare, tamen poſsit ab uno intelligi uniuerſale, alio non intelle
gente ſingulare: quia neceſſitas cogit, ut cùm uniuerſale intelligitur, ſimul ſingula-
re ſentiatur. Quare unus idem diuerſis principijs uidetur poſſe ponere differenti-
am inter uniuerſale & ſingulare, quia intelligens uniuerſale intelligit ipſum eſſe in
pluribus: & ſentiens ſingulare, ſentit ipſum eſſe in uno. Itaqꝫ poteſt cognoſcere u-
niuerſale non eſſe ſingulare, & plura comprehendere quàm ſingulare: idqꝫ propte
rea fieri poteſt, quia ſemper cùm quis intelligit uniuerſale, ſentit idem ſingulare.
Abſurdum uerò quod dicit Ariſtoteles de duobus hominibus, quorum unus ſen-
tiat dulce, alter album, ualet, ſi certum ponatur, quod ille qui ſentit dulce, ignoret
illum qui ſentit album, ſentire album: quia ille qui ſentit album, poteſt album ſenti
re, etiā ſi ille qui ſentit dulce neſciat ipſum ſentire album: ſicut fieri poteſt, ut idem
homo uideat album, & non guſtet dulce. quòd non poteſt euenire uniuerſali &
ſingulari: quandoquidē neceſſe ſit, ut qui intelligit uniuerſale, ſimul ſentiat neceſ-

ſariò

ſariò ſingulare,ut dictum eſt in ſuperioribus. Quare apparet ratio diuerſitatis: nihil igitur hoc prohibere uidetur,animam eſſe abſtractam à materia, & fieri poſſe ut nos comparemus ſingulare ad uniuerſale.

SECTIO OCTAVA.

SEd quomodocunque dicatur, licet argumentum reflectere aduerſus ponentes animam eductam ex potentia materiæ: quia ſi ſit materialis, igitur non poterit comparare uniuerſale ad ſingulare. Etenim non poterit intelligere uniuerſale quod eſt abſtractum à materia:quia ſi ſit immerſa materiæ,inerit ei organum,ut patet ex uerbis Ariſtotelis ſuperius citatis. itaque non poterit intelligere uniuerſale. Quicquid igitur dicendum ſit de tex. Ariſtotelis citato, non magis ſequitur idem abſurdum ſi ſit immortalis, quàm ſi ſit mortalis. nihil ergo contra noſtram ſententiam probat ratio allata.

FINIS LIBRI TRIGESIMI SECVNDI

Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER TRIGESIMVSTERTIVS.

SECTIO PRIMA.

SEd quanquam ea quæ dicta ſunt in ſuperiori libro, uideantur Ariſtotelis ſententiæ & ueritati conſentire:tamē ut res iſta, quæ eſt difficillima, clarior fiat, non dubitabimus nonnulla etiam afferre, quæ illa uidentur euertere.

Vrgeret igitur adhuc aliquis, aſſerere intellectum non intelligere ſingularia omnino,nihil aliud uideri, quàm cōuellere ea quæ ſcripta reliquit Ariſtoteles in ſexto Ethic. cap. octauo. etenim inquit: Neque prudentia eſt uniuerſalium ſolum, uerùm etiam ſingularia oportet cognoſcere.nam actiua quidem eſt,actio autem in ſingularibus uerſatur. Quibus uerbis uidetur luce clarius innuere, prudentiam, quæ eſt uirtus intellectiua,nō ſolum eſſe uniuerſalium,uerùm etiam ſingularium: quod ſi detur, in dubium uenire non poteſt, quin uelimus nolimus, fateri cogamur intellectum percipere ipſa ſingularia: etenim prudentia eſt uirtus, ut diximus, intellectus: quæ ſi eſt ſingularium, neceſsitas cogit ut intellectus ſit ipſorum ſingularium. etenim intellectus eſt eorum, quorum eſt ſua uirtus, alioquin non eſſet uirtus ipſius. *6.Ethic. cap.8.*

Confirmatur etiam prudentiam eſſe ſingularium, ex eis quæ dixit Ariſtoteles in eodem libro cap. nono: Quod aūt prudentia non ſit ſcientia, manifeſtum eſt enim ipſius extremi, quemadmodum dictum eſt. etenim hoc extremum eſſe ſingulare ijs quæ addidit, Quia agibile eſt tale, agibile enim eſſe ſingulare, eſt ita in promptu ex ſententia Ariſtotelis, ut nihil ſit in eius doctrina clarius. *6.Ethic. cap.9.*

Corroboratur itē magis hæc ſententia, ex eis quæ in decimotertio cap. eiuſdem lib. inquit: Sunt autem omnes hi habitus in idem tendentes. Dicimus enim ſententiam, perſpicaciam, prudentiam, & intellectum, in eoſdem referentes: ſententiam " habere & intellectum, & prudentes & perſpicaces. omnes enim hæ facultates ipſe " extremorum ſunt, & ſingulariū. Quid enim apertius ſignificare potuit his uerbis, " quàm intellectum eſſe ipſorum ſingularium? *6.Ethic. cap.13.*

Hoc idem oſtendit in decimoquarto cap. ubi ait: Et intellectus ad utraque extremorum. per extrema enim ſe intelligere ſingularia indicauit paulo antè in fine decimitertij cap. cum inquit: Eſt autem ſingularium & extremorum omnium agibi- " lia, & prudentem oportet cognoſcere ipſa, & perſpicacia, & ſententia circa agibi- " lia. Hæc enim ſunt extrema: & cùm agibilia ſint ſingularia, neceſſe eſt ut extrema " ſint ſingularia. *6.Ethic. cap.14.*

Præterea hanc eandem ſententiam uidetur aſſeruiſſe in eodem cap. decimoquarto, cum ijs uſus eſt uerbis: Ex ſingularibus enim uniuerſale, horum igitur oportet " habere ſenſum, ipſe autem eſt intellectus, intellectus ergo ſingularium. "

Præterea intellectus eſt materialis, ergo poteſt intelligere ſingularia. Cõſequentia liquet. Probatur id quod antecedit ex uerbis Ariſtotelis, quippe qui poſt uerba
» paulo antè citata ſtatim addidit: Quapropter phyſica uidentur eſſe hæc, & natura
» ſapiens quidem nullus: ſentẽtiam autem habere, & ſagacitatem, & intellectum. ſi-
» gnum autem, quia & ipſas ætates ſequi opinamur, & iam ætas intellectum habet,
» & ſententiam, tanquam natura ſit cauſa, quapropter & principium & finis intelle-
» ctus: ex ijs enim demonſtrationes, & de ijs.

Nam ſi intellectus ſequitur ætatem, ergo ſequitur temperamentum corporum, ergo eſt materialis: ergo non repugnabit ei, intelligere ſingularia. Hæc ſunt quæ uidentur omnino labefactare atq; conuellere noſtram ſententiam. ſed quoniam demonſtrationem Ariſtotelis, qua probauit intellectum nõ eſſe mixtum cum corpore, arbitramur eſſe ita firmam, ut nullo modo poſsit infringi. Faciendum neceſſariò uidetur, ut uerba Ariſtotelis allata recta interpretatione explanentur, alioquin pugnaret Ariſtoteles cum ſuaipſius ſententia. ex illa enim demonſtratione apertiſsimè ſequi uidetur, intellectum nullo modo poſſe neq; directè, neq; indirectè intelligere ſingularia. etenim materiale & diuiſibile nõ poſſe mouere indiuiſibile & abſtractum, eſt ita clarum ex doctrina Ariſtotelis, ut nihil ſit clarius.

Adde etiam, quòd intellectus agens nõ eſſet neceſſarius, ſi ſingulare aliquo modo poſſet percipi ab intellectu, ut in ſuperioribus probauimus: ad quem locum lectores reuoco. Conſequens apertè repugnat Ariſtoteli: ergo & id unde fluxit à ueritate abhorrere neceſſe eſt. Cùm igitur iſta ſint manifeſiè abſurda, neceſsitas cogit, ut uerba Ariſtotelis allata alium habeant ſenſum ab eo quem uidentur præ ſe ferre.

Reſpondẽtes ergo ad primam rationem dicimus, intellectum noſtrum, cùm ſit immaterialis, nullo modo intelligere ſingularia: idq; Ariſtotelis doctrinæ undequaq; conſentire. Ad probationem autem ſumptam ex uerbis Ariſtotelis, dicimus prudentiam per ſe & propriè eſſe tantummodo uniuerſalium. quod ſi etiam
6. Ethic. dicatur eſſe ſingularium, ut dixit Ariſtoteles in cap. nono ſexti lib. Ethic. ideo dici-
cap. 9. tur, quia dirigit ſingulares actiones. propterea quòd eſt ipſius uniuerſalis, quod in ſyllogiſmo practico eſt maior propoſitio, cui minor ſubijcitur, quæ eſt ſingularis, quæ eſt actionis domina. concluditur enim cõcluſio ſingularis, quæ eſt actio: quandoquidem fieri non poteſt ut agamus aliquid, niſi beneficio & opportunitate ſyllogiſmi practici, ut perſpicuum eſt ex eis quæ dicta ſunt in lib. de Communi motu
de Cõ. mo- animaliũ, & in ſeptimo Ethic. cap. 5. Quia ergo prudentiæ munus eſt atq; officium
tu Anim. dirigere actiones quæ ſunt ſingulares, licet propriè ſit ipſius uniuerſalis, tamẽ dixit
7. Ethic. Ariſtoteles eam non ſolum eſſe uniuerſalium, ſed oportere etiam ſingularia cogno
cap. 5. ſcere: quia ſcilicet neceſſe eſt, ut prudens ſiquid ſit acturus, ſub uniuerſali ſubijciat ſingularem propoſitionem. Itaq; prudentia dicitur practica, quia eſt principiũ uerum agendi, & recta ratio. non poteſt enim uerè fieri ſyllogiſmus practicus, niſi ex ratione rectè agendi, id eſt prudentia: nihilq; poſſumus agere ſine ſyllogiſmo practico, ut dictum eſt.

Hoc uerò quod diximus eſſe proprium ipſius prudentiæ, indicauit Ariſtoteles
6. Ethic. multis in locis, & maximè in quinto cap. ſexti Ethic. ijs uerbis: Signũ autem, quòd
cap. 5. & dicimus prudentes circa aliquod quando rectè diſcurrunt ad finem aliquem bo
» num eorum quorum non eſt ars. Nam ſi prudentes bene diſcurrunt, ergo prudentia erit diſcurſus bonus: ex quo concludemus, aliquem finem eorum quorum non eſt ars, quæ quidem ſunt ſingulares actiones. diſcurſus autem rectus agendi, nõ poteſt eſſe niſi ſyllogiſmus practicus, etenim ſine illo non fit actio. Sed ſtatim ſic urgeret aliquis: Quod dixiſti prudentiam eſſe rectam rationem, hoc planè uidetur à ueritate abhorrere. etenim euertit definitionẽ prudẽtiæ, qua prudẽtia dicit eſſe habitus actiuus cũ ratione uera circa humana bona: nã ſi prudẽtia eſt habitus cũ ratione uera & recta, (idẽ enim eſt ratio uera, quod recta: etenim nõ poteſt eſſe
6. Ethic. ratio recta, niſi ſit uera, & cõtrà, ut patet ex illis ſexti Ethic. uerbis: Cõſenſio aũt ſen
cap. 13. tentia eſt iudicatiua recta æqui & boni uiri: at recta ea eſt quæ eſt ueracis) ſentẽtia igit recta eſt uera. ſi prudẽtia inquã eſt cũ ratione recta, ergo nõ erit recta ratio: etenim differre utrũ aliquid ſit ratio recta, an ſit cũ ratione recta, oſtendit Ariſtoteles

cap.

cap.13. his uerbis: Et Socrates partim quidem recte quæſiuit, partim autẽ peccauit. «
quod autem putauit omnes uirtutes eſſe prudentias, peccauit: cum uerò dixit, non «
ſine prudentia, rectè dixit. Quare neceſsitas cogit, ut ex ſententia Ariſtotelis cõcludamus differre utrum dicatur prudentia eſſe ratio recta, an cum ratione recta: alioquin idem fuiſſet dicere uirtutes eſſe prudentias, & uirtutes non eſſe ſine prudentia, eadem enim eſt ratio: quod tamen dici non poteſt ex ſententia Ariſtotelis. hoc igitur poſito, cùm Ariſtoteles definiens prudentiam, dixerit eam eſſe cum ratione recta, non potuit ſentire ipſam eſſe rationem rectam. perperam igitur dixiſti prudentiam eſſe rectam rationem: quare nihil concluſiſti, quod ſententiam tuam muniret.

Ad hanc quæſtionem reſpondentes dicimus, fieri non poſſe ut prudẽtia ſit propriè cum recta ratione: quia ea quæ ſunt cum recta ratione, concluduntur & diriguntur ab illa: ut dicimus de arte, quæ eſt habitus factiuus cũ recta ratione. ex qua concluditur, ſicut ſcientia concluditur ex demonſtratione, quam appellare etiam poſſumus rationem rectam: ſed prudentia ipſa non concluditur ab aliqua ratione recta, eſt enim ipſa principium concludendi aliquid, ut oſtendimus ex uerbis Ariſtotelis. igitur prudentia non eſt cum recta ratione. Oportet igitur ut ſit recta ratio: etenim neceſſe eſt ut uel ſit recta ratio, uel cum recta ratione. eſt enim principium rectè agendi, ut oſtendit Ariſtoteles in 11. capite eiuſdem ſexti Ethic. ubi inquit: Non eſt autem idem perſpicacia & prudentia. hæc quidem prudentia ordinatiua eſt: quid enim oportet facere, uel non ipſius eſt finis, perſpicacia, iudicatiua ſolum. Perſpicuum igitur eſt, prudentiam eſſe illam quæ ordinat & præcipit agere: eſt ergo principium & cauſa ipſius actionis: non ergo eſt concluſio, neq; actio, ſed principium actionis. 6. Ethic. cap. 11. «

Hanc eandem ſententiã uidetur confirmaſſe in fine ſexti libri ijs uerbis: Et quod non erit electio recta ſine prudentia, neq; ſine uirtute, hæc enim finem facit agere. quæ paulo antè declarauerat in capite decimoſexto, cùm dixit: Amplius opus perficitur ſecundum prudentiam, & ſecundum moralem uirtutem: uirtus quidem finem facit rectum, prudentia autem ea quæ ſunt ad finem, Prudentia igitur facit « agere: non eſt ergo actio concluſa ex ratione, ſed eſt ipſamet ratio, qua agimus ex uirtutibus. 6. Ethic. in fine. cap. 16. «

Corroborare hoc idem fortaſſe poſſumus ex eo quod Ariſtoteles aliquando dixit uirtutes non eſſe ſine prudentia, aliquando non ſine recta ratione: ex quo uidetur innuere, idem eſſe prudentiam atq; rectam rationẽ, alioquin perperam dixiſſet.

Deinde probans uirtutes non eſſe ſine prudentia, quia non ſunt ſine recta ratione, cum dixiſſet in octauo eiuſdem ſexti lib. Socratem rectè dixiſſe uirtutes non eſſe ſine prudentia: addidit. Signum autem: etenim nunc omnes quando definiunt uirtutem, addunt habitum dicentes, & ad quæ ſecundum rectam rationem. recta autem ratio, quæ ſecundum prudentiam exiſtit. Videntur igitur, inquit, uaticinari quodam modo omnes, talem habitum eſſe uirtutem, qui ſecũdum prudentiam exiſtit. 6. Ethic. cap. 8.

Quibus uerbis uidetur apertè oſtendere, illud quod antiqui dixerunt uirtutem eſſe habitum ſecundum rectam rationem, ſignificare uirtutem eſſe habitum ſecundum prudentiam, quia ex illo probauit hoc. uidetur igitur accepiſſe ſecundum rectam rationem, pro eodem quod eſt ſecundum prudentiam, ex uno enim concludit alterum. nam ſi diuerſa eſſent, non potuiſſet dicere antiquos fuiſſe uaticinatos, talem habitum eſſe uirtutem, qui ſecundum prudentiam exiſtit. etenim ipſi definientes uirtutem, non addebant ſecundum prudentiam, ſed ſecundum rectam rationem. & cùm laudat eos in hac parte tanquam uaticinati fuerint hanc ueritatem, nõ abſolutè, neceſsitas cogit ut nos concludamus, eum accepiſſe rectam rationem ut eſt idem quod prudentia, quod eſt id quod uolebamus.

Confirmatur etiam prudentiam eſſe idem quod eſt recta ratio, ex ijs quæ ipſe in eodem cap. poſt illa quæ recitata ſunt uerba ſic addidit: Paulum tamen tranſeundum eſt. uirtus enim non ſolum ſecundum rectam rationem, ſed cum recta ratione habitus eſt. ſed recta ratio in talibus prudentia eſt: quare ex quo ſequitur uirtutem

non

non eſſe ſine prudentia,quia non ſolum eſt ſecundum rectam rationem quæ eſt ue luti menſura,quæ aliquo modo poteſt ſeparari à re menſurata:ſed eſt cum recta ratione,quæ ſemper eſt ſimul cum uirtute:quare neceſſe eſt ut uirtus ſit ſemper ſimul cum prudentia.quod eſt id in quo laudauit Ariſtoteles Socratem rectè dixiſſe,uirtutem non eſſe ſine prudentia.

Ex quibus uerbis Ariſtotelis licet hoc colligere, quòd non poſſumus dicere demonſtrationes quæ ſunt in ſcientijs,& rationes quæ ſunt in artibus,eſſe cum regulis logicæ, ſed eſſe ſecundum regulas logicæ: quia illæ regulæ non ſunt cum ipſis demonſtrationibus.etenim aliud eſt,aliquid eſſe & fieri ſecundum aliquid : aliud eſt,eſſe & fieri cum aliquo.etenim oſtendit Ariſtoteles, antiquos qui dixerant uirtutem eſſe habitū ſecundum rectā rationem, non omnino aſſeruiſſe id quod opus erat aſſerere in definitione uirtutis.nam ex uerbis illorum aliquis potuiſſet credere uirtutem poſſe ſeparari à recta ratione, quod planè à ueritate abhorrebat: quare addidit,paululum tranſeundum eſſe ab eis,quæ dixerant antiqui, non quod errauiſſent dicentes uirtutem eſſe ſecundum rectam rationem: quia hoc erat uerū: ſed oportebat,inquit,addere Cum recta ratione:ut intelligeremus, uirtutē nunquàm ſeparari à recta ratione.Deinde dixit rectam rationem eſſe prudentiam,ut concluderet id quod diximus:quare ſi recta ratio eſt prudētia,neceſsitas cogit ut prudentia ſit recta ratio:ſicut ſi animal rationale eſt homo,neceſsitas cogit ut homo ſit animal rationale.

Quare cogimur(meo quidem iudicio)definitionem prudentiæ in hunc ſenſum trahere, ut intelligamus prudentiam eſſe habitum cum ratione uera, id eſt eſſe rationem ueram,& habitum rationabilē uerum. Neq; hoc eſt præter Ariſtotelis con
2.Ethic. ſuetudinem.etenim in ſecundo Ethic. cùm dixiſſet, Virtus igitur erit mediocritas quædam exiſtens cō iectatiua medij:paulo pôſt inquit:Eſt igitur uirtus habitus electiuus in mediocritate exiſtens.Quare nihil prohibet, eum dixiſſe aliquando prudentiam eſſe cum recta ratione, aliquādo eſſe rectā rationem:uſumq; fuiſſe utroq; loquendi modo, ſicut uſus eſt cùm definiret uirtutem. Quare nihil obſtare uidetur quo minus interpretemur definitionē prudentiæ eo modo quo diximus, cùm ratio ita exigere poſtulareq; uideatur. etenim niſi prudentia eſſet idem quod recta ratio, & uiciſſim ſicut homo eſt idem quod animal rationale,non potuiſſet Ariſtoteles probare,uirtutem non eſſe ſine prudentia,quia non erat ſine recta ratione,ut fecit.animaduertens enim uerum eſſe quod diximus,aliquādo poſuit in definitio-
6.Ethic. ne uirtutis prudentiam,ut in ſecundo Ethic. aliquando rectam rationem,ut in ſex-
cap.13. to:ſignificās uidelicet nihil intereſſe, ſiue ponamus in eius definitione prudentiam, ſiue rectam rationem:ſicut ſi definiremus riſibile,nihil referret quod ad rem ipſam attinet,utrum poneremus hominem in eius definitione,an rationale animal,quod eſt eius definitio. ſed quod ad noſtrum modum cognoſcendi pertinet. fieri poteſt ut aliquid interſit:quia fieri poteſt ut manifeſtius nobis ſit animal rationale dici de riſibili,quàm homo. ſicut etiam uidetur Ariſtoteles oſtendiſſe, prudentiam poni in definitione uirtutis,ex eo quia ponebatur recta ratio,ut uidimus, cùm tamen re ipſa ſit idem.

Etenim niſi prudentia eſſet idem quod recta ratio,ſed eſſet tantum cum recta ratione, neſciremus quid propriè eſſet ipſa prudentia, & quid eſſet eius ſubſtantia. nam cum dicimus prudentiam eſſe cum recta ratione, ſignificamus rectam rationem eſſe diuerſam à prudentia, licet ſemper eſſet cum prudentia: ſicut recta ratio eſt diuerſa à uirtute, licet ſit ſemper cum uirtute. etenim quod dicitur eſſe cum aliquo,non dicitur eſſe illud:nō enim dicimus aliquid eſſe cum ſeipſo. Quare ſi ratio recta eſſet diuerſa à prudentia,quęrere poſſemus quæ nam eſſet ſubſtātia propria ipſius prudentiæ:ſicut uirtus dicitur habere ſubſtantiam quandam propriam,quæ eſt habitus in mediocritate conſiſtens, ratione terminata quoad nos præter illud, & ut prudens determinaret.ſed cùm dari nō poſsit alia prudentię ſubſtantia quàm recta ratio,neceſsitas cogit,ut prudentia ſit recta ratio agibilium in recto, nō cum recta ratione:quod eſt id quod oppugnabat quæſtio poſtremo loco allata.

Quare iam reuertamur unde egreſsi ſumus, & dicamus uerba Ariſtotelis ex ſex
to,

te Ethic.cap. octauo citata, non probare intellectum intelligere propriè ſingula- 6.Ethic.
ria:licet dixerit prudentiam non ſolum eſſe uniuerſalium,uerùm etiã ſingularium, cap.8.
quoniam uerba Ariſtotelis ſunt in eum quem diximus ſenſum trahenda, alioquin
pugnaret cum ſua ipſius ſententia.

Dicimus itẽ ad confirmationem ſumptam ex ſexto lib.Ethic. cap.nono, Ariſto 6.Ethic.
telem dixiſſe in eo loco prudentiam nõ eſſe ſcientiam, propterea quod ſcientia eſt cap.9.
ſolum uniuerſalium, quæ nullo modo reſpiciunt ſingularia, quia ſcientiæ finis eſt
tantum modo ſcire illa uniuerſalia:prudentia uerò non eſt uniuerſalium, ut ſciat ip
ſa uniuerſalia,ſed ut dirigat ſingularia. & ob hoc dixit Ariſtoteles, eam eſſe ipſius
extremi,& eſſe ſeiunctam à ſcientia. fines enim ſunt diuerſi, itaq; earum ſubſtantia
eſt diuerſa. nihil ergo auctoritas illa infringit opinionẽ noſtram: quippe qui aſſe-
ruimus intellectum propriè non apprehendere ſingularia.

Sed quæret aliquis,ſi intellectus propriè nõ apprehendit ſingularia,neq; prudẽ
tia propriè eſt ſingularium, quid tandem apprehendit illa ſingularia quæ ſunt mi-
nores propoſitiones,& concluſiones ſyllogiſmi practici?

Dico apprehendere illa hominem habentem prudentiam, qui phantaſia (quæ
eſt ſenſus interior) apprehendit ſingularia,eaq; addit uniuerſalibus,quorũ eſt pru
dentia:& ita facit ſyllogiſmum practicum,ut diximus in ſuperioribus. Quam rem
uidetur etiam nobis innuiſſe Ariſtoteles in cap.octauo, cùm dixit:Neq; enim pru
dentia eſt ſolum uniuerſalium, ſed oportet cognoſcere ipſa ſingularia: prudentia
enim non cognoſcit propriè ſingularia,ſed prudens. & in cap. decimotertio, ubi
ait:Sunt autem omnium ſingularium & ultimorũ agibilia, & oportet prudentem 6.Ethic.
cognoſcere ipſa. perſpicuum igitur eſt quod diximus,uidelicet prudentem eſſe il- cap.13.
lum qui apprehendit ſingularia:& prudentiam quæ habet propoſitiones uniuer-
ſales,dirigere actiones ſingulares.

Ad corroborationem etiam ſumptam ex decimotertio capite eiuſdem ſexti
reſpondemus, Ariſtotelem dixiſſe omnes illas facultates eſſe extremorum & ſin-
gularium:quia ſententia, perſpicatia,prudentia, & intellectus practicus ſunt ordi-
nata,ad actiones:omnes enim ſunt facultates practicæ, quare omnes referuntur
ad actiones quæ ſunt ſingulares. & ideo dicuntur ſingularium, & extremorũ: om-
nes tamen propriè ſunt uirtutes intellectiuæ,& ſunt uniuerſalium, ſed in compara
tione intellectus ſpeculatiui,qui ſolum contemplatur ueritatem rerũ,& nullo mo-
do actiones reſpicit,cũ ipſæ reſpiciant ſolum actiones, & ſint ut dirigant actiones,
dictæ ſunt ab Ariſtotele eſſe ſingularium & extremorum. Et in hoc ſenſu conce-
dimus intellectum,ſcilicet practicũ,eſſe ſingularium. ſed nihil repugnat ſententiæ
noſtræ,ut perſpicuum eſt ex ijs quæ diximus.

Ad aliam autem difficultatem ſumptam ex cap. decimo quarto eiuſdem ſexti,
concedimus intellectum eſſe ad utraq; extremorum.ſed dicimus,intellectus nomi
ne in illo loco Ariſtotelis intellexiſſe intellectum, ut complexu ſuo continet ſpecu 6.Ethic.
latiuum & practicum:& per extrema intellexiſſe prima principia,quę etiam dicun cap.14.
tur extrema,quia ſunt immediata,nec poſſunt demonſtrari per alia priora, ſed ne-
ceſſe eſt in ipſis conſiſtere. & dicuntur ab Ariſtotele termini, quia principia inde-
monſtrabilia cognoſcuntur ſtatim cognitis terminis, ut uidetur colligi ex eis quæ
ipſe ſcripta reliquit in primo Poſt.cap. tertio Nos autem(inquit)dicimus,neq; om 1.Poſt.
nem ſcientiam demonſtratiuam eſſe, ſed immediatorum indemonſtrabilem eſſe: cap.3.
& hoc quod neceſſarium ſit manifeſtum. ſi enim neceſſarium eſt ſcire prima, & ex "
quibus eſt demonſtratio. ſtant autẽ aliquando immediata hæc indemonſtrabilia, "
neceſſe eſt eſſe. Hæc igitur ſic dicimus, & non ſolum ſcientiam, ſed & principium "
ſcientiæ eſſe quoddam. Dicimus quatenus terminos cognoſcimus, ſupple illa co- "
gnoſcimus. "

Iis uerbis inter cętera ſignificationẽ nobis dediſſe uidet̃ Ariſtoteles, quare prima
principia dicantur primi termini, quia ſunt uidelicet principia immediata,& ipſis
nulla ſunt priora. dicuntur aũt termini, quia cognoſcunt̃ ſtatim cognitis terminis:
nõ enim uident̃ dici termini,quia definitiones quæ ſunt principia dicant̃ termini:
nã dignitates & ſuppoſitiões ſimpliciter dicunt̃ termini ab Ariſtotele, & tamẽ nõ
ſunt definitiões. cõſentit igit̃ rationi,ut omnia principia dicãt̃ termini potius ex eo
quod

quod conuenit omnibus principijs, quàm ex eo quod conuenit uni tantum generi principiorum.

Perſpicuum eſt etiam ex iiſdem uerbis, neceſſe eſſe cōſiſtere in eis principijs primis,nec eſſe alia illis priora.Quare ob id quoq; dici poſſunt extrema, quòd in ipſis ſit neceſſe conſiſtere,ut ex uerbis Ariſtotelis patet.Cōcedimus ergo eſſe ad utraq; extrema:ſed negamus Ariſtotelem eo in loco per extrema intellexiſſe ſolum ſingularia, quia intelligit etiam prima principia ,quæ ſunt principia demonſtrationum, & ſunt immediata.Concedimus etiam,ipſum in fine cap.decimitertij,per extrema intellexiſſe ſingularia,quia agibilia:ſed dicimus, in decimoquarto capite eum accepiſſe extremum latius,quàm in decimotertio.quod uidetur indicaſſe cum addidit: Etenim primorum terminorum, & ultimorum intellectus eſt,& cuius nō eſt ratio: neceſſe igitur eſt, ut prima etiam dicantur extrema, alioquin non conuenirent in rem uerba dicta.Sed magis obtinuit nomen extremi ipſum ſingulare: quia natura incipit generationem ab uniuerſalioribus, & terminat in ſingularibus, ut ſingularia ſunt. etenim cum generat Socratem,prius facit eum eſſe ens,deinde eſſe ſubſtantiam,deinde corpus,deinde corpus mixtū,deinde corpus animatum, deinde animatum anima ſenſitiua,deinde anima intellectiua: Poſtremò Socratem, ut Socrates eſt. Itaq; cum natura terminet ſuas generationes in ſingularibus, ut ſingularia ſunt: meritò ipſa ſingularia dicuntur magis propriè extrema. & quia natura non aſcendit ſupra ens,ens quoq; poteſt dici extremum in aſcendendo, ſicut ſingulare in deſcendēdo. principia quoq; demonſtrationum dicuntur extrema,cum ſint immediata:quia conſiſtimus in ipſis,nec poſſumus aſcendere ad alia priora.

Et quod per intellectum in hoc decimoquarto cap. intellexerit Ariſtoteles intellectum,ut complexu ſuo continet,& ſpeculatiuum & practicum,indicare uidetur ipſe,cùm poſt uerba citata addidit: Hic quidem, ſupple in demonſtrationibus immobilium terminorum, & primorum uerſatur: id eſt, hic quidem eſt circa demonſtrationes,quæ habent principia prima & immobilia, id eſt quæ non contingunt aliter ſe habere. Atque hunc eſſe intellectum ſpeculatiuum,ex eis colligi po-
6.Ethic. cap.12. teſt quæ ſcripta reliquit in eodem ſexto Ethic. capite ſecundo, quem locum citauimus etiam in ſuperioribus:Alter qui in actiuis conſiſtit, & eſt propriè extremi, & » eius quod euenire aliter atq; aliter poteſt,quod quidem hoc eſt mobilis,& alterius » propoſitionis,ſcilicet ſingularis, & uidetur hoc probare,quia principia harū actio» num ſunt,cuius cauſa ſunt ipſæ actiones,quæ principia ſunt uniuerſalia,& facta ex » ſingularibus, quorum ſingularium oportet habere ſenſum, ipſe autem eſt intellectus. Perſpicuum igitur eſt, Ariſtotelē cum dixit intellectū eſſe ad utramq; extremorum,intellectus nomine intellexiſſe intellectū ſpeculatiuum,& practicum,quorū unus uerſatur circa ea quæ nō poſſunt aliter ſe habere, alter circa ea quæ poſſunt aliter ſe habere. & cùm dixit intellectum practicū eſſe ipſius extremi,et illius quod aliter poteſt ſe habere, & alterius propoſitionis, id eſt minoris ſyllogiſmi practici, quę eſt ſingularis:intellexit eo modo,quo diximus:quia intellectus practicus reſpicit actiones quæ ſunt ſingulares, & extremas,quia eſt cauſa & principium illarum: non quod reuera intellectus,qui dicitur practicus, qui eſt idem re quod ſpeculatiuus,ſit propriè ipſorum ſingularium, quia hoc euerteret ſententiam Ariſtotelis.

Ad id uerò quod addebat ex eodē decimoquarto cap. ubi Ariſtoteles dicebat, Ex ſingularibus enim uniuerſale,horum igitur oportet habere ſenſum, ipſe autem eſt intellectus, ergo intellectus eſt ſingularium:Dico,omiſsis quæ dicuntur à nonnullis, Ariſtotelem in hoc loco per intellectū intellexiſſe phantaſiā, quam & in lib.
3.de Anim. 20. de Communi motu animalium, & in tertio de Anima tex. 20. nuncupauit intellectū. & hoc uidetur etiā innuiſſe in tertio de Anima,tex 48.cùm dixit: Videntur au-
3.de Anima.48. tem duo hæc mouentia, aut appetitus aut intellectus, ſi quis phantaſiam poſuerit ſicut intelligentiam quandam. Cogimur enim ita explanare, quia ſenſus non eſt propriè intellectus,quod tamen hic dicit: & patet Ariſtotelem per ſenſum intellexiſſe eam potentiam animæ,quæ percipit ſingularia . Quare in paucis uerbis, accipit intellectū tribus modis,ut nobis indicaret hoc nomen intellectus uarijs modis accipi,nam in fine decimitertij cap. per intellectū intellexit, intellectū practicū: in principio uerò decimiquarti capitis accepit intellectum , ut complexu ſuo cōtinet

ſpecu-

ſpeculatiuum & practicum: paulo pòſt autem uidetur per intellectum intellexiſſe
phantaſiam ipſam, ob rationes allatas. cùm uellet enim declarare de quo ſenſu intel
ligeret: Horum autem (inquit) oportet habere ſenſum. & dixit hunc ipſum ſenſum
eſſe intellectum, id eſt phantaſiam: quæ in comparatione cæterarum potentiarum
ſenſitiuarum, uidetur habere rationem intellectus. quare paucis uerbis accepit Ari
ſtoteles, ut diximus, intellectum tribus modis, & ita nihil ille tex. opinioni noſtræ
repugnare uidetur.

Ad id uerò quod poſtremo loco addebatur, ut noſtra conuelleretur ſententia: di
cimus falſum eſſe, intellectum eſſe materialem. Ad probationem autem, ſumptam
ex uerbis Ariſtotelis, reſpondẽtes, ut melius percipiatur ſolutio, altius incipiemus.
Itaq; dicimus, quòd cùm Ariſtoteles oſtendiſſet principia intellectus practici, & ip
ſorum agibilium, eſſe id, cuius cauſa agebantur, quam rem in ſexto cap. eiuſdem ſe-
xti attigerat ijs uerbis: Principia quidem rerum agibilium ſunt, cuius cauſa ſunt agi-
bilia. quia aliquis potuiſſet quærere, quónam modo fierẽt in nobis huiuſmodi prin
cipia: reſpondit, Quòd uniuerſale fiebat ex ſingularibus, intelligens per uniuerſale
principium rerum agendarum, quod erat uniuerſale: aliter enim non fuiſſet princi-
pium agendi. Quod autem uniuerſale huiuſmodi ſit principium, colligere poſ-
ſumus ex eis quæ dixit Ariſtoteles in ſecundo Poſt. cap. ultimo ad hunc modum, 2. Poſt. cap. ultim.
quæ uerba ſupra quoq; ob aliam occaſionem citauimus: Ex ſenſu igitur fit memo- “
ria, quemadmodum dicimus: ex memoria uerò ſæpius eiuſdem facta experientia “
naſcitur. Plures enim memoriæ numero una experientia eſt. experiẽtia uerò aut ex “
omni uniuerſali quitem iam in animo conſequuto, quod eſt unum præter multa, “
quodq; in omnibus illis unum ineſt, idemq; principium artis & ſcientiæ pullulat: ar “
tis, ſi ſit circa generationem: ſcientiæ, ſi eſt circa id quod eſt uniuerſale. Nam quod
fit experientia & ſenſu, id ait eſſe principium artis & ſcientiæ: artis ſi ſit circa genera
tionem, quod eſt id quod uolebamus. per artem uerò quin hoc loco intellexerit om
nes habitus qui ad opus dirigunt, in dubium uenire non poteſt. etenim habitus acti
ui, ut prudentia, ſunt circa generationem, ut indicauit ipſe in ſexto Ethic. cap. deci-
moquinto: Præterea mancus & mutilatus fuiſſet, niſi declaraſſet etiam principia re
rum agibilium. Quare niſi per uniuerſale intellligeret principium, non conueniſ- 6. Ethic.
ſet in rem (poſtquam dixerat principia eſſe, cuius cauſa res agendę agebantur) dice cap. 15.
re ex ſingularibus fieri uniuerſale, & quum dixiſſet ex ſingularibus fieri uniuerſa-
le. quoniam aliquis potuiſſet credere intellectum practicum, qui percipiebat illud
uniuerſale, percipere etiam ſingularia. ne aliquis hoc errore detineretur, qui eſſet
grauiſſimus, addidit: Horum igitur oportet habere ſenſum, id eſt, antequam fiat uni
uerſale ex illis ſingularibus, oportet nos habere ſenſum ipſorum ſingularium: quia
non intellectus practicus, qui percipit illud uniuerſale, percipit ſingularia, ſed ſen-
ſus: deinde uerò ex illo ſenſu oportet nos beneficio intellectus agentis conficere, u-
niuerſale, quod eſt principium illorum agibilium, quia eſt circa generationem, ſicut
diximus in ſuperioribus. Et ita hæc uerba noſtræ fauent opinioni. & quoniam po-
tuiſſet quiſpiã dubitare de quo ſenſu intelligeret (plures enim ſunt ſenſus) addidit,
ut hanc ambiguitatem tolleret, hũc ſenſum eſſe illum qui dicitur etiam intellectus,
id eſt phantaſia. Sed poſtquam oſtendit principia rerum agibilium, & ita intelle-
ctum practicum & prudentiam, & perſpicacitatem & ſententiam fieri ex ſingulari-
bus, & per id quod neceſſariò ſequitur, ex experientia, cùm uellet reddere cauſam
quare hæc uideantur naturalia, ut magis confirmaret illa fieri ex ſingularibus, & ex
ſenſu, & experiẽtia, inquit: quapropter, id eſt propter cauſas dictas, naturalia uiden
tur eſſe hæc. ſed nemo ſapiens uidetur eſſe à natura, ſed habere ſententiam, & perſpi
caciam, & intellectum practicum uidetur natura. cuius quidem rei hoc ait eſſe ſi-
gnum, quia putamus has ſæqui ætates. Etenim dicimus quod ætas habet mentem
& ſentẽtiam, quaſi cauſa ex natura ſit. non dicimus autem ſic ætates habere ſapien-
tiam, quia ipſa ſequatur ætates: ſed dicimus homines ætate prouectiores habere in-
tellectum practicum, & habere ſententiã, & prudentiam, & perſpicaciam, quia hæc
ſunt ipſorum ſingularium, quæ nota ſunt experiẽtia, quam experientã facit longitu
do temporis. Dixit enim in cap. nono, Multitudo tẽporis facit experientiam. Quia cap. 9.

igitur longitudo temporis facit experientiam, & experientia facit prudentiam, ſen tentiam, & perſpicaciam, intellectum practicum: ideo dicimus has facultates ſequi ętates, quia lõgitudo temporis facit ætates, in qua longitudine fit experientia: non quod reuera hæ ſequantur ętates ex ratione ętatis, & ita oriantur ex complexione. Etẽm multi habent longas ętates, & ſunt ſenes, & tamen non dicuntur habere neq; ſententiã, neq; prudentiam, neq; intellectum practicum, neq; perſpicaciam, quia tempus ex natura ſua non efficit has: ſed dicitur tempus uel ætas has efficere, quia accidit multas experientias fieri in longo tempore, ex quibus naſcuntur huiuſmodi facultates.

Cùm igitur principia rerum agibilium ſint ex fine ipſorum agibilium, & concluda tur concluſio agibilis ex illis principijs, quia ex illis fit demonſtratio, & intellectus practicus dicitur ex illis: concludit Ariſtoteles intellectum practicum eſſe principium & finem rerum agibilium. eſt enim finis, quia principia rerum agibilium ſunt, cuius cauſa aguntur: & principium, quia ex illis principijs, & de illis principijs fiunt demonſtrationes, ex quibus concluduntur actiones. eſt ergo principium finis agibilium intellectus practicus. Accepit aũt Ariſtoteles hoc in loco nomen demoſtrationis, ut ego quidem arbitor, communiori uocabulo: quia ſyllogiſmus practicus non propriè dicitur demõſtratiuus, cùm demõſtratio propriè faciat ſcire, nõ agere.

Deinde quia dixerat principia rerum agibilium eſſe id cuius gratia aguntur, quæ principia dixit oriri ex ſenſibus, & per id quod neceſſario ſequitur, ex experientia: et ideo uideri eſſe naturalia, prudẽtiam, perſpicacitatem, & intellectum practicum, quia putamus ipſa ſequi ætates: & hoc propter experientiam, quæ fit in ætatibus: hæc enim propter experientiam infert ex dictis Ariſtoteles, oportere nos non minus mentem adhibere pronunciationibus, ſiue ſententijs, & opinionibus expertorum & antiquorum, non quorumcunq;, ſed prudentiũ, ſine demonſtratione, quàm demonſtrationibus ipſis. & reddit rationem, quia iſti intuentur principia agendi, ut pote qui habent oculum ex experientia, qua illuſtrati ſunt, atq; ex tenebris erepti, ita ut poſsint intueri principia uera agendi, ex quibus poſtmodũ rectè agunt. Cùm igitur experientia in agibilibus tantũ ualeat, ut homines dicantur prudentes, & habere intellectum: non minus erit fides habenda eis quæ iſti pronunciãt, qui prædid ſunt uſu rerum, & experientia, quàm demonſtrationibus: id eſt, non minus credendum eſt ſententijs ſenum prudentum de aliqua re, quàm ſi eius ipſius rei demonſtrationes haberemus. ſententię enim ſeniorum prudentum debent in rebus agibilibus obtinere locum demonſtrationum, nam debemus illis perinde acquieſcere, atq; ipſis demonſtrationibus.

His ita declaratis reſpondemus, Ariſtotelem noluiſſe dicere intellectum ſequi ętates, ita ut ſubſtantia intellectus ſequatur ętates, ſed intellectum practicum: id eſt, intellectũ habentem principia agendi, ſequi ætates, quia homines ſenes & prudentes ſunt magis apti ad res agendas, quàm qui tales non ſunt. ſunt enim ij magis prudentes, quia expergefacti ſunt ex ipſa experientia, eaq; redditi ſunt ad agendum magis idonei quàm iuuenes. Et hæc nos etiam concedimus, loquimur enim de ſubſtantia intellectus, non de intellectu ut eſt practicus. Quare nihil nobis cõcludere uidetur ratio allata, quod ſententiam noſtram labefactet atq; infringat. nihil igitur impedire uidetur quin aſſeramus, intellectum non poſſe cõparare uniuerſale cum ſingulari, neq; econtrariò: fieri tamen poſſe, ut nos ipſi hęc inter ſe comparemus, quod eſt id quod in præſentia nobis erat propoſitum.

SECTIO SECVNDA.

RAtiones autem illæ quibus probatur, animam non aſſiſtere, ſed eſſe hominis ſubſtantiam, nihil uidentur demonſtrare. eſt enim meo iudicio figmentum, aſſiſtentia illa quam nonnulli putauerunt.

''Zimarr.

Rationes etiam quæ afferuntur à M. Antonio Timarra, ut hãc ipſam opinionem tueretur, non uidentur (mea quidem ſententia) cogere. etenim concedimus hominem eſſe hominem per duas formas, & duas ſubſtantias actu exiſtẽtes: neq; hoc eſt abſurdum, ſed eſt ſummè neceſſarium, ut rationes in ſuperioribus allatæ indicare nobis uidentur. natura enim nõ poterat tranſire ab extremo ad extremum, ſine medio,

dio. eſſet abſurdum, ſi ambæ eſſent eiuſdem generis, extēderenturq́ ambæ ad extenſionem materiæ. ſed cùm perſpicuum ſit eſſe diuerſi generis, unamq́ extendi ad extenſionem materiæ, alterum non extendi: non ſanè mirum uideri debet, ſi duæ ſubſtantiæ ad hunc modum reperiantur in eodem ſubiecto. nihil enim inde abſurdi ſequitur. quandoquidem non ſequitur ut una alteram impediat, neq́ ſequitur ut altera ipſarum ſit ſuperuacanea.

Quod autem attinet ad phantaſiā, ſiue imaginatiuam: dico, ipſam ponere hominē in ſpecie diuerſa à formis brutorū: & quantum etiā ad ipſam attinet, hominē eſſe perfectiorē cæteris animalibus. Quare magis ponit in eſſe ſpeciē, quàm formæ aliorum: quia ponit perfectiorem ſpeciem. ſed non ponit tamen ipſum hominem in ſpecie diuina, & in eſſe perfecto hominis: quia homo ut perfectus eſt, continet etiam animam rationalem: neq́ ponit illum ut ſit ſine anima rationali, id eſt, in ſubiecto, in quo non ſit etiam anima rationalis. eſt enim eius perfectionis, ut ſit apta nata obedire rationi, quod inter formas materiales maximam arguit perfectionem. Quod ſi non fuiſſet coniuncta in ſubiecto cum anima rationali, fruſtrà natura ei dediſſet illam aptitudinem. Quare natura uoluit ipſam ſemper eſſe coniunctā in eodem ſubiecto cum anima rationali: & hoc modo fecit mediam quandam naturam inter formas corruptibiles ſimpliciter, & incorruptibiles, quæ eſſet partim corruptibilis, partim incorruptibilis, deditq́ ipſi phantaſiæ maiorē perfectionem, quàm cæteris formis materialibus, ut inſeruire poſſet animæ rationali, quod non poſſent facere animæ brutorum. Nihil ergo incommodi, mea quidem ſententia, uidetur ſequi ſententiam noſtram, qui poſuimus duas animas in homine.

Erat aliud abſurdum, quòd uidelicet ſequeretur ut intellectus eſſet accidens hominis: ad quod reſpondentes, negamus conſequentiam. Ad probationem autē quæ erat, quòd adueniret enti in actu: dico falſum eſſe, ipſum aduenire enti in actu omnino. nam licet aliquo modo ſit in actu, non habet tamen illum actum, quem oporteret habere, ut infrà dicemus. uerbi gratia, ſi ponamus animā intellectiuam aduenire homini, poſtquam eſt homo per animam ſenſitiuam: tamen quia non eſt in actu perfecto ipſius hominis, per quem homo uerè eſt homo, ideo poteſt aduenire & non erit accidens: quia etſi eſt in rerum natura, ut homo aliquo modo, non eſt tamen in rerum natura, ut perfectus homo. ad quam perfectionem poſtquam habuit etiam phantaſiam, eſt aliquo modo in potentia. anima ergo rationalis dat homini eſſe perfectum hominem, & ita dat eſſe ſubſtantiam perfectam. Et hoc modo nihil abſurdi ſequitur, quia non aduenit enti exiſtēti in actu perfecto, & in actu eo quem oportet ipſum habere, ſed exiſtenti in potentia ad actū perfectum: & dat eſſe in rerum natura perfectè. & hoc dicimus, ſiue anima intellectiua adiūgatur homini poſt phantaſiam, ſiue eodem temporis momento: de qua re paulo pòſt uerba faciemus. nihil enim refert, quantum attinet ad id quod diximus. nō enim ſi eſt actu, ſequitur ut ex duobus entibus in actu fiat unum per ſe actu: quia adueniente anima intellectiua homo nondum eſt, ut dicemus, actu uerus homo, ſed eſt tantum in potentia: Deinde corpus & anima ſenſitiua ſunt ueluti materia animæ rationalis.

SECTIO TERTIA.

SEd quæret aliquis, nunquid ex ſententia Ariſtotelis anima ſenſitiua prius tempore adiungatur homini, quàm intellectiua, an eodem temporis momento? 7.Polit. Ad quam quæſtionem, uidetur reſpondere ipſemet Ariſtoteles, in ſeptimo Polit. cap.15. ijs uerbis:

Deinde quoniam anima & corpus duo ſunt, ſic uidemus duas partes ipſius ani- “
mæ: aliam enim irrationalem, & aliam rationalem. habitus autem harum duo ſecun “
dum numerum, quorum alius quidem eſt appetitus, alius intellectus. ſed quemad- “
modum corpus prius eſt generatione ipſa anima, ita irrationale eſt prius habēte ra- “
tionem. manifeſtum autem & hoc: ira enim, & uoluntas, & concupiſcentia, inſunt “
ſtatim factis pueris. ratio enim & mens procedentibus ætate innaſci nata eſt.

Quibus uerbis luce clarius uidetur mihi aſſerere animam ſenſitiuam generatione pręcedere intellectiuam: & per id quod neceſſario ſequitur, prius tēpore. Itemq́ ipſam intellectiuam non adiungi pueris, niſi poſtquam habent ſenſitiuam. Ex quo

quidem apertè uidetur ſequi ex eius ſententia,immortalitas animæ: quia non uide tur poſſe deduci ex potentia materiæ.Iam enim cùm aduenit,puer,eſt in eſſe pueri: uenit ergo extrinſecus,eſt igitur immortalis.

ſec.30. prob.4. Sed Ariſtoteles in 30.ſectione problematum,prob.4. uidetur contrarium aſſere re:cuius uerba,quoniam in ſuperioribus ad aliud propoſitum recitata ſunt, nō erit „ opus hic omnia referre,ſed hæc tantum proferemus: Vt igitur manu non iam inde „ ab ortu naturæ uti poſſumus, ſed cùm eam natura abſoluit, perfecitq́ procedente „ namq; ætate manus ſuum opus perficere poteſt:ita etiam mens, quæ res naturalis „ eſt,non protinus,ſed in ſenectute maximè nobis contingit. Ex quibus planè ſequi uidetur, ut quemadmodum habemus manum antequam ipſa utamur, ita mentem habemus,antequam ipſa utamur.

2 de Gene. Animal. At rurſus huic ſententiæ repugnare uidetur Ariſtoteles in ſecundo de Genera- tione animalium,cap.quarto iis uerbis: Palpebra etiam talis pars eſt. ſed cùm natu „ ra nihil ſuperuacuum,nihil fruſtrà facere ſoleat, conſtat neq; prius, neq; poſterius, „ quàm uſus exigat,ab ea effici quicquam. ſic enim quod factū eſt fruſtra, aut ſuper- „ uacaneum fuerit. Itaq; palpebras ſimul & diſtingui,et poſſe moueri neceſſe eſt.

Nam ſi ratio Ariſtotelis uera ſit,& exiſtimandū eſt: neceſſitas cogere uidetur ut anima ratiōalis neq; prius,neq; poſterius homini adueniat,quàm uſus exigat: quia ſic quod factum eſt,fruſtra,aut ſuperuacaneum fuerit.

Hanc eandem opinionem corroborare uidetur in eodem lib.cap.tertio.cùm ait: „ Conceptus non habent animam uegetalem actu, niſi poſtquam faciunt opus talis animæ: ſic enim neq; anima rationalis erit ponenda in homine, niſi poſtquam faci- at opus huius animæ.eadem enim eſt omnino ratio. ſed cùm pueri nō faciant opus huius animæ,neceſſitas cogit,ut ipſis pueris (ſi ſunt uera quæ citauimus ex Ariſto- tele,de conceptu)non ſit anima rationalis.Quòd uerò pueri non faciant opus ani- mæ rationalis,præterquam quòd ex ſe perſpicuum eſt, cognoſci meo quidem iudi

1.Ethic. cap.13. cio poteſt ex eis quæ ſcripta reliquit Ariſtoteles in primo Ethic.cap.decimotertio, ad hunc modum: Neq; puer inquit,eſt fœlix.nondum enim eſt actiuus talium, ſup ple actionum,propter ætatem. quare ſequitur,ut non habeat intellectum.quia ſi ha beret intellectum,eſſet actiuus.poſſet enim habere prudētiam,& rectam rationem agibilium.ſed non poteſt agere:ergo non habet intellectum. Conſentit etiam ergo iſte textus eis quæ dicta ſunt in lib.Polit. Cogimur igitur dicere ex his fundamen- tis,falſis tamen (ut religio noſtra oſtendit)non prius nobis aduenire animam intel- lectiuam, quàm eo tempore quo poſſumus uti ipſa. Ex quibus poſtmodum ſequi- tur,cogamur ad bonum ſenſum redigere uerba Ariſtotelis,quæ contrariam ſenten tiā uidētur aſſerere,ne ipſe negantia loquatur:quod ex omnibus eſt abſurdiſſimū.

Quare dicendum uidetur,per ſimilitudinem manus uoluiſſe oſtendere Ariſtote lem, mentem nobis contingere eo tempore quo fit manus: uel etiam eo momento quo ſumus,mentem in nobis magis uigere in ſenectute, q̄ eo tempore quo nobis innaſcitur,quod uidenī oſtēdere aduerbia Maximè & Potiſſimùm,nā inquit:Mens „ enim non protinus,ſed in ſenectute maximè nobis contingit, atq; tunc potiſſimum perficitur atq; abſoluitur.

Non dicit autem,quo illa tempore nobis adueniat. Quam item ſententiam ui dentur confirmare uerba,quę ſtatim addidit:Mens uerò poſterior, quàm manuum facultas accedit,quoniam inſtrumenta etiam mentis poſteriora ſunt. Non ergo ui- dentur uerba Ariſtotelis ſententiæ noſtræ repugnare.

Miſſum etiam facio, auctoritates ex Problematibus ſumptas plerūq; eſſe magis probabiles,quàm neceſſarias, aut ueras.quæ enim in Problematibus dicit Ariſtote les,maiori ex parte dicit in communi modo loquendi ipſorum hominum,uel ex ali cuius magni uiri ſententia.quod quidē ita eſſe,ex eo deprehendi facile poteſt, ſi ea quæ ibi dicit, repugnarent eis quæ alibi tradidit, dum loquitur ex ſua ipſius ſenten tia,ſeq; ita loqui uelle profitetur.

Sed ſtatim contrà ſic inſtaret aliquis:Eſto ut Ariſtoteles id uoluerit ſignificare in Problematibus quod dixiſti:tamen nihil hoc ad tuam ſententiā tuendam prodeſt. propterea

propterea quòd negari non poteſt, quin multa inſint in nobis priuſquam poſſint officio ſuo fungi:ut caput & crura, & manus etiam. quod quidem ipſe declarauit paulo antè in eodem ſecundo lib. de Generatione animalium, cùm inquit: Pueri etiam longo tempore nequeunt continere caput præ pondere cerebri, nec ſecus partes quas mouere oportet. Principium enim mouendi ſerò ſuperioribus dominatur, & poſtremum ijs quorum motus non iungitur cum principio, ut cruribus. *2. de Gene. animal.*

Dictum igitur illud Ariſtotelis, quòd uidelicet natura nec prius, neq; poſterius, quàm uſus exigat, aliquid efficiat, uidet à ueritate abhorrere: quia natura fecit omnia illa quæ diximus, antequam uſus exigeret. Dicerem hęc uerba Ariſtotelis eſſe intelligenda ad hunc modum, naturam nõ facere aliquid prius aut poſterius, niſi cùm uſus exigit, in rebus ijs, in quibus non cogit: ſed in quibus cogitur prius facit. in eis aũt quæ dictæ ſunt, cogitur: cogitur eñ facere & manus, & oculos, & pedes, antequã exercere poſſint ſua munera: propterea quod niſi ea faceret in utero matris, non poſſet amplius facere. At cùm non cogitur, nihil unquam facit niſi eo tem pore, quo id poſſit officio ſuo fungi, etenim ſi prius faceret, cùm nulla neceſſitate cogeretur, fruſtrà & ſuperuacanee faceret. quod non accidit animæ intellectiuæ: etenim nulla neceſſitas cogit ipſam animam natura uenire in corpus, antequam ſuo munere fungi poſſit: neq; enim extenditur ad extenſionem corporis, neq; augetur, neq; diminuitur, neque nutritur: & nihil prohibet ipſam ingredi in corpus, poſtquam in eo eſt anima ſenſitiua: ſola enim dat eſſe perfectum ipſi humano corpori. quod quidem eſt aliud eſſe, quàm quod dabat anima ſenſitiua. illud enim erat eſſe hominem, hoc autem eſſe diuinum: ut declarauit Ariſtoteles in decimo Ethi. cùm loqueretur de operatione intellectus, ijs uerbis, ſuperius quoq; citatis: Talis autem uita erit melior, quàm ſecundum hominem. non enim quatenus homo eſt, ſic uiuet, ſed quatenus in ipſo eſt aliquid diuinum. Quantum autem differt hoc à compoſito, tantum huius operatio ab operatione alterius uirtutis: ſi ſanè mens eſt diuinum ad hominem, & uita ſecundum hanc erit diuina ad hominis uitam. *10. Ethic.*

Ex quibus perſpicuè patet, phantaſiam dare eſſe homini, quatenus homo eſt: & ita ponere ipſum in ſpecie humana, quæ etiam excellit perfectione cæteris omnibus animalium ſpeciebus. animam uerò intellectiuam tribuere ipſi homini eſſe diuinum. Quare non erit accidens, ſicut etiam diximus: homo enim eſt maximè homo per animam intellectiuam, quia eſt quiddam diuinum.

Quod paulo pòſt in eodem loco luce clarius oſtendit, cùm ait: Et quod prius diximus, nunc congruet. proprium enim cuiq; natura optimũ & iucundiſſimum, & homini: igitur ea uita quæ eſt ſecundum mentem, ſiquidẽ maximè hoc eſt homo.

Hæc uita ergo beatiſſima, ſecundario autem illa quæ eſt per aliam uirtutem. nam operationes ſecundum illam humanæ ſunt. iuſta igitur, & fortia, quæ ſunt ſecundum uirtutes, inuicem agimus. in commercijs, & alijs expeditionibus, & uarijs rebus, in affectibus quoq; decorum unicuiq; ſeruamus. Hæc autem omnia uidentur humana. Ex his enim uerbis, in dubium uenire non poteſt quin fatendum ſit, animam ſenſitiuam ponere hominem in ſpecie humana: ſed non perfectè. quia hominẽ, quatenus homo eſt, duas partes ob cauſas in ſuperioribus allatas habere neceſſe eſt: quarum una ipſum reddit hominem, quia reddit mortalem: altera reddit perfectiſſimum, quia reddit immortalem: & per id quod neceſſariò ſequiť, diuinum. Quod quum ita ſit, nihil mihi prohibere uidetur, quo minus aſſeram, animam intellectiuam ingredi corpus, poſtquam eſt formatum anima ſenſitiua propria ipſi homini: quod eſt id, quod uiſus eſt Ariſtoteles dicere in ſeptimo Polit. loco ſuperius citato. *7. Polit.*

Fortaſſe etiam poſſumus dicere, quòd natura dans caput, cerebrum, manus, & pedes pueris, non dat tamen omnino ſuperuacaneè: quia licet non utantur eis perfectè, utuntur tamen aliquo modo, ut uiuãt, & bene alantur: quia ſine ipſis uel non poſſent uiuere, uel non bene alí. quod non accideret intellectui, ſi pueris ſtatim natis tribueretur: quia non eis uſui eſſet, neq; ad uiuendum, neq; ad hoc ut bene alerentur.

SECTIO QVARTA.

SEd quærat aliquis: Si prius anima ſenſitiua innaſcitur in nobis, quàm anima intellectiua, quo tempore ipſa intellectiua in corpus ingreditur? Reſpondeo, Ariſtotelem nuſquam (quòd ego animaduerterim) hoc ſcriptum reliquiſſe: ſed illud tantum protuliſſe, quod diximus, animam intellectiuam procedente ætate aduenire.

Si quæras, quæ ſit iſta procedẽs ætas, & quibus adſit annis: ſanè difficile eſt, hoc planè aſſerere. ſed probabile tamen eſt, hanc ætatem ijs aduenire annis, quibus primùm pueri incipiunt diſcernere bonum à malo.

Quærat item quiſpiam, utrum omnibus eodem tempore adueniat anima intellectiua? ſi quidem non omnes eodem tempore incipiunt diſcernere bonũ à malo.

Item, an poſſit fieri ut quibuſdam hominibus nunquam contingat? quia reperiuntur nonnulli ita natura ſtulti ac ſtupidi, ut nunq; ſciant diſcernere bonũ à malo.

Ad priorem quæſtionem dicerem, eodẽ tempore omnibus aduenire animam intellectiuam: quia natura opera ſua ordinatè facit, per ſe enim facit. Quare ſicut poſitis diſpoſitionibus formæ ſubſtantialis, ſemper ſequitur forma ſubſtãtialis: ita etiam poſita forma ſenſitiua in corpore, & diſpoſita, ita ut eſſe poſſit inſtrumẽtum animæ intellectiuæ, efficitur neceſſariò ut adueniat anima intellectiua: ſed diſpoſitiones illæ non conſiſtunt in puncto, ſed latè patent. quare licet in alio aliter ſeſe habeant, tamen mihi uidetur rationi conſentire, ut natura certum quoddam tempus ipſæ animæ intellectiuæ aſſignauerit, quo tempore corpus hominis ingrediatur, ne humana natura deficiat. Nullam tamen huius determinati temporis ſignificationem uidetur mihi dediſſe alicubi Ariſtoteles, neque etiam ipſamet natura: ſed ita ut diximus, rationi conſentire uidetur.

Ad alteram quæſtionem reſpondeo, uideri etiam rationi conſentaneũ, ut in omnes quicunq; diſpoſitionẽ humanæ naturæ habeant, neceſſariò accedat, quia naturaliter impellitur: ſicut etiã neceſſariũ eſt, ut poſitis diſpoſitionibus formæ, uerbi gratia, ſenſitiuæ, quæ, ex potẽtia materiæ educenda eſt, qualeſcunq; eæ ſint, modo ſint aliquo modo aptæ inſeruire animæ ſenſitiuæ, ut ipſa anima ſenſitiua educatur ex potẽtia materiæ: ita poſitis diſpoſitionibus animæ intellectiuæ, qualeſcũq; ſint illæ, neceſſe eſt ut ipſa inducatur: alioqn nõ ingrederetur naturaliter. repugnat enĩ naturæ, ut adſit diſpoſitio alicuius, & non ſequatur id cuius eſt diſpoſitio.

Quod ſi dentur aliqui ita natura malè affecti, ut nunquam ſciant diſcernere bonum à malo: hoc dicimus eſſe per accidens, non per ſe. itaq; mihi id obſtat, quo minus neceſſariò anima rationalis ingrediatur in hominum corpora, quia naturaliter operatur. Ita quidẽ uidetur magis rationi cõſentire. nulla enim apparet ratio quæ prohibeat, quin ita poſſit eſſe. exiſtimandum igitur eſt ſic rem ſe habere: nam Ariſtoteles in 7. Ethic. cap. 1. ubi ait:

7. Ethic. cap. 1. Oportet autem, quemadmodum in alijs, ponentes ea quæ apparent, ac dubitationibus primò factis, ſic demonſtrare: maxima autem omnia quę probabilia ſunt, circa huiuſmodi affectus, aut certè plurima ipſorũ atq; pręcipua. ſi enĩ ſoluãtur difficultates, & relinquãtur probabilia, erit ſufficiẽter demõſtratum.) perſpicuè dicit, ſatis ſuperq; nos facere, ſi rebus dubijs remoueamus incõmoda, & relinquantur probabilitates: ut nobis uidemur facere in hac re.

Ex ijs ergo quæ dicta ſunt, liquidò patêre arbitramur, ex noſtra potentia nõ ſeſequi, intellectum eſſe hominis accidens, ut uidebatur ratio allata oſtendere.

Patet etiam, non eſſe neceſſarium ex ſentẽtia Ariſtotelis, naturaliter loquentis, falſa tamẽ, animam intellectiuam eodem temporis momẽto corpus ingredi, quo ſenſitiua educitur ex potẽtia materiæ: quia tepugnant ueritati Chriſtianæ, quã nos omnino ſequi debemus, quia nõ poteſt fallere. Verùm ſi hæc nõ declararet unitas Chriſtiana, cogeremur ſequi rationem naturalem.

Erat aliud abſurdum, quòd uidelicet homo definietur per duas formas, ſiquidẽ eius ſubſtantia conſtat ex duabus formis. Ad quod reſpõdemus, tantum abeſſe ut hoc ſit abſurdũ, ut ſit omnino neceſſariũ. nam cùm definitio explicet uniuſcuiuſq; rei ſubſtantia, neceſſitas cogit ut quæcunq; ſunt de ſubſtãnia alicuius rei, in eius definitione

finitione ponantur:alioquin definitio non declararet ſubſtantiam illius rei.imò de clararet rem aliter quàm eſſet:quod ab officio ipſius definitionis longè abeſſe, neminem latère arbitror. ſi ergo in ſubſtantia hominis ſunt duæ formæ,neceſſe eſt ut ponantur in eius definitione.

Sed dices:Erunt ergo in definitione hominis duæ differentiæ, quæ ipſi conueniunt:quod quidem perſpicuè patet eſſe abſurdum. nam definimus hominem eſſe animal rationale,quæ quidem exiſtimatur uera definitio,non tamen uidetur expli care niſi animam rationalē. Dico,rationale poſitum in definitione hominis,ſi per fecta ſit definitio,neceſſariò accipi ut refert animam in ſe habentem rationem,et al teram quæ obedit ipſi rationi,quæ item aliquo modo rationalis dicitur, ut perſpicuum eſt ex 1. Ethi. ca. 9. & 18. quos locos in ſuperioribus citauimus:alioquin man ca,& imperfecta eſſet definitio hominis.ſenſus enim eſſet, quòd homo non haberet niſi animam rationalem:quod quidem à ratione,& ab Ariſtotelis ſententia abhorrere, oſtendūt rationes & auctoritates quas in ſuperioribus recitauimus. Atq; ut res clarius percipi poſſit,altius repetentes dicimus: Neceſſarium eſſe ut qui uelit hominis & aliarum ſpecierum ſubſtantiæ naturam & ſubſtantiam cognoſcere, ſciat omnia illa quæ ipſum hominem conſtituunt: quæ quidem ſunt cauſæ intrinſecus exiſtentes.quia tunc ſcimus unumquodq;,cùm omnes eius cauſas cognitas habemus.id quod multis in locis declarauit Ariſtoteles, quemadmodū nos in ſuperioribus palàm ſecimus,ſed maximè in 1. Phyſ. ijs uerbis,cùm aduerſus Anaxagoram diſputaret: Si autem infinitum quatenus infinitū eſt,non cognoſcibile: infinitum autem,ſecundum multitudinem uel magnitudinem erit cognoſcibile,quantum:infinitum autem ſecūdum ſpeciem erit incognoſcibile,quale quid. ſed quum principia ſint infinita,& ſecundum multitudinem,& ſecundum ſpeciem,impoſſibile eſt ſcire ea quæ ſunt ex ijs.ſic enim ſcire compoſitum opinamur, quando ſcimus ex quibus & quantis ſit.

Neceſſitas igitur cogit, ſi uelimus ſcire quid ſit homo,ut omnes eius cauſas, ex quibus conſtat,cognitas habeamus. ſed cauſæ ex quibus cōſtat homo, ſunt cauſæ intrinſecus exiſtentes:ergo neceſſe eſt ut ipſas cognoſcamus.ſed iſtę ſunt, materia & forma:ergo neceſſe eſt ut cognoſcamus materiam & formam. materia autem,alia eſt prima,alia ſecunda,alia eſt tertia,& reliquę,ut in ſuperioribus declarauimus: ergo neceſſe eſt ut cognoſcamus primam materiam, & ſecundam,& tertiam, & reliquas uſq; ad ultimam.ergo neceſſe eſt eadem ratione,ut cognoſcamus etiam omnes formas,quæ conſtituunt hominem.ſed formæ quæ conſtituūt hominem,ſunt, uegetatiua, & ſenſitiua, & intellectiua: quarum una eſt irrationalis, quia non obedit rationi:altera eſt rationalis,quia obedit rationi: tertia eſt rationalis, quia habet in ſe rationem. ergo neceſſitas cogit,ſi uolumus cognoſcere hominem, ut omnes iſtas formas cognitas habeamus. Quare philoſophi ut cognoſcerent hominem, & omnes alias ſpecies ſpecialiſſimas,quas ſibi propoſitas ad cognoſcendū habuerunt,coacti fuerūt innuere primam philoſophiam,quæ declararet uniuerſales cauſas harum ſpecierum:& philoſophiam naturalem, quæ ab illis cauſis ad proximarum cauſarum declarationem deſcenderet. hæ enim duæ facultates nihil aliud propoſitum habent,quàm ut cauſas ſubſtantiales doceāt ſpecierum ſpecialiſſimarum, & accidentium ipſarum,ut ex omnibus libris Ariſtotelis perſpicuum eſt. quod etiam uidetur indicaſſe ipſe Ariſtoteles,in procemio primi Metheor. quo in loco poſt multa,hæc ſcripta reliquit: Prætereuntes autem de his ſpeculabimur, ſi quid poſſumus ſecundum inductum modum aſſignare de animalibus & plantis uniuerſaliter & ſingulatim. ferè enim his dictis, finis utiq; factus erit omnis quæ à principio nobis electionis. 1. Meteor.

Philoſophia igitur, eo tamen modo quo diximus in ſuperioribus, declarat omnes cauſas hominis intrinſecus exiſtentes, quæ ſunt in ſubſtantia ipſius. Quare neceſſe eſt ut definitio, quæ cuiuſq; rei ſubſtantiam declaret, complexu ſuo cohibeat atque contineat omnes cauſas dictas, & ipſas referat: alioquin non explicaret quid eſſet homo. neceſſe igitur eſt ut contineat omnem materiam & omnem formam, ex quibus conſtat homo. Sed quia materiæ, & formæ non poſſunt eſſe

explicitè in definitione, utpote quæ non prædicantur in recto: & per id quod neceſſariò ſequitur, non poſſunt oſtendere (ut ita dicam) identitatem ipſius definiti, ex noſtro modo cognoſcendi: non enim eſt uerum quòd homo ſit idem quod materia, neque quod anima, quemadmodum exigitur, ut in Inſtitutione noſtra in ſecundum lib. Poſt. declarauimus: neceſſitas cogit, ut in definitione quam identitatem definiti explicare oportet, ſit aliquid quod prædicetur in recto quod repræſentet omnem materiam, & omnem formam, quæ conſtituunt ſubſtantiam hominis. hęc uerò ſunt genus & differentia: quia licet genus ſit forma, ponitur tamen in definitione ut refert materiam ex noſtro modo cognoſcendi, ob cauſam dictam, & differentia ut refert formam. Iſta ergo accipienda ſunt in definitione hominis, & ita reliquarum ſpecierum, quadam proportione. animal enim refert omnem materiam in homine exiſtentem, & rationale omnem formam, alioquin non eſſet perfecta definitio. rationale ergo refert ut animam habentem in ſe rationem, & animam carentem ratione, obtemperantem tamen rationi, quæ continet uirtute omnes alias animas priores, quæ dicuntur irrationales omnino. Ad hoc ergo, ut animal & rationale, & ita de alijs generibus & differentijs, explicent ueram ſubſtantiam hominis, oportet ut intelligendo animal, intelligamus materiam primam, ſecundam, tertiam, & quartam, & reliquas: intelligẽdo autem rationale, intelligamus omnem formam exiſtentem in homine. alioquin non ſciremus quid eſſet homo: quia non cognoſceremus omnes eius cauſas, à quibus pendet. ſunt enim animal & rationale tanquam exemplaria, & quæ referunt omnes materias exiſtentes in homine, ex noſtro modo cognoſcendi: quia aliter exprimere non poſſumus identitatem ipſius hominis, et ſubſtantiam. oportet enim, ſi uolumus ſcire quid eſt homo, ut cognoſcamus ipſum eſſe id quod eſt animal rationale. & ob hanc cauſam genus & differentia accipiuntur in concreto, quia in abſtracto nõ explicarent identitatem. ſenſus enim definitionis eſt, quod hoc eſt hoc, ſed pluribus uerbis & clarioribus. Quare qui uult perfectè intelligere ſubſtantiam hominis, quæ eius definitione explicatur, quod uidelicet eſt rationale, cogitur ſcire primam & naturalem philoſophiam: alioquin non intelligeret id quod refertur per animal, neque id quod refertur per rationale, & ita ignoraret quid eſſet homo. Quare qui dubitat ad quem artificem attineat declarare hominem eſſe animal rationale, & ſic de alijs definitionibus ſpecierum ſubſtantiarum, is mihi præſeferre uidetur ignorationem & primæ & naturalis Philoſophiæ: quippe quæ laborant tantum ut principaliter explicent & demonſtrent ſubſtantias rerum quæ per definitionem explicantur. illæ enim facultates quæ explicant cauſas conſtituentes ſubſtantialiter aliquid, quin eius ſubſtantiam declarent in dubium uenire non poteſt. Conſtat enim ſubſtantia ex ipſis cauſis. quod quum faciat prima philoſophia, quantum attinet ad cauſas uniuerſales: & philoſophia naturalis, quantum attinet ad cauſas particulares: neceſſitas cogit, ut arbitremur ipſas declarare ſubſtantias rerum, & definitiones quæ ſunt ſubſtantiæ, idque per demonſtrationes ex poſterioribus cõfectas. Non tamen aliquem exiſtimare uelim, nos aſſerere, definitionẽ & eſſentiam in eo quod eſt definitio ab ipſa philoſophia demonſtrari: hoc enim repugnaret ueritati, & Ariſtoteli. quia, ut
2. Poſt. declaratum eſt in 2. Poſt. non poteſt rerum eſſentia haberi per demonſtrationem, neque per aliquod aliud inſtrumentum niſi per definitionem. ſed uolumus dice-
Inſtit. noſtra 1. Poſt re, id quod diximus in Inſtitutione noſtra in primum Poſt. lib. quo in loco hęc ſcripta reliquimus.
cap. 13. Quod ſi quærat aliquis, quomodo fieri poſſit, quum in definitione quæ facit ſcire quid eſt, non dicatur aliquid de aliquo: quod autem ſcitur per definitionem, non poſſit ſciri per demonſtrationem. Vnius enim rei, quatenus una eſt, non poteſt eſſe niſi una ſcientia. Quum item definitio neque uniuerſalis ſit, neque affirmatiua, ut ſuprà dictum eſt: prima uerò figura efficiat ſcientiam ipſius quid eſt, quæ quidem ſcientia eſt uniuerſalis, & affirmatiua: dicimus primam figuram concludere (uerbi gratia) animal rationale ineſſe homini ut prædicatum, cùm ſcilicet ignotũ eſt: quod mox cõſiderantibus intelligitur eſſe

ſubſtantia hominis,ut in Apologia noſtra diſſeruimus. Quare prima figura dicitur efficere ſcientiã ipſius quid eſt:quæ quidem ſcientia eſt uniuerſalis,& affirmatiua:quòd ſcilicet huius cognitionis occaſionem prębet,& ex concluſione uniuerſali & affirmatiua, non quòd re uera efficiat talẽ ſcientiam: & talis ſcientia ſit uniuerſalis & affirmatiua ob eas quas attulimus rationes.Ita enim demonſtratio ſe habet ad ſcientiam ipſius quid eſt,ut ſenſus ad ſcientiam. Dicimus ergo ex philoſophia naturali,nos cõcludere,in hominis definitione eſſe cauſas omnes, quæ ipſum conſtituunt:ex quo poſtmodũ ponimus . loco ipſarũ genera & differentias, quæ ſunt formæ: quia forma eſt maximè principium eſſendi & cognoſcendi, ob cauſas dictas.& tunc intelligimus hominẽ eſſe id quod eſt animal rationale,ſcientes ex philoſophia animal referre omnem materiam hominis,& rationale omnem formam. Rectè igitur dictum eſt à nobis in ſuperioribus,tantum abeſſe ut abſurdum ſit,hominem definiri per duas formas,cùm poſitum ſit duas formas ipſum conſtituere, ut ſit omnino neceſſarium . Neq; erit neceſſarium ut ponantur in definitione hominis duæ differentiæ conuertibiles cũ homine: quia ſatis erit una differentia quæ referat omnes formas,ordine tamen quodam: quemadmodum ſatis eſt unum genus,quod referat omnes materias:genus enim & differentia non ſunt propriè ſubſtantiæ ſpecierum, ſed ponuntur loco ſubſtãtiarum,propter noſtrum modum cognoſcendi,& propter cauſam allatam:imò qui ſcit,uerbi gratia,animal & rationale,& ignorat eas cauſas omnes quæ referuntur ab ipſis,eum omnino ignorare ſpeciei humanæ definitionẽ neceſſe eſt. Quare oporteret ipſum ſcire philoſophiam primam & ſecundam,alioquin illæ eſſent ſuperuacaneæ: quoniam ſi nos ſciremus ex illa ſola definitione ſubſtantiam hominis & aliarum ſpecierum,ſciremus cauſas ſubſtantiales ipſius hominis:poterimus poſtmodũ ex ipſis ſcire accidentia. ſuperuacanea ergo eſſent Philoſophia prima & naturalis: quę cùm ſint abſurda,ut id unde emanant ſint abſurda neceſſe eſt.

SECTIO QVINTA.

ERat alia quæſtio,quæ mea quidem ſententia uidetur maximam difficultatem afferre:eſt tamen etiam contra eos, qui ex ſententia Ariſtotelis, naturaliter etiam loquentis tenent, intellectum eſſe æternum, & numero multiplicatum.ipſa enim huiuſmodi eſt: ſi intellectus eſt indiuiſibilis, & impartibilis, & ueniet de foris:ergo indiuiſibile mouebitur.non enim fieri poteſt,in quo nõ erat prius,niſi moueatur ex loco,in quo erat.conſequens eſt falſum:ergo id unde ſequitur.

Cui quæſtioni reſpondentes,conſequentiã negamus: imò quia eſt indiuiſibile, & impartibile.ſequitur quòd ueniat extrinſecus,& non moueatur.

Ad probationem dico,geri poſſe ut de nouo ueniat in Socratis corpus,& tamẽ non moueatͬ ex loco in quo erat,quia ipſe non erat in loco,neq; per accidẽs.ſed oportet ut aſſeramus,ipſam animam eo modo ſine motu uenire in corpus,quomodo aſſeruimus in ſuperioribus animam eſſe præſentem ipſi Socrati exiſtenti in hoc loco, deinde eſſe præſentẽ Socrati moto in alio loco præter hoc quod ipſa ſit mota neq; per ſe,neq; per accidẽs:ſicut etiam diximus de intelligentia tunc informante corpus lunare, quod corpus modò eſt in occidente,modò in oriẽte, præter hoc quod intelligentia lunæ ſit mota . ſed quoniam longum in eo loco citato de hac re habuimus ſermonem, qui poteſt trahi ad hanc quæſtionẽ, ne nimij ſimus,ad illum locum nos reijcimus. ſatis enim erit nunc, ſi afferemus nonnulla uerba Ariſtotelis ex ſecũdo lib.de Generatione animalium,ex quibus facile erit intelligentia conſequi, Ariſtotelem uoluiſſe non repugnare ipſi animæ rationali, cùm ſit ſeparabilis,extrinſecus uenire. Verba eñ ſunt huiuſmodi: Cæterùm omnes aũt eſſe impoſſibile,rationibus ijs eſſe oſtenditur:quorum enim principiorum actio eſt corporalis,hęc ſine corpore eſſe non poſſe certum eſt:uerbi gratia,ambulare ſine pedibus. Itaq; & extrinſecus uenire impaſſibile eſt: nec enim ipſæ per ſe accedere poſſunt, cùm inſeperabilia ſint.neq; cum corpore,ſemen enim excrementum alimenti mutati eſt.

Quibus uerbis uidetur apertè oſtendere cauſam , quare principia, quorum actio eſt corporalis, non poſſint per ſe accedere: quæ eſt, quòd ſunt inſeparabilia, ita ut inſeparabilitas ſit cauſa, ut per ſe non poſſint accedere. ſeparabilitas

ergo erit cauſa,ut poſſet per ſe accedere.Itaque concludet, mentem per ſe extrinſe-
cus accedere,quia eſt ſeparabilis. Probat uerò ipſam eſſe ſeparabilem, quia nihil
cum eius actione communicat actio corporalis.neceſſitas igitur requirit,ut ueniat
extrinſecus:et cùm non poſſit accedere per ſe extrinſecus per motum,quia oportet
ipſam eſſe indiuiſibilem, neceſsitas cogit ut ueniat per ſe extrinſecus, alio modo
quàm per motum & mutationem, ſed modo eo qui ſolùm ſubſtantijs à materia ſe-
iunctis conuenire poteſt: qui modus à nobis ægrè percipitur, propterea quòd cre-
dimus ita debere accidere de formis à materia ſeiunctis, ſicut contingit formis edu
ctis ex potentia materiæ.ſed hoc longè alirer euenire opus eſt.ſicut enim habent a-
lium eſſendi modum, neceſſitas cogit ut exiſtimemus etiam eas habere alium mo-
dum operandi: etenim ſi ſcimus ex rationibus allatis, animam non educi ex mate-
riæ potentia, & ipſam eſſe ſeparabilem à materia, & iſtas formas neque moueri per
ſe, neque per accidens, & ſcimus ex uerbis Ariſtotelis & ex ratione naturali ipſam
menrem extrinſecus accedere: non uideo quare mirũ uideri debeat, ſi fateamur ip-
ſam animam rationalem extrinſecus accedere in corpora noſtra, alio modo ab eo
qui conuenit formæ diuiſibili,& extenſæ ad extenſionem mareriæ. Quod ſi diffi-
cilè eſt nobis percipere hunc modum,non iccirco ſequirur ipſum non reperiri.nam
ſicut diximus in ſuperioribus, non ſequi extra cœlum aliquid eſſe,uel plenũ,uel ua-
cuum,etſi maxima cum difficultate ob cauſam dictam in ſuperioribus rem hanc in-
telligentia conſequi poſſumus:ita etiam homo ſimiliter ſe habet. etenim ſi nobis an
tecedentia ſint perſpicua, conſequentia etiam eſſe perſpicua, nemo ſanus in dubi-
um trahere poteſt. Fieri etiam poſſe uidetur, & nonnulla uerba, quæ ſcripta reli-
10. Ethi. quit Ariſtoteles 10. Ethic.capite 4.cùm de uoluptate ſermonem haberet,trahamus
c.p. 4. ad propoſitum noſtrum: illa enim erant huiuſmodi: Ex ijs autem erit manifeſtum,
„ & quòd non rectè dicunt motum uel generationem eſſe uoluptatem:nõ enim hæc
„ de omnibus dicuntur,ſed de eis quæ partibilia ſunt, & non ſunr ſimul totę,neq; enĩ
„ uiſionis eſt generatio, neq; puncti, neq; unitatis,neq; ullus motus, neq; generatio,
neq; uoluptatis. eſt enim aliquod totum, etenim dicerent ſine nefario ſcelere arbi-
tramur.ex rationibus enim allatis ex ſententia Ariſtotelis,perſpicuum eſſe uidetur,
mentem neq; per motum, neq; per generationem extrinſecus accedere. non enim
hæc de omnibus dicuntur, ſed de eis quæ partibilia ſunt, & non ſunt ſimul totæ:
ſicut ergo intereſt inter ea quæ ſunt partibilia, & ea quæ ſunt impartibilia (quia ea
quæ ſunt partibilia,quando non eſſe tranſeunt, uel per motum, uel per generatio-
nem tranſeunt : imparribilia uerò neque per motum tranſeunt, neque per gene-
rationem, quod tamen difficile eſt intellectu) ita etiam uidetur intereſſe inter ea
quæ ſunt partibilia, & ea quæ ſunt impartibilia, quando fiunt in aliquo ſubiecto,
in quo prius non erant, ira quod ſi parribilia fiant per motum, & per generatio-
nem,conſentit rationi,ut impartibilia aliquo modo fiant in aliquo ſubiecto, ſit mo-
dò ille modus quicunque uelit. Etenim neceſſitas cogit, ut ſicut impartibilia ſunt
ſecundum eſſe ſpiritualia, quod eſſe non percipitur à ſenſu,ſed à ratione tantùm, &
eſt eſſe quod maximam generi humano affert admirationem:ita putemus modum,
quo in corpora accedunt impartibilia, eſſe ſpiritualem: ſpiritualium enim ſpiritua-
les debent eſſe actiones,et ſi ſenſui non ſubijciantur. Nónne etiam eſt difficile intel
ligere,uoluptatem fieri in nobis neq; per motum,neq; per generationem:& tamen
nemo negaret hanc rem, præſertim ex Ariſtotelis ſententia: non enim deterreri de
bemus eis fidem tribuere naturaliter loquendo,quæ ex ratione uera,quæ etiam ſen
ſui innititur,proficiſcantur:etſi nobis creditu difficilia, ac penè incomprehenſibilia
uidentur.

Iis igitur explicatis,nobis uidetur,rationem dictam nihil quod ſententiæ noſtræ
aduerſetur concludere:quia fieri poterit,ut intellectus ſit indiuiſibilis, & impartibi
lis,& tamen non moueatur.Quare ad alias quæſtiones accedendum eſt.

Ad aliam autem quæſtionem,qua dicitur ſequi,ut mẽs ſit in pluribus indiuiduis
loco diſtinctis,quod uidetur fieri non poſſe. Item ad eam quæ erat, quod moue-
bitur ad motum indiuiduorum:quia motis nobis,mouentur omnia quæ ſunt in no-
bis:& hoc ſequi,ſiue ponatur ut forma,ſiue ut aſſiſtens operationibus.

Ad has duas quæſtiones dedimus reſponſionem in ſuperioribus, ad quem locũ
(quoniam pluribus de hac re egimus)lectores reijcimus.

Diximus

Diximus præterea in ſuperioribus, nos exiſtimare aſſiſtentiam illam eſſe figmentum: & oſtendimus exemplum nautæ, quod attulerunt ex eis quæ ſcripta reliquit Ariſtoteles ſecundo de Anima, non oſtendere hanc aſſiſtentiam. etenim declarauimus in ſuperioribus, quid ſibi uoluerit Ariſtoteles per illud exemplum, ad quem locum reijcio etiam lectorem. Nam falſum eſt, quod anima intellectiua non iungatur cum homine, niſi propter intellectionem: quia iungitur ei, ut ei det ſubſtantiam perfectam, & eſſe diuinum, & operationem diuinam. Quare aſſiſtentia illa meo quidem iudicio eſt fugienda, tanquam ſomnium & figmentum, nulla neceſſitate excogitatum. *Aſſiſtentia eſſe figmentum. 2. de Ani.*

SECTIO SEXTA.

ERat alia quæſtio, quam nonnulli putant nullo modo poſſe diſſolui: ipſa enim erat huiuſmodi: Si anima intellectiua eſt una numero in omnibus hominibus, nõ poſſe eſſe ſubſtantiã ſingulariũ. Ad quam reſpondentes, negamus cõſequentiã. Ad probationem dicimus nullum commune poſſe eſſe ſubſtantiam completam, & perfectam, & totalem, ut ita dicamus: ſed commune non poſſe eſſe partem ſubſtantiæ, eſt ita falſum, quàm quod falſiſſimum. ipſa enim materia prima eſt communis omnibus entibus, quæ ſub luna exiſtunt: eſt tamen pars ſubſtantiæ omnium entium: ipſam enim eſſe ſubſtantiam, eſt ita in Ariſtotelis doctrina in promptu, ut turpe exiſtimem uelle id probare. Quare concluditur, ipſum intellectum nõ poſſe eſſe ſubſtãtiam plurium perfectam, & totalem completam: & hoc ueriſſimum eſt, & eſt id quod in ſuperioribus diximus.

Ad tex. uerò Ariſtotelis ſumptum ex ſeptimo Meta. dicimus, eum accipiendum eſſe in eam ſententiã, quam diximus: propterea quòd à ueritate abhorreret, & à ſeipſo diſcreparet: quia ex ſuis principijs, ut opinamur oſtendiſſe, ſequitur, ipſum eſſe unum in omnibus hominibus, & eſſe ſubſtantiam ſingularium non perfectam & completam, ſed partem ſubſtantiæ. Quod item uidetur ipſe indicare in eodem tex. cùm dicat: Impoſsibile eſſe uidetur, quoduis uniuerſalium ſubſtantiam eſſe. primo nanq; ſubſtantia cuiuſq; rei propria cuiuſq; eſſe: quæ, ut patet, nulli alij ineſt. iſta enim ratio aperte indicat, ſe loqui de ſubſtantia perfecta & completa: quia ſola illa propria eſt. *7. Meta. 38.* « «

Hac enim ratione poſſemus oſtendere materiam primam non eſſe ſubſtantiam rerum materialium, propterea quòd ſubſtantia cuiuſq; rei propria cuiuſq; eſſe: quæ quidem, ut patet, nulli alij ineſt. materia enim prima eſt communis omnibus entibus materialibus: non erit ergo ſubſtantia. Sed hoc à ueritate abhorrere, eſt perſpicuum: ergo id unde emanat, à ueritate alienum eſſe neceſſe eſt: ſed emanat ex hac propoſitione, quod ſubſtantia cuiuſq; rei propria cuius eſt. ergo alterutrum euenire neceſſe eſt, uel ut propoſitio illa ſit falſa, uel ut intelligatur de ſubſtantia completa & perfecta, & totali. Idem etiam huius rei faciunt alias rationes, quas eo in loco poſt eam quã diximus inducit Ariſtoteles. Etenim omnes probant uniuerſale non eſſe ſubſtantiam: quare puto quæſtionem hanc rectè diſſolutam à nobis eſſe.

Ad aliam autem, quæ ſequitur hanc quæſtionem, dicimus ſequi uia naturali, falſa tamen, ex hac parte intellectum eſſe unum in omnibus hominibus. negamus tamen ſequi ob hoc ut ſimiliter inſit omnibus hominibus. quia hoc eſt quod inquit Ariſtoteles non apparere, & hoc accidit ex diuerſitate materiarum ipſarum ſingularium, quas format intellectus. oportet enim intelligere, Anaxagoram poſuiſſe, intellectum eſſe ſimiliter in omnibus animalibus, & tunc ratio Ariſtotelis contra ipſum uim maximam habet. & hanc fuiſſe opinionem Anaxagoræ, uidetur oſtẽdiſſe, cùm dixit in tex. citato: Non uidetur autẽ iſte ſecundum prudentiam dictus intellectus omnibus ſimiliter animalibus ineſſe. Vſus enim eſt hac uoce, Similiter, indicãs nobis Anaxagoram fuiſſe illius opinionis, ut exiſtimaret illum dictum intellectum ineſſe ſimiliter omnibus animalibus. quare dixit Ariſtoteles, hanc non ſolum non apparere ineſſe omnibus ſimiliter animalibus, ſed neq; etiam omnibus hominibus, de quibus magis uidebat. « «

Hanc enĩ fuiſſe antiquorũ opinionẽ, declarauit Ariſtot. 1. de Anima tex. 51. ad hunc modũ dicẽs: Quoniã aũt huiuſmodi intẽtio eſt alterius rationibus magis ꝓpria, hãc quidẽ dimittamus nũc. Illud aũt incõueniẽs accidit & huic rationi, et pluribus quæ de anima *1. de Anim. tex. 51.* «

de anima ſunt. copulat enim, & ponunt in corpus animam, nihil determinãtes propter quam cauſam, & quomodo ſe habente corpore.

» Et in tex. etiam eiuſdem primi, hoc apertè indicare uiſus eſt, cùm dixit: Hi autem
» ſolum conantur dicere quale quid ſit anima, de ſuſceptiuo autem corpore nihil ad
» huc determinatum, tanquã contingens ſit ſecundum Pythagoricas fabulas, quam-
» libet animam quodlibet corpus ingredi. uidetur enim unumquodq; propriam ha-
» bere ſpeciem & formam, & quæ ſequuntur.

» Hoc item uidetur colligi ex eis quæ ſumpta reliquit 2. de Anima, tex. 26. ad hunc
» modum, & propter hoc inquit: Bene opinantur, quibus uidetur neque ſine cor-
» pore eſſe, neq; corpus aliquod anima: corpus quidem non eſt, corporis autem ali-
» quid eſt, & propterea hoc corpori ineſt, & corpore huiuſmodi: & non ſicut priores
» ad corpus aptabant ipſam, nihil definientes, in quo, & quali. atqui cùm non uidea-
» tur accipere quodlibet. ſic autem fit, et ſecundum rationem. uniuſcuiuſq; enim actus
» in potentia exiſtente, & in propria materia aptus natus eſt fieri. Quibus uerbis apertè oſtendit, antiquos eodem modo accommodaſſe animã omnibus animalibus, quia nihil definiebant in quo & quali corpore eſſet adaptanda. quare rectè eos refellit Ariſtoteles. non igitur Ariſtotelis propoſitum fuit, dicere intellectum non in eſſe omnibus hominibus, ita quod dentur aliqui homines qui careant intellectu: neque quòd non poſſit eſſe unicus in omnibus, ſed quod non inerat ſimiliter omnibus hominibus, quod erat uerum. etenim ratione corporis aliter, & aliter erat in diuerſis corporibus. & hoc fuit Ariſtotelis (meo quidẽ iudicio) propoſitum: alioquin pugnaret cum ſua ipſius (ut ex eis quæ ſcripta ſunt, perſpicuum eſſe poteſt) ſententia.

Ad poſtremam uerò quæſtionẽ dicerem, negando ſequi ex ueritate intellectus, duo contradictoria eſſe omnino in eadem parte animi, & eandem partẽ animi omnino intelligere contradictoria, quod planè eſſet abſurdum.

Ad probationem uerò dico uerum eſſe, fieri poſſe ut unus (uerbi gratia) Socrates in hoc inſtanti intelligat ſolem eſſe maiorem uniuerſa terra, eiq; fidem adhibeat: & alter, id eſt Plato, intelligat in eodem inſtanti ſolem non eſſe maiorem uniuerſa terra, & hæc eſſe contradictoria: non tamen ex hoc ſequi arbitramur, ut idem intellectus in eodem inſtanti intelligat contradictoria, & quod in eadem parte omnino animi ſint contradictoria: propterea quòd non eſt intellectus, qui intelligat illa duo contradictoria: ſed eſt Socrates, & Plato, qui intelligunt, ut colligitur ex eis quæ declarata ſunt ab Ariſtotele primo de Anima tex. 64. & 66. quos tex. quia in ſuperioribus citauimus ſæpe, nulla occaſio mihi dari uidetur, ut iterum eos in hoc loco citem: ſunt ergo intelligentes illa contradictoria, non unus quos dicimus poſſe ſine aliquo nefario ſcelere intelligere duo contradictoria, ob uarias phantaſias, quas ſortiti ſunt, quæ ſubminiſtrant intellectui uaria phantaſmata. & licet intelligeret illa duo contradictoria eodem intellectu accepto, ſecundum ſubſtantiam, non tamen eodem intellectu omnino: quandoquidem intellectus ille in eo caſu uideatur rationem duorum intellectuum aliquo modo ſubire, propterea quòd accommodatus eſt duabus phantaſijs, uel duobus corporibus. ex qua accommodatione uidetur aliquo modo, quando eſt accommodatus uni, differre à ſeipſo, quando eſt accommodatus alteri: & ita non eſſe omnino idem. & propter hanc differentiam non eſt à ratione alienum aſſerere, duo illa contradictoria non eſſe in eadem parte animi, quia omnino non eſſe eadem pars animi. imò multa dicuntur ei contingere, quando eſt accommodatum Socrati: quæ ei non contingunt, quando eſt applicatum Platoni. etenim quãdo eſt applicatum Socrati, intelligit neceſſariò ea quæ ſibi ſubminiſtrãt, phantaſia Socratis, & non alia phantaſia, & nõ poteſt aliter facere. quando uerò eſt applicatum Platoni, cogitur percipere intellectu ea quæ ſubminiſtrantur ei à phantaſia Platonis. ſemper enim cùm dicimus intellectum intelligere, intelligimus hominem intellectu, neq; hoc à ratione abhorrere: quia uidemus idem accidere materiæ primæ, quippe quæ eſt una numero in omnibus generalibus & corruptibilibus: et tamen in eodem inſtanti temporis, quatenus informatur à diuerſis formis, recipit contraria: eſt tamẽ una numero per ſe, per accidens uerò & ratione extrinſecus aduenientc multiplicatur, & tunc non dicitur una numero omnino. ita dicimus de in-

tellectu,

tellectu, quòd uidelicet ſecundum ſubſtantiam & per ſe eſt unus numero, ratione uerò extrinſecus aduenıente multiplicatus: non dico tamen eodem modo multiplicari, quo materia prima, ſed ſatis eſt pro tempore, quod & materia prima ex ſua ſubſtantia, & intellectus ex ſua ſubſtantia, ſint unus tantum numero. nihil poſtea uidetur prohibere, quin ſicut materia dicitur multiplicata ratione extrinſecus accedēte, quin & intellectus dicatur multiplicari ratione extrinſecus accedēte. Licet modus multiplicationis materiæ primæ (ut dictum eſt paulo antè) ſit longè diuerſus à modo multiplicationis ipſius intellectus: quippe qui caret magnitudine & quantitate.

Et quod dicimus de intellectu, & de materia prima, in ſuperioribus diximus de Dialectica: quam diximus eſſe unum & idem in ſubſtantia quod Rhetoricam. Diximus tamen quòd ratione materiæ ciuilis, cur applicatur, Rhetoricā differre à Dialectica: & ita differre à ſeipſa, quādo nō eſt applicata. & propter hāc cauſam nō fuiſſe ſuperuacaneum Ariſtotelem conſcripſiſſe Rhetoricam: licet eadem eſſet in ſubſtantia quod Dialectica: & poſuiſſe differentiam inter Rhetoricā & Dialecticam, quod planè nihil aliud erat, ſi benè conſideremus ea quæ à nobis in ſuperioribus diſputata ſunt, quàm ponere differentiam inter Rhetoricam & ex ſua ſubſtantia, & Rhetoricam applicatam materiæ ciuili. etenim tantam uim habet illa applicatio, ut multa, & illa quidem contraria, conueniant ipſi, ut ſic applicata, quæ non conueniunt ei in ſua ſubſtantia: & accepta generaliter, ut aliquo modo abſtrahit ab hac uel ab illa materia. quare intellectus uarijs indiuiduis accommodatus, non eſt omnino idem. Vnde non ſequitur, in eodem omnino eſſe duo contradictoria: quia non eſt idem omnino. ſi enim eſſet idem omnino, ſequeretur abſurdum quæſtionis propoſitæ: neq; eſt idem, quod intelligit contradictoria, ſed ſunt diuerſi. & in hunc ſenſum trahi uolumus ea quæ diximus uigeſimo in ſuperioribus, diſſolueremus illud abſurdum ſequi, quòd tu intelligeres quod ego intelligo, ſi eſſet unus intellectus, quando diximus intellectum non intelligere ex ſe ſolo, ſed ſemper habere relationem ad illud phantaſma cuius corpus informat: quia hoc nihil aliud eſt, quàm intellectum per illam relationem aliquo modo eſſe multiplicatum, & à ſeipſo, ut ad aliud phantaſma refertur differre. reijcimus etiam nos ad illa, quæ diximus in eo loco. etenim intellectus, ſine phātaſmate nihil intelligit: nihil igitur (niſi mea me fallit opinio) uidetur prohibere, quin ſententia de intellectus unitate fundamentis natura, falſis tamen, in hoc caſu conſentiat. eam enim non ſequuntur abſurda ex hac uia. ſi enim lumine diuino careremus, nunquam fieri poſſet ut hanc opinionem fundamētis naturalibus euerteremus. ſed euertitur ex lumine, quod proficiſcitur à cauſa, quæ & tanta nobilitate & præſtantia excedit cauſas naturales, ut nullus reperiri poſſit (quamuis ſapientiſſimus) qui poſſet non ſolum uerbis explicare, ſed neq; etiam mente percipere eius nobilitatem & præſtantiam.

His igitur quæſtionibus diſſolutis, quid eſt cur dubitandum ſit, ne ea quæ diſputaui ſint ueriſſima? animā uidelicet rationalem eſſe impaſſibilem, non mixtam corpori, ſimplicem à corpore, extrinſecus accedere, et eſſe immortalem, quum ratio & uerba Ariſtotelis apertè nobiſcum facere uideantur.

FINIS LIBRI TRIGESIMITERTII

Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER TRIGESIMVSQVARTVS.

SECTIO PRIMA.

SED ſtatim diceret aliquis: Hoc quod dixiſti, uerba uidelicet Ariſtotelis & rationes apertè tecum facere, in dubium uenire poſſit: propterea quòd inuenti ſunt multi, qui quidem in magno nomine & gloria fuêre: inter quos fuit Symon Portius, qui in lucem edidit libellum quem inſcripſit De mente humana: quippe qui non dubitauerunt, aliter interpretando, quàm tu feciſti, rationes Ariſtotelis, & ipſius uerba in contrariam ſententiam rapere. quorum interpretationes niſi à te omni diligentia conuellantur, fieri non poterit ut certam & ſtabilem de animorum immortalitate ſcientiam habere (ut tu profiteris) ualeamus.

Cui reſpondentes dicimus, nos uelle afferre explicationes quas afferunt illi quos dixiſti eſſe in magno nomine & gloria: ut unuſquiſq; qui natura ſit benè cõſtitutus, poſſit intelligentia conſequi, quantum iſti & à ſententia Ariſtotelis, & à ueritate abhorreant, ut ſuam tueãtur poſitionem, & in quos errores quamq; turpes (pace ipſorum, ut nos quidem opinamur, dixerim) inciderint. Hæc igitur ſunt uerba, quæ, ut explicent tex. 65. & 66. primi de Anima, afferunt, quę in ſuperioribus explicauimus.

» Porrò hic omnia (inquit, Symon Portius qui eſt unus ex iſtis) ut ediximus, quæ
» in præſenti particula ab Ariſtotele dicuntur, in dubium uertit, & primum ſermonis
» continuationem cum ſuperioribus. nam cùm animum (inquit Portius) non moue-
» ri demonſtrare inſtituiſſet, à propoſito alienum fuit dicere, intellectum eſſe ſubſtan-
» tiam quandam intus accedentem, nec defuturam. nullus de immortalitate animi di
» ſputandi locus erat: quoniam non erat hic inſtitutus, an mortales eſſent animæ par-
» tes: ſed ſolum, an moueri (ut dicit tex. quintus) contingat. Huius autem dubitatio-
» nis ſolutionem in alium locum diſtulit Themiſtius, cauſamq; affert, quod Ariſtote-
» les diſputãdi magis diligentia, quàm ex ſua ſentẽtia id ita protulerit: Philoponusq;
» (inquit idem Symon Portius) hanc eandem dubitationem Alexandrum mouiſſe
» refert, & hoc pacto diremiſſe. ſed poſtea multa addit, Ariſtotelem uidelicet intelle-
» ctum in confuſo, nec diſtinxiſſe eum qui eſt in actu, ab eo qui eſt in potentia: quoni-
» am non erat hic locus proprius. ſed cùm uulgatus intellectus actu dixit illum eſſe
» ſubſtantiam intus accedere, & non corrumpi, intelligens corruptionẽ quæ fit à con
» trario, quæ nullis partibus animæ accidit. quin nec ſenſus hac corruptione corrum-
» pitur: quoniam id maximè in infirmitate ſenectutis uſu ueniret. hoc tamen nõ uide
» mus: quoniam ſi ſenex donaretur oculo iuuenis, uideret ut iuuenis. Atq; de intelle-
» ctu multo magis eſt dicendum, cùm ſit facultas nulli organo affixa. Accepit itaq;
» Ariſtoteles (inquit) corruptionem celebrem & famoſam, quæ fit à contrario, & in-
» tellectum in confuſo.

3. de Anim. Sed in tertio de Anima, de intellectu agente intelligi debet, eum nulla corrupti-
» one corrumpi, nec à contrario, nec à ſubiecto: cæteræ enim animæ facultates, ut pu
» ta intellectus potentia, ſenſus uegetalis, corrumpãtur quidem, ſed à contrario, cùm
» nullum habeant per ſe contrarium: uerùm deſinunt aliquo interius corrupto, id eſt
» aliquo ſubiecto corrupto, ut uel intellectu potẽtia: ipſe uerò intellectus, qui eſt ſub
» ſtantia actu, impaſſibilis, & ſolus æternus eſt. addit fortaſſe, quoniam adhuc non
» erat apertum, an omnis intellectus eſſet æternus: ſed diſcutiendum libro tertio. ex
» his ergo liquet, de intellectu potentia Ariſtotelem non diſſeruiſſe in eo loco, ſed
» de intellectu ſignificato famoſiori, uel cõfuſiori, ut ex Themiſtio patet.

Iſta ſunt uerba Symonis Portij, qui apertã ueritatẽ in cõtrariã partẽ ita impudenter atq; imperitè (ut ego quidẽ opinor) rapuit, ut pudeat me aliquid contra proferre: tamen ne rudes exiſtiment, nos, tales homines explicationes miſſas feciſſe, quia earum euerſiones inuenire nõ ualeremus, decreuimus ſingula ipſius perpendere uerba. Sed in primis rogamus lectores, ut animaduertere uelint in quas ineptias (liceat eñ ſine nefario ſcelere profitẽti philoſophiã in re tam perſpicua, ſic pro hoc tẽpore loqui) ut ſuã poſitionẽ tuererẽ, ſeſe coniecerit. Primùm eñ cogitur dicere (ut dicit) Ariſtotelẽ aliena loquutũ eſſe: q; quidẽ de tãto & tã diuino philoſopho aſſerere, eſt

facinus

facinus ex omnibus indigniſſimũ: longè enim melius honori ſuo atq; exiſtimationi
conſuluiſſet, ſi eum falſa, & à ueritate abhorrẽtia aſſeruiſſe, protuliſſet. Et em hoc eſſe
hominis, illud uerò pueri ac inſipientis, nemo (ut arbitror) negabit. Quod uerò di
cit, nullum eo in loco de immortalitate animæ locũ fuiſſe, ita eſt falſum, quàm quod
falſiſſimum. Quare, ut melius huius rei cognitionem intelligentia conſequi ualea-
mus, & ut rectius perſpiciamus quàm longè iſte à ſententia Ariſtotelis receſſerit,
non eſſe alienum ab inſtituto noſtro duximus, repetere explicationem tex. 65. & 66. *Explicatio*
primi de Anima, quam in ſuperioribus adhibuimus: quia ex explicatione reperta, fa *tex. 65. &*
cilius aſſequemur propoſitum noſtrum. ſed neceſſitas cogit, ut altius incipiamus, & *66. 1. de*
dicamus, quod Ariſtoteles in tex. 62. poſuerat dubitationẽ, qua uidetur probare ani *Anim.*
mam moueri, quia triſtabatur, gaudebat, & confidebat: & quia iraſcebatur, & ſentie
bat, & intelligebat: quæ omnia (inquit) uideri motus eſſe. Quare ſequi uidebatur,
animã moueri. & uidebatur quaſi argumentari ad hunc modum: Illa, in quibus ſunt *62. primi*
motus, mouenẽ. hæc perſpicua eſt. ſed illa, in quibus eſt triſtitia, timor & ira, & confi *de Anima.*
dentia, & ſenſatio, & intellectio, ſunt illa in quibus eſt motus: omnia enim iſta ſunt
motus: ergo illa in quibus ſunt iſta, mouentur. ſed anima eſt illud in quo ſunt iſtæ.
hanc ponit, cùm inquit animam triſtari, gaudere, & cætera quæ ſequuntur. Quare
ſequitur, animã ipſam moueri. Poſita iſta quæſtione, mihi uidetur Ariſtoteles ince
piſſe reſpondere in tex. 63. & in primis dicere. Hoc autem non eſt neceſſe, inquit, q
ſcilicet aliquis opinetur ob rationes dictas animam moueri. & uidetur hoc oſtende *1. de Ani.*
re demonſtrando propoſitionem minorẽ eſſe falſam. Vnde, inquit, concedo ipſum *tex. 63.*
gaudere, & triſtari, & intelligere, eſſe moueri: ſed hoc modo moueri ab anima, ut irà
ſci & timere. ſed inquit, nõ eſt per ſe, ſupple in anima: ſed in eo quòd cor mouetẽ. Sed
quia erat dubium de ipſo intelligere, an moueretur ratione cordis: addidit, intellige
re aũt aut tale forſitan eſt, ſupple in anima ratione cordis, aut eſt aliud quoddã. Dein
de declarat, quomodo ea in quibus eſt motus, moueantur, ne aliquis putaret eà om
nia moueri eodẽ modo, & inquit: Horũ aũt quorundã motus eſt, accidere ut moue
antur, alia quidẽ ſecundũ loci mutationẽ, alia autẽ ſecundum alterationẽ. qualia po-
ſtea ſint iſta, attinet ad aliũ ſermonẽ. ſatis eſt moueri ipſa, quod inquit animã moueri:
q̃a cor mouetur. Sed quia alicui hoc potuiſſet afferre admirationẽ, & potuiſſet dice
re, perſpicuum eſſe animam ipſam eſſe illud quod iraſcitur & timet: addit Ariſtote-
les (in tex. 64. citato etiam in ſuperioribus) hoc omnino eſſe ratione alienum, ani-
mã uidelicet eſſe illam quæ iraſcitur: quia dicere animam iraſci, eſt ſimile ac ſi aliquis
diceret animam texere, aut ædificare. ſed hæc perſpicuè falſa ſunt: quia hominẽ eſſe
illum qui texit, & qui ædificat, ita in promptu eſt, ut nihil ſit magis in promptu: ocu-
lis enim hoc cernitur. ergo falſum eſt, quod anima iraſcatur, ac timeat. Similitudo
item, quam tetigit, eſt etiam perſpicua. Sed quia aliquis potuiſſet dicere, Quid er-
go eſt illud quod iraſcitur, aut miſeretur, aut addiſcit, ſi non eſt anima? Reſpondet,
fortaſſe melius eſſe nõ dicere animam miſereri, aut addiſcere, ſed hominem anima.

Et quoniam aliquis præterea potuiſſet dicere, licet ſit homo qui hæc efficiat, ta-
men quia hoc efficit beneficio ipſius animæ, ergo in ipſa anima erit motus, quod eſt
idem: ſiue ergo anima ſit (dicet aliquis) ſiue homo beneficio animæ, nihil, quantum
ad hoc attinet, refert. Reſpondet, quòd hoc non facit motum eſſe in anima: ſed dice
re hominem facere hoc anima, eſt facere, quod aliquando motus terminatur ad ani
mam, aliquãdo proficiſcatur ab illa: ut motus qui fit à ſenſibilibus ad ipſum ſenſum
terminatur ad animam, reminiſcentia uerò proficiſcitur ab illa: quia motus ſunt in
ſenſibilibus organis & quietis, non in anima.

Et quia dixerat Ariſtot. iraſci uel timere eſſe moueri ab anima, quia cor ſic mouetẽ,
& quod intelligere, aut tale forſitan erat, aut eſt alterũ aliquod, & quòd motus ſunt
in ſenſibilibus organis, & quietis: aliquis potuiſſet quærere, nũquid ita eſſet de intel
lectu, quod moueretur uidelicet, quia cor moueretur, præſertim cùm de eius opere
loquutus ambiguè fuiſſet in tex. 65. quem etiam tex. citauimus in ſuperioribus. Re- *tex. 65.*
ſpõdet, non ita eſſe de intellectu, ſicut de alijs partibus animæ, & inquit: Sed intelle *1. de Anim.*
ctus exiſtens quædam ſubſtantia, uidetur fieri in corpore ſupple, non ex corpore. "
quod perinde eſt, ac ſi diceret, intellectum uenire de foris. quare non poſſumus di-
cere ipſum moueri, quia cor moueatur: quia nõ naſcitur ex corpore, & ob hoc non

habet organum corporale. Hoc enim uoluit ſignificare per illud uerbum, in fieri:
nõ eſſet enim ad propoſitũ aliter, & conſentit ſuæ doctrinæ, et uidetur non corrum
pi. Cùm igitur non corrumpatur, neceſſitas cogit ut non moueatur, quia cor moue
tur: quia ſi ſic eſſet, corrumperetur ad euerſionem cordis. Quod autem nõ corrum
patur, quia organum corrumpitur, oſtendit hoc modo: Quia ſi corrumperetur, ma
ximè corrumperetur à debilitate, quæ eſt in ſenectute. Conſequentia perſpicua eſt.
ſed hoc non accidit in ſenectute: ergo non corrũpitur. Quod hoc nõ accidat, oſten
dit exemplo animæ ſenſitiuæ, & inquit accidere intellectui, ſicut in ſenſitiuis contin
git. ſi enim ſenex ſumeret oracula iuuenis, uideret ut iuuenis. Quare ſenectus nõ ac
cidit, quia anima perferat aliquid: ſed quia illud in quo ea eſt perfert, ut patet in ebri
etatibus, & infirmitatibus. ſi ergo anima ſenſitiua non corrumpitur, niſi quia orga-
num corrũpitur: tanto minus intellectiua, quę non habet organũ, corrumpitur. non
enim eius propoſitum fuit, ſimilitudine ſenſus probare, animã non pati, niſi quia or
ganum patiatur: quia hoc fuiſſet aduerſari propoſito. ſed argumentari ab eo quod
magis uidetur ineſſe, ad id quod minus. Sed quia aliquis potuiſſet dicere, intellige
re & conſiderare, quæ ſunt opera intellectus, corrumpi, & ob id rationi conſentire
intellectũ corrumpi: quia corrupto opere alicuius, neceſſarium eſt ut id cuius eſt o-
tex 66. pus corrumpatur, ut patet ex multis Ariſtotelis locis. Quare reſpondet ipſum intel
1. de Anim. ligere & ipſum conſiderare, marceſcere & corrumpi, aliquo alio intus exiſtente cor
rupto. quod idem eſt ac ſi diceret, intelligere in aliquo corrumpi: ſed ipſum intelli-
gere, ſupple ſimpliciter eſſe impaſſibile, et ita non corrumpi: et eſt id quod dixit 3. de
» Anima: Quæ uerò ſecundum potentiã in uno tempore prior, omnino autem neq;
» tempore, ſed non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non: ſemper er-
» go intelligit: eſt ergo intelligere ſimpliter impaſſibile. nõ ergo neceſſe eſt ut intelle
» ctus corrumpatur ob hanc cauſam.

Sed quia aliquis potuiſſet dicere: Quomodo fieri poteſt, ut intelligere corrumpa
tur, non corrũpatur aũt intellectus, cuius eſt paſſio? Videtur reſpõdere Ariſtoteles
& dicere, Intelligere et amare nõ eſſe paſſiones illius, uidelicet intellectus, ſed huius
indiuidui, habentis eum intellectum ſecundum quod illud indiuiduũ habet illũ in-
tellectũ: quare & hoc indiuiduo corrupto, neq; reminiſcit̃ illius quod intellexerat,
neq; amat illud quod amauerat, quia iſtæ non erant illius paſsiones: ſed erat paſsio
illius communis, id eſt eius cõpoſiti quod continebat & corpus et intellectũ, quod
quidẽ deſtructum eſt. ſed intellectus ipſe fortaſſe eſt diuinũ aliquid, & impaſſibile:
quia non patitur ad corruptionẽ ipſius intelligere. Poteſt ergo pati aliquo modo in
telligere, ut diximus: & tamen non patiet̃ intellectus, quia eſt diuinum & impaſſibi
le. ex quo ſequitur, non poſſe corrumpi. Et hæc erat concluſio, quam propoſue-
rat in principio tex. 65. Ex quo 66. poſtmodum perſpicuum eſſe inquit, fieri non poſ
ſe ut anima, uidelicet ex ea parte qua eſt rationalis, penitus moueatur, quia non
poteſt pati: & per id, quod neceſſariò ſequitur, non poteſt corrumpi: & ſi penitus
moueri non poteſt, id eſt ſi nullo modo poteſt anima rationalis moueri, ſequitur ut
non poſſit moueri à ſe ipſa: quia ſi poſſet moueri à ſe ipſa, aliquo modo moueretur,
quia per accidens. ſed non poteſt moueri per accidens, quia ſi poſſet moueri per ac
cidens, aliquo modo moueretur: ergo non poteſt moueri à ſe. Quare ad argumen-
tum tex. 62. reſpondere poſſumus, dicentis falſam eſſe illam propoſitionem, quòd a-
nima uidelicet ſit illud in quo eſt triſtari, gaudere, confidere, & timere, iraſci, ſentire,
& intelligere, quia quantum attinet ad animam ſenſitiuam, ipſa per ſe nõ mouetur:
ſed moueri dicitur, quia corpus in quo eſt, & organũ mouetur, ita per accidens mo-
uetur. Anima uerò intellectiua neq; per ſe neq; per accidens mouetur, quia ipſa di-
uina eſt, & impaſſibilis: licet corpus quod informat, ſit paſſibile, & corrumpatur. Et
licet Ariſtoteles non probet ipſam eſſe diuinam & impaſſibilem: aſſumpſit tamẽ in
hoc loco ipſam eſſe diuinam & impaſſibilẽ, & incorruptibilẽ, quia hoc erat uerum.
& hic ſupponitur, quouſq; ueniet ad locum demonſtrandi has cõcluſiones, potuit
tamen accipere in hoc loco hanc ueritatem, ad redarguendam opinionẽ quandam
falſam, ut mos eſt ipſius ſatis frequens.

Ex his igitur tex. 65. 66. perſpicuè patet, ipſum poſuiſſe intellectum non corrũpi,
& remanere poſt mortem alicuius hominis. quia fruſtrà dixiſſet: Et hoc corrupto,
neq;

neq; reminiſcitur, neq; amat illa quæ intellexerat in illo indiuiduo corrupto: etenim ſi periret intellectus, & corrumperetur, non opus eſſet quærere, an memoretur. ex hoc tamen loco colligitur unitas animæ intellectiuæ naturaliter, ſed falſa tamen ex rei ueritate. & eſt idem ferè quod dixit tertio de Anima, tex. 20. ad aliud tamen propoſitum, quam rem in ſuperioribus conati ſumus explicare: quia nō poteſt corrumpi compoſitum, quin corrumpatur phantaſia, quam ibi nuncupauit intellectū paſsibilem, ſine qua dixit intellectum paſſibilem nihil intelligere.

3. de Aiā. tex. 20.

His explicatis, conſpicuum eſſe arbitror, hunc hominē falſam de hac re, ac aduerſus Ariſtotelis ſentētiam, opinionē defendiſſe, qui dixit fuiſſe alienum à propoſito, dicere intellectū eſſe ſubſtantiam quandam intus accedentem, nec defuturam: quia nullus de immortalitate animi diſputandi locus erat, quia erat maximè ad propoſitum concluſionis dictæ, qua quærebatur an anima moueretur. Etenim iſta concluſio, quantum attinet ad intellectum, ſequebatur ex hoc, quod anima uenit extrinſecus, & non corrumpitur, & quod eſt impaſſibilis. & licet iſta non uere ſit probata in hoc loco, erat tamen uera. & fuit neceſſarium accipere hanc concluſionem in eo loco: alioquin fuiſſemus ſuſpenſi de anima intellectiua, an moueretur & ipſa. Quare ex hoc tex. ſcimus, ipſam non moueri per ſe: & quod ſi nō habemus ex illo loco certam demonſtrationem, nihil tamē referre ſatis erat nunc ſuppoſuiſſe, quod erat uerum, & id de quo erat allaturus demonſtrationē: hoc enim (ut diximus) eſt frequentiſſimum. Deſinant igitur nugari iſti, qui putant tantùm philoſophū ea loquutum eſſe, quæ in rem non conuenirent: ſeq; ipſos potius inſcitiæ atq; ignorantiæ damnari malint, quàm hominē tam acutum, ac propè diuinum reprehendi, atq; in crimen uocari.

Quod autem attinet ad Themiſtium & ad Alexandrum, nihil ad nos, qui ſolùm ueritatem & Ariſtotelem ſequimur. ex eis enim quæ dicta ſunt, perſpicua mihi uidetur eſſe Ariſtotelis ſententia.

Quod uerò addunt, Ariſtotelē accepiſſe intellectū promiſcuè, & ut ipſi loquuntur in confuſo, nec diſtinxiſſe eum qui eſt in actu, ab intellectu potentia: ita eſt ridiculum (quod ex ijs patet quę in ipſa explicatione dicta ſunt) ut nihil magis ne fingi quidē cogitatione poſſit. Etenim ſi Ariſtoteles loquitur in eis tex. de intellectu qui intelligit, certe loquitur de intellectu qui eſt potentia. conſequentia enim perſpicua eſt, quia loquitur de ipſo intelligere. Et uolebāt aduerſarij animam moueri, quia intelligebat, quia intelligere uidebatur eſſe motus. intellectus enim actu nihil intelligit extra ſe: non enim eſſet actu, ut patet ex eis quæ ex ſententia Ariſtotelis dicta ſunt in ſuperioribus.

Præterea à ueritate, & à ſententia Ariſtotelis omnino alienū eſt, aſſerere uulgatū intellectum dici intellectum in actu: quia uulgatus intellectus eſt ille qui intelligit: & uulgatum eſt intelligete eſſe pati. ſed quod eſt maxime dubium eſt, dari intellectū in actu: imò oportuit ipſum Ariſtotelem hoc probaſſe. nemo enim unquam dubitauit dari intellectum intelligentem, præſertim cùm de ipſo etiam loquutus ſit Ariſtoteles ſemper, & in primo de Anima, & in ſecundo & in tertio tex. uſq; ad locū illum in quo probauit intellectum agentem dari.

1. de Anim. 2. & 3.

Eſt etiam dubium, an detur iſte intellectus actu, qui eſt intellectus agens: non ergo poteſt intelligere de ipſo.

Quod autem intelligat de eo intellectu qui intelligit, ex locis dictis ita in promptu eſt, ut turpe ſit id uelle probare: non enim conueniret in rem, de qua loquitur.

Quid præterea eſt magis ridiculū, quàm dicere Ariſtotelē tex. allatis uoluiſſe dicere intellectū in actu eſſe ſubſtantiam, & intrinſecus accedere, & non corrumpi intelligentē corruptionem, quæ eſt à contrario, cùm non corrumpi per ſe & à contrario non ſolùm non conueniat animalibus, ſed nulli formæ ſubſtantiali? Dictum eſt enim in prædicamentis, ſubſtantię nihil eſſe contrarium. & ſi ſubſtantia dicatur contraria ipſi ſubſtantiæ, eſt ex ratione ipſarum qualitatum, non quatenus eſt ſubſtantia, multis in locis oſtendit Ariſtoteles, ut 2. de Generatione & corruptione tex. 22. Exiſtētibus autem (inquit) quatuor ſimplicibus corporibus, utraq; utriuſq; locorū ſunt, ignis quidem & aër eius qui ad terminum fertur, aqua autem & terra eius qui ad medium: & extrema quidem ſincera ignis & terra, media autem mixta magis aqua & aër, & utraq; utriſq; contraria, igni quidem eſt contrarium aqua, aëri autem

2. de Gene. & corrup. tex. 22.

terra, hæc enim ex contrarijs paſſionibus conſtituta ſunt. Deinde paulo pôſt: Elementa autem omnia habent contrarietatem ad inuicem, quia differentiæ contrariæ ſunt. Quibus uerbis apertè Ariſtoteles indicat, ſubſtantiam per ſe non eſſe contrariam ſubſtantiæ ſed per accidens, ratione ſcilicet qualitatum. non ergo rationi conſentiebat, ut id attribueret ipſi intellectui: quod omnibus formis ſubſtãtialibus conuenire, in dubium uenire non poterat.

Præterea non erat hoc ad rem. quo enim cõſilio diceret hoc de intellectu in hoc loco, intelligens corruptionem quæ eſt à contrario, cùm hoc in controuerſiam uenire non poſſet.

Propterea quomodo poteſt dici, quòd non corrũpitur à cõtrario? poſſet enim ex huius hominis ſententia corrũpi per accidens. alioquin non eſſet ad rem exponere, ꝙ non corrũpitur à contrario, quia corrũpatur quæ ſic corrumpuntur per ſe: omnis ẽm corruptio per ſe eſt à contrario. ſed hoc apertè negauit dicens: Intelligere aũt & cõſiderare marceſcũt, alio quodã interitus corrupto, ipſum aũt impaſſibile eſt. Non uult igitur, ut aliquo pacto corrumpatur. ſi enim uellet ut per accidens corrumperetur, falſum eſſet quod eſſet impaſſibile in ſe. pateretur etiam in ſe, licet ratione alterius: ſicut patiuntur in ſe formæ ſenſitiuæ, licet patiantur ratione organi, ut diximus in explicatione textuũ dictorum. Falſum item eſt, ipſum uerbis illis uoluiſſe intellectũ corrumpi per accidens: quia non in rem conuenirent ea quæ dixit in eo loco, ut oſtenſum eſt in expoſitione tex. non enim eſſet uerum, ipſum penitus non moueri.

SECTIO SECVNDA.

QVod uerò addit: Itaq; Ariſtotelis corruptionẽ celebrẽ & famoſam, quæ fit à cõtrario, non conuenit in rem. quia, ut dictũ eſt ſatis eſt quòd corrumpatur. ſi enim uideremus ipſum corrumpi per accidens, non opus fuiſſet ut dixiſſet ipſam intus fieri, & non corrumpi: quia ſatis fuiſſet ipſi dicere, quod mouetur, quia eius organũ mouetur. ſicut ſatis fuerat hoc dicere de alijs formis ſenſitiuis, quas conceſsit moueri, non quia motus eſt in ipſis, ſed quia cor mouebatur. Item non opus fuiſſet ut hoc proferret, uidelicet intelligere autem aut tale forſitã eſt, aut aliquid alterum, ſi ipſe erat eius opinionis, ut intellectus eſſet ſicut ſenſitiuum. etenim non diſtinxit ſenſitiuum à uegetatiuo, & nunquam loquutus eſt diſiunctiuè de ſenſitiuo ratione habita ad uegetatiuum. Cùm uerò loquutus eſt de intellectu reſpectu ſenſitiui, antequam attuliſſet demonſtrationem, ſemper loquutus eſt cum dubitatione. ſignum ergo erat ipſum ſentire, aliter eſſe de intellectu quàm de ſenſu. Cùm uerò reuertitur, & dicit Ariſtotelem loquutum eſſe de intellectu in confuſo: ridiculum eſt, ut diximus. Ego enim uelim ſcire, quomodo confuſè loquutus eſt, cùm dixerit intellectum, cuius intelligere eſt operatio, non corrumpi. Quid diſtinctius potuiſſet dicere, uolens ſignificare intellectum quem nuncupat poſſibilem? Item quomodo in alijs locis (quorũ meminit in primo & in ſecũdo de Anima, uerba faciẽs de hoc intellectu poſſibili) loquutus fuit diſtinctius? dicat mihi quæſo. nónne ſemper nominauit talem animæ potentiam intellectum? Cùm uerò addit in tertio de Anima, de Intellectu agente intelligi debere, eum nulla corruptione corrumpi, nec à cõtrario, neq; à ſubiecto: cæteræ uerò animæ facultates, utpote intellectus potentia, ſenſus & uegetalis corrumpuntur quidem, ſed nõ à contrario, cùm nullum habeat per ſe contrarium: uerùm deſinunt aliquo interius corrupto, id eſt ſubiecto aliquo corrupto, uel intellectu potentia: ipſe uerò intellectus, qui eſt ſubſtantia, actu impaſſibilis, & ſolus æternus eſt. Addit fortaſſe (inquit iſte) quoniam adhuc non erat apertum, an omnino intellectus eſſet æternus: ſed diſcutiendum libro tertio. Ex his ergo liquet, de Intellectu potentia Ariſtotelem non diſſeruiſſe in eo loco, ſed intellectu ſignificato famoſiori, uel confuſiori. Quæ omnia dicta ita mihi uidentur puerilia, ut ſint digna quibus non reſpondeatur. tamen quia aliqui ex eis qui interiores & reconditos ſenſus non ſcrutantur, poſſent putare nos non reſpondere, quia ignoremus modum refellendi hanc opinionem.

Dicimus,

Dicimus,in primis hunc hominem per tertium de Anima,in quo dicit Ariſtotelem 3.de Anim.
loqui de intellectu agente,intelligere uniuerſum librum de Anima, cuius initium
eſt,De parte autem animæ qua ſapit & intelligit anima.uel per tertium de Anima
intelligere tex 17.18.& 19.in quo uerba facit de intellectu agente.Si primo modo ac- 3.de Anim. tex.17.18. & 19.
cepit tertium de Anima,ita falſum eſt quod aſſerit,quàm quod eſt falſiſsimum:pro-
pterea quòd ipſe Ariſtot. principio illius tertij explicuit ſe uerba facere de ea par-
te animæ, qua anima intelligit. & in omnibus ſequentibus , uſq; ad decimũſepti-
mum,ſemper loquutus eſt de hoc intellectu potentia, de quo dixit quòd erat im-
paſsibilis,non mixtus ſpeciebus , ſed eſſe in potentia ad illas ſpecies: & nõ eſſe mi-
xtũ cum corpore,ſed ſeparari à corpòre,& eſſe ſimplices,& huiuſmodi alia. Si autẽ
dicat ſe intelligere tex.citatos,uideat quid dicat, quia in tertio etiam loquutus eſt
de intellectu poſsibili,de quo protulit ea uerba quæ antè recitauimus.& quod ma-
gis eſt,ut declaratum eſt in ſuperioribus,probat ipſam agentem dari , quia dabatur
poſsibilis:& quia dictum fuerat de ipſo poſsibili,quod erat ſeparabilis & impaſsi-
bilis & immixtus,probauit ipſum intellectum agentem eſſe ſeparabilem & impaſsi
bilem & immixtum,ut nos in ſuperioribus luce clarius oſtendiſſe arbitramur. Ne-
ceſsitas igitur cogit ut ſuppoſuerit,ipſum intellectum poſſibilem eſſe ſeparabilem,
impaſsibilem , & immixtum . Deinde nónne perſpicuum eſt ex uerbis Ariſtote-
lis,& ipſum appellaſſe intellectum poſsibilem ſeparabilem impaſsibilem & immi-
xtum,quæ omnia attribuit intellectui agenti,dicat mihi quæſo ? quare uult per iſta
uerba intelligere,intellectum agentem nulla corruptione corrumpi,neq; à contra-
rio,neq; à ſubiecto:& non uult intelligere intellectum etiam poſsibilem? de quo ea
demmet uerba protulit,nulla corruptione corrumpi. Afferat iſte homo rationem
huius diuerſitatis:quæ cùm nulla poterit afferri,ut iaceat eius ſententia neceſſe eſt.
Præterea dicat mihi quæſo,qua ratione probauit Ariſtoteles ipſum intellectum a-
gentem eſſe immixtum,ſeparabilem, & impaſsibilem ? profectò nullam inueniet,
niſi ex natura intellectus poſsibilis.perperam igitur loquitur.

Deinde dicat mihi iſte,quo in loco Ariſtoteles dixerit , intellectum in potentia
corrumpi per accidens? ſed cùm non poſsit locum inuenire,in quo non ſolum Ari-
ſtoteles concluſionem hanc demonſtrauerit,ſed neq; etiam aliquod uerbum pro-
tulerit,mirum eſt quòd ita apertè in manifeſtiſsimos & turbulentiſsimos errores in
ciderit. Quòd ſi dicat Ariſtotelem hoc ſignificaſſe tex.65.hoc erit cõtra ipſum, quia
exiſtimat eum in illo loco loquutum eſſe de intellectu actu. Ex illo ergo tex. colligi
tur,intellectum agentem corrumpi per accidens : quod quidem eſt pugnare cum
ſua ipſius ſententia. ex ijs ergo quæ dicta ſunt,liquidè patere arbitror,fieri non poſ-
ſe ut illis tex. Ariſto.loquutus fuerit de intellectu agente, uel in actu : ſed de intelle
ctu qui eſt(ut utar uerbis illius)intellectus ſignificato famoſiori, quia perſpicuũ eſt
ipſum dari & peruagatum eſt ipſum dari.quod non ita accidit de intellectu agen-
te,quia obſcurum eſt ipſum dari,ita ut fuerit neceſſe probari ipſum dari in rerum na
tura:& ita eſt obſcurum ut multi,& illi quidem nõ negligendi uiri, poſt eam quoq;
probationem quam Ariſtoteles dixerat,negauerint ipſum dari.quod enĩ obſcurum
eſt,non uidetur fieri poſſe ut ſit illuſtre & peruagatum. Deinde dicit, Vel conluſio-
ri. Videant homines rogo,qui dicat:hoc enim perſpicuè oſtendit , hunc hominem
neſcire quò ſe uertat,quaſi dicens,uel eſt hoc,uel illo modo.ſic enim loquuntur,qui
non firmam & ſtabilem , ſed errantem & uagam alicuius rei habent opinionem.
Præterea ſi Ariſtoteles accepit intellectum in confuſo , nec diſtinxit eum qui eſt in
actu,ab eo quod eſt in potentia,quoniam non erat hic locus: & dixit, iſtum intelle-
ctum,ut comprehendit utrunq;,non corrumpi.neceſsitas igitur cogit,ut intellexe-
rit,etiam intellectum in potentia non corrumpi. Conſequentia enim perſpicua eſt.
ſed conuellit omnino ſuam ipſius ſententiam:quippe,quæ eſt,quod intellectus po-
tentia corrumpitur.

Præterea homo iſte facit quæſtionem Qualis eſt, præcedere quæſtionem Si eſt:
ergo labefactat ſententiam Ariſtotelis ſecundo Poſte.ut liquet:Probatur cõſequen 2.Poſt.c.1.
tia, quia uult Ariſtotelẽ probare intellectũ agentem non corrũpi,cùm nõdum pro-
bauerit eſſe.ſed fieri non poteſt,ut probemus aliquid ineſſe alicui , niſi perſpectum
ac cognitum habeàmus illud in rerum natura eſſe. Etenim peruagatũ ac illuſtre eſt,
de eo quod non eſt,fieri non poſſe,ut probemus aliquid.

Falſum præterea eſſet dictum Ariſtotelis de ſubiecto, de quo ſumus ꝓbaturi aliquam paſsionem oportere ſupponere ipſum eſſe. Etenim huius hominis ſententia poſſemus probare aliquam paſsionem de aliquo ſubiecto, etiamſi non ſupponeremus ipſum eſſe.

Perſpicuum igitur eſt ex eis quæ dicta ſunt. tex 65. & 66. primi de Anima apertiſſimè aſſerere intellectum, qui intelligit non corruptibilem eſſe, & eſſe impaſsibilem, quod eſt id quo indigebat Ariſtoteles in eo loeo, quia ex hoc ſciebamus ipſum nullo modo moueri quod planè erat illud quod inſtituerat probare.

SECTIO TERTIA.

1. de Ani. tex. 92. ILla uerò expoſitio quam tradit tex. 92. primi de Anima, mihi quidem irridenda potius, quàm rationibus euertenda uidetur. ſed in primis ponamus uerba Ariſtotelis, ex quibus in ſuperioribus colligimus, ipſum indicaſſe animi noſtri modo aliquo æternitatem: cùm apertè innuat, ipſum non continere aliquam partem determinatam corporis, & indicat non eſſe ita dicendum de intellectu ſicut de alijs potentijs animæ, quem tex. in ſuperioribus etiam citauimus ad aliud probandum. in- 1. de Anim. tex. 92. quit ergo: Dubitabit autem aliquis & de partibus ipſius, quam potentiam habet unaquæq; in corpore. ſi enim tota anima omne corpus continet, conuenire & par- » tium unamquamq; continere aliquid corporis: hoc autem aſsimilatur impoſsibili. » qualem enim partem, aut quomodo intellectus contineat, perdifficile eſt fingere.

Dico Ariſtotelem ijs uerbis nobis apertam ſignificationem tradidiſſe, intellectum ſcilicet nullam partem corporis continere, quod quidem eſt nullum organū habere, & eſt ipſum æternum facere, & ita ſemper ſeparare intellectum à ſenſitiua: quòd niſi eſſet ſeparatus, licet non eſſet adhuc demonſtratum, tamen fruſtra excepiſſet ipſum ab alijs partibus animæ: ſicut non ſeparauit ſenſitiuum & ſecundum locum motiuum, & uegetatiuum, quia erant eiuſdem naturæ.

Accedamus modò ad diſcutienda huius hominis uerba. Diximus ergo, hominem hunc ea aſſerere, quæ in rem de qua loquitur Ariſtoteles, non conueniunt, & » pugnare uidetur cum ſua ipſius ſententia, Nam cùm dicit, Separari enim duplici ra- » tione facultatibus animæ contigit: uno modo, ut inter ſe inuicem conferantur, puta » intellectus cum facultate ſentiendi & uegetandi. & hac ratione non ſeparatur ſe- » cundum magnitudinem & ſubiectum, ut Plato aſſeruiſſe uidetur. Hęc enim uerba, 1. de Anim. tex. 90. mea quidem ſententia non conueniunt in rem: quia tex. dicto non loquitur propriè Ariſtoteles de hac ſeparatione, quia hæc eſt alia quæſtio à prædicta in 92. tex. & falſum eſt quòd non ſit ſeparatus magnitudine ab ipſa ſenſitiua & uegetatiua, quia illæ ſunt in aliqua parte magnitudinis extenſæ. Intellectus autem ex rei ueritate, & ex ſententia Ariſtotelis etiam in hoc tex. non eſt in aliqua parte magnitudinis: quaſi dicens non eſſe neceſſe, ſi uniuerſa anima omne corpus continet, ut quælibet pars animæ contineat aliquam partem corporis: quia nullus poterit aſsignare, quam partem corporis contineat intellectus, uel quomodo contineat. Et hoc eſt uerum, quia nullam partem determinatam corporis continet. Non ergo ijs uerbis aſſerit has potentias animæ non ſeparari ſecundum mangnitudinem & ſubiectum, imò uidetur innuere quod ſeparantur, quantum attinet ad hæc uerba, quia non uult intellectū continere aliquam partem corporis. Ex quo ſequitur, ipſas eſſe diuerſas ſecundum magnitudinem & ſubiectum: quia aliæ potentiæ animæ ſunt in parte determinata corporis, intellectus autem non eſt. Perperam ergo inquit Platonem aſſeruiſſe, has facultates non ſeparari ſecundum magnitudinem: quia oſtendit multis in locis Ariſtoteles, Platonem uoluiſſe ipſas ſeparari.

Quod uerò addit, his uerbis rationem ſubdere, quoniam partem corporis intellectus cōtineret, aut qua ratione difficile eſſet fingere, ridiculū certè eſt: quia ex hoc dicto potius ſequitur oppoſitum quàm propoſitum. Quia ſi intellectus, ut ipſe his uerbis declarat, ſiquidem nullam partem corporis format, nec illa ſibi determinat ac perſcribit, in qua ſit, & per quam operetur: ſequitur potius ut diſtinguatur magnitudinè, quia uidetur innuere alias potentias animæ continere aliquam partem corporis. imò innuit Ariſtoteles, oēs alias animæ potētias eſſe in qualibet parte determinata corporis, præter intellectū, q d' ſi aliæ ſunt in omni parte determinata, & intellectus nō ſit in aliqua parte determinata corporis, quomodo igiť fieri poteſt ut intellectus nō ſit ſeparatus ſecūdū magnitudinē ab alijs partib. animæ nō uideo.

Ea ergo ponit, quæ omnino conuellunt ſuam ipſius ſententiam. etenim infert ex uerbis dictis: Igitur non diſtinguitur ſecundum magnitudinem, ſed ſecundum rationem. Non loquitur ergo in rem conuenientia: falſa etenim dicit, & ea ponit quæ pugnant cum ſuaipſius ſententia. Ariſtoteli enim in eo tex. propoſitum fuit, ut patet, quod diximus: non iſtud quod dicit iſte homo.

Quòd uerò oſtendere conatur, has potentias animæ non diſtingui ſecundum magnitudinem, ſed ſecundum rationem, ex uerbis Ariſtotelis ſecundo de Anima, 2 de Anim.
cum inquit: Senſitiuo eſſe, & opinatiuo aliud, ſiquidem aliud eſt ſentire, & aliud eſt "
opinari) tantum uerba Ariſtotelis probant iſtius hominis propoſitum, quantum "
probant cœlum eſſe ingenerabile & incorruptibile. & ſi probant, magis oſtendunt oppoſitum quàm propoſitum: quia opinari attinet ad intellectum, & ſentire ad ſenſum. Non ergo colligitur ex illo loco, quod differant ratione tantum. Etenim uerum eſt quod differunt ratione, ſed differunt etiam re. Non enim ibi dixit Ariſtoteles, ſenſitiuum & opinatiuum non ſeparari magnitudine, ſed ratione: ſed dixit tantum, quòd eſſe ſenſitiuo & opinatiuo erat aliud. quod uerum eſt: non tamen ſequitur, quòd non ſeparentur magnitudine. eſſe enim hominis, & eſſe aſini, eſt aliud: & tamen ipſi ſeparantur ſecundum magnitudinem. Nihil ergo habere mihi uidetur quod ad ſuam opinionem confirmandam atq; ſtabiliendam faciat.

SECTIO QVARTA.

QVod uerò addit: Sed intellectus qui eſt in actu, & ſpeculatiua potẽtia, uidentur ſeparari, ſicut perpetuum à corruptibili, ab alijs facultatibus animæ) partim præter rem, partim ſibi aduerſantia aſſerit. Præter rem enim loquitur, quia illo in loco non loquitur Ariſtoteles de intellectu in actu, ſed ſolùm de eo intellectu qui manifeſtè reperitur in rerum natura. quia fieri non poteſt, ut Ariſtoteles dicat, aliquid ſeparari ab aliquo, cuius eſſe in rerũ natura ignoretur. illa enim ſola ſeparari dicuntur, quorum eſſe eſt manifeſtum. Quæſtionem enim qualis eſt, ſupponere quæſtionem. Si eſt, ita in promptu eſt, ut nulla demonſtratione indigere uideatur. Implicat deinde contradictionem, quia inquit ſpeculatiuam potentiam ſeparari, ſicut perpetuum à corruptibili, ab alijs facultatibus animi. ex quo ſequitur, ſpeculatiuam potentiam eſſe perpetuam. ſed intellectus poſsibilis eſt ſpeculatiua potentia: ergo intellectus poſsibilis eſt perpetuus. Sed prius dixerat, quòd erat corruptibilis: ergo euertit ſuam ipſius ſententiam. quod uitium eſt ex omnibus turpiſsimũ. Quòd autem intellectus poſsibilis ſit ſpeculatiua potentia, perſpicuum eſt ex omnibus locis, in quibus nominat Ariſtoteles ſpeculatiuam potentiam. ſemper enim intelligit intellectum poſsibilem ſpeculatiuum.

Sed hanc rem colligere poſſumus ex eis quæ ſcripta reliquit ſexto Ethic. capite
ſecundo, ijs uerbis quæ citauimus etiam in ſuperiore in aliam occaſionem: Nunc 6. Ethic.
autem de habente rationem diuidendum eſt eodem modo, ut ſupponatur duo eſ- cap. 2.
ſe, quæ habent rationem: unum quidem, quo contemplamur alia entium, quorum "
principia non poſſunt aliter ſe habere: aliud autem, quo contingentia aliter ſe habe "
re.) Vult ergo, intellectum poſsibilem ſpeculari neceſſaria: ergo uult ipſum eſſe ſpe "
culatiuum. Quod autem ſit intellectus poſsibilis perſpicuum eſt: quia intellectus "
agens non ſpeculatur niſi ſeipſum, quia eius ſcientia eſt ſcientia in actu.

Item, ille intellectus qui ſpeculatur ueritatem ſimpliciter rerum, eſt ſpeculatiuus: intellectus poſsibilis ſpeculatur ueritatem ſimpliciter rerum. iſta minor eſt perſpicua: ergo eſt ſpeculatiuus.

Præterea, intellectus ſpeculatiuus eſt intellectus poſsibilis: ergo ſi intellectus ſpeculatiuus eſt æternus, ergo & poſsibilis. Antecedens probatur: quia intellectus habens rationem diuiditur in practicum & ſpeculatiuum: intellectus poſsibilis eſt
intellectus habens rationem, eſt enim ille qui ratiocinatur, ut patet ſex. Ethic. loco
citato. ergo intellectus poſsibilis diuiditur in practicum & ſpeculatiuum; ergo in- 6. Ethic.
tellectus ſpeculatiuus eſt intellectus poſsibilis. cap. 2.

Poſſem ſexcenta & alia referre loca, quibus facilè conſtat hunc hominem falſam
de hac re, ac contra Ariſtotelis ſententiam, opinionem accepiſſe: ſed hæc uidentur
ſententiæ noſtræ ſatisfacere. Si ergo iſte ponit intellectum ſpeculatiuum, ſiue ſpe-
culatiuam potentiam perpetuam: eundē ponere etiam intellectum poſsibilem per
petuum, eſt ita (meo quidem iudicio) clarum, quàm quod clariſſimū. quod quidem
eſt non ſolum pugnantia, uerùm etiam (quod multo fœdius eſt) negantia aſſe-
ruiſſe.

2. & 3. de Anima. Quod uerò ſubiungit iſta uerba: De iſta itaq; ſeparatione Platonem arguere uo
luit, & ſignificauit ſub typo & confuſo, quod 2. de Anima, & 3. planius & expreſſe.
Dico, non ſatis conſtare quid ſibi uoluerit iſte homo. nam ſi uoluit dicere, Ariſto
telem redarguere Platonem, qui non ponebat iſtam ſeparationem: non conſtat, ubi
negauerit Plato intellectum ſpeculatiuum non diſtingui ab alijs partibus animæ, ſi
cut perpetuum à corruptibili. ſi autem dicat, Platonem ponere iſtam ſeparationem
3. de Anim. loco citato ex tertio de Anima: dico, hoc manifeſtè repugnare ueritati: propterea
quòd Ariſtoteles refellit ipſum, quia ponebat iſtas partes animæ ſeparatas loco &
1. de Anim. ſubiecto. Inquit enim Ariſtoteles: Dicunt itaque quidam partibilem ipſam, & alio
tex. 91. quidem intelligere, alio autem cōcupiſcere. Quod oſtendūt rationes, quibus hanc
„ ipſam opinionem euertit. etenim inquit: Quid igitur continet animam, ſi partibi-
„ lis, & apta nata, non enim utiq; corpus: uidetur enim contrarium, magis anima cor-
„ pus continere, egrediente enim ſpirat & marceſcit.
Quę ratio nō cōuenit ad rem, niſi ponamus partes animę eſſe diuiſas ratione ſub
iectorum, in quibus ſunt. Quæ res multo magis perſpici poteſt ex eis, quæ addidit
tex. 91. in 91. qui textus ſi alio modo intelligeretur, diuiſio illa animæ nō conueniret in rem
1. de Anim. de qua loquitur Ariſtoteles. Perſpicuum igitur mihi uidetur, hunc hominem pro-
priam uocem ignoraſſe, & ea protuliſſe, quia neſciebat quò ſe uerteret.
„ Addit præterea hæc: Alia eſt ſeparatio ipſius intellectus à ſubiecto & corpore,
„ quæ conuenit intellectui potētię, ut cum ſenſu comparatur: quæ quidem ſeparatio
„ dicitur ab organo, et à corpore: quoniam non utitur organo, ut iam diximus: nec eſt
„ calidus, neq; frigidus, neq; paſſibilis, nec per ſe, aut ratione organi. atq; ob id intel-
„ lectus ſimplex immixtus & ſeparatus, ſed non æternus. ſubſtantia enim (ut uoluit
7. Meta. Ariſtoteles ſeptimo Meta.) ſeparabilis eſt ab accidentibus: quoniam accidētia qui-
tex. 4. dem abeſſe aut deeſſe poſſunt permanēte ſubſtantia, neq; corrupta, puta, poteſt ho
„ mo ad nigritiē mutari, ipſo permanente, ſed paſſionibus deſinentibus. nemo tamen
„ ſanæ mentis diceret, hominem propter hoc eſſe æternum. eſt igitur homo ſeparabi
„ lis, non tamen æternus: quia non omnis ſeparatio denotat æternitatem.

SECTIO QVINTA.

QVis enim audiens hæc quæ dicit homo iſte, maxima admiratione non affice-
retur? quum ea aſſerat, quæ & ueritati apertiſſimè repugnēt, & Ariſtoteli, &
(quod fœdius eſt) ea quæ pugnant cum ſua ipſius ſententia. Etenim concedit, intel
lectum potētia comparatum cum ſenſu, eſſe ſeparatum à ſubiecto, & corpore: cùm
tamen prius dixiſſet, intellectum comparatum cum facultate ſentiendi & uegetan-
di, non ſeparari ſecundum magnitudinem & ſubiectum, ut Plato aſſeruiſſe uidetur,
ſi dixit intellectum non ſeparari à magnitudine & ſubiecto. Præterea uerſibus duo-
bus dicit, quòd ſeparatur corpore & ſubiecto: quia dixit, Alia eſt ſeparatio intelle-
ctus à ſubiecto & corpore. nō enim aliter eſſet ad propoſitum, ergo apertè pugnat
cum ſua ipſius ſententia. quia inquit, intellectum comparatum cum ſenſu ſeparari à
corpore, & à ſubiecto, & non ſeparari: eſſe enim ſeparatum à magnitudine. apertè
1. de Cœlo ostendit Ariſtoteles primo de Cœlo tex. primo & ſecundo, eſſe ſeparatum à corpo
tex. 1. & 2. pore, quia corpus eſt magnitudo.
Præterea quid magis repugnat ueritati, & Ariſtoteli, & quid magis implicat con
„ tradictionem? quàm dicere, intellectū ſeparari ab organo & à corpore, & non eſſe
„ paſsibilem neq; per ſe neq; ratione organi, & ob id eſſe ſimplicem & immixtum, &
tamen non eſſe æternum? Quaſi intellectus nō poteſt pati neq; per ſe neq; ratione
organi, ergo nullo modo patitur: quia quod patitur, neceſſe eſſe ut altero duorum
modorum patiatur, ita perſpicuum eſt, ut nihil magis in philoſophia perſpicuū eſſe

posſit,

poſsit. Etenim quod nullo modo patitur, ut moriatut fieri non poteſt: quia ſi mori-
retur, neceſsitas cogeret ut pateretur. niſi ipſe uellet aſſerere, mori non eſſe pati: qđ
quidem ne belluæ quidem dicerent. ſed ſi non patitur, ut ipſe inquit: ergo non mo-
ritur, ergo eſt æternus. etenim quod non moritur, eſſe æternum, in controuerſiam
uenire non poteſt. ſed dicit ipſum non eſſe æternum: ergo ſuam opinionem impru-
dens conuellit.

Item, ſi eſſent uera ea, quæ dicit iſte homo, uniuerſa Ariſtotelis doctrina de ipſis
ſubſtantijs abſtractis rueret. etenim non probat per aliud medium ipſas eſſe indiui-
ſibiles, & perpetuas & æternas, ſimplices & impaſsibiles, & immixtas, niſi quia ab-
ſtrahunt à corpore, & à materia. Hoc enim perſpicuum eſt ex octauo Phyſic. ulti- 8. Phyſic.
mo, & ex 12. primæ philoſophiæ, ut dicemus etiam fuſius. Probatur conſequentia: ult. 12. Me-
quia ſi non ualent iſta, intellectus ſeparatur à corpore & ab organo, & non patitur tha.
neq; per ſe neq; ratione organi, ergo eſt æternus: non ualebit etiam, ſubſtantiæ ab-
ſtractæ ſunt ſeparatæ à corpore & à magnitudine: ergo ſunt æternæ & perpetuæ.
eadem enim eſt ſimilitudo. Sed hoc euertit ſententiam Ariſtotelis, & ueritatem: er-
go opinio iſta uelis remiſq; (ut aiunt) eſt fugienda.

Præterea nónne dixit Ariſtoteles loco ſuperius citato, non eſſe ſimilem impaſ- 3. de Ani.
ſibilitatem intellectus & ſenſus, quia ſenſitiuum non ſine corpore eſt: intellectus au tex. 7.
tem eſt ſeparabilis: ergo ex hoc quod ſenſus non eſt ſine corpore, uult ipſum pati
ex paſsione corporis. & quia inrellectus eſt ſeparabilis à corpore, non patitur. Ergo
uult cauſam, quod intellectus non patiatur, eſſe, quod ipſe eſt ſeparabilis à cor-
pore.

Item fieri non poterit ut probemus intellectum agentem eſſe æternum, niſi
quia eſt immixtus, impaſsibilis & ſeparabilis: ergo neceſſe ut ualeat iſta conſequen
tia. Intellectus poſsibilis eſt immixtus, impaſsibilis, & ſeparabilis: ergo eſt æternus.
non enim eſt maior ratio unius, quàm alterius, ut perſpicuum eſt.

Item, ſi ſeparari à corpore non eſt cauſa immortalitatis, ergo non ſeparari à cor-
pore non eſt cauſa mortalitatis. Probatur conſequentia ex uerbis Ariſtotelis primo
Poſter. cap. 12. Similiter autem etſi affirmatio ipſius eſſe, & negatio non eſſe: ergo 1. Poſt c. 12.
anima ſenſitiua non erit mortalis. Probatur: quia per ſe non patitur. ſi non patitur "
ratione organi, nullo modo poteſt pati. Sed hoc eſt falſum, quia dixit Ariſtoteles: 1. de Anim.
Quare ſenium non eſt in ſuſtinendo aliquid animam, ſed in quo ſicut in infirmitati tex. 65.
bus. & in ipſa enim ex ſe non patitur, ſi eſſe cum corpore non facit ipſum pati: ergo "
non corrumpetur. quod quidem eſt facinus ex omnibus abſurdiſsimum. "

Quod uerò addidit, ſubſtantia enim, &c. eſt ita ridiculum, ut nihil ſuprà poſsit. "
quid enim ab hoc homine dici poſſet, quod minus in rem cõueniret, quàm ſubſtan-
tiam eſſe ſeparabilem ab accidentibus deſinentibus: & tamen non ſequitur, quod
(uerbi gratia) ſubſtantia, quæ eſt homo, ſit æterna. Potuiſſet etiam iſte homo dice-
re Socratem ſeparari à Platone, quia poteſt permanere: non tamen ſequitur, ipſum
Socratem eſſe æternum.

Sed dicamus, ſimilitudinem nihil ualere: quia ſubſtantia quæ eſt ſubiecta acci-
dentibus, eſt compoſitum: quod poteſt per ſe exiſtere. intellectus uerò eſt forma
ſimplex, quæ informat corpus, uel oritur ex potentia corporis, uel non. Si oritur ex
potentia corporis, non eſt ſeparabilis ab illo corpore quod informat: ſi uerò non o-
ritur ex porentia corpotis, eſt ſeparabilis. ergo ualebit iſta forma: eſt ſeparabilis
à corpore, ergo non oritur ex potentia corporis. quia non eſſet ſeparabilis: quia for
mæ quæ oriuntur ex potentia corporis, non ſunt ſeparabiles à corpore. hæc enim
patēt ex eis quę dicta ſunt in ſuperioribus: ergo nõ pendet à corpore uel à materia,
ergo eſt æterna: quia ſi non eſſet æterna, penderet à corpore et à materia, quia ori-
retur ex potentia corporis: ergo deſtrueretur ad deſtructionem corpotis, ſicut for-
mæ ſenſitiuæ: ergo non eſſet ſeparabilis à corpore. ſed poſita eſt, eſſe ſeparabilem à
corpore: ergo eſt æterna. Nihil ergo eſt, quod dicit homo iſte.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

» QVod uerò ſubſequitur, eſt: quod poſtrema ſeparatio quæ conuenit ſubſtan-
» tiæ in actu per ſe exiſtentis, & hæc ſola compeúit intellectui in actu, qui inter
» intellectus tum potentia, tum in habitu ſolus eſt æternus. quæ uerba nō ſunt digna
homine philoſophiam profitente. etenim nullam affert cauſam huius ſeparationis:
neq; declarat quæ ſit iſta ſeparatio, quæ conuenit intellectui in actu: neq; quomo-
do differat à ſeparatione intellectus qui eſt in potentia. ſed cùm fieri non poſſit ut
aſſignet aliam ſeparationem huic ſuo intellectui, quàm quod intellectus iſte eſt ſe-
paratus ab organo & à corpore, quia non utitur organo, nec eſt calidus uel frigi-
dus, nec paſsibilis aut per ſe, aut ratione organi: & quod ob hoc dicitur intellectus
ſimplex, immixtus & ſeparatus: quia omnia ferè iſta attribuit Ariſtoteles intellectui
agenti. Neceſsitas ergò cogit ut ſit eadem ſeparatio, atque illà quæ erat intellectus
poſsibilis. quod ſi detur, ut iſte perperam diuiſerit iſtam ſeparationem, neçeſſe eſt.
Præterea ea quæ dicit homo iſte de ſeparationibus, non uidentur admodum in
1.de Anim. rem, de qua loquitur Ariſtoteles in tex.92, conuenire. etenim ſupponit Ariſtoteles,
tex.92. quod probauit in tex.90. & 91. animam non eſſe partibilem, ſed dari totam unam a-
1.de Aia. nimam, quæ contineat uniuerſas. & ex hoc enim oſtendit unam dubitationem in
tex.90. tex.92. allato, quæ eſt huiuſmodi: Si tota anima omne corpus continet, conuenit &
» partium unam quamq; continere aliquid corporis. ſed hoc uidetur impoſsibile:
» quoniam non poterimus aſſignare quam partem contineat intellectus, & quomo-
» do eam contineat. & hunc tex. citauimus etiam in ſuperioribus. Videtur ergo Ari-
ſtoteles innuere, fieri non poſſe ut ſit in aliqua parte determinata corporis. ex quo
ſequitur, quòd non ſit mixtus. Vnde colligunt omnes, Ariſtotelem in hoc tex. ſigni
ficaſſe ſe ſentire, animum noſtrum æternum eſſe. Cui cùm uellet reſpondere homo
iſte, oſtendit multis modis ſeparationem dici: cùm defuiſſet reſpondere ad locum,
& dicere eſſe aliquam partem corporis, quam continet & intellectus, ſi uult ipſum
eſſe mortalem, licet Ariſtoteles innuerit ipſum non habere aliquam partem, quam
continet, reſponſio enim iſta, etſi falſa fuiſſet, conueniſſet tamen in rem. uel oportu-
iſſet dicere, etſi intellectus non habebat partem aliquam corporis, quam contine-
bat: tamen non ſequi ipſum eſſe æternum. Quod etiam ſi omnino non à ueritate
ipſa abhorreat, cùm manifeſtum ſit nullam formam poſſe interire ex ſe ipſa, neceſſe
eſt ut intereat ratione corporis & materiæ. materia enim eſt cauſa (ut diximus in ſu-
perioribus) omnis interitus. Licet hoc inquam à ueritate omnino eſſet alieniſsimū,
conueniebat tamen in rem. & licet iſte ſtultè admodum ſenſerit, cùm dixit, Alia eſt
ſeparatio ipſius intellectus à ſubiecto & corpore: tamen reliquit hanc, & accommo
dauit textui illam ſuam primam ſeparationem, quæ falſiſsima erat, ut arbitramur
nos oſtendiſſe. ſed quod peius erat, in tex. non conueniebat, ut oſtenſum eſt: quare
nihil, quod non ſit inane, dixit homo iſte.

SECTIO SEPTIMA.

SEd quantum ad id quod attinet ad uerba Ariſtotelis, quæ ſcripta reliquit primo
de partibus animalium cap. primo, quibus uiſus eſt animam intellectiuam à phi
loſophi naturalis conſideratione reieciſſe:) dicimus, in ſuperioribus, ut arbitramur,
expoſuiſſe, quomodo illa uerba eſſent intelligenda: ad quem locū, ne nimij ſimus,
lectorem reijcimus. ſed tantummodo accedere decreuimus ad ea, quæ dicuntur ab
iſtis, ut fugiant animorum immortalitatem. Dicunt ergo, inprimis Ariſtotelem eo
in loco de intellectu loquutum eſſe in confuſo. et hoc dicunt liquere ex ſuperiori-
bus, duos eſſe intellectus: unum potentia, & alterum actu. ſed iſta interpretatio ita
inanis & futilis eſt, ut nihil ſuprà poſsit. quod ex hoc liquidè perſpici poteſt. Ete-
nim Ariſtoteles loquitur de eo intellectu, qui refertur ad intelligibilia. ergo intelli-
git de intellectu potentia ſolum: quia ſolus intellectus potentia refertur ad intelligi
bilia: quia ex hoc ſolum quod percipit intelligibilia, ſequitur abſurdum. ergo non
loquutus eſt confuſè de intellectu, ſed manifeſtè de intellectu potentia. Perperam
igitur ab iſto homine fuit in eo loco explicatus Ariſtoteles.
Quod uerò addit: Si de omni intellectu tractare pertineret ad naturalem philo-
ſophum, profecto & de intellectu in actu ageret) iſta conſequentia nō uidetur uer-
bis

bis Ariſtotelis, neq; etiam ueritati quadrare: quia ratio Ariſtotelis nõ habet uim ex hoc, quod de omni intellectu tractare pertineat ad naturalem philoſophum: ſed habet ex hoc, quia ſi de omni anima docere naturalis ſcientiæ interſit, doceret de intellectu: ergo de omni intelligibili. ſatis enim eſt rationi Ariſtotelis, ut loquatur de intellectu poſsibili, qui èſt ille qui eſt rerum intelligibilium. Quare non conueniret in rem dicere, ſi de omni intellectu tractare pertineret ad naturalem philoſophũ, profectò & de intellectu in actu ageret. etenim Ariſtoteles non dixit naturalem philoſophum loqui de omni intellectu: quia etſi etiam philoſophus naturalis loqueretur de omni intellectu, tamen nihil referebat ad rationem ſuam, quia abſurdum illud ſequebatur ex intellectu potentia. non enim ſequebatur ex intellectu in actu: quia ille (ut probatum eſt in ſuperioribus ex ſententia Ariſtotelis) nihil extra ſe intelligebat.

Deinde cũ ait: Si igitur tractare de intellectu in actu per ſe, & propiè, ad naturalem philoſophum ſpectaret, omnis alia philoſophia ſuperflua foret, quoniam tractaret de omni intelligibili. Dicimus, conſequentiam iſtam uanam ac inanem eſſe, perſpicuè patêre. Ad probationem autem non ſequi, ut tractet de omni intelligibili: quia tractat de intellectu in actu, quia intellectus in actu non eſt rerum intelligibilium: non enim extra ſe aliquid intelligit. ſi enim qui cõſiderat intellectũ in actu, conſideraret omne intelligibile, prima philoſophia conſideraret omnia intelligibilia. & ita, ſi hoc eſſet abſurdum in philoſophia naturali, eſſet etiam abſurdum in prima philoſophia.

Quod uerò inquit: Eſtq; hæc ratio probabilis, quoniam ſi per ſe utrunq; cognoſceret, & animam quæ eſt naturæ, & finis motus naturalis, nouiſſet utiq; omne intelligibile tam materiale quàm abſtractum, atq; hac ratione præter naturalem nulla eſſet alia philoſophia.) Hæc uerba etiam non uidentur rectè poſita. etenim dicere, hanc rationem eſſe probabilem: & poſtea dicere, ſi per ſe utrimq; cognoſceret, &c. præter naturalem nulla alia philoſophia eſſet, uidètur negantia aſſerere. quia ſi ex illa ratione ſequitur hoc abſurdum, ratio non erit probabilis, ſed demonſtratiua. Etenim ſi eſſet probabilis, non uerè ſequeretur illud abſurdum. ſatis enim ſuperq; fuiſſet, ſi dixiſſet iſtam rationem eſſe probabilem, proprerea nihil concludere. etenim eſſet ex homine quærendum, cur dixerit rationem eſſe probabilem? & poſtea dixerit, quoniam ſi utrumq; cognoſceret, &c. ſequutum fuiſſet illud abſurdum.

Præterea illa uerba, uidelicet, Quoniam ſi per ſe utrumq; cognoſceret, & animam quæ natura & finis motus naturalis, mouiſſet omne intelligibile) non uidentur in rem cõuenire: quoniam ratio Ariſtotelis eſt iſta (ut diximus in ſuperioribus) quia ſi naturalis philoſophus contemplaretur omnes animas, contemplaretur intellectum: et ſi intellectum, ergò omne intelligibile: ergo ſuperuacaneæ eſſent aliæ facultates. Quid igitur ſpectans illud addidit: Si cognoſceret utrumq;, & animam, quæ eſt natura, & finis motus naturalis?

Item, porrò autem quomodo hoc ſequatur quæro, ut ſi cognoſceret animã, quæ eſt natura & finis motus naturalis, nouiſſet omne intelligibile? nõ enim ſatis liquet; quo pacto id ſequatur, quod ſequi aſſerit.

SECTIO OCTAVA.

ADdit præterea unum aliud, quod non minorem affert mirationem. Inquit enĩ iſte homo: Porrò hic per philoſophiam intelligit Metaphyſicam, non ut ſexto Meta. ubi per philoſophiam intelligit omnes ſcientias ſpeculatiuas, cõtra quàm multi crediderunt. Proinde perperam uertit Theodorus, cum ait, præter philoſophiam naturalem nulla eſſet alia ſcientia: multisq; præbuit anſam dubitandi, exiſtimantibus quòd Ariſtoteles oẽs ſcientias de medio tolleret.) Dico igitur, hominem iſtum proferre ea, quæ à ueritate perſpicuè abhorrent, & ab Ariſtotelis ſententia diſſentiunt. etenim in dubium uenire non poteſt, quin ipſe Ariſtoteles intelligat per illa uerba philoſophiam naturalem, non Metaphyſicam: propterea quòd ille ſermo quem habuit de iſta re, eſt in philoſophia naturali, in qua erat dubium, an eſſet agendum de omni anima: ergo rationi conſentiebat, ut intelligeret philoſophiam naturalem. Præterea ipſemet ijs uerbis rem iſtam perſpicuam fecit dicens: Verùm de anima omni docere naturalis ſcientiæ interſit, negari igitur non poterat, quin intellige-

ret naturalem philoſophiam. Quare perſpicuum eſt, ipſum Theodorum rectè uertiſſe, quòd præter philoſophiam naturalem nulla eſſet alia ſcientia: quandoquidem aliter res illa in rem non conueniret. Tantùm igitur meo quidem iudicio, abeſt ut perperam uerterit illud uerbum Theodorus, ut aliter rectè uertere non potuerit. Quod erit facile intelligentia conſequi, ſi nos conſiderabimus uerba Ariſtotelis, quę citauimus. etenim dicere, per philoſophiam ipſum intellexiſſe Metaphyſicam, eſt & falſum aſſerere, & in rem non conuenientia. Non ergo (ut ego quidem opinor) Theodorus multis uidet̃ prębuiſſe anſam dubitãdi ac errandi, exiſtimantibus quod Ariſtoteles omnem ſcientiam de medio tolleret: quia ſi ratio Ariſtotelis non acciperetur in eam ſententiam, in quam diximus in ſuperioribus eam eſſe accipiendam: in controuerſiam uenire non poſſet, quin tolleretur omnis ſcientia. ſed ſi intelligatur, ut diximus, nihil abſurdi ſequi uidemus. quod etiam ſi ſequeretur, non fuiſſet errore ipſius Theodori, qui non poterat aliter uertere, ſed Ariſtotelis.

Neq; in rem conuenit afferre, Ariſtotelis ſextum Meta. per philoſophiam intellexiſſe omnes ſcientias: nihil enim ipſi cum re, de qua agebatur.

Præterea ſubdit: Porro alijs uerbis idem Ariſtoteles probauit ſexto Meta. ubi habet: ſi nõ alia eſſet ſubſtantia præter naturalẽ, prima philoſophia eſſet naturalis. Sed ꝑfecto arbitrari nõ poſſumus, unde iſte uenerit in errores tã mãifeſtos, et apertos, parcãt mihi Lectores, ſi neſcio me temperare, quin aliquibus uerbis quaſi cõtumelioſis aduerſus hunc hominem utar, nõ enim uideo quomodo fieri poſsit, ut aliquis uidẽs tot errores, temperet ſe: etenim tantũ mea quidẽ ſententia abeſt, ut Ariſtoteles fecerit hanc rationem ſexto Meta. uidelicet ſi non eſſet alia ſubſtantia præter naturalẽ, prima philoſophia eſſet naturalis, ut nihil minus excogitauerit: ut paulo pòſt oſtenſuros, paruo admodũ labore, nos arbitramur. Neq; uerũ etiam dixiſſet, ſi ſomniatus eſſet talem rationem: quia ſi nõ eſſet alia ſubſtantia præter naturalẽ, ſequutum fuiſſet, non dari aliquam ſcientiam de ſubſtantia, pręter ſcientiam naturalem, nõ quod prima philoſophia eſſet ob hoc naturalis, hoc eñ eſt ita clarũ, quàm quod clariſsimum. Pręterea non minus à ueritate, & à ſententia Ariſtotelis abhorret, quod dixit: Si eſt alia ſubſtantia præter ſubſtantiam naturalem, et alia anima pręter animam naturalem, & illam propriè cognoſceret naturalis, ſuperflua utiq; eſſet alia philoſophia, id eſt poſtnaturalis ſcientia. Etenim antecedens implicat contradictionem. quia ſi eſt alia ſubſtantia præter naturalem ſubſtantiam, & alia anima præter naturalem animam, fieri non poſſet, ut naturalis propriè cognoſceret illam: quia ſi propriè cognoſceret illam, non eſſet præter naturalem ſubſtantiam, & animam. etenim fieri non poteſt, ut aliqua ſcientia propriè cognoſcat aliquid, quod non attineat ad ipſam, & ei non ſit proprium: alioquin fieri poſſet, ut daretur tranſitus de genere in genus, quod à ueritate, & à ſententia Ariſtotelis alienum eſſe oſtendimus in ſuperioribus ex ipſiusmet uerbis Ariſtotelis.

Præterea ſi etiam eſſet uerum, quod daretur illa ſubſtantia, & illa anima: non ſequeret̃ ex hoc, quòd ſuperflua eſſet prima philoſophia: propterea quòd relinquẽretur ei ens quatenus ens, & ſuæ paſsiones, et decem prædicamenta, quia etſi prima philoſophia ſecernitur à Naturali principaliter per intellectus abſtractos: non ſequeretur ob hoc, quin ab illa ſecernatur per alia minus principaliter, ut dicemus. Quare falſum eſt quòd cõmodè inſtet̃: Si iſta ſubſtantia quę eſt intellectus: nõ eſſet in uniuerſa prima philoſophia: et Omnis philoſophia eſſet ſcientia naturalis, quia remaneret, ut diximus, ens quatenus ens, & eius accidentia, & decem prædicamenta: & remaneret etiam mathematica, quæ eſt philoſophia contemplatiua, quæ non eſſet naturalis. Non omnis ergo ſcientia eſſet naturalis.

SECTIO NONA.

Sed ut uideamus quàm longè iſte homo à ueritate, & à ſenentia Ariſtotelis diſceſſerit, & quàm parum ea quę dixit, in rem de qua loquimur conueniant, non 6. Meta. dubitabimus afferre uerba Ariſtotelis, quæ ſcripta reliquit ſexto Meta. ea eñ ſunt huiuſmodi: Si igitur non eſt aliqua altera ſubſtantia pręter eas quæ cõſtant natura, naturalis eſſet prima ſcientia. Non dicit ergo, quòd prima philoſophia eſſet naturalis, ut ſomniauit homo iſte: ſed dicit, quòd naturalis ſcilicet philoſophia eſſet prima ſcientia, quia eſſet perfectior, quę conſequentia probat̃ ſic: Quia ſeiunctis ſubſtan-

tiјs abſtractis à prima philoſophia, remaneret ſolum ens quatenus ens, & ſuæ paſ-
ſiones, & decem prædicamenta: ipſa uerò philoſophia naturalis contemplaret̃ cor-
pus cœleſte, & corpora alia uſque ad ſpecies ſpecialiſsimas, quæ ſunt perfectiora
quàm ens quatenus ens, & ſubſtantia quatenus ſubſtantia. ſubiectum ergo philo-
ſophia naturalis excelleret materiam conſideratam à prima philoſophia, ergo eſſet 6. Meta.
præſtantior, ex eis quæ dixit in eodem ſexto Meta. tex quinto. Hanc aũt noſtram tex. 5.
ſententiam luce clarius mihi uidentur oſtendere uerbas. Ariſtotelis quę ſequuntur,
ad hunc modum: Sed ſi eſt aliqua ſubſtantia immobilis, ipſa erit prior philoſophia “
prima, & uniuerſalis ſic, quia eſt prima. Quo in loco patet ipſum loqui de priorita- “
te perfectionis, & 11. Meta. tex. 26. addens hęc uerba, declarauit hanc rem: Si igit̃ na- “
turales ſubſtantiæ primæ omnium entium, naturalis quoq; prima ſcientiarũ erit. Si 11. Meta.
autem ſit alia quædam natura ſeparabilis, & immobilis: neceſſariũ eſt alteram ipſius tex. 26. “
ſcientiam eſſe: & priorem naturali, atq; uniuerſalem, quia prior. Quibus uerbis “
perſpicuè oſtendit Ariſtoteles, ſe uerbis citatis ex ſexto primæ philoſophiæ libro,
uoluiſſe dicere, quòd ſi nõ eſſent ſubſtantię abſtractę in rerum natura, futurũ fuiſſe,
ut philoſophia naturalis eſſet prima omnium in perfectione: quia ſi non eſſet altera
ſubſtantia præter ſubſtantias quæ natura conſtant, ſubſtantiæ naturales eſſent per-
fectiores. Quòd quidem uidetur declarare, cùm inquit: Si phyſicę ſubſtantiæ eſſent
perfectiores omnibus entibus, futurum fuiſſe ut philoſophia naturalis eſſet prima
omnium ſcientia. Sed ſi dentur ſubſtantiæ abſtractæ, non erit amplius philoſophia
naturalis prima: ſed erit prima illa, quæ abſtracta illa contemplabitur. Si ergo in 11.
Meta. dicat illud idem, quod in ſexto: & in xi, dicat: quòd ſi ſubſtantiæ naturales eſ-
ſent primæ, q; philoſophia naturalis eſſet prima: non uoluit ergo dicere in ſexto, q;
ſi non eſſet alia ſubſtantia præter naturalem, quod prima philoſophia eſſet natura-
lis, quare non uoluit etiam dicere ea quę homo iſte ſubſequutus eſt, ut oſtendimus.

Redargutiones igitur noſtrę uidentur uim manifeſtam (niſi fallamur) habere ad
uerſus ea quæ dixit homo ille.

Sed præter iſta, dicat mihi rogo, ad quid citauerit conſequentiam illam ex ſexto
Meta. profectò ſi rectè cõſiderabimus, futurum eſt ut intelligentia conſequamur,
eum citaſſe præter propoſitũ locum illum. Quid enim commune habent iſta, Si de
omni anima naturalis contemplaret̃, ergo de intellectu, ergo de intelligibili: Igitur
ſuperuacaneæ eſſent aliæ ſcientiæ & iſta, Si darentur aliæ ſubſtantiæ pręter natura-
les, philoſophia naturalis eſſet prima: Nihil profectò habent cõmune iſtę duę con-
ſequentię, ſunt enim omnino diuerſę: neq; aliquam inter ſe (ut mihi quidem uiden-
tur) habent ſimilitudinem. Non eñ ex eis quæ dicuntur ſexto Meta. ſequitur, quòd
non daretur niſi ſcientia naturalis: ſed ſequitur ipſam naturalem philoſophiam eſſe
primam in perfectione inter ſcientias, ſi non daren̄t aliæ ſubſtantiæ præter natura-
les. Sed quia dantur, ſequitur ipſam nõ eſſe primam. Intereſt igitur maximè inter ea
quæ dicta ſunt primo de Partibus, & quæ ſexto Meta. quare inania loquutus eſt
(mea quidem ſententia) iſte homo, & in rem non conuenientia.

Adiungit præterea ſupra cõmemorans hæc uerba: Verum ſi reperit̃ intellectus “
in actu, & illum cognoſcit naturalis per ſe ut ſcilicet eſt in actu, & prima ſubſtantia, “
ſuperflua eſt ſanè poſtnaturalis ſcientia.) Quæ uerba repugnant Ariſtoteli, & im- “
plicant contradictionem. Quia ſi reperitur intellectus in actu, qui ſit prima ſubſtan “
tia, Ariſtoteles uerbis citatis oſtendit non poſſe attinere ad philoſophiam naturalẽ
nam, ſi attineret ad philoſophiam, nõ eſſent uera quæ dicta ſunt ab Ariſtotele locis
citatis, quòd philoſophia naturalis ſi non daretur, alia ſubſtantia eſſet prima: quia ſi
etiam daret̃, eſſet prima. Implicat etiã contradictionẽ, dicere, dari intellectum actu
qui ſit ſubſtantia prima: et quod naturalis poſsit cognoſcere eum per ſe. Quia ſequi
tur, quòd nõ poſsit, ſi datur nullo modo pertinere ad naturalẽ. Præterea nõ ſeque-
retur, quòd ob hoc, ſi etiã fieri poſſet ut poſtnaturalis eſſet ſuperflua: ſicut non ſeque
batur ſi nõ daret̃, quia remaneret ens quatenus ens, et ea quæ diximus. ſingulis igit̃
uerbis ſingulos errores homo iſte proferre uidetur. “

Quod uerò ſubiungit hęc uerba: His ſic declaratis, iam patet, quòd ad naturalem “
non pertinet tractare de intellectu in actu per ſe, ſed per accidens, prout eſt lumen “
intellectus noſtri uel pars animæ noſtræ. atq; iccirco uani ſunt nonnulli, qui dicunt “

" librum tertium de Anima, medium eſſe inter poſtnaturalem & naturalem, uel po-
" tius ut ego (ſcilicet auctor ille dicit) dicere cõſueui, inter naturales eſt magis Theo
" logicus, quomodo docet Ariſtoteles medias ſcientias inter mathematicas eſſe magis naturales.) quę dicta non ſatis cõſtant, unde ex eis quę dicta ſunt oriantur. Non enim uidetur ex eis ſequi, non attinere ad philoſophum per ſe tractare de intellectu in actu per ſe: quia uerum eſt ad naturalem nõ attinere tractare de intellectibus q ſunt ſimpliciter in actu, id eſt de ſubſtãtijs abſtractis ſimpliciter, quæ ſunt intelligentię, ob eas rationes quas nos in ſuperiorib. recitauimus, & ut aſſerunt tex. Ariſtotelis allati. Sed falſum eſt, ut etiã declarauimus, ad ipſum naturalem non attinere, uerba facere de intellectu in actu, qui eſt intellectus agens: quandoquidem neceſſarium ſit, ut de eo agat particularis artifex: quia qui hominem contemplatur, & uult ipſius ſcientiam conſequi, cogitur cognoſcere eius cauſas omnes per ſe, ſed pręſertim proprias. cogitur ergo per ſe ſcire intellectum agentem, eſt ut em̃, declaraui in ſuperioribus, cum intellectu potentia forma hominis. Non igitur per accedens de ipſo agere potuit.

Præterea niſi naturalis per ſe ageret de intellectu agente, nulla ſcientia ageret de ipſo per ſe: eſſet ergo reiectus à contemplatione omniũ ſcientiarum. quod quidem eſt ita abſurdum, quàm quod abſurdiſsimum. Probatur conſequentia: quia mathematica ipſum non contemplatur, propterea quòd eſt ſubſtantia, et ipſe nullam ſubſtantiam contemplatur. De Aſtrologia autem diximus ſuprà, quomodo agat de ſubſtantia, non Metaphyſ. quia ipſa ſolum cauſas uniuerſales contemplatur, ut declarauit Ariſtoteles quarto Meta. tex. primo: & nos in ſuperioribus declarauimus. Alterum igitur duorum euenire neceſſe eſt: uel ut nulla ſcientia ipſum intellectum agentem contempletur, quod eſſe abſurdum perſpicuum eſt, uel ut attineat ad philoſophiam naturalem.

4. Meta 1

Si uerò dicas hunc intellectum agentem eſſe Deum, ita ridiculum eſt, ut nihil ſuprà poſsit: quod quidem luce clarius in ſuperioribus oſtenſum eſſe arbitramur, de ipſo enim egit in tertio de Anima, & nullibi præterquam in illo loco, nihil facere Deum ad noſtram particularem intellectionem, niſi quatenus cauſa uniuerſalis, eſt ita clarum ex ſententia Ariſtotelis, quàm quod clariſsimum. Præterea ſi eſt lumen intellectus noſtri: ergo attinet de ipſo agere in ea parte, in qua agitur de intellectu noſtro: ſicut de lumine ſolis, quod eſt lumen ſenſus uiſus.

3. de Anima

Item, ſi eſt pars animæ noſtræ: ergo ad ipſum naturalem ſpectat, per ſe de ipſo agere: quia ad eam facultatem, ad quam ſpectat totum, ſpectare omnes partes per ſe, ita eſt in promptu, ut nulla probatione indigere uideatur.

Illud uerò cum dicunt nonnulli, librum tertium de Anima eſſe medium inter naturalem & poſtnaturalem: reſpondemus hoc dicto ipſos præſeferre ignorationem philoſophiæ naturalis, & primæ Philoſophiæ. etenim ſi ipſas non ignorarent, eſſet ſibi notum, nullam rem eſſe mediam inter ipſas, ut ex illa arbore quam in ſuperioribus deſcripſimus, perſpici poſſe arbitramur. ſed quoniam in ſuperioribus longum de hac re habuimus ſermonem, ad eum locum me reijcio.

Illud ſolũ addo à ueritate maximè abhorrere, quod inter naturalia ſit magis Theologicus: quoniam fieri non poteſt, cum ſit ſubſtantia, & principium particulare, ut prima philoſophia ipſum (ut diximus) contempleť. Exemplum uerò rerum mathematicarũ quas dicit medias eſſe, in rem non conuenire, facile intelligentia conſequentur illi, qui ſciunt omnes facultates, quæ ſunt ſub Arithmetica & Geometria, conſtituti ex ipſis, et ex materia naturali, ut nos in quarto libro Apologiæ noſtrę declaraſſe exiſtimamus. quod non conuenire tertio libro de Anima in comparatione Methaphyſicæ, & philoſophiæ naturalis, perſpicuum eſt.

SECTIO DECIMA.

" EA deinde non uideň in rem cõuenire, quę ad hunc modũ ſcripta reliquit Portius: Patet igiť quòd nõ de omni, ſed de intellectu potentia agendũ ſit naturali. Etenim uerum eſt, ꝙ naturalis nõ agit de omni anima, primò quia nõ de anima corporũ cœleſtiũ, et agit de intellectu poſsibili: et de intellectu agẽte. Sed ratio Ariſtotelis quã citauit iſte ex primo de Partib. animaliũ probat ſolũ de intellectu potẽtię,

quia

quia probat de eo intellectu qui refertur ad intelligibile, quod non poteſt intelligi niſi de intellectu poſsibili, ſi rectè perpendatur: quæ ratio ſi eſſet uera, & concluderet, tantum abeſſet ut probaret, agendum eſſe à naturali de intellectu potentia, ut ſequeretur ex illa nullo modo cōuenire ipſi naturali uerba facere de ipſo intellectu potentia, quod quidem euertit ſententiam huius uiri. Perperam igitur loquitur, cū inquit: Patet, quod non de omni &c.

Addit poſtea: Neq; exiſtimandū eſt intellectū eſſe æternum, quia de eo loquitur in confuſo, quod eſt figmentū: apertè enim loquitur Ariſtoteles, ut diximus, de intellectu qui intelligit: ergo de poſsibili. Quod quidem perſpicuū eſt eſſe in rerum natura. in lib. enim de Partibus, qui præcedit librum de Anima (ut ex eis quę citata ſunt in ſuperioribus ex lib. 7. Polit.) nondum erat perſpicuū, dari intellectum agētem: quia liber de Partibus præcedebat ordine doctrinæ librum de Anima. Quomodo enim fieri poteſt, mihi dicas, quæſo, ut nos ſciamus dari hunc intellectum agentem niſi ex natura ipſius intellectus poſsibilis? profecto nullam aliam uiam reperiemus. etenim nulla nobis conſtat eſſe operatio ipſius, ex qua inferre poſsimus ipſum dari. Intellectū autem potentia dari omnibus conſtat, propterea quòd omnes in ſe ipſis experiuntur ſe intelligere, quæ eſt operatio illius intellectus. Subſtantias item abſtractas dari concluſum eſt: quia eius operatio, quod eſt maneri æterno tempore, dabatur. ſed non conſtat, nobis dari aliquam operationem intellectus agentis, quæ ei conueniat. Neceſsitas em̄ cogit, ut ſi putemus ipſum eſſe, cognoſcamus intellectū eſſe poſsibilē in pura potentia: & nō poſſe redigi ad actū, niſi ab aliq existente in actu. & hoc exiſtens in actu poteſt eſſe ſolum phantaſma, quia eſt ſingulare. Neceſsitas igitur cogit, ut ſit aliquid aliud actu, quod reddat illud phantaſma idoneum ad mouendum intellectum poſsibilem. & iſtud non poteſt eſſe, niſi aliquod ſpirituale, & aliqua pars animæ noſtræ (ut diximus in ſuperioribus) ad quem locum me reijcio. Ergo neceſſe eſt, quod detur intellectus agens: alioquin non moueremur nos ad cogitandum aliquid de intellectu agente. Quare in eo loco nō potuit Ariſtoteles loqui in confuſo: ſed ſolum oportebat loqui de eo intellectu qui erat perſpicuus. quia ſi per intellectum agentem intelligeret Deum, nihil ad propoſitum Ariſtotelis in eo loco, neq; intellectionis noſtrę (ut diximus in ſuperioribus) Deus eſt cauſa. quod ſi etiam loquutus eſſet de uniuerſa anima rationali, tamen nihil refert ad id de quo agitur.

Deinde ſubiungit hæc uerba Portius: Idemq; ſenſit Simplicius, cū dixit: quòd ad naturalem pertinet tractare de intellectu participato, quoniam ex eius ſententia, ut participat, & poſsibilis dicitur: deficit. Cui dicimus: Si Simplicius habeat alium ſenſum ab eo quem diximus, ipſum repugnare ueritati, & uerbis Ariſtotelis: ut rationes in ſuperioribus allatæ, & uerba Ariſtotelis ſatis clare hoc indicare uidentur.

Addit pręterea: Sed hoc quòd intereat, eſt uerum de intellectu diuino, et in actu: nam de intellectu potentia per ſe eſt munus philoſophi naturalis cùm ſit facultas animæ nobis indita. Quæ uerba uidentur cōtraria: uidentur enim innuere, intellectum diuinum interire. Crederem ego, ut fatear ueritatem, literam huius eſſe corruptam, quia error eſt nimium manifeſtus: niſi mihi uideretur iſte homo (pace eius dixerim) fortuitò ac temerè ſemper loqui. ſed ex eis quę dicta ſunt ſatis perſpicuum eſſe arbitror, hunc hominem ea aſſeruiſſe quæ in rem, de qua loquitur, non conueniūt, & ueritati & Ariſtoteli repugnaſſe, propriamq; uocē ignoraſſe. etenim nō ſatis cōſtare uidet̄, quare ipſe attulerit rationē Ariſtotelis ex primo de Partibus. quæ ſi aliquo modo ad rem pertineat, neceſſe eſt id euenire ob eam rem, quia uidetur concludere ipſam non attinere ad philoſophum naturalem. Ex quo uidetur ſequi, quod non ſit mortalis & corruptibilis. Sed hoc etiam non ſequeretur, quia multa compoſita attinent ad primam philoſophiam, quæ habent materiam primam. ex quo ſequitur, ut neceſſariò ſint corruptibilia. Sed iſte homo non reſpondet ad hoc, quia non uidetur intelligere quam uim habeat ratio illa quam attulit.

Pręterea nullam reſponſionem affert rationi, qua probauit Ariſtoteles intellectū non conſiderari à philpſopho naturali, quia ſuperuacaneæ eſſent aliæ ſcientiæ: etenim ſiue intellectus ſit materialis, ſiue non, nihil refert. cum enim ponatur intellige-

omnes intellectus potentia, quos tu opinaris eſſe multiplicatos, ſi eſt unus numero, ſequuntur omnia illa abſurda quæ dicebas ſequi unitatem intellectus potẽtia. ſi eſt, multiplicatus ad multiplicationem intellectus potentiæ: ergo eſt generabilis et corruptibilis. quod quidem tuam euertit ſententiam.

Item, ſi agens daret primum eſſe intellectui poſſibili, profectò uel crearet ipſum, uel educeret ex potentia materiæ. ſed neutrum horum efficere poteſt: ergo falſum eſt id quod aſſumptum eſt. Quod autem neutrum horum efficiat, perſpicuum eſt. etenim non eſt dicendum, ipſum carere: uia enim naturali, ex qua nunc loquimur, non datur creatio. neq; educit ipſum ex potẽtia materiæ: quia ignoratur quomodo hoc poſſit efficere, cùm ſit agens ſpirituale, nullam in ſe continẽs qualitatem actiuam. Quod ſi hoc fiat à generatione, ergo non fit ab intellectu agente: idẽ enim bis non fit. Quare quocunq; ſe uertat, meo quidem iudicio, homo iſte, ut iaceat eius ſententia neceſſe eſt.

Si uerò dicas, Quod eſt generans, quod educit ipſum ex potentia materiæ: ergo eſt ſicut ſenſus.

Probatur conſequentia: quia non eſt maior ratio unius quàm alterius. Ambo enim educũtur ex potentia materiæ. ſed primus actus ſenſus eſt à generatione, ergo primus actus ipſius intellectus potentiæ erit à generante: quod quidem eſt euertere ſuam ipſius opinionem.

Quum uerò ſubiungit: Iccirco philoſophus quum dixit, Sola mens extrinſecus "
aduenit, loquitur de intellectu in actu: quoniam omnis actus eſt ab extrinſeco. ab "
intrinſeco autem eſt nuda illa potentia. nec id dixit de ſenſu, quoniam primus actus "
eſt à generante, & ſolum ſentire extrinſecus ab ipſis ſenſibilibus. De intel- "
lectu ergo ait, ſolam mentem extrinſecus aduenire: quoniam om- "
nis eius actus prouenit, ut diximus, ab intel- "
ligibilibus, & ab intelle- "
ctu agente. "

FINIS LIBRI TRIGESIMIQVARTI
Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER TRIGESIMVSQVINTVS.

SECTIO PRIMA.

SED quanquam expoſitio huius uiri omnino (ut ego quidem opinor) talis eſſe uidetur, ut non ſit digna, quæ ab aliquo cõfutetur (etenim magis diſtare uidetur à uerbis & à ſentẽtia Ariſtotelis, quàm diſtet cœlum à terra) neceſſarium tamen eſſe duximus uerba Ariſtotelis in medium afferre, eaq; ipſa rectè (quantum in nobis erit) interpretatione explicare: quibus explicatis mirum uidebitur, quomodo fieri potuerit ut homines mẽte ac ratione præditi, in erroribus ita apertis, ita manifeſtis detineantur. Verba igitur Ariſtotelis *Explicatio 3. ca. 2. lib. de Gene. animal.* tertij cap. ſecũdi de Generatione animalium, ſunt huiuſmodi, quantum attinet ad hoc propoſitum: Sequitur, ut dubitemus, & cætera.

Cùm Ariſtoteles in ſecundo cap. egiſſet de natura ſeminis, & declaraſſet quibusnam eſſet ſemẽ, & quã ob cauſam non cõgelaſceret, inquit: Sequi ut dubitemus, et dicamus, ſi in ijs qui ſemen emittunt in fœminam, nulla pars conſtituendi cõceptus ſit, quod ſubierit: id eſt, ſi ſemen maſculi, quod emittitur in fœminam, non ſit pars conſtitutiua ipſius fœtus, uel conceptus: dubitatur, quónam uertatur ſua corpulentia. quia certè operatur facultate, quæ eſt in ipſo: remanet ergo eius corpulẽtia: quæ corpulentia ſi non conſtituat partem conceptus, ſicut probauerat: quærendũ quid faciat natura illius corpulentiæ. etenim dubium eſt, an euaneſcat, an foras exeat, an conuertatur in aliquod aliud membrum. Quæſtio ſatis conueniens eſt, cùm propoſuerimus, ipſum tamen ingrediens fœminam, nullam eſſe partem conſtitutiuam ipſius conceptus. Propoſita quæſtione dicta, antequam ſoluat ipſam, ſubiungit eſſe prius determinandum, utrum quod conſtituitur in fœmina, id eſt conceptus, accipiat aliquid ab eo quod ingreditur ipſam fœminam, id eſt ab eo ſemine maris, uel non accipiat. Et item eſſe determinandum de anima, qua animal dicitur, utrum inſit in ſpermate, & in conceptu, uel non exiſtat: id eſt, conceptus nunquid habeat animam, qua animal dicitur, uel non habeat, & unde habeat? Et quia dixerat hoc eſſe quærendum de anima, qua animal dicitur: aliquis potuiſſet dubitare, quæ eſſet illa anima, qua animal dicitur animal per interpoſitionem? Reſpondet dicens, animal eſſe animal ex parte animæ, quæ eſt ſenſitiua.

His poſitis, uidetur quaſi tacitæ hominum cogitationi reſpõndere, quæ quidem potuiſſet oriri ex eis quę dicta ſunt. aliquis em̃ potuiſſet dicere: Tu poſuiſti eſſe quęrendum, nunquid in conceptu & in ſemine reperiatur anima, qua dicitur animal, quæ eſt ſenſitiua: quare non quæſiuiſti, nunquid in ipſo eſſet etiã anima uegetatiua, quæ præcedit ipſam. Mihi, huic quæſtioni reſpondere uidetur, dicens: ſe hoc non quæſiuiſſe propterea quòd nemo poneret conceptũ inanimatum, & priuatum omnibus modis uita. Et reddere huius rei cauſam ſtatim uidetur, dicens: quia ipſi conceptus & ſemina animalium non minus uiuunt, quàm uiuant plantæ, & aliquandiu prolifica ſunt. ſi ergo nullus poneret plantas eſſe inanimatas, & omnibus modis uita priuatas, non ponet etiam conceptus & ſemina animalium inanimata, & omnibus modis uita priuata. Quare cùm non ſit obſcurum, conceptus animalium uiuere uita uegetatiua: nemo admiratione affici debet, ſi non propoſuimus hoc quęrendum de anima uegetatiua, ſed de ſenſitiua, quia manifeſtum eſt, ipſos conceptus habere animam uegetatiuam.

Cæterùm quia aliquis præter hæc potuiſſet quærere, quare neceſſe ſit iſtos conceptus prius accipere animã uegetatiuam, uel nutritiuam? Reſpondet ipſe, dicens: Cauſam uerò ob quam neceſſe ſit hos conceptus prius habere animam hanc uegetatiuam, manifeſtum eſſe ex eis quæ alibi determinauit de ipſa anima, id eſt in libro de Anima.

Procedentia autem.) Videtur in hac parte reſpondere quæſtioni propoſitæ, & innuere, conceptus ipſos ſtatim cùm ſint concepti non habere animam ſenſitiuam,

ſed

ſed procedente tempore accipere animã, quia dicuntur eſſe animalia. cùm primum
ergo concepti ſunt, habere uidentur animam uegetatiuam, ſed non ſenſitiuam: ſed
procedente tempore. Iſte modus loquendi, quo dicit, procedente tempore accipe
re animam ſenſitiuam ſignificat, quod primo tempore quo eſt conceptus, non ha-
bent ipſam, ſed poſteriori tempore eam accipere. Quo autem tempore eam acci-
piat, non declarat in hoc loco. Deinde innuit, quòd poſt animam ſenſitiuam pro
cedente tempore accipit animas ſpecificas. Innuere igitur uidetur tria tempora,
quibus conceptus habent has partes animæ: etenim primo tempore, uegetatiuam,
altero tempore ſenſitiuam, & tertio formas ſpecificas: quam quidem rem indicaſſe
uidetur, quum addit: Non enim ſimul fit animal & homo, neque animal & equus, «
ſimiliter autem & in alijs animalibus. Alioquin uerba illa non conueniſſent in rem. «

Poſtea probat, omnes ſpecificas poſterius generari, quàm genericas. & proba-
mus ſic: Etenim quod eſt finis, poſterius generatur: hæc enim propoſitio perſpicua
eſt, & eſt in textu: formæ ſpecificæ ſunt finis: ergo generantur poſterius. Probatur
minor: Quod eſt perſpicuum alicuius, eſt finis eius ipſius generationis. habito e-
nim quod eſt proprium alicuius, finis ipſius, nihil enim aliud quærit: formæ ſpecifi-
cæ ſunt proprię illorum, quorum ſunt formæ: hæc enim manifeſta eſt. ponunt enim
illas res in eſſe tali, ut differant ab omnibus alijs quæ non ſunt illa, ergo formæ ſpeci
ficæ ſunt fines. poſterius ergo generantur: niſi enim intelligeremus, ut diximus, de
tertio illo tempore, & de formis ſpecificis, uerba Ariſtotelis non eſſent ad propoſi-
tum, ut diximus. nihil enim opus fuiſſet dicere: nõ enim ſimul & animal fit & homo,
nec animal & equus, ſi aliter intelligere uoluiſſet. ſi ergo formæ ſpecificæ fiunt poſt
generationem generis, non poſſunt igitur fieri ſimul: etenim quod poſterius alijs
natura fit, non fieri ſimul cum illo perſpicuum eſt. ergo eſt uerum non fieri ſimul ani
mal & hominem, & animal & aſinum. In translatione Theodori Gazæ ſunt hæc
uerba: ſenſualem autem qua animal eſt, tempore procedente recipi, & rationalem
qua homo, certum eſt. Sed in textu græco Aldi non ſunt iſta uerba (Rationalem
qua homo) & mihi quidem uidentur ſuperuacanea, ut ex eis quæ ſubſequutus eſt
paulo pòſt, colligi poſſe arbitror: & uidetur etiam ſenſum obſcurare. non enim erat
opus eo in loco illis uerbis. ſatis enim fuit innuiſſe, formas ſpecificas poſterius fieri,
quàm genericas.

Quapropter de mentè quando & quomodo accipiunt, & unde. Quia dixerat
formam hominis ſpecificam, & formam aſini, & aliorum animalium poſterius fieri,
quàm formas genericas, propterea quod erant propriæ, & per id quod neceſſariò
ſequebatur, finis.

Subiungit, ob hanc cauſam oriri quæſtionem de mente, & ipſam explicat, dicẽs:
plurimum dubitari de mente, quando et quomodo accipiant, et unde ipſam, ſupple
accipiant, illa quæ participant hoc principiũ. Etenim hoc uidetur ex eo ſequi, quòd
dixerat formas ſpecificas poſterius fieri, ut anima hominis. Etenim meritò dubita-
ri poteſt, quo tempore accedat: & quia putabat ipſam eſſe alterius rationis ab alijs,
dixit etiam eſſe dubitandum, quomodo & unde accipiant ipſa ea quæ participant
huiuſmodi principium. & cùm dixit Ariſtoteles, ex dictis etiam dubitãdum eſſe de
mente, eo modo quo diximus: addidit, non ſolum dubitandum eſſe, ſed oportere ni
ti ex uiribus, ut accipiamus & intelligamus ea quæ dicta ſunt de mente, ſcilicet quo
tempore, & quomodo, & unde accipiant ipſam, quæ participant ipſam: quia hoc
non uidebatur ſibi hanc rem poſſe explicare ita perfectè, ut homines deſiderare ui
dentur. Addidit igitur ex uiribus, & quantum contingit declarari in huius materiæ
obſcuritate. Dixit autem oportere inniti: quia cogitur philoſophus naturalis, cuius
propoſitum eſt hominis ſcientiam conſequi, ſcire de mente ea quæ dicta ſunt, cùm
ſit hominis principium. alioquin obſcurum & imperfectum ipſius hominis cogni-
tionem tradidiſſet.

Vegetalem igitur.) Quum Ariſtoteles declaraſſet ſemina & conceptus habere
animam uegetalem, & procedente tempore ſenſitiuam, deinde animas ſpecificas:
hac in parte uidetur mihi tacitæ hominum cogitationi reſpondendo declarare,
quod iſta ſemina, & iſti conceptus habeant prius has animæ partes potentia, quàm
actu. & hoc, ne aliquis ex dictis in errorem raperetur, exiſtimans conceptus, cùm
primum

primum ſunt, habere animam in actu. Vnde inquit ſtatuendum eſſe, ſemina & conceptus habere animam uegetalem potentia: dico conceptus, uidelicet nondum ſeparatos. (ut habet tex. Theodori, & rectè meo iudicio: quia tex. Græcus, qui habet ſeparatos, nō rectè uidetur dicere, ut ex eis quæ paulo pòſt dicētur, erit perſpicuū.) Ponēdum igitur eſt hoc, conceptus uidelicet antequam ſint ſeparati & diſtincti, habere animam uegetalē in potentia, non actu, priuſq́ trahant nutrimentum, & faciāt opus illius animæ, id eſt non habent animam actu, niſi poſtquam incipiūt nutriri. Et hoc eis accidit, quando ſunt ueluti ſeparati & diſcreti, non quòd reuera ſint ſeparati omnino à corpore: ſed quādo accipiunt nutrimētum, dicuntur eſſe ueluti ſeparata, quia quaſi faciunt opus eorum quæ uerè ſunt ſeparata, quia augentur & nutriūtur.

SECTIO SECVNDA.

» PRincipio enim hęc omnia.) Explicatis his quę dicta ſunt, Ariſtoteles uidetur inferre ordinem, quo cōceptus uidetur recipere animę partes. & facit hoc ut poſſit mouere quaſdam quæſtiones ex iſtis partibus animæ, quas neceſſariū eſt diſſoluere, ſi uolumus perfectam harum rerum cognitionem cōſequi. Vnde inquit: Principiò enim hæc omnia, uidelicet ſemina & cōceptus uidentur uiuere ſtirpis uitam. ſed conſequenter ad hanc dicēdum eſt de anima ſenſitiua, & de anima intellectiua, ſicut dictum eſt de uegetatiua, dicendum eſt ipſa uiuere. Poſtremò ſicut dictum, quia neceſſarium eſt (inquit Ariſtoteles) omnia iſta quæ recipiunt has partes animæ, habere ipſas prius potenria quàm actu, id eſt, quod prius carent ipſis, & ſint in potentia ad illas recipiendas, quàm actu illas habeant & recipiant. Datur ergo aliquod tempus, in quo non habent illas animas, & deinde illas recipiant, et quod conſequantur ipſas poſt uegeratiuam, ut dictum eſt.

Neceſſarium autem.) Cùm explicaſſet Ariſtoteles, ſemina & conceptus habere animi partes, & quo ordine ipſas habeāt: & declaraſſet, quod prius habent ipſas potentia quàm actu: ex his uidetur inferre unam quæſtionē, quæ eſt omnium difficilliſſima, quæ planè huiuſmodi uidetur eſſe. quaſi dicat: Si conceptus habent has animæ partes, & prius eas habeant potentia q̃ actu, neceſſitas cogit, ut omnes iſtæ animæ partes fiant in iſtis, cùm prius non exiſterent ipſæ, in rerum ſupple natura: uel quòd fiant in huiuſmodi, cùm prius exiſterent in rerum natura, licet non eſſent in iſtis, uel aliquas quidem partes exiſterēt prius, aliquas uerò prius non exiſterent, & fierēt in materia non ingredientes per ſperma ipſius maris, id eſt fierēt in materia, quod non ducerētur à ſpermate maris, uel fierēt in materia delatæ à ſpermate maris. uel etiam neceſſarium eſt aut omnes extrinſecus ingenerari in materia, aut nullā extrinſecus ingenerari: uel aliquam extrinſecus, & aliquam non. Hæ quæſtiones oriuntur, cùm neceſſarium ſit ut illa quæ habent has animæ partes, prius habeant ipſas potentia, deinde actu.

» Quod quidem igitur nō poſſibile eſt.) Poſitis quæſtionibus dictis, mihi quidem uidetur ipſe in hac parte uelle ipſas diſſoluere. & primò inquit, fieri nō poſſe, ut omnes animæ partes, antequam cōceptus & ipſas participantia habeant, prius exiſtāt. Ex ijs rationibus manifeſtum eſſe, & afferre uidetur rationes hoc modo: Illa principia quæ non poſſunt eſſe ſine corpore, nō poſſunt extrinſecus accedere. hanc uidetur tacere: ſed illa principia, quorū principiorum actio eſt cū corpore, ſunt illa quæ non poſſunt eſſe ſine corpore: ergo illa principia quorū actio eſt cum corpore, non poſſunt extrinſecus accedere. Minorem propoſitionē uidetur ponere in tex. & declarat ipſam exemplo ipſius ambulare, dicens, fieri non poſſe ut aliquis deambulet ſine pedibus, quia actio talis eſt ſemper cum corpore. Ponit concluſionem, cùm inquit: Itaq; extrinſecus ingredi impoſſibile eſt. Deinde uidetur probare maiorem, uidelicet quod illa principia quæ non poſſunt eſſe ſine corpore, non poſſunt etiam extrinſecus accedere hoc modo. Si enim poſſent extrinſecus accedere, uel per ſe ſeparatæ accederēt, uel cum corpore: hoc enim neceſſarium eſſe perſpicuum eſt. ſed fieri non poteſt ut per ſe accedant, neque cum corpore: ergo fieri non poteſt ut extrinſecus accedant. Poſuit oppoſitum conſequentis: et primò probat primam partem, dicens, Illud quod nō eſt ſeparabile à corpore, non poteſt per ſe accedere, eſſet enim ſeparabile à corpore. hanc tacet: ſed illa principia quæ nō poſſunt eſſe ſine cor

pore,

pore, nõ ſunt ſeparabilia à corpore. hanc ponit: Ergo nõ poſſunt per ſe accedere. ꝙ erat primariò dicta. Quod aũt cum corpore nõ poſſint accedere, quæ erat ſecunda pars oppoſiti cõſequẽtis, oſtendit hoc modo: quia ſi cũ corpore accederẽt, accederẽt maximè cum ſpermate: nõ enim aliud corpus ingredit̃ fœminã, niſi ſperma: ſed non accedunt cum ſpermate: ergo non accedunt cum corpore. has omnes tacet: tamen neceſſe eſt ſic ordinare, alioquin nihil probaret. Quod aũt non accedant cum ſpermate, oſtendit hac ratione: quia ſi accederẽt cum ſpermate, ſperma eſſet animatum ijs partibus animæ. patẽt enim hæc. Etenim nõ poſſet ferre animam niſi anima eſſet in ipſo. ſed ſperma non eſt animatũ: ergo non fert animam. Quod aũt ſperma non ſit animatum, probat hoc modo: Excrementum nutrimẽti mutati, non eſt animatum: ſperma enim eſt excrementum nutrimenti mutati: ergo ſperma non eſt animatum, ergo nõ fert animam. Minorem ponit, quæ eſt perſpicua ex eis quæ in ſuperioribus dixerat de ſpermate. ſequitur ergo, quod neq; per ſe, neq; per corpus partes illæ animæ poſſunt extrinſecus accedere. Maior ergo eſt clara, quod illa uidelicet principia quæ nõ poſſunt eſſe ſine corpore, nõ poſſint extrinſecus accedere. Ex quo poſtmodum ſequitur cõcluſio dicta, quod illa principia, quorum actio eſt cum corpore, non poſſunt accedere extrinſecus.

Quod ſi ita eſt, ſequitur, quod illa principia, quorum actio eſt ſine corpore, id eſt ſine inſtrumento corporali, poſſint extrinſecus accedere. hoc enim eſt cauſa, quare aliqua principia nõ poſſint extrinſecus accedere, quia eorũ actio eſt cũ corpore, id eſt cũ inſtrumẽto corporali, ut ambulare cũ pedibus. Si ergo actio eſt ſine corpore, poterũt ergo extrinſecus accedere. Sed inter principia & partes animæ ſolius mentis actio eſt ſine inſtrumento corporali: reſtat ergo ut inter partes animæ ſola mens extrinſecus accedat: ergo ſola diuina eſt. Ponit concluſionẽ, & alteram propoſitionem ponit, cùm inquit, Eius actio corporalis non communicat cum actione ipſius: quod idẽ eſt ac ſi diceret, eius actio non cõmunicat cum inſtrumento corporali, id eſt non utitur inſtrumento corporali. Hanc aũt non probat: quia hic non erat locus probãdi. ſed in tertio de Anima tex. ſexto (ut diximus in ſuperioribus) probauit eo modo quo diximus.

Ex quibus omnibus dictis ſequitur ſolutio propoſitarũ quęſtionum. Etenim illę 3. de Anim. tex. 6.
partes quæ extrinſecus non accedũt, non poſſunt, anteq; ueniant in conceptũ, præexiſtere: qa ſi præexiſterent, neceſſe eſſet ut ueniãt extrinſecus: non enim ex potẽtia corporis proficiſci poterant, cum antè actu pręexiſtebant. ſequitur ergo, quod non omnes præexiſtebãt. Sed aliquas quidẽ non præexiſtebãt, ut ſunt illæ quæ utebant̃ inſtrumẽto corporali. aliquas aũt pręexiſtebant, ut erat mens, quę ueniebat deforis. Vnde ſequitur, non oẽs, cùm non eſſent prius, fieri in corpus: quia mẽs antè exiſtebat. & ſequitur etiã, ipſas non ingredi cũ ſpermate maris: quia nõ eſt animatum: ſed aliquas educi ex potentia corporis, qui prius non exiſtebant: neq; extrinſecus accedere poterant, quia per ſe accedere non poterant: neq; per ſperma, quia non eſt animatum, ſed eſt excremẽtum. & manifeſtum eſt ex hac ſolutione, non omnes extrinſecus accedere: ſed aliquas quidẽ extrinſecus accedere, ut mẽs: aliquas uerò non, ut ſenſitiua, uegetatiua, & nutritiua. & ſimul uidentur eſſe manifeſta illa tria, quæ propoſuerat de mente uidelicet quando illa quæ ipſa participant, accipiant ipſam: quia hoc euenit, poſtq; acceperunt uegetatiuã, nutritiuam, & ſenſitiuam. quam rem uidetur declaraſſe etiam 7. Polit. loco in ſuperioribus citato. Et manifeſtum eſt unde ipſam accipiant, quia accipiunt eam extrinſecus: & quomodo, quia accipiũt eam per 7. Polit.
ſe accedentem, & non per inſtrumentum corporale: & accipiunt ipſam poſtquam non habebant in actu, neq; in potentia materiæ, ſed erant tantum apta nata, poſtq; erant diſpoſita per alias formas præcedentes illam recipere, & per modũ ſuſcipientis uatis & recipientis aliquod extrinſecus aduenſens, ita ut ex illo non eliciantur.

Item perſpicuũ eſt ex hoc loco, omnino ipſum ponere mentẽ immortalem, quia ponit ipſam extrinſecùs accedere: quia ſi eſſet mortalis, penderet ab organo corporali, & ita non poſſet accedere extrinſecus, quia non eſſet ſeparabilis: neq; poſſet creari, quia iſta creatio ex uia ſenſuum non habetur. Et ita patet, quod eſt ſeparabilis à corpore: quia ſi nõ eſſet ſeparabilis, uteret̃ organo corporali, quod ſi accideret, non accederet extrinſecus, ſicut dixit de uegetatiua.

Perſpi-

Perſpicuum etiam eſt, ipſam eſſe immortalem: quia ponit ipſam ſolam eſſe diui-
nam: & hoc ponit, quia non utitur organo corporali. & quum non utatur organo
corporali, ſola ipſa inter partes animæ, quæ ſunt in nobis, non eſt mixta cum corpo
re: & ſi nõ eſt mixta cum corpore, ſequitur, quod ſit ſola diuina inter partes animæ,
8. Phyſic. quæ ſunt in nobis. etenim diuina non ſunt mixta cum corpore, ut patet 8. Phyſ. Iſta
ſola non eſt mixta cum corpore: ergo eſt ſola diuina. & eſt ſola diuina ob hanc cau
ſam, ergo eſt immortalis: quia nullam aliam ob cauſam diuina ſunt immortalia, niſi
quia non ſunt mixta cum corpore. Ex quibus omnibus perſpicuũ etiã eſt, hanc de-
monſtrationẽ habere uim illam, quã habet demonſtratio illa quam tangit in tertio
3. de Aïa. de Anima tex. ſexto. quam explicauimus in ſuperioribus. Quomodo autem oſten
tex. 6. datur ipſam non uti inſtrumento corporali, ex eis quę dicta ſunt in ſuperioribus, ſa-
tis perſpicuum eſſe arbitror, ad quem locum lectores reijcio.

Iſtæ uerò conſequentiæ, quę uidentur eſſe à deſtructione antecedentis ad deſtru
ctionem conſequentis, uim eam uidentur habere, quam habet illa quam poſuit pri-
1. de Ani. mo de Anima tex. 13. ad hũc modum. Sunt enim huiuſmodi: iſtæ enim animæ utun
tex. 13. tur in actione ſua organo corporali, ergo non poſſunt eſſe ſine corpore, non poſ-
ſunt igitur extrinſecus accedere. & iſtę non utũtur organo corporali in actione ſua.
» ergo extrinſecus excedunt. Si quid igitur animæ operum aut paſſionum eſt propri
» um, continget ipſam ſeparari. ſi uerò nullum eſt proprium, nõ erit utiq; ſeparabilis.
1. Poſt. cap. 12. & illa quam poſuit primo Poſt. cap. duodecimo, ubi dixit: Quare non reſpirat pa-
ries? dixit, quia non eſt animal. ſi enim hoc non reſpirandi cauſa eſt, oportet eſſe ani
» mal cauſam reſpirandi: ut ſi negatio eſt cauſa ipſius non eſſe, affirmatio eſt eſſe. ſicut
» ſi ſine menſura calida & frigida non ſanandi cauſa eſt, quia cum menſura eſſe cauſa
» eſt ſanandi. ſimiliter autem, ſi affirmatio eſt ipſius eſſe, & negatio ipſius non eſſe: in
» ijs autem demonſtratis, quod dictum, non contingit: non enim omne animal reſpi-
» rat. Quare patet hæc eſſe uera in cauſis proprijs, quę proprię ſunt cauſæ effectuum:
& uti inſtrumento corporeo, eſt ſignum proximum, quòd aliquod non poſſit ex-
trinſecus accedere: ergo non uti inſtrumento corporeo, erat ſignum. quod aliqua
pars animi poſſit extrinſecus accedere. hanc enim conſequentiam meo iudicio ui-
ſus eſt feciſſe Ariſtoteles, quæ uim eam habere uidetur, quam habẽt illæ quas attu-
limus.

SECTIO TERTIA.

EX eis ergo quæ dicta ſunt, perſpicuè patet, hunc hominẽ à ſentẽtia Ariſtotelis
longè diſceſciſſe: quippe qui dixit, iccircò Ariſtotelem ſtatuiſſe ſolam mentem
deforis euenire (loquens de intellectu in actu) quoniam omnis actus eſt ab extrin-
ſeco. quia Ariſtoteles loquitur de ſubſtantia intellectus, quæ eſt in homine: & intel
ligit de intellectu eo modo, quo in ſexto tex. tertij de Anima. etenim quęſiuit, quan
do ueniat in hominem, & quomodo ueniat, & unde ueniat. Alienum igitur eſſet lo
qui de actu, quod eſt extrinſecus, ac prorſus ridiculum uideretur: niſi hoc magis ri-
diculum ſit, uelle aduerſus aliquem diſputare, qui locum eum qui allatus eſt, ita ex-
plicare conetur, quaſi uelit exponere illum locum intelligi aliter, quàm de ſubſtan-
tia intellectus poſſibilis. Nam ignoſcant mihi uiri excellentes, qui in aliam ſen-
tentiam diſceſſerunt, non mihi uidentur digni ut contra eos diſputationem inea-
mus. qui enim non uidet de quo loquatur eo in loco Ariſtoteles, non uidebit (mea
quidem ſententia) an dies ſit uel non, an nix ſit alba uel non: etenim homo huiuſmo
di non minus indiget intellectu, quàm illi ſenſu. Quis enim mentis compos, aduer-
tens quæſtiones propoſitas ab Ariſtotele, & earum diſſolutiones quas interpretati
ſumus, audeat explicare illa uerba, ſolam mentem deforis uenire, quoniam omnis
actus ab intelligibilibus exterioribus, & ab intellectu agente prouenit? Certè ne-
mo, ut dicemus.

3. de Anim. Quod autem ratio Ariſtotelis non ſit probabilis, perſpicuum eſt: cùm ſit eadem
tex. 6. atq; illa quam poſuit in tertio de Anima, tex. 6. & perſpicuum item ſit ipſam eſſe ne-
ceſſariam.

Præterea quomodo fieri poteſt, ut iſte hòmo protulerit iſta uerba: Tota eius eſ-
ſentia, totum eſſe nobis accidit extra genituram, eiuſq; cauſa eſt lumen diuinum, &
magi-

magiſter ordinans phantaſmata: etenim ex hoc ſequitur, quòd eſſentia intellectus ſit à phantaſmate.

Item, ſicut materia, licet ſit in potentia pura ad omnem formam materialem, eſt tamen aliquo modo in actu per aliam formã, alioquin nõ poſſet recipere aliam formam: nõ enim eſſet actu, & non eſſet neceſſe quòd in generatione ſubſtantiali (ut ita dicam) aliquid corrumperetur. Ita intellectus poſsibilis, licet ſit pura potẽtia in natura, & in potentia ad recipiendum omnia intelligibilia: eſt tamen aliquo modo actu per formam dantem ei eſſe actu, quæ forma (ut dictum eſt in libris ſuperioribus) intellectus agens eſt: ergo falſum eſt, quod ante ipſum intelligere nullum habeat actum: quia aliquo modo eſt in actu, ſicut materia prima. habet enim actum primum intellectus poſsibilis à ſua forma, actum uerò ſecundum ab ipſis phantaſmatibus, mediante intellectu agente, ſicut lumine.

Neq; hoc repugnat Ariſtoteli 3 de Anima, ubi dixit, Quare neq; ipſius eſt eſſe 3.de Anim.
naturam quandam, neq; unam niſi hanc, quod poſsibilis eſt, quod uocatur animæ 5.
intellectus. quia concedimus nos, quod ſit pura potentia. Cũ hoc tamẽ ſtat, quod
habeat aliquem actum quando recipit formas illas, ad quas antequã recipiat, eſt in
potentia. quod enim eſt actu, non poteſt mouere quod non eſt in rerum natura:
neceſſe ergò fuit, ut intellectus eſſet aliquo modo in actu. Nã dicimus, quòd quan- 3.de Aĩa.
tum attinet ad naturam ſuam, neceſſarium eſt, ut intellectus poſsibilis ſit pura po- tex.4 & 5
tentia: & ob hoc neceſſarium eſſe, ut habeat formam ſibi dantẽ eſſe actu. ſed quan
tum attinet ad eum ratione ipſorum intelligibilium, neceſſe eſt ut ſit actu aliquo
modo: alioquin non poſſet moueri ab eo quod eſt actu. neceſſe tamen eſt ut non
ſit actu aliquod ens, quod intelligit, ſed ſolum in potentia ad illam. Quare dixit
Ariſtoteles in eodem tex. Dico autem intellectum, quo opinatur & intelligit ani- "
ma, nihil eſt actu eorũ quæ ſunt, antequam intelligat. Quare ex eis quæ dicta ſunt 3.de Anim.
in ſuperioribus, in explicatione demonſtrationis, quam fecit Ariſtoteles in deci- tex.5.
moſeptimo tex. tertij de Anima, ſequitur duplicem eſſe potentiã intellectus, quarum una eſt ad exiſtendum in natura, altera ad formas recipiendas. & hæc dicuntur propter phantaſiam, quæ uidetur & ipſa recipere oppoſita: & tamen non eſt in pura potentia in natura. eſt tamen in potentia ad formas quas recipit, quia eis caret naturaliter. materia uerò prima cognoſcitur eſſe in potentia, quia recipit formas omnes ſubſtantiales & diuerſas: & cognoſcitur quod ſit in pura potentia, ita quod nullum habeat actum: quia formæ quas recipit, dant ei eſſe. quod nõ accidit intellectui poſsibili: quia formæ quas recipit, non dant ei eſſe. Quare non poſſumus ex earum receptione probare, ipſum eſſe in pura potentia in natura, ſed eſſe in potentia tantum ad illas recipiendas. ſed ex hoc quod recipit eas quæ ſunt uniuerſales, ad quas erat in potẽtia, cognoſcimus poſtmodum ipſum indigere intellectu agente: ex hoc uerò, quod indiget intellectu agente, cognoſcimus quod eſt in pura potentia in natura, quia neceſſe eſt ut ſit ei intrinſecus, ut declarauimus ſuprà, ad quem locum me reijcio. Quod non accidit phantaſiæ: non ergo eſt in pura potentia, ut dixit iſte homo, antequam intelligat: quia habet aliquem actum, eſt enim actu per ſuam formam.

SECTIO QVARTA.

ITem Ariſtoteles, probat ſolam mentẽ inter partes animi extrinſecus accedere, atq; ſolam ipſam diuinam eſſe: quia nulla actio corporalis communicat cũ eius actione: id eſt, quia ipſa in operando non utitur inſtrumento corporali, cum eius operatione nõ operatur corpus. igit̃ non habet inſtrumentũ corporale: quia ſi haberet inſtrumentum, operaretur cum actione ipſius intellectus. quod non facit ob cauſam dictã in ſuperioribus: etenim cùm operatur anima ſenſitiua, operatur etiã eius organum, quia in ipſo fit illa actio: ergo non poteſt eſſe uerum, ut intelligat ſolam mentem extrinſecus euenire: quoniam omnis eius actus prouenit ab intelligibilibus exterioribus, ab intellectu agente. non enim hæc eſt ratio, quare ita dicat: ſed quia non utitur inſtrumento corporali, non igitur in rem hanc conuenit eius explicatio.

Præterea quòd actus eius proueniat ab intelligibilibus exterioribus, & ab intel-

tel-

tellectu agente, non ſequitur ſolam ipſam extrinſecus accedere: niſi quatenus ipſa indigens intellectu agente, ſignum eſt quod nõ utatur inſtrumento corporali eo modo quo diximus ſuprà, ergò fruſtra hic reddit illam cauſam.

Item, cũ ex operatione mentis, quod eſt intelligere ſine organo, oſtendat mentem uenire deforis, ut perſpicuum eſt, ſi per mentem intelligat operationem mentis, qua intelligit, & non ſubſtantiam mentis: ergo per intelligere, oſtendit intelligere. quod quidem eſt ita abſurdum, quàm quod eſt abſurdiſsimum.

Item, operatio non habet operationem, ergo non poteſt oſtendi operatio ex operatione. conſequentia perſpicua eſt: non ergo propoſitum fuit ſibi oſtendere mentem operantem.

Item, ſermo Ariſtotelis non loquitur de operationibus ſed ſubſtantijs rerum: ergo perperam dixit. Antecedens patet ex eis quæ dicta ſunt.

Item, ridiculum etiam uidetur quod addidit, Theodorũ Gazam optima ratione tranſtuliſſe mentem, non intellectum, cùm intellectus potentia unà cum homine generetur. mens autem quæ ſignificat intelligentiam in actu, ſola extrinſecus ueni-
3. de Anim. at. etenim tertio de Anima fere ſemper (ut patet tex. quinto et in alijs, quo in loco
tex. 5. loquitur de intellectu poſsibili) uſus hoc nomine νοῦς, ſicut in eo loco: non ergo hoc fecit optima illa ratione, quam dicit iſte: ſed fecit hac ratione, quia mens & intellectus idem ſignificant.

Eſſet enim quærendum ex hoc homine, unde nam didicerit illam differentiam, uidelicet inter mentem & intellectum. etenim eſt hominis ſine ratione loquentis uaticinatio.

Quod uerò omnes neruos contendit homo iſte, ut declaret, nomen diuinitatis conuenire etiam eis ex ſententia Ariſtotelis, quæ non ſunt æterna, eum fruſtra laborare opinor. Nam & ſi Ariſtoteles multis in locis corruptibilia, quæ ſunt perfectiora, diuina appellet, propterea quòd diuinæ perfectioni ſunt propinquiora: tamen ea, quæ dicit non pertinent ad hunc locum, propterea quòd Ariſtoteles inquit ſolam mentem eſſe diuinam. non enim dixiſſet ſolam eſſe diuinam, ſi fuiſſet illius ſententiæ, quam dicit homo iſte: ipſa enim uegetatiua & ſenſitiua, ratione habita ad formas imperfectiores, ſunt & ipſæ diuinæ. ſed dixit, ut patet, ſolam eſſe diuinam inter partes animi quas enumerauerat: quod non poteſt intelligi, niſi quia ipſa eſt æterna.

Cõfirmatur: quia ratio quæ probat ipſam eſſe diuinã, probat æternitatem: ergo uult quòd ſit diuina, quia æterna. Probaĩ antecedens: quia eſt iſta, ipſa ſola, nõ utitur organo corporali: ergo ſola uenit deforis, atq; ſola eſt diuina. Probatur conſequentia: quia ſi non utitur organo corporali in ſui actione, ergo nõ eſt mixta cum corpore. ſi nõ eſt mixta cũ corpore, ergo non educitur ex potentia materiæ: eſt igitur diuina uerè. abſtracta enim ideò dicunĩ diuina, quia nõ educuntur ex potẽtia materię. Sententia igitur Ariſtotelis fuit, ipſam mentẽ inter alias animi partes eſſe diuinam, quia abſtracta à materia Et hoc demonſtrauit, quia corporalis non com-
10. Ethic. municat cum eius actione. Quæ uerò citat ex decimo lib. Ethic. ſententiam ſuam euertere, perſpicuum eſſe arbitror ex ſuperioribus libris, in quibus citauimus eadem Ariſtotelis uerba, oſtendimusq; ipſa eſſe afferenda in contrariam ſententiam: ad quos libros nos reijcimus lectorem.

Præterea in eodem capitulo tertio, luce clarius epilogando Ariſtoteles indicare uidetur, ſe intellexiſſe de ſubſtantia animæ, in eodem capitulo. inquit enim: De anima, quemadmodum conceptus & genitura habeant eam, & quemadmodum non habeant, definitum iam eſt. potentia enim habent, actu autem non habent. Quæſtio enim fuit propoſita, utrum in ſemine & in conceptu ineſt anima, an nõ? & inde reſponſio, ergo debet eſſe de ſubſtantia animæ. quando ergo loquitur de opere animæ? perperam igitur loquutus eſt iſte homo, explicans tex. dictũ eo modo quo fecit.

SECTIO QVINTA.

3. cap. 2. de Gẽ. anim. QVod autem attinet ad interpretationem eorum uerborum, quæ in eodem capitulo 3. ſcripta reliquit Ariſtoteles ad hunc modum: Corpus autem genituræ, in qua ſemen animalis principij contentum una prouenit, partim ſeparabile à cor-

à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt quæ mens appellatur, "
partim ſeparabile, hoc inquam geniturç ſemen diſſoluitur, uerſumque in ſpiritum e- "
uaneſcit, cum naturam humidam aquoſamque habeat. Quod inquam attinet ad ho
rum explicationem, apertè pugnare cum ſua ipſius ſententia homo iſte mihi uide-
tur. Etenim poſt multa quæ in rem conuenire minimè uidentur, inquit: Proinde, "
conſonum erit uerbis philoſophi, ſi dixerimus mentē non ea ratione eſſe ſeparabi "
lem, quia non continetur in ſemine, ſed dici ſeparabile, quoniā eius actio nō com- "
municat cū actione corporea: hoc eſt, ut explicauit libro tertio de Anima, non uti- 3. lib. de
tur organo, nec eſt calida aut frigida. Hic enim ſenſus, mentē eſſe in potentia in ſe- Anim.
mine, ac generari in corpore, & eſſe ſeparabile, adridet uerbis Ariſtotelis. Nam ſi "
dicitur mentem eſſe ſeparabilem, quia eius actio nō communicat cum actione cor
porea, id eſt non utitur organo corporali, igitur non eſt mixta cum corpore: ergò
non eſt mortalis, quia omnis forma quæ perit, interit ex interemptione corporis.
ergo pugnat cum ſua ipſius ſententia: ſi enim fieri poſſet, ut aliquod quod non eſt
mixtum cum corpore, & eſt ſeparabile à corpore, interiret, ergo formæ cœleſtes
non poſſent oſtendi eſſe æternas. Etenim nulla alia ratione ipſas nō eſſe interi-
turas perſpicimus, quàm quòd non ſunt mixtç cum corpore, & dicuntur ſeparari à
corpore ob hanc cauſam. Perſpicuum igitur eſt, hunc hominem ſuam ipſius ſen
tentiam conuellere.

Item, Hoc dictū deſtruit demonſtrationē Ariſtotelis tertij de Anima tex. 6. Ipſe 3. de Ani. tex. 6.
enim arguit ſic, (ut iam toties diximus:) Intellectus non utitur organo, ergo non
eſt mixtus cum corpore: quia ſi eſſet mixtus, uteretur organo, ſicut ſenſitiuum. ipſe
autem concedit intellectum non uti organo, & tamen dixit ipum mixtū eſſe cum
corpore: quia ponit ipſum oriri ex corpore, & interire ad interitum corporis.

Item concedit, quòd eſt ſeparabilis à corpore: & tamen uult ipſum eſſe mixtum
cū corpore eo modo quo diximus: quæ omnia inter ſe pugnare, manifeſtiſſimè ap
paret. Iſta enim reciprocant. Intellectus eſt ſeparabilis à corpore, ergo non eſt mi-
xtus cum corpore: quia ea quç ſunt mixta cum corpore, ſunt inſeparabilia, & è cō
trario. hoc enim perſpicuum eſt ex eis quæ dicta ſunt in ſuperioribus. Et hoc
item oſtendit Ariſtoteles 3. de Anima, tex. 7. quo in loco reddit rationem quare 3. de Anim. tex 7.
ſenſus nō poteſt ſentire ex ualde ſenſibili, ut ſonū ex magnis ſonis: ſed intellectus
cùm intelligat aliquod ualdè intelligibile, non minus intelligit infima, ſed magis.
ſenſitiuum autem, inquit, non ſine corpore, intellectus autem ſeparabilis. Quod
dictum nō poteſt probari, niſi hoc modo: Intellectus nō utitur organo corporali,
ergo non eſt mixtus cum corpore, eſt igitur ſeparabilis à corpore: non patitur igi-
tur, ſicut ſenſus. conuertuntur enim non mixtum cum corpore, & ſeparabile à cor
pore. Pugnet igitur iſte homo cum ſua ipſius ſententia, & cum Ariſtoteli.

SECTIO SEXTA.

Pergit deinde ſomnia proferre, dum interpretatur etiā tex. 21. ſecundi de Ani- tex. 21. 2. de
ma, qui quidem talis eſt: De intellectu autem & perſpectiua potentia nihil ad Anim.
hic manifeſtum eſt, ſed uidetur aliud genus animæ eſſe, & hoc contingere ſepara "
ri, ſicut perpetuum à corruptibili. cum enim debeat interpretari illum tex. affert "
tres difficultates, quas (inquit) arduas eſſe, & ad tex. nihil certi conſtituit. Videant
ergo docti, quanta ſit uis ueritatis. cum enim abſunt homines à ueritate neceſsitas "
cogit, ut neſciant quo ſe uertant. Conſiderent igitur, qui cerebri uentriculos natu "
raliter benè affectos habent. nam futurū eſſe arbitror, ut intelligentia conſequan-
tur, ſtultum eſſe uelle aduerſus hunc hominem diſputare.

Sed uideamus prius quid ſenſerit Ariſtoteles, antequàm arguatur aduerſus
eum. Quod quidem fiet, ſi Ariſtotelis uerba ponemus, & recta interpretatio-
ne illa explicauerimus: quæ etiam attulimus in ſuperioribus. in aliud propoſitum, ip
ſe enim in tex. 15. 2. de Anima, hæc ſcripta reliquit: Propter quam autem cauſam 2. de Ani.
utrumque horum accidit poſterius dicemus. Nunc autem in tantum dictum ſit ſo- tex. 18.
lum, quod eſt anima horū quæ dicta ſunt principiū, & his determinata eſt, uege- "
tatiuo, ſenſitiuo, intellectiuo & motu. Enumeratis ergo iſtis, quærit, ut unūquod- "
que horum, ſupple quæ dicta ſunt, ſit anima, uel pars animæ: id eſt, utrum uegeta
tiuum, uel ſenſitiuum uel intellectiuum ſit anima, uel pars animæ, et ita de alijs. &

ſi eſt pars animæ, quia non ſunt tota anima. quærit, utrū ſit ſeparabilis ab alijs partibus, ratione tantum ſupple, an etiam loco. Deinde inquit, nō eſſe difficile uidere in quibuſdam, quod ſeparabiles ſint, ſupple loco, in quibuſdam autē habet dubitationem. & ſtatim incepit oſtendere (meo iudicio) quòd ſunt ſeparabiles loco: ut in plantis, quæ diuiſa uidentur uiuere, & ſeparata à ſe inuicem loco, tanquàm anima illa ſit una actu, potentia autem plures. in primo tamen libro dixerat, quòd habebant animam unam ſpecie, non numero.

Deinde inquit, hoc uideri accidere circa alias differentias animæ in entomis deciſis. & hoc probat, quia ſenſum utraq; partium habet, & motum ſecundū locum. ſi autem ſenſum, & phantaſiam, & appetitum: ubi quidem ſenſus eſt, & triſtitia, & lætitia eſt. ubi autē hæc ſunt, ex neceſsitate deſiderium eſt. quare uidetur ſequi, manifeſtum eſſe ſenſui quaſdam partes animæ ſeparari loco à ſe inuicem, non ratione tantum: quia partes corporis ſeparantur loco, & anima diuiditur ad diuiſionem corporis. & perſpicuum eſt, quòd loco ſeparantur: quia in utraq; parte corporis diuiſa eſt ſenſus, & motus ſecundum locum. Si ibi eſt ſenſus, ibi eſt phantaſia, & appetitus. Hæ enim meo iudicio oſtendunt, aliquas partes animæ eſſe ſeparabiles loco, non ratione tantum, ut nonnulli opinantur: quia partes corporis ſeparantur loco. Manifeſtum ergo eſt, aliquas partes animæ ſeparari à ſe inuicem loco. ſed de intellectu, inquit, & perſpectiua potentia: id eſt, de intellectu qui eſt ſpeculatiuus, id eſt qui ſpeculatur uniuerſalia, nō de intellectu paſsiuo, nihil adhuc manifeſtum eſſe, an ſeparetur loco. & hoc dicit, propterea quòd nondum eſt manifeſtum, ſi ipſe ſit mixtus cum corpore, quia uidetur genus alterum animæ eſſe: id eſt, uidetur eſſe alia natura animæ ab alijs partibus animæ. Declarat hoc, quia uidetur ſeparari ab alijs partibus animæ, ſicut perpetuū ſeparatur à corruptibili, quia ipſe uidetur eſſe perpetuum. & aliæ partes animæ corruptibiles. quod ſi erit, non erit ſeparabilis loco, & non erit actu unum & potentia plures, ſed erit actu & potentia unum, etenim erit indiuiſibile. Hęc enim mihi uidetur eſſe ſentētia Ariſtotelis, qua nobis indicatur id quod diximus, intellectum eſſe indiuiſibilem, ſed loquutum eſſe cum conditione, quia nondum hanc rem demonſtrauerat, ſciens tamen ſe eſſe hoc demonſtraturum. Etenim ſi ipſe non fuiſſet huius ſententiæ, loquutus eſſet de eo ſicut de alijs: ſed quia ſemper fuit huius ſententiæ, quòd eſſet indiuiſibilis, ob hoc ſemper cùm loqueretur de iſtis partibus animæ, nobis ſemper aliquam ſignificationem dedit ipſum eſſe alterius naturæ ab alijs partibus animæ. quod fruſtra factum fuiſſet niſi fuiſſet eius ſententiæ quam diximus.

SECTIO SEPTIMA.

EX his ergo perſpicuum eſſe arbitror, hunc hominem magis à ſententia Ariſtotelis recedere, quàm cœlum diſtat à terra. etenim poſt dubitationes ſuas propoſitas quas oſtendimus in rem non cōuenire, aſſerit Ariſtotelem loquutum fuiſſe in tex. iſto, de intellectu in cōfuſo. etenim ipſe loquutus eſt apertè de intellectu qui eſt pars animæ ſeiunctus à uegetatiuo, à ſenſitiuo, & à ſecundum locum motiuo, & de intellectu quo utimur & qui ſolum ineſt hominibus, ut patet ex tex. 19. 2. de Anima: & eſt intellectus in potentia, non in actu.

3. de Ani. tex. 29. Ex eis etiam quæ diximus, ſoluitur eius prima quæſtio, quia dixit de intellectu non eſſe manifeſtum an ſeparatetur & diuideretur, quia nondum oſtenſum fuit ipſum non eſſe mixtum cum corpore. etenim cùm hoc erit oſtenſum, erit clarum ipſum non eſſe inſeparabilem, ſicut ſenſitiuum & uegetatiuum, quæ ſunt inſeparabilia. ſed quia nondum hoc erat demonſtratum, ob id dixit nō eſſe manifeſtum: erat uerò manifeſtum de uegetatiuo & ſenſitiuo, quòd erant diuiſibilia & ſeparabilia: quia hoc perſpicuum erat ex ipſis plantis, & ex entomis deciſis. non erat ergo par ratio de intellectu & de alijs partibus animi, quæ hoc ſenſu perſpici poterat abſq; demonſtratione. dubitatio ergo ipſius paruam difficultatem hominibus afferre ex ſui natura uidetur. Neq; uerū eſt, quod Ariſtoteles uelit intellectū hunc non contineri ſub definitione generali ipſius animæ, ſi ſit incorruptibilis. licet ſit aliud genus animæ: id eſt alia natura animæ, quia illa definitio non eſt uniuoci, ſed æquiuo

ci

ci ab uno, uel ad unum: & contineri poſſunt ſub ipſa, illa quæ ſunt alterius naturæ.
Et licet dixerit ipſum non eſſe actum nullius corporis, noluit ob hoc ſignificare,
quod non eſſet actus corporis ſimpliciter: etenim falſum dixiſſet. formæ enim cœ-
leſtes ſunt, & ipſe actus corporis cœleſtis: ſed uoluit dicere ipſum eſſe actum nulli-
us partis corporis determinatæ, quia non utitur organo corporali, ut ipſe oſtenſu-
rus erat: & tunc erimus certi, quod erit aliud genus animæ.

Neq; illud quod dixit in tex. 32. De intellectu autem ſpeculatiuo alia ratio eſt: *tex.32.*
ſignificat ipſum intellectum non fuiſſe comprehenſum ſub definitione generali ip
ſius animæ, ut ſentit iſte homo. quia alia eſt ſententia Ariſtotelis in eo loco: quod
quidē perſpici hoc modo poſſe arbitror. Dixerat enim Ariſtoteles, ex eis quæ ſen «
ſum habent, alia quidem habere motum ſecundum locum, alia uerò non habere. «
& complementum & finis erant illa quæ habebant ratiocinationē, & intellectum. «
& hoc declarabat, dicens: quòd illis ex corruptibilibus inerat ratiocinatio, his ineſ- «
ſe et reliqua omnia: quibus uerò illorum unumquodq;, non omnibus ratiocinatio, «
ſed quibuſdam quidem neq; imaginatio, alia autem hæc ſola uiuunt. ſubſequutus «
eſt, quòd ſpeculatiua alia eſt ratio, quàm de imaginatione: quia ipſo intellectu ſpe- «
culatiuo ſolo nō poſſunt uiuere animalia. Verba enim iſta ſunt referēda ad pro «
ximiora: non enim conueniſſet in rem, illo in loco dicere intellectum non compre-
hendi ſub definitione generali ipſius animæ. nihil ergo dicit homo iſte. Etenim ali
ter eſt dicendum de intellectu, quàm de imaginatione: quia ipſa ſola poſſunt uiue-
re animalia, ſolo uerò intellectu non poſſunt uiuere, ob eas cauſas quas in ſuperio-
ribus recitauimus, dum de ipſius immortalitate uerba faceremus. Neq; illud
quod addit, difficultatem aliquam nobis faceſſere debet, illud uidelicet intellecti-
uum non poſſe eſſe ſine ſenſitiuo: & poſtea dicit, intellectiuum non poſſe eſſe ſine
ſenſitiuo: & poſtea dicit, intellectum, contingere ſeparari à ſenſitiuo, ſicut perpetu
um à corruptibili. Tantum enim abeſt ut iſta inter ſe pugnent, ut nihil uerius dici
potuerit. primùm enim uerìſsimum eſt, intellectum non poſſe eſſe ſine ſenſitiuo:
quia neceſſe eſt, intelligentem phantaſmata ſimul ſpeculari. Hac enim ratione co-
gnoſcitur, intellectum non poſſe eſſe ſine ſenſitiuo. & eſt etiā uerum, intellectum
ſeparari à ſenſitiuo, quia ſeparatur ab hoc, uel ab illo: quia intellectus eſt æternus
& unus, naturaliter loquendo, ſed falſo, ut dicebat tertio de Anima. Hoc ſolum au- *3. de Anim. tex. 20.*
tem immortale & perpetuum eſt, & phantaſia corruptibilis, ut dicebat in eodem
loco. non reminiſcimur autem, quia hoc quidem impaſsibile, paſsiuus autem intel
lectus corruptibilis, & ſine hoc nihil intelligit. Non eſt ergo ſine phantaſia, id
eſt ſine ſenſitiuo, quia ſemper eſt coniunctus cum aliquo ſenſitiuo: nō tamen cum
hoc, uel cum illo. ſeparatur autem ab hoc, uel ab illo: non tamen ſeparatur ab omni
ſenſitiuo, ſicut materia prima ſeparatur ab hac uel ab illa forma, non tamen ſepara-
tur à forma. ſed nos de his in ſuperioribus longum habuimus ſermonem, ad quem
locum reijcimus lectorem.

Illud tamen uidetur mihi dicendum, hunc hominem ſine ratione citaſſe uerba
illa tanquam pugnantia, uidelicet intellectiuum nō poſſe eſſe ſine ſenſitiuo, & affir
mare ipſum eſſe ſepatabilem ueluti perpetuum à corruptibili. etenim ijs uerbis uo-
luit ſignificare Ariſtoteles, intellectū ſeparati à ſenſitiuo, ita ut poſsit eſſe ſine ſenſi-
tiuo: non enim hoc in locum illū conueniebat. ſed uoluit dicere Ariſtoteles, quòd
intellectus uidebatur eſſe alia natura animæ, quia ipſe eſt perpetuus, & aliæ partes
erant corruptibiles. propterea dixit non eſſe manifeſtum, an eſſet diuiſibilis, ſicut
aliæ partes animæ: cum quibus tamen ſtat, quod nō ſeparetur ſubiecto ab alijs par
tibus. Videtur igitur præſeferre homo iſte ignorationem ſentētiæ Ariſtotelis. non
enim illam reuocaſſet in dubium tanquam pugnantem: quia neq; pugnant inter
ſe, neq; (ſi bene perpendantur) uidentur pugnare.

SECTIO OCTAVA.

NEq; etiam uerba illa Ariſtotelis quæ citat, ſenſitiuo enim eſſe & opinatiuo, al
terum ſignificat, quod intellectus & ſenſus differant ratione tantum, ſicut ip
ſe uidetur putare: quoniam tantū uidentur ſignificare, ſolū in eo loco manifeſtum

eſſe quod differunt ratione. quia nondum demonſtratum fuerat, an re ſeiungerentur, hoc enim percipi non poterit, niſi poſtquam oſtenſum erit, intellectum non eſſe mixtum cum corpore, ſicut ſenſitiuum, quia utitur organo corporali: quod qui dem hoc modo perſpici poſſe arbitror. Etenim dixerat Ariſtoteles, uideri intellectum eſſe aliud genus animę. & uideri ſeparari ab alijs partibus animę, ſicut perpetuum à corruptibili. Aliquis potuiſſet dubitare de alijs partibus animæ, an eſſent hoc modo ſeparabiles inter ſe. reſpondet ipſe, manifeſtum eſſe ex his, reliquas partes animæ nō ſeparabiles eſſe inter ſe, ſicut ſupple perpetuū à corruptibili. ſed manifeſtum eſſe quòd ſeparantur ratione, ſicut etiam manifeſtum eſt quod ſeparatur ſenſitiuum ab opinatiuo ratione. ita etiam manifeſtum eſt ipſas inter ſe eſſe ſeparabiles ratione, ſicut ſenſitiuum ab opinatiuo, ſed nō ut perpetuum à corruptibili. & » hoc innuit, cùm inquit: Similiter autem & aliorum unumquodq;, quæ ſunt inter ſe » differentia ratione, ſicut ſenſitiuum differt ab opinatiuo ratione. quia ſentire differt ratione ab opinari: cùm hoc tamen ſtat, quod differat re. ſed hoc nondū erat oſten- ſum: opinio enim attinet ad intellectum, ut patet 6. Ethic. cap. 4. & in alijs locis. uerba enim Ariſtotelis in eam ſententiam, quam diximus, uidentur trahenda, alioquin in rem non conuenirent. non enim putandum eſſet arbitror, ipſum uoluiſſe dicere, manifeſtum eſſe reliquas partes animæ nō eſſe ſeparabiles inter ſe: quoniā dictum eſt ipſas eſſe ſeparabiles, diuiſibiles enim ſunt. Dixerat enim, uegetatiuam & ſenſitiuam in plantis, in entomis deciſis eſſe ſeparabiles. Eſt etiam falſum, quod ſit manifeſtum ipſas non eſſe ſeparabiles inter ſe: quia uegetatiua ſeparatur à ſenſitiua, & ſenſitiua ab intellectiua. reſtat igitur, ut intelligat eam ſeparationem, quā intellexerat cùm dixit: Et hoc ſolum contingere ſeparari, ſicut perpetuū à corruptibili. conſentit enim rationi, ut uerba illa referātur ad proximiora, ut diximus. non enim aliter conuenirent in eum locum. ſeparari enim multis modis dici in ijs locis perſpicuum eſſe arbitror: ex quibus omnibus dilucidum eſſe arbitror, omnia quæ dicuntur ab hoc homine, ut defendat tex. 21. non innuere animi immortalitatem, nō conſentire uerbis Ariſtotelis, neq; ueritati, ipſumq; fruſtra tam longè digreſſum eſſe.

6. Ethic. cap. 4.

» Miſſum & facio, ipſum cum ſua ipſius opinione pugnare, cum dicat: Sed de intel » lectu ſpeculatiuo, quo modo à cæteris animæ partibus ſecernatur, nondum expli- » catum eſt. non enim dicere poſſumus, ipſum loco & ſubiecto ſeparari: quoniam » nullum ſubiectum informat, neq; eſt aliqua corporis particula. Quod cum ita ſit, ſcilicet quod nō informet aliquod ſubiectum, ergo eſt incorruptibile. nō enim ex corpore corrumpi poterit: quod eſt ſuam ipſius ſententiam omninò cōuellere. » Item cum dicit: Quia nec ratione diuidi aſſerēdum eſt, cùm non communicet neq; » cum actione corporis, nec uerſetur circa ſenſibilia, ſed circa æterna & uniuerſalia. Quod ſi non utitur inſtrumento corporeo, ſequitur, quòd non ſit mixtum cū corpore. ex quo ſequitur, ipſum eſſe incorruptibilem. hoc enim perſpicuum eſt ex eis quæ dicta ſunt à nobis in ſuperioribus: & patet, quia formæ cœleſtes dicuntur incorruptibiles, ſolum quia non ſunt mixtæ cum corpore, quia nō educuntur ex potentia corporis. Item intelligit uniuerſalia, ergo eſt abſtractus à materia. Hoc enim perſpicuum eſt, ergo incorruptibilis: ergo pugnat homo iſte cum ſua ipſius ſententia, quod ex omnibus eſt abſurdiſsimum. Falſum item eſt, quod dicit Ariſtoteles, dixiſſe ipſum ſeparari ab alijs partibus, ſicut perpetuū à corruptibili, quia hoc multis uideatur: quia huius rei attulit demonſtrationē in 6. tex. tertij de Anima, ut oſtendimus. non ergo dicendum, ipſum loquutum eſſe in hoc tex. ex uulgata hominum opinione.

SECTIO NONA.

Reſtat igitur, ut uerba Ariſtotelis apertiſsimè indicent animi noſtri immortalitatē. ſicut nos in ſuperioribus oſtendimus. neq; quod dicit, poteſt eſſe uerum de intellectu agente, ut uidetur aſſentiri Alexandro: quia nondum perſpicuum eſt, an detur iſte intellectus agens. Item loquitur de intellectu quem ſentimus eſſe in nobis, & quòd ponitur pars animæ cum uegetatiua & ſenſitiua, & quo utimus, licet ſit alterius naturæ. & loquitur de intellectu quo intelligimus, etenim in tex. 33. inquit: Si autem oportet dicere quid unumquodq; ipſorum, ut quid intellectiuum & ſenſitiuum, aut uegetatiuum: prius adhuc dicendū quid ſit intelligere, &

3. de Anim. tex. 33.

& quid ſentire. priores enim potentijs actus & operationes ſunt ſecundum ratio- nem. Patet ergo ipſum loqui de potentia, qua nos intelligimus: cùm ex ipſo intelligere uult inueſtigare ipſius naturam. non ergo de intellectu agente, quia ipſo nihil intelligimus, licet ſit principium actiuum intelligendi: & non diſcurrimus, ſuperuacaneus enim eſſet intellectus poſſibilis.

Perſpicuum igitur ex his mihi uidetur, hos homines qui mortalitatẽ intellectus ex ſententia Ariſtotelis uolunt tueri, cùm ad uerborum Ariſtotelis quibus indicat immortalitatẽ explicationem deueniunt, ridicula & inania dicere. etenim neſciũt, quò ſe uertere debent: ita ut nos putare poſſimus, eos ſententiã illam aſſerere, quia ipſi ita ſentiunt, non quòd putent Ariſtotelem ita ſenſiſſe. ſed dicũt ſe loqui ex ſententia Ariſtotelis, ne pœnas ſuæ ſtultitiæ darent.

Proſequitur cap. 18. deinde homo iſte, interpretando illa uerba Ariſtotelis, quæ ſcripta reliquit 3. de Anima tex. 2. & 3. quæ uerba quoniã à nobis explicata fuerunt in ſuperioribus, ne nimij ſimus, omittemus. ex illa enim explicatione facilè erit intelligentia conſequi huius hominis ſententiam omnino à ſententia Ariſtotelis abhorrere. etenim perſpicuum eſt, Ariſtotelem uoluiſſe in illis tex. intellectũ eſſe impaſſibilem corruptiuẽ: quia erat ſuſceptiuus ſpeciei, & non habebat ſpecies actu: & ita ſe habebat ad intelligibilia, ſicut ſenſus ad ſenſibilia. q̃a ſicut ſenſus caret ſenſibilibus, ita intellectus carebat intelligibilibus. Quod quidem probauit poſtmodum in 4. tex. eiuſdem tertij, ut nos diximus. Ex qua re oſtendebat poſtea, intellectum non habere organnm corporale, quia erat ſuſceptiuus ſpecierum, ad quas erat in potentia, ſicut ſenſus ad ſenſibilia. ex quo fiebat, ut non eſſet mixtus cum corpore. ex quo deinde ſequebatur, ut eſſet impaſſibilis corruptiuẽ, & quod non erat ſimilis impaſſibilitas ſenſus & intellectus, quia ſenſitiuũ patiebatur corruptionẽ, etenim non erat ſine corpore: intellectus aũt non patiebatur, quia erat ſenſibilis à corpore. Et ita perſpicuum eſt, quòd licet intelligere ſit pati, ſicut ſentire, tamen erat alterũ quid huiuſmodi. & ita probata ſunt omnia quæ dicit in tex. 2. & 3. demonſtrationibus. ex quibus ſequebatur, intellectum eſſe impaſſibilẽ corruptiuẽ. Non ergo rectè ſentit iſte, cùm dicit Ariſtotelem uoluiſſe dicere, intellectũ eſſe impaſſibilẽ, quatenus eſt facultas cognoſcẽdi: & ſenſum etiam eſſe impaſſibilẽ hoc modo. non em̃ hoc Ariſtoteles ſignificat: ſed probat intellectũ eſſe impaſſibilem corruptiuẽ, ut oſtendimus: quia non erat mixtus cum corpore, quod ſenſui nequaq̃ contigebat. Tex. uerò 4 5. & 6. oſtendunt hanc noſtram explicationem conſentire, atq; omnino quadrare uerbis Ariſtotelis. Neq; eſt uerum, quod ſi ex ijs uerbis concludamus facultatẽ intelligendi eſſe immortalem, cogamur fateri facultatem ſentiendi eſſe immortalem: quia Ariſtoteles 1. de Anima oſtendit, intellectum eſſe impaſſibilem, quia ſenſus eſt impaſſibilis. nam eo argumento probauit Ariſtoteles, intellectum non eſſe paſſibilẽ per ſe, quia neq; etiam ſenſus eſt impaſſibilis per ſe, ſed per accidẽs, ut oſtendimus in ſuperioribus. oſtẽdit tamen Ariſtoteles 3. de Anima ſenſum eſſe paſſibilem per accidens, quia nõ eſt ſine corpore: intellectũ uerò neq; per ſe, neq; per accidens eſſe paſſibilem, quia erat ſeparatus à corpore. Nihil ergo dicit homo iſte. non ſequitur igitur, ſi intellectus, eo quòd impaſſibilis eſt, æternus ſit, ut etiam ſenſus, ſi ſit impaſſibilis, ſit æternus. ſed ſolum eſt impaſſibilis per ſe, ratione tamen organi patitur & corrumpitur, ut oſtenſum eſt. quod nõ accidit intellectui: ipſe enim ſenſus eſt paſſibilis corruptiuẽ, licet corrumpatur ad corruptionem corporis: intellectus tamẽ eſt impaſſibilis omnino, quia non patitur corruptionẽ neq; per ſe, neq; per accidens, ſed eſt æternus.

3. de Anim. tex. 2. et 3.

3. de Anim. tex. 4.

tex. 2. et 3. de Anim.

1. de Anim. tex. 65.

FINIS LIBRI TRIGESIMIQVINTI

Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER TRIGESIMVS SEXTVS.

SECTIO PRIMA.

HIS explicatis, ueniendum eſt ad alia quę ſubſequutus eſt homo iſte, quę
minorē admirationē non uidebantur afferre. quæ quidem ſunt, cùm di-
cit: uim cognoſcendi & ſentiendi, ut ſunt facultates cognoſcendi, Ariſto
in libro de Anim. tex. 7. telem in libro de Anima aſſeruiſſe impaſſibiles: quia dixit apertè faculta
tem ſentiendi eſſe mixtam cum corpore, cùm utatur organo corporali, & patiatur
ad paſſionem organi, quia non eſt ſine corpore: & intellectum non pati, cùm ſit ſe-
1. de Anim. tex. 65. parabilis à corpore. Et perſpicuum eſt, ipſum primo de Anima, quum dixit ipſum
ſenſum non pati, noluiſſe illud ſignificare, quàm ipſum non pati per ſe, pati tamen
ratione organi: ut uiſio in ſene non patitur ratione ſui, ſed ratione organi. & hoc di
» cit Ariſtoteles, quod ipſemet Portius teſtatur, quum inquit: Vt ſunt facultates a-
» nimæ informātes ſubiectum corruptibile, abolentur non quidem à contrario, ſed
» quia ſubiectum, cuius anima erat actus, marceſſit: atque iccirco omnes facultates pe
» rire. Fatetur ergo ipſe, ſenſum corrumpi ratione organi. & quando dicit Ariſto-
1. de Anim. teles, ſenſum non pati, in primo de Anima: ipſum loquutum eſſe de facultate ſen-
ſitiua, ut informat ſubiectū corruptibile, ut patet. etenim loquitur ibi de ſubſtantia
intellectus & ſenſus, ut informat corpus: ut ex eis quæ diximus in ſuperioribus,
1. de Anim. tex. 65. dum explicaremus illum tex. 65. primi de Anima, perſpicuè patère poteſt. Etenim
illi propoſitum fuit in eo loco declarare, intellectum non moueri per ſe, nec per ſe
» corrumpi. & inquit: Intellectus autem uidetur in fieri ſubſtantia quædam in exi-
» ſtens, & non corrumpi. maximè autem corrumperetur ab ea quæ eſt in ſenio debi
» litate. & hoc probatur hoc ſigno: quia neque ſenſus per ſe corrumpitur. Et hoc o-
ſtendit ex eis operibus, quia ex intellectione, & ex uiſione. nō enim inquit Ariſto-
teles, quod quatenus ſunt facultates cognoſcendi, non corrūpantur: ſed oſtendit,
quòd non corrumpuntur per ſe, ex hoc ſigno, quòd in ſenectute ex ſe ipſis non cor
rumpuntur, ſed ratione organi. Hoc autem cognoſcitur ex intellectione, & ex ſen
tire, quæ ſunt eorum operationes. quare concludit, in ſenio non pati animam, ſed
pati organū: ut in ebrietatibus et infirmitatibus. Perperam ergo interpretatus eſt
tex. allatum. Neque uerum dicit, quòd intellectus, ut eſt facultas animæ informantis
corpus corruptibile, aboleatur, quia ſubiectum, cuius eſt actus, marceſcat: quia i-
pſa non eſt mixta cum ſubiecto, ſed ſeparatur ab ipſo.

SECTIO SECVNDA.

» QVid etiam magis ridiculum eſt, quàm quod dicit ad hunc modum: Cùm au
» tē aduerſarius inſtat, Si intellectus deſinit, igitur patitur: dicas, inquit, quod
nō patitur ut facultas cognoſcendi, ſed anima, cuius dianœtica eſt pars. quia ſi pa-
titur in ſubſtantia, patitur etiam facultas cognoſcendi: quia pateretur, ut eſt. ut co-
gnoſcimus, quia ſenſus, ut eſt facultas cognoſcitiua, patitur ex paſſione ipſius orga
ni, in quo cognoſcit. neque uerum eſt, quòd quum anima ſit corporis corruptibilis
actus, ob id omnes facultates cōcidant: quia ſolum illæ facultates, quæ præter hoc
quod ſunt actus corporis talis, ſunt ita actus, ut ſint mixtæ cū corpore, & non ſunt
ſeparabiles à corpore. Sed illa facultas animę quę eſt actus corporis corruptibilis,
& eſt ſeparabilis ab ipſo, & non eſt mixta cum eo, nullo modo cum corpore interi
re fatendum eſt. etenim formæ cœleſtes ſunt actus corporis, non tamen ſunt cor-
ruptibiles, quia non ſunt mixtæ cum corpore illo, neque educūtur ex potentia mate
riæ. neque hoc illis euenit, quia informent materiā incorruptibilē, & corpus incorru
ptibile: etenim etiā formæ elementorū informant primā materiā, quæ eſt ingenera
bilis & incorruptibilis, & tamē intereūt. hoc enim ſolū euenit, quia nō educunt̃ ex
potētia materię, neque extēdunt̃ ad extēſionē corporis illius. ex quo ſequitur, quod
nō diuidūtur ad diuiſionē illius. Ex quibus omnib. perſpicuū eſt, ridicula etiā eſſe,

atque

atq; à ſententia Ariſtotelis aliena, illa quæ ſtatim ſubiunxit in fine illius 8. capit. ad
hunc modum: Proinde ſub hac ratione Ariſtoteles partem animæ quæ cognoſci-
mus, non tractauit, quoniam ſenſu hominē corrumpi patebat: atq; ita omnia quæ
cum homine, quales ſunt partes hominis oriebantur, cùm homine quoq; aboleri
neceſſarium erat. quandoquidem luce clarius Ariſtoteles in principio 3. libri pro- *3. de Anim.*
tulerit: De parte autem animæ, qua cognoſcit & ſapit anima, conſiderandum, &
quomodo differt, & ſit ipſum intelligere. Nihil ergo magis abſurdum potuiſſet
aſſerere hic homo, quàm dicere Ariſtotelē nō tractaſſe partem animæ qua cognò
ſcimus, ſub hac ratione: cùm in lib 3 de Anima nihil magis contineatur, quàm ſer- *3. de Anim.*
mo de parte animę qua cognoſcimus & intelligimus, ſub hac ratione. etenim egit,
quomodo ſit intelligere: Ergo de anima, ut intelligit: ergo ut cognoſcit. imò ex
hoc quòd cognoſcit & intelligit, ipſe cognoſcit quam differētiam haberet ab alijs
partibus animæ: quia ipſa in eius opere quod eſt intelligere, perſpexit ipſam non
uti inſtrumento corporali: ex quo percepit ipſam non eſſe mixtam cum corpore:
ex quo ſequebatur, intereſſe inter ipſam & alias partes animæ, quia erant mixtæ
cum corpore, etenim utebantur inſtrumento corporali. Falſum item eſt, quod
ipſa oriatur cum homine, id eſt cum ſingularibus hominibus: præterea quòd decla
ratum eſt in ſuperioribus, ipſam præexiſtere, & extrinſecus accedere. ex quo ſequi
tur, eſſe à ueritate alienum, ut ſit neceſſarium ipſam aboleri cum homine, id eſt cum
indiuiduo hominis. etenim ſi periret ſpecies humana, & ipſa periret, & uniuerſus
orbis, ex fundamentis naturæ.

Reſtat ergo, quòd Ariſtoteles in textu 2. 3. de Anima cùm dixit, Impaſſibile er- *3. de Anim.*
go oportet eſſe, uoluerit ſignificare, intellectum eſſe mortalem: ſicut oſtendimus. *tex. 3.*
idem enim ſignificare in illis locis immortale & impaſſibile, eſt ita in promptu, ut
nulla ratione indigere uidentur. Etenim demonſtratio Ariſtotelis hoc oſtendit.
quæ uerò dicit in cap. 19. dum uult interpretari tex. 12. tertij de Anima, ex quo & *3. de Anim*
ex eius ſolutione colligitur animum noſtrum eſſe immortalem, inania eſſe, & à ſen *tex. 12.*
tentia Ariſtotelis abhorrere, ex eis quæ diximus in ſuperioribus, cum tex. illum ci
tauerimus, patêre arbitramur. ſolum illud ponemus, quod in fine eius capituli ſub
ſequutus eſt: Quibus hic explicatis, Ioan. Grāmaticus non habet, quod tota mērė «
patebat, diamœticam eſſe æternā, per hęc uerba Ariſtotelis: ſed ſolum intellectum «
ſpeculatiuum eſſe ſeparatum à materia. Quæ uerba pugnant cum ſua ipſius ſenten «
tia, ut tòtiens dictum eſt: quia ſi intellectus ſpeculatiuus eſt ſeparatus à materia, ne
ceſſe eſt ut ſit æternus. hoc enim conſpicuum eſt ex eis quæ diximus in ſuperiori-
bus, & ex hòc etiam, quia non haberemus uiam cognoſcendi formas cœleſtes eſſe
æternas. quòd quidem patet ex eis quæ ex octauo Phyſic. & 12. Meta. ſcripta *8. phyſ. &*
reliquit Ariſtoteles, ad quos locos me reijcio. Quæ uerò dicit interpretando tex. *12 Meta.*
14. & 15. 3. de Anima, quantū à ſententia Ariſtotelis aliena ſint, in ſequentibus nos
oſtenſuros, cùm illos tex. explicabimus, arbitramur. ſatis enim ſit, quæ nunc de hac
re in medium attulimus.

Quanquam ex eis quæ diximus in ſuperioribus de intellectu poſſibili & agēte,
colligi poſſe perſpicuè patêre arbitror, quantū ueritati repugnēt & Ariſtotelis ſen
tentiæ, ea quæ dicuntur ab ipſo in 20. cap. de poſſibili intellectu, & agente: tamen
nōnulla etiā proſtringam ad hunc modum. inquit enī: Hæc ſecus quàm intellectū «
potentia, cùm omnia intelligat, recipiat ipſum eſſe immixtum, impaſſibilē, & ſepa- «
rabilem, rationi conſonum eſt: atq; eo magis, quò agens eſt nobilius paſſo: «

Dicimus ergo, à ueritate abhorrere, intellectum agentem recipere omnia, & in
telligere omnia: tum quia ſuperuacaneus eſſet intellectus poſſibilis. etenim quum
non conſentiat naturæ, ut dentur duæ partes animæ, quæ recipiant. Item fieri nō
poſſet, ut oſtenderemus intellectum agentem dari, ſi fieri poſſet ut eadem natura
eſſet receptiua & actiua: ſicut eueniret neceſſariò, ſi intellectus agens illo modo
quo dicit, ſe haberet, ut uidelicet reciperet omnia, & ageret omnia. His igitur uer-
bis uidetur homo iſte (pace ipſius dixerim) præſeferre ignorationem demonſtra-
tionis, qua uſus eſt Ariſtoteles, ad demonſtrandum, neceſſarium eſſe ut detur intel
lectus agens: quam ideò relinquimus, quia in ſuperioribus longum de ipſa ſermo
nem habuimus.

Item intellectus agens non eſſet purus actus: non enim minus eſſet potentia, ſi intelligat omnia, & omnia recipiat, quàm intellectus poſſibilis. quod enim recipit, & intelligit, eſſet potẽtia, neminem latère poteſt. ob hoc intellectus poſſibilis dicitur potentia, & poſſibilis. Conſequens autem ſententiam Ariſtotelis euertere, nemini qui primam etiam uerborum Ariſtotelis faciem intuetur, poteſt eſſe dubi-
3. de Anim. tex. 19. um. etenim inter alia protulit Ariſtoteles, cùm loqueretur 3. de Anima tex. 19. de intellectu agente hæc uerba: Idem autem eſt ſecundum actum ſcientia rei, id eſt ſciens, & quod ſcitur.

Item uidetur uelle, Ariſtotelem probare ex una parte intellectum agentem eſſe immixtum, impaſſibilem, & ſeparabilem, quia recipiat omnia, & intelligat omnia: quod quidem penitus indicat etiam ignorationem demonſtrationis Ariſtotelis, qua probauit intellectum agentem eſſe ſeparabilem, impaſſibilem, & immixtum: quæ quidem fuit, quia agens eſt honorabilius patiente, & principium materia: ideo intellectus agens eſt honorabilius patiente, quia eſt agens, & formæ ipſius poſſibilis. & poſſibilis eſt immixtus, & impaſſibilis: ergo agens eſt huiuſmodi, & magis propter cauſas dictas. Iſta eſt demonſtratio, qua uſus eſt Ariſtoteles ad concluſionem dictam probandam, ut patet ex eius uerbis: & nulla alia poteſt eſſe ſi diligenter attendamus: quia non apparet operatio intellectus agentis. ergo cùm illa non utatur demonſtratione, uidetur illius ignorationem præſeferre.

SECTIO TERTIA.

DEinde tangit iſte homo demonſtrationem dictam tanquam ſecundam rationem: quia inquit. Et eo magis, quo agens eſt ſemper nobilius paſſo. quæ ſecunda demonſtratio primam euertit: quia ſi eſt agens ita ut ſit nobilius paſſo, ergo non poteſt recipere omnia, & intelligere omnia: quia ſi ſic ſe haberet, pateretur, & ita non eſſet nobilius, neq; actu. neq; fieri poteſt ut dicatur, quod patitur & agit: etenim diceremus idem de intellectu poſſibili, quod pateretur & ageret, quare fruſtra oſtendiſſet Ariſtoteles intellectum agentem dari, & rueret illa ipſius demonſtratio.

Item uidetur etiam præſeferre ignorationem demonſtrationis Ariſtotelis, quæ erat, quia intellectus poſſibilis intelligit omnia, ergo eſt immixtus. ipſe eñ uidetur intellexiſſe per immixtũ à materia, & impaſſibilẽ, & ſeparatũ: quod quidẽ à ratione abhorrere, planũ feciſſe arbitramur, cum tex. illũ quartũ explicaremus. nam per hoc quod intellectus intelligit omnia, diximus ipſum Ariſtotelẽ ſolum probaſſe, ipſum intellectũ eſſe immixtũ ipſis ſpeciebus: & oſtẽdimus illud mediũ non poſſe probare immixtionem à materia. non rectè igitur, neq; hoc dicit homo iſte: in tex. tamen 19. ubi dicit: Et hic intellectus ſeparabilis, & impaſſibilis, & immixtus, quia poſſibilis eſt huiuſmodi: per immixtum intelligit non mixtum corpori. Et hoc eſt, quod dixit 6. tex. quia non conuenit hic in rem, dicere intellectum agentem eſſe immixtum ſpeciebus, quum poſitum ſit actu puro. ſed quod diximus, eſt quod ipſe perperam loquitur, quum inquit: intellectus poſſibilis intelligit omnia, ergo eſt immixtus à materia: quia illud medium non oſtendit hoc. Quod uerò ita interpretabatur tex. 20. de intellectu agente, quum dixit Ariſtoteles, ſeparatũ autem eſt ſolum hoc, quod quidem eſt ex hoc ſolum immortale: à ſententia Ariſtotelis alienum, & à ueritate, ex eis etiam quæ dicta ſunt perſpicuè patère arbitror. etenim ibi loquitur de intellectu, qui intelligit, & eſt in potentia. Intellectus autem agens eſt actu, non potentia, ut ipſemet aſſerit. quam explicationem multis rationibus nos comprobaſſe arbitramur, ad quem locum nos reijcimas.

Sed cùm dicit intellectum poſſibilem eſſe ſeparatum ſecundum rationem, intellectum uerò agentem eſſe ſeparatum eſſentia & eſſe: ex ipſo eſſet quærẽdum, qua ratione uſus ſit ad hoc oſtendendũ Ariſtoteles? Si dicat, per illã rationẽ, quia intelligit omnia, & recipiat omnia, cùm illa ratio conueniat etiam intellectui poſſibili, ex cõceſſis ab ipſo: ergo ſi probat illa ratio intellectũ agentẽ eſſe ſeparabilẽ eſſentia et eſſe: probabit etiam intellectum poſſibilem eſſe ſeparatum eſſentia, & eſſe: quod eſt euertere ſententiam propriam, quod planè turpiſſimum ac maximè flagitioſum ducimus. Si autem ſe tueatur, dicens non illam eſſe rationem ad illud quod

diximus probandum, ſed hanc, quia agens eſt nobilius paſſo: tunc etiam ſibi ipſi repugnare uidebitur, qui aſſerunt, quod diximus. Tum etiam quæremus ex ipſo, quónam modo ratio illa uim habere poſſit. Etenim ualere non poteſt, quod agens intellectus ſit immixtus, ſeparabilis, & impaſſibilis, niſi quia poſſibilis ſit immixtus, impaſsibilis, & ſeparabilis, ut dictum eſt. Sed tunc quæro, nunquid intellectus iſte poſſibilis, qui eſt immixtus, impaſſibilis, & ſeparabilis, intelligatur tantum ſecundum rationem huiuſmodi eſſe, an ſecundum eſſentiam & eſſe? Si intelligatur ſecundum rationem, ergo fieri non poteſt ut ex eo, quòd ipſe ſit huiuſmodi ſecundum rationem, probemus intellectum agentem eſſe ſeparabilem, immixtum, & impaſſibilem eſſentia, & eſſe. Hoc enim perſpicuè patet. ſi autem contendamus ipſum poſſibilem eſſe huiuſmodi eſſentia, & eſſe, certè ſibi ipſi repugnat. Etenim dixerat, quod in hoc differt ab intellectu agente, quod iſte erat ſeparatus ſecundum rationem, & ille eſſentia & eſſe.

Si autem dicat, Ariſtotelem illa prædicata attribuiſſe intellectui agenti, non ex demonſtratione, ſed quia ipſi ſic uiſum eſt: facit ergo Ariſtotelem temerè accepiſſe hanc ſententiam. quod quidem eſt ita abſurdum de Ariſtotele, ex uia naturali loquente, quàm quod abſurdiſſimum. Quocunque igitur ſe uertat homo iſte, ut iaceat eius ſententia neceſſe eſt.

SECTIO QVARTA.

QVod uerò dicit, ipſum intellectum agentem non eſſe partem animæ rationalis, & quòd ob hoc Ariſtoteles nuncupauit ipſum differentiam, non partem, oſtendit ſe non percepiſſe Ariſtotelis demonſtrationem, & uerba quæ ſequuntur illam demonſtrationem. etenim concludit tertio de Anima, textu decimoſeptimo Ariſtoteles, neceſſe eſſe & in anima has eſſe differentias. dixit enim, in anima: Et hæ differentiæ non poſſunt eſſe in anima, niſi ſint ipſius animæ partes. uult ergo, ut in anima ſit materia, quæ ſit pura potentia: ergo neceſſe eſt ut ſit forma etiam, etenim pura potentia ſine forma conſtare non poteſt. Ergo ibi eſt forma, & materia: confirmatur, quia in tex. decimonono attulit duas cauſas, quare intellectus agens, quem dixit eſſe ſubſtantiam actu exiſtentem, ſit immixtus, ſeparabilis, & impaſſibilis: quarum prima fuit, quia agens eſt honorabilius patiente: altera, quia principium eſt nobilius materia. Vbi per principium non poteſt intelligere niſi formam. Etenim forma dicitur principium materiæ, quia facit ipſam ex potentia actu exiſtere. non enim eſt idem quod prima ratio. uult ergo, quòd ſit forma ipſius patientis: alioquin iſta non conuenirent in rem. ex quo ſequitur, quòd poſſibilis ſit pura potentia: quia forma non eſt actus formæ, ſed puræ potentiæ. eſt ergo in anima forma & materia: Ergo eſt compoſita ex materia & forma. ergo iſtæ ſunt partes animæ, quia materia & forma ſunt partes eorum quæ conſtituunt. etenim hoc in dubium uenire non poteſt: neque quod Ariſtoteles comparauerit ipſum arti, quia ars extrinſecus in aliud extrinſecum agit, impedit, quin intellectus ſit pars animæ, ut rationes dictæ paulo antè, & illæ quas in ſuperioribus attulimus, rem iſtam aperire mihi uidentur. ſed comparauit ipſum arti, propterea quòd ſicut materia artificialium non poteſt recipere formas, neque moueri ad formas ex ſe, niſi adſit artifex: qui eas educat ex ſui potentia. cùm ipſa ſit pura potentia: ita intellectus poſsibilis quum ſit pura potentia, non poterat recipere ſpecies intelligibiles, neque moueri ex ſe ad illas, niſi eſſet efficiens aliquod, quod educeret ipſas ex potẽtia ſui ipſius intellectus poſsibilis. qui intellectus poſsibilis licet ſit indiuiſibilis, eſt tamen potentia omnes ſpecies intelligibiles: alioquin producẽs illas ſpecies in intellectu crearet ipſas, quod à natura abhorret. ſunt tamẽ indiuiſibiles illæ ſpecies: quia educũtur ex materia indiuiſibili. fieri tamẽ nõ poteſt, ut iſtud efficiẽs nõ ſit in re coniunctũ cum intellectu poſsibili, licet ſint res diuerſæ, ut eſt materia & forma in natura: quia poſsibilis non haberet actũ, ut diximus. quia eſt pura potẽtia, niſi cum agente eſſet cõiunctus: & nõ poteſt ſeipſum mouere ob eandem cauſam, quam planè pluribus etiam in ſuperioribus explicauimus. Quare indiget mouẽte, & efficiẽte ipſum ex potẽtia intelligens,

actu

actu intelligens. Et quia iſtud efficiens omni ex parte non erat, ſicut efficiens arti-
3. de Anim. tex. 18. ficialia in tex. 18. declarauit, quomodo erat efficiens. & inquit, quod erat efficiens ſicut habitus quidam, & ſicut lumen: quia ſicut lumen quodammodo facit potentia exiſtentes colores actu colores, non quod reuera colores exiſtant tantũ potentia ſine lumine in rebus, quia exiſtant actu, ſed quia facit iſtos uideri illuſtrando medium, & mouere uiſum: ob hoc dicitur lumen efficere potẽtia exiſtentes colores, actu colores, quin efficit ipſos mouere uiſum, cùm ſine lumine non uiderentur: quod planè erat, ac ſi non exiſterent, ut ex eis quæ iam dicta ſunt perſpicuum eſſe arbitramur. Ita intellectus agens illuſtrando phantaſmata, quæ illuſtratio nihil aliud uidetur eſſe quàm abſtractio phantaſmatum à materia, quæ phantaſmata abſtracta mouẽt poſtmodum actu intellectum poſſibilem, cùm antequã illuſtrarentur, mouebant in potentia textum, quia erant ſingularia. ob hoc dicitur efficiens intellectionem: quia facit quòd phantaſmata, quæ non poterant mouere intellectũ antequam illuſtrarentur, poſſint mouere actu intellectum, quia ita ſe habent, quantum ad hoc attinet, phãtaſmata ad intellectum, ſicut colores ad uirtutem uiſiuam. nam conueniunt, quod utraq; mouent uirtutem illam, à qua poſſint percipi: & in alio etiam, quod neq; colores eſſe ſine auxilio alterius non poſſunt mouere uirtutem uiſiuam, neq; phantaſmata ſine auxilio alterius poſſunt mouere intellectum, licet omni ex parte non conueniant: conueniunt tamẽ in eis quæ diximus. & propter propriam huiuſmodi conuenientiam dixit Ariſtoteles, ea quæ diximus uerba. differt tamen agens intellectus à lumine: quia lumen extrinſecus accedit reſpectu uiſus: intellectus agens non extrinſecus accedit, ſed eſt pars animæ rationalis, quæ conflatur atq; conficitur ex intellectu poſſibili, & agẽte, ſunt coniuncta ut forma materialis cum materia prima, ut in ſuperioribus oſtenſum eſſe arbitramur. Et ut melius percipiatur ſimilitudo & differentia dicti luminis & intellectus agentis, ſtatuamus uiſus colores, & lumen, intellectum poſſibilem, phantaſmata, & intellectum agentem, quæ quidem omnia habent ſimilitudinem dictam: differre tamen uidentur, præter differentiam dictam, quia lumẽ nihil in coloribus efficit, niſi medium præparans. Intellectus uerò agens facit aliquid in phantaſmatibus, quia abſtrahit ea à materia. licet ergo non omni ex parte, ut diximus, eſſent ſimiles: quantum tamen attinebat ad percipiẽdum naturam intellectus agentis, ſatis erat quod conuenirent in ſimilitudinibus dictis. Habebat etiam ſimilitudinem aliquam cum artifice, ratione artis. etenim licet ipſe intellectus agens non moueat intellectum poſſibilem, extrahendo ex illo illas ſpecies, ſicut facit artifex ex ſua materia: tamen quia erat cauſa quòd phantaſmata mouerent intellectum poſſibilem, & extrahebant ſpecies intelligibiles ex potentia ipſius, dicebatur efficiẽs reſpectu intellectionis, ſicut artifex formarum quas educit. etenim quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa ipſius effectus. Differt etiam in alio ab artifice: quia artifex eſt ſeiunctus ab illa materia, ex qua educit formas: intellectus uerò agens eſt coniunctus. ſed ſatis erat Ariſtoteli, quod haberet aliquam ſimilitudinem cum artifice: iſta enim omnia apertẽ colliguntur ex ratione, & ex eis uerbis Ariſtotelis quæ allata ſunt in ſuperioribus: quæ ſi fuerint conſiderata (mea quidem ſententia) futurum eſſe confido, ut nemo ex huiuſmodi ſimilitudinibus poſſit colligere intellectum agentem extrinſecus exiſtere: præſertim cùm hæc ſententia quadret demõſtrationi, & uerbis Ariſtotelis. Deinde nihil impedire uidetur, quin habeat ſimilitudines dictas & cum lumine, & cum artifice: & tamen ſit coniunctus, ut forma cũ poſſibili. quod eſt id quod nos probare ꝓpoſueramus. quod patuit, quia cõparauit ipſum habitui: quia habitus non poteſt intelligere niſi formam, cùm dixerit ipſum eſſe principium. etenim
2. de Anim. tex. 73. non dicitur principium, niſi quia eſt forma. nam dicebat Ariſtoteles 2. de Anima. tex. 73. Cauſa enim ipſius eſſe omnibus ſpecies eſt.

Eſt ergo intellectus agens, ut patet ex tex. 19. ſeſe habens duobus modis erga intellectum poſſibilem: quorum primus eſt ſecundum naturam, quod eſt forma ipſius poſſibilis, dans ei eſſe actu, ſicut forma materialis dat eſſe materiæ primæ. Quod enim eſt pura potentia ex ſe, non poteſt eſſe actu: neque ab aliquo poteſt eſſe, niſi à forma: quia forma eſt principium eſſendi, & cognoſcendi materiam,
7. Meta. ut patet ſeptimo Meta. Aliter uerò eſt, quia eſt cauſa quod intelligat, eo modo

quo

quo diximus. ex quò dicitur agens: & ad hoc efficiendum ſatis eſt quòd ſit res diuerſa in ſubſtantia à poſsibili, licet ſit re coniunctus, ſicut forma ipſi materiæ: quia idem re non poteſt eſſe forma & materia, agens & patiens. Ex quibus omnibus ſatis perſpicuè patere arbitror, omnia inania eſſe quæ homo iſte dicit de intellectu agente & poſsibili, in cap. 20. cùm reddidit cauſam, quare comparauerit ipſum cum lumine & cum arte, & quare appellauerit ipſum habitum. ſunt enim ſomnia: etenim non uidentur digna philoſopho, ſed potius eis conuenire qui ſibi quoduis cogitatione fingunt. Hæc enim apertè oſtendere uerba Ariſtotelis (ni fallor) luce clarius mihi uident. etenim ea, quæ dicit de cauſa intellectus agentis, ſunt ſomnia: nõ enim conueniunt cum cauſa, quã reddit Ariſtoteles, neq; cum ratione. etenim Ariſtoteles probauit intellectũ agentem eſſe neceſſarium, quia in omni natura eſt aliquod, hoc quidem materia unicuiq; generi, hoc aũt eſt potẽtia omnia illa. alterum aũt cauſa eſt factiuum, quod in faciẽdo omnia, ut ars ad materiam ſuſtinuit: neceſſe & in anima has eſſe differentias. Iſta ergo eſt alia cauſa ab illa, quas uaticinando poſuit iſte homo: ex qua cauſa (ut ego quidem opinor) colligitur, ſi rectè conſideretur, portentum eſſe, ponere intellectum agentem Deum. de his tamen in ſuperioribus longum habuimus ſermonẽ, ad quem locum lectores delegamus. Ad diſſoluendam quæſtionẽ quæ eſt cõtra Ariſtotelem, uaticinia ſunt, cùm & Ariſtoteli & rationi repugnent. Etenim quærimus primum ex ipſo, quis hoc ſibi dixit? Turpe enim eſt philoſopho ſomniare, quod detur illa uirtus quam uocat Ariſtoteles ſubſtantiam actu, & quam Deus elargit: etenim nõ poterit dicere, Ariſtotelẽ ſibi hoc dixiſſe, neq; aliquẽ qui rationi naturali nitatur. nõ enim apparet ſenſui, quod detur iſta uirtus. Inanis etiam eſt, quia ſine illa uirtute poteſt poni intellectio. Præterea quæritur, nunquid iſta uirtus aliquid ſit, uel nihil? Nihil eſſe, dici non poteſt: nihil enim faceret, & fruſtrà ac ſine cauſa eſſet. Si eſt aliquid, uel eſt ipſemet Deus, uel aliquid à Deo. non eſt Deus, ex ſententia ſua: tum quia Deus eſt in ſuo orbe ex opinione Ariſtotelis, & ex ratione naturali. neq; extra orbem poteſt exiſtere: eſt enim forma ſui orbis. Si uerò dicas, ut dicit, eſſe aliquid à Deo productum: ergo erit uel ſubſtantia, uel accidens. non eſt accidens ex ſua opinione, quia ponit ipſum ſubſtantiam actu: ex ſententia etiam Ariſtotelis, ſi ſubſtantia, & eſt à Deo, ergo eſt ſubſtantia creata, quia non eſt educta ex aliquo ſubiecto, in quo eſſet in potentia. & eſt ſpiritualis, conſequentia perſpicua. ſed fieri non poteſt ut detur iſta creatio uia naturali: ergo falſum eſt, quod ſit ſubſtantia à Deo producta.

Item, ſi eſt ſubſtantia à Deo producta, profectò non eſt Deus: quod eſt euertere ſententiam Alexandri.

SECTIO QVINTA.

Item fieri poſſet, ut diceremus iſtam ſubſtantiam eſſe etiam præſentem animalibus brutis. Conſequens eſt falſum: quia animalibus brutis non tribuitur intellectus agens à Deo. Probatur conſequentia: quia eſt agens uniuerſale, non magis accõmodatum homini quàm alijs, præſertim cum anima hominis educatur ex potentia materiæ, ex ſua etiam opinione.

Perperam etiam, ut ego quidem opinor, interpretatus eſt illũ tex. tertij de Anima: Non reminiſcimur aũt, quia hoc quidem impoſsibile. etenim interpretatur de intellectu agente, & per paſsiuũ intellectum intelligit intellectũ poſsibilem: quia quæſtio illa non cõueniret in rem, niſi loquutus fuiſſet de intellectu recipiente ſpecies, & intelligente. nam ſi uidetur conuenire in rem, neceſsitas cogeret (ut etiã in ſuperioribus declarauimus) ut ſtatuamus intellectũ poſsibilem & intelligentẽ eſſe unum & æternũ: quia tunc datur locus quæſtioni. ſequitur enim ſi eſt unus & æternus, ut ego putem me habere intellectũ illum quem habebat Ariſtoteles. Dubium igitur eſt, quare ego non reminiſcar eorum quæ ſciebat Ariſtoteles, ſi habeo eundẽ intellectũ quem habebat Ariſtoteles: quia intellectus eſt unus & æternus. Vnde reſpondet ipſe, ſe cõcedere intellectum illum receptiuum eſſe impaſsibilem: & per id, quod neceſſariò ſequitur, unum & æternũ. ſed nos non reminiſci, quia intellectus paſsiuus eſt corruptibilis, & ſine hoc nihil intelligit. Si dicatur, quòd intellectus agẽs ſit æternus, nõ ſequitur hoc: ſi etiã dicatur, quod poſſibilis eſt æternus, et non unus, nõ uenit in controuerſiam, quare ego non reminiſcar: ſi etiã poſſibilis

tex. 3. de Anima.

eſſet corruptus, non ueniret in dubium, quare non reminiſcatur. Non ergo rectè interpretatur homo iſte tex. 20. ſed probemus etiam, quòd per intellectum paſsiuum non poteſt intelligere intellectum poſsibilem. etenim ſtatuamus illam peruagatam propoſitionem. Neceſſe eſt intelligētem ſimul phantaſmata ſpeculari. quæ neceſſe eſt ut intelligatur de intellectu poſsibili, cùm ſit ille quo intelligens intelligit. hoc poſito, neceſſariò ſequitur, ut per intellectum paſsiuum, ſine quo non intelligit intellectus, intelligatur ipſa phantaſia, quia ſi intelligitur intellectus poſsibilis, ut dicit iſte, intellectus poſsibilis intelligeret ſine phantaſmate, quia intellectus ille paſsiuus intelligit ſine phantaſmate: quod eſt abſurdum.

3. de An. tex. 20.

Item, per ea quæ dicta ſunt, daretur aliquis alius intellectus præter poſsibilem, quo nos intelligeremus, quod non intelligeret ſine phantaſmate. quod quidem eſt ita abſurdum quàm quod abſurdiſsimum.

Probatur conſequentia: quia ille intellectus quem dicit Ariſtoteles, & ſine hoc nihil intelligit, uel eſt intellectus poſsibilis, uel non. ſi eſt intellectus poſsibilis, ergo per illa uerba, Quia hoc quidem impaſsibile intelligit intellectum poſsibilem, quod euertit eius ſententiam. ſi uerò dicat quòd non eſt intellectus poſsibilis, eſt tamen intellectus qui nō intelligit ſine paſsiuo: ergo ſequitur, quod datur aliquis alius intellectus, quo nos intelligimus, qui nō intelligit ſine phantaſmate, qui non eſt intellectus poſsibilis: quod quidē repugnare ueritati, & Ariſtoteli, in dubium uenire non poteſt. Ex quo ſequitur, ut per intellectum impaſsibilem intelligat intellectum poſsibilem, qui non intelligit ſine paſsiuo, & ita quod ſit immortalis & æternus: quod omnem eius doctrinam conuellit.

Item, cum intellectus agens non ſit id quo nos intelligamus, licet ſit æternus: non ſequebatur ut nos dubitaremus, quare non reminiſcatur, quia intellectus poſſibilis eſſet corruptibilis ex ſui ſententia. Quæſtio enim non uidetur conuenire in rem, niſi ponatur intellectus poſsibilis æternus, quia reminiſcimur intellectu quo intelligimus. ſed cum intellectu agente non intelligamus res, quia ſuperuacaneus fuiſſet intellectus poſsibilis, nō ſequit̃ ſi ipſe etiam ſit æternus, ut dubitemus quare non reminiſcamur. ſi ergo intellexiſſet prioribus uerbis tex 20. de intellectu agente, ſuperuacaneè dixiſſet, non reminiſcimur: & ſi per impaſsibile intellexiſſet etiam intellectum agentem, fruſtra dixiſſet ipſum non intelligere ſine intellectu paſsiuo, ut oſtēdimus. quia nihil intelligitur extra ſe: quia ſuperuacaneus (ut dictū eſt) eſſet intellectus poſsibilis. etenim ſi intelligeret extra ſe, non indigeremus intellectu poſsibili: fruſtra enim eſſet. Item ſequeretur, uel quod eſſet proceſſus in infinitum in agentibus, uel quod idem eſſet mouens & motum: quod fieri non poteſt. quare perperam exponit tex. illum: quam rem in ſuperioribus fuſius declarauimus, dum explicaremus tex. illum 20. ſed repetiuimus, ut magis appareret, quàm inſulſè iſte homo interprætatus ſit tex. illum. Et ſomnia dicit homo iſte de iſtis intellectibus, & loquitur ex uoluntate, nō ex ratione, quod nō decet philoſophum. ſicut etiam loquitur ex uoluntate, cùm reſpondet ad argumentum, quod factum fuit aduerſus Alexandrum, exiſtimantem intellectum agentem eſſe Deum, quod
» quidem tale uidebatur eſſe: Quicquid Deus ac diuinæ mentes infra cœlum circa
» hunc mundum inferiorem operantur motum ac lumen cœli, id apertè operari pro
» bauit dicens, hoc eſſe intelligendum de formis ac uirtutibus, quæ in materia natu-
» rali recipiuntur: ſed uirtutem in ipſis rebus diſperſam, qua res fiunt intellectæ ma-
» terialibus ueluti in ſubiecto, non recondit Deus, ſed ſunt intellectę ab hac uirtute,
» ut in intellectu potentiæ reconduntur. Etenim eſſet quærendum ex hoc homine, unde ipſe didicerit hanc interprætationem, & quæ ſit cauſa quæ impulerit ipſum ad ponendum hanc uirtutē diſperſam in ipſis rebus, qua res ſint intellectæ: ſed cū nulla neceſsitate cogatur, & nullum ſit ſignum huius uirtutis, neceſsitas cogit ut putemus ipſum ſomniaſſe hanc rem. intellectio enim poteſt ſeruari, poſito intellectu agēte parte animæ noſtræ, & poſitis phantaſmatibus: ſuperuacaneū ergo eſt uelle ponere aliam uirtutem, quæ nullo ſigno percipi poſsit. etenim ſi intellectus noſter eſt eductus ex potentia materię (ut ipſe opinatur) nulla neceſsitate cogimur ponere intellectum agentem, ut ex ſuperioribus perſpicuum eſſe opinor: quia non ponimus intellectum agētem, niſi quia intellectus poſsibilis eſt ſeiunctus à materia,

&

& eſt in pura potentia, qui ob has cauſas non poteſt moueri à phantaſmatibus,
neq; à ſe ipſo, cũ ſit pura potentia, quæ ſunt materialia. Neceſsitas igitur cogebat,
ut in anima daretur una uirtus, quæ abſtraheret ipſa phantaſmata à materia, quæ
abſtractæ mouerent intellectum poſsibilem, qui erat in pura potentia. quod ſi in-
tellectus fuiſſet immerſſus materiæ, licet fuiſſet etiã in pura potẽtia ad ſpecies intel
ligibiles, nulla neceſsitate cogeremur ponere intellectum agentẽ: quia phantaſma
ta materialia poſſent ipſum mouere: ſicut non cogimur ponere ſenſum agentem,
propterea quòd ſenſibilia ſine auxilio alicuius poſſunt mouere ſenſum, licet ſint
materialia: propterea quod & ipſemet ſenſus eſt materialis. etenim eſt eductus è
potentia materiæ. & iſta eſt cauſa, quare nõ detur ſenſus agens: quia ſenſibilia ſunt
ex ſe idonea ad mouendum ſenſum, non illa quam attulit in hoc eodem capitulò
homo iſte.

SECTIO SEXTA.

HIs explicatis, ueniamus modò ad eas interpretationes, quas homo iſte tradit,
uerbis Ariſtotelis, in quibus uidet̃ ponere animi noſtri immortalitatẽ. & pri
mo explicat ea uerba quæ attulit. 9. tex. 12. Meta. Vnde inquit, quod quando Ari 12. Meta.
ſtoteles dixit: Si uerò poſterius quiſpiã remaneret, conſiderare oportet, in quibuſ- tex. 9.
dã enim nihil prohibere uideatur: ueluti ſi anima tale ſit non omnis, ſed mens ipſa, «
ut enim omnis permaneat, fieri ſortaſsè nõ poteſt, inquit ergo Ariſtotelẽ in confu «
ſo accepiſſe intellectum, non explicans an de uero intellectu, qui eſt intellectus in «
actu, uel de intellectu potentia loquatur, quoniam hic non erat aptus locus: & pro «
pterea dixit eſſe conſiderandum, quoniam ſcilicet nomen intellectus ambiguum «
eſt. quę omnia uidentur omnino à ueritate abhorrere, quia apertiſsimè Ariſtoteles «
loquitur de intellectu qui eſt forma hominis, alioquin non conueniret in rem. ete- «
nim loquitur de formis. dixit enim: Mouentes igitur cauſam antecedunt, at hæc «
quæ ſunt, ut ratio cauſæ ſimul ſunt, cum enim homo eſt ſanus, tunc ſanitas eſt. Figu «
ra etiã æneæ pilæ, & ipſa ænea pila, ſunt ſimul. Accipitur ergo hic intellectus, ut eſt
forma: & ita pro anima rationali. ſed appellatur intellectus, quia operatio ipſius
per intellectum poſsibilem eſt manifeſta. concedamus tamẽ ipſum loqui dubitan
do, non quia nomen intellectus eſſet ambiguum: ſed quia ambiguũ erat, an aliqua
forma remaneret poſt. quia uidere hoc, attinebat ad librum de Anima: ſatis tamen
erat, quod ipſe innueret ſe dubitare de mente. quã niſi exiſtimaſſet immaterialem,
non erat locus huic dubitationi. quia dubium non eſſet de aliqua forma, an rema-
neret poſt, ſi omnes fuiſſent materiales. Quare tex. iſte, quem citauimus in ſuperio
ribus, maximè fauere tenentibus animi immortalitatem, neminẽ (modò ſit ſanus)
latêre arbitror. Reijcienda igitur uidetur explicatio huius uiri ſuper tex. illum.

Quæ uerò dicuntur ab illo cap. 22. aduerſus Auerroem, ponentẽ immixtum, im-
paſsibilem, & ſeparatum non poſſe accommodari niſi ſubſtantiæ æternæ: quia à
nobis in ſuperioribus ſæpe ſunt refutata, ea ommittenda iudicauimus. Sed dici-
mus, ipſum uideri pugnare cum ſua ipſius ſententia, cum inquit: Et quanquàm in- «
tellectus agens, ut nobiſcum unitur, & ut dicitur agens in nobis nullam actionem «
habet æternam: tamen in prima philoſophia, & octauo libro Phyſicorũ, aſſeritur in prima
eius æternitas ob motum inceſſabilem & æternum. etenim id quod probatur eſſe Phil. & 8.
æternum in lib. 8. Phyſi. & in prima philoſophia. Nihil aliud eſt, quàm Deus, & in- Phyſ.
telligentiæ, ut perſpicuum eſt ibi. ſi ergo æternitas intellectus agentis eis in locis aſ
ſentitur, in dubiũ uenire non poteſt, quin intellectus agens ſit Deus, uel una ex in
telligentijs. ſed hoc negauit in ſuperioribus, ergo ut pugnet cum ſua ipſius ſenten
tia neceſſe eſt.

SECTIO SEPTIMA.

SEd quid dicere potuiſſet, quod magis cum Ariſtotele pugnaret, quàm aſſerere, «
illa tria prædicata, nõ proferri ab Ariſtotele de Anima, ut eſt ſubſt. uel accidẽs: «
ſed de facultate animæ, ut eſt potentia cognoſcens: & quòd hac ratione eſt immi- «
xta, quia cognoſcit ſine organo: & eſt impaſsibilis per ſe, quia ab obiecto non pati «

» tur:& deniq; in operatione, quæ eſt intellectio, non communicat cum aliqua actio
» ne corporea, & ſic ſeparabilis." Certe nihil (mea quidē ſententia) poteſt dici, quod
magis Ariſtoteli repugnet. & ut uideamus hanc rem, accipiamus propoſitionem
1. de Aim. ſuam, quam fecit in primo lib. tex. primo, ubi inquit: Propter utraq;, animæ hiſteri-
tex. 1. am rationabiliter utiq; in primis ponemus. Deinde ſubſequutus eſt: Videtur au
1. de Anim. tem ad ueritatem omnem cognitio ipſius multum proficere, maxime autem ad na-
tex. 2. turam, eſt enim tanquam principium animalium.
1. de Anim. Poſtremò addit, quid uelit de ipſa cōſiderare. quē tex. citauimus etiā in ſuperiori
tex. 3. bus, ad aliud probandum, dicens: Inquiremus aūt conſiderare naturam ipſius, &
» ipſius ſubſtantiam, poſtea quæcunq; accidunt circa ipſam: quorum aliæ propriæ
» paſſiones uidentur, aliæ aūt communes, & animalibus per ipſam ineſſe. Qui-
bus omnibus uerbis perſpicuum eſt ipſum proponere, ſe uelle loqui de ſubſtantia
animæ, quia ſola ſubſtantia animæ eſt illa quæ propter utraq; in primis eſt ponen-
da. & ſola illa, quæ eſt principium animalium: & eſt illa, quam dixit inquirere & cō
ſiderare oportere.

Item, cū omnes dubitationes quas proponit Ariſtoteles, & refellit in primo de
Anima, intelligantur de ſubſtantia animæ: & propoſitio eius in principio 2 de
Anima, & definitio quam eo in libro ponit, intelligatur de ſubſtantia animæ, quia
intelligitur de anima quæ eſt ſubſtantia & forma intellectus, de quo loquutus eſt
2. de Aim. in 2. de Anima, tex. 21 de quo dixit uideri genus alterum animæ, & intelligitur pro
tex. 21. ſubſtantia ſua, quia ut pars eſt animæ.
2. de Aim. Item in tex. 33. 2. de Anima inquit, loquens de partibus animę: Neceſſarium eſt,
tex. 33. inquit, debentem de his perſcrutationem facere, accipere unumquodq; horum,
» quid eſt: poſtea ſic de ſequenribus. ſi aūt oportet dicere quid unūquodq; ipſorum,
ut quid intellectiuum & ſenſitiuum uegetatiuum ſit: prius dicēdum eſt, quid ſit in-
telligere, & quid ſentire.
3. de Aim. Item, in principio 3 libri (quem locum citauimus etiam in ſuperioribus, in aliam
tex. 1. occaſionem) dixit: De parte autem animæ, qua cognoſcit & ſapit anima, ſiue ſepa-
» rabili exiſtente, ſiue non ſeparabili ſecundum magnitudinem, ſed ſecundum ratio
» nem conſiderandum eſt, quam differentiam habeat, & quomodo quandoq; fiat ip
» ſum intelligere. Quibus uerbis apertiſsime oſtēdit, ſe loqui de parte animæ pro
» ſubſtantia, nō pro facultate cognoſcendi. ſi igitur omnia quæ dicta ſunt, perſpicuè
intelligantur de ſubſtantia animæ: ergo neceſſe eſt, quòd cùm ipſe dicat 3 de Ani-
3. de Aim. ma, Impaſsibile ergo oportet eſſe, & ſuſceptiuum ſpeciei, & ſe habere ſicut ſenſiti-
tex. 30. uum ad ſenſibilia, & intellectiuū ad intelligibilia: & quod dicat, quare neq; ipſius
eſt eſſe naturam quandam, niſi hanc quod poſsibilis ſit qui uocatur animæ intelle-
3. de Aim. ctus. Dico autem intellectum, quo opinatur & intelligit anima. Item cùm inquit:
tex. 5. Vnde neq; mixtū rationabile eſt ipſi corpori: qualis enim utiq; fieret aut frigidus,
3. de Ani. aut calidus." & utiq; aliquod organum ei erit, ſicut ſenſitiuo: nunc aut nullum eſt.
tex. 6. Item cùm dixit: Senſitiuum aut non ſine corpore intellectus aut ſeparabilis, &
3. de Aia. in alijs locis ſequentibus.
tex. 6.

Si ergo ita dicat, ut patet: neceſſitas cogit, ut loquutus ſit de intellectu pro ſub-
ſtantia, alioquin non præſtitiſſet id quod pollicitus fuit in primo libro. nam nihil
profeciſſet ad cognitionem animalium, quia non docuiſſet ipſam ut principiū ani-
malium, & non docuit ipſam ut ſubſtantia, ex ſententia huius hominis. Itē non
docuiſſet naturam, & ſubſtantiam ipſius animæ, neq; eius proprietates: non igitur
docuiſſet naturam & ſnbſtantiam ipſius hominis, ergo neq; aliarum rerum: quia
non eſt maior ratio unius partis animæ, quàm alterius: quod eſt abſurdiſsimum.

Item, quæſtiones quas propoſuit de ſubſtantia animæ & definitio animæ gene
ralis, quæ eſt de ſubſtantia animæ, ut perſpicuum eſt: quia non omnis anima in illis
libris tractatur, quo ad ſuam ſubſtantiam ex ſententia huius.

Item. quæ dicit in 21. tex. 2 de Anima, ubi perſpicuè loquitur de ſubſtantia intel-
lectus, fruſtra fuiſſent dicta: & tamen neq; in his libris, neq; etiam in alio loco decla
raſſet, nunquid intellectus eſſet aliud genus animæ, & nunquid cōtingeret ſepara
ri ſicut perpetuum à corruptibili.

Ite m

Item, non declaraſſet quid eſſet unaquæque pars animæ, ſicut pollicitus erat in 33. tex. 2 de Anima: quia non declarat quid eſſet intellectus, ex huius hominis ſententia.

Item, fruſtra in primo tex. 3 libri propoſuit, ſe uelle conſiderare de parte animæ, qua cognoſcit & ſapit anima, ſiue ſeparabili exiſtente magnitudine, ſiue ſecundū rationem: quia illud intelligitur de ſubſtantia animæ. & patet, quia dubium eſt, an ſecundum ſubſtantiam ſit partibilis ſecundum magnitudinem, an ſecundum rationem.

Item, non loquutus fuiſſet de intellectu, ut loquutus eſt de ſenſu: quia non declaraſſet quid eſſet intellectus, ſicut declarauit quid eſſet ſenſus. non enim eſt maior ratio unius partis, quàm alterius.

Sed cùm omnia iſta ſint ita abſurda, quàm quę ſunt abſurdiſsima, neceſsitas cogit ut ſit abſurdiſsimum, quod aſſerit iſte homo, Ariſtotelem nō attribuere iſta tua prædicata intellectui, ut eſt ſubſtantia aut qualitas, ſed ut eſt facultas cognoſcendi: quia non poſſunt conuenire intellectui, niſi pro ſubſtantia: quia ut ſubſtantia non patitur (etenim eius ſubſtantia non corrumpitur) & ut eſt ſubſtantia, non eſt mixtus cum corpore: & ut eſt ſubſtantia nō habet corporale organū: & ut eſt ſubſtantia, ſeparatur à corpore, quia ſeparatur ab hoc uel ab illo corpore, licet non ſimpliciter, ut dictum eſt, à quo non ſeparatur ſenſus ſubſtantia.

Præterea eo modo debemus intelligere intellectum potentia eſſe immixtum, et ſeparabilem, & impaſsibilem: quomodo intelligimus intellectum agentem eſſe ſeparabilem, immixtum, & impaſſibilem. etenim ex hoc quòd intellectus poſſibilis eſt ſeparabilis, & immixtus, & impaſſibilis, probauit (ut diximus) intellectū agentem eſſe huiuſmodi: ſed intelligimus intellectum agentē, quoad ſuam ſubſtantiam, eſſe immixtum cum corpore, & ſeparabilem à corpore, & impaſſibilem ut eſt perſpicuum: ergo neceſſitas cogit, ut intelligamus intellectum poſsibilem, quatenus ſubſtantia ſit huiuſmodi eſſe. alioquin non potuiſſemus probare illa prædicata de ſubſtantia intellectus agentis, niſi conueniſſent ſubſtantia intellectus poſſibilis.

Etenim eo modo debet intelligi cōſequens, quomodo intelligitur antecedens. Hoc enim oſtendit Ariſtoteles primo Poſt. cap. primo, quod in ſuperioribus ob uarias occaſiones citauimus. ſi ergo antecedens non intelligitur pro ſubſtantia, ergo neque conſequens: & ſi perſpicuum eſt cōſequens intelligi de ſubſtantia, in dubium uenire nō poteſt quin antecedens intelligatur de ſubſtantia. opinio ergo huius uiri à ueritate abhorret. 1.Poſt. cap.1.

SECTIO OCTAVA.

QVod deinde in ultimo cap. addidit hæc uerba. Quinetiā intelligere ſeipſam à materialibus abſolui, haudquaquam æternitatem denotat, ſed ſolum habere operationem: cum qua operatio corporalis non communicat, cum non habeat organum. quæ uerba non ſolum pugnantia aſſerunt, uerum etiam (quod multò peius eſt) negantia. nam ſi operatio intellectus non communicat cū organo, cum non habeat organum: ergo intellectus non eſt mixtus cum corpore, ergo non eſt mixtus cum materia. corpus enim eſt materia. ſi non eſt mixtus cum materia, ergo non poteſt interire ad interitum materiæ, uel corporis. Probatur conſequentia: omnis enim forma quæ corrumpitur, corrumpitur ratione corporis, quia eſt mixta cum corpore. etenim ſi non eſt mixta cum corpore, quomodo fieri poteſt ut corrumpatur ad corruptionem corporis? nō enim in eſſe pendet à corpore, ergo non poteſt interire ad interitum corporis. ſed hoc repugnat ſuæ ſententiæ, ergo negantia aſſerit.

Item, ſi abſolui à materialibus non oſtendit æternitatem ex ſua ſententia, ergo fieri non poteſt ut demonſtremus, Deum & intelligentias eſſe æternas. Probatur conſequentia: quia nō probantur ex alio medio, quam ex hoc (ut patet 8. Phyſ. & 12. Meta.) quod ſunt abſolutæ à materia, ut diximus etiam in ſuperioribus. Et hoc addiſcit, quia mouent æterno tempore. etenim dixit Ariſtoteles ultimo tex. 8. 8.Phyſ. & 12.Meta.

 Phyſic.

8.Phyſ. tex.ult. Phyſic. Primum autem mouens perpetuum habet motum, & in infinito tempore, manifeſtum quod indiuiſibile & impaſsibile, nullam habens magnitudinem. Et 12.Met. 28 tex. in 12. Meta. tex. 28. (quo etiam textu uſi ſumus in ſuperioribus in aliam rem) inquit: Demonſtratum eſt & hanc ſubſtantiam nullam magnitudinem habere poſſe, ſed » partibus carere, atq; indiuiſibilem eſſe, quia mouet in infinito tempore. Ex hoc ergo quod non habens magnitudinem, probatur quòd ſunt æternæ, & non alio modo poteſt probari: ergo ſi nō habere magnitudinem, quod nihil aliud eſt quàm abſolui à materialibus, non oſtendit æternitatem: ſequitur, fieri non potuiſſe, ut Ariſtoteles oſtenderet Deum & intelligentias eſſe æternas, ſed hoc dici non poteſt, ergo opinionem ſuam ab Ariſtotelis ſententia omnino alienam eſſe liquidò perſpicitur. Reijcienda ergo in peripatetica uia. Hæc ſunt, quæ mihi uiſa ſunt dicenda aduerſus Simonem Porcium: cuius ſententiam nullo modo eſſe probandam iudicamus, propterea quòd ueritatem & ſentētiam Ariſtotelis, quam tamen profitetur, ita uidetur labefactare atque conuellere, ut nullo pacto poſsit ſuſtineri. aliorum tamen ſit iudicium. Maxima enim admiratione afficimur, aliquem inueniri, quem non pudeat uerba Ariſtotelis eo modo interpretari, quo modo interpretantur omnes illi qui opinantur Ariſtotelem animi noſtri mortalitatem aſſeruiſſe.

Coguntur enim (meo quidem iudicio) ea proferre interpretātes uerba Ariſtotelis, quæ ne pueri quidem aſſererent. Quare fieri non potuiſſe opinor, ut ipſi exiſtimarent eam fuiſſe Ariſtotelis ſententiam: ſed ipſos ita opinari, timentes ea incommoda, quæ poſſunt ſequi illos qui animorum mortalitatem aſſerunt, ut tutò hoc poſſent aſſerere: & ob hoc hanc ſententiam Ariſtoteli aſcripſiſſe. uix enim puto fieri potuiſſe, ut aliqui homines tam manifeſto errore tenerentur: cùm perſpicuè pateat, Ariſtotelis nullam ſententiam, quæ eſſet alicuius momenti, alicubi unquam protuliſſe tam apertam, tam manifeſtam, quàm animorum noſtrorum immortalitatem. In omnibus enim locis, in quibus locutus eſt de animo humano, uel demonſtrauit, uel innuit ſemper animorum noſtrorum immortalitatem. etenim licet loquutus ſit obſcurè, ſicut mos eſt ipſius: tamen ſi eius uerba rectè fuerint perpenſa, non dubito quin homines ueniant in eam quam diximus ſententiam, quidquid ſit de rei ueritate propter animorum noſtrorum unitatem.

FINIS LIBRI TRIGESIMISEXTI

Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER TRIGESIMVSSEPTIMVS

SECTIO PRIMA.

CVm reſponderimus maximè Simoni Portio, faciendum uidetur ut reſpondeamus Petro Pomponatio, philoſopho clariſsimo, qui ante Simonem Portium animorum noſtrorum mortalitatem ex Ariſtotelis ſententia defendit: diſſoluentes eius rationes, quantum quidem opera noſtra fieri poterit. Etenim licet ex eis, quæ dicta ſunt, arbitremur ipſas poſſe diſſolui: tamen ſeparatim ob præſtantiam huius uiri, uoluimus aliquid dicere, cum præſertim eo etiam Præceptore nos uſi fuerimus, de quo etiam in ſuperioribus meminimus.

In primis ergo dicimus, omnes rationes, omnes Ariſtotelis auctoritates, quas collegimus in ſuperioribus, ad probandam & ſtabiliendam animorum noſtrorum immortalitatem ex Ariſtotelis ſententia, omnes dico illas euertere (ut nos opinamur) ſententiam huius clariſsimi uiri: ut interpretationes quas ipſe affert, nullius eſſe momenti, in ſequentibus palàm faciemus. Sed in primis ponamus eius rationes principales, ipſasq; diſſoluere conemur. Arguere ergo uidetur primò 4.de Anim. in cap. ſui libri de immortalitate animæ, ad hunc modum: Vel anima intellectiua habet

habet aliquam operationem omnino independentem à corpore, tanquam à ſubiecto & obiectò, uel nullam.

Dico, quòd intellectus nullam habet operationem independentem à corpore, quia omnis eius operatio pendet à corpore, quod repræſentat ſibi phantaſmata. cùm dicit, ergo eſt mortalis, negatur conſequentia: quia hoc modo pendere à corpore non arguit mortalitatē: ſed pendere à corpore, tanquā ab organo. Quod uerò dicit, quod nō pendet à ſubiecto in eſſe, ergo neq; in operari: dico, quod non pendet in operari à ſubiecto, tanquam ab organo: ſed bene à ſubiecto pendet in operari, quia repræſentat ſibi obiecta. at illud quidem uerum eſt, quod operatio ſequitur eſſe. nam quia intellectus eſt abſtractus, operatio etiam eſt abſtracta, quia uniuerſalis, licet nō intelligat ſine phantaſmate: quod eo, eſt neceſſarium, ut repræſentet obiectum.

Item dum dicit, Cùm itaq; ſecundum eſſe intellectus ſit actus corporis Phyſici organici, ergo in omni ſuo opere pendet ab organo, aut tanquàm à ſubiecto, aut tanquàm ab obiecto, nunquam tamen abſoluetur ab organo. Dico, ſi intellgat, quod nunquàm abſoluetur ab organo, id eſt à phantaſia, quæ eſt organica, uerum eſt: ſed tunc non ſequitur, quòd ſit mortalis, ut diximus in ſuperioribus, ad quē locum me reijcio.

Si uerò intelligat, quòd nunquàm abſoluetur ab organo, id eſt quòd ſemper ipſe utetur inſtrumēto corporali, & habeat inſtrumentum corporale: hoc eſt quod negamus, ut oſtendit Ariſtoteles 3. de Anima, tex 6. & nos declarauimus hoc in ſuperioribus: & concedimus, quòd anima rationalis eſt ſemper actus corporis Phyſici organici. negamus tamen ex hoc ſequi (ut diximus) quòd ipſa ſit mortalis, quia non omnis actus corporis Phyſici organici eſt mortalis, ſed ſolum ille actus qui in ſui opere utitur, non dico corpore, ſed inſtrumēto corporali: quia hoc eſt id, quod demonſtrat ipſum actum eſſe eductum ex potentia materiæ. & ita quòd non eſt ſeparabilis à corpore, ſed actus ille qui non utitur organo corporali, in quo exerceat ſuum opus, licet non ſit ſeparabilis à corpore ſimpliciter, eſt tamen ſeparabilis ab hoc uel ab illo corpore: & hoc oſtendit immortalitatem. ſed concedimus, animam intellectiuam ſemper conſiderari, ut anima in philoſophia naturali: quia ut eſt principium animalium, & omnibus modis conſiderata eſt philoſophia naturalis (ut diximus in ſuperioribus) & indiget corpore, quod eſt ſubiectum ipſius, ſicut quælibet forma indiget materia, quæ ipſam deſerat: indiget ergo corpore, ut ſubiecto. & hoc etiam nō oſtēdit mortalitatem: quia hoc modo omnis forma eſſet morralis, ut intelligentię ipſæ non poſſunt ſtare ſine corpore. in intelligendo uerò nō indigent corpore, quod ipſis obiectum repræſentet: quia nihil intelligunt extra ſe, ſed ſunt puri actus. neq; etiam intellectus noſter agens nō indiget corpore in intelligēdo, quia eſt purus actus. cauſa autem quare intellectus noſter indigeat corpore, non ſolum ut ſubiecto, uerum etiam ut repræſentat ſibi obiectum, eſt, quia eſt in pura potentia: quia caret omni ſpecie, & eſt natum ad recipiendum uniuerſale, & eſt immortalis. tantū enim abeſt ut ipſe ſit mortalis, quia indigeat phantaſia, quæ repræſentet ſibi obiectum, ut ex hoc manifeſtiſſimè ſequatur ut ſit immortalis: quia ſi eſſet immerſus materiæ, non indigeret phantaſia, quia eſſet phantaſia. quare loquutus eſt Ariſtoteles diſiunctiuè: quòd ſi intelligere eſt phantaſia, uel non ſine phantaſia, quia hæc erant diuerſa. Nihil eſt ergo quod dicit Petrus Pomponatius: & falſum eſt quod dicit, quod eſſe phantaſiam, & indigere phantaſia, conuertantur ſimplicirer, & quod unum ſit declaratio alterius: quia phantaſia non indiget phantaſia: imò illud quod indiget phantaſia, non poteſt eſſe phantaſia. Et hoc patet ex multis locis, ſed præſertim ex eo in quo dixit, Neceſſe eſt intelligentem ſimul phantaſmara ſpeculari.

Item, ſenſus non eſt idem, quod illud quod indiget ſenſu: aliud enim eſt eſſe ſenſum, & aliud eſt indigere ſenſu. intellectus non eſt ſenſus exterior, indiget tamē ſenſu exteriori: quare perpetam, meo iudicio, loquitur Pomponatius.

SECTIO SECVNDA.

CVm uerò inquit, uerificari intellectum eſſe inſeparabilem, ſiue ſit phantaſia, ſiue cum phantaſia: dico, ex his quidem duobus ſequi, ut ſit inſeparabilis à corpore, ſed modo diuerſo. quia ſi eſt phantaſia, nullo modo eſt ſeparabilis à corpore. quia neq; à corpore ſimpliciter, neq; ab hoc uel ab illo. ſed ſi eſt cum phantaſia, eſt bene inſeparabilis à corpore ſimpliciter, quia ſemper eſt in aliquo corpore: tamen eſt ſepatabilis ab hoc uel ab illo, ut à Socrate uel à Platone, non tamen ab homine ſimpliciter: ſicut materia prima ſeparatùr ab hac uel ab illa forma, non ſeparatur tamen à forma ſimpliciter, quia non eſſet in re. Quare neceſſe fuit, ut corruptio unius eſſet generatio alterius: non ſequitur tamen ex hoc, ut ſit materialis, id eſt eductus ex potētia materiæ: imò ſequitur ut ſit immarerialis, quia indiget phantaſia, & non eſt phantaſia. quia ſi eſſet materialis, non indigeret phantaſia (ut diximus) ſed eſſet phantaſia.

Deinde reſpondentes ad id quod addidit Pomponatius, concedimus intellectum non eſſe ſine phantaſmate: id eſt, non intelligere ſine phantaſmate (ut diximus in ſuperioribus) ſicut ſenſus non ſentit ſine præſentia ſenſibilium: quia phantaſmata ad intellectum habent eam proportionem, quam habent ſenſibilia ad ſenſum (de qua propoſitione longum inferius habebimus ſermonem) ut declarauit
3. de Aim. Ariſtoteles multis in locis (ut diximus ſuperius) ſed præſertim in rex. 39. ubi in-
tex. 39. quit: & cum ſpeculetur, neceſſe eſt ſimul phantaſma aliquod ſpeculari. phantaſma
» ta enim ſicut ſenſibilia ſunt, niſi quod ſunt ſine materia. non eſt tamen phantaſia,
» ut ex loco nunc citato colligitur. Dico, quòd indiget ſemper corpore ut ſubiecto: quia omnes formę indigent corpore ut ſubiecto, Indiget etiam intellectus corpore ſemper, ut repræſentetur ſibi obiectum, ut dixit Ariſtoteles, ex ijs tamen non ſequitur aliquod abſurdum.

Item dico, ad aliud intellectum noſtrum nullam habere operationem, quæ non pendeat à corpore, hoc modo, id eſt extra corpus: quia nunquam ex hac uia, ſalia tamen ſeparatur à corpore ſimpliciter. & hoc etiam modo pendet à corpore: quia pendet à corpore tanquam ab eo qui repræſentet ſibi obiectum: negamus tamen, quod habeat operationem pendentem à corpore, id eſt à parte corporis determinata, in qua intellectus exerceat ſuum opus. quia ſi haberer iſtam operationē ſuam in aliqua parte corpotis determinata, ſicut habet ſenſitiuum, haberet organum: & tunc eſſet mixtus cum corpore, & corruptibilis ſicut ſenſitiuum: quia hoc modo pendere à corpore demonſtrat mortalitatem. ſed iſti uidentur decepri fuiſſe, credentes quia intellectus ſemper operetur in corpore, ſimpliciter: & ideo non ſit ſeparabilis à corpore ſimpliciter, quod nō ſit etiam ſeparabilis ab hoc, uel ab illo. ſed hæc longè diuerſa ſunt. Ariſtoteles enim demonſtrauit, intellectum non habere otganum, ſicut ſenſitiuum: id eſt, non habere determinatam partem corporis, in quo exerceat ſuum opus. ex quo ſequebatur, quòd non erat mixtus cum corpore. conceſsit tamen, ipſum intelligere in corpore uniuerſali: ſed tamē dixit ipſum non poſſe intelligere ſeorſum à corpore, quia neceſſe eſt intelligentem ſimul phantaſmata ſpeculari, uoluit tamen hoc immortalitatem oſtendere: ſed illud indigere corpore, id eſt parte determinata corporis, in qua exerceret ſuas operationes. &
3. de Ani. hoc conſpicuum eſt ex eius uerbis, ut ex tex. 6. tertij de Anima, & ex eis locis qui-
tex. 6. bus dixit eſſe ſeparabilem à corpore, & non ſeparabilem: ſeparabilem ab hoc, & ab illo: non ſeparabilem, ſimpliciter. Decipitur deinde Pomponatius (meo iudicio) cum dicat, primam demonſtrationem 3 de Anima probare intellectum eſſe materialem, quia recipit omnes formas materiales. quia illud non ptobauit Ariſtoteles, ut nos oſtendiſſe in ſuperioribus opinamur: ſed Ariſtoteles illa ipſa demonſtratione oſtendit intellectum eſſe immixtum ſpeciebus, quia intelligeret omnia ſcilicet oppoſita. quare ex hac nihil poteſt concludere, cum imitatur fundamento falſo.

Et dico, ad concludendum ſeparabilitatem inſeparabilitati oppoſitam, non oportere coniunctim aſſumere (ut dicit Pomponatius) neque eſſe phantaſiam, & in ſui opere non pendere à phantaſia: quia ſi Ariſtoteles uoluiſſet ipſum ſeparabilem

bilem ſimpliciter, & per ſe exiſtentē, & operantē ex ſe, oportuiſſet oſtēdere, quod
non eſſet phantaſia, & quòd non indigeret phantaſia. ſed ſolum uoluit oſtendere,
quòd erat ſeparabilis ab hoc, uel ab illo corpore, non ſimpliciter: quia hoc non po-
terat dicere, quia nullum dabatur ſignum alicuius operationis propriæ ſeorſum à
corpore. quare fuit neceſſe oſtendere, ipſum non eſſe phantaſiam, ſed non ſine
phantaſia: & ita concedimus ipſum pendere à corpore, tanquam à ſubiecto, & tan
quam ab eo quod repræſentat obiectum: negamus tamen ex hoc ſequi, quòd ſit
materialis.

Quod uerò ſubiungit, indigere corpore tanquam ſubiecto, & eſſe uirtutem ma «
terialem conuerti, quia ſua oppoſita conuertuntur: eſt ita abſurdum, quàm quod «
abſurdiſsimum. etenim indigere corpore ut ſubiecto, & eſſe uirtutem materialem, «
eſt ita abſurdum, quàm quod abſurdiſsimum: quia intellectus noſter, & intelligen-
tiæ omnes, & omnes formæ indigēt corpore tanquam ſubiecto, quod informent:
quia non datur aliqua forma, quæ non indigeat corpore tanquam ſubiecto. quare
dixit Ariſtoteles 2. de Anima, tex. 26. tex. ſuperius citato, uniuſcuiuſq; enim actus 2. de Anim.
in potentia exiſtente, & in propria materia aptus natus eſt fieri. Intelligentiæ ergo tex. 26.
cùm ſint actus, ſunt aptæ natæ eſſe in propria materia, eo tamen modo, quem dixi-
mus in ſuperioribus, & 8. Phyſ. tex. ultimo inquit: Neceſſe eſt aut in medio, aut in 8. Phyſ.
circulo eſſe: hæc enim principia ſunt. ſed citius mouentur proxima mouenti. Hu- tex. ult.
iuſmodi autem eſt totius motus: ibi ergo eſt mouens, quod mouens cùm ſit in mo- «
bili, & intelligentiæ ſint mouentes, ſunt igitur in mobili. quia omnis forma, ut di- «
ctum eſt, eſt in aliqua materia tanquam in ſubiecto ſuo: non tamen omnis forma
eſt materialis. Deus enim, & intelligentiæ, ſunt in cœlo, tanquam in ſubiecto: & ta-
men non ſunt materiales, id eſt eductæ ex potentia materiæ. Perperam ergo di-
xit homo iſte: & ita patet ipſum perperam attuliſſe propoſitionem illam ex primo
Poſter. Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, & negatio negationis, quia & affirma-
tio & negatio à ueritate abhorrent, & à ſententia Ariſtotelis.

SECTIO TERTIA.

QVod uerò hæc uerba addidit: Quid igitur Ariſtoteles ad materialitatem cō
cludendam appoſuit, præter phantaſia non eſſe ſine phantaſia? peccat enim
per fallaciam non cauſæ ut cauſa: quandoquidem præciſam cauſam immaterialita-
tis inquit eſſe nō indigere corpore, ut ſubiecto. præ ſe fert enim ignorationem Ari
ſtotelis ſententiæ, & falſum aſſerit. Primùm oſtenditur, quia Ariſtotelis propoſi-
tum non fuit oſtendere illis uerbis materialitatem intellectus, ſed oſtendere intelle
ctum non ſeparari à corpore ſimpliciter, & dixit, ſi fuiſſet phantaſia, uel non ſine
phantaſia, quod non contingebat ipſum ſeparari à corpore ſimpliciter, & hoc ſatis
erat ei in illo loco, differenter tamen, ſi fuiſſet phantaſia, non fuiſſet ſeparabilis à cor
pore ab eo, quod ſi non fuiſſet ſine phantaſia, quia ſi fuiſſet phantaſia, non fuiſſet ſe
parabilis neq; à corpore ſimpliciter, neq; ab hoc, uel ab illo: & tunc fuiſſet materia
lis, quia quod nō ſeparatur ab hoc, uel ab illo corpore, apparet eductum eſſe ex po
tentia corporis, ſed ſi non fuiſſet ſine phantaſia, ſequeretur ipſum non ſeparari à
corpore ſimpliciter, non tamen ab hoc, uel ab illo, quod uerò ſeparatur ab hoc, uel
ab illo, non educitur ex potentia materiæ, perſpicuum eſt, præ ſe fert ergo ignora
tionem rationis Ariſtotelis. Falſum uerò (ut opinor) aſſerit eam præciſam cauſam
materialitatis eſſe non indigere corpore, ut ſubiecto, quia (ut dictum eſt) nulla for
ma eſt talis. Anima enim rationalis nunquam erit ſine corpore ſimpliciter, quia
ſemper reperietur in aliquo corpore, eſt enim actus corporis: & ob hoc dixit Ari
ſtoteles, quem locum citauimus etiam in ſuperioribus 2. de Anima tex. 26. & pro- 2. de Ani.
pter hoc bene opinantur quibus uidetur neque ſine corpore eſſe, neque corpus tex. 26.
aliquod anima, uolens ſignificare ipſam nunquam eſſe extra aliquod corpus,
cùm ergo dixit alibi ipſam eſſe ſeparabilem à corpore, uoluit dicere ab hoc, uel
ab illo, & hoc demonſtrat immortalitatem, ſed præciſa cauſa immaterialitatis eſt
non indigere organo, id eſt parte determinata corporis, in qua exerceat ſuum
opus,

ctum, ut dictum eſt in ſuperioribus, ſi homo generat hominem, uidetur generare, quod facit hominem, & ita uidetur generare intellectum, & ſi intellectus generaretur, neceſſitas cogeret, ut intellectus multiplicaretur: ſed quod ex hoc non ſequatur, quod intellectus generetur ab hoc in ſuperioribus oſtendimus, prætcrea etiam homo generatur, & tamen non generatur materia prima, quæ eſt pars hominis. etenim licet partes ſint pręexiſtentes ſeorſum, antequã conſtituant hominem attamen cùm coniunguntur, dicuntur generare hominem, licet ipſæ non generentur. quia homo eſt partes illæ coniunctæ, non ſeiunctæ. ſed quoniã de hoc tex. longum in ſuperioribus habuimus ſermonem, ad eum locum nos reijcimus.

SECTIO QVINTA.

QVantum uerò attinet ad ea, quæ dicuntur à Petro Pompo. in libro ſuo de immortalitate animæ de ſenſitiuo, & intellectiuo, dicimus nos aſſeruiſſe intellectum eſſe alterum genus animæ reipſa, & ſeparari à ſenſitiuo, ſicut perpetuum à corruptibili, quia intellectiuum eſt perpetuum, & ſenſitiuum eſt corruptibile. quæ omnia colliguntur ex uerbis Ariſtot. in ſuperioribus citatis dixit intellectũ eſſe impaſſibilem, non mixtum cum corpore. Et ſeparari à corpore, quod non facit ſenſitiuum, & attulit demonſtrationẽ, quam in ſuperioribus oſtẽdimus: & ſignificat hoc in omnibus locis, in quibus innuit intellectum eſſe abſtractum à materia. & præſertim tex. 20 tertij de Anima, quem totiens citauimus, dixit enim, hoc quidẽ impaſſibile eſt, paſsiuus autem intellectus corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit: quæ uerba in ſuperioribus ſæpe explicauimus, & in eis, quæ ſequentur, magis explicabimus, & ad ea uerba, quæ dicit cap. 9. reſpondentes concedimus hominem componi ex anima intellectiua, & corpore, tanquam ex forma, & materia quicquid dicerent illi, aduerſus quos argumentatur. tex. 20. 3 de Anima.

Nos enim loquimur ex ueritate peripathetica, & propoſitum eſt nobis oſtendere rationes ſuas nihil cõcludere aduerſus ea, quæ nos aſſeruimus ex Ariſtot. ſententia de animi immortalitate.

Et falſum etiam eſſe in ſuperioribus oſtendimus, ponere in homine plures formas ſubſtantiales, quarum una ſit materialis, & altera immaterialis ſit, repugnare Ariſtot. doctrinæ. nam tantum abeſſe opinamur, ut hoc pugnet cum eorum, qui uerè ſunt peripathetici, ſententia, ut etiam eorum opinioni ita concinit, ut ſi aliter diceretur, uniuerſa de animo humano doctrina corrueret: ut ex eis, quæ in ſuperioribus libris à nobis diſputata ſunt, conſpicuum eſſe arbitramur.

Quod uerò addit hanc ſententiam experientiæ reclamare: hoc eſt, quod non damus, cùm affert probationem, dicens, Ego nanque, qui hæc ſcribo, multis corporis cruciatibus anguſtior, idemqúe ego, qui crucior, diſcurro per cauſas medicinales, ut refellam hos cruciatus, quod niſi per intellectum fieri non poteſt, hæc damus etiam.

Cùm uerò ſubſequitur, ſi igitur altera ſit eſſentia, qua ſentio, & qua intelligo, quo igitur modo fieri poſſet, ut idem, qui ſentio, ſim idem, qui intelligo. Dico tantum abeſſe, ut ſit abſurdum idem eſſe, qui ſentit, & qui intelligit, ut ſit ſummè neceſſarium: quia hoc poteſt fieri diuerſis principijs ſentire, uidelicet anima ſenſitiua, & intelligere anima intellectiua, imò ſemper eſt ita, quia dum intellectus intelligit, anima neceſſario ſentit. etenim phantaſia, quæ eſt ſenſitiua, ſentit: Iſta ergo non pugnant inter ſe ſentire, & intelligere: ſed fortaſſe magis pugnarent, ſi eadem eſſet eſſentia, qua ſentimus, & qua intelligimus: quia fortaſſe hoc non poſſet fieri ab eadem eſſentia, & ſi poſſet, minus poſſet, quàm ſi poneremus hæc fieri diuerſis eſſentijs, cùm inquit: perinde futurum eſſe, ac ſi duo homines ſimul coniuncti mutuas haberent cognitiones. Dico hoc non eſſe uerũ, quia ex una tantũ harum eſſentiarũ (ut more huius loquar) nõ fit perfectè homo, quia nõ ex ſola ſenſitiua, neq; ex ſola intellectiua, ſed ex ambabus ſimul: eſt ergo idẽ homo ex iſtis duabus eſſentijs, qua ratione unius ſentit, & ratione alterius intelligit. quę tamẽ ſunt ita ordinatę natura inter ſe ob cauſas in ſuperioribus allatas, ut intellectiua nõ poſſet eſſe in aliquo ſubiecto ſine ſenſitiua, quæ ſibi repræſentãt obiectũ, alioquin non poſſet operari.

non

non tamen neceſſarium eſt, ut ipſa ſenſitiua ſit pars intellectiuæ, quia re ipſa eſt ſeiuncta ab ipſa intellectiua.

tex.31. 2. de Anim. Quod ad confirmādam, & ſtabiliendam ſententiam ſuam affert tex. 31. 2. de Anima, Dicimus nos in ſuperioribus oſtendiſſe eum nullam uim afferre ſententiæ noſtræ, propterea quod ille tex. intelligitur de formis: quæ educuntur ex potētia materiæ, quia in illis ſemper in eo, quod eſt conſequenter eſt in potentia, quod prius eſt in figuris, & in animatis, uiſus eſt tamen generaliter loqui, quia nondū demonſtratū fuerat, an intellectus eſſet aliud genus animi, & nunquid ſepararetur, ſicut perpetuum à corruptibili, quod cum erit in 3. demōſtratum, in dubiū uenire non poterit, quin ſit aliud genus, & quin ſeparetur, ſicut perpetuum à corruptibili: & tunc non dicemus ipſum continere potētia alias partes animi, licet eas præſupponat in materia. ſatis enim erat in eo loco Ariſt. quod poſteriores animi partes, quę educuntur ex potentia materiæ, continerent priores potentia, præſertim cum maior pars eſſet talis, quia ſolus intellectus erat ille, qui non continebat potentia priores partes. In cæteris uerò dictum Ariſt. ueritati conſentiebat, quam quidem ſententiam uidetur ſatis indicaſſe Ariſto. in exemplis, quæ attulit in hunc modum, ut » in tetragono quidem trigonum, in ſenſitiuo autem uegetatiuum.

» Deinde paulo pòſt ſubſequutus eſt. Propter quā aūt cauſam conſequenter ſic » ſe habent, conſiderandum eſt, ſine quidem uegetatiua, ſenſitiuum non eſt. à ſenſitiuo autem ſeparatur uegetatiuum in plantis, ijs ergo exemplis uidetur apertè oſtendiſſe Ariſt. ſe non intellexiſſe de omnibus partibus animi, ſed ſolum de eis, quæ ex potentia materiæ oriebantur, quia nullam fecit mentionem de intellectu, de quo paulo antè dixerat tex. citato in ſuperioribus.

2. de Aīa. 21. De intellectu autem, & perſpectiua potentia nihil adhuc manifeſtum eſt. ſed ut detur genus alterum animæ eſſe, & ſeparari ſicut perpetuum à corruptibili, cum igitur dixit nondum eſſe manifeſtum de intellectu, an eſſet aliud genus animæ in tex. 21. & in tex. intermedijs nihil docuiſſet de hac re conſentire rationi non uidetur, ut ipſe tex. 31. generali quadam comprehenſione uoluiſſe complecti ipſum intellectum, de quo nondum declarauerat, an eſſet aliud genus animæ tex. ergo 21. secundi de Anima ita oſtendit, tex. 31. non eſſe in eam ſententiam accipiendum, ut complexu ſuo contineret ipſum intellectum, ſicut & oſtendit Ariſto. fuiſſe huius ſententiæ, ut opinaretur ſemper intellectum eſſe aliud genus animæ. etenim ſi nō uidiſſet eſſe demonſtraturum naturam intellectus nō reuocaſſet in cōtrouerſiam, ſicut de alijs partibus animi. Nihil ergo (mea quidem ſententia) tex. ille 31. fauet opinioni ipſius Pomponatij.

[margin: tex. 21. 2. de Anim. — tex. 3. 2. de Anim.]

SECTIO SEXTA.

IN capitulo uerò octauo uidetur Pōponatius refellere ea, quæ in 7. capitulo attulerat ex ſententia Diui Thomæ, ſed quia nobis non eſt propoſitum tueri ea, quæ dicit Diuus Thomas. ſed Ariſt. ſententiam naturaliter loquentis, non tangemus ſigillatim omnia, quæ ab ipſo dicuntur, ſed ſolum ea, quæ ſimpliciter arbitratus eſt ipſe euertere animi noſtri immortalitatem. Quare dicimus & diuum Thomam, & ipſum Pomponatium, qui aſſentiri uidetur in hac parte Auerroi, credentes Ariſt.

3. de Aīa. tex. 4. 3. de anima tex. 4. ubi dixit:

Neceſſe eſt, quoniā omnia intelligit immixtū eſſe, uoluiſſe probare intellectū eſſe abſtractū à materia, & non à ſpeciebus, longius à ſententia Ariſto. & à ueritate ipſa abeſſe, quàm cœlum diſtat à terra, ſed quoniam in ſuperioribus hæc ſunt à nobis pluribus diſputata, nō opus eſt hic iterū proponere eas rationes, ex quibus colligi luce clarius putamus, hos homines, & Auerroem ipſum falſam de hac re, ac contra Ariſto. ſententiam accepiſſe opinionem: ad illum ergo locū me reijcio, putans ſatis fuiſſe lectorem in hoc loco admonuiſſe.

Dico igitur me in primis illud mirari, hominem hunc celeberrimum aſſerere intellectum eſſe ſecundum quid immortalem, & ſimpliciter mortalem: quia intellectus non coniunctus materiæ eſt incorruptibilis, & coniunctus corruptibilis, quia nunquam poteſt dari intellectus non coniunctus materiæ, quia non datur intellectus ſine operatione. etenim illud illuſtre ac peruagatum eſt, tolle operationes

tiones à rebus, tolles eſſentias, & neceſſe ſit intelligentem phantaſmata ſpeculari. erit ergo ſemper coniunctus materiæ, ex ſententia etiam ipſius nullo modo erit incorruptibilis, quia non habet opus extra materiam, ut diximus in ſuperioribus.

Cum uerò ſubdit, cum in iſta eſſentia ſint quædam, quæ dant ipſam eſſe mortalem, quædam immortalem, quia argumentum eſt ad hominē, tuentur illi aduerſus quos procedit ſententia ſua, nos negamus in eſſentia intellectus, eſſe aliquid, demōſtrat mortalitatem, licet in eſſentia animæ ſenſitiuæ hoc reperiatur, et uegetatiuæ, ſed iſtę eſſentiæ ſunt longè diuerſæ ab eſſentia intellectus, ut probauimus, quare nihil concludit, quod ſententiam noſtram euertat.

SECTIO SEPTIMA.

QVod uerò ſubſequutus eſt climata habitabilia conſpexerimus multo plures feris aſsimilantur, quàm hominibus, interq́ climata habitabilia perrariſſimos inuenies qui rationales ſint, inter quoq; rationales, ſi conſiderabimus, hi ſimpliciter irrationales nuncupari poſſunt. uerum appellati ſunt rationales comparatione ad alios beſtiales, dico quod hæc quæ ſubſequutus eſt, ita uidentur infirmare ſententiam ſuam, ſicut noſtram. etenim et ipſe ponit animam rationalem: neceſsitas igitur cogit ut & ipſe ſoluat iſtam quæſtionem, quia dicet aliquis, ſi homo habet animam rationalem, ut tu fateris, quomodo ſunt ita irrationales homines? hoc enim ex ipſo quęri poſſet, & fortaſſe eſſet difficilius ei, illas obiectiones ſoluere, qui ponit animam rationalem, idem quod ſenſitiua, quia ponit ipſam materialem, & eductam ex potentia materiæ. etenim ponere ipſam idem in ſubſtantia, quod ſenſitiua cogitur, alioquin duæ formæ ſubſtantiales eductæ ex potentia materię eſſent in eodem ſubiecto, quod quidem fieri nequit, propterea quod extenduntur ad extenſionem ſubiecti: ſed nos qui ponimus animam rationalem eſſe re diuerſam à ſenſitiua, et eſſe aliud genus animæ, reſpondebimus ſtatuentes in primis intellectum noſtrum, cum in nos aduenit eſſe in pura ſententia ad intelligendum: carere enim omni ſpecie intelligibili, ut in ſuperioribus oſtendimus ex ſententia Ariſt. Neceſſariū ergo erat, ut reduceretur ad actum intelligendi, quia fruſtra eſt illa potentia, quæ non reuocatur ad actum, etiam ipſa fruſtra fuiſſet, niſi habuiſſet operationem. unūquodq; ēm eſt propter ſuum opus, non poterat aut reuocare ad actum neq; operari, niſi motus fuiſſet à rebus exiſtentibus extra ipſum: eſt enim pura potentia ad intelligendum, non poterat aut moueri ab ipſis extrinſecus exiſtentibus, niſi prius fuiſſent motæ potentiæ ſenſitiuę, quia obiecta, quæ ſunt extra, non poterant mouere ſine medio intellectum, quia ſunt materialia. fuit ergo neceſſarium naturam ei dare animam ſenſitiuam, quæ ſibi inſeruiret, præſentando ei obiecta, & quia non poterat dare hanc animam ſenſitiuam, niſi etiam daret animæ ſenſitiuæ corpus propriū, ex cuius potentia educeretur, & in quo tanq̃ in ſubiecto fundaretur, & anima ſenſitiua, & intellectiua dedit eis corpus proprium: & quia iſtud corpus non poterat perpetuo tempore durare, natura quæ tantum poteſt enititur, ut conſeruet ſpecies, uidens non poſſe conſeruare in numero, diligentiam adhibuit, ut conſeruaret ſpeciem per ſucceſsionem indiuiduorum. & quia indiuidua iſta non poterant ſibi inuicem ſuccedere, niſi generarentur, & non poterāt generari, niſi alerent̃, neq; ali, niſi daretur aliquod tempus, fuit neceſſarium, ut daret ei quoddam tempus determinatum. ſed quoniam in hoc tempore non poterat ali, niſi ab eis quæ extrinſecus adueniebant, neceſſe erat, ut natura impelleret ipſos ad ſumendum alimenta extrinſecus aduenientia, & impelleret ipſos ad coniunctionem magis cum fœmina, propter generationem: ſed quoniam dubiū erat, an homines uellent ſumere hoc nutrimentum, & coniungi propter generationem, erant enim laborioſæ, poſuit natura ſagax uoluptatem in ipſis alimentis, et in illa coniunctione, ut perciperent hanc uoluptatem, et per id, quod ſequitur, ſumerent nutrimentum. etenim niſi fuiſſet iſta uoluptas, difficile fuiſſet ut homines uellent coire propter filios educandos, & mulieres fugerent propter difficultatem pariendi, & niſi eſſet uoluptas, quæ in comedendo percipitur, multi non comederent, ſed potius perirent fame, ut uidemus accidere multis ægrotis, in quibus appetitus prorſus languet. quare natura ſagax dedit animam ſenſitiuam, qua ſentirent alimenta, & iucunda, & anima ipſa ſenſitiua

iudicaret. Dedit poſtea ei appetitum maximum, quo poſſent proſequi bonum nu-
trimentum, et malum ſugere, et coire: et quia hoc alimento, & coniunctione etiā cō
ſeruabantur indiuidua tanto tempore, & ſpecies fiebat æterna. dedit enim huiuſ-
modi appetitum, qui quidem exequitur, ut dictum eſt ſuperius, timens ne relinque-
rent nutrimentum & cibum, ex quo & ſpecies, & indiuidua defeciſſent, ualde po-
tentem: iudicans longè melius eſſe peccare in exceſſu, quàm in defectu, quia exceſ-
ſu non poterat ita facilè deficere, ſicut in defectu. & iſta in animalibus brutis, in ho-
minibus tamen rationem, & mentis motum illum qui diſcurſus appellatur poſuit,
quo poſſent cognoſcere exceſſum, & defectum in nutrimentis, & in procreandi li-
bidine: & ſequi mediocritatem, ipſa poſuit illam uoluptatem in rebus dictis, ut ma-
gis proni eſſemus ad exceſſus, quàm ad defectus. cum ergo in nobis ſit anima ſenſiti
ua, & ut ſeruiat ipſi intellectui faciens præſens ipſum obiectum, ut poſsit mouere
intellectū, & etiam ut conſeruet indiuidua ratione corporis, quod eſt materia, quā
informat intellectus, & eſt propter intellectum quia imperfectiora, ſunt propter
perfectiora: & intellectus cum in nos ingreditur, ſit uacuus omnibus ſpeciebus, &
neceſſe ſit, ſi debet perfici, ut homines laborent, ut anima ſenſitiua repręſentet ei ob
iecta, quæ anima ſenſitiua. & ipſa caret obiectis, ut ea repræſentet intellectui, & etiā
ut ſumat nutrimentum, & generent. & ob hoc fuit neceſſe ponere maximam uolu-
ptatem in nutrimento, & coitu, quare homines ob hoc potius ſequuntur ſenſum,
quàm intellectum: & ob cauſas dictas ſunt ad ipſum magis proni natura. & quia e-
tiam maiori ex parte accidunt hominibus impedimenta, quæ impediſſit eos ad per-
cipienda ea quæ debent percipi ad bene, beateq; uiuendum: hinc fit ut homines
maiori ex parte ſequantur potius ſenſum, & uoluptatem, quæ eſt nobiſcum innata
percipiant, quàm intellectum: quare irrationales maiori ex parte uidentur. nō ergo
mirum eſt, ſi in aliquibus regionibus reperiuntur homines, qui magis ſimiles uiden
tur feris, quàm hominibus, propterea quod ſortaſſe ei deeſt natura, tum etiam edu-
catio, & ita in alijs locis, & deſunt illa quæ ſunt neceſſaria, & tunc ſunt peiores alijs
animalibus, quia non ſequuntur rationem. quare Ariſto. intelligens maiori ex parte
homines ſequi ſenſum, fecit librum de phyſionomia (ut diximus in ſuperioribus) &
docuit mores hominum perſpici poſſe ex moribus animalium brutorum, quia ma-
iori ex parte uiuunt uita ſenſitiua, qua communicat cum alijs animalibus brutis, &
non intellectiua, & hoc quia carent uirtutibus, qui hanc uitam uiuūt. Quamobrem
1. Polit. 1. Polit. in hanc ſententiam ſcribens Ariſto. uſus eſt his uerbis quæ citauimus etiam
„ in ſuperioribus in alias occaſiones: quemadmodum enim & perfectum optimū ani
„ malium homo eſt, ſic ſeparatum, à lege, & à iuſtitia eſt peſsimum omnium. acerbiſsi-
„ ma enim eſt iniuſtitia, habens arma: homo enim habens arma naſcitur prudentia, &
„ uirtute, quibus in contraria contingit maximè uti, quare ſceleſtiſsimus, & acerbiſsi-
„ mus ſine uirtute, & ad uenerea, & ad cibum peſsimū eſt. hoc ergo non euenit, quia
anima ſit mortalis, ſed quia indiget ſenſitiua (ut dictum eſt) quæ mouetur ab affe-
7. Ethi. ctibus, quæ mota hoc modo nō obtemperat ipſi rationali. & 7. Ethi. inquit: Impro-
„ ba grauitas eius, qui non habet dominum, mens autem eſt domina: ſimile autem eſt
„ comparare iniuſtitiam ad hominem iuſtum, eſt aūt ſic utrumq; peius millies, plura
mala aget homo malus quàm beſtia.

Prob 3 ſec Noſtrā item ſententiam cōfirmare uider Ariſto. in problematibus 3. ſec. probl. 9.
prob. 9. etenim inquit, cur genus hominum, quod dioniſiacos technitas, ideſt artifices ba-
„ chanales, aut hyſtriones appellamus, improbis eſſe moribus magna ex parte con-
„ ſueuerūt. Reſpondet, an quia minime ſe ſe ſtudio ſapientię dedunt, eo ſcilicet quod
„ in artibus neceſſarijs magnam ætatis ſuæ partem conſumunt, uitamq; plurimum
„ traducunt in continentem, partim etiam cum inopia: quod quidem utrumq; & ui-
„ tia gignit, & auget. Patet ergo eum uelle homines fieri prauos, quia operam non
dant ſtudijs ſapientiæ, ideſt uirtutibus, per quas aquiritur ſapientia, ideſt prudentia.
Hoc em̄ loco uidetur accipere ſapientiam ꝑ prudentia, & quia uiuunt incontinen-
ter in paupertate: quæ eſt cauſa, ut non poſsint in ſtudio uirtutis uerſari, neq; poſ-
7. Ethi. ſunt rectè aſſuefieri, non ergo eſt ratione animæ rationalis ſed ſenſitiuię, non ergo
cap. 5. ob hoc eſt ponenda mortalis. & Ariſto. 7. Ethi. loquens de ipſo in continente, oſten

dit

dit intellectũ non eſſe cauſam incõtinentiæ,ſed cõcupiſcentiã:& inquit ipſam ꝓpo
ſitionẽ uniuerſalem quã habet incontinens non trahi ab effectibus ſed ſenſitiuam.

SECTIO OCTAVA.

SEd ſtatim urgeret aliquis afferens problem.7.29. ſec.quod problema attulimus *Prob.7.*
etiam in ſuperioribus ob aliam occaſionem, in quo uidetur etiam dicere homi- *ſec.29.*
nes eruditos,& diſciplina præditos peſsimos eſſe.etenim quęrit,cur homo,qui ma-
xime participat diſciplina animantiũ omniũ iniuſtiſsimus ſit,an quia plurimũ rati-
one,& diſcurſu participat uoluptates:igitur & fœlicitatẽ rimať,maximeq́ perpen
ſat.patet ergo,quod homines etiã eruditi ſunt iniuſtiſsimi,non ergo rectè dictũ eſt.

Ad quod reſpondentes fortaſſe dicere poſſumus ipſum Ariſt. per præditos eru-
ditione poſſe intelligere eos,qui ſunt præditi et prudentia et illa uirtute, de qua uer
ba fecit 1.Polit.loco ſuperius citato,et tunc non repugnaret alteri problemati.

Hoc enim cõcedentes poſſumus etiã intelligere eos qui ſunt in ſpeculatiuis eru-
diti, nõ ſunt tamen bonis moribus præditi,ſed praui, qui ita trahuntur à uoluptati-
bus, ut omnia mala efficiant. fieri em̃ poteſt ut multi praui ſint eruditi in ſpeculati-
uis,quia iucundũ & triſte non ſemper euertere omnem exiſtimationem , ſed ſolum
eam quæ eſt circa mores,declarauit nobis Ariſt.6.Ethi.cap.quinto,ijs uerbis : Non *6.Ethi.*
em̃ omnem exiſtimationem corrumpit,neq; flectit iucundũ,& triſte, ut quod trian *cap.5.*
gulus habeat tres angulos æquales duobus recti,ſuel nõ habeat, ſed eas exiſtima- “
tiones, quæ ſunt circa agibilia. principia enim agibiliũ ſunt ea, quorum cauſa fiunt “
agibilia,corrupto aut per uoluptatem,uel dolorem,ſtatim nõ apparet principium: “
neq; oportere huius cauſa, neq; propter hunc omnia eligere,& agere. eſt enim im- “
probitas corruptiua principij . Ex quibus duo uidẽtur patêre,quorum unũ eſt fieri “
poſſe, ut aliqui,qui ſunt uerſati in ſpeculatiuis,ſint improbi homines:alterum quod
uoluptas, & dolor ſunt cauſa prauitatis : dixit enim 2.Ethi. cap.3. propter uolupta
tem praua agimus,propter dolorem autem à bonis abſtinemus.

Cuius cauſam uidetur Ariſt.oſtendiſſe in eodem locò ijs uerbis:Ex pueritia omni “
bus nobis uoluptas eſt ſimul nutrita,quare difficile eſt extrudere hanc affectionem “
inſitam uitæ.fuit poſtmodum inſita uitæ noſtræ à natura ob cauſas enumeratas,& “
propter eandem cauſam addidit paulo pòſt , quem locũ citauimus etiã in ſuperiori
bus,ad aliud propoſitũ difficilius eſſe reſiſtere uoluptati,ut dicebat etiã Heraclitus,
quàm ire:fuit em̃ nobis tradita à natura uoluptas, ut conſeruaremus ſpecierũ æter-
nitatem,et uoluit nos fugere dolorem,tanq̃ corruptiuũ naturę.quare praua quæ fa
cimus propter uoluptatem facimus,quia putamus magis cõſeruare ęternitatem,&
à bonis efficiendis abſtinemus,propter dolorẽ,quia putamus ſeruare magis æterni
tatem:dubitamus enim,ne nos corrumpat. Voluit tamen natura ob cauſas dictas,
ut potius peccaremus in exceſſu,quàm in defectu in iſtis. Nihil tamen mea ſenten-
tia impedire uidetur, quin intelligamus problema illud 29. ſectionis , quod per ho-
mines,qui participãt diſciplina,uelit dicere eos participare diſcurſu naturali: quem
fortaſſe diſcurſum intellexit 1. Polit. loco citato per prudẽtiam,& uirtutem:etenim
ibi intellexit neceſſariò illam uirtutẽ naturalem,& prudentiã naturalem, de qua lo-
quens 6.Ethi.cap.17. ijs uerbis uſus eſt , quæ uerba antea in aliam occaſionem attu- *6.Ethic.*
limus: Conſiderandum rurſus de uirtute: etenim uirtus ſimiliter ſe habet,quemad- *cap.17.*
modum prudentia ad habilitatem,non eadem tamen,ſed ſimilis,ſic & naturalis uir “
tus ad propriã. omnibus aũt uidentur ſingulæ uirtutes ineſſe natura aliquo modo, “
etenim iuſti,& temperantes & fortes,& alia habemus ſtatim à generatione, ſed ta- “
men quærimus aliud quid propriè bonũ,& talia aliter ineſſe . etenim pueris , & be- “
luis naturales habitus inſunt,ſed ſine mente uidetur afferre nocumẽta:cæterùm tan “
tum uidetur inſpici,quemadmodum in corpore forti,ſine uiſu moto contingit erra “
re uehementer,quia non habet uiſum: ſic & hic,ſi autem accipiat mentem in agen- “
do differt. Ex quo loco duo colligere poſſumus ; quæ conuenire in rem noſtram “
uidentur : quorum unum eſt,quod datur quædam prudentia naturalis,& quædam
uirtus moralis naturalis,quod eſt id,quod nunc uolumus ;

Alterum eſt,quod uirtutes naturales ſine mente afferunt nocumenta,ſicut acci-
dit aliquando corpori forti,moto ſine oculis:peccant ergo ob illas uirtutes, & non
propter intellectũ.Ex omnibus ergo iſtis locis allatis,et ex alijs locis multis in Ethi.

in quibus docuit prauitatem, & ignorationẽ eſſe cauſas errorum, aſſerere nos poſſe arbitramur. Argumentum Pomponatij celeberrimi uiri quod reperiantur homines ſimiles beſtijs, nihil concludere aduerſus animi immortalitatem.

Quod ſi aliquid roboris ipſi ineſſet, cogeretur & ipſe ipſum diſſoluere, quia cùm ponat animam noſtrã eſſe rationalem, mirum eſt, quod dentur homines peiores, quàm ſint beſtiæ, & quod diceret ipſe ad diſſoluendum hoc argumentum, & nos dicemus ad diſſoluendum illud, ne noſtram ſententiam euertat. quare miſſum eſſe faciendũ arbitramur, ex quibus etiam ſoluitur: quod addidit de intellectione, quæ quidem eſt debilis, & propter hanc debilitatẽ uidetur quaſi uelle inferre animi no-
2. Meta. 1. ſtri mortalitatẽ. etenim declarauit Ariſt. 2. Meta. ca. 1. ſpeculationẽ ueritatis partim facilẽ, partim difficilem eſſe, & duas eſſe cauſas difficultatis, quare una ad res ipſas, altera ad nos refertur, ut diximus antea, non tamẽ ſequitur ex hoc, quod animus ſit mortalis: quia ſi conſideremus naturam intellectus, quę eſt, quod ſit in pura potentia, & quod ſi perfici debet, neceſſe eſt, ut moueatur ab extrinſecis motoribus: & ſi rerum etiã obſcuritatem conſiderauerimus, nulla admiratione afficiemur, quod intellectus nõ intelligat omnia perfectè, ſed potius cùm tot concurrant impedimenta, mirabitur multos homines conſequutos eſſe tot cognitiones, & rerum ſpeculabilium, & artium, quàm quod uideretur fieri poſſe: qui enim maiora ab hominibus deſiderant, ignorare mihi uidetur quid cuiq; natura conueniat. ſi eñ homines perfectiorẽ rerum cognitionem conſequuti eſſent, iam non homines, ſed in numero angelorum, & Deorum haberentur.

Neq; quod addit ipſum hominẽ modicũ tẽporis apponere ad intellectũ, et quàm plurimũ circa alias potẽtias, concludit intellectus eſſentiam corporalem, & corruptibilem eſſe, imo tantum abeſſe mihi uidetur, ut ex hoc ſequatur intellectus eſſentiã ob hanc cauſam eſſe corporalem, & corruptibilẽ, ut ſequatur omnino contrariũ, quia ſi ipſe eſſet corruptibilis, & mixtus cũ corpore, maximũ tempus apponeremus (ut more ſuo loquar) ad intellectum, ſicut apponimus ad alias potentias animi, quæ ſunt corruptibiles, & mixtæ cum corpore. & quia intellectus non eſt mixtus cum corpore, ideò homo eſt plus ſenſualis, quàm intellectiuus, & plus mortalis, quàm immortalis. quia ſenſus eſt cauſa mortalitatis, & mortalis dicitur homo, quia cõpoſitum diſſoluitur, licet aliquæ partes componentes remaneant, ut materia prima, & intellectus.

Quod uerò inquit multos in definitione hominis poſuiſſe mortale pro differentia, nihil eſt, perperam enim fatentur, quia differentia propria hominis, quæ uidelicet ponit ipſum ineſſe, uerè eſt rationale, mortale eñ non eſſe neceſſariũ in definitione hominis cognoſci poteſt ex noſtra arbore quam in ſuperioribus fecimus, in qua ſubſtãtia quę eſt genus generaliſsimũ, diuiditur in incorruptibilẽ, & corruptibilẽ, & homo poſitus fuit ſub animali, quod fuit poſitũ ſub corpore animato, quod poſitũ fuit ſub corpore corruptibili, ſeiungebat̃ ergo homo ab incorruptibilib. nõ q̃tenus homo, ſed quatenus corpus corruptibile. nõ ergo cõuenit, ut differẽtia ꝓpria: ſed quia rationale quod ponit̃ in definitione hominis, cõuenit ſolũ homini, quia nõ Dijs, propterea quod æquiuoca eſt rationalitas hominis & Dei, hanc ob cauſam ponimus rationale in definitione hominis, ut propria differentia, ex qua cum genere proprio conficitur, ac conflatur definitio hominis.

SECTIO NONA.

CVm uerò ſubiungit animã eſſe immortalẽ, non per ſe notũ eſſe & quærit, per quam euidentiã cognoſcatur. Dico, quod cognoſcit̃ ex hoc, quod in ſui opere nõ indiget organo corporali, id eſt determinata parte corporis, in qua intelligat ſicut uirtus ſenſitiua. & hæc eſt demõſtratio, ut diximus in ſuperiorib. qua uſus eſt Ariſt. ad probandã ipſam eſſe impaſſibilẽ, & incorruptibilẽ, neq; quod dixit Ariſt. alternatiuæ, nihil facit, quoniã conceſſimus nos intellectũ nõ intelligere ſine phantaſia, quæ ſibi repræſentet obiectũ, & dicimus tantũ abeſſe, ut ex hoc ſequatur animum eſſe materialẽ, ut omnino contrarium cõcludatur, quia ſi ipſe eſſet mortalis, non indigeret phantaſia, ſed eſſet phantaſia, ut probatum eſt in ſuperioribus.

Deinde dico, quod ad ſeparabilitatẽ ſimpliciter, id eſt ab omni corpore, requiritur, quod nõ ſit phantaſia, & quod non indigeat phantaſia, ſed indigere phanta-

ſia

oſtendit ipſum nõ ſeparari ab omni corpore,ita ut ſeorſum poſſit exiſtere ſine cor
pore: ſed non oſtendit', quod non poſſit ſeparari ab hoc, uel ab illo corpore: ſed
eſſe phantaſiam bene oſtendit ipſum non poſſe ſeparari neq; à corpore ſimplici-
ter,neq; ab hoc uel ab illo. & hoc eſt, quód oſtẽdit mortalitatẽ,ſed illud non oſten
dit mortalitatẽ. quod ſi conſideraviſſet celeberrimus iſte uir in hos errores (ut e-
go quidẽ arbitror) turbulentiſſimos non incidiſſet.

Quod uerò quarto arguitur in eodem capitulo ſi anima humana in omni ope-
re ſuo pendet ab organo: ipſa eſt inſeparabilis, & materialis. ſed in omni ſuo ope-
re pendet,'ab organo: ergo eſt materialis. Dico ſi intelligas maiorem,quod anima
humana in omni ſuo opere pẽdeat ab organo,id eſt à parte determinata corporis,
in qua exerceat ſuũ opus. Dico inquã ſequi ipſam eſſe materialẽ,ſed dicimus mino
rẽ eſſe falſam,quia in nullo ſuo opere pendet ab organo,id eſt à parte determinata
corporis,in qua exerceat ſuum opus. Hoc enim eſt habere organum,& hoc decla-
rauit Ariſtoteles 3. de Anima tex.6.

Ad probationem aũt ex definitione animæ dicimus, quod etſi ſit actus corpo- 3.de Anim.
ris phyſici organi,nõ ex hoc tamẽ ſequit̃,ut ipſa pẽdeat ab organo in ſuo opere,in tex.6.
quo exerceat ſuũ opus,ſed ſolũ ſequitur ipſam operari in corpore. Et ita ſequit̃ ip-
ſam nunquam ſimpliciter ſeparari à corpore. ſemper enim eſt in aliquo corpore.

Ita dicimus etiã tex. 12. qui dicit, ſi ipſa non eſt ſine phantaſia concludere ipſam
nunquam eſſe ſine corpore,negamus tamen(ut dictum eſt totiens)ex eo ſequi,ut 1.de Anim.
ipſa in ſuo opere pendeat ab organo,id eſt à parte determinata corporis, in qua e- tex. 12.
xerceat ſuum opus,ſicut erat de ſenſitiuo.

Hoc enim demõſtraret mortalitatẽ,aliud aũt non demõſtrat. Si uerò intelligas
ipſam pẽdere ab organo,id eſt à corpore,qa nunquã erit ſine corpore aliq̃, & ſem-
per intelliget in aliq̃ corpore,& pẽdet à corpore, quod rep̃ſentet ſibi obiectũ. Hęc
damus quidẽ omnia,ſed ex his ſequi, ut ſit inſeparabilis ab hoc, uel ab illo corpo-
re,negamus: neq; uerò concedimus,ut ſit materialis,id eſt educta ex potentia ma-
teriæ,& per conſequens ut ſit mortalis. Hæc enim minime ſequũtur,etem̃,ſicut
diximus: intelligẽtiæ dicuntur ſemper eſſe in corpore, & nunquã exiſtunt ſine illo
corpore,& intelligũt in illo corpore uniuerſo, cùm tñ ipſæ nõ ſint materiales,neq;
eductæ ex potẽtia materiæ. quia eſſe,& operari in corpore nõ oſtendit mortalita-
tem, quia ſic nulla forma eſſet immortalis, ſed habere aliquã partẽ determinatam
corporis, in q̃ exerceat̃ opera, quod eſt habere,organũ corporale ẽ id, ex q̃ mixta
cũ corpore arguitur. & per id quod neceſſariò ſequitur,oritur mortalitas, ſed quia
hoc nõ accidit intelligẽtijs, dicere nõ poſſumus ipſas eſſe mortales,licet ſint neceſ-
ſariò in corporibus cœleſtibus,& in illis operentur,non ſunt tamen mixtæ cũ cor-
pore,ita ut educantur ex potentia corporis. Hoc enim à nobis cognoſcitur,nõ ex
ſua ipſarum propria operatione,quæ eſt intelligere ſe ipſas.

Hæc enim nobis eſt obſcura,& eſt concluſio in prima philoſophia. Sed cogno-
ſcitur hoc, quia cùm moueat æterno tẽpore,neceſſe eſt,ut ſint abſtractæ à materia,
quòd ſint actus puri,& nihil extra ſe percipiẽtes,ex quo patet hos nõ poſſe dicere
ipſas uti organo corporali intelligẽdo,id eſt à parte determinata corporis,quia nõ
eſſent abſtractæ à materia,tum quia nõ indigẽt aliqua parte corporis, quæ repræ-
ſentet ipſis obiectũ: propterea quod nihil extra ſe hac uia naturali, falſa tamen in
hac parte intelligunt,nõ enim eſſent optimi actus & puri: & indigerẽt corpore re
præſentãte ſibi obiectũ quòd nõ accidit intellectui noſtro, ꝓpterea quod eſt pura
potentia,& cum huiuſmodi ſit. neceſſe eſt,ut perficiatur ab eis, quæ ſunt extrinſe-
cus. quare neceſſe eſt,cùm ſit abſtractus à materia: ut habeat partẽ corporis,quę fa
ciat ſibi obiecta præſentia: ut lumine poſtea intellectus agẽtis poſsit ab illis moue
ri. Sed quia & ipſe nõ habet partẽ determinatã corporis,in qua exerceat ſuũ opus,
nõ dicitur mixtus cum corpore, ſed immortalis,licet nunquam ſit ſine corpore,&
ſemper intelligat in corpore,& ſit in corpore tanquam in ſubiecto. eſt enim natu-
ra, quia eſt principium motus eius,in quo eſt per ſe,& nõ per accidens. & ſubiectũ
eſt quoddã, & in ſubiecto natura ſemper, 2. Phyſ. cap.3. eſt ergo in ſubiecto. conue 2.Phyſ.
nit ergo cum intelligẽtijs,quod non habet propriè organũ, differt uerò ab intelli- ca.3.
gentijs,quoniã intelligentiæ neq; indigent parte determinata corporis,in qua ex-
erceant ſua opera,neq; indigent corpore,quod ipſis pręſens faciat obiectum,quia

nihil extra ſe intelligunt, ſi enim intelligerent iſta materialia, neceſſitas cogeret, eſſ ſint immateriales, ut daretur intelligentia agens, quę illuſtraret phantaſmata: quod quidem eſt ita abſurdum quàm quod abſurdiſsimum. etenim ſequeretur ipſas eſſe compoſitas ex materia, & forma: ſicut eſt anima noſtra, & quod æterno tempore non informarent idem corpus, ut ex eis, quæ dicta ſunt de intellectu noſtro, perſpicuum eſſe poteſt.

Quare ſequitur etiam non quod indigeant corpore repræſentante ſibi illud obiectum, in hoc ergo intereſt inter ipſas, & intellectum noſtrum. quare ex eorum conuenientia dicere poſſumus intelligentias, & intellectum noſtrum eſſe ſeparabiles, quia non ſunt mixtæ cum corpore, neq; eductæ ex potentia corporis, quia non utuntur organo corporali, neq; tamen ſeparentur à corpore. Intereſt poſtmodum in alio, quod intelligentiæ nunq̃ poſſunt ſeparari neq; ſimpliciter à corpore, neq; ab hoc corpore, ſed ſemper ſunt in ſuo corpore: nullam enim includunt potentiam. intellectus uerò noſter, licet ſit inſeparabilis à corpore ſimpliciter, quia ſemper eſt in corpore aliquo: tamen eſt ſeparabilis ab hoc, uel ab illo. ſicut materia prima nunq̃ ſeparatur ſimpliciter à forma: licet ſeparetur ab hac, uel illa (ut iam dictũ eſt) Et hoc accidit intellectui, quia eſt pura potentia, ſicut etiam materiæ accidit, quia huiuſmodi eſt, ut recipiat formas. & cum ſit pura potentia, neceſſe eſt, ut intelligat aliquid extra ſe, & ſemper: ſed non poteſt intelligere aliquid extra ſe, niſi obiectum ſibi repræſentetur, caret enim ſpeciebus, ad quas eſt in potentia. & cum hoc fieri non poſsit, niſi per corpus corruptibile particulare, neceſſe fuit, ut poſſet exire ex illo corpore, & informare aliud corpus per ſucceſſionẽ. ſicut materia prima cogitur relinquere unam formam, & ſuſcipere per ſucceſſionẽ aliam, alioquin mundus non fuiſſet æternus, & non fuiſſet neceſſarium corruptionem ſequi generationem. ita etiã anima noſtra, alioquin non fuiſſet æterna, quia non habuiſſet operationem æternam. natura igitur fuit coacta reddere ipſum ſeparabilem ab hoc uel ab illo corpore, quod non accidit intelligentijs ob cauſam dictam. intellectus igitur noſter dicetur ſeparabilis, tum quia non educitur ex potentia materiæ, tum quia ſeparatur ab hoc, uel ab illo corpore, licet ſimpliciter nõ ſit ſeparabilis. et hæc omnia colliguntur ex demonſtratione, Ariſto. ex qua concluſit ipſe intellectum non eſſe mixtum cum corpore, quæ quidem (ut opinor) ſi fuiſſet conſiderata ab ipſo Petro Pomponatio, non incidiſſet in hanc falſam opinionem ex ſententia Ariſto. Nihil ergo uidetur cogere ſuum quartum argumentum cap. octaui. Cætera, quæ addidit ipſe in eodem capitulo, quia ſunt contra D. Thomam, nihil ad nos: quippe qui id ſolum nobis propoſuimus, ut tueremur quantum quidem fert ratio, & quantum poſſumus Ariſtotelis ſententiam.

SECTIO DECIMA.

SCribit poſtea Pomponatius uir in philoſophia clariſsimus in nono cap. omiſ-
» ſis nonnullis, quæ in rem noſtram non conuenient, ad hunc modum: & primũ
» quidem inquit, nos ſimpliciter concedimus ſcilicet quod intellectiuum, & ſenſiti-
» uum in homine idem tificantur in re, uerum in a. nos diſcordamus, quia dicimus,
» quod tale uere & ſimpliciter eſt mortale, ſecundum quid uerò, & impropriè immortale. quod planè dictum abhorrere à ſententia Ariſto. apertè colligitur ex eis uerbis, & ex eis rationibus, quas in ſuperioribus ex ſententia ipſius Ariſto. attulimus. ille enim mihi uidetur apertè oſtendere intellectum re ipſa eſſe à ſenſu ſeiunctum ac ſeparatum. apparet item ipſum intellectum poſſibilem eſſe ſimpliciter, & omnino immortalem, quia ſubſtantia eius eſt immortalis, & nullo modo mortalis: niſi appellemus ipſum mortalem, quia deſinit informare hanc, uel illam materiam, quod quidem non conſentire ueritati in dubium uenire non poteſt. ipſa etiam materia prima dici poſſet mortalis, quia deſinit informari, & perfici ab hac, uel ab illa forma, quod planè eſſet ridiculum. Quod uerò ad probandum ſuam opinionem accipit, quod tres modi cognitionis in uniuerſum reperiuntur, quædam enim, inquit, ſunt, quæ totaliter ſunt ſeparata à materia, & ſic hæc in earũ cognitione, neq; indigent corpore tanquam ſubiecto, neq; tanquã obiecto. Dico falſum eſſe nos opinari intelligentias non indigere corpore tanquam ſubiecto, quia ſunt formæ, ut dixi-

diximus, & omnis forma eſt in ſubiecto: fieri enim non poteſt, ut detur aliquis actus, qui non perficiat aliquod corpus. hæc enim ex eis, quæ dicta ſunt, perſpicua eſſe opinor.

Concedimus enim cognitionem eorum non recipi in corpore, ſed hoc eis accidit, quia ipſę nõ intelligunt niſi ſe ipſas, & idẽ eſt intellectio, intellectus, et intellectum. ſed illã cauſam, quã addit ſic, cùm non ſit in corpore, arbitramur falſam. Concedimus etiam, quod non mouentur à corpore, cùm ſit mouentia, non mota. negamus tamen ex hoc ſequi, quod ipſæ non ſint à corpore.

Illa uerò, quæ addit de ſenſibilibus ſcilicet quod indigẽt corpore, ut ſubiecto, & ut repræſentet ſibi obiectũ. etenim inquit tales cognitiones, & in organo recipiuntur, quare & ſolũ ſingulariter repræſentant, uidetur ſignificare ſe accipere indigere corpore, ut ſibi repræſentet obiectũ: & organo recipi, & ita indiget organo. quod ſi ita eſt, ut uidenẽ præſeferre uerba eius, ipſe quidẽ euertit Ariſt. ſententiã, quippe qui dixit neceſſe eſſe intelligentẽ phantaſmata ſpeculari. quod nihil aliud eſt, ꝙ indigere phantaſia: ut ſibi præſens faciat obiectũ, quod non recipiat illas ſpecies in organo, perſpicuũ eſt ex 6. tex. 3. de Anima. quo in loco ut citauimus teſtatum reliquit ipſi intellectui non ineſſe organũ, ſicut ineſt ipſi ſenſitiuo. lõge igitur differũt indigere corpore, ut ſibi repræſentet obiectũ: & indigere organo, in quo recipiantur ſpecies, ſine materia. Primum conceditur intellectui, alterum reijcit Ariſt. ab intellectu: non rectè igitur uidetur Pomponatius loquutus eſſe de hac re.

3. de Ani. tex. 6.

SECTIO VNDECIMA.

CVm uerò ſubſequutus eſt, cùm natura aũt ordinatè procedat, ut dicitur 8. de Phyſico auditu inter iſta duo extrema, ſed nõ indigere corpore, ut ſubiecto, uel ut ſubiecto, uel ut obiecto: uel indigere corpore, ut ſubiecto, et obiecto, eſt mediũ qđ neq; eſt taliter abſtractũ, neq; totaliter immerſum. quare cùm fieri nequeat, ut aliquod indigeat corpore, tanꝙ ſubiecto, & non tanquam obiecto, ut manifeſtum eſt, relinquitur tale intermedium non indigere corpore tanquam ſubiecto, uerùm tanquam obiecto. Hoc autem eſt intellectus humanus inquit.

Cùm igitur hæc ſubſecutus ſit, dicimus eũ falſam (ut opinamur) ac còntra Ariſt. de hac re accepiſſe opinionẽ, & primo illud ſuũ primum dictum à ſententia Ariſt. abhorret, quia (ut dictũ totiens eſt) non datur aliqua forma, quæ non indigeat corpore. ut ſubiecto, ſimplex enim ex ſententia Ariſt. per ſe exiſteret. quod quidẽ alienum eſt ab eius opinione, quia quod per ſe exiſtit, eſt compoſitum.

Abhorrere etiã ab Ariſt. illud uidetur, quod intellectus noſter nõ indiget corpore ut ſubiecto, ſed ut obiecto: quia fieri nõ poteſt, ut aliquid indigeat corpore tãꝙ obiecto, & nõ tanquam ſubiecto, quia per ſe exiſteret, & eſſet actu, ut dictum eſt. Quare quũ extremum, & medium non detur, ſequitur, ut reliqua etiam rectè non ſe habeant. Quamobrem dicimus nos naturã ordinatè procedere, ſed hoc modo proceſſit, quia datur aliquod, quod non indiget corpore, ut obiecto, & ut organo: & datẽ aliquod, quod indiget corpore ut obiecto, & ut organo, ut ſenſitiuum: ergo datur mediũ, quod indiget tantũ corpore ut obiecto, non ut organo. quia hoc tale eſt mediũ inter ea, quæ ſunt puri actus: & inter ea, quæ ſunt omnino materialia. & hoc eſt intellectus noſter, quare natura uidetur rectè ordinaſſe, ſi hoc modo dicamus: ſed modus iſtius hominis repugnat ueritati, & Ariſtoteli.

Addit poſtmodũ nonnulla alia de intelligẽtijs, & de anima ſenſitiua, & de intellectiua, quæ eſt media. Quæ quoniã iã improbata ſunt, miſſa eſſe faciẽda duximus. Quod uerò dicit intelligentias, quatenus ſunt intelligẽtiæ, non eſſe animas, quia à nullo, ut ſic pẽdent à corpore, ſed qua mouent corpora cœleſtia, eſt ita (mea quidẽ ſentẽtia) abſurdum, quàm quod abſurdiſſimũ, quia intelligẽtiæ ſunt formæ. & ſi in telligendo nõ utuntur corpore, quod ſibi reprę ſentet obiectũ, ſicut anima rationalis, & nõ utunẽ etiã organo corporali, in quo exerceãt ſuũ opus: utunẽ tñ corpore, q̃d eſt ipſis ſubiectũ, qa ad earũ ꝑfectionẽ ſequiẽ, ut dẽt eẽ illi corpori, & ſint in illo neceſſariò, in q̃ etiã intelligãt. ſed qa nõ indigẽt determinata parte corporis, & qa nõ utũẽ corpore q̃d ſibi p̃ſens faciat obiectũ (nihil em̃ extra ſe intelligũt) dicimus ipſas uerè eẽ abſtractas, et puros actus: licet in intelligẽdo utũẽ neceſſariò corpore,

quod eſt earum ſubiectum,& in quo intelligunt.& hoc nō oſtendit mortalitatem neq; imperfectionem aliquā:quia non pendet ab illo, ſed eam perfectionē, ſequitur, quod diximus, ut intelligentiæ: ergo ſunt formæ intelligentes, ſicut anima
» noſtra intelligens eſt etiam in corpore.Quod uerò dicit intellectū humanū differ-
» re à ſenſitiua in pendendo à corpore, quia ſenſitiua ſubiectiue,& obiectiue depen-
» det à corpore.humanus aūt intellectus obiectiue tantum ſuam homo iſte uidetur conuellere ſententiam.etenim ſi intellectus humanus non pendet à corpore ſubiectiue:ergo non interit una cum corpore.quod enim abſtractū eſt à corpore,& non pendet à corpore,& non fundatˀ in corpore tanquam in ſubiecto,fieri nō poteſt,ut cū corpore intereat,omnis enim forma,quæ corrumpitur,ut ſimul cū corpore corrumpatur,neceſſe eſt,formę quatenus formæ nihil eſt cōtrariū(ut totiens dictū eſt) ſed ipſe aſſeruit contrariū. pugnat ergo cū ſua ipſius ſentētia.Item ergo uelim ſcire, quomodo intelligat ſenſitiuā indigere corpore ſubiectiueˀ nam ſi intelligat, quod indiget corpore,in quo ut in ſubiecto fundetur:quia non poteſt ſtare ſine illo, non enim uidetur aliter poſſe intelligere:ergo neceſſe eſt,ut intellectus humanus indigeat corpore hoc modo,quia ex eius etiam ſententia nunq; ſeparatˀ à corpore, & ſemper eſt in corpore.Si uerò intelligat ſenſum indigere modo dicto corpore,intellectum uerò non fundari in corpore,ſed ſeorſum à corpore,præterquam quod ſibi repugnat,aſſerit quoddam abſurdiſsimum,quia dabitur forma per ſe exiſtens ſine materia,quod in uia naturali non conceditur,licet ex ueritate chriſtiana ſit neceſſariū,ſed nos hic loquimur ex naturæ fundamentis.Quare quocunq; ſe uertat Pomponatius,ut iaceat eius ſententia(meo quidem iudicio)neceſſe eſt.etenim apparere mihi uidetur ex eis,quæ dicta ſunt,quod illud,quod aſſerit animā humanā ſimpliciter eſſe materialē,& ſecundū quid immaterialē nullo modo ex eis,quę dixit ſequi, imo potius oppoſitū.Etenim falſum eſt animū humanū eſſe materialem,& immaterialem,ſed eſſe tantū immaterialē,quia non eſt mixtus corpori. non eſſe aūt mixtū corpore cognoſcitur,quia nō ineſt ei organū corporale,ſicut ſenſitiuo,& licet indigeat phantaſia,quæ faciat ſibi obiectū præſens, quod poſsit illuſtrari ab intellectu agente,tamē non dicitur ob hoc materialis,niſi ualde remotè, quia uere ſubſtantia ſua eſt abſtracta à materia,& nō educitur ex potentia materię,ſed dicitur eſſe immaterialis,licet in comparatione intelligentiarum poſſet dici aliquomodo materialis. Hoc nihil faceret,quia etiam ſenſitiua brutorum poſſet dici aliquo modo immaterialis ratione uegetatiuæ,quæ eſt in plantis,quia eſt propinquior immaterialibus.

Ad id etiam,quod addidit,iam reſponſum eſt,quod intellectus non indiget organo,in quo exerceat ſuum opus,& cōcedimus, quod nunq; ſimpliciter ſeparatur à corpore,negamus tamen,quod nō ſeparetur ab hoc,uel ab illo. & ita negamus ipſum eſſe mortalem,quia quod ſeparatur ab hoc,uel ab illo corpore, ut ſit immortalis,neceſſe eſt.Quod aūt ab hoc uel ab illo ſeparetur,habetur ex demonſtratione Ariſto.quia non eſt mixtus corpori: nō poteſt ergo interire per interemptionē corporis,& quod non interit per interemptionē corporis,ut ſeparetur ab illo corpore, neceſſe eſt,alioqn interiret.Hęc em̄ à nobis ſępe ob uarias occaſiones repetita ſunt.

SECTIO DVODECIMA.

Q Vod ſubiungit & iterum hoc ſic firmatur.Quoniā Ariſto.nō poſuit aliquam
12.Meta. intelligentiā ſine corpore cū 12.Meta.ſecundū numerū orbium ponat nume-
» rū intelligentiarū,multò igitur minus poteſt ponere intellectū humanum ſine cor-
» pore,cū ſit longè minus abſtractus,quàm intelligentia.

Quod,inquam,ſubiungit ſuam ipſius conuellere ſententiam luce clarius uidetˀ, propterea quod ſi non ſunt intelligentiæ ſine corpore,& intellectus humanus non eſt ſine corpore:ergo & intelligentiæ,& intellectus humanus indigebunt corpore ut ſubiecto.Probatur conſequentia,quia intellectus humanus, & intelligentiæ nō poſſunt eſſe,niſi fundentur in materia : indigebunt ergo & intelligentiæ,& intellectus humanus corpore,ut ſubiecto,ſed contrariū ſuperioribus uerbis aſſeruit Pomponatius.Vt ſuam ergo ſententiam conuellat,neceſſe eſt, quod eſt facinus ex omnibus indigniſsimum. & quia nos argumentati ſumus uſq; ad hunc locum aduerſus ea,quæ dixerat de eis, quæ indigent corpore ut ſubiecto, & ut obiecto, ut intelliguntur propriè,quia ſubiectum dicitur propriè illud, in quo aliquid eſt, & ipſe fortaſſe,uidens illam opinionem non poſſe ſuſtineri,ut declaret in quem ſenſum ac-

cipiat ipſe indigere ſubiecto, & obiecto addidit hæc uerba: Indigere itaq; organo ut ſubiecto eſt in corpore recipi, & modo quantitatiuo, & corporali, ſic quod cum extenſione recipiatur, quomodo dicimus omnes uirtutes organicas recipere, & ſuis officijs fungi ſicut oculus uidendo, & auris audiendo: uiſio namq; eſt in oculo, & modo extenſiuo, quare non eſſe in organo, ſiue ſubiectiuè, eo non indigere eſt uel non eſſe in corpore, uel in eo non eſſe modo quantitatiuo. Vnde dicimus, inquit, intellectum non indigere corpore, ut ſubiecto in ſui intellectione. non quia intellectio nullo modo ſit in corpore, cum fieri nequit, ſi intellectus eſt in corpore, ut ſua immanens operatio, quomodò non ſit in eo, ſed pro tanto dicitur intellectio non eſſe in organo, quoniam modo quãtitatiuo, & corporali non eſt in eo. Hæc enim uidentur eſſe aliena à modo, quo loquitur Ariſtoteles: quia Ariſtoteles inquit intellectum non habere organum, ſicut ſenſitiuum, quia ſenſitiuum habet partem determinatam corporis, in qua ſentit. quod quidem eſt propriè habere organum, intellectum autem non habere organũ: quia non habet partem determinatam corporis, in qua exerceat ſuum opus: ergo ſic intelligit. Quod uerò intellectio non ſit in organo, quoniam modo quantitatiuo, & corporali non eſt in eo, nõ conuenit eis, quæ dicit Ariſtoſteles. Sed inquit intellectum non habere organum, id eſt, partem determinatam corporis, in qua intelligit, quia non intelligeret uniuerſaliter, ſed ſolum ſingulariter, quia organum non poteſt repræſentare, niſi ſpeciem ſingularem, cum non ſit abſtractum à materia.

Hanc eandem ſententiam conuellit omnino tex. ille ex 2. de Generatione animalium in ſuperioribus allatus, ubi probauit animam extrinſecus aduenire, & diuinam eſſe, quia actio corporalis non cõmunicat cum eius actione, quod nihil aliud eſt, quàm ipſam non intelligere in organo, ſicut dixerat in ſuperioribus, communicaret enim cũ eius actione actio corporalis, quia actio organi, quod eſt corporale. *2. de Gene. anim.*

SECTIO DECIMATERTIA.

PRæterea ſuam ipſe conuellit opinionem, quoniam dicit, quod qua intellectus non dependet à materia neq; à quantitate, quia ſi eſt abſtractus à materia & à quantitate: ergo eſt immortalis. conſequentia perſpicua eſt ex eis, quæ diximus in ſuperioribus: ergo euertit ſuam ſentẽtiam. ſed dices, qua intellectus eſt abſtractus, & qua intellectus eſt immortalis, ſed non quatenus coniunctus ſenſui. Dico aſſerere hoc manifeſtiſsime (meo iudicio) nihil aliud eſſe, quàm fingere ſibi hanc chymeram, quia ego quæro quod ad ſubſtantiam ſuam, quid ſit, ſi dices, quod eſt mortalis, arguo ſic, operatio intellectus non habet organum: ergo ipſe intellectus non eſt mixtus corpori: ergo impoſsibilis: ergo æternus, quod tollit tuam poſitionem.

Item ſi eſſentiæ cognoſcuntur per operationes, operatio eſſentiæ ipſius intellectus eſt intelligere, & intelligere non eſt in organo, quia eſt uniuerſaliter: ergo intellectus ſubſtantia non habet organum, ſubſtantia enim intellectus eſt illa, qua intelligimus. Patet tertio de Anima tex. primo: ergo eſt immortalis. *3. de Anim. tex. 1.*

Item niſi intelligere demonſtraret eſſentiam intellectus, nullam cognitionem haberemus de ſubſtantia & eſſentia intellectus, & mancus fuiſſet Ariſto. Probatur conſequentia, quia nullam aliam habet operationem, ex qua poſsit cognoſci: ergo nullo modo cognoſceretur. conſequentia probatur, quia ſubſtantia & eſſentia rerum naturalium non poteſt cognoſci, niſi ex operibus, prioribus ſecundum rationem. etenim Ariſtotel. primo de Anima tex. etiam ſupra citato, inquit, Si autem oportet dicere quid unumquodq; ipſorum, ut quid intellectiuum, & ſenſitiuum, aut uegetatiuum prius adhuc dicendum, quid ſit intelligere, & quid ſentire. Priores enim potentijs actus, & operationes, ſecundum rationem actus ſunt. Quare ſi non ex intelligere nos cognoſcimus ſubſtantiam, & eſſentiam intellectus, nullo modo ipſum cognoſcere poterimus. cauſæ enim rerum naturalium ſunt nobis ignotæ. Item ex hoc tex. colligitur ipſum loqui de intellectu pro potentia, quia fruſtra dixiſſet, actus & operationes ſunt potentijs priores ſecundum rationem, niſi dixiſſet de intellectu pro potentia. Item poſſemus dicere de ſenſu, quod ut cognitiuus eſt abſtractum à materia, quia aliquod cognoſcitiuum eſt abſtractum à materia. *1. de Anim. tex. 33.*

Itẽ Ariſt. ex eo, quod intellectus intelligit omnia, demõſtrauit ipſum nõ eſſe mixtũ cũ ſpeciebus, ut opinamur nos probaſſe ſupra in nono lib. & q̃a nõ erat mixtus

cum

Cum ſpeciebus, conclusit, quod neq; ipſius eſt eſſe naturam quandam, niſi hanc, quod poſſibilis ſit, qui uocatur animæ intellectus. Vbi patet, quod per intellectū intelligit illam partem animæ, qua intelligimus: & ex intellectione demonſtrauit ſubſtantiam ipſius. quia ex hoc, quòd nullam habebat ſpeciem actu, ſed erat receptiuus illarum, concluſit ipſum eſſe immixtum corpori: alioquin Ariſtoteles non declaraſſet nobis. quid nā eſſet pars animæ, qua intelligimus, quod tamen & in 1. & in 2. de Anima pollicitus eſt uelle declarare: ſi eſt uera iſta opinio, quod declararit prædicata, quæ conueniunt intellectui, non conueniunt ei ratione ſuæ ſubſtantiæ.

3. de Ani. tex. 5.

Item ſi eſſe impaſſibilem, non habere organum, eſſe ſeparabilem non conuenit intellectui poſſibili ratione ſuæ ſubſtantiæ, ergo huiuſmodi prædicata nō poſſunt probari cōuenire intellectui agenti ratione ſuæ ſubſtantiæ, ut diximus etiam in ſuperioribus: conſequens eſſe ita abſurdum, quàm quod abſurdiſſimum. hinc colligitur, quia nullam nos cognitionem haberemus de ſubſtantia intellectus agentis, quod quidem à ratione abhorret. Probatur cōſequentia, quia ex eo quod illa prædicata conueniunt intellectui poſſibili, probauit, illa ineſſe intellectui agenti. ſi ergo non conueniunt intellectui poſſibili pro ſubſtantia, conuenire intellectui agenti pro ſubſtantia intelligi non poſſet. etenim antecedens intelligeretur uno modo, & conſequens alio modo, quod non datur. quod uerò nolit Ariſtoteles probare illa prædicata cōuenire intellectui agenti, quia cōueniunt poſſibili, apertè conuellit uerba Ariſt. ut perſpicuum eſt ex eis, quæ dicta ſunt ſæpenumero in ſuperioribus.

Item ſi per ſe operatio illa abſtracta eſt à materia, ergo ſubſtantia operans eſt abſtracta à materia: fieri enim non poteſt, ut aliquid operetur ultra gradum ſuum.

Item ſomnium eſt, dicere, ut dicit iſte, quod intellectus ut intellectus eſt abſtractus à materia, quia conueniret omni intellectui, quia quod cōuenit uni, quatenus tale eſt conuenit omni illi ut patet 1. Poſteriorum, uniuerſale autem, et ſecundum quod ipſum eſt cum omni et primo, ſed falſum eſt, quia ipſa phantaſia, eſt intellectus: non tamen eſt abſtracta à materia, ſed immerſa ex tui etiam ſententia: ergo non potes fugere tex. Ariſt. dicens, ut intellectus eſt abſtractus, quia intellectus ut coniunctus homini, & ut intelligit cum phantaſia, eſt uirtus cum materia, propterea quod in operando, ut eſt coniunctus homini, et ut intelligit non ſine phantaſia, non utitur organo corporali, ut dicit Ariſto. quia inquit, ipſi non ineſſe organū corporale, quia quando ipſe intelligit, non poteſt intelligere niſi uniuerſaliter, et ut non utitur organo corporali non eſt mixtus corpori, et talis eſt incorruptibilis, quia omnis corruptio formarū oritur ex materia, ut probatū eſt, & quando intelligit uniuerſaliter, ipſa phantaſia conſiderat ſingulare, quia in conſiderando illud ſingulare tenet ſpeciem illam ante intellectum, quæ poſtmodum illuſtrata ab intellectu agente mouet intellectum poſsibilem: phantaſmata enim (ut dictum eſt in ſuperioribus) ſunt ſicut ſenſibilia. Hoc etiam confirmauit Ariſt. 3. de Anima, tex. 30. loco ſupra citato ſæpe in uarias occaſiones ad hunc modum, Intellectiuæ aūt animæ phantaſmata, ut ſenſibilia ſunt: cum autem bonum, aut malum affirmat, aut negat, et fugit, aut proſequitur, propter quod nequaquā ſine phantaſmate intelligit anima. Infert enim Ariſtoteles animam non intelligere ſine phantaſmate, quia phantaſmata ſunt ſicut ſenſibilia, ſupple ad ſenſum. Quare ſi neceſſaria ſunt phantaſmata ad intellectum, ut ſenſibilia ad ſenſum, ſicut ſenſus non deſcendit ad ſenſibilia, ita intellectus non deſcendit ad ipſa phantaſmata, ſed mouetur ipſe à phantaſmatibus, quando ſunt illuſtrata: ſicut uiſus mouetur à coloribus, quando diaphanum eſt illuminatū, quia ex ſe phantaſmata non poſſunt mouere intellectum, quia aliquo modo ſunt materialia, etenim extenſa ſunt & ſingularia. Verùm cum ſubſtantia intellectus ſit illa, quæ debet moueri, & participatur, & non poſſit moueri ſine auxilio intellectus agētis, & nō poſſit hoc euenire aliā ob cauſam, niſi qa phantaſmata ſint materialia, neceſſitas cogit, ut ponamus ipſum eē immateriale, alioqn ſuperuacaneus eſſet intellectus agens, ſicut ſuperuacaneus eſt etiam ſenſus agens.

1. Poſt. cap. 5.

3. de Anim. tex. 30.

SECTIO DECIMAQVARTA.

Ex quibus etiam patet intellectū noſtrum ſolum indigere phantaſia, non ut in ea exerceat ſuum opus, ſed ut ipſa ſibi repręſentet obiectū: ex quo ſequitur, ut nō ſit neceſſariū intellectū intelligere phantaſmata, ut intelligēs dum intelligit, ſpeculetur

tuletur phantaſia ſua phanſmata, quia ſi non ſpecularetur, non eſſent præſentia ad mouendum intellectum: & tunc non ſe haberent ut ſenſibilia, ergo opus eſt, ut ſenſibilia, quæ oportet mouere auxilio luminis. ſint præſentia ipſi uiſui. ita enim opus eſt, ut phantaſmata, quæ auxilio intellectus agentis debent mouere intellectum, ſint præſentia ipſi intellectui. quod quidem fieri non poteſt, niſi per ipſam phantaſiam ſpeculantē ipſa phantaſmata particularia, dum intellectus ſpeculatur uniuerſalia. & hoc fieri à duabus potentijs oportere ita eſſe clarū puto, quàm quod clariſſimum: & hoc oſtendit immortalitatem intellectus, quia ſi eſſet mortalis, eſſet idē, quod phãtaſia. Ridiculum igitur uidetur eſſe ponere intellectum, qua intellectus eſt, abſtractū à materia, & à quantitate, & ponere ipſum quo ad ſubſtantiam ſuam materialem, cùm ſubſtantia ſua non poſſit cognoſci, niſi ex opere ſuo. quod quidē eſt intelligere: & falſum eſt, quod intellectus habeat ex ſe, quod poſſit eſſe ſine materia, quia ſemper eſt in aliquo corpore: & falſum eſt, quod non indigeat parte determinata corporis, quæ repræſentet ſibi obiectū, nō in qua exerceat ſuum opus. Non tamen ob hoc ſequitur ipſam intellectionem non poſſe exerceri, niſi modo quantitatiuo, & corporali. quia phãtaſmata fiunt uniuerſalia ab intellectu agente. & cùm ſunt uniuerſalia ſunt à corpore, & à quantitate ſeparata, & ita à ueritate abhorret, quod ipſe cōiunctus ſenſui, nō abſoluatur ex toto (ut more ipſius loquar) à materia, & quãtitate, licet nunq̃ cognoſcat ſine phãtaſmate, quia ei non ſeruit phãtaſia, niſi ut faciat obiectū præſens, ſi enim non abſolueret tunc à materia, & à materia, & à quantitate, eſſet idem, quod phantaſia, & ſuperuacaneus eſſe intellectus agens. phantaſmata enim poſſent ex ſe mouere intellectū poſſibilem (ut toties dictum eſt) quod quidē eſt non ſolū labefactare uerū etiã penitus conuellere Ariſtotelis iudiciū, & demōſtrationē, qua probauit neceſſariū eſſe dari intellectū agentē.

SECTIO DECIMAQVINTA.

EX quibus etiam ſequitur à ſententia ipſius Ariſtotelis apertè abhorrere, quod intellectus ſic indigens corpore (id eſt ut faciat obiectum præſens) quod ſimpliciter uniuerſale cognoſcere non poſſit, ſed ſemper uniuerſale in ſingulari ſpeculetur: quia ipſe nunquam poteſt ſpeculari ſingulare, ſed eſt phantaſia, quæ ſpeculatur ſingulare, dum ipſe ſpeculatur uniuerſale ob cauſas dictas.

Quare etiam falſum eſt, quod in omni quæcunqꝫ abſtracta cognitione ſibi formet intellectus (ut dicit iſte) aliquod idolum particulare, quia eſt in pura potentia, non poteſt ſibi aliquod formare: ſicut materia prima nō poteſt aliquod ſibi formare, & poſtea quia eſt abſtractus à materia, non pòteſt deſcendere ad materialia, ita ut poſſit moueri ab ipſis, neqꝫ mouere ipſa. Ariſtoteles enĩ (ſi rectè eius uerba perpēdantur) non dicit intellectū ſpeculari phantaſmata, ſed intelligentem ſpeculari phantaſmata. Hæc enim differunt, ita ut unum fieri non poſſit, ſcilicet intellectum poſſibilem ſpeculari phantaſmata, alterū uerò ſit neceſſarium, intelligentem uidelicet phantaſmata ſpeculari. intelligens enim eſt homo, qui habet intellectū, & phantaſiam: & dum homo intelligit uniuerſale, ſpeculatur etiam phãtaſma particulare, ſed diuerſis principijs. Etenim ſingulare ſpeculatur phantaſia, uniuerſale autem intellectu (ut dictū eſt) & hoc fit eodem tempore neceſſariò, quia iſtæ potentiæ ſunt ita ordinatæ à natura, ut ſi una harum potentiarum intelligat homo, & ſpeculetur phantaſmata uniuerſalia facta uirtute intellectus agentis, ut alia potentia ſcilicet phãtaſia ipſa contempletur neceſſariò iſtud ſingulare: propterea quod neceſſe eſt, ut ipſa faciat præſens obiectū intellectui: quandoquidem phantaſmata ſe habeant ad intellectū, ſicut ſenſibilia ad ſenſum. & ſicut obiecta ſenſibilia non mouēt intellectū, niſi uirtute luminis: ita phantaſmata, quę habēt illam propoſitionē ad intellectū, non mouēt ipſum niſi uirtute intellectus. Cōueniunt tamē in hoc, quia oportet utrumqꝫ obiectū eſſe præſens ſuæ potentiæ: non poteſt aūt phantaſma eſſe præſens intellectui, niſi phantaſia ipſa homo actu cogitet ſingularia phãtaſmata. Quare dixit Ariſtoteles rectè, neceſſe eſt intelligentē phantaſmata ſimul ſpeculari, tunc ſupple cùm intelligit, quia niſi ita fieret, obiectū non moueret intellectum: ſicut patet in ſomnis multos habere in memoria multa phantaſmata, tamen quia tunc homo non operatꝛ phantaſia, intellectus non intelligit. Non ergo uerū eſt, quod dixit iſte homo, quod intellectus ſemper uniuerſale in ſingulari ſpeculetur, etenim

hoc

hoc nõ poteſt fieri, neq; hoc dicit Ariſtoteles de intellectu potentia, ſed de homi-
ne intelligente, ſicut diximus. Neq; hoc eſt, ac ſi fieret à duobus hominibus, ſi fiat à
duabus potentijs, ut ipſe uidetur ſentire, quia fit à duabus potentijs, quarũ una eſt
ita ordinata ad aliam, ſicut uidere fit à uiſu, & iudicare fit à ſenſu communi, non eſt
tamen, ac ſi eſſent duo homines, quia fieri nõ poteſt, ut unus operetur, & alter non
operetur, quia in his ſuperiores ſententiæ non poſſunt cognoſcere, niſi inferiores
etiam ipſæ aliquo modo cognoſcant, quia inferiores ſunt ordinatæ à natura ad ſu-
periores, inferiores uerò, quia ſunt natura priores, & perfectione poſteriores, poſ-
ſunt ſine ſuperioribus cognoſcere. Quomodo autem hoc poſſit eſſe, & quomodo
reſpondeatur ad quoſdã locos Ariſtotelis qui uidentur contrarium aſſerere, in ſu-
perioribus nos declaraſſe arbitramur, ad quem locum me reijcio.

Ex quibus etiam ſequitur illud à ſententia Ariſtotelis eſſe alienum, quod addit
» ad hunc modum: Quare neq; ſua operatio ex toto eſt uniuerſalis, neq; ex toto eſt
» particularis: neq; ex toto ſubijcitur tempori, neque ex toto à tempore remouetur:
» quia ex toto eſt uniuerſalis (ut more ipſius loquar) & nullo modo eſt particularis:
& ſi operatio ſua poſſet eſſe particularis, non indigeremus intellectu agente (ut di
ximus) & ex toto ſubijcitur tẽpori eo modo quo diximus, quatenus indiget phan
taſia, quæ ſubijcitur tempori. etenim ſemper eodẽ modo intelligit, ut oſtendit Ari
» ſtoteles in libro de Memoria, & reminiſcentia ad hunc modum, dicens: Quoniam
» autem de phantaſia prius dictum eſt in ijs, quæ de anima, et intelligere non eſt ſine
» phantaſmate, accidit eadem paſſio intellectui, quæ quidem deſcribendo, ibi enim
» nulla utentes quantitate trigoni determinata, tamen finitum ſecundum quantita-
» tem deſcribimus: & intellectus etſi intelligat non quantum ponitur, tamen ante o-
» culos quantum: ſi autem natura ſit, infinitum autem quantum, ponit autem quan-
» tum determinatum, intelligit autem ſecundum quantum ſolum: propter quam au
» tem cauſam non contingit intelligere nihil ſine continuo, neq; ſine tempore, quæ
non in tempore ſunt, alia ratio eſt. His ergo uerbis apertè oſtendit Ariſtoteles, om
nem cognitionem intellectus eſſe ſemper eodem modo, & ex toto ſubijci tempo-
» ri eo modo, quo ſubijci poteſt tempori, ſubſequutus etiam eſt Ariſtoteles: Ma-
» gnitudinem autem, & motum cognoſcere neceſſe eſt, quo & tẽpus indicat, quod
» ſemper eodem modo ſe habeat in cognitione, perperam ergo dixit.

SECTIO DECIMASEXTA.

EX quibus omnibus perſpicuum eſſe arbitramur illa, quæ infert homo iſte ex
eis, quæ dixerat perperam illata fuiſſe: quia non ſequitur ex eis, quæ dixit in-
tellectum noſtrum eſſe materialẽ ſimpliciter, nullo enim modo eſt materialis, cùm
ſua ſubſtantia ſeiuncta à materia, licet indigeat corpore, quod ſibi repręſentet obie
ctum: & quatenus ad hoc attinet, non ſit eius perfectionis, cuius ſunt intelligẽtiæ,
quæ nullo modo indigent abiecto extrinſecus exiſtente: propterea quod nihil ex
tra ſe intelligunt, ſunt enim puri actus, ſed noſter intellectus eſt pura potẽtia, æter-
nus tamen. & hoc modo eſt medium inter formas immerſas, & ſeparatas à mate-
ria, & in hoc conuenit cum intelligentijs, & informat materiam corruptibilem, ſi-
cut faciunt formæ materiales, & utitur corpore ut ſibi repræſentet obiectum, ſicut
2 Meta. ſenſitiuæ: neque obſtat, quod intelligat cum difficultate, ſicut Ariſtoteles 2. Meta.
tex. 1. quia illud intelligere non oſtendit naturam ſuam, quæ cùm ſit in pura potentia, &
caret omnibus ſpeciebus, quas percepturus eſt, neceſſe fuit, ut natura daret homi-
ni phantaſiam, quæ intellectui inſeruiret repræſentando obiectum: et propter hoc
non poteſt ita percipere abſtracta à materia, ſicut perciperet, ſi non indigeret
phantaſmate: eſt tamen tantæ perfectionis, ut excellat omnes formas materiales,
quæ etiam cognoſcunt.

Falſum etiam eſſe apparet ex eis, quæ dicta ſunt, quod ita ſit de anima huma-
lib. de Ani na, ſicut de luna, quam dixit Ariſtoteles in libro de Animalibus eſſe de natura
malibus. terræ, quia intelligere eſt in anima humana ſecundum participationem eſſentiæ,
quia ex natura ſua eſt capax omnis intellectionis, & intelligere eſt ſibi proprium

in

in corpore tamen. & hoc eſt conſentiens naturæ, quod ipſa anima rationalis ſit me
dia inter abſtracta ſimpliciter & nõ abſtracta ſimpliciter, ſicut nos in ſuperioribus
declarauimus, non quemadmodum iſte declarauit. & licet ipſa non intelligat om-
nia niſi cum difficultate, & intelligat etiam res modo imperfectiſsimo: intelligit ta-
men, quantum ferre poteſt una natura abſtracta, quæ ſit in pura potentia: quod ta-
men intelligere eſt perfectiori modo, quàm eo, quo intelligunt nonnullæ naturæ,
quæ extra ſe aliquid intelligunt: quia uniuerſaliter intelligit obiecta quæ ſunt ex-
tra ipſam, quod oſtendit eius immortalitatẽ, non aũt mortalitatem. nulla enim na-
tura, quæ intelligit aliquid extra ſe, poteſt intelligere modo perfectiori, quàm fa-
ciat anima rationalis. quare poſtulare ut ipſa intelligat modo perfectiori, quàm in-
telligit, eſt ignorare naturam ipſius animæ rationalis, & quid unicuiq; conueniat.
Nihil igitur erat, quare iſte homo tanta admiratione afficeretur Ariſtotelem dixiſ-
ſe 2. Meta. quod ſicut ſe habet oculus nicticoracis ad lumen ſolis, ſic intellectus no- 2. Meta.
ſter ad manifeſtiſsima in natura, ita ut ex hoc dicto uelit inferre ipſius mortalitatẽ. "
etenim hoc non infertur ex illo, ſed ſolum uidetur poſſe inferri, quod ipſa non eſt
perfectiſsima omnium, quæ ſunt in natura. etenim illi qui dicunt ipſam eſſe immor
talem, non aſſerunt ipſam habere omniũ, quę natura ſunt, perfectiſsimã eſſentiam,
ſed dicunt ipſam eſſe perfectiſsimam eſſẽtiã inter eas eſſentias, quæ non ſunt ani-
mæ: Inter animas uerò perfectiorem eſſe omnibus illis, quæ extra ſe aliquid intelli-
gunt: plura enim intelligit & modo perfectiori. quod quidem in eis, quæ indigent
perfectione extrinſecus aduenienteoſtendit maiorem perfectionẽ: qui ergo per-
fectiorem ex ipſa quærit intelligentiam, perinde agere mihi uidetur, ac ſi ex mathe
matica quæreret perſuaſiones, & ex Rhetorica demonſtrationes: quod quidem
abſurdum eſſe declarauit Ariſtoteles primo Ethic. cap. 2. 1. Ethic. cap. 2.

SECTIO DECIMASEPTIMA.

QVantum uerò attinet ad id, quod ſubiungit, ad hunc modum dicit quantũcũq;
peruerſe illud expoſuerit Auerroes, dicimus nobis uideri hunc hominẽ per
peram refelliſſe Auerrois explicationem, quantum ſpectat ad ſuum propoſitum.

Propterea quod uidetur tangere ipſum Auerroem, cũ dixit poſt expoſitionem "
illius tex. citati, ſed hoc nõ demoſtrat res abſtractas intelligere eſſe impoſsibile no- "
bis. ſicut inſpicere ſolem eſt impoſsibile ueſpertilioni, quoniam ſi ita eſſet, tunc o- "
cioſe egiſſet natura, quia fecit illud, quod eſt in ſe naturaliter intellectum, non intel "
lectum ab alio. etenim quatenus attinet ad illam partẽ, quod uidelicet illud exem- "
plum non demonſtrat fieri non poſſe, ut nos intelligamus res abſtractas, uidetur re
ctè dicere Auer. & ſententiæ Ariſto. conſentire, quippe qui nobis cognitionem ab
ſtractam tradidit, & 8. Phyſ. & 12. Meta. & etiam primo de Partibus animaliũ, quò
in loco hæc ſcripta reliquit, quæ uerba in ſuperioribus citauimus, ad alias occaſio 8. Phyſ. & 12. Meta.
nes ſubſtantiæ, quæ natura cõſtant partim ingenitæ immortalesq; ſeculis omnibus 1. de Parti-
ſunt, partim ortus participes, atq; interitus intelliguntur. ſed partẽ illam æternam, bus anim. c. 5.
& proinde nobilem, ac diuinam minus contemplari propterea poſsimus, quod ad- "
modum pauca illius modo ſenſui patent, quorum beneficio tum de ea ipſa parte di "
uina, tũ de ijs, quæ cupimus, facultas nobis cogitandi, indagandiq; ſuppeditetur, "
res mortales, atq; caducas, ut ſtirpes, ut animantes, quod eas ſocias familiaresq; ha "
bemus noſce uberius poſſumus. quippe cum multa ineſſe quoq; in genere percipe "
re poſsit, quicunq; non laborem recuſat pleniorem, utrumq; tamen ſtudiũ nos de- "
lectat. res namq; illas ſuperiores, tametſi leuiter attingere poſſumus, tamen ob eius "
cognoſcendi generis excellentiam, amplius oblectamur, quàm cum hæc nobis iun "
cta omnia tenemus. quemadmodum quamlibet partem minimã corporis noſtra- "
rum puellæ delitiarum uidiſſe gratius, ac iucundius eſt, quàm cæterorũ hominum "
membra tota conſpexiſſe, atq; contractaſſe. Quibus uerbis apertè nobis indicat "
nos poſſe habere cognitionem rerum abſtractarum: licet nõ ita perfectam ſicut re
rum, quæ ſunt hic, propterea quod longius abſunt à ſenſu, quare ob hanc etiã cau-
ſam primo Meta. tex. x. Ariſto. protulit hęc uerba, quare difficillima ad cognoſcen
dum hominibus ſunt maximè uniuerſalia, longiſsima enim à ſenſibus ſunt, per ma 1. Met.
xima uniuerſalia intelligẽs abſtracta à materia, uidelicet Deũ & intelligentias, quę tex. 10.

inter cauſas ſunt uniuerſaliores omnibus,cum difficultate tamẽ à nobis cognoſcitur,quia eorũ accidentia quia ſunt longè à ſenſibus, quæ intellectui ſubminiſtrant cognitiones,cum difficultate mouent ſenſus, quare & intellectum: ſed rei difficultas non arguit, quod intelligi nõ poſſit.perperam igitur uidetur dixiſſe iſte homo, & perperam refelliſſe Auer.in explicatione dicta.ſed in alio uidetur poſſe refellere ipſum Auer.(ut ego quidem opinor) etenim Auer.uolens reddere cauſam, quare illud exemplum nicticoracis non arguat fieri non poſſe,ſed rei difficultatẽ, inquit, » Quoniam ſi ita eſſet, tunc ocioſe egiſſet ſupple natura, quia feciſſet illud, quod eſt » in ſe naturaliter intellectum,non intellectum ab aliquo: ſicut ſi feciſſet ſolem, non comprehenſum ab aliquo uiſu.non enim uidetur hæc ſequi,quia diceremus res abſtractas,ſi non fuiſſent intellectæ à nobis,fuiſſent intellectæ à ſe ipſis,& ſic nõ fuiſſent ſuperuacaneæ.Et hoc ipſis ſatis eſt ſi faciamus etiam neceſſariũ eſſe,ut res quæ ſunt,intelligantur,quod uidetur abſurdum, etenim hoc uidetur eis accidere: nihil enim uidetur prohibere,quin aliquæ res ſint in mundo,quæ poſſint intelligi,& tamen non intelligantur.

Item ſequeretur ſubſtantias abſtractas, quæ ſunt perfectiſſimæ omnium,eſſe ob noſtram cognitionem:quia dicit,ſi non intelligerentur à nobis, quod fruſtra natura eas feciſſet.quod quidem,ut ex eis,quę dicta ſunt à nobis in ſuperioribus,perſpici poteſt:ita eſt abſurdum quàm quod abſurdiſſimũ. ſunt enim propter ſe ipſas primo,non propter nos, ſed nos ſumus propter ipſas: etenim imperfectiora ſunt propter perfectiora.ſi etiam ſol non comprehẽderetur ab aliquo uiſu,non fuiſſet ocioſe factus,quia non eſt principaliter factus propter nos, ſed propter ſubſtantias abſtractas: ſecundario autem uidetur propter noſtram utilitatẽ & ut gubernet hunc mundum,quia hoc gubernare ſequitur perfectionem corporum cœleſtium, & illa corpora cœleſtia ſequuntur perfectionem intelligentiarũ. quare & ſi corpora cœleſtia non intelligerentur noſtro intellectu, cum à nullo alio poſſunt intelligi, non eſſent tamen fruſtra,quia eſſent propter intelligentias.accidit enim ipſis,ut à nobis intelliganrur,non eſt enim ex ſuo principali propoſito.

Exemplum etiam ueſpertilionis non uidetur recte exponi ab ipſo Auer. quia non uidetur uerum ſcilicet ueſpertiliones non poſſe aliquo pacto inſpicere lucem ſolis,quia aſpiciunt lucem ſolis, ut apparet,etenim per diem etiam uolant:ſed quia uirtus eorum uiſiua eſt debilis, fugiunr lucem ſolis, ne corrumpat ſuam uiſionem: etenim excelllens ſenſibile corrumpit ſenſum. quare uidetur accommodatũ exemplum ad noſtrum intellectum in comparatione intellectionis abſtractarũ: & hoc uiſus eſt oſtendiſſe Ariſto.nono de Hiſto.animalium cap.primo ijs uerbis, Cornix cum noctua diſſidet, cornix enim meridiem oua ſurripiens noctuæ abſumit, cum » non clare interdiu noctua uidear.Noctua contra oua cornicis noctu exedit: eſtq; » altera interdiu,altera noctu potentior.non negat igitur Ariſto. noctuam interdiu uidere, ſed dicit ipſam non uidere clare: & ita exemplum noctuæ uidetur accommodatiſsimũ intellectui noſtro ſubſtantias abſtractas intelligẽte,eas enim intelligit,ſed non clare ob eas,quas in ſuperioribus recitauimus cauſas.in ijs ergo potuiſſet fortaſſe reprehendere Auer.Pomponatius,non tamen in eo,in quo uidetur ipſe eum refellere,quia Auer.in hoc uerum dicit,illud exemplum non oſtendere impoſſibilitatem intellectus in intelligendo res abſtractas, ſed uidetur errare in eis, quæ diximus.Fieri igitˀ poreſt ,ut nos intelligamus abſtracta, ut locis citatis perſpicuum eſt,licet non ita perfecte, ſicut quæ ſunt nobis familiaria. quare ex hoc non ſequitur,quod intellectus ſit materialis, ſequitur tamen neceſſarium eſſe ut ipſe indigeat phantaſia præſentante ſibi obiectum ,quod potius demonſtrat eius immaterialitatem,quàm materialitatem: quia ſi hoc non eſſet, non indigeret phantaſia, ſed eſſet ipſa phantaſia:neceſſe enim,ut ſit phantaſia. uel non ſine phantaſia ex ſententia Ariſto.ſi eſſet ſine phantaſia,neceſsitas cogeret,ut eſſet phantaſia,alterum enim duorum euenire ex diſiunctione Ariſto. neceſſe eſt. ſed quoniam demonſtratio oſtendit,quod non eſt phantaſia,quia non habet organum, neceſſitas ergo cogit, ut non ſit ſine phantaſia,& ita non ſit mixtus corpori.quare tantum abeſt,ut ex illis uerbis Ariſto. (meo iudicio)ut diximus etiã in ſuperioribus, ſequitur intellectum eſſe corruptibilem,quia indiget phantaſia, & nõ eſt phantaſia,ut ex hoc cognoſce

9. de Hiſt. aim ca. 1.

debeamus eum eſſe abſtractum à materia, & incorruptibilem, quia aliter fuiſſet phantaſia, & non fuiſſet ſine phantaſia: non enim licet dicere phantaſię conuenire, quod non ſit ſine phantaſia. Nihil ergo concludit Pomponatius ex his, quod ſententiam noſtram labefactet.

Sed urgeret aliquis, dicens, Tu dixiſti neceſſarium eſſe intelligentē ſimul phantaſmata ſpeculari, quia phantaſmata ſe habent, ut ſenſibilia, quod ſi detur (ut tu ex ſententia Ariſtotelis dediſti) uidetur ſequi, ut non neceſſe ſit ſemper intelligentem phantaſmata ſpeculari: probatur conſequentia, quia tu conceſsiſti phantaſmata ad intellectum eam proportionem habere, quam ſenſibilia ad ſenſum. ſed fieri poteſt, ut remotis ſenſibilibus ſenſus ſentiat: ergo fieri poterit ut remotis phantaſmatibus intellectus intelligat. Non erit igitur neceſſe ſemper intelligentē phantaſmata ſpeculari.

in lib. de Somn., &.

Id aūt, quod antecedit colligi poſſe uidetur ex eis, quæ ſcripta Ariſto. reliquit in libro de Somnijs, ſenſibilia, inquit, ſecundum unumquodque ſenſorium nobis efficiunt ſenſum, & quæ fit ab eis paſſio non ſolum ineſt ſenſorijs, dum ſenſus agunt, ſed etiā dum abierūt: ſimilis enim paſſio & in his, & in illis, quæ feruntur, uidetur eſſe: etenim in latis, eo quod mouit, non ulterius contingēre mouentur: nam quod motum fecit, mouit aerem quendam, & rurſus hic motus alium: & hoc itaq; modo quouſq; quidem extent, faciunt motum & in aere, & in aqua. ſimiliter autem & oportet opinari hoc & in alteratione, nam quod calefactum eſt à calido proximum calefacit. Et hoc diſtribuit uſq; ad principium: Quare & in quo eſt ſentire, quoniam eſt alteratio quædam, qui ſecundum actū ſenſus neceſſe eſt hoc accidere, ideo paſsio ipſa nō ſolum ſentientibus in ſenſitiuis, ſed & quieſcētibus & in profundo, & ſuperficietenus, palàm autem cum continuè ſentimus aliquid. transferentibus enim ſenſum ſequitur paſſio ueluti de ſole ad tenebras, accidit enim nihil uidere propter adhuc ſubſiſtentem motum in oculis à lumine, & cætera quæ ſequuntur. quibus uerbis apertiſſimè ſignificat uiſum poſſe uidere abſentibus uiſibilibus: ergo ex eis, quæ dicta ſunt, ſequi uidetur intellectum poſſe intelligere abſentibus phantaſmanbus. & dat exemplum Ariſto. de proiectis, quod eſt ualde accommodatum: non eſt ergo uerum in doctrina Ariſto. ſemper neceſſariū eſſe intelligētem phantaſmata ſimul ſpeculari.

Huic autem quæſtioni occurrens dico ad hunc modum, ſenſus aliquando poſſe ſentire per aliquod paruum temporis ſpacium, quia ſpecies ſenſibilis poteſt retineri in ſenſorijs: quia illa ſpecies accipirur per modum quanti, & retineri poteſt à complexione, & qualitatibus exiſtentibus in oculo, quæ ſunt qualitates, quæ poſſunt retinere, & conſeruare per aliquod breue tēpus illas ſpecies. ſed hoc nō poteſt facere intellectus: propterea quod intellectus cùm ſit indiuiſibilis, & abſtractus à materia, nō habet aliquas qualitates materiæ, quibus poſſit retinere ſpecies, etiam ſi eſſent quantæ. Tanto igitur minus poteſt ipſas retinere, cùm ſint & illæ ſpecies abſtractæ à materia. quare fieri non poteſt, ut detur aliquod minimum tempus, in quo intelligēs intelligat præter hoc, quod phantaſia ſpeculetur. remoto enim phātaſmate, neceſſarium eſt, ut euaneſcat ſpecies phantaſmatis, propterea quod non potuit cōſeruari ab intellectu ob cauſas dictas, neq; à phantaſmate, quia ponimus, quod non adſit præſens: ſimilitudo tamen eſt maxima inter phantaſmata reſpectu intellectus, quæ eſt ſenſibilibus quatenus attinet ad ipſum ſenſum. ſed diuerſitas iſta naſcitur ex parte potentiæ non ratione obiectorū, ratione quorum loquutus eſt Ariſto. cū dixit 3. de Anima tex. 39. loco in ſuperioribus ſæpe à nobis citato: phātaſmata enim ſicut ſenſibilia ſunt, præter quod ſunt ſine materia. quod cum ita ſit nihil urgere uidetur quæſtio allata, ſed illi, qui tenent intellectum mortalē coguntur laborare, ſi uolunt ſeruare uerba Ariſto. quod neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari.

3. de Ani. tex. 39.

SECTIO DECIMAOCTAVA.

SEd adhuc urgeret aliquis quærēs, quomodo fieri poſſit ut intelligens ſimul ſpeculetur phantaſmata, quia intelligens intelligit uniuerſaliter: & fieri non poteſt ut intelligat particulariter: ergo non eſt neceſſe intelligentem ſimul phantaſmata ſpeculari.

1.Poſt. cap.12. Quod autẽ ita ſit, colligitur ex Ariſto. ex 2. Prio. & 1. Poſt. cap. 1. & cap. 12. ubi di-
xit: Hic enim ipſum ſcire, quia ad eas pertinet, qui ſenſu utuntur, ipſum autem pro-
» pter quid eſt ad mathe. ipſas, hi nãq; cauſarum demonſtrationes habẽt, & perſæpe
» neſciunt ipſum: quia quemadmodum illi, qui cõtemplantur uniuerſale ipſum, non
» nulla ſingularium, quia non animaduertunt, ſæpenumero neſciunt. fieri igitur po-
» teſt, ut aliquis cõtempletur uniuerſale, & ignoret particulare. ergo in eo cauſam intelliget, quia contemplabitur uniuerſale: non tamen ſimul contemplabitur phantaſma, quia ignorat ſingulare illud. Propoſitio ergo illa illuſtris, & peruagata, neceſſe eſt intelligentem ſimul phantaſmata ſpeculari à ueritate uidetur abhorrere.

Cui quæſtioni reſpondentes dicimus, neceſſarium eſſe intelligentẽ ſimul phantaſmata ſpeculari ob eas quas recitauimus cauſas, quia intellectus caret memoria, neceſſarium eſt ei phantaſia, ut teneat præſens obiectum. imò hæc propoſitio nobis liquide oſtendit intellectum noſtrum carere memoria, quia ſi retineret ſpecies, quas ſemel intellexit, poſſet illas ipſas intelligere intelligens, & non ſpeculari ſimul phantaſmata. ſed cum neceſſarium eſſe aſſerat, ut ſpeculetur ſimul phantaſmata, quia ita ſe habent ad intellectum, ſicut ſenſibilia ad ſenſum, neceſſitas cogit, ut aſſeramus ipſum intellectum nullam habere in ſe ſpeciem à natura, neq; retinere eas, quas receperat prius ex ſenſibilibus, & ex phantaſmatibus, quoniã ſi eas habuiſſet à natura, non indiguiſſet phantaſmatibus, ſi etiam retinuiſſet eas, quas ex phãtaſmatibus accepit, potuiſſet illas aliquando intelligere non ſpeculando phantaſmata, ſicut phantaſia poteſt intelligere ſpecies, quas recepit ex ſenſibilibus, abſentibus ipſis ſenſibilibus.

Ad tex. aut Ariſto. dicimus nõ repugnare ſentẽtiæ noſtræ, propterea quod non negamus, quin ſi aliquis intelligat uniuerſale, non ſpeculetur phantaſma: ut uerbi gratia, qui intelligit omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis: non ſpeculetur ipſa phantaſia hunc triangulum, uel hunc habere tres angulos æquales duobus rectis: ſed ſignificant fieri poſſe, ut aliquis ſciat illam uniuerſalem propoſitionem, & ignoret tamen hunc triangulum, quem in manibus abſconſum habeo quem ignoro eſſe triangulum, uel non cogito eſſe triangulum, uel quẽ non cogito habere tres angulos æquales duobus rectis. & perſpicuũ ex eis locis quos ad hanc noſtrã ſententiam euertendam attulimus, perſpicuè enim hoc oſtendunt, cum ijs tamen ſtat neceſſarium eſſe, ut qui intelligit hanc uniuerſalem propoſitionem omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, ſpeculetur neceſſariò ſimul particulares aliquos triangulos habere illos tres angulos. & hoc ſe qui uidetur poſito quod propoſitio illa collecta fuit ex ſingularibus triangulis, et nõ ex principijs. ex quibus ſequitur, quæ principia ortum habuerunt ex ſuis ſingularibus, ſpeculetur dico particulares aliquos triangulos, licet ignoret aliquem habere illos, quem neſciat eſſe triangulũ, uel nõ cogitet: quod eſt id, quod protulit Ariſtot. uidetur enim mihi recte diſſoluta quæſtio.

SECTIO DECIMANONA.

Reuertamur modo ad Pomponatiũ, & dicamus illud quod dicit hoc totũ conſonare naturæ, quæ gradatim procedit, uegetabilia enim aliquid animæ habet, dico ea, quæ dicit in hac parte non conſentire naturæ, ut demonſtratum fuiſſe à nobis in ſuperioribus arbitramur, ubi oſtendimus animam noſtram rationalem locum medium iure optimo tenere, propterea quod natura non ſolet tranſire ab extremo ad extremũ ſine medio, quod feciſſet, ſi ſubſtantia animæ rationalis fuiſſet corruptibilis, trãſiſſet enim de corruptibili ſimpliciter ad incorruptibile ſimpliciter, ſed ſi eſt incorruptibilis ex ſua ſubſtantia, ſeparabilis tamen ab hoc uel ab illo uidetur aliquo modo deſinere eſſe, quia deſinit informare hoc corpus & illud, & ita relinquere hanc, uel illam materiam, & indiget corpore, ut obiecto, quod non faciunt ſubſtantiæ illæ, ſunt puri actus, & ſimplices, quod non conuenit animæ rationali, quoniã eſt compoſita ex actu, quod eſt intellectus agens, & potẽtia, quod eſt intellectus poſſibilis: quare non eſt neq; purus actus, neq; ſimplex meo ſenſu, in quo nunc loquimur: neq; ad noſtrã ſententiã labefactandã conferre uidetur, quod quædam animalia ad factam perfectionem perueniunt, ut intellectum habere exiſtimentur: quoniam non habent eum intellectum, qui intelligit uniuerſaliter, licet

habeant

habeant quandam exiſtimationem naturalē, qua particulariter diſcurrere uideantur, & qua uidentur dici ſimilitudine quadam habere intellectum. ſed non habent uerū intellectum, quia non habēt illum intellectum, qui habet propoſitionem uniuerſalem, ut multis in locis, ut ex ſuperioribus colligi poteſt, ſcriptū reliquit Ariſto. quorum unum tamen citabimus, qui eſt in lib. 7. Ethi. cap. 5. ad hunc modū, quem citauimus etiam in ſuperioribus ad aliud propoſitum, ac propterea beſtiæ nō ſunt incontinentes, quoniam uniuerſalis apprehenſionem non habent: ſed ſingularium phantaſiā, ac memoriam. ex quo tex. perſpicuè patet ipſas non habere intellectū, ſicut nos habemus. & patet neceſſarium eſſe, ut intellectus noſter non ſit immerſus materiæ, quia ſi eſſet immerſus materiæ, ſicut intellectus brutorum, nihil prohiberet, quin ipſæ illæ beſtiæ haberent etiam apprehenſionem uniuerſalis, non ſingularium tantum. nulla enim poteſt eſſe alia cauſa, quare intellectus noſter apprehēdat uniuerſalia, & beſtiæ non apprehendant, niſi quia intellectus noſter ſit abſtractus à materia, & intellectus beſtiarum non ſit abſtractus: quia intelligere uniuerſaliter eſt intelligere rem abſtractam à materia, & à cōditionibus materiæ, quæ operatio non poteſt conuenire intellectui mixto materiæ, quia haberet organum, & organum non repræſentat uniuerſale, ſed ſolum ſingulare. quare ex hoc tex. uidetur colligi rectè dictum à nobis fuiſſe intellectum noſtrum non habere organum corporale, quia recipit propoſitiones uniuerſales. quia ſi hoc non demonſtraret intellectum noſtrum non habere organum corporale, fieri non poſſet ut ſciremus intellectū noſtrum non uti organo: & per conſequens ignoraremus, an eſſet mixtus corpori, imo crederemus ipſum uti organo corporali, & per conſequens eſſe mixtum corpori, ſicut ſenſitiuum. etenim nulla alia eſt operatio ipſius intellectus ex ſententia Ariſto. ex cuius doctrina loquimur, ex qua hoc poſſit colligi præter iſtam, quare recipere ſpecies uniuerſales extrinſecus aduenientes eſt uerum medium ad demonſtrandum intellectum non habere organū. & quia ex ſententia Ariſto. belluæ non habent iſtas propoſitiones uniuerſales, ſequit̃ ex eius ſentētia, ut earū animæ ſint mixtæ corpori, quia habeant corporale organum. ſi ergo uideantur facere aliqua mechanica, hoc eſt ex inſtinctu quodā naturæ, nō quod habeant diſcurſum uerum ex ſentētia Ariſto. quia haberent propoſitionē uniuerſalem, non enim eſt ſine ea, ſi tamē eſſet uerum, quod haberent intellectum, ſicut homines, haberent etiam propoſitionem uniuerſalem: quod ſi detur, nihil aliud erit, quàm euertere Ariſto. iudicium: ex cuius tamen ſententia Pomponatius ſe loqui profitetur, et tenet materialitatem intellectus noſtri.

7. Ethic. cap. 5.

Quod uerò infiniti homines uideantur minus intellectus habere, ut ipſe dicit, quàm multæ beſtiæ, hoc uidetur falſum: & ſi ſint, uerum non eſt, quia homines non habeant uerum intellectum alium ab eo, quem habent beſtiæ, ſed eſt, quia illi homines non habeant organa diſpoſita, uel ob alias cauſas dictas, & hoc eis accidit.

Quod ſi etiam daretur, hoc eſſet quoq; contra ipſum, quippe qui fatetur hominis intellectum, licet ſit eductus ex potentia materiæ, eſſe tamen perfectiorem omnibus alijs intellectibus, & formis materialibus: ſoluat ergo & ipſe, quare infiniti homines uideātur habere minus de intellectu, quàm multæ beſtię, & ſi intellectus eſt materialis, quia hoc eſt abſurdum ex ſententia etiam ipſius: nihil igitur hoc infirmare ſententiam noſtram uidetur, ſed potius ſuam labefactare, atq; conuellere.

Quod uerò affert teſtimonium eius mortalitatis, quia ſolum cum mortalibus conuerſatur, uidetur ignorare naturam ipſius intellectus, ipſe enim erat in pura potentia, & nullum habebat actum: neceſſe ergo fuit, ut perficeretur ab extrinſecus exiſtētibus. Hoc aūt non poterat fieri, niſi auxilio corporis mortalis, quod corpus nutritur ex mortalibus: fuit igitur coactus homo conuerſari cum mortalibus. & concedimus imaginatiuam cognoſcere indiuidua decem prædicamentorum, negamus tamen, quod ipſa cognoſcat uniuerſalia decem prædicamentorū, quia tunc & ipſa non eſſet mixta cum corpore. Hoc enim fuit, quod fecit nos cognoſcere differentiam intellectus noſtri ab alijs intellectibus, dictum eſt.

SECTIO VIGESIMA.

QVod uerò addidit poſitionem ſuam nullum inconueniens ſequi, dico tot & tanta ſequi, ut neceſſe ſit, ſi eam ponamus, ut euertamus omnes Ariſto. li-

bros .ex cuius tamen ſententia ipſe profitetur ſe loqui: non enim poteſt ſuſtinere
omnia illa Ariſto.uerba,quę attulimus ad probãdum intellectus noſtri immortali
tatem.ille enim quas tradit interpretationes ſomnia eſſe, & in rem non conuenire
ita eſſe in promptu arbitramur, ut turpe nobis uideatur uelle illas iterum refellere.
quis enim eſt,qui nõ uideat ſomnium eſſe,et figmentum horrendũ,dicere Ariſtot.
protuliſſe intellectum eſſe impaſſibilem,& non eſſe mixtum corpori: & ſeparabile
à corpore,uenire de foris,diuinum eſſe,ubi loquitur de ſubſtantia ipſius,ut proba-
rum eſt,interpretari de intellectu, ut intellectus eſt, & de Deo? quid enim ſibi uult
hoc loqui de intellectu,ut intellectus eſt, & de Deo, eo in libro quo quærit, an ſit
pars noſtri. & quo modo fieri poteſt, ut aliquis in illis locis potuerit uenire in eam
opinionẽ,ut uelit Ariſto.intelligere de Deo, cum clarè appareat eum manifeſtiſſi-
mè loqui de illa parte animi pro ſubſtãtia ſua, qua intelligit, & ſapit anima. etenim
ex operatione illa, quam facit intellectus, dũ recipit ſpecies uniuerſales, ab eis, quæ
ſunt extra, non ne cognoſcitur, quod nõ utitur organo in ſua operatione, ſua ergo
ſubſtantia non eſt mixta corpori.

Quis enim non obſtupeſcat uiros tot eruditiſſimos ueniſſe in hos manifeſtiſſi-
mos,ac turbulentiſſimos errores. longe enim melius (meo iudicio) exiſtimationi
ſuæ cõſuluiſſent, ſi dixiſſent Ariſt.ponere animi noſtri immortalitatẽ, & unitatem,
ſed deceptum eſſe, quàm eius uerba ita aperte extorquere, ut fieri non poſſit, ut ab
hominibus, qui cerebri uentriculos, uel cordis diſpoſitos naturaliter habent, perci-
piantur: æquiori enim animo, ſi ita loquũti eſſent, eos tuliſſemus.

» Decipitur tamen etiam, meo iudicio, in illa parte in qua dicit, quod qui imagina-
» tur opinionẽ Auer. eſſe fortiſſimæ imaginationis, & ſe credere pictores nunquàm
» pulchrius monſtrum, hoc monſtro finxiſſe, quia hoc eſt contra Ariſto. etenim ueriſ
ſimũ eſt opinionem illam de unitate animi eſſe falſiſſimam, quia fides noſtra, quæ
non poteſt neq; falli, neq; fallere ita apertè aſſerit. tamen ſi nos in fundamentis
Ariſto. naturaliter loquentis ſtemus, & non euertamus ſua uerba, ſed recta inter-
pretatione illa accipiamus. & ſi caremus lumine diuino, dicerem tantum abeſſe,
ut ille, qui imaginatur intellectus unitatem ſibi fingat monſtrum, ut qui aliter aſſe-
rat, cogatur dicere monſtra, & maxima figmenta. quoniã ſi intellectus noſter non
ſit mixtus corpori, neceſſe eſt, ut ſit abſtractus à materia, & à corpore. ex quo ſequi
tur, quod ſit impaſſibilis, ergo immortalis, ergo non multiplicatus, ex dictis etiam
ab ipſo. qui igitur imaginatur, quod ſequitur ex demonſtratione naturali, loquen-
do naturaliter, non imaginari figmentum in dubium ſano uenire nõ poteſt, ſed qui
imaginatur illud, quod repugnat demonſtrationi naturali, quæ ortũ habet ex ſenſi
bus, & profitetur ſe loqui naturaliter, ille ſibi imaginari monſtrum neceſſe eſt. quid
enim eſt nõ eſſe mixtum corpori, quàm non habere magnitudinem? quid enim di
cat, quæſo, eſt non habere magnitudinem, niſi eſſe abſtractũ & ſeparatum à mate-
ria? Quid præterea eſt eſſe abſtractum à materia, niſi eſſe incorruptibile? non ne
omnis corruptio eſt ratione materiæ? quid enim eſt in doctrina Ariſto. eſſe incor-
ruptibile quàm eſſe immortale? quid aũt eſt eſſe immortale, quàm eſſe unum in nu
mero, in ſpecie, ſi natura non multiplicat indiuidua in eadem ſpecie, niſi quia non
poteſt conſeruare ſpeciem in uno indiuiduo, ſeruat per ſucceſſionem. qui ergo ali-
ter ſentit, ut euertat ſententiam Ariſto. naturaliter loquentis, neceſſe eſt: ſi uerò di-
cat, quod Ariſto. intelligat in iſtis de intellectu, ut intellectus eſt, non ne hoc dice-
re eſt figmentum? non ne hoc eſt extorquere Ariſto. non ne euertit totum librum
de Anima? non ne falſum dicit, quod intellectus ut intellectus ſit à materia abſtra-
ctus? & quod non habeat organũ, quia omnis intellectus eſſet ita. quod quidem à
ratione abhorret: nam phantaſia eſt intellectus (ut dictum eſt) & tamen habet or-
ganum corporale, & non eſt abſtracta.

Item quomodo fieri poteſt, ut non intelligat in illis locis de parte animæ, qua ſa-
pit homo, & intelligit? & non loquatur in illis locis de illa parte animæ, quam uo-
cauit intellectũ? & non intelligat illam partem non habere organũ, & ob hoc non
eſſe mixta cum corpore, & hoc dicat ex ſua operatione, non ne pollicitus erat in to
to libro declarare ſubſtantiam animæ? & omnium partiũ ſuarum? & quã differen-
tiam

tiam haberet ab alijs: ubi ergo ſi non fecit in illo tex. certè nullibi tradidit hanc cognitionem, ſi in eo conſilio fuiſſet, ut uellet ibi declarare ipſam, ut eſt ſimpliciter intellectus. quia declarare naturam intellectus ut intellectus eſt, nō eſt declarare naturam ipſius noſtræ animæ rationalis: quia ipſa quatenus rationalis non eſt intellectus, ut intellectus, ſicut homo quatenus homo non eſt animal, quatenus animal: quia omne animal eſſet homo, ita etiam omnis intellectus eſſet rationalis. quod quidem eſt ita falſum, quàm quod falſiſsimum.

SECTIO VIGESIMAPRIMA.

SI uerò dicat tex. illum 6. 3. de Anima intelligi de intellectu poſſibili noſtro, ut eſt poſſibilis noſter, dico quod intellectus poſſibilis noſter, qa recipit ſpecies uniuerſales extrinſecus aduenientes, & ipſas intelligat, non poteſt in ſuo opere uti organo corporali: quia non poſſit illud opus efficere. ergo nō poteſt quoad eius ſubſtantiam eſſe mixtus corpori. ſubſtantia enim eius cognoſcitur ex opere, ſicut diximus formas cœleſtes, quod ad ſuam ſubſtantiam nō habere magnitudinem, id eſt non eſſe mixtas corpori, quo ad eam ſubſtantiam, propterea quod mouēt æterno tēpore. ſi ergo operatio intellectus noſtri non oſtenderet ſubſtantiā ſuā, neq; operatio intelligentiarū hoc poſſet de ipſis intelligentijs præſtare. non enim eſt maior ratio unius, quàm alterius: ſed hoc à ſententia Ariſt. abhorret, ergo & illud. tex. 6. 3. de Aia.

Si ergo eſt uerū, quod ſubſtantia intellectus noſtri ſit abſtracta, ut ſit una ex fundamētis naturæ, & ex ijs, quæ ab ipſo etiā conceſſa ſunt, neceſſe eſt: ergo qui nō poteſt unitatem intellectus ex fundamētis naturalibus poſitis ab Ariſt. imaginari (ut more ſuo loquar) non poterit etiam imaginari demonſtrationem Ariſt. & non poterit imaginari ſubſtātias abſtractas eſſe in qualibet parte corporis cœleſtis, & eſſe totas in toto, & totas in qualibet parte. eadem enim eſt ratio animi noſtri, licet informet materiam non continuam, ſed diſcretam, & ſeiunctam. hoc enim non repugnat indiuiſibilibus formis, quæ non extenduntur ad extenſionem materiæ: ſicut diximus. qui ergo non poteſt imaginari unum intellectum eum ipſum cogi imaginari maiora ex ijs, quæ diximus in ſuperioribus, perſpicuum eſſe arbitror.

Cùm uerò addit ex quibus omnibus patere poteſt, quod multa, quæ dicuntur ab Ariſt. de intellectu, uidētur ſe inuicem oppugnare, quum minimè oppugnent. dicit enim quandoq; quod eſt materialis, & mixtus: dico hoc nunquam dixiſſe Ariſt. cùm uerò exponit non ſeparabilis, non uerè exponit mixtum. quia intellectus dicitur non ſeparabilis, quia nunquam eſt ſine aliquo corpore, non tamen dicitur mixtus aliquo modo, neq; materialis. neq; hoc nunquam dixit Ariſtot. intelligendo per materiale, non quod ſit poſſibilis, ſed ut Pomponatius intelligit, quod ſit eductus ex potentia materiæ. « « «

Exponit deinde, dicens, quod intellectus ut intellectus eſt omnino immixtus, & ſeparatus. cùm uerò dicit, at humanus utrunq; retinet: nam ſeparatur à corpore, ut ſubiecto, id eſt non habet organum corporale. ſed hoc euertit ſuam diſtinctionem. quia ſi intellectus, ut eſt humanus, ſeparatur à corpore, ut ſubiecto, id eſt organo: ergo non eſt mixtus corpori ut humanus. Et hoc patet ex tex. 6. 3. de Anima. ergo eſt ſeparabilis à corpore, ut humanus. Hoc item patet ex 3. tex. illius libri, ergo ei conuenit id, quod intellectui conuenit, ut intellectus eſt: fruſtra ergo facta fuit illa eius diſtinctio. « « « 3. de Anim. tex. 6.

Item iſta diſtinctio eſt nulla, propterea quod non cōuenit eis quæ traduntur de intellectu in 3. de Anima, quia ibi non poteſt loqui de intellectu, ut intellectus eſt, quia ſic loqueretur de omni intellectu: ſed ſolū de intellectu humano: quia de eo intellectu, quo ſapit, & intelligit anima noſtra, quia loquitur de intellectu paſſibili, alioquin non cōuenirent in rem ea, quæ eo in loco loquutus eſt Ariſt. etenim ſolum de intellectu humano poteſt ibi intelligi, quia ſermo de intellectu paſſiuo iam fuerat habitus in 2. lib. eſt enim phantaſia. 3. de Anim.

De intellectibus uerò ſimpliciter abſtractis uerba facta ſunt, & in 8. Phyſic. & in 12. Meta. quia ſunt cauſæ uniuerſales, quæ cauſæ uniuerſales nō poſſunt tractari in ſermonibus de cauſis particularibus. 8. Phyſ. & 12. Meta.

SECTIO VIGESIMASECVNDA.

ILlud etiam uidetur alienum à re propoſita dicere intellectum, ut intellectus, nul
lo modo eſſe actum corporis organici, quoniam intelligentiæ non indigent or-
gano in intelligendo. quia poſſumus etiam dicere intellectus eius abſtractos, ut
intelligentes nõ eſſe actus corporis cœleſtis, quia intellectus humanus non eſt a-
ctus corporis cœleſtis: & quando dicit Ariſto. intellectus cœleſtes eſſe formas cor
porum cœleſtium, non intelligir, ut intellectus: & ſic loqueremur extra rem.

Præterea uidetur ignorare definitionem animæ generalem, quia opinari uide-
tur Ariſtote. uoluiſſe dicere animam eſſe actum corporis organici, quia indigeat
organo in intelligendo. quia hoc euertit demonſtrationem Ariſt. totiens citatã,
quia aliud eſt animum humanum eſſe actum corporis organici, & aliud eſt ipſam
uti organo in intelligendo. ſenſus enim Ariſt. uidetur eſſe, quod quia anima eſt a-
ctus, & forma corporis naturalis, quod corpus habet partes diuerſas æterogene-
as, & diſtinctas, ut organa: quia informat corpus, quod habet carnem, oſſa, & ner-
uos, & cartilagenes, & ſimilia. Et ita in arboribus ex proportiõe, quod tale corpus
& huiuſmodi corpus habet uitam in potẽtia: quia ante animam non habet uitam.
& per has partes diſtinguitur ab anima cœli, quę informat corpus, quod nõ habet
partes illas organicas: & omnis anima corruptibilium animalium ita eſt, quia ibi
non poteſt loqui de anima cœli: propterea quod loqui non poteſt in illa parte de
cauſis uniuerſalibus, ſed de cauſis particularibus, quæ ſunt cauſæ animatorum cor
8. Phyſic. ruptibilium. de abſtractis autem illis ſermo habitus fuit in lib. 8. Phyſ. & 12. Meta.
12. Meta. ſicut diximus. cùm ergo ſententia Ariſtotelis de definitione animæ ſit illa, quam di
ximus: illico perſpicuum eſt aliud eſſe animam eſſe actum, & perfectionem corpo
ris naturalis organici, & aliud quod in opere ſuo utat̃ organo corporali, quia hoc
ſolum eſt uerum de parte uegetatiua, & ſenſitiua, & non eſt uerum de parte intelle
ctiua. cogimur enim ita dicere propterea quod definitio illa animę eſt uniuerſalis,
quæ anima diſtribuitur ab Ariſtot. in uegetatiuam, ſenſitiuam, & intellectiuam: ne
ceſſe ergo eſt, ut omnes partes animæ ſint actus corporis organici, alioquin non
conueniret omni animæ. Cogimur igitur dicere aliud eſſe uti organo in ope-
3. de Anim. rando, quia Ariſtoteles tertio de Anima inquit, ſenſitiuo ineſſe organum, ipſi ue-
rò intellectiuo non eſſe organum in operando: quia accipit ſpecies uniuerſales
extrinſecus aduenientes, quibus carebat, & ad quas erat in potentia, antequam
ipſas intelligeret. Non uidetur ergo rectè dicere, quod intellectus ut intellectus
nullo modo eſt actus corporeus: quoniã intelligentię non indigẽt organo in intel
ligendo. primo quia illa, quæ ipſe dicit, in rem non conueniunt. ibi enim nõ poteſt
loqui de intellectu, ut intellectus eſt: quia ibi loquit̃ ſolum de anima, quæ eſt prin
lib. de Par- cipium animãtium, ſicut in libro de Partibus animalium, & de Partibus plantarum
tib. aniãl. loquutus eſt ſolum de corpore animantium corruptibilium, quod eſt eorum prin
et de Parti. cipium materiale: conſentit enim rationi, ut ſolum in libro de Anima ſermonẽ ha-
plantarũ. beat de principio formali: quod eſt proprium illius corporis. quare non conuenit
in rem ut ibi loquatur de Anima, ut anima eſt: ſed ut eſt anima corporum corruptĩ
bilium. Non conueniet igitur in rem etiam, ut poſſit loqui de intellectu, ut intelle-
ctus eſt: ſed ſolum ut eſt pars animæ corruptibilium, non ut intellectus: ſed ut intel
lectus humanus, ſolum eſt anima hominis. alioquin extra rem, & confuſè, & ſuper-
in libro de uacaneè loquutus fuiſſet Ariſtot. & omnia, quæ dicuntur ab Ariſtot. in libro de A-
Anima. nima conuenire ſolum animæ, & partibus eius: ut eſt principium animantium cor
ruptibilium, ita eſt in promptu, ut turpe ſit uelle iſtud probare, rueret em̃ uniuerſa
illa doctrina. Quapropter perperã uidetur dixiſſe intellectũ, ut intellectus, nullo
modo eſſe actum corporis organici. quoniam intelligentiæ non indigent organo
intelligendo: primum quia in dubiũ uenire non poteſt, quod intelligatur ibi de in-
telligentiis ob cauſas dictas: deinde redditio illius cauſę uidetur præſeferre ignora
tionem illius definitionis: quia ibi noluit dicere Ariſtot. animas eſſe actum corpo-
ris, quia utantur organo in intelligendo ob cauſas dictas: ſed quia informat, et per-
ficit corpus diſtinctum per partes diuerſas, quæ ſunt organa.

Melius

Melius enim fuiſſet dicere intellectum, quia intellectus non eſſe actum corporis organici: quia intelligentiæ non ſunt actus corporis organici. etenim corpus cœleſte non habet illas partes diuerſas eo modo, quo corpus animantium uegetatiuorum: & nõ quia non utantur organo in inrelligendo, ſed tunc etiã loquutus fuiſſet præter rem. non enim in illo libro agitur de hoc, neq; agi poteſt, ut ex eis, quę in ſuperioribus diſputata ſunt, perſpicuum eſſe arbitror.

Illud uerò quod ſubiungit intellectũ humanum, ut humanus eſt eſſe actum corporis organici: ut obiectum, non pertinet ad rem, quia illud eſt intellectum humanum eſſe actum corporis organici. & aliud eſt indigere corpore, ut ſibi obiectum repræſentet: quia eſt actus corporis organici, quia eſt anima: quæ eſt forma corporis organici. indiget uerò corpore, quod ſibi repræſentat obiectum, quia caret omnibus ſpeciebus, & eſt in pura potentia ad illas extrinſecus aduenientes intelligendas. Dicere ergo, ut eſt humanus eſſe actum corporis organici: ut obiectum nihil aliud eſt, quàm apertè oſtendere ſe eſſe prorſus ignarum illius definitionis, ut diximus: quia ridiculum eſt dicere intellectum humanum eſſe actum obiecti, quia intellectus humanus non dat eſſe ipſi obiecto: neq; perficit obiectũ, ſed potius perficitur ab obiecto. quia agẽs ſemper eſt honorabilius paſſo, quatenus agens. & quia indiget corpore, ut obiectum ſibi repræſentet: & non ut organo. habetur ipſum ſeparari ab hoc, uel ab illo corpore, ut dictum eſt: licet non ſeparetur ſimpliciter. & hoc uoluit dicere Ariſtot. quum dicit ipſum non eſſe ſeparabilem, & aliquando ſeparabilem. Quod uerò dicit iſte, quia intellectus eſt actus corporis organici, ut obiecti, & ſic non ſeparari, uerum non ut obiecti, uidetur ignorare propriam uocem. etenim dicere intellectum indigere corpore, ut repræſentet obiectum: & non ut ſubiecto, intelligens, ut ipſe expoſuit, id eſt ut organo, ſunt idem, quia intellectus indigeat corpore ut repræſentet obiectum, neceſſario non indiget ut organo, quia non indiget corpore: ut repræſentet ſibi obiectum, niſi quia ei non ineſt organum, & quia non indiget organo, neceſſarium eſt, quum ſit eius naturæ, quam diximus, indigeat ut obiecto, quia ſi ei ineſſet organum, non indigeret corpore, ut ſibi repræſentaret obiectum. ut phantaſia, quæ eſt in organo, non indiget aliquo, quod repræſentet ſibi obiectum: quia obiectũ recipitur in ſuo organo, etenim eſt ei proportionatum. Ex utroq; ergo ſequitur, quod intellectus ſit ſeparabilis ab hoc, uel ab illo corpore: uidetur ergo mihi tantus uir propriam uocem ignoraſſe.

FINIS LIBRI TRIGESIMISEPTIMI

Euerſionis ſingularis certaminis.

LIBER TRIGESIMVSOCTAVVS

SECTIO PRIMA.

SED ſtatim diceret aliquis, Tu dixiſti intellectum eſſe actum corporis phyſici organici, et quod ob hoc nunquam eſt ſeparabilis à corpore ſimpliciter. Hoc enim uidet repugnare Ariſt. quippe qui dixit 2. de Anima [tex 11.2. de Anima.] tex. etiam in ſuperioribus citato ob aliam occaſionem, quod quidem igitur, inquit, non ſit anima ſeparabilis à corpore, aut partes quædam ipſius: ſi partibilis » apta nata eſt, non immanifeſtum eſt, quarundam autem actus partium ipſa- » rum, ut uerò quaſdã nihil prohibet, propter id quod nullius corporis ſunt actus, » amplius autẽ immanifeſtum ſi ſit corporis actus anima: ſicut nauta nauis. etenim » inquit Ariſtot. at uerò quaſdam nihil prohibet: propter id, quod nullius corporis » ſunt actus. Vult ergo quaſdam partes animæ eſſe ſeparabiles, quia nullius corporis ſint actus. hoc autem non uidetur poſſe intelligi, niſi de intellectu humano: ergo intellectus humanus etiam non erit actus corporis. quòd pugnat cum ſua ipſius ſententia.

Ad quod uerò ego dicerem intellectum humanum, ut intellectus humanus eſſe actum totius corporis, ſicut intellectus abſtracti ſunt actus corporis totius cœleſtis ſibi proprij. Ad Ariſt. aũt dico ipſum intelligere aliquam partẽ animę eſſe ſeparabilem ab hoc, uel ab illo corpore, propterea quod non ſunt actus nullius ſupple partis determinatæ corporis. & hoc ſequitur ex demõſtratione 6. tex. 3. de Anima, [3. de Anim. tex. 6.] quia ſi ipſi non ineſt organũ corporale, nõ poſſunt eſſe actus illius partis organici: quia ſi eſsẽt actus illius partis, quæ eſt organũ, pẽderẽt ex ipſa illa parte, & tũc non eſſent ſeparabiles ab illa. & per id quod neceſſariò ſequitur, nõ eſſent ſeparabiles ab hoc uel ab illo corpore: ex demonſtratione ergo illa interpretamur hunc locum. Quod quidem poteſt etiam colligi ex eodẽ textu undecimo, ubi poſtquam dixit non immanifeſtum eſſe ipſam animam non eſſe ſeparabilem à corpore, reddens cauſam huius rei ſubiunxit, quia anima eſt actus quarundam partium ipſarum. & non dixit hoc euenire, quia eſſet actus corporis, ſed quarundam partium corporis: ex quo addiſcimus cauſam quare anima non eſt ſeparabilis à corpore hoc uel ab illo, quia eſt actus quarundam partium corporis: ſed cùm ergo addidit ueruntamen quaſdam partes ſupple animæ, ut intellectus poſſibilis, & agẽs nihil prohibet ſupple ſeparari, ꝑpterea quod erãt actus nullius corporis: oportet intelligere nullius partis corporis determinatæ. quia ſi eſſet actus alicuius partis corporis determinatæ, fuiſſet cauſa, quod non ſepararetur à corpore: ergo nõ eſſe [1 Poſt. cap. 12.] actus alicuius partis corporis determinatæ erit cauſa, quod erit ſeparabilis ab hoc uel ab illo corpore, quia ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis: ut diximus etiam ſuperius. & quia non erat manifeſtum, an eſſet actus alicuius partis corporis, dixit quod ulterius erit quærendũ, an eſſet actus corporis, ſicut nauta nauis. ſcilicet nunquid ſit actus ſeparabilis ab hoc, uel ab illo corpore: ſicut nauta ſeparatur à naui ſua, quam gubernabat & regit. ſed cùm erit probatũ ipſi non ineſſe organũ corporale, erit probatum ipſam etiam animam noſtram non eſſe actum alicuius partis corporis determinatæ. & tunc erit manifeſtum ipſam non eſſe mixtam corpori: ex quo ſequetur quod erit ſeparabilis à corpore. & propter iſtum cauſam dixit in textu ſeptimo tertij libri, quem ſæpe in alijs occaſionibus [tex. 7. 3. de Ani.] citauimus ſuperius, ipſum ſenſitiuum, quia erat in organo, non poſſe ſentire poſt magnos ſtrepitus, paruos. ſed intellectus poſtquã intellexerit aliquod magnũ intelligibile, non ſolum minus intelligit debiliora, ſed magis: & hoc euenire (inquit) quia intellectus eſt ſeparabilis ab organo, ſenſitiuum autem non eſt ſine corpore, id eſt ſine organo corporali: & quum non ſit ſine organo corporali, neceſſe eſt ut ſit actus illius organi, & per conſequens patiatur, cùm patitur organum. ſed organum patitur ab excellenti ſenſibili: ergo ſi ſenſus ſenſerit maximum ſenſibile, non ſentiet debile. quia excellens ſenſibile ita imprimet ſpeciem ſuam in organo, ut organum non poſsit recipere ſpeciem debiliorem: quia uerò intellectus non habet organũ: eſt ergo ſeparabilis ab organo. ex quo ſequitur, ut non patiatur ex paſſione organi: ergo ſi intelligit ualde intelligibile, poterit intelligere minus. neceſſe

enim

enim eſt ut exponamus ſenſum eſſe non ſine corpore, id eſt ſine organo corporali,& intellectũ ſeparari à corpore,id eſt ab organo corporali,propterea quod probat id,quod dixit ex ipſis organis.ex hoc tamen,quod ſenſus non ſeparatur ab organo, ſequitur ipſum eſſe mixtũ corpori: & ex hoc quod intellectus eſt ſeparatus ab organo,ſequitur ipſum non eſſe mixtum corpori.

Ex his ergo locis patet,quod non eſſe intellectum actum organi: & non uti organo corporali, id eſt determinata parte corporis. infert ſeparabilitatem intellectus ab hoc,uel ab illo corpore,& eſſe actum organi, & uti organo: infert ſenſum ipſum non ſeparari ab hoc,uel ab illo corpore,neq; ſimpliciter à corpore.

Sed eſſe actum totius corporis non infert neq; illud quod eſt actus, non poſſe ſeparari ab hoc,uel ab illo corpore:ſed ſolum infert,quod nõ poteſt ſeparari à corpore ſimpliciter.quia ergo intellectus eſt actus totius corporis, non poteſt ſeparari à corpore ſimpliciter,ſed ab hoc,uel ab illo poteſt: etenim non habet organum. quare rectè dixit Ariſtoteles in eodem 2. de Anima tex.26.quem tex. citauimus etiam in ſuperioribus in alias occaſiones,& propter hoc bene opinantur,quibus uidetur,neq; ſine corpore eſſe,neq; corpus aliquod anima, corpus quidem non eſt, corporis autem aliquid eſt.& propter hoc corpori ineſt:quia enim eſt actus,& ſubſtantia corporis,& forma corporis non poteſt eſſe ſine corpore ſimpliciter. 2.de Anim. tex.26. « « «

Ex hoc ergo tex.colligitur ipſam non poſſe eſſe ſine corpore,ex tex.uerò undecimo 2. de Anima. & ex tex. ſexto & ſeptimo 3. ſequitur ipſam animam rationalem eſſe poſſe ſine hoc,uel illo corpore, quia non eſt actus organi: & animam ſenſitiuam non eſſe ſeparabilem ab hoc,uel ab illo,neq; à corpore ſimpliciter.nõ quia ſit actus corporis ſimpliciter:ſed quia eſt etiam actus partium corporis.et ut innueret Ariſtoteles hanc rem, dixit: quemadmodum enim eſt actus partis ipſorum,& non dixit ipſam eſſe actum corporis.& propter hoc nõ eſſe ſeparabilem : ſed quia erat actus quarundam partium.Perſpicuum igitur eſt,quæ nos diximus cõſentire Ariſtote. & facilè eſſe declarare, quomodo ſit ſeparabilis à corpore, & quomodo non,& quod ſit ſignum:quare ſit ſeparabilis.quod ſi animaduertiſſet Pompon.uir celeberrimus,fortaſſe non ueniſſet in eas diſtinctiones (ut more ſuo loquar) neque in eas ſententias, in quas uenit: etenim ipſe non uidetur poſſe ſuſtinere uerba Ariſtotelis. tex. 11. 3 de Anim. tex.6.7. tertij. « «

SECTIO SECVNDA.

Ex quibus etiam refellitur,quod anima humana,intelligendo animam rationalem,ſit numerata. quia falſum eſt ipſum eſſe materialem, etiam falſum eſt animam ipſam eſſe factam per generationem, quia uenit deforis : ut probatum eſt ex ſuperioribus.eius enim actioni nõ communicat actio corporalis,id eſt non utitur organo corporali in intelligendo:nec obſtare dictum Ariſtotelis 2. Phyſ.quod ſol & homo generent homines:quia in ſuperioribus hoc declarauimus. etenim ſol & homo dicuntur generare hominem,quia generãt phantaſiam hominis: per quam etiã eſt homo, ſed nõ perfectè, quã poſt modo ſequitᷣ anima rationalis neceſſariò. & ita ſol & homo uidentur generare hominem, quia generando phantaſiã hominis ſunt cauſa,quod anima rationalis extrinſecus accedit : ex quo poſtea eſt perfecte perfectè homo,& ita dicũtur etiam generare hominem perfectè:& cõcedimus ipſam conſiderari à philoſopho naturali, & non poſſe conſiderari ab alio,quàm ab ipſo. propterea quod homo attinet ad philoſophum naturalem : ergo ſuæ cauſæ propriæ, ut eſt anima rationalis.quomodo autem fieri poſſit, ut philoſophus naturalis conſideret abſtracta à materia, dictum eſt in ſuperioribus : ad quem locum me reuoco. 2.Phyſ.

Interpretatio uerò illa, quam tradit tex.1. de Partib. cùm dicit de intellectu,non ſpectare ad naturalem,uerum eſſe de uero intellectu:ipſe enim eſt mouens nõ motus,repugnat apertè tex. illi. propterea quod non poteſt cõuenire niſi intellectui, qui intelligit res extra ſe : inquit enim intellectus rerũ intelligibiliũ eſt,itaq; rerum omnium rationes naturalis una tenebit,quod non poteſt quadrare niſi intellectui dicto,uerus autem intellectus nihil intelligit extra ſe. tex.1.de Partibus.

Item

Item non conueniebat in eo loco uerba facere de Deo, neque de ſubſtantijs abſtractis, propterea quod uerba facit de anima animalium corruptibilium ob eas, quas in ſuperioribus recitauimus cauſas.

Sed quoniam nos ad illum tex. antea dedimus reſponſionem, & oſtendimus ipſum ſententiæ noſtræ non repugnare, ad illum locum me etiam reijcio.

8. Phyſ. Tex. etiam 2. Phyſ. qui dicit, quæ non mota mouent, non ſunt Phyſicæ conſiderationis, oſtendimus non repugnare noſtræ opinioni.

SECTIO TERTIA.

tex. 2. de Gene animal. ca. 3. QVod uerò reſpondens tex. 2. de Generatione animalium, qui eſt mentē uenire deforis, intelligendum eſſe inquit, ut mens ſimpliciter, non ut humana, & ſi ut humana intelligendum eſſe non abſolutè, ſed quod in ordine ad ſenſitiuam, & uegetatiuam magis participat de diuinitate, ex eis, quæ diximus, exponentes illud capitulum ſomnium: & figmenta eſſe arbitror omnes cognoſcere, qui eum locum conſiderauerunt, & eſſe dictum hominis ſibi quoduis cogitatione fingentis: ut tueatur ſuam poſitionem, non ueri philoſophi. etenim in rem illam non conueniebat uerba facere de intellectu: ut intellectus eſt, id eſt in complexu ſuo complectitur diuinos, & corruptibiles intellectus, cùm apertè ibi de eis animis, qui ſunt in animalibus eum loquutum eſſe, in dubium ſano uenire non poſſit, qui cōſiderauerit quæſtiones ibi propoſitas ab Ariſtot. ut quonam uertatur ſeminis corpulentia, cùm ſit nulla pars conſtituendi animalis: & utrum anima, qua animal dicitur, in ſemine, & in cōceptu ſit, an non, & unde. & proponat de anima rationali, qua homo eſt: & de ipſa quærit quónam tempore, & quomodo, & unde eam recipiant: quę principium id participant, et cætera quæ ibi: etenim ad quid reſpondere de mente, ut mens eſt, ſi ipſe proponit quæſtionem de mente humana. certè qui has reſponſiones dat, non mihi uidetur dignus, ut cùm eo diſputationem ineamus.

Propterea qui dubitauerit hóc nón conuenire in locum illum, haud ſanè intelligo, cur non idem ſol ſit, an non ſit, dubitare poſſit: quid enim eſt hoc illo euidētius, ſi quæſtiones proponūtur de animis, qui ſunt in animalibus corruptibilibus, & de anima, qua homo eſt homo: quis poteſt ferre, ut aliquis reſpondeat de mente, ut mens eſt, ut ipſa etiam complectitur mētes cœleſtes? certè nemo, niſi ſit huiuſmodi, ut ebrios etiam reſpōdentes ferre poſſit, parcat enim mihi uir iſte eruditiſſimus. non poſſum ſatis admiratione affici, quomodo ipſe poterit dare has expoſitiones: & non uidere ꝙ eſſent ridiculæ, & dignæ homine illo, qui præter rem loqui uideatur: legāt enim homines, qui prȩditi ſunt intellectu, illud Ariſtot. capitulū, cognoſcēt apertiſſimè expoſitionem huius uiri alioquin doctiſſimi, multò magis diſtare à ſententia Ariſtotelis, quàm cœlum diſtet à terra.

Præterea quomodo poteſt intelligere illud dictū: Sola mēs deforis uenit, nō dici abſolutè, ſi Ariſt. affert demonſtrationes ad illā cōcluſionē probādam & ſtabiliendā, quæ ſunt abſolutæ (ut diximus in ſuperioribus) et enim inquit oēs animas antè » eſſe impoſſibile rationibus his eſſe oſtenditur: quorum enim principiorum actio » eſt corporalis, hęc ſine corpore ineſſe non poſſe certum eſt, uerbi gratia, ambulare » ſine pedibus, itaq; extrinſecus ea uenire impoſſibile eſt, neq; enim ipſe per ſe accidere poſſunt, quum inſeparabilia ſunt, neque cum corpore: ſemen enim excrementum alimenti mutati eſt. Demonſtratio ergo eſt huiuſmodi animæ uegetatiuæ, & ſenſitiuæ, & nutritiuæ actio eſt córporalis, id eſt cum organo corporali. ergo non poſſunt eſſe ſine corpore, ut ambulare ſine pedibus, organum enim ambulationis ſunt pedes: ſi non poſſunt eſſe illæ animæ ſine corpore, ergo non poſſunt antè eſſe, quia non poſſunt eſſe ſine corpore, neque poſſunt extrinſecus accedere: ergo nón poſſunt eſſe ante illud corpus. quod autem non poſſint extrinſecus accedere, probatur.

Demonſtr. 3. capite 2. de Gene. anim.

Quia ſi poſſent extrinſecus accedere, neceſſe eſſet intelligi, ut accederēt, uel per ſe accederent cum ſemine (ut diximus in ſuperioribus) non enim alio modo poſſunt accedere, ut perſpicuum eſt. ſed non poſſunt accedere per ſe, propterea quod

ſunt

ſunt inſeparabiles à corpore, quia non poſſunt eſſe ſine corpore, ut ambulare ſine pedibus, neq; poſſunt accedere cum ſemine, propterea quod ſemen eſt excrementum alimenti mutati, quod planè non eſt animatum: non poſſunt ergo extrinſecus accedere, neq; eſſe ſine corpore: ergo non poſſunt eſſe ante corpus.

Si ergo omnes animæ, quæ ſunt in animalibus ſint uegetatiua, nutritiua, & ſenſitiua, & mens, & nutritiua, & uegetatiua, & ſenſitiua nō poſſunt eſſe ante corpus, & extrinſecus accedere, quia actio eorum eſt corporalis, reſtat, inquit Ariſto. ut ſola mens extrinſecus accedat, & quod ſola ipſa ſit diuina, quia actio corporalis non communicat cum eius actione. etenim cauſa, quare illæ extrinſecus accedere non poſſunt, eſt, quia actio ſua non poteſt eſſe ſine organo corporali, quia habent actionem in organo corporali: ergo mens extrinſecus accedit, quia actio eius non eſt cum organo corporali. demonſtrationes ergo ſunt abſolutę, non in comparatione: ergo concluſiones ſunt abſolutæ. Perperam ergo uidetur ſenſiſſe homo iſte.

SECTIO QVARTA.

EX quibus admonemur uera eſſe, quæ diximus operari in organo corporali eſſe ſignum uerum inſeparationis à corpore. hoc enim aperte hic dixit Ariſto. cum dat exemplum pedum, quæ ſunt inſtrumenta, quibus anima ſenſitiua deambulationem efficit.

Et perſpicuum eſt non uti in actione ſua organo corporali, eſſe ſignum manifeſtiſsimum potentiā illam animi non oriri ex potentia corporis, & materiæ, & immortalitatis. quare iſta demōſtratio eſt illa, quam tetigit in tex. 6.3. de Anima, & eſt uera, & germana demonſtratio (ut iam diximus) qua ipſe utitur ad demonſtrandā animæ rationalis immortalitatem: qui ergo negat hanc eſſe mentem Ariſto. eum poſſe negare omnia clariſsima, neminem latêre arbitror. ipſe enim inquit clariſsime ſolam mentem extrinſecus accedere, & ſolam eſſe diuinam, quia actio corporalis non communicat cum eius actione: id eſt inſtrumentum, & organum corporale non ſeruit actioni mentis, quia mens non utitur organo corporali ad ſuam intellectionem, in quo intelligat. quare ſequitur, ut non ſit mixta corpori, & ſi non eſt mixta corpori, neceſſe eſt, ut non ſit orta ex corpore. etenim cum mens ſit in corpore, neceſſe eſt, ut ueniat extrinſecus, uel oriatur ex corpore. non poteſt oriri ex corpore, ut probatum eſt: ergo uenit extrinſecus. Item quia non utitur organo: ergo non eſt mixta corpori: ergo eſt abſtracta à corpore: ergo ſola inter alias animas dictas eſt diuina. quia quæ ſunt abſtracta à corpore, ſunt diuina, ipſa eſt abſtracta à corpore, igitur eſt diuina. nihil mea quidem ſententia potuiſſet clarius dicere, ad oſtendendum abſtractionem animæ rationalis, quàm id quod dixit. quare qui eius contrarium aſſerunt, ſuam opinionem potius exiſtimo ipſos aſſerere uoluiſſe, quā crediſſe Ariſto. fuiſſe eius ſententiæ, quam ipſi attribuūt: ſed hoc feciſſe arbitror, ut fugerent, ut iam diximus, pœnas à religione poſitas, ſi mortalitatem animæ ex ſua ſententia aſſeruiſſe uiderentur. etenim mihi quidem in mentem uenire unq; potuit, hos homines doctiſsimos uere & ex animi ſui ſententia opinatos eſſe Ariſto. poſuiſſe mortalitatem animæ rationalis, & putaſſe illas ſuas interpretationes conſentire uerbis ipſius.

6. tex. tertij de Ani.

Etenim ea aſſeruiſſet, quæ neq; ebrij, & plumbei homines unquam aſſerere potuiſſent.

Ex quibus etiā patet eū ſenſiſſe animā rationalē per ſe in corpus accedere, quia nō accedit per ipſum ſemē, ut dictū eſt, & extrinſecus accedit. neq; ualet hoc non uideri conſentire noſtrę cognitioni, q̃niā nō cōſentit etiā noſtrę cognitioni, ut diximus in ſuperioribus, qđ extra cœlū nō ſit neq; uacuū, neq; plenū, & tamē cogimur hoc credere, ꝓpterea quod ratio naturalis cogit huic rei fidē adhibere. ita etiā ſi nō eſſemus lumine diuino illuſtrati, cogeremur fidē huic rei præſtare, q̃a ratio naturalis nobis uim faceret, quare exiſtimandum eſt ſubſtantias ſeiunctas à materia, ſicut diximus in ſuperioribus. ſicut habent alium modum eſſendi repugnantē ferè mentibus noſtris, ita habeant diuerſum modū accedendi in corpus, & operandi, & informandi ab eo, quem habent formæ non abſtractæ, quæ extenduntur ad extenſionem materiæ, & diuiduntur ex ipſius materiæ diuiſione. ſed quia uidemus for-

mas non abſtractas hæc non poſſe efficere,putamus id etiam non poſſe fieri à for-
mis abſtractis:ſed nos decipi in hac re demonſtrationes, quibus Ariſto. probauit
formas abſtractas eſſe immobiles,& indiuiſibiles, luce elarius mihi uidentur oſten
dere.In hac enim materia de immortalitate,& per conſequens de unitate nihil ui-
detur eſſe,quod in maiorem difficultatem incurrat,& minus explicari poſſe uidea-
tur,quàm acceſſus huius animæ in corpus.quod non uidetur fieri poſſe, niſi indiui
ſibile moueatur,& informatio diuerſorum indiuiduorum,quæ corrumpuntur: cæ
tera uerò omnia,quæ ſequuntur hanc poſitionem,uidentur ſatis commodè poſſe
euitari.ſed ſi nos conſideremus modum eſſendi formarum abſtractarum,quæ non
exrendantur ad extenſionem materiæ,neq; diuiduntur per eius diuiſionē, & neq;
poſſunt per ſe,neq; per accidens moueri,cognoſcemus hæc,quæ diximus, poſſe fi
eri à formis abſtractis ſine motu,atq; ita ut poſteriora prioribus cõueniãt,omniaq;
inrer ſeſe cohęrere uideantur,poſſe informare,ut diximus in ſuperioribus, orbem
unum ſeiunctum tamen,& diuiſum in multas partes, ſicut intelligentiæ unum or-
bem continuum.etenim nihil refert formæ indiuiſibili, utrũ informet orbem con-
tinuum,ſiue diſiunctum:cum non extendatur ad eius extenſionem,& poſſe moue
re illud,in quo ſunt,ita etiam ut non moueantur per ſe, uel per accidens, quia licet
intelligentia ſolis ſit tota in corpore ſolari: & licet abſtrahi non poſsit ab illo, & il-
le tamen dicitur modo eſſe in oriente,modo in occidente:cum tamen dici non poſ
4. de Part. animal. ſit,intelligentiam illam fuiſſe motam,neq; per ſe,neq; per accidens.ſed de his in ſu-
perioribus uberius egimus,ad quem locum me reijcio: & id quod dixit quarto de
» Part.animalium,quod ſolus homo animalium omnium erectus eſt. quoniam eius
natura,atq; ſubſtantia diuina eſt,officium autem diuini eſt intelligere:quod non fa
cile eſſet,ſi uaſta corporis moles aſsideret.uidetur fauere noſtræ opinioni,quod ſo
la mens ſit diuina,quia illa intelligimus & ſapimus,quod pertinet ad ipſa diuina.

Neq; illud,quod ſtatim addidit,pondus enim tardiorem reddidit, & mentem &
ſenſum communem repugnare in ſuperioribus oſtendimus.etenim diximus men
tem dici fieri tardiorem,non quia ipſa aliquid detrimenti patiatur à pondere cor-
poris:hoc enim fieri non poteſt,cum nõ ſit mixta corpori:ſed dicitur fieri tardior,
quia phantaſia,quæ ei ſeruit,fit põdere corporis,cui eſt permixta tardior. & ſi mẽs
Lib. de Memoria et reminiſcẽtia. ob hoc dicitur tardior,dicitur per accidens,id eſt per aliud, & non per ſe, ſicut di-
xit Ariſto.in lib.de Memoria & reminiſcentia,mentem recordari, quia ſenſus re-
cordatur.quare & ſi homo non ſit æternus,quia tamen eſt particeps animæ ratio-
nalis,quæ eſt diuina,dicitur particeps diuinitatis:non tamen uerum eſt,quod dicit
iſte homo quod ipſa incipiat eſſe.

12. Meta. tex. 39. Neq; illud,quod dicit 12.Meta.tex.39.ad hunc modum:Deductio autem qualis
optima paruo tempore nobis.ſic enim ſemper illis illud eſt,nobis aũt impoſsibile,
noſtram ſententiam labefactare,ac euertere uidetur:propterea quod dixerat par-
uo tempore,quod eſt ſignum intellectum deficere,dico illud nihil probat contra
æternitatem intellectus,quia beatitudo illa nobis ſingulis durat paruo tempore,
quia ſinguli morimur. tamen ex hoc non ſequitur,ut omnis pars componens nos,
neceſſario moriatur:propterea quod neq; materia prima,quæ noſtri eſt & pars eſ-
ſentialis,dicitur interire,concedimus tamen nos interire,quia diſſoluitur compoſi
tum,& nos nihil ſumus quodam modo niſi partes illæ ordinatæ,& cõiunctæ. hoc
enim ſat eſt ad interitum noſtrum:ſicut ad interitum domus ſatis eſt, quod partes
coniunctæ,ut ſunt lapides,& ligna,& cementum diſiungantur,licet ſeorſum mane
rẽt,poſtea integræ,quamq; in homine corrumpatur ipſa ſenſitiua,per quam etiam
homo diſtinguitur ab alijs ſpeciebus animalium,ut diximus in ſuperioribus, licet
2 de Gener. animalium cap. 3. et 10. Ethic. c. 9. nõ eſſent in illa perfectiõe,qua homo eſt homo, quia ꝓpriè homo eſt homo anima
rationali,ſicut dixit 2.de Gener.animalium cap.3. ſuperius citato, & 10. Eth.cap. 9.

2. de Part. cap. 12. Et ob hanc etiam animam dixit Ariſto.2.de Part. ca. 12. hæc uerba, quæ aũt una
cũ uita ſenſu etiã prædita ſunt,hæc ſpeciem multiformiorem, numeroſioremq; ua
rietatem recipiunt,atq; inter ea alijs,alia magis, & eo amplius quo non ſolum ui-
uendi,ſed & bene uiuẽdi rationẽ natura eorũ obtinuit,quale hominũ genus,quip-
» pe quod,aut ex omnibus animalibus nobis cognitis, diuinitatis particeps ſit, aut
» omnium maxime.hoc enim ei conuenire apparet ob diuinitatem intellectus. ſed

alia

alia animalia poſſunt aliquo modo dici participātia alicuius diuinitatis, tamen nō
ſunt participātia ueræ diuinitatis, quia eorum animæ non ſunt ſeiunctæ à materia,
quod eſt ſignum diuinitatis ſimpliciter, quia diuina ſunt ſeiuncta à materia.

Quare perperam mihi uidetur ſubiungere homo iſte doctiſsimus, quod ſi ho-
mo quandoq; immortalis dicitur intelligi ſecundum quid. etenim dicitur immor-
talis ſimpliciter, quia anima ipſa, quæ eſt eius principalis pars, & per quam homo
uerè, & principaliter eſt homo & diuinus, immortalis eſt, & diuina. Quod uerò ul-
terius uſq; ad finem illius capituli diſputat, probando intellectum noſtrum nun-
quam intelligere ſine phantaſmate, eſt id quod nos ſemper diximus, ſoluant illi,
qui tenuerunt aliam opinionem.

SECTIO QVINTA.

QVod uerò in 10. capitulo, in quo profitetur ſe uelle reſpondere ad obiecta ali
arum opinionum, inquit: quod anima humana ſic potens recipere oēs ſpeci «
es formarum materialium duas habere conditiones, unam ſcilicet, quod ſecundū «
ſe immaterialis eſt, & nō indigens organo, tanquam ſubiecto, pro quanto recipit, «
& intelligit illa, quod nos concedimus: uidetur ſuam ipſius opinionem conuellere, «
propterea quod ſi ipſa recipit formas materiales uniuerſales, & recipit ipſas ſine
organo: ergo non eſt mixta corpori ex ſui ſubſtantia: ergo eſt abſtracta à materia:
ergo eſt immaterialis: ergo nunq; poteſt eſſe materialis, quia non utitur organo in
intelligendo formas extrinſecus exiſtentes. & ſi indigeat phantaſia, ut ſibi repręſen
tet obiectum, non ſequitur, quod ſit materialis, aliquo modo ex ſubſtātia ſua: quia
indigere phantaſia, quæ ſibi repræſentet obiectum, eſt ſignum uериſsimū ipſam nō
eſſe eductā ex potentia materię, quia ſi ipſa eſſet educta ex potētia materię, nō indi
geret phantaſia, ob cauſam dictā, ſed eſſet phantaſia (ſicut diximus) nullā em̄ habe
ret diſcrepantiā ab ipſa phantaſia. Hæc igitur pugnāt cū Ariſto. quia dicere animā
rationalem nō indigere organo, in quo exerceat actiones ſuas, & dicere ipſam eſſe
ſimpliciter materialē, & ſecundū quid immaterialem, eſt conuellere demonſtratio-
nem Ariſt. in 3. de Anima tex. 6. quam totiens citauimus, & in 2. de Generatione à- *3. de Aim. tex. 6.*
nimaliū cap. 3. quo in loco aperte Ariſto. ut uidimus paulo antè, oſtendit uegetati- *2. de Gene. aim. ca. 3.*
uā, & nutritiuam, & ſenſitiuā oriri ex corpore, ꝑpterea quod illę indigebant orga-
no corporali, ipſam uerò mentē extrinſecus accedere, ꝑpterea quod nō utebatur
organo corporali. ſi ergo extrinſecus aduenit, nō naſcitur ergo ex potentia mate-
riæ: ergo ſimpliciter quantū attinet ad ſuā naturam ex ſua ſubſtantia, eſt abſtracta.
euertit ergo homo iſte demonſtrationes ita aperte, ut mirer ipſum in eam ſenten-
tiā ueniſſe, niſi fortaſſe putandū eſt eum ut tueretur ſuā opinionē impunè, induxiſ-
ſe teſtimonium Ariſto. ut diximus. Nonnulla uerò poſtea ſubiungit, quę quoniam
proficiſci nobis uidētur ex mala interpretatione tex. 4. 3. de Anima, ubi inquit Ari- *tex. 4. 3. de Anima.*
ſto. intellectū intelligere omnia, & ipſe exponit omnes formas materiales, & acci-
pit uim illius propoſitionis, & omne q̄a recipiens eſt denudatū à natura recepti, &
nos illā explicationē iā redarguimus in ſuperiorib. miſſa eſſe faciēda iudicauimus.

Quod uerò inquit, quod ſi dicatur, cum ipſe intellectus ſit in hac quātitate, quo «
modo igitur ſpecies in eo recepta poterit uniuerſaliter repræſentare, cui dicit hoc «
nihil prohibere: primo quia accidit ſibi qua intellectus, ut ſit in quantitate: quoniā «
& ſi eſt in quantitate, tamen quantitas non eſt principiū illius operationis, neq; in «
eo opere, & per ſe utitur tertio, ex edictis patet, non ex toto abſoluitur à quantita- «
te, & eius conditione, cum ſemper ſpeculetur uniuerſale in particulari. intellectus «
enim humanus habet, & quod ſit intellectus, & quod ſit humanus. qua em̄ intelle- «
ctus uniuerſale cognoſcit, & qua humanus uniuerſale, niſi in ſingulari perſpicere «
nequit. quando uerò hæc dicit, ea ipſa & à ſententia Ariſto. & à ueritate abhorrere
ex eis, quæ dicta ſunt, perſpicuum eſſe omnibus arbitror. etenim alicui intellectui
per ſe euenit, ut ſit in quantitate, ut intellectui paſsiuo: oritur em̄ ex potentia mate
riæ. Præterea quod refert hoc, quod aliquis intellectus non ſit in quantitate, ſi ipſe
eſt eductus ex potentia materiæ per ſe: ergo conuenit intellectui humano, ut ſit in
quantitate, quia per ſe ei cōuenit, ut ſit eductus ex potētia materiæ, ex ſentētia ipſi
us, & Ariſt. nō loquitur in lib. 3. de Anima, niſi de intellectu, ut humanus eſt, quia lo *3. de Aīa.*
loquitur de eo, quo intelligimus, & ſapimus, & nō poteſt intelligere de alio intelle *8. Phyſ. &*
ctu: quia de intellectibus abſtractis loquutus eſt in 8. Phyſic. & in 12. Meta. ut paulo *12. Meta.*

antè diximus. in libro uerò de Anima non poterit de eis uerba facere, propterea quòd erant cauſæ uniuerſales, & non erant cauſæ ipſorum animalium, de quibus eo in libro ſolum intendit Ariſtoteles, ut perſpicuum eſt.

Item ſi eſt in quantitate, quia extenditur ad extenſionem quantitatis, quomodo non utitur ipſo organo in ſuo opere: ita enim poſſet dici de uiſu, & de auditu, & de alijs partibus ſenſitiuis, quod tamen falſum eſt, quia recipiũt ſpecies quantas: quia ſunt extenſæ. etenim ratio, qua iſtæ potentiæ recipiunt per modum quanti nulla eſt alia, niſi quia extenduntur ad extenſionem organi: extenduntur autem ad extenſionem organi, propterea quod ducuntur ex potentia corporis, & organi. quare ſi intellectus oritur ex potentia materiæ, ut ſentit iſte, neceſſitas cogit, ut extendatur ad extenſionem corporis, & ita recipiat, ſicut ſenſus, & utatur quantitate, & per ſe in opere, ſicut ſenſus: eadem enim eſt ratio. ſed conſequens eſt falſum: ergo id unde fluxit falſum eſſe neceſſe eſt.

Item quomodo eſt uerum ipſum ut intellectus uniuerſale cognoſcere: ſi in nobis non eſt, niſi ut eſt humanus, & non intelligit, niſi uniuerſale. non enim eſſet nobis proprius, neq; per ipſum homo diſtingueretur ab alijs intellectibus, neceſſe ergo eſt, ut inſit nobis ut humanus.

Præterea falſum eſt, quod intellectus ut intellectus intelligat uniuerſale, quia omnis intellectus intelligeret uniuerſale. quod eſt falſum: quia intellectus paſsiuus non intelligit uniuerſale. Item intellectus diuinus non intelligit uniuerſale, quod intelligit noſter, ut probatum eſt: ergo perperam illud aſſeruit.

Deinde quis dixit ei, quod ut intellectus intelligat uniuerſale, & non ut humanus, nos enim non ſcimus ipſum intelligere uniuerſale niſi ut ſpeculemur ſingulare. & niſi ex intellectione, quam habet ex phantaſia, quæ ei ſeruit, ut eſt humanus.

Item falſum eſt, quod ut humanus ſpeculetur uniuerſale in ſingulari: quia etenim nullo pacto non poteſt intelligere ſingulare, ut diximus. non enim ſemper eſſet neceſſariũ intelligentem ſimul phantaſmata ſpeculari, quia intellectus poſſet intelligere illud ſingulare prius.

Item ſi eſt mixtus materiæ: ergo habebit organum corporale. probatur conſe-
3. de Aia. quentia ex auctoritate Ariſto. 3. de Anima, quam totiens citauimus in ſuperiori-
tex. 6. bus in aliam occaſionem, unde inquit neq; mixtum eſſe rationabile eſt corpori,
» qualis enim utiq; fieret, aut frigidus, aut calidus, & utiq; aliquod organum ei erit, ſi-
» cut ſenſitiuo. ſed conſequens eſt falſum ex eis, quæ dixit Ariſtoteles in eo loco, & ex tui ſententia, quia tu dicis, quod non indiget organo, ut ſubiecto, id eſt, in quo exerceat ſuas operationes: ergo falſum eſt, quod ſit mixtus materiæ: ergo non eſt materialis: ergo non eſt incorruptibilis.

Conuellit ergo opinio iſta demonſtrationem Ariſtotelis.

Item ſi eſt mixtus materiæ: ergo qualis utiq; fiet, aut frigidus, aut calidus. ſed ex ſententia Ariſtotelis non fit neq; calidus, neq; frigidus: ergo non eſt mixtus materiæ.

SECTIO SEXTA.

CVm uerò dicis intellectum ut intellectus non eſſe coniunctum materiæ, qua intellectus, ſed qua coniunctus ſenſui. ſed hoc eſt ridiculum. Ariſtoteles enim loquitur in eo libro de intellectu, quo intelligimus: ergo de intellectu, ut eſt coniunctus ſenſui. etenim non intelligimus, niſi intellectu, quatenus eſt coniunctus ſenſui: quia neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſimul ſpeculari. item neceſſe eſt, ſi eſt materialis, ut qualis fiat in opere intelligendi, ſicut in opere ſentiendi, propterea quod ita eſt in ſua ſubſtantia coniunctus ſenſui, & mixtus corpori, ſicut ſenſus. alioquin demonſtratio Ariſtotelis citata deſtrueretur, ubi probauit, ſi eſſet mixtus corpori, ſicut ſenſus haberet organum, & fieret calidus, & frigidus. Hæc enim eue-
nit ipſi ſenſui, propterea quod eſt mixtus corpori, ut patet ex tex. allato, & ex tex.
3. de Ani. tex. 3. 3. 3. de Anima: ubi enim eſt eadem cauſa, neceſſe eſt, ut ſit idem effectus.

Item quomodo intellectus humanus intelliget abſtracta à materia, ut uniuerſalia, ſi ipſe eſt immerſus materiæ. ſunt enim uniuerſalia indiuiſibilia, & intellectus humanus eſt diuiſibilis, & receptum debet recipi in recipiente per modum recipi-

entis.

entis. ſi ergo intelligere eſt in ipſo intellectu per ſe, quia intellectus eſt locus ſpecierum, & ſit uniuerſaliter, & recipiat ea de nouo (ut dictum eſt totiens) neceſſe eſt, ut intellectus ſit abſtractus à materia: quia uniuerſalia abſtrahunt à materia. etenim nihil faceret intellectus agens, ſi uniuerſalia non eſſent abſtracta. Et hoc etiam patet ex Ariſt. 1. Poſteriorũ cap. 17. non poſſunt ergo recipi, niſi recipiantur modo indiuiſibili, & eſſet per ſe in materia intelligere: ſi intellectus eſſet per ſe in materia: ſicut ſentire. etẽ hoc intelligere non cõuenit per ſe intellectui, ut intellectus eſt. etẽ nõ conuenit omni intellectui, ſicut habere tres angulos non conuenit figuræ, quatenus figura: quia non omni figuræ. ſed quatenus eſt triangulus, ſed intellectui humano, ut intellectus humanus eſt, cõuenit hoc intelligere, quod ſi detur. ergo quæcunq; oſtenduntur de intellectu per iſtud intelligere oſtenduntur de intellectu humano, ut humanus ẽ. ſed per hoc intelligere oſtẽditur, quod intellectus humanus non eſt mixtus corpori: & quod uenit deforis, quod eſt diuinus: quod eſt ſimplex, quod eſt ſeparabilis, ergo omnia iſta cõueniunt intellectui humano, ut humanus. Perperã ergo diſtinguit iſte in illis lib. de Philoſophia naturali de intellectu, ut intellectus eſt, & ut humanus. quia nunquã poteſt accipi cognitio ipſius. niſi ut humanus. quia accipitur ex intelligere illo, quod eſt intelligere ſpecies uniuerſales rerum, quæ ſunt extra ipſum: & hoc propriè conuenit intellectui humano, ut intellectus humanus eſt: quia intellectibus ſuperioribus hoc non conuenit, propterea quod oſtenſum eſt eos intellectus nihil extra ſe intelligere, neque intellectui paſſiuo. quia habet organum, quod non poteſt repræſentare uniuerſaliter, neq; in ipſo poteſt eſſe ſpecies uniuerſalis, quia ſolus intellectus eſt locus ſpecierum non tota anima, & etiam præter rem loquitur. intellectus ergo loquitur, intellectus ergo humanus eſt abſtractus à materia, eſt impaſſibilis, uenit deforis, eſt ſeparabilis, & huiuſmodi, quod eius cõuellit ſententiã, neq; illud minus mirum, quod ſubiungit, quum dicit intellectum non intelligere in aliqua parte corporis. ſed in toto corpore, nam ſi non intelligit in aliqua parte corporis: ſed in toto corpore. ergo non poteſt eſſe materialis, neque diuiſibilis, quia ſi eſſet materialis, & diuiſibilis, iccirco talis eſſet, quia eſſet mixtus corpori, & organicus, & ſi eſſet organicus, intelligeret in aliqua parte corporis: & ſi ſic. ergo non in toto corpore, ut patet de ſenſitiuo. ergo ſuam ipſius conuellit ſententiam, non ſolum enim pugnantia: uerumetiam (quod multò fœdius eſt) negantia homo iſte apertiſſimè loquutus eſt. Non enim intellectus poteſt in toto corpore eſſe, & operari, & non in determinata parte corporis, niſi ſit abſtractus à materia, & immixtus corpori, alioquin demonſtratio Ariſtote. nulla eſſet: quam totiens recitauimus.

Item falſum eſt intellectum humanum indiuiſibiliter recipere, quod intelligit: & intelligere indiuiſibiliter. quia ſi ſic, non eſſet indiuiſibilis quia ſi eſt indiuiſibilis, neceſſe eſt (ut dictum eſt) ut recipiat indiuiſibiliter, quia receptũ debet recipi per modum recipientis, ſi ergo eſt diuiſibilis: oportet, ut diuiſibiliter recipiat, quare ponere ipſum materialem, eſt ponere ipſum diuiſibilem, ſed ponere ipſum diuiſibilẽ & recipere indiuiſibiliter: eſt pugnantia loqui, quum ergo iſte omnia illa ponat, ut pugnet cum ſua ipſius ſententia: neceſſe eſt.

Item ex modo operandi non poſſemus cõſequi eſſentiam alicuius, conſequens apertè à ueritate alienum eſt. Ex operibus enim uenimus in cognitionem ſubſtantiæ rerum, ſicut ex operibus ſubſtãtiarum abſtractarum uenimus in cognitionem ſubſtantiæ ipſarũ, aliter enim tota philoſophia naturalis rueret: ergo & antecedẽs. conſequentia probatur, quia intellectus operatur abſtractè indiuiſibiliter. & tamen ſecundum naturam ſuam ex huius hominis ſententia non eſt abſtractus: operationes ergo rerũ non oſtenderent eſſentias & ſubſtantias rerum. quod quidem aſſerere eſt non ſolum philoſophiam naturalem labefactare, ac infirmare: ſed etiam penitus eam conuellere.

Item à ratione alienum eſt dicere intellectũ qua intelligit indiuiſibiliter recipere, qua uerò ſentit, uel uegetat fieri diuiſibiliter: quia non poteſt, ut una ſubſtantia poſſit operari modis iſtis diuerſis: eſſet enim eadem ſubſtantia organica & non organica, mortalis, & immortalis ſecundum ſubſtantiã. etenim quatenus indiuiſibiliter recipit, non eſſet organica, quatenus uerò diuiſibiliter eſſet organica. Vna er-

1. Poſt. cap. 17.

go,& eadem ſubſtantia eſſet organica,& non organica,& illa mortalis,& immortalis:quod quidem fieri non poteſt.

Item nos non poſſemus cognoſcere,an eſſet immaterialis: quia intelligit indiuiſibiliter:an materialis,quia ſentit diuiſibiliter.

Item non eſſet differentia inter ſenſum,& intellectum. quam tamen opinionem
1. de Anim. Homeri,& Empedoclis redarguit Ariſto.1. de Anima. quum uerò ex dicto Ariſt.
3. ethic. 3. Ethic. qui dicit uoluntatem eſſe impoſſibilium,quia immortalitatis, uult ſequi ipſam animam rationalem,non eſſe immortalem. Dico falſum eſſe,quod hoc ſequatur. ſed hoc oſtendit eſſe mortale,quod appetit immortalitatem:quæ dari non poteſt. ſed hoc non eſt anima, ſed compoſitum. nos enim uoluntate non appetimus immortalitatem animæ ſolum: ſicut neque appetimus immortalitatem materiæ primæ:ſed appetimus immortalitatẽ compoſiti. nos enim appetimus æterno tempore manere coniunctionem animi noſtri cum hoc corpore: & hoc eſt quod fieri
2. Met t. nequit. ſubiungit poſtmodum, quare Ariſto.2. Meta. comparauit intellectum hu-
9. de Hiſt. animalium cap. 1. manum noctuæ,non talpæ,noctua enim aliqualiter uidet. quibus uerbis uidetur quaſi repugnare eis, quæ dixit in ſuperioribus contra Auerr. quia uidetur concedere,quod illud exemplum Ariſt. non demonſtrat impoſsibilitatem, ſed difficultatem.

SECTIO SEPTIMA.

QVod uerò addit uniuerſaliter corpora cœleſtia, homines,beſtias,plantas animata eſſe,eorumq; animas ſub definitione animæ generali cõtineri,quod attinet ad iſtam ultimam partem, tam falſum eſt, quàm quod falſiſſimum. etenim intelligentiæ nullo modo acceptæ ſunt actus corporis organici: quia corpora cœleſtia non habent illas partes æterogeneas, quæ ſunt organa animæ definitæ in libro de Anima. ſed partes cœli differũt ſolum denſitate,& raritate, partes uerò corporis phyſici,quæ dicunt̃ organa,differũt cõplexione,& quaſi ſpecie inter ſe: quia
2. de Anim. tex. 6. ſpecie accidentali, ut oculus ab aure, à nare, & à neruis,& à lingua,& huiuſmodi.

lib. de ſenſu & ſenſibili. Hoc enim indicauit Ariſt. 2. de Anima tex. 6. & apparet ex uniuerſo libro de Anima,& ex libro de Senſu,& ſenſibili,& ex alijs libris. ſunt enim intelligẽtiæ actus corporis naturalis:ſed non organici,neq; potentia uitam habentis: ſicut corporis
2. de Aim. tex. 3. animalium corruptibilium. Etenim inquit Ariſtot. 2. de Anima tex. 3. uitam autem habere dicimus,id quod per ſe ſe ipſum alimentum,& augmentum,& decrementum. loquitur ergo de illo corpore,quod poteſt ali,augeri & diminui, quod quidẽ conuenire non poteſt corpori cœleſti.

Item ſuperuacaneè ibi comprehẽdit animam corporum cœleſtium, quia eo in loco tantum ſermonem habet de anima illa,quæ eſt animalium corruptibilium, & quæ eſt propria eis,& ut principium eorum.

8. Phyſ. & 12. Meta. Item de anima corporum cœleſtium, & in 8. Phyſ. & in 12. Meta. ſermonem habuit. Fuit igitur neceſſarium in libro de Anima,ubi nõ loquitur,neq; loqui poteſt de anima corporum cœleſtium,ut ſeiungeret ipſam ab anima corporum cœleſtiũ: alioquin illa definitio non fuiſſet propriè illius libri:& non poſſunt ſeiungi,niſi per illud organum,& potentia uitã habentis, eo modo, quo declarauit uitam habere. Ergo perperam dixit homo iſte eruditiſſimus, animas corporum cœleſtium comprehendi ſub definitione uniuerſali animæ,quam poſuit 2. de Anima.

Item Ariſt. diuidens animam definitam in 2. lib. in ſuas potentias, non diuiſit ipſam in animam corporum cœleſtium:ſi dicas, quod per intellectiuum intellexeris illas animas,in errorem turbulentiſſimũ incideres. propterea quod Ariſt. nõ definiuit illam partem animæ in libro de Anima,neq; aliquam mentionem fecit,de operatione illius animæ,quæ conuenit corporibus cœleſtibus: ſed ſolum de omnibus potentijs,quas uidemus eſſe in mortalibus: cùm tamen pollicitus fuiſſet declarare,& ſubſtantias uniuſcuiuſq; potentiæ definitæ & diuiſæ,& opera eorum. Falſam igitur ac contra Ariſto. ſententiam mihi uidetur homo iſte de hac re accepiſſe opinionem. Falſum eſt etiam (ut ego quidẽ opinor) quod intelligentiæ qnatenus intelligentiæ non actuent illud corpus cœleſte,quod ad earum intellectionẽ,quæ

eſt

eſt ſua uera perfectio, ſequitur, quod dēt eſſe corporibus cœleſtibus, alioquin non poſſent illud præſtare, ſicut in ſuperioribus declarauimus.

SECTIO OCTAVA.

AD id uerò, quod de intellectu agente dicebatur etiā dico demonſtrationem Ariſtot. illam 3. de Anima eſſe iſtam, ut in ſuperioribus etiam diximus. Intellectus agēs eſt immixtus, & impaſſibilis, et ſeparabilis: quia intellectus paſſibilis eſt immixtus impaſsibilis, & ſeparabilis. probatur cōſequentia: quia ſemper agēs eſt honorabilius paſſo, & forma eſt honorabilior materia. ſed intellectus actu eſt agēs, & poſſibilis, patiens, & agēs eſt forma, & poſſibilis materia. ergo ſi iſta prædicata, quę ſignificant honorabilitatem, conueniunt ignobiliori ſubſtantiæ, ergo multo magis honorabiliori conueniēt: quia quod conuenit ignobiliori ſecundum naturam, & ex ſe, multò magis conueniet nobiliori: ergo ſi conuenient poſsibili, conuenient etiam agenti. 3. de Anim. tex. 19.

Quod inquit iſte, quod de intellectu agente dicebatur, quoniam ipſe uerè immortalis eſt, quare & paſſiuus.

Primò dicitur falſum eſſe Ariſt. probaſſe intellectū paſſiuum eſſe immortalem, quia intellectus agens eſt uerè immortalis, intelligendo per intellectum paſſiuum intellectum poſsibilem: quia Ariſto. non fecit talem demonſtrationem, ſed è contrario fecit, ut ratio retrodicta oſtendit. etenim ex ignotioribus ad notiora fuiſſet argumentatus. ignotior enim nobis eſt natura intellectus agētis, quàm intellectus poſſibilis natura: propterea quod eius opus eſt nobis magis ignotum. etenim ſi ex opere, intellectus poſsibilis uenimus in cognitionem operis intellectus agentis, et ſuæ ſubſtantiæ: hoc enim modo proficiſcimur. Intellectus poſſibilis intelligit omnia, ergo caret omnibus ſpeciebus: ergo eſt ſolū in potentia ad illas ſpecies, antequam intelligat, igit̄ non habet organū corporale: quia recipit ſpecies uniuerſales, quæ extrinſecus aduenīūt. quia organū nō poteſt illas recipere, & repręſentare. etēm nō repręſentaret niſi ſingularia, ergo nō eſt mixtus corpori, ergo abſtractus à materia: idē enim ſunt non eſſe mixtū corpori, & abſtractū eſſe à materia. cū ergo ſit abſtractus à materia, et ſit in pura potentia ad recipiendas formas uniuerſales, quas ſentimus in nobis ipſum recipere, & iſtę nō poſsint repręſentari à phantaſmate: neceſſe eſt, ut ab aliqua alia potēria ex ſingularibus fiant uniuerſales. at nō poſſunt fieri ab intellectu poſsibili, idem enim non poteſt eſſe agens, patiens reſpectu eiuſdem, ergo neceſſe eſt, ut ſit alia ſubſtantia diuerſa ab ipſa re, quæ eas abſtrahet, & ſit forma etiam ipſius poſsibilis: eſt enim pura potentia. cognoſcimus ergo intellectum agentem dari ex opere intellectus poſsibilis, & cognoſcimus ipſum eſſe formam intellectus poſsibilis. Quare ſi intellectus poſſibilis ſit immixtus, ſeparabilis, & impaſsibilis, ergo neceſſe eſt ob cauſam dictam intellectum agentem eſſe huiuſmodi. oportebat igitur reſpondere ad id, quod dicebatur de intellectu agente (quoniam ipſe uerè immortalis eſt) quare, & poſsibilis, quandoquidem ambo ſunt partes eſſentiales animæ humanæ, quod iſta non erat ratio facta ab Ariſtot. nec pote rat fieri, & ſi ſint ambæ partes eſſentiales ipſius animæ, & non differrent. Huic autem dicitur, quod uerbum illud magis potius eſt in oppoſitum, quàm in propoſitum: nullibi enim dicit Ariſtot. quòd ſolus intellectus agens eſt immortalis, quia quando dicit, ſeparatus enim eſt ſolum quod quidem eſt: & hoc ſolum immortale, & perpetuum eſt: non poteſt intelligere de intellectu agēte, quòd ſolus ipſe ſit immortalis: neque dicit Ariſtoteles quod intellectus poſsibilis non ſemper eſt actu, quia quandoque intelligit, & quandoque non. quia quum inquit: Quæ uerò ſecundum potentiam tempore prior in uno eſt: omnino autem id eſt in omnibus, neque in tempore, quia non aliquādo quidem intelligit, & aliquādo non intelligit. Quæ uerba ſignificant ipſum ſemper intelligere. quia ſi ſcientia ipſius non eſt prior tempore ſecundum potentiam, neceſſe eſt, quod in aliquo ſemper reſpectu omniū hominum intellexerit, et intelligat. alioquin eſſet ſecūdum potentiam ſemper prior, & in uno, & uniuerſaliter reſpectu omnium, ſi abſolutè daretur aliquod tempus, in quo ipſe in aliquo non intelligeret, neceſſe ergo eſt, ut ſemper intelligat. 3. de Anim. tex. 20.

Item ille modus loquendi (non eſt ſupple uerum dicere, quod aliquando intel-

ligat,& aliquãdo nõ intelligat)apertè indicat ipſum ſemper intelligere,quia ſi ali-
quãdo non intelligeret,eſſet uerũ dicere:aliquando non intelligere.& licet hoc ſit
perſpicuũ ex uerborũ ui,tamen id etiam confirmabimus uerbis Ariſt. primo Poſt.
Quæ uerba citauimus etiam in ſuperioribus in aliam occaſionem,inquit enim ibi.
" De omni igitur hoc dico,quod utiq; eſt:nõ in quodã quidẽ ſic, in quodã aũt non:
" necaliquando quidẽ ſic,et aliquando nõ:ut de omni homine animal,ſi uerũ eſt di-
" cere hominẽ,uerum eſt dicere animal,& ſi nunc alterũ,alterũetſi in omni linea pun
" ctum ſimiliter eſt.Signum autẽ eſt qm̃ inſtantias ſic ꝓferimus,ſicut de omni inter-
" rogati,aut ſi in quodã non, aut ſi aliquãdo non.apertè igit̃ oſtendit Ariſt.nõ quan
doq;quidẽ intelligit,quandoq; aũt non:ſignificare ipſum ſemper intelligere. etẽ̃
non in quodam quidem ſic, in quodam aũt non, neq; aliquando quidẽ ſic aliquan
do autem non,ſignificat ſemper ineſſe,ut animal ineſt ſemper omni homini.perpe
ram ergo dixit homo iſte loquens de intellectibus, aſſerens Ariſt. illis uerbis dice-
re ſolum intellectum agẽtem eſſe uerè immortalem, & ſemper eſſe actu, paſſiuum
uerò non,cùm quandoq; intelligat,quandoq; non. Quare cùm perpetuam nõ ha
beat operationem,neq; perpetuam habeat eſſentiam neceſſe eſt etenim,quia per-
petuam habet ex uerbis illis Ariſt. operationẽ.perpetuo enim intelligit in hoc,uel
in illo perpetuã igitur habebit eſſentiã, & perperã nuncupat intellectũ poſſibilem
paſsiuũ licet appellet ipſum patientem,cùm dicat in tex.19.ſemper enim honorabi
tex.19. 3.de Anim. lius eſt agens patiente,& principiũ materia,& hoc facit, quia ipſe patit̃ ratione in-
tellectus agentis,quia recipit,& perficitur.nõ appellat tamẽ ipſum paſsiuum quia
paſsiuum indicat corruptionem, quam ob cauſam Ariſt. nuncupauit phantaſiam
intellectum paſſiuum in 20. tex. illius tertij, & intelligit ipſam cùm loquitur de in-
tex.20. tellectu paſsiuo, quia eſt illa ſine qua non intelliget poſſibilis: & falſum eſt quod
3. de Aĩm. Ariſt. illis uerbis (ſeparatus enim eſt ſolum hoc,quod quidẽ eſt: & hoc ſolum im-
" mortale,& perpetuũ)intelligat intellectũ agẽtẽ:ut diximus.primò enim in rẽ non
" conueniebat:ſecundò quia ex hoc,quia eſt ſeparatus,& immortalis,& perpetuus
infert,quod nõ quandoq; quidẽ intelligit:quandoq; aũt non,ſupple,ſed ſemper in
telligit:quia quod eſt ſeparabile ab hoc uel ab illo,ſed non ab omni, & eſt immor-
tale:& perpetuum neceſſe eſt,ut ſemper in aliquo operetur,quia non ſunt eſſentię
ſine operationibus, quia eo modo intelligendum eſt antecedens quomodo intel-
ligitur conſequens.ſed conſequẽs intelligitur de intellectu poſſibili:ſolus ergo in-
tellectus poſſibilis inter intellectus recipiẽtes aliquid extra ſe, eſt ſeparabilis, et im
mortalis,& perpetuus:ergo ſemper intelligit in aliquo. ergo in generali ſcientia e-
ius potentia non eſt prior tempore, ſicut eſt prior in uno. confirmatur hæc no-
ſtra expoſitio:propterea quod illa uerba non reminiſcimur auttem, quia hoc qui-
dem impaſsibile non conuenirent cum eis,quæ dicta ſunt. ſi illa intelligerentur de
intellectu agente. quia & ſi intellectus agens eſſet ſeparabilis:& immortalis. non
poterat uenire in controuerſiã. quare nos non reminiſcamur quia non nos remini
ſcimur intellectu agente, neque intelligimus intellectu agente non ſine phanta-
ſia,ut diximus ſupra:quia ſemper eſt actu,& ſcientia eius eſt ſcientia actu, idem e-
3.de Anim. nim inquit in textu decimonono idẽ ſecundum actum eſt ſcientia rei, id eſt quod
tex.19. res ipſa ſcita,& nullam neque in uno, neque in generali habet ſcientiam in poten-
tia. ſed ſi exponamus illa uerba de intellectu poſsibili dat̃ locus merito huic quæ-
ſtioni: quia aliquis quærere potuiſſet, quare ſi intellectus poſſibilis eſt ſeparabilis.
& immortalis, & perpetuus:et per id quod neceſſario ſequitur ſemper intelligat
in aliquo quare nos uerbi gratia,qui ſumus uiui(non dico mortuos, quia ignora-
mus nos.an mortui reminiſcamur uia naturali) non reminiſcimur eorum, quæ ſcie
bat Ariſtot.hoc enim deberet ſequi,ſi nos habeamus intellectum,quẽ habebat A-
riſt.deberemus ſcire, & reminiſci eorum,quæ ſciebat Ariſt.& quæſtio eſt optima.

Reſpondere mihi uidetur Ariſtot.ut diximus in ſuperioribus: dicens,non remi
niſcimur autem,licet intellectus poſsibilis ſit impaſsibilis, & immortalis, & unus,
quia intellectus paſsiuus corruptibilis eſt:& ſine hoc intellectu paſsiuo nihil intel
ligit,ſupple intellectus poſsibilis.

Quia ergo intellectus paſſiuus Ariſtotelis eſt corruptus, & ſine illo non pote
rat intelligere intellectus poſsibilis eas ſpecies, quæ erant in Ariſtotele.non enim
funda

fundabantur in intellectu poſsibili, qui erat impoſſibilis, ſed fundabuntur in intellectu paſsiuo, ad cuius corruptionem neceſſe fuit deficere illas ſpecies: etenim ad corruptionem ſubiecti neceſſe eſt, ut corrumpantur ſua accidentia, quæ fundabantur in eo. quum ergo ita ſit, non poſſumus reminiſci eorum quæ ſciebat Ariſtoteles, licet intellectus poſſibilis ſit impaſſibilis, & immortalis, & per id, quod neceſſariò ſequitur unus. ex quo textu perſpicuè patère arbitramur, intellectum poſsibilem eſſe impaſsibilem, quia loquitur de eo intellectu, qui non intelligit ſine phantaſia, & dixit eum, qui non intelligit ſine phantaſia eſſe impaſſibilem. & in dubium uenire non poteſt, quin ille intellectus, qui non intelligit ſine phantaſia ſit intellectus poſsibilis, ut patet. quod per impaſſibile intelligit incorruptibile, etenim poſſunt ſuum cõtrariũ corruptibile, & quod textus ille 20. loquatur ſemper de intellectu poſſibili, non de agente, colligi perſpicuè (meo iudicio) poteſt ex textu ſexageſimoſexto primi de Anima, quem etiam textum in ſuperioribus ei tauimus, ipſe enim manifeſtiſsimè intelligitur de intellectu poſsibili, & ea dicit, quæ tex. 20. tertij de Anima protulit, intelligere enim inquit, & conſiderare marceſcunt aliquo interius corrupto, quod in textu uigeſimo dicit intellectu paſsiuo corrupto, quod eſt phantaſia. & addidit, ipſum autem impaſsibile eſt quod eſt idem iudicio meo, quod hoc omnino autem, neque in tempore, ſed non aliquando quidem intelligit, aliquando uerò non intelligit. quia ſi intelligit ſemper in aliquo, ergo intelligere eſt impaſsibile generaliter. deinde uidetur reddere cauſam, quare marceſcat alio interius corrupto, & inquit, quòd intelligere, & amare, aut odio habere non ſunt illius, id eſt intellectus paſsiones. ſed huius id eſt corporis habentis illum ſcilicet intellectum, quare & hoc corrupto, neque memoratur intellectus ſupple, de ipſo enim eſt ſermo, quia non erant illius ſcilicet paſsiones, ſed erat communis, id eſt illius compoſiti, quod continebat corpus, & animam, quod deſtructum eſt. quia deſtructa eſt phantaſia, & diſſolutum corpus, & cõpoſitũ: intellectus aũt ſupple nõ eſt corruptus, quia fortaſſe eſt diuinũ aliquod & impaſſibile, quod eſt idem, quod dixit tex. 20. tertij de Anima, ſeparatus enim eſt ſolũ hoc, quod quidẽ impaſſibile eſt, quoad illud quod eſt, id eſt quoad ſubſtantiã, & hoc ſolum immortale, & perpetuum. in primo autem de Anima appellauit ipſum diuinum, & impaſſibilem, & in textu uigeſimo dixit idem: non reminiſcimur autem quia hoc quidem impaſſibile. patet ergo, quod textus uigeſimus intelligitur de intellectu poſsibili, ſicut textus ſexageſimusſextus primi de Anima, ſunt re ipſa idem, quo ad ſuam ſententiam. & ex illo etiam colligitur, quod non ſolum ratione naturali anima eſt immortalis, uerumetiam una, quia non poteſt intelligere impaſsibile eſſe, niſi intellectus ſit immortalis. non poteſt autẽ dici, quod non memoratur hoc corrupto, niſi ſit unus. etenim ſi eſt alius, & alius non uenit in controuerſiam, quare non memoretur: quia nõ fuit in aliquo, ſi unuſquiſque habet ſuum ſingularem intellectum. Dixit fortaſſis intellectum eſſe diuinum, & impaſsibilem, quia nondum demonſtrauerat ipſum eſſe impaſſibilem; & per id, quod neceſſariò ſequebatur diuinum.

3. de Aim. 20.

1. de Anim. tex. 66.

3. de Anim. tex. 20.

Item patet, quod eſt incorruptibilis: quia ſi eſſet corruptibilis, dictum nõ fuiſſet ad propoſitum. quia ſi corrumperetur non opus fuiſſet quærere, quare non reminiſcamur: quia de eo, quod corrumpitur non poſſumus quærere, quare non reminiſcatur uel memoretur. etenim nullus ſanus quæreret de eo, quod corrumpitur, quare non reminiſcatur.

Item perſpicuum eſt, quod eſt unus: quia non poſſit ſemper intelligere, quum ſemper ſit in aliquo ſubiecto & non ſemper in eodem Indiuiduo: corrumpuntur enim indiuidua.

Item non conuenit in rem dicere, quæ uerò ſecundum potẽtiam tempore prior in uno eſt: omnino autem neq; in tempore. etenim ſi eſſet multiplicatus in ſingulis, eſſet prior ſcientia in potentia.

Quare falſum concludere ex eis, quæ dicta ſunt homo iſte erudititiſſimus uidetur, quoniam inquit, unde ad rationem dicitur, intellectus paſsibilis eſt ſecundum quid immortalis, quia ex ſententia Ariſtotelis ſimpliciter eſt immortalis, quia ſimpliciter

pliciter non oritur ex potentia materiæ. & dicit quod ipſe intellectus agens eſt uere immortalis: etenim hoc etiam eſt uerũ, quod intellectus agens eſt uere immortalis, ſed cauſa, quam affert huiuſmodi.

Quia eſt una intelligentiarum, & quod non eſt aliqua pars animæ humanæ, ſed
" tantùm motor, tam eſt mea quidem ſententia falſum, quàm quod falſiſsimum. ete-
3. de Aim. " nim eſt forma etiam, alioquin ratio Ariſtotelis tex. decimonono, eſſet ſuperuaca-
tex.19. nea. dixit enim quod ſemper agens eſt honorabilius patiente, & principium materię, per principium enim neceſſe eſt intelligere formam, eſt enim illa, quæ refertur ad materiam: & eſt principiũ cognoſcendi, & exiſtẽdi ipſam materiam, ut dictum eſt in ſuperioribus.

Item iſtud repugnat Ariſtoteli, quippe qui probauit in anima has eſſe differentias. & ſi non eſſet pars animæ, nõ reperiret̃ in ànima: ſicut forma dicitur eſſe in compoſito, propterea quod ipſa dicitur eſſe pars compoſiti.

Item demonſtratio Ariſtotelis nihil probaret, niſi hæc eſſet pars animæ. quia dixiſſet neceſſe eſt, ſi iſtud debet recipere, ut ſit aliquod agens extrinſecus, quod redigat ipſum ex potentia ad actum, quod non fecit: ſed dixit neceſſarium eſſe, quoniam in omni natura eſt, &c. ſed de his in ſuperioribus libris uberius egimus: ad quem locum me reĳcio.

Item intellectus poſſibilis non habuiſſet aliquam exiſtentiam, niſi intellectus agens fuiſſet eius forma, eſt enim potentia, & pura. ſicut enim probamus materiam primam eſſe potentiam, propterea quod carebat omni forma materiali, ſed poterat omnes ſuſcipere: ita dicimus intellectum poſſibilem eſſe potentiam. quia carebat omni forma intelligibili, ad quam erat in potentia: quia ergo recipit, eſt in potentia. ſed eſſe in pura potentia dicitur, quia ipſe intellectus poſsibilis non poteſt ex ſe ſuſcipere illas formas: eſt enim in potẽtia ſuſceptiua. quare indiget agente aliquo, qui eum ex potentia redigat ad actum, quod quidem agens fuit oſtenſum ſuprà (niſi mea me fallit opinio) eſſe formam dantem eſſe ipſi poſſibili. & ita neceſſe erat, ut eſſet compoſitus cum poſsibili, & quum ipſe ſit actus (non enim aliter poteſt eſſe forma) neceſſe eſt, ut poſsibilis ſit pura potentia. etenim ex duobus exiſtentibus actu non fit unum per ſe, ipſa uerò phantaſia etſi eſt potentia: recipit enim omnes formas indiuiduales, tamen quia ipſa non indiget agente intrinſecus exiſtente, neque illæ formæ, quas recipit dãt ei eſſe, non poſſumus dicere ipſam eſſe in pura potentia. etenim ipſa poteſt moueri à ſenſibilibus, ſine auxilio alicuius, quod ſit ſibi intrinſecus. neque uidemus eas formas dare ei eſſe, ſicut formæ, quas recipit materia prima. non ſumus ergo coacti ex hac ratione ponere ipſam phantaſiam potentiam puram: ſed fieri poteſt, ut ſit in potentia ad illas recipiendas. & ſit tamen actus corporis, quod nõ poteſt accidere intellectui poſsibili, neque materiæ primæ propter dictas cauſas.

Quare neque ſimilitudo materiæ primæ ad intellectum poſsibilem omni ex parte quadrat (ut uidimus) quia etiam ſi conueniunt in hoc, quod ambæ ſunt in potẽtia ad formas, quas recipere poſſunt: & in hoc, quod ambæ indigent agente, qui efficiat eas recipere formas, ad quas ſunt in potentia, tamen non eodem modo ſe habere poteſt agens utriuſque, quia agens materiæ primæ potuit eſſe extra. tum quia ipſa habet ſemper aliquam aliam formam, quæ dat ei eſſe, quam poſtmodum amittit, quando educitur noua: intellectus uerò poſsibilis habet ſuam formam perpetuam, neque etiam aliam poteſt recipere, ipſe enim eſt perpetuus: & illa forma materiæ primæ non poterat eſſe cauſa, ut ipſa reciperet alias formas: quia aliæ formæ non ueniebant extrinſecus, ſed intrinſecus exoriebantur.

Item illæ formæ, quas recipit materia, erant neceſſariæ, ut darent eſſe ipſi materiæ primæ, ut diximus. & erant formæ ſubſtantiales: iſtæ uerò formæ, quas recipit intellectus poſsibilis, ſunt formæ accidentales perficientes non dantes ei eſſe. Quare fieri potuit, ut illa forma, quæ dabat eſſe intellectui poſſibili eſſet etiam cauſa perfectionis, ut reciperet ſuas ſpecies illuſtrando phantaſma, quod non poterant efficere formæ materiales ob cauſas dictas. præterea demonſtrat Ariſtoteles ſubſtantiam intellectus agentis ex ſubſtantia intellectus poſſibi-

ctus poſsibilis, ergo non poteſt agens eſſe una intelligentia, quia ſubſtantia intelligentiarum non eſt cognita ex ſubſtantia intellectus noſtri, ut diximus ſuprà.

Item quæro, quis illi dixerit? quod agens eſt una intelligentiarum, quòmodò enim fieri poteſt, ut illuſtret phantaſma, quo enim medio, & quo inſtrumentò, hoc enim aſſerere eſt uaticinari potius, quàm quicquam aliud facere.

Item quum eſt cauſa uniuerſalis non magis illuſtraretur phantaſia brutorum animalium, quàm hominum. quia ipſa etiam eſt cognitiua: opinio igitur iſta, quæ neque uerbis Ariſtotelis quadrat, neque rationi, omnino mihi uidetur reijcienda. ſed de his etiam in ſuperioribus ſermonem habuimus, ad quem locum lectorem etiam reijcio.

Concludamus modò noſtram opinionem, uidelicet intellectum poſſibilem immortalem eſſe, & unum ex uerbis Ariſtotelis ratione naturali loquentis, non ex ueritate ipſa.

SECTIO NONA.

SEd diceret aliquis, Tu dixiſti Ariſtotelem demõſtraſſe intellectũ agentem eſſe ſeparabilem, impaſſibilem, immixtum, quia intellectus poſsibilis eſt huiuſmodi, & propter hunc locum, ſi de aliquo minus uidetur ineſſe, & ineſt: ergo de quo magis, quia minus uidetur ineſſe, ut intellectus poſsibilis, quod patiatur, & minus uidetur ineſſe, quod materia habeat illas perfectiones, & tamen habet, ergo & agẽs, & forma magis habebit eas. ſed iſte locus diceret aliquis eſt dialecticus, & probabilis, ergo iſta ratio eſt dialectica, & probabilis. non eſt igitur neceſſarius, ergo neque demonſtratiuus: non ſumus igitur certi intellectum agentem eſſe huiuſmodi, ſed habebimus ſolum opinionem ipſam ita eſſe. quod quidem uidetur à ratione abhorrere: quare diceret aliquis, cogimur dicere rationem Ariſtot. alio fundamento niti ab eo, quod tu dixiſti.

Et quod ſit uerum, quòd ille locus ſit dialecticus, & per id, quod neceſſariò ſequitur probabilis, indicauit Ariſtot. primo Reth. ijs planè uerbis, quæ citauimus etiam in ſuperioribus ob aliam occaſionem.

Dico autem Dialecticos & Rhetoricos ſyllogiſmos eſſe de quibus locos dicimus: iſti autem ſunt quicunq; de iuſtis, & phyſicis, & de politicis, & de multis differentibus ſpecie, ut locus maioris, & minoris. nihil enim magis erit ex hoc ſyllogizare, uel enthimematice dicere de iuſtis, quàm de phyſicis, uel quàm de quocunque, quamuis hæc differant ſpecie. patet ergo ſyllogiſmum uel enthimema factum ex hoc loco eſſe dialecticum, ergo probabile, ergo non neceſſarium, ergo non demonſtratiuum. 1.Reth cap.2.

Huic ergo quæſtioni, quę quidem eſt talis, ut exercere poſſet ingenia etiam eorum, quo interiores, & reconditos ſenſus perſcrutantur, reſponderem locum illum ex ſui natura facere ſyllogiſmos dialecticos, & probabiles, quia poteſt applicari omnibus, ſicut dixit Ariſtoteles: & etiam ſi applicatus eſt materiæ contingenti facit ſolum probabilitatem: ut, exercitus non cœpit ciuitatem: ergo ipſam non capient decem homines. magis enim uidetur quod exercitus capiat, quàm decẽ homines: tamen aliquando contingit, ut decem homines capiant, & exercitus nõ capiat, ob multa, quæ poſſunt accidere. hoc enim proficiſci uidetur, quia locus eſt applicatus materiæ contingẽti, quæ poteſt eſſe, & non eſſe: captio enim ciuitatis contingenter ineſt ipſi exercitui.

Quare poteſt ſeparari ab exercitu.

Item exercitus non dirigitur à natura, non per ſe errante, ſed ab eo, qui poteſt errare. ſed ſi ille locus, qui ex natura ſui eſt communis omnium, & eſt locus, qui facit ſyllogiſmos dialecticos, applicetᷣ materiæ neceſſariæ: & ſecũdum naturã mihi uidetur, quod ſit maximè neceſſarius, ut uerbi gratia eſſe ſeparabilẽ, et impaſſibilẽ, et immixtũ ſunt ꝓprietates, quæ cõueniũt neceſſariò intellectui poſſibili, & ſunt ei attributæ à natura, q intellectus poſſibilis eſt uilior agẽte, tũ quia patiᷣ, tum quia eſt materia. neceſſariũ ergo ẽ, ut huiuſmodi prædicata ſint attributa etiã intellectui agenti, qui

ti, qui eſt honorabilius. etenim ſcimus nos naturam rebus ignobilioribus non attribuere aliqua honorabilia, quæ non attribuat honorabilius, ipſa enim non eſſet iuſta: non enim iuſtũ eſt attribuere uilioribus honorabilia, quæ eadem, & ipſa non
5. Ethic. cap. 5. attribuat honorabilioribus. In quinto enim Ethic. Ariſtoteles inquit, Hinc pugnas, & querelas oriri quando æquales non æqualia, uel non æquales æqualia, eſt
„ enim iniuſtum. Si ergo quando diſtribuuntur res modo dicto diſtributio eſt iniuſta, ergo contra naturam: iuſtitia enim eſt ſecundum naturam, ergo tanto magis natura iniuſtè ageret: ſi ipſa in æqualibus, ut ignobilioribus attribueret nobiliora, & honorabiliora, quæ poſtea non attribueret ipſis honorabilioribus. ſed quoniam attribuere ipſi naturæ iniuſta opera, eſt ita abſurdum, quàm quod abſurdiſſimum, in dubium uenire non poteſt: ſi uideamus ipſam intellectui poſsibili, qui eſt ignobilior intellectu agente attribuiſſe eſſe ſeparabilem, & immixtum, & impaſsibilem, quæ ſunt honoratiſſima prædicata, quin eadem nõ attribuerit intellectui agenti, qui eſt agens, & forma. Argumentum ergo Ariſtotelis (ut ego quidem opinor) eſt neceſſarium, & per id, quod neceſſariò ſequitur, eſt demonſtratiuum. Neque uerba Ariſtot. quibus demonſtrat hanc rem, poſſunt recipere aliam interpretationem, ſi benè conſiderentur: ipſa enim ſunt ita aperta, ut facile ſit intelligentia conſequi rationem illam non niti alio fundamento ab eo, quod diximus. inquit enim,
„ ſemper enim agens eſt honorabilius paſſo, & principiũ materia: iſtud enim comparatiuum apertè oſtendit rationem illa niti loco dicto, omnia uerò, quæ dicuntur ab homine iſto in undecimo & duodecimo capitulo, quæ attinent ad noſtrã rem, ex eis, quæ dicta ſunt in ſuperioribus apertè redargui opinor. etenim oſtendimus in ſuperioribus inter alia fieri non poſſe, ut intellectus poſſibilis intelligat uniuerſale in ſingulari, alioquin non eſſet neceſſarius intellectus agẽs. nullo enim modo intellectus poſsibilis poteſt intelligere ſingulare, immateriale ẽm non poteſt intelligere materiale. & propter iſtam cauſam nos loquentes ex fundamentis naturæ, dicimus intelligentias nõ intelligere res ſingulares, quæ ſunt extra ipſas, quia ipſæ ſunt abſtractæ: neque uniuerſalia, quæ abſtrahantur ab ipſis ſingularibus, quia ex partibus animæ non habent niſi intellectiuã. oporteret enim ipſas indigere phantaſia, quę ipſis obiectum faceret pręſens: & tũc corpora cœleſtia eſſent corruptibilia. Item indigerent intellectu agente, quod ſi daretur, non eſſent puri actus, ſed eſſent actus admixti cum potentia. neque una poteſt intelligere aliam, quia ſcientia earum eſt ſcientia actu: & ſcientia ſecundum actum eſt idem, quod res intellecta. Quare, & reſponſiones, quas tradit in capitulo duodecimo, homo iſte eruditiſſimus, ut defendat intellectum noſtrum uniuerſalia cognoſcere in ſingulari, fortaſſe aliquam uim uidentur habere aduerſus eos qui argumentati erãt aduerſus ipſum. nihil tamen contra nos ualere ex eis quæ dicta ſunt ſatis perſpicuum eſſe arbitramur: miſſa ergo ſunt facienda à nobis.

Maior etiam pars eorum, quæ dicuntur ab ipſo in cap. 14. quæ contra opinionẽ noſtram facere uidentur diſſoluta ex eis, quæ dicta ſunt mihi uidentur. etenim illa auguria, & diuinationes, quas ponit eſſe alienas à mente Ariſtotelis naturaliter loquentis, ex eis etiam quæ dicta ſunt perſpicuum eſſe arbitror.

SECTIO DECIMA.

1. Ethic. cap. 15. QVod uerò reſpondet ad Auth. Ariſt. 1. Ethic. cap. 15. dicens: & ad illud primi Ethic. ſatis patet, quum dicat neque prodeſſe, neque nocere eis, quum nihil
„ ſint, ſed tantùm exiſtimationi, quæ de eis habent, omnino uidetur euertere ſententiam Ariſtotelis: propterea quod, ut dicemus, ſi Ariſtoteles non crediſſet ſaltem ex religione animam eſſe immortalẽ, non fuiſſet ad propoſitum in eo loco ponere illam quæſtionem: nulla enim neceſſitate cogebatur.

li. 2. Oeco. Reſponſio præterea illa, quam tradit uerbis Ariſtotelis in 2. libro œconomicæ, eſt uoluntaria: nihil enim prohibet Ariſtot. loquutum eſſe in illis locis ex fide, & crediſſe animam immortalem, & multiplicatam. dicere uerò illa dixiſſe ex opinione uulgari eſt dictum ex uoluntate, nõ ex ratione: nihil enim prohibet eum ratione

tione naturali unum aſſeruiſſe, & aliud credidiſſe. hoc enim in ſeipſis experiuntur qui philoſophiç operam nauant, & ſunt ueri Chriſtiani.

Item quod dicit, quare perfectius aſſerentes animam mortalē melius uidentur « ſaluare rationem uirtutis quàm ponentes ipſam immortalem: quia ſpes præmij, & « pœnæ timor uidentur ſeruilitatim quandam importare quæ rationi uirtutis contra « riatur. Quod inquam dicit: ſic uidetur rationi repugnare. quia ſi anima eſſet morta- « lis, & eſſet immerſa materiæ, non poſſet ita cognoſcere uirtutum perfectionem ſi- cut cognoſcit, cùm ſit immortalis: quæ enim animæ ſunt abſtractæ à materia, illæ ſunt intellectus perfectiores. Quare longè melius uirtutū perfectiones intuebun- tur. imo diſtinctio uirtutum, in intellectiuas et morales uidetur aliquomodo oſten dere ipſum ſenſiſſe immortalitatem animæ. quia ſi anima fuiſſet mortalis, omnes uirtutes fuiſſent morales. etenim omnes fuiſſent in appetitu ſenſitiuo, omnis enim anima fuiſſet ſenſitiua. Item non reperiretur uera ratio, ipſe enim non indigeret re- cta ratione, quia eſſet ſibi recta ratio, neq; fieri poſſet, ut dicatur, quòd eſt eadem anima intellectiua, & ſenſitiua ſed differens ratione, quia eadem ſubſtantia animç non poteſt ratiocinari, & diſcurrere uniuerſaliter, quod facit recta ratio, & ſingula riter, quod facit ſenſitiua. neq; obſtat, quod Ariſtoteles dicat primo Ethi. cap. 18. 1.Ethic. Hęc autem utrum diſtinctæ ſint quemadmodum partes corporis, & omne partibi cap.18. le, uel ratione duo ſint: ſed, diuiſionem animæ recipere apta nata ceu circumferētia « concauum, & conuexum, nihil refert ad præſens, ita ut uelit dicere non referre ad « hoc, quod aliquæ uirtutes ſint intellectiuæ an morales, has animæ potentias eſſe ſe iunctas re an ratione. quia hoc falſum eſſet, ſed dixit: quod quatenus attinet ad de- clarationem illius loci, non opus erat ſcire illud, quia ſatis erat animam eſſe diuiſam in habentem rationē, & carentem ratione, qualiſcūq; eſſet diuiſio ad declarandas, & diuidendas uirtutes in morales, & intellectiuas. etenim non referebat, quo ad hoc illud demonſtrare, ſed ad librum de anima. ſed ſi benè conſideremus ea, quæ dixit Ariſtoteles in nono cap. primi libri Ethi. & in 18. de anima habente rationem 1.Ethic. in ſe, & de ea, quæ obedit rationi, cum non poſsit eſſe eadem ſubſtantia animæ, quç ca.9. et 18. habeat rationem in ſe, & ex ſua ſubſtantia, & non habeat: futurum eſſe confido, ut intelligentia conſequamur Ariſtotelem ſemper in libro Ethi. poſuiſſe has duas ani mas re ſeiunctas, & non ratione tantum, & cōſideratione, ſed tota ſubſtantia. neq; tamen ex hoc aliquod abſurdum ſequi ex eis, quæ dicta ſunt in ſuperioribus per- ſpicuum eſſe arbitror.

Neq; propter hoc erāt coacti homines probi opera uirtutū exercere ſpe prœmij, ſed honeſti cauſa, neq; uitia fugere propter pœnarum timorem, ſed quia non ſunt honeſta.

Quod uerò ſubiungit in fine capituli, &c. quia iā in ſuperioribus redarguiſſe opi namur, miſſa eſſe facienda iudicauimus.

Quod uerò in ultimo capitulo illius ſui libri ſcripſit ad hunc modum: dicendum « uidetur, quòd quæſtio de immortalitate animç eſt problema neutrum, ſicut etiam « de mundi æternitate. Mihi namq; uidetur, quòd nullæ rationes naturales adduci « poſſunt, cogentis animam eſſe immortalem, minuſq; probantes animam eſſe mor « talem. Dico ipſum meo iudicio, de hac re falſam, ac contra Ariſtotelem accepiſſe opinionem: quoniā demonſtratio Ariſtotelis qua in ſuperioribus diximus ipſum demonſtraſſe immortalitatem anima ex operationibus ipſius naturalibus eſt ita fir ma ac ſtabilis, & manifeſta, quàm ſit alia demonſtratio in rebus naturalibus, ut in ſuperioribus ſatis perſpicue nos oſtendiſſe arbitramur: ad quem locum nos reijci- cimus.

Quare ego teneo hoc non eſſe ex fide creditum, neq; me aliquid mereri ex hac opinione apud Deum optimum Maximum, propterea quòd rationem humanam huius rei fidem facere arbitror, ſed animarum multiplicatio eſt illa, quæ ex fide ha- betur, quare qui hanc multiplicationem tenuerit, futurum eſſē, pro cōperto habeo, ut maxima apud Chriſtum ſeruatorem noſtrum in alio mundo, & in hoc etiam ſit conſecuturas præmia. Quod uerò multi aliter aſſeruerint, & ſi uериſimilitudinem, & rei difficultatem oſtendat, tamen non tolli, quin uerum ſit, quoniam ſi hoc con- cluderet, opus eſſet, ut negaremus primum, & peruagatum principium de quoli-

bet dicitur eſſe, uel non eſſe ueritati cõſentire: propterea quòd multi, & illi quidem illuſtres in philoſophia uiri, multis rationibus conati ſunt oſtendere ipſam à ueritate abhorrere.

Multitudo enim opinionum rei difficultatem oſtẽdit, quod autem fieri nõ poſſit, nequaquã indicat: etenim ſi hæc ratio ualeret, nihil quod uerum eſſet affirmare ex Ariſto. ſententia poſſemus.

Quis enim eſt, qui ignoret maximos philoſophos ea falſa aſſeruiſſe, quæ Ariſto. nobis uera eſſe reliquit. Quare concludamus nos animam noſtrã ex Ariſto. etiam ſententia immortalẽ, & æternam eſſe: propterea quòd, & præter demonſtrationes, quibus hanc ſententiam probauit ex uerbis etiam ipſius clariſsimè colligitur, quæ huiuſmodi ſunt, quod ſit impaſsibilis, quod ſit nõ mixta corpori, quod ſit ſimplex, ſeparabilis à corpore, quod uenit deforis, quod eſt diuina, quod eſt immortalis, quod eſt perpetua, ut qui hoc negare audeat, uideatur omnino nihil poſſe cõcedere, fieri enim non poterit, ut nos inueniamus eum de aliqua re quamuis clariſsima, tot uerbis apertis uſum fuiſſe, quæ uerba, qui ea in contrariam partẽ trahere conati ſunt, luce clarius iudicari debent prȩter rem loquutos eſſe, ita ut non mediocriter commouerint eos, qui primam uerborum Ariſto. faciẽ etiam perſcrutati ſunt. quis enim hoc negare audebit, cùm Ariſto. de intellectu noſtro ſermonem habens apertè proferat ipſum impaſsibilem, eſſe non mixtum corpori, ſeparabilem à corpore, ſimplicem, uenire deforis, diuinum ſolum eſſe immortalem, & perpetuum, & iſti interpretenť de intellectu, ut intellectus eſt, quod eſt intelligere de intellectu, ut complexu ſuo continet abſtractos etiam intellectus & corruptibiles, uel de intellectu agente, quem dicunt eſſe Deũ, uel unam ex alijs intelligentijs. Quis unquam negare audebit aduertens has expoſitiones hos ita eſſe interpretatos præter intẽtionem Ariſto. in illis locis, & propterea in maximos, ac turbulentiſſimos errores non incidiſſe: certi nemo, mea quidem ſentẽtia, qui ſit ſanus: melius enim exiſtimationi ſuæ (ut ego quidem arbitror) conſuluiſſet, ſi rationes Ariſto. quibus eã ipſam, quam diximus ſententiam ſtabiliuit, infirmare, ac conuellere conati eſſent, easq́ fundamentis naturalibus innixas non eſſe demonſtraſſent: etenim quamuis etiam perperam feciſſent, propterea quòd rationes illæ ualidiſsimæ ita uidentur eſſe (ſi rectè intelligantur) ut nullo modo diſſolui poſſe uideantur, & non reperiantur in philoſophia aliquæ, quæ ſint iſtis ualidiores, & manifeſtiores, tamẽ loquuti eſſent, quæ in rem illam conueniſſent, ſed qui illa protulerunt, quæ diximus, ita loquuti uidentur, ac ſi eſſent pueri, qui interrogati de aliqua re reſpondeant de omni alia, & non de ea, de qua fuerunt interrogati, quod eſt ex omnibus facinus indigniſsimũ: quare (mea quidem ſententia) neq́ digni uidentur, ut ipſis ſic loquentibus reſpondeatur.

SECTIO VNDECIMA.

» QVòd uerò dicit quæſtionem de anima eſſe problema neutrum, ſicut etiã de mundi æternitate in hac parte etiam homo iſte uidetur à ſentẽtia Ariſto. abhorrere: propterea quòd Ariſto. non uidetur mundi æternitatem poſuiſſe inter ea problemata, quæ habent cõtrarios ſyllogiſmos & dubitationem, utrum ſic ſe habeat uel non, ſic eo quod de utriſq́ ſint rationes uериſimiles, ſed dixit ipſum eſſe ex illis problematibus, quorum ſit difficilè ipſum quare inuenire: ipſe enim primo Topic. cap. 8. loquens de problemate, cùm multa dixiſſet, de ipſis tandem protulit hȩc uerba: 1.Top. cap.8.

» Sunt autem, & problemata, de quibus ſunt contrarij ſyllogiſmi: dubitationem
» enim habet utrum ſic ſe habeat, uel non ſic, eo quod de utriſq́ ſint rationes uериſi-
» miles, & de quibus rationem nõ habemus, cùm ſint magna, difficilè arbitrantes eſ-
» ſe ipſum. Quare aſſignare, ut utrum mundus ſit æternus, uel non. Nam huiuſmodi

quæreret aliquis. In dubium igitur ex ijs uerbis (ut ego quidẽ arbitror) uenire non poſſumus, ipſum Ariſto. ſeiunxiſſe problema de mundi æternitate ab eis problematibus, quæ habent in utriſq́ rationes uериſimiles, quæ ſunt problemata, quæ iſte nuncupat neutra: quia apertè hoc problema de mundi æternitate poſuit ſub illis, quæ ſunt magna, arbitrantes difficilè eſſe ipſum. quare aſſignare, quod genus problematũ ſeparaſſe ab illo, quod in utriſq́ habent rationes uериſimiles, aperte oſtendunt

dunt

dunt illa uerba. & de quibus rationem non habemus, &c. Sed faciamus quòd ita fit de animi noſtri natura ſicut de mundo, quæro ex hoc ipſo homine, nunquid Ariſto. tenuerit mundi æternitatem ueram eſſe ex ratione naturali, uel non: ſi dicas ipſum putaſſe rationem naturalem, hoc non oſtendiſſe, euertes uniuerſam de Cœlo, & mundo doctrinam, & libros de Generatione, & interitu, propterea quòd nititur omnino in eo libro, illi fundamento, ut perſpicuum eſt, ſi dicat ipſum Ariſto. opinatum eſſe ratione naturali ſe oſtendiſſe æternitatem mundi, & tamē dixiſſe ipſum eſſe problema neutrum, uel problema difficillimū, ergo nihil prohibebit quæſtionem de immortalitate animi, & ſi ſit neutra, uel difficillima, demonſtratā fuiſſe ab Ariſto. & ipſam credidiſſe ſe eā rationibus naturalibus demōſtraſſe. quod cum negauerit apertè iſte homo in ſuo ultimo capitulo, ut pugnet cum ſua ipſius ſententia mihi uidetur neceſſe eſſe. Quare rejciendus eſt etiam in hac parte.

Præterea nihil prohibere uidetur dari problemata aliqua quę habeant rationes uериſimiles ex utraq; parte, & tamen habeant poſtea demonſtratiuas rationes, ita eſt in doctrina Ariſto. in primo Topic. ca. 8. & etiam in philoſophia in promptu, ut nulla oſtenſione omnino indigere uideatur, propterea quòd multis in locis rationes probabiles cōtrarias ad eandem concluſionē induxit Ariſto. et tamē poſtea demonſtrauit ueritatem illius concluſionis, & credidit illam uerè eſſe demonſtratam. *1. Top. cap. 8.* Ex his igitur omnibus, quæ nunc attulimus contra hunc uirum doctiſsimum, perſpicuè patere mihi uidetur, & ex eis etiam, quæ in ſuperioribus allata ſunt nihil prohibere quo minus concludamus animum noſtrum rationalem, neq; interitui, neq; alicui alteri nutationi obnoxium eſſe, ſed omnino impaſsibilem, ſeparabilem, et immixtum, incorruptibilem, æternum, & perpetuum, & hoc haberi ex ratione naturali. quare cùm fides meritum non habeat, ubi humana ratio præbet experimentum, ut diximus in ſuperioribus, dicendum mihi uidetur, me non putare homines, qui in doctrina Ariſto. uerè ſunt uerſati, cōſequuturos ex hac opinione à Deo optimo maximo præmia aliqua, quia hoc non habeт̄ fide. dixit enim Beatus Paulus in Epiſto. ad Hebręos capite 2. eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerū argumento non apparentium. Hoc enim apparet argumentis, non ergo ex fide habetur, ergo præmia ex hoc non conſequentur, ſed ex hoc, quod credimus ipſorum animorum multiplicationes: & exiſtimare debemus futurum eſſe. & ſi ipſi fidem adhibeamus, & alia, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ut beatitudinem perpetuam conſequamur. etenim hanc multiplicationem ratio naturalis nobis nō probat, imo cogimur ipſam in hac parte relinquere tanquā falſa concludentē, quia lumen diuinū ipſi repugnat. quod cū accidit, cogimur (niſi plumbei ſumus) ipſam falſam iudicare. cùm uerò rationi naturali lumen diuinum non aduerſatur, tunc uelimus nolimus cogimur rationem naturalē ſequi. quod quidē maiori ex parte accidit, propterea quòd Deus Optimus Maximus res, quas cōdidit, ita adminiſtrat, ut eas maiori ex parte proprios motus facere ſinat. Quod qui non intelligit (meo iudicio) ut parum ſit ſanus neceſſe eſt, & hæc ſint dicta quantum attinet ad librum de immortalitate animi Petri Pomponatij Mantuani uiri eruditiſſimi. ex quibus etiam ſi benè animaduertantur ſoluta, & inania eſſe cognoſcemus ea, quæ ab ipſo dicta ſunt in Apologia ſua, & in alijs ſuis tractatibus, quibus conatus eſt confirmare ſuam ſententiam. *Paul. ad Heb. ca. 2.* Demonſtratio enim Ariſtot. quam attulimus (ut opinamur) eſt idonea ad diſſoluendum omnia, quæ contra immortalitatem animorum noſtrorum faciunt, & quæ ab alijs allata ſunt, & quæ poſſunt afferri.

FINIS LIBRI TRIGESIMIOCTAVI

Euerſionis ſingularis certaminis.

SECTIO PRIMA.

SEd adhuc urgeret aliquis dicens non ſoluta eſſe omnia, quæ uidentur euertere ex uerbis Ariſto. animi noſtri immortalitatem, & nonnulla alia
7.Pol quæ in medium allata ſunt: propterea quod dixit Ariſto. 7. Polit. Intelle-
„ ctum uigere uſq; ad quadrageſimũ quintum annum, deinde incipere de
„ ficere. & cùm hoc ſit propter corpus. neceſsitas cogere uidet, ut ex corpore pẽdat.
Item quod dictum eſt, ipſam eſſe puram potentiam, uidetur repugnare eis, quæ
3. de Aim. dixit Ariſto. 3. de Anima, tex 25. ubi hæc protulit uerba.
tex.25. Si uerò alicui non ineſt contrarium ipſum, ſeipſum cognoſcit, & actu eſt, & ſeparabile eſt. etenim ipſi intellectui noſtro ſi eſt indiuiſibilis, ut dixerunt ipſi, non erit aliquod contrarium, ergo ſeipſum cognoſcet, & actu erit, & ſeparabile, ergo non erit pura potentia, ergo intelliget ſine phantaſmate, & ſcientia ipſius in potentia non erit tempore prior in uno, et erit ſicut intelligentiarũ ſcientia, & intellectus agentis.
2. de Aim. Item etiam non eſt uerum, quòd intellectus nõ reminiſcatur, quia 2. de Anima,
tex.60. tex. 60. inquit: Cauſa autem eſt, quoniam ſingulariũ quidem ſecundum actum ſen
„ ſus, ſcientia autem eſt uniuerſalium. Hæc enim in ipſa quodãmodo ſunt anima. Vn
„ de intelligere quidem eſt ipſa cùm uelit, ſentire autem nõ eſt in ipſa. neceſſe autem
„ eſt eſſe ſenſibile: quare ſi ipſe poteſt intelligere quando uult, quia habet uniuerſalia in ſe ipſa, ergo poteſt reminiſci, & poteſt intelligere ſine phantaſmate, & poteſt intelligere aliquando quæ exterius ſunt ſine ſenſu. quod repugnat Ariſto. in libro
„ de ſenſu & ſenſibili, ubi dixit: Hæc autem cognoſcimus intellectui, ſed non intelli-
„ gibilia, nec enim intelligit intellectus, quæ exterius ſine ſenſu.
Item intellectus eſt materialis, ergo corruptibilis. conſequentia perſpicua: antecedens probatur, quia ſi non eſſet materialis, idem eſſet intelligens, & quod intel
3. de Aim. ligitur ex 3. de Anima tex. 15. quem locum citauimus in ſuperioribus in aliam occa-
tex.15. ſionem, In ijs quidem, inquit, quæ ſunt ſine materia, idem eſt intelligẽs, & quod intelligitur, ſed in intellectu noſtro non eſt idem intelligens, & quod intelligitur, ergo non eſt ſine materia, ergo eſt materialis, ergo corruptibilis.
3. de Aim. Item intellectus non ſemper intelligit, ergo falſum eſt, quod dixit tex. 20. tertij
tex.20. de Anima, ſed non aliquando quidem intelligit, aliquando non intelligit. Antece
3. de Anim. dens probatur ex tex. 16. eiuſdem 3. de Anima: nõ autem ſemper intelligendi cauſa
tex.16. conſideranda, ſi enim ſemper intelligeret, non oporteret conſiderare quare non intelligar, hoc enim perſpicuè patet.
2. Pol. Item 2. Polit. inquit: Eſt enim quemadmodum & corporis, & mentis ſenectus, ex quo ſequitur mentem eſſe paſsibilem, & mortalẽ, quia quæ ſeneſcũt intereunt.

Item diximus in ſuperioribus Ariſto. oſtendiſſe in 3. de anim intellectum agentem dari, & tamẽ diximus in Apologia probare aliquod eſſe „attinere ad primam philoſophiam.

Item contra unitatem intellectus, quia non uidetur poſſe dari, etenim nõ poteſt habere ſimilitudinem cum aliqua re, & ob hoc non uideri dari, quia ſi haberet maxime eſſet cum lumine, ſed hoc dici non poteſt, quia lumen extenditur ad extenſionem mareriæ, educitur enim ex potentia materiæ. crearetur enim etiã, quia lumen non eſt ſeparabile ab aqua, uel ab aere, & corrumpitur in materiam, & ad corruptionem illius corporis, ſed non uidetur corrumpi, quia continuo generatur aliud & aliud lumen.

Item problema illud 30. Parti. quod problema citauimus etiam in ſuperioribus, nunc uerò repetitur, ut clarius intelligatur, & ut rememoremur cur homines, qui ingenio claruerunt, & in ſtudijs Philoſophiæ, uel in Repub. adminiſtranda, uel in carmine pangẽdo, uel in artibus exercendis melancholicos fuiſſe, & hoc etiam uidetur colligi animam eſſe materialem, quia ingenium ei attribuitur ex corpore.

Item ſi intellectus poſsibilis eſſet pura potẽtia, ut tu aſſeruiſti ex ſentẽtia Ariſto. eſſet ignobilior omnibus alijs formis: quia quæcunq; forma, eſt nobilior quacunq; mate-

materia: principium enim dixit Ariſto. eſt honorabilius materia, & actus potentia.

Item 2. Meta. dixit, ſi una eſt forma plurium indiuiduorum ſequi illa indiuidua eſſe unum numero, quia unitas numeralis eſt à forma. Quare cùm anima rationalis ponatur eſſe forma, neceſſitas cogit, ut ſit multiplicata.

Itē argumentaretur aliquis aduerſus ea, quæ diximus de intellectu agēte, quòd ſi pars animæ noſtræ, & intelligat ſeipſam. Etenim hoc uidetur à ratione, & ab ipſius Ariſto. ſententia abhorrere, propterea quòd uideretur ſequi nos habere perfectiſſimas cognitiones, & tamen lateret nos. Hoc enim eſſe abſurdum luce clarius oſtendit Ariſto. 2. Poſte. ca. ultimo, loco in ſuper. citato: conſequentia enim perſpi *2. Poſt.* cua eſt, propterea quòd cognoſcere abſtracta, eſt perfectiſſima cognitio, & ſunt ex *cap. ult.* natura ſua manifeſtiſſima.

Item ex exemplo ſecundi Meta. ubi dicit, quemadmodum oculi noctuarum ad *2. Meta.* lumen ſe habent ſecundum diem, ſic mens animi noſtri ad manifeſtiſſima omnium natura, uidetur ſequi, animam eſſe materialem, quia hoc uidetur ſolum oriri, quia anima ſit immerſa materiæ.

SECTIO SECVNDA.

Iſtæ ſunt quæſtiones, quæ uidentur non ſolum habefactare, ac infirmare, uerùm etiam omnino conuellere ea, quæ dicta ſunt de natura ipſius animæ rationalis: quas ſi diſſoluerimus, in dubium uenire nō poterit, quin firmam, & ſtabilē, & non errantem, & uagam de animi noſtri immortalitate ſententiam habere ualeamus: quod ut efficiamus, operæpretium eſſe arbitramur, ut ad demonſtrationem iam toties replicatam accedamus. Illa enim idonea eſt diſſoluere omnes quæſtiones, quę contra ſeiunctionem ipſius animi noſtri, à materia contingere poſſunt. ſi enim anima noſtra non indiget organo corporali, neceſſitas cogit, ut non ſit mixta corpori, eſt ergo ſeparabilis à corpore hoc, uel ab illo. quod quidem eſt illud, quod oſtendit immortalitatem, licet ſimpliciter non ſit ſeparabilis à corpore, ſed ſemper eſt in aliquo corpore, eſt ergo impaſsibilis, ergo immortalis: conſequentia eſt Ariſto. Antecedens etiam eſt manifeſtum, ut diximus. neq; id prodeſt, quod ut intellectus ſit immixtus, nō ut eſt coniunctus nobis, quia nos cognoſcimus ipſum ut eſt coniunctus nobis, & ex hoc, quod coniunctus nobis, non utitur organo in ſui opere, & dicimus ipſum non eſſe mixtum corpori, & ſeparabilem à corpore, impaſſibilem: ipſe enim operatur in nobis, quare præter hoc, quod non conuenit in rem, interpretatio illa eſt etiam falſa. quia non omnis intellectus eſt mixtus corpori. præterea diceremus etiam nos ſenſus, ut ſunt cognitiui, & phantaſia, ut eſt intellectus, non eſſe mixtos corpori: quod euerteret ſententiam Ariſto. Iſtæ enim interpretationes ſunt potius euerſiones tex. quàm explanationes, ut diximus in ſuperioribus: ſunt ergo miſſæ faciendę. ſed dicamus nos, cum intellectus noſter non ſit mixtus corpori, & ſit nudus omnibus ſpeciebus, & ſit in pura potentia, & ita imperfectus, neceſſe eſt ut redigatur ad actum: non enim hoc eſt fruſtra, & ut perficiatur à rebus exterioribus, quæ cùm ſint extra ipſum, & ſingulares, non potuerunt mouere ipſum, aberrent enim ab ipſo neceſſe fuit, ut fierēt præſentes ipſi intellectui, ut dictum eſt ſæpe. Non enim potuiſſent abſtrahi ab intellectu agente. Non potuiſſent autem fieri præſentes, niſi per animam ſenſitiuam, quia natura non tranſit ab extremo ad extremum ſine medio. ſunt enim obiecta in re omnino materialia, in intellectu uerò omnino immaterialia, in anima uerò ſenſitiua partim materialia, quia habent aliquam conditionem materiæ, quia ſingularitatem (ut more noſtro loquamur) & extenſionem ad extenſionem organi. carent uerò aliqua materialitate, quia nō ſunt cum illis conditionibus materiæ cum quibus ſunt formæ, quæ ſunt in materia, quarum iſtæ ſpecies ſunt ſimilitudines. Quare in homine fuit neceſſe, ut eſſent duæ animæ diuerſi generis, ita ut una fuerit abſtracta à materia ut intellectiua: & alia immerſa ipſi materiæ, quia fieri non poterat, ut res exteriores mouerent intellectum, qui eſt immateralis exiſtentibus extra ob cauſam dictam. neceſſe ergo fuit, ut daretur medium, quod aliquo modo fieret immateriale, & ut eſſent præſentes ipſi intellectui, hoc autem fieri nō potuit, niſi beneficio, et opportunitate animæ ſenſitiuę: fuit ergo neceſſaria anima ſenſitiua, præter intellectiuā in homine. etenim illa cùm

ſit pura potentia, nō potuit extendere ſe ad materialia, & cùm ſit immaterialis, non potuit moueri ab ipſis materialibus ſimpliciter. Hæc autē cognoſcūtur ex demonſtratione dicta. Quare homines, qui philoſophiam naturalem profitentur, & quæ runt non ueritatem ſimpliciter, ſed quid ſequatur ex eius fundamentis, nulla admiratione afficiētur, ſi in homine ſint duæ animæ diuerſi generis, ſi demōſtrationem dictam conſiderabunt. etenim ſi ipſam animaduerterent, tantum abeſſe cognoſcerent, ut hoc ſit abſurdum, ut maxime ſit neceſſarium. Etenim præter alia abſurda, quæ ſequerentur, ſi non eſſent duæ, & diuerſi generis, & naturæ, ut diximus ſuprà, hoc etiam ſequi uideretur ut altera illarum eſſet ſuperuacanea, quia intellectiua ſine ſenſitiua ſua opera exercere potuiſſet, & ſenſitiua ſine intellectiua. quia ſentire fuiſſet intelligere, & formæ exiſtentes in organo intelligerent uniuerſaliter, & organum repræſentaret uniuerſaliter. quod quidem nihil aliud eſt, quàm Ariſto. ſententiam non ſolum labefactare, & infirmare, uerum etiam omnino conuellere. Etenim non ponimus intelligere eſſe diuerſum ab ipſo ſentire, niſi quia intelligere eſt abſtractum à materia, & ſentire cum materia. ſi ergo potētia immerſa materiæ potuiſſet cognoſcere uniuerſaliter, cùm ſit in pura potentia, & hoc fieret extrinſecus, intelligere non eſſet diuerſum à ſentire, quia utrumq; fieret ab eadē anima immerſa ipſi materiæ, quod eſſet ita abſurdum in doctrina Ariſto. quàm quod abſurdiſſimum, ita in promptu eſt, ut turpe ſit id uelle illud oſtendere. Cùm ergo duæ ſint animæ in nobis, ut declaratum eſt in ſuperioribus, & diuerſi generis, & perfectior,

2. de Aim. tex. 32. & intellectiua non ſit ſine ſenſitiua. dixit enim Ariſto. 2. de Anima tex. 32. Quibus non ineſt ratiocinatio corruptibilium his, & reliqua omnia. quibus autem illorum unumquodq; non omnibus ratiocinatio, cùm inquam ita dicat futurum eſſe arbitror, ut facile diſſoluamus quæſtiones propoſitas, & ſine aliqua admiratione.

7. Pol. Quare ad id quod allatum eſt ex 7. Polit. intellectum uigere uſq; ad 45. annum, deinde incipere deficere, & hoc eſſe propter corpus concedimus, cum uerò dicis neceſſitatem cogere ut pendeat à corpore, dicimus ſi intelligas, quod pendeat à corpore tanquàm ab organo, & quod ſit mixtum cū corpore, hoc eſt falſiſſimum, ſi intelligas quod pendeat à corpore, quod ſibi repræſentat obiectū, hoc eſt, quod concedimus. & quia ſic pendet à corpore, & corpus uigeat uſq; ad 45. annum deinde deficiat ob hanc cauſam dixit Ariſto. ipſum uigere uſq; ad illud tempus, quia uiget illud, quod ſibi repræſentat obiectum, ſine quo intellectus non poteſt intelligere. ſed hoc non ideo euenit, quia ipſe aliquid patiatur neq; per ſe, neq; per accidens, ſed quia illud, quod ipſi ſeruit, & ſine quo ipſe non poteſt operari propter dictam cauſam, aliquid patiatur. etenim intellectus dicitur uigere, quando uiget corpus, quia melius intelligit, & perfectius, & hoc euenit, quia obiectū ei perfectius repræſentatur, & cùm hoc fiat perfectius intellectus intelligit, & cum perfectius operatur dicitur magis uigere, quia cùm res ſint propter operationes, illæ dicūtur magis uigere, eū perfectius operentur. Quare tex. allatus nullam uim ſententię noſtræ (ſi bene conſiderabuntur ea, quæ dicta ſunt) afferre uidebitur.

SECTIO TERTIA.

SEd ſtatim urgeret aliquis dicens, ſi intellectus dicitur uigere ex uigore corporis, & deficere ex defectu corporis, ergo ſimiliter patietur ad paſſionem corporis, ſicut patitur ſenſus, quia ſenſus etiam non dicitur pati, niſi quia corpus patiatur,

1. de Aim. tex. 65. pater ex eis, quę dicta ſunt in ſuperioribus ex tex. 65. primi de Anima ad hūc modū. Si enim accipiat ſenior oculum talem, uidebit ſicut iuuenis, quare ſenſum non » eſt in ſuſtinendo aliquid animam, ſed in quo, ſicut in ebrietatibus, & in infirmitati» bus. conſequens tamen euertit uerba Ariſto. quæ ſcripta reliquit (citata etiam in ſu

3. de Aim tex. 7. perioribus) 3. de Anima tex. 7. Quoniam autem inquit non ſimilis ſit impaſſibilitas ſenſitiui, & intellectiui manifeſtum eſt ex organis, & ſenſu, &c.

Sed reſpondendo ad hoc argumentum dico negando conſequentiam.

Ad probationem dico, & ſi ſenſus non dicatur pati niſi ex paſſione corporis, tamen differenter patitur ex corpore, quia ſenſus & ſi nō patiatur per ſe, ex paſſione corporis, patitur tamen per accidens, quia corrumpitur ex corruptione corporis. Intellectus autem neq; per ſe, neq; per accidens patitur ex paſſione corporis, ſed corrupto corpore remanet ſine paſſione, ut dictum eſt ſæpe.

Et hoc oſtendit, quod dixit Ariſtot.3.de Anima tex.7. citato, & in ſuperioribus manifeſtum eſſe ex organis,& ſenſu non ſimilem eſſe impaſsibilitatem ſenſitiui, & intellectiui:quia ſenſiuuum quidem non ſine corpore eſt, intellectiuus autem ſeparabilis eſt,quem textum uidetur induxiſſe Ariſtor. poſt demonſtrationem tex.6.in quo probauerat intellectum non eſſe mixtum cum corpore. quia aliquis potuiſſet in errorem trahi, ut diximus in ſuperioribus ex eis, quæ dixerat in tex. 6₅. primi de Anima, quòd intellectus non corrumpebatur,maximè autē corrumpereretur ab ea, quæ eſt in ſenio debilitate,nunc autem quemadmodum in ſenſitiuis accidit,&c. 3.de Anim. tex.7. " 3. de Aim. tex.6. de Aim. tex.65. "

Etenim ex illo loco aliquis potuiſſet cogitare ſimilem eſſe impaſsibilitatem ſenſus,& intellectus.quod quidem eſſet errare,& ſi ſenſus, & intellectus nō patiantur per ſe,& in hoc conueniant, quod ſunt impaſsibiles, tamen impaſsibilitas illa non eſt ſimilis: quia ſenſus & ſi per ſe non patiatur, patiitur tamen per accidens ratione corporis, intellectus uerò neq; per ſe, neq; per accidens, cuius cauſam reddit Ariſtoteles:quia ſenſitiuum non eſt ſine corpore.etenim pendet in eſſe à corpore,quia utitur organo corporali. Intellectus aūt eſt ſeparabilis à corpore, quia non eſt mixtus cum corpore. & hoc ei euenit, quia non utitur organo corporali. quia igitur ex tex.65. potuiſſet aliquis in errorem trahi ſimilem eſſe impaſsibilitatem ſenſus, & intellectus: quia dixerat eſſe de eo, ſicut de ſenſitiuo,& ille tex. nihil aliud probat, niſi quod eſſet impaſsibilis per ſe: ſicut ſenſus facta demonſtratione, quod intellectus ſit non mixtus cum corpore.quia tunc non poterat hoc præſtare, uoluit remouere hunc errorem,& declarare non ſimilem eſſe impaſsibilitatem (ut ita dicamus) ſenſus,& intellectus,& declarauit, quod ſenſus non erat impaſsibilis per accidens, ſed patiebatur ex paſsione corporis,quia nōn erat ſeparabilis à corpore. & hoc oſtendit experientia. quia poſt magnum ſenſibile non ſentit, intellectus uerò poterat intelligere poſt magnum intelligibile: & quidem non minus intelligebat infima:ſed & magis,quia non patiebatur per accidens ex corpore: quia erat ſeparabilis à corpore hoc,uel ab illo:quare non eſt ſimilis impaſsibilitas, ſed de his diximus etiam in ſuperioribus.

Sed dices,tu dixiſti ipſam uigere ex uigore corporis, & deficere ex defectu corporis: ergo patitur ex corpore ſaltem per accidens. Dico ipſum uigere ex uigore corporis, & deficere ex defectu corporis, non quia aliquid per ſe,aut per accidens patiatur in ſua ſubſtantia ex paſsione corporis: ſed quia corpus ſubminiſtrat ipſi obiectum, ſi uiget corpus, benè ſubminiſtrat obiectum, & cùm benè ſubminiſtrat ei obiectum,benè intelligit,& ſi benè intelligit, benè exercet ſuum opus, & qui bene exercet ſuum opus,benè dicitur uigere. Quare ex contrario modo, ſi benè non ſubminiſtrat non benè exercet ſuum opus, & qui benè non exercet ſuum opus dicitur deficere: quia deficit à ſuo fine, unumquodq; enim eſt propter opus. Quare intellectus dicitur uigere uigente corpore, & deficere deficiente corpore à ſua intellectione,quatenus corpus benè,uel malè ſubminiſtrat obiectum, ſi dicitur uigere, & deficere in ſuo opere non,quod patiatur aliquid in ſua ſubſtantia,ut tex. citatus ex 3.de Anima hoc oſtendere & demonſtrare mihi uidetur. quare argumētum allatum ſententiam noſtram infirmare nullo modo uidetur. 3.de Anim.

Etenim tex.6. 3. de Anima omnino oſtēdere uidetur animam non eſſe edoctam ex potentia corporis,propterea quòd pateretur ad paſsionem corporis,ut ſæpe dictum eſt. Secunda autem quæſtio non uidetur minus euertere ſententiam eorum qui tenent mortalitatem animæ, quam noſtram, coguntur etiā ipſi ponere intellectum eſſe puram potentiā ex uerbis Ariſtot. cùm ſit immixtus cum ſpeciebus. quare illud argumentū euertere etiam uidetur noſtram opinionem, & ueritatem: quia perſpicuum eſt intellectum intelligere ea, quæ ſunt extra, ſed dicendum eſſe uidetur,intellectū eſſe puram potentiam. Ad tex. aūt 25.qui dicit ſi alicui non ineſt contrariū,&c.Dico ipſum per cōtrarium intelligere potentiā, quæ actui eſt cōtraria,quaſi dicat,ſi alicui intellectui ſupple nō inſit potētia, ipſum ſeipſum cognoſcit, & actu eſt.& hoc eſt uerū,quia qui nō habet potentiā,actu eſt, & ſeparabile eſt omnino, et ſeipſum intelligit:intellectus aūt noſter eſt potētia, ergo ipſum ſe ipſum nō cognoſcit,neq; actu eſt,neq; eſt omnino ſeparabile,quia nō ſeparaſ à corpore,ſub- tex.6. 3.de Anim.

 mini-

„ miniſtrante ſibi obiectum. & quod per contrarium intelligat potentiam indicauit „ ipſe in eodem tex. cùm dixit: Punctum autem, & omnis diuiſio, & ſic indiuiſibile „ monſtratur, ſicut priuatio, & ſimilis ratio, & in alijs: oportet autem eſſe potentia co „ gnoſcens, & eſſe in ipſo. cùm uerò ſubſequitur: Si uerò alicui non ineſt contrarium, „ ſi conuenire in rem debet, neceſſe eſt, ut intelligat: ſi uerò alicui non ineſt potentia, ipſum ſeipſum cognoſcit, & actu eſt, & ſeparabile: alioquin non conueniret in rem dictam paulo ante, neq; eſſet uerum: quia ex hoc, quod alicui non ineſt cõtrarium, non ſequitur, ut ipſum ſeipſum cognoſcat, & ſit actu. quia ipſi intellectui poſsibili, & phantaſiæ, nihil eſt contrarium, tamen non ſeipſos per ſe cognoſcunt, neq; ſunt actu, neq; ſeparabiles omnino. ſed ſi alicui intellectui (loquitur enim de cognoſcente in eo loco) non inſit potentia, neceſſe eſt ut ipſe ſeipſum intelligat, & ſcientia ſua ſit actu. quia nullam habet potentiam, & quod ſit ſeparabilis omnino: oportet igitur ut per contrarium intelligamus potentiam, quæ eſt contraria actui.

Quare ex hoc loco ſequitur, ut intelligentiæ non intelligãt aliquid extra ſe: quia ſi ſic ipſæ, non ſeipſas tantum intelligerent, ut oportet intelligere hunc locum: qui enim intelligit aliquid extra ſe, ut ei inſit potentia, neceſſe eſt: non eſſent ergo actu, & ſcientia ipſarum non eſſet ſecundum actum: quia non eſſet idem, quod res ſcita. Non ſequitur igitur ex loco illo, quod intellectus non ſit pura potentia, quia ei non ſit aliquod contrarium. etenim ei contrarium, id eſt potentia ineſt, ergo non intelligit ſine phantaſmate. nulla igitur ex parte tex. ille ſententiam noſtram labefactare aut impugnare uidetur.

3. de Aim. tex. 60. Quòd uerò 3. loco argumentabatur ex tex. 60. 3. de Anima, dicimus nullò pacto ex illo tex. ſequi intellectum, uel animam rationalem reminiſci: quia dixerit uni- „ uerſalia in ipſa quodammodo eſſe anima, & quòd ob hoc intelligere eſſe in ipſa, „ quando uult. quia uoluit ſignificare Ariſtot. quod uniuerſalia ſunt quodammodo in anima, quia phantaſmata ſunt in phantaſia, abſentibus etiam ſenſibilibus: quæ phantaſmata ipſa phantaſia ſubminiſtrare ipſi animę rationali, quando uult, poteſt. quare ipſa anima rationalis dicitur habere uniuerſalia: non quia in ipſa ſeruētur, ſed qualia repræſentantur in anima ſenſitiua. quibus reſeruatis ſubminiſtrat ipſi animæ rationali. unde dixit Ariſtoteles:

„ Hæc autem ſunt in ipſa quodammodo, & non dixit ipſa uniuerſalia abſolutè eſſe in anima: ſed dixit quodammodo eſſe in anima: quia habet ea, quando uult. illud enim dicitur habere aliquod, quando habet illud: quando uult illud habere, licet ſemper ipſum non habeat, cum hoc tamen ſtat, neceſſe eſſe intelligentẽ ſimul phantaſmata ſpeculari.

SECTIO QVARTA.

SEd diceret aliquis, ſi phantaſmata ſunt ſicut ſenſibilia, ut in ſuperioribus declaraſti, ergo ſicut ſentire non eſt in ipſa anima, quando uult: ergo neq; etiam intelligere erit in ipſa anima rationali quando uult: eadem enim eſt proportio. fieri enim poteſt, ut ſicut ſenſitiua non ſentit abſente ipſo ſenſibili, ut etiam intellectiua non intelligat abſente intelligibili, & intelligibile poteſt eſſe abſens ſicut ſenſibile. multi enim non intelligunt, quia abſunt intelligibilia, ut idiotæ: quare intelligerè non erit ei, quando uult, ſicut neq; etiam ſentire.

Dico Ariſtotelem uerbis dictis uoluiſſe indicare animam rationalem cum aliquod uniuerſale intellexerit poſſe illud intelligere, quando uult: quia illius uniuerſalis phantaſma ſeruatur in anima ſenſitiua, quę ſubminiſtrat illi quando uult, quod nõ accidit ipſi ſenſitiuæ, ut uidelicet tum cum uiderit aliquod ſenſibile, poſsit quando uult illud iterum ſentire. etenim ſpecies illius non reſeruatur in aliqua parte ſenſus, quæ ei quando uult ſubminiſtret. & licet ipſa phantaſmata aliquando non reſeruentur in anima, tamen quia poſſunt reſeruari, loquitur ac ſi ſemper reſeruarentur. hoc enim nihil referebat ad rem ſuam. etenim tametſi intelligibile poſsit eſſe abſens, tamen Ariſtot. loquitur in caſu quod reſeruatum ſit phantaſma. Si ergo poteſt intelligere, quando uult dum phantaſma reſeruat, non tamen ſequi cõcedimus ipſum poſſe intelligere uniuerſalia ſine phantaſmate. neceſſe enim ſemper eſt, cùm ipſe

ipſe non habeat uim retinendi per aliquod paruum etiam tempus ſpecies uniuerſales: ut dum intelligit ſemper phantaſia ſubminiſtrat ei phantaſmata, alioquin non intelligeret.

Concedimus tamen ipſam aliquando poſſe intelligere ea, quæ ſunt exterius ſine ſenſu exteriori. quia poteſt intelligere phantaſmata, quę ſunt reſeruata in anima ſen ſitiua: quæ tamen phantaſmata beneficio ſenſuum exteriorum fuerunt reſeruata. Quare uera eſt illa illuſtris, & peruagata propoſitio, nihil eſſe in intellectu, quod idem aliquo modo prius non fuerit in ſenſu: & ita nihil repugnamus auctoritati allatæ ex libro de Senſu, & ſenſibili. *lib. de Sen. & ſenſib.*

Sed adhuc urgeret aliquis dicens auctoritatem illam libri de Senſu, & ſenſibili, quæ eſt huiuſmodi: Neq; enim intelligit intellectus, quæ exterius ſunt ſine ſenſu, uidetur indicare intellectum intelligere aliqua interius ſine ſenſu. niſi enim ita eſſet non opus fuiſſet addere illud uerbum exterius: ſi non intelligeret, niſi ea, quæ ſunt exterius, ſatis ei fuiſſet dicere ipſum non intelligere ſine ſenſu, ſi omnia quæ intelligit exterius eſſent. neceſsitas igitur cogit, ut intelligat aliqua interius, quod tunc uidetur difficultatem afferre: quia intellectus nullam habet ſpeciem, quæ non oriatur ex ſenſibus, uel ex eis, quæ per ſenſus tranſierunt, eſt enim immixtus ſpeciebus. & oportet autem inquit Ariſtoteles, ſic ſicut in tabula nihil eſt actu ſcriptū: quod quidem accidit in intellectu, non eſt ergo aliquod interius, quod intelligat ſine ſenſu, *3. de Anim. 14.* uel ex eis, quæ oriuntur ex ſenſu. quia ſi intelligit etiam phantaſiam, & ſenſum communem, quæ ſunt interiora, intelligit beneficio ſenſus exterioris. quia ex operatione, quam ſentimus aliquo modo ſenſu exteriori, quare uerba illa urgere uidentur, ſunt igitur redigenda ad bonum ſenſum.

Dicerem ſaluo ſemper meliori iudicio Ariſtotelem illis uerbis noluiſſe ſignificare intellectum intelligere aliquod, quod non oriatur aliquo modo ex ipſis ſenſibilibus: ſed tantum uoluiſſe indicare omnes res exteriores non poſſe ab intellectu intelligi ſine ſenſu. quia omnes res ſunt ei intellectui exteriores, & nullas habet interiores. quia phantaſia, etiam licet nobis non ſit exterior, eſt tamen intellectui exterior: caret enim eius ſpecie, ſicut caret alijs ſpeciebus, eſt ergo ei exterior.

SECTIO QVINTA.

Erat alia quæſtio, quod uidelicet intellectus eſt materialis, ergo corruptibilis. Cui occurrentes negamus id: quod antecedit, ſi intelligatur materialis, id eſt mixtus materiæ, & eductus ex potentia ipſius materiæ.

Ad probationem autem cùm dicis: ſi non eſſet materialis idem eſſet in eo intelligens, & quod intelligitur, hoc eſt quod negamus. etenim ipſe eſt abſtractus à materia, ut oſtendit demonſtratio, tamen in ipſo non eſt idem intelligens, & quod intelligitur. propterea quòd eſt pura potentia, & caret ex natura ſua omni ſpecie intelligibili. etenim intelligit omnia, ut diximus: ergo nō eſt mixtus cum ſpeciebus. cùm uerò hoc probat ex tex. 15. 3. de Anima: Quod in ijs, quæ ſunt ſine materia idem eſt intelligens, & quod intelligitur. *3. de Anim. tex. 15.*

Dicimus opus eſſe, ut altius repetamus: etenim hoc argumentum uidetur multum urgere, & tex. allatus uidetur ſatis difficilis, & in inductione, & in explicatione. Quare, ut explicemus quid putemus Ariſtotelem illis uerbis uoluiſſe ſignificare, ſic oportet à textibus ſuperioribus incipere, & quantum opera noſtra fieri poterit eorum aliquos explicare: etenim ex eorum explicatione (ni fallor) facilè erit reſpondere ad quæſtionem propoſitam. Dicamus igitur oſtenſum fuiſſe ab Ariſtotele, in ſuperioribus illis textibus intellectum noſtrum eſſe impaſsibilem, non mixtum corpori, & per id, quod neceſſariò ſequebatur eſſe ſimplicem. etenim ſimplex dicitur illud, quod non eſt mixtum cum corpore, eſt enim oppoſitum mixto. in tex. uerò 12. eiuſdem 3 de Anima argumentum fecit, quo probare uiſus eſt falſum eſſe, ipſum eſſe impaſsibilem. quia intelligebat, & intelligere erat pati, ut diximus in ſuperioribus. *3. de Anim. tex. 12.* in tex. uerò 13 conatus eſt etiam probare ipſum non eſſe ſimplicem, quæ omnia non ſolum ea, quæ de ipſo concluſa erant labefactabant, & *3. de Anim. tex. 13.*

infir-

infirmabant, uerùm etiam penitus conuellebant. & mihi uidetur ad probandum ipſum non eſſe ſimplicem innuiſſe argumentum tale: ſi ipſe eſt intelligibilis, ut ſtatuimus in principio tex. tunc arguitur: uel ergo erit ex ſe intelligibilis, & non ſecundum aliud, uel erit intelligibilis ſecundum aliud. iſta enim membra colliguntur ex eo quod dixit: ſi non ſecundum aliud intelligibilis eſt. & argumentum uidetur fieri debere, & ſi ipſe intellectus eſt intelligibilis: uel ergo erit intelligibilis ex ſe, & nõ ſecundum aliud, uel erit intelligibilis, ſecundum aliud. ſed non poteſt eſſe ex ſe intelligibilis, & non ſecundum aliud: ergo erit intelligibilis ſecundum aliud, probatur primum. etenim ſequeretur hoc abſurdum, quod alijs rebus materialibus ineſſet intellectus, ſi eſſet ex ſe intelligibilis, quod apertè eſt falſum. probatur conſequentia: quia ſi non ſecundum aliud eſt intelligibilis, ergo ex ſe erit intelligibilis, perſpicua enim eſt conſequentia iſta. ſed ſi erit ex ſe intelligibilis, erit actu intellectus, & non potentia. quod ſi detur, ſequetur quod intellectus, & intellectum erunt unum & idem ſpecie, & forma, alioquin non eſſet actu intellectus, ſed potentia, quod eſt contra id, quod concluſum eſt, eſſet enim potentia ad intellectum, quod eſt diuerſum ab ipſo. ſi uerò ita ſit, quod intellectus, & intellectum in eo ſint idem: ergo cùm res materiales perſpicuè ſint intellectæ ab intellectu, ergo erunt intellectus. quia concluſum eſt intellectum, & intelligibile eſſe idem: ſed hoc eſt tam abſurdum, quàm quod abſurdiſsimum, ergo id unde fluxit eſſe abſurdum negare non poſſumus. non poſſumus ergo dicere intellectum eſſe ex ſe intelligibilem, erit ergo intelligibilis ſecundum aliud. quod ſi detur ſequetur, ut habeat aliquod mixtum, quod faciet ipſum intelligibilem, & tunc non erit ſimplex: ut probatum erat ſicut alia intelligibilia, materialia habent formam mixtam cum materia, quæ facit ipſa intelligibilia. ſi enim uerba Ariſto. in tex. 13. rectè fuerint conſiderata, uidebimus (ni fallor) ipſa ordinari debere, ſicut diximus. ponit enim in primis ipſum eſſe intelligibilem: deinde innuit, ſi non eſt intelligibilis ſecundum aliud, quod ſequatur alijs rebus ineſſe intellectus. Illa uerò uerba (unum autem aliquid intelligibile eſt ſpecie) non poſſunt accommodari ſequentibus uerbis ijs (aut mixtum aliquod) opus igitur eſt, ut iſta uerba, aut mixtum, & cætera, ſint membrum reſpondens & oppoſitum illi (aut enim alijs inerit intellectus: ſi non ſecundum aliud ipſe intelligibilis eſt) neceſsitas igitur cogit, ut accommodentur prioribus uerbis: ſed priora uerba ſunt conditionalis huiuſmodi, ſi non ſecundum aliud intelligibilis eſt, alijs inerit intellectus. ergo neceſſe eſt, ut iſta (unum autem aliquid intelligibile ſpecie) ſit conſequens, quod ſequitur ex hoc, quod intellectus eſſet actu intellectus. quod quidem ſequebatur ex illo antecedente intellectus ex ſe, & non ex alio eſt intelligibilis. quod conſequenter nihil aliud uidetur ſignificare, quàm quod intelligibile ſit intellectus: quod quidem ſequitur. quia ſi intellectus eſt ex ſe intelligibilis, ſequitur, quod ſit actu, alioquin non eſſet ex ſe intelligibilis. quia ſolum illud eſt ex ſe intelligibile, quod eſt actu: quia quod eſt potentia non eſt ex ſe intelligibile, tunc neceſſe eſt, quòd intellectus, & intelligibile ſint idem: alioquin intellectus non eſſet actu intellectus ſed potentia, ut patet: relinquit autem hanc partem Ariſtot. tanquam manifeſtè falſam. quia ipſa ſequebatur abſurdum dictum, & uidetur retinere illam, quod ſit intelligibilis per aliud, ſicut alia, cùm dixit: aut mixtum aliquod habebit, quod facit ipſum intelligibile, ſicut alia. & tunc ſequitur abſurdum dictum, quod non ſit ſimplex: ſed mixtus cum materia, ſicut alia intelligibilia materialia. in tex. uerò 14. reſpondere uidetur ad quæſtionem primam poſitam in tex. 12. & inquit, at pati quidem ſecundum commune aliquod diuiſum eſt prius in 2. de Anima tex. 57. quem tex. citauimus, & in ſuperioribus; inquit enim:
» Non eſt autem ſimplex ipſum pati, ſed aliud quidem corruptio à contrario, a-
» liud autem ſalus magis eius quod potentia ab eo quod eſt actu, & ſimili. innuit igitur Ariſtoteles, quod pati aliud eſt corrumpi à contrario, & aliud eſt perfici. quo ſtante, reſpondet, quod ſi intellectus pateretur primo modo, quod non eſſet impaſsibilis, quia corrumperetur: ſed concederet, quod patitur altero modo, id eſt perfectiuè, cùm ſit in potentia ab eo, quod eſt actu: & hoc pati non ſequitur,

quod

quod ſit paſſibilis corruptiuè,ſed impaſſibilis, & hoc modo concluſum fuit in tex. in ſuperioribus, quia probatum eſt ipſum eſſe potentia quodammodo intelligibilia, ſed actu nihil antequam intelligat: ſed oportere inquit ſic ſe habere intellectum,ſicut in tabula, in qua nihil eſt actu ſcriptum, antequam in ea ſcribatur:cùm ergo ita ſit in potentia ſi patitur,intelligendo patitur perfectiuè ab eo,quod eſt, & hoc non repugnat eis, quę diximus.in tex. uero 15.reſpondere mihi uidetur ad quęſtionem poſitam in tex.13. & reſpondendo inquit ipſum eſſe intelligibilē,ſicut alia intelligibilia, per quæ intelligibilia nō poteſt intelligere abſtracta ſimpliciter:quia intellectus noſter non eſſet intelligibilis,ſicut abſtracta ſimpliciter,ut Deus, & intelligentię cœleſtes, quia intellectum in eo non eſt intellectus, ſed ut intelligibilia materialia,quæ intelliguntur per aliquod exiſtens in ipſis,& debet referri, ut patet ad tex.13.& uidetur ratio ſic ad formam ſyllogiſticā redigi in eis,quæ ſunt ſine materia,eſt idem intellectus,& quod intelligitur,& probat hanc:quia ſcientia ſpeculatiua,& ſcibile in abſtractis ſupple à materia eſt idem:ergo eſt idē intelligens in ipſis, & quod intelligitur:maior ergo eſt clara,ſcientia enim ſpeculatiua,& ſcientia actu ſunt idem,ſed in intellectu noſtro non eſt idem intelligens,& quod intelligitur ex eis,quæ dicta ſunt:ergo intellectus noſter non eſt ſine materia:ergo eſt intelligibilis ſicut alia intelligibilia materialia,per aliquod ſibi mixtum,quod faciat ipſum intelligibilem, quod quidem euertit quod concluſimus, ipſum ſcilicet non eſſe mixtum cum corpore,& per id,quod neceſſario ſequitur nō eſſe ſimplicem:hoc ergo eſt,quod intendebat(ut ego quidem arbitror) argumentum in contrariū partem allatum. 3.de Aim. 15.

Cui quęſtioni explicato textu reſpondētes dicimus,propoſitionem illam,intellectum non eſſe ſine materia, non poſſe intelligi de materia uera, cum qua ſit mixtus ſicut alia materialia intelligibilia: ſed per materiam in eo loco accepiſſe potentiam puram,quæ potentia habet rationem materiæ, & hoc modo concluſio iſta intellectum non eſſe ſine potentia pura,eſt ueriſsima,& maior propoſitio,& ipſa ſic intelligitur,quod in eis,quæ ſunt ſine materia,id eſt ſine potentia, idem eſt intelligēs,& quod intelligitur. quia ſi intelligeretur ſine materia,id eſt ſine uera materia, ita quod diceretur non abſtractus à materia, tunc propoſitionem eſſe falſam oſtenderet demōſtratio tex.6.3 de Anima, qua Ariſtot.probauit intellectū non eſſe mixtum cum corpore,& ita abſtractum à materia,& tamen non eſt in eo idem intellectus,& quod intelligitur.Quare uidetur dicendum, quemadmodum diximus:etenim expoſitio iſta conſentit rationi,propterea quòd non dicitur in abſtractis à materia eſſe idem intelligens,& intellectus,niſi quia carent omni potentia:ſunt enim puri actus,ſicut in ſuperioribus diximus ex tex.25.eiuſdem 3. de Anima,cùm dixit: Si uerò alicui non ineſt contrarium,ipſum ſeipſum cognoſcit,& actu eſt,& ſeparabile,ubi per contrarium expoſuimus potentiam,quia ex hoc, quod carent potētia ipſum ſeipſum cognoſcit,& actu eſt,& ſeparabile:non ergo erit mirum,ſi hic etiam per materiam explicauimus potentiam. quia ex carentia huius potentiæ, ſequitur quod in ipſis abſtractis à materia idem ſit intelligens,& quod intelligitur,& ſic intellecta propoſitione dicimus ſequi cōcluſionem ueram,uidelicet intellectum noſtrum non eſſe à materia abſtractum,id eſt à potētia, quia eſt pura potētia:ex quo ſequitur,quod ipſe non ſit intelligibilis per ſe,ſed per aliud inexiſtens in ipſo, quia per formas, quas recipit, ſicut materia prima intelligitur per formas, quas recipit, non tamen ſequitur, ut ſit mixtus cum materia uera, quia non eſt mixtus cum ea: ex quo poſtea non ſequitur ipſum non eſſe ſimplicem illa ſimplicitate,de qua diximus,licet intelligatur per aliud ſibi mixtum:uera ergo ſunt ea,quę de ipſo concluſa ſunt,quod uidelicet ipſe ſit ſimplex,& impaſſibilis. 3. de Aim. tex.25.

In tex. uerò.16. ex dictis uidetur reddere cauſam,quare nō ſemper intelligat,quia ex illa ſequitur, quod alijs rebus non inſit intellectus, quod erat prima pars tex.13. unde inquit, ſi in eis, quæ ſunt ſine potentia idem eſt intellectum, & intellectus, quia ſcientia, quæ eſt ſecundum actum, eſt idem, quod res ita eſt conſideranda cauſa, quare intellectus noſter non ſemper intelligat, quæ cauſa uidetur eſſe iſta. etenim inquit,ſed unum quodque intelligibilium in habentibus materiam, eſt ſolum potentia in ipſo intellectu: ex quo ſequitur, quod ipſa nō habeat intellectum, 3.de Aia. tex.16.

quia

quia non ſunt actu intellecta, & per id quod neceſſariò ſequitur non eſt idem intellectus, & intellectum, & intellectus, qui intelligit talis eſt potentia ſine materia, cui ineſt intelligibilitas, ut diximus ſupple per aliud, ex quo ſequitur, quod nõ ſemper intelligat: quia eſt in potentia ad intelligendum. etenim intelligibilia ſunt in ipſo in potentia, in quo textu. cùm dicit in habentibus materiam, uidetur intelligere potentiam ob rationem dictam. cùm uerò dicit, & intellectus talium eſt potentia ſine materia, ſupple intelligendum uidetur de uera materia: quia fieri non poteſt, ut intelligat per materiam potentiam ſolum, pugnarẽt enim cum ſua ipſius ſententia hæc uerba. Nihil ergo ex ijs tex. concluditur aduerſus noſtram ſententiam: quia Ariſtoteles noluit dicere intellectum eſſe cum materia, ita ut eſſet materialis, id eſt eductus ex materia diuiſibili: ſed eſſe cum materia, id eſt cum potentia, quæ potentia eſt materia. & hoc non oſtendit ipſum nõ eſſe ſimplicem, & eſſe corruptibilem, quod eſt id, quod nos optamus. ſi uerò aliquis uolens fugere hanc explicationem uellet intelligere in eis, quæ ſunt ſine materia, omnino & ſimpliciter idem eſſe intelligens, & quod intelligitur. quia illa talia ſunt abſtracta à materia, ſecũdum eſſe, & ſecundum operari, & non indiget corpore ſubminiſtrante ſibi obiectum: ſequeretur concluſio, quod intellectus nõ eſſet ſine materia omnino, & ſimpliciter, tunc non ſequeretur ipſum eſſe materialem, id eſt eductum ex potentia materiæ diuiſibilis. ſed non uidetur ſequi in hoc loco ad propoſitum: quia ex hoc, quod ipſe non ſit omnino, & ſimpliciter abſtractus à materia, non ſequi uidetur, ut ipſe ſit intelligibilis, ſicut alia, ſicut ex hoc quod non ſit abſtractus à potentia. quod ſi etiam ſequeretur, uidetur melior prima expoſitiò: etenim propoſitio Ariſtot. uidetur uniuerſaliſſima. Item cauſa, quare in abſtractis à materia ſimpliciter ſit idẽ intelligens, & quod intelligitur non eſt niſi, quia ipſa ſunt actu, & nullam habent potentiam, non quia ſunt abſtracta à materia, quia & ipſe intellectus eſſet huiuſmodi. ſed quomodocunque dicatur nihil refert ad rem noſtram: propterea quòd ſatis eſt nobis argumentum nihil concludere, quod noſtram ſententiam labefactet, atq; euertat. & quod

3. de Aim. tex. 15. Ariſtot. noluerit per tex. 15 concludere intellectum noſtrum eſſe cum materia diuiſibili, oſtendit tex. 16 cùm inquit, ſine materia enim potentia eſt intellectus talium. quo in loco perſpicuum eſt ipſum per intellectum intelligere poſsibilem: eſt enim ille, qui intelligit ea, quæ habent materiam. quare tex. 15. ex hoc dicto in decimoſexto liquidè patere uidetur.

SECTIO SEXTA.

AD illud uerò, quod ſequebatur dicimus intellectum nõ ſemper intelligere in hoc, uel in illo, & huius rei cauſam eſſe: quam dixit Ariſtot. tex. 16. ſimpliciter autem dicimus ipſum ſemper intelligere. quia in aliquo ſemper intelligit: etenim ſemper eſt in aliquo corpore, licet non in hoc, uel in illo: ut ex ſuperioribus perſpicuum eſſe poteſt. & hoc eſt, quod uoluit dicere tex. 20. tertij de Anima: quod uerò ex 7. Polit. affertur, quod quemadmodũ & corporis, & mentis ſenectus eſt: ex quo uidebatur ſequi mentem eſſe paſsibilem, & mortalem. Dicimus Ariſtot. dixiſſe ſenectutem eſſe intellectus, ut corporis: non quia intellectus aliquid patiatur per ſe, uel per accidẽs, ſed quia phantaſia, quæ ſibi obiectum ſubminiſtrat ſeneſcit per accidens, ratione ſcilicet organi, & nõ poteſt ei bene ſubminiſtrare, & ita intellectus non bene intelligens dicitur ſeneſcere. etenim ſicut corpus, quando non rectè operatur, eo tempore uidetur ſeneſcere, ſic etiam intellectus. quia eo tempore ob cauſam dictam non rectè poteſt operari, dicitur ſeneſcere. quam expoſitionem cõſentire eis, quæ dicta ſunt, in dubium uenire non poteſt. etenim dictum eſt impaſſibilem eſſe intellectum, & quod ſenium non eſt in eo, quod anima aliquid ſuſtineat: ſed in quo, quæ quidem luce clarius indicant ipſum intellectum neq; per ſe, neque per accidens pati, & per id quod neceſſariò ſequitur nullo modo ſeneſcere. neceſsitas igitur cogit, niſi uelimus Ariſtot. non ſolum pugnantia, uerùm etiam negantia loquutum eſſe: ut eius uerba, eo quo diximus modo intelligantur, quod ſi ita detur (ut mihi quidem dandum uidetur) nihil uideo, quod noſtram ſententiam infirmet.

3. de Aia. tex. 20. 7. Pol.

Vrgebamus præterea in ſuperioribus Ariſtot. in 3. lib. de Anima oſtendiſſe intellectum agentem dari, & tamen diximus in Apologia probare aliquid eſſe attinere ad primam philoſophiam.

Cui

Cui quæſtioni occurrentes, dicemus ueritati & Ariſtot. doctrinæ omnino conſentire, ad primum philoſophum attinere probare res aliquas ſimpliciter in rerum natura exiſtere, & contrariam repugnare ipſi Ariſtot. quare rectè à nobis fuiſſe dictum in 1. libro Apologiæ noſtræ. Hoc enim fieri non poteſt, niſi ex eis, quæ conueniunt enti quatenus ens eſt: alioquin confunderentur ſcientiæ. Quod tamen uidetur, ſicut ibi diximus in Apologia, accipiendum eſſe de compoſitis, non de cauſis compoſitorum, quæ cauſæ non uidētur, item ipſæ demonſtrari eſſe ſimpliciter, quia non ſunt ſimpliciter entia, ſed dicuntur eſſe cauſæ entis, ens enim ſimpliciter dicitur eſſe illud, quod ſeorſum exiſtit, quod quidem eſt compoſitum, cauſæ enim non per ſe exiſtunt, ſed quando ignorantur eſſe cauſæ, ut anima noſtra non quæritur, an ſit ſimpliciter: ſed an ſit cauſa eſſendi ſimpliciter hominis, quatenus enim forma eſt cauſa eſſendi ſimpliciter. ut uerò eſt anima, eſt cauſa, quod ſimus animati: ut uerò eſt rationalis eſt cauſa, ut ſimus homines.

Quare ipſe conſiderata eo, quo diximus modo, attinet ad primam philoſophiam, & ad philoſophiam naturalem: ſiue ſit idem, quod formare, ſiue diuerſa. hoc enim non refert quatenus attinet ad rem noſtram, & niſi hoc eſſet, falſum eſſet ens, quatenus ens attinere ad primam philoſophiam. etenim attineret etiam ad philoſophiam naturalem & alias facultates: quarum intereſt quærere cauſas proprias, uel ad alias cauſas non attineret quærere cauſas proprias eorum, quæ conſiderant. quæ omnia uniuerſam Ariſto. doctrinam non ſolum labefactare, atq; infirmare, uerùm etiam (quod multo maius eſt) omnino cōuellere, in dubium uenire non poteſt. cauſæ tamen ipſæ, quæ quæruntur ut cauſæ, dicuntur demonſtrare eſſe, quia eas omnino ignoramus: & in hunc ſenſum ſunt accipienda omnia, quæ dicta ſunt de cauſis. quare propoſitio illa erit uera generaliter quòd probare aliquid eſſe ſimpliciter attinet ad primam philoſophiam. cui tamen non repugnat, & ipſam primam philoſophiam, & cæteras ſcientias, quærere an aliquæ ſint cauſæ ſuorum ſubiectorum, illasq; cauſas illorum eſſe probare. Fieri tamen poteſt, ut in aliqua facultate, ut in philoſophia naturali, probetur aliquid eſſe ſimpliciter. ſed illud probabitur neceſſariò ex eis, quæ attinēt ad primā philoſophiam ob cauſas dictas: & tunc philoſophus naturalis induet perſonā primi philoſophi. facultates enim poſteriores poſſunt accipere ex prioribus, & induere illarum perſonam accipientes illa ex ſuppoſitione non ſimpliciter.

SECTIO SEPTIMA.

Quare uenientes ad quæſtionem dicimus nos rectè dixiſſe Ariſt. oſtendiſſe intellectum agentem dari uel ſimpliciter, uel ut cauſa dans eſſe: & faciens intelligere intellectum poſsibilem. nihil enim quantum ad hunc locū attinet, refert: illa tamen demonſtratio non eſt naturalis quomodocunq; ſit: ſed attinet ad primū philoſophum: propterea quod eſt ex terminis ad primam philoſophiam attinentibus. natura enim & materia, & potentia, & cauſa, & effectiuū eſſe uerba attinentia ad primā philoſophiam, & uim etiam illius rationis, perſpicuum eſſe ex eis, quę in ſuperioribus declarauimus arbitramur. quare cogimur dicere Ariſt. hac quoq; ratione induiſſe primi philoſophi perſonam: nihil ergo quod ſententiæ noſtræ repugnaret diximus.

Quòd ſi aliquis, ut noſtram, quam diximus ſententiam euertat, quod uidelicet eſſe ſimpliciter attineat ad primā philoſophiam, affert tex. 32. quarti de Cœlo: quo in loco uidetur Ariſtot. probare graue ſimpliciter eſſe in rerum natura, fretus auctoritate Auerr. qui eum tex. interpretatus, hæc protulit uerba. Et hæc eſt demonſtratio, quia ad probandum aliquam ſpeciem eſſe: & hoc raro cōtingit in hac ſententia.

Dicerem Ariſtot. in eo loco probare dari corpus ſimpliciter leue, & ſimpliciter graue eſſe in rerum natura. quod quidem nihil aliud eſſe uidetur, quàm oſtendere dari corpus nullam habens grauitatem, uel nullam leuitatem, & inquit:

Nam & alijs quibuſdam graue eſſe uidetur, & ſemper ferri ad medium: eſt autē ſimpliciter & leue. hęc enim ratio uidetur uim habere ex ratione contrarij: quoniā contrarium graui eſt leue. & probare uidetur, quod detur iſtud graue, & dicere il-

lud,quod ſubſtat omnibus,& fertur ad medium dicitur eſſe graue ſimpliciter,dixit enim tex.26.illius libri:

4.Cœli tex.26. » Graue quidē ſimpliciter,quod omnibus ſubſtat:leue autem,quod omnibus ſupereminet.

Sed terra eſt corpus, quod omnibus ſubſtat: & fertur ad medium determinatum. ergo terra uel terreum eſt corpus graue ſimpliciter, & ita ſequitur terram nullam habere leuitatem:hoc enim eſt eſſe graue ſimpliciter. Deinde adiungamus hæc,terra eſt in rerum natura,terra eſt graue ſimpliciter,ergo graue ſimpliciter eſt in rerum natura. Præterea probat hoc de leui ſimpliciter hoc modo illud,quod ſupereminet omnibus,& fertur ad extremum,eſt leue ſimpliciter, ignis ſupereminet omnibus, & fertur ad extremum: ergo ignis eſt leue ſimpliciter. ponit maiorem dicēs: » Quemadmodum uidetur ignis etiam in ipſo aëre ſurſum latus,aër autē » quieſcens,& hoc eſt ſignum ipſum ferri ad extremum, & ſi eſt ſimpliciter: leue ergo nullam habet grauitatem,quia ſi haberet non ſupereminere alijs,ſed ſubſtaret. & quia aliquis potuiſſet dicere dari aliquod aliud corpus, quod feratur ad extremum,quod omnibus alijs ſuperfertur:ut uerbi gratia igni etiam: tamen non eſſe ignem reſpondet Ariſtote. non apparere aliquod corpus, quod ſuperferatur igni. Ignis igitur erit illud corpus,quod eſt leue ſimpliciter, & nullam habens grauitatē, idem enim ſunt.tunc ſic,ignis eſt in rerum natura,ignis eſt corpus leue ſimpliciter, ergo corpus leue ſimpliciter eſt in rerum natura: quod eſt id quod probare intendebatur. Quoniam igitur demonſtratio nititur extremo, & medio, & ipſi ſubſtare,& ſupereminere,quæ ſunt contraria: ut inquit Ariſtote. in tex. 34. ad hunc mo- » dum:contrarium enim medium extremo,ſubſtans enim ſupereminenti,& ſurſum » & deorſum,& moueri, & ſubſtare: quæ omnia attinent ad primam philoſophiam (ut ex eis, quæ dicta ſunt in ſuperioribus perſpicuum eſſe arbitramur. ſunt enim affectiones entis, quatenus ens eſt) neceſſitas cogit, ut philoſophus naturalis hac quoq; in parte induat perſonam primi philoſophi,quare nihil impedit tex.citatus, quin ea ueritati conſentiant,quæ à nobis dicta ſunt,pertinere uidelicet ad primum philoſophum eſſe rerum compoſitarum demonſtrare.

Perſpicuum etiam eſt ex hoc Ariſt. illo tex. non probare ignem eſſe in rerum natura.hoc enim perſpicuum eſt, licet nō ſit perſpicuum ipſum eſſe in loco extremo, cognoſcitur tamen ex hoc,quod ſupereminet omnibus, & mouetur ſupra omnia uerſus extremum: ſed notum eſt ipſum probare leue ſimpliciter eſſe in rerum natura ex tex.31.

4.Cœli tex.31. Quoniam autem inquit eſt ſimpliciter leue, & ſimpliciter graue, ex his mani- » feſtum eſt. Quare Auer. nihil uidetur dixiſſe, cùm dixit, & hæc eſt demonſtratio » quia ad probandum aliquam ſpeciem eſſe, & hoc rarò contingere in hac ſcientia, » quia fieri non poteſt:ut ex eis,quæ diximus perſpicuum eſt,aliquam ſpeciem ſubiecti philoſophiæ naturalis probari eſſe ex medio naturali:hoc enim uniuerſam de ente,quatenus ens eſt euertet ſcientiam.argumento ergo nihil concludere mihi uidetur aduerſus ea,quæ diximus,& de intellectu agente,& in Apologia,quod probari aliquid eſſe in rerum natura ad primam ſpectat philoſophiam.

SECTIO OCTAVA.

Cum uerò urgebatur aduerſus unitatem animæ,quod nullam habet ſimilitudinem cum aliqua re: Dico nullam habere ſimilitudinem cum aliqua re,primò,quia eſt res compoſita ex materia & forma,quod non conuenit cū aliqua forma,uel abſtracta,uel immerſa: nihil tamē ex hoc ſequi abſurdum,propterea quòd non opus eſt,ut res habeant omnes ſimilitudines,ſi dari eas oportet.ſatis enim eſt, ſi in generalibus quibuſdam conueniant.neq; mirū eſt,ſi eſt compoſita,quia opus ſuum hoc apertè demonſtrat,neq; aliquid refert,quod alijs formis,neq; abſtractis, neq; immerſis conueniat:quia ipſa eſt media inter utraſq;. Conuenit uerò cū abſtractis in hoc,quod & ipſa eſt abſtracta:differt uerò, quia illæ ſunt ſimplices formæ,ipſa uerò eſt forma cum materia ſpirituali.cum naturalibus uerò non cōuenit,

quia

quia materiales ſunt eductæ ex potentia materiæ, ipſa uerò eſt à materia ſeiuncta. habet deinde alias ſimilitudines, & differentias cum alijs formis: ſed quatenus anima rationalis eſt compoſita, nullam habet ſimilitudinem cum aliqua alia. hac enim re, ut diximus ſeiungitur, & ab abſtractis, & ab immerſis: à lumine uerò maximè ſe iungit, quia lumē educit ex potētia corporis diaphani, alioquin ex nihilo crearet: & extendit ad eius extenſionē etiam, lumen nō eſt ſeparabile ab aqua, uel ab aëre, ſed & corrumpitur in materiam ad corruptionem corporis diaphani, & ab ipſa eſſentia corporis lucidi. non enim habet qualitates conſeruantes ipſum in materia, quod ſi non uideatur corrumpi in uno die: hoc ideo accidit, quia ex quocunque motu corporis lucidi ſtatim, & continuò generetur aliud, & aliud lumen. item lumen eſt accidens, & ipſa eſt ſubſtantia. quare ſiue habeat ſimilitudinem cum alijs, ſiue non habeat, nihil ad rem noſtram: poteſt enim eſſe una numero uia naturali, quę tamen quantum ad hoc attinet falſa eſt.

Quod uerò affertur ex problematum trigeſima ſectione prob. primo, iam ex ſuperioribus ſolutum eſſe arbitror. animæ enim noſtrę immortalitati non uidetur repugnare, quod melancholici ingenio ualeant: quia hoc accidit, quoniam corpora melancholicorum melius ſubminiſtrāt, ut diximus in ſuperioribus, intellectui ſua obiecta, ex quo intellectus perfectiuè operari dicitur: quare magis etiam ingenio ualere dicuntur. hoc tamen non eſt, quia animus oriatur ex mixtione corporis: ſed eſt quia animus in ſuo opere indiget corpore ſibi obiecta adminiſtrante. hoc enim cognoſcitur ex demonſtratione, qua probatum eſt ipſam non eſſe mixtam cum corpore. *Probl. 3. ſec. prob. 1.*

Cùm uerò affertur: Si intellectus poſſibilis eſſet pura potentia, ut tu ex ſententia Ariſt. aſſeruiſti, eſſet ignobilior omnibus formis materialibus. etiā probatur & cōſequentia, quia actus & forma eſt nobilior quacunque potentia & materia. Conſequens ab Ariſt. abhorret: ponit em̄ hunc eſſe diuinum, impaſſibilem, & incorruptibilem. Item æternum eſſet ignobilius non æterno: ergo id ex quo fluxit falſum eſſe neceſſe eſt, cui quæſtioni occurrentes, ſaluo ſemper meliori iudicio dicemus negando conſequentiam.

Ad probationem autem, quum dicis quamcunque formam eſſe nobiliorem quacunque materia: Reſpondeo falſam eſſe hanc propoſitionem: quia propoſitio intelligitur de forma quacunque in comparatione materiæ ſuæ, & de materia prima diuiſibili: illa enim eſt imperfectior omni actu. ſed non eſt uerum de quacunque formā in comparatione cuiuſcunque materiæ, uidelicet de forma materiali in comparatione materiæ indiuiſibilis, & ſpiritualis: quia ipſa materia ſpiritualis omnes formas materiales nobilitate antecedit. quare concedere debemus (ni fallor) aliquam potentiam puram, indiuiſibilem tamē nobilitate anteire aliquem actum, licet ſimpliciter actus ſit nobilior potentia. materia enim prima, quia eſt diuiſibilis, & formas, quę ex ipſa educuntur diuiſibiliter recipit, uidetur imperfectior omnibus actibus, et ſimpliciter et ſecundum quid, licet ſit ęterna. Quare propoſitio illa, æternum eſt nobilius corruptibili, neceſſariò intelligitur de æterno quod eſt actus, uel actu, nō de æterno, quod eſt potentia pura & diuiſibili: plus enim imperfectionis pura potentia diuiſibilis dat ipſi materiæ diuiſibili, quàm æternitas nobilitatis. pura uerò potentia indiuiſibilis, & per conſequens ſpiritualis eſt perfectior omni actu materiali, tum quia æterna, tum maximè quia eſt indiuiſibilis, & ſpiritualis. Quare dicimus falſam eſſe quamcunque formam eſſe nobiliorem quacunque materia: quia formæ diuiſibiles non ſunt nobiliores materia indiuiſibili, & ſpirituali.

Ad Ariſt. autē qui dixit principium eſſe honorabilius materia, & actum potentia, dicimus uerum eſſe formam, & actum eſſe nobiliorē materia, & potentia, quarum materiarū, & potentiarum ſunt formæ, & actus, ut diximus: ſed non ſimpliciter in cōparatione cuiuſcunque materiæ, & hoc modo intelligēdus eſt Ariſt. & hoc ſufficit Ariſto. in eo loco, quippe qui comparauit formam ad illam materiā, cuius erat forma, & actus ad illam potentiam cuius erat actus. & hoc ueritati conſentire oſtendit demonſtratio Ariſt. citata, ad quam ſemper eſt confugiendum illi, qui animi noſtri naturam uult intelligentia conſequi.

Sed diceret aliquis, ſequetur ergo ut intellectus,qui eſt pura potentia, ſit maioris perfectionis,quàm materiæ cœli, quod uidetur abſurdum: Reſpondeo concedendo cõſequentiam,& negando hoc eſſe abſurdum:quia materia corporum cœleſtium eſt quanta,& quatenus ad hoc attinet diuiſibilis,& recipit accidentia, & lumen diuiſibiliter. Intellectus uerò noſter ſuas cognitiones recipit indiuiſibiliter: quia eſt indiuiſibilis,ut ſunt ſubſtãtiæ abſtractæ. propterea eſt perfectior omni alia materia,eſt enim habens aliquo modo formæ rationem,& actus:quia eſt indiuiſibilis,& cognoſcit,& abſtrahit à materia quanta.

Sed adhuc urgeret aliquis dicens, ſequerentur ergo ex tua poſitione duo abſurda:quorũ unum eſt,quod intellectus agens daret eſſe nobiliori materiæ, quàm ſubſtantiæ abſtractæ, quod uidetur abſurdum. Item quod daret eſſe duabus materiebus,quia daret eſſe,ut tu dixiſti,intellectui poſsibili,quæ eſt una materia, & corpori humano,quæ eſt altera materia.

Huic autem quæſtioni dicerem concedendo ipſum dare eſſe nobiliori materiæ, quàm intelligentiæ,tamẽ quia iſta materia eſt ſpiritualis, & ei accidit hoc ob ſui imperfectionem, non refert, præſertim cùm non det ei eſſe exiſtentiæ ſeorſum, ſicut ſubſtantiæ abſtractæ dant eſſe ipſi cœlo.

Ad aliud autem dicimus uel quod intellectus agens non dat eſſe corpori humano ſeorſum: ſed tota anima rationalis eſt illa, quæ det eſſe, uel quia non repugnat quod aliquid det eſſe duabus materiebus genere diuerſis, quarum una ſit diuiſibilis,& alia indiuiſibilis. Has enim reſponſiones dare cogit nos demonſtratio Ariſto. iam toties repetita.

2.Meta. Ad id uerò,quod poſtea affertur ex 2.Meta.quod ſi una eſt forma plurium indiuiduorum ſequi illa indiuidua eſſe unum numero, quia unitas numeralis eſt à forma. Dico ueram eſſe,ſi una eſt forma ſola, quæ ſit plurium indiuiduorum, ſequi illa indiuidua eſſe unum numero, quia unitas numeralis eſt à forma(ut more noſtro loquar)totali,& hoc modo intelligendum eſſe Ariſto.ſed negamus animam rationalem eſſe ſolum formam indiuiduorum plurium: ſed eſt alia forma, quæ eſt alterius generis à forma rationali,qua forma indiuidua hominum ſeiunguntur,& ſegregantur.Quare nihil,quod ſententiam noſtram euertat,ſequi nobis uidetur: & hanc reſponſionem non ſequi aliquod abſurdum in ſuperioribus ſatis ſuperq́ nos oſtendiſſe arbitramur.

Ad id uerò quod addebatur de intellectu agente, abſurdum uidelicet eſſe nos habere ipſum,qui intelligit ſeipſum, & tamen nos hunc non intelligere, & ita habere perfectiſsimas cognitiones:quæ tamen nos lateãt,dicimus nos cognoſcere ipſum, quod eſt ſubſtantia abſtracta, ſeparabilis, & impaſsibilis, & cognoſcimus ipſum ſe cognoſcere eſſe talis naturæ:& hoc nos cognoſcere ex demonſtratione, quam attulimus in ſuperioribus.& ita non latet nos eius natura, & non latet nos perfectiſsima eius cognitio eo modo,quo haberi poteſt.

2.Met. tex.1. Ei uerò quæſtioni,quæ ſumitur ex tex.primo 2.Meta.quod ſicut oculus noctuæ, et cætera,cùm dicis hoc euenire ſolùm:quia anima ſit immerſa ipſi materię,hoc eſt, quod non damus:ſed confitemur hoc euenire, quia anima noſtra indigeat phantaſia,quæ ſibi obiecta ſubminiſtret. quę phantaſia indiget ſenſibus exterioribus:quia eſt motus ab ipſis factus, quorũ ſenſuum beneficio addiſcimus: ſed quia pauca eorum,quæ abſtracta ſunt ſenſui patent,hinc eſt, quod mens animi noſtri ſe habet ad maniſeſtiſsima omnium natura, quemadmodum oculus noctuarum ad lumen ſolis, ut diximus etiam in ſuperioribus,non quia intellectus noſter ſit mixtus cum materia,ſed quia aliquo modo indiget ſenſibus, quibus pauca patent eorum quæ attinent ad abſtracta.Ex quibus omnibus mihi uidetur concludendum eſſe ſine errore animam noſtram rationalem ex ſententia Ariſto. ex fundamẽtis naturæ loquentis eſſe immortalem,& unam,quod eſt unum ex illis, quæ propoſuimus ex Ariſto.ſententia naturaliter loquentis oſtendere.

SECTIO NONA.

SEd ſtatim quæreret aliquis, quare nos & nunc,& in ſuperioribus dixerimus animam noſtram rationalem immortalem eſſe,& unam ex ſententia Ariſtot. naturaliter

raliter loquentis. quæ uerba uidentur ſignificare nos opinari aliud ſenſiſſe Ariſto. de ipſa rationali anima, quàm quod concludit ratio naturalis. etenim ſi arbitraremur ipſum poſuiſſe ſimpliciter animi noſtri immortalitatem, & unitatem, non opus fuiſſet addere illa uerba.

Ad quam quæſtionem reſpondemus nos non ſine grauiſsima cauſa (ut opinamur) addidiſſe illa uerba, quoniam exiſtimamus Ariſtot. & demonſtraſſe & credidiſſe animi noſtri immortalitatem: ſed unitatem ratione naturali demonſtraſſe. credidiſſe autem multiplicationem animorũ: imò putaſſe rationes naturales, quibus uidetur probari unitas animi noſtri, inanes, uanas, atq; etiã falſas eſſe, uoluiſſe. tamen oſtendere, quid poſſet in hac re indicare ratio naturalis: ne uideretur ignoraſſe quidnam eſſet dicendum, ab eo, qui ſolum lumen naturale ſequeretur. In hãc itaq; ſententiam impellunt nos multa: ex quibus unum eſt, quia ipſam unitatem ſequũtur multa abſurda. quæ etſi ex fundamentis naturæ uideantur poſſe aliquo modo ſolui, nihilominus ſi rectè eorum ſolutiones animaduertantur facilè deprehendi poſsint eſſe inanes: quocirca uidetur idem ſenſiſſe Ariſto. de animi noſtri unitate, quod de cognitione Dei, quatenus ad res attinet, quę ſunt extra ipſum. quã cognitionem cùm ex ratione naturali ab eo remouiſſet, tamen uidemus ipſum infinitis in locis hanc illi attribuiſſe: idq; feciſſe, ut indicaret hanc cognitionẽ Dei non rationibus naturalibus demonſtrari, ſed credi: eiusq; notitiam habitam fuiſſe ex reuelatione, non ex fundamentis naturæ. etenim nulla neceſſitate cogebatur tot in locis ponere, atq; aſſerere Deum horum inferiorum curam gerere. quare minimè dubitandum eſt, quin tantus philoſophus crediderit ipſum Deum horum inferiorum cognitionẽ & curam habere, & animorum noſtrorum multiplicationem ueram eſſe. quam planè multiplicationẽ ſimul cum immortalitate luce clarius oſtendiſſe uidetur in 1. Ethi. cap. 15. his uerbis, quæ in ſuperioribus quoq; ob aliam occaſionem citauimus: Poſteriorum autẽ amicorumq; fortunæ, quod nihil ad nos pertineant dicere nimis profectò durum, opinionibusq; contrarium uideretur: deinde paulo pòſt addidit: Sed utrum circa uiuos, ac mortuos iſta cõtingant, id multò magis refert, quàm in tragœdijs ſcelera, ut iam patrata narrant, uel quaſi tũc patrentur, conſiderandum eſt. ergo & iſto modo, & quid interſit, imo fortaſſe quærẽdum utrum hi, qui deceſſerunt boni alicuius, aut mali participes ſunt: uidetur enim etſi quicquam ad illos pertineant ſiue bonum, ſiue contrarium leue quidem, ac contrarium paruũ, uel ſimpliciter ipſis eſſe: deniq; neq; tantum neq; tale, ut beatos efficere, qui non ſunt, aut illis auferre beatitudinem queat. pertinere igitur in aliquo uidentur ad defunctos proſperitates, aduerſitatesq; amicorũ, ſed æternus duntaxat: ut fœlices facere, non fœlices, nec huiuſmodi aliquid poſsint. His inquam uerbis luce clarius oſtendit Ariſto. non ſolùm ſe ſentire animos noſtros eſſe immortales, uerumetiam (quod multo maius eſt) multiplicatos: fruſtrà enim niſi opinaretur immortalitatem eorum, quæſiuiſſet utrum illi, qui mortui ſunt, boni alicuius, an mali participes ſint. etenim hoc non poteſt uenire in dubium, ſi ſtatuatur animorũ mortalitas, eosq; ſimul cum corporibus interire. Item fruſtrà concluſiſſet non pertinere ad defunctos proſperitates, aduerſitatesq; amicorum: ſed eatenus duntaxat, ut nec fœlices facerent non fœlices, uel contra, niſi eſſent multiplicati ſingulorum animi. etenim poſt mortem neq; amicos, neque filios haberemus proprios, ſi ſolum eſſet unus animus omnium, neque proſperitates eorũ, qui amici fuerint, neque uerò ipſorum filiorum aliquid poſſent in eiuſmodi animo, hoc loco quippe qui eſſet communis omnium, & nunq̃ eſſet ſine corpore ſimpliciter. Quare uidetur Ariſt. hæc duo clariſsimè oſtendiſſe, ut diximus: uidelicet animum noſtrum eſſe immortalem, quod ratione naturali probatum fuit, & eundem multiplicatum: quod quidem non ex ratione naturali, ſed ex diuino lumine nos accepiſſe exiſtimandũ eſt.

1. Ethi. cap. 15.

Quare nemo admiratione affici debet, quod nos loquentes de animi unitate addiderimus uerba illa ex Ariſt. ſententia ratione naturali loquentis: quia uerba proximè citata manifeſtiſsimè oſtendunt ipſum credidiſſe contrarium illius, quod ratio naturalis oſtendebat.

Neque illi, qui Chriſti ſeruatoris noſtri dictis fidem adhibuerit, & erit in rebus naturalibus uerſatus, hoc mirũ uidebitur, propterea quòd in ſeipſo experiretur ſe

firmiter ut diximus in ſuperioribus multa credere, quæ rationi, quæ ex fundamentis naturæ oritur, repugnãt, cognoſcet quoq; Deum optimum maximum uoluiſſe in rebus creatis ea ponere ſigna, quibus nos homunculi omnem eius potentiam intelligentia conſequi ualeremus. pares enim illi ferè eſſemus, neq; aliquid ex fidè mereremur, ſi ex ratione naturali omnia haberi poſſent: neq; enim fides eſſet, ut ex eis, quæ dicta ſunt perſpicuũ eſſe poſſet. Neq; obſtat, quod dixerit Ariſt. 3. Ethi. ca. 9. quod mors ſit omnium terribiliſsimum finis: neq; quicquam præterea bonum uel malũ mortalibus uidetur eſſe. quibus uerbis apertè indicare apparet animi noſtri mortalitatẽ, quod repugnat eis quę dixit Ariſt. & quibus nos etiam ſequentes Ariſt. aſſeruimus. etẽ ſi ipſa eſt finis uitæ noſtræ, & poſt hũc finẽ ipſi mortuo non ſit, neq; bonũ neq; malum, neceſsitas cogit, ut animus noſter defecerit: quia ſi non interijſſet à ratione abhorreret, ut & ipſi non ineſſet aliquod bonum, uel malum: nihil enim faceret, ocioſus enim eſſet. quod quidem eſt ita abſurdum, quàm quod abſurdiſsimum.

3. Ethic. cap. 9.

Dico hæc non obſtare propterea quòd Ariſt. locutus eſt ex eis, quæ apparẽt. etenim nobis nõ apparet mortuis ineſſe aliquid boni, uel mali: propterea dixit Ariſt. non quod re uera ita opinatus ſit: ſed eo in loco ſatis erat, ſi loqueretur ex eis, quæ apparẽt. hoc autẽ uidetur innuiſſe, cùm uſus ſit hoc uerbo, uidetur: cui quidem uerbo, cùm repugnat aliquod dictũ Ariſt. apertum neceſſe eſt, ut accipiatur cum dubitatione, & cum apparentia, & non cum certitudine: ut accidit hoc in loco. etenim huic apertiſsimè repugnat ille textus quẽ citauimus ex 1. Ethic. Nam ſi eſſet uerũ, quod mortuo reuera non inſit aliquod bonum, uel malũ, neceſsitas cogit, ut à ueritate alienũ ſit pertinere aliquo modo ad defunctos proſperitates, aduerſitatesq; amicorum: ſed eatenus duntaxat, ut nec fœlices facere non fœlices, nec huiuſmodi aliquid poſſint. quia ſi pertinet hoc modo, ꝑtinebit aliquid boni, uel mali. Quare hoc in loco uidetur acceptum eſſe, ex eo quod ſenſui apparet: ſed nos etiã aliam explicationem huic tex. in ſequentibus trademus.

SECTIO DECIMA.

SEd diceret aliquis Symonem Portium illum textum in cap. 22. ſui libri interpretari eo modo: qui ſi uerſus eſſet, nihil ex illo tex. quod noſtrã ſententiam cõfir-
» maret accipere poſſemus. ipſe enim inquit ad hunc modũ: Sed qui ſuperiora uer-
» ba philoſophi perpendet, in dubiũ non reuocabit. Nam quia ſuprà poſt obitũ tam
» fœlicis, q̃ infœlicis nihil relinqui, niſi hominũ opinionem, atq; memoriam, in qui-
» bus reſtat fœlicitas, uel infœlicitas iam defuncti ob id nunc quærit, an huic opinio
» ni hominũ, in qua uiget fœlicitas defuncti, nepotum, uel filiorũ ſuperſtitum fœlici
» tates, infœlicitates demant aliquid uel addãt: reſpõdeat aũt, quod nihil, neq; detra
» hitur, nec opinioni de ſua fœlicitate accedit. quare totũ ad opinionem referẽdum
» eſt, non aũt ad aliquod, quod poſt obitũ remanſerit, cùm nihil præter intellectũ a-
» gentẽ ſupereſſet. Quæ planè interpretatio textũ non ſolum labefactare, uerum etiam penitus conuellere apertè uidetur. primò eñ à ueritate abhorret, quod Ariſt. prius dixerit ſuprà poſt obitũ tam fœlicis, quàm infœlicis nihil relinqui, niſi hominũ opinionem, atq; memoriam, in quibus reſtat fœlicitas uel infœlicitas. fuiſſent eñ citanda uerba Ariſt. quod nõ fecit, quia ſomnians illa, quæ dicit ſuum protulit. etenim nullibi in ſuperioribus ad locum citatum reperitur hoc dictum Ariſt. neq; aliquod uerbum, hoc ſignificans, neq; in rem de qua agebat, uerba cõueniſſent. alienum etiam fuiſſet quærere, an fœlicitates nepotum, & filiorum ſuperſtitum aliquid addant opinioni hominum, neq; aliquod uerbum huius rei eſt in textu. Maxima igitur admiratione affectus ſum quomodo fieri potuerit: ut iſte homo non uiderit in quos errores incideret interpretando uerba Ariſt. citata eo modo, quo interpretatus eſt.

1. Ethi. cap. 14.

Item apertiſsimè repugnat cap. 14. in quo hanc propoſuit quæſtionẽ: Habet id etiam dubitationem quandam cùm uideatur mortuo quoq; homini malum quoddam eſſe & bonũ, quemadmodũ uiuenti, nec ſentienti, & honores, & infamiæ, filiorũq;, & poſterorũ proſperitates, aduerſitateſq;. Deinde paulo pòſt. Patet igitur, quod ſi tranſeãt hæc ad parẽtes uariè ſeſe habere, ad illos contingere poteſt, eſſet quoq; abſurdum, ſi defunctus quoque mutaretur modò fœlix, modò miſer eſſet.

Abſur-

Abſurdum etiam ſi res poſterorum, nihil penitus ad parentes, nec ad aliquod tempus quidem pertinerent.

Ex quibus quidem uerbis luce clarius apparet quæſtionẽ illam attinere ad mortuos, quos ponit remanere poſt obitum, non ad opinionem hominum. Quare illa eius expoſitio omnino aliena eſt à tex. etenim nihil magis abeſſe poteſt ab illo tex. quàm ſententia illa.

Solutio etiam quæſtionis ita apertè oſtendit Ariſt. loquutum eſſe de eis, quæ accidunt mortuis, ut turpe eſſe exiſtimẽ in hac re diutius morari. etenim inquit: Pertinere igitur aliquo modo ad defunctos proſperitates, aduerſitatesq; amicorum: id ſed eatenus duntaxat, ut nec fœlices facere nõ fœlices, nec huiuſmodi aliquid poſſunt. Cùm igitur quæſtio ſit de defunctis, quid ipſis accidat apertè, & ſolutio ſit apertiſsimè de defunctis: quomodo fieri potuit, ut iſte homo protulerit iſta omnia eſſe referenda ad opinionem hominum, in quibus reſtat fœlicitas. non autẽ ad aliquid, quod poſt obitum remanſerit ignoro, & ſi ipſe uſus eſt ijs uocabulis, cùm uidelicet mortuo quoq; homini malum quoddam eſſe, & bonum quemadmodũ uiuenti, & dixerit pertinere ad mortuos & cætera. Qui enim interpretatur hos tex. non conuenire mortuis, quin idem poſsit interpretari cœlum, id eſt terram in dubium uenire non poteſt: non enim minus diſtat illa interpretatio ab illo textu, quàm terra à cœlo: quare interpretatio illa omnino reſpuenda, atq; repudianda uidetur.

Aliqui uerò dicunt Ariſt. quæſtionem hanc, an ad mortuos attineant proſperitates, & aduerſitates amicorum, propoſuiſſe non ex animi ſui ſententia, ſed ex opinione hominum in iſtis libris, in quibus de moribus loquitur. non enim fas erat aliter loqui. quæ reſponſio non uidetur conuenire uerbis Ariſt. propterea quòd nulla neceſsitate cogebatur ſi ipſe animi noſtri unitatem credidiſſet, quæſtionẽ illam proponere, poſtquam declarauerat fieri poſſe, ut homines dicerẽtur fœlices, dum uiuerent, & quod non erat expectãdus finis, ſicut opinabatur SOLON, certè nulla erat neceſsitas, niſi credidiſſet ita eſſe.

Præterea interpretari Ariſt. hoc modo eſt uaticinari: Cur enim fieri non potuit, ut Ariſt. id crederet, quod maior pars hominũ credebat, uidelicet animi noſtri multiplicationẽ, ſicut nos, qui Chriſti ſeruatoris noſtri religionẽ piè profitemur credimus, & ſi ratio naturalis, non ita perſuadeat. concedo enim animorũ noſtrorũ multiplicationem eſſe ex reuelatione, non ex ratione naturali, non uideo tamen, quid repugnet, quin Ariſt. uir ſummo ingenio, & ſumma doctrina præditus, non potuerit eandem credere, licet aliter ratio naturalis perſuaderet. non intelligo ſanè quid obſtet, præſertim quum in nobis ipſis hoc experiamur. Impium uerò eſt nolle tantum philoſophũ ea credere potuiſſe, quæ à Deo optimo maximo à principio mundi uſq; ad hoc tempus infinitis ſignis nobis indicauit. præterea ſi Ariſt. quæſtionẽ illam poſuit in 14. & 15. cap. primi Ethic. libri, quia loquebatur de moribus. Quare in 9. cap. 3. libri dixit, nihil præterea mortuo uidetur neq; bonum, neq; malum eſſe. Hoc enim maximè facit contra mores. quia ſi homines opinarentur nihil ſe poſt mortem uel boni eſſe cõſequuturos, uel mali perpeſſuros à multis bonis operibus abſtinerẽt, & multa mala perpetrarent. Quare non uidetur ueritati conſentire Ariſt. in 1. Ethic. libro, dum illam quæſtionem proponeret rationem morum habuiſſe, in 3. uerò nullam eorum curam præ ſe tuliſſe. habenda enim fuit ratio ipſorum in omnibus illius philoſophiæ libris: alioquin eadem & cõſtituiſſet in eadem doctrina, & euertiſſet, quod de tanto philoſopho aſſerere eſt (mea quidem ſententia) ex omnibus abſurdiſſimum. *1. Ethic. & 3.*

SECTIO VNDECIMA.

Sed ſtatim diceret aliquis: Hoc etiam euertere noſtram ſententiam, quia ſi Ariſtoteles credidit animorum multiplicationem, & tenuit ex ratione naturali immortalitatem, quare dixit in tertio Ethi. libro, mortuis non ineſſe neq; bonum, neq; malum. ex quo planè efficitur nihil ad ipſos mortuos pertinere, neq; res proſperas propinquorum, & amicorum, neque aduerſas. Dico hoc non euertere ſententiam noſtrã, propterea quòd nos non aſſeruimus Ariſt. in 14. & 15. ca. 1. Ethi. libri *3. Ethic.*

ſtatuiſſe animorum noſtrorum immortalitatem, & multiplicationem: propterea
quòd haberet rationem morum. ſed quia ita credebat ipſi ueritati conſentire, cui
rei non repugnat, quòd alicubi dixerit aliquid falſum ex ijs, quæ ſenſui apparent:
hoc enim non uidet abſurdum. ſed ſi quęſtionẽ illam propoſuiſſet propter mores,
& non ꝓpter ueritatẽ ipſam, & poſtea addidiſſet uerba illa, quæ aduerſari ipſis mo
ribus uidẽtur, hoc eſſet profectò abſurdiſſimũ. Miſſum etiã facio uerba illa 3. Ethic.
» ſic explanari poſſe, ut conſentiant uerbis 1. libri. nam cùm in primo lib. dixerit, per-
» tinere in aliquo uidetur ad defunctos proſperitates, aduerſitatesq́ amicorum, ſed
» eatenus duntaxat, ut nec fœlices facere nõ fœlices, nec huiuſmodi aliquid poſſint.
In tertio autem dicat mortuis nihil boni uel mali ineſſe, addendum eſt quod faciat
eos uel fœlices, ſi non ſunt, uel non fœlices, ſi ſunt, quia uidelicet illud, quod perti-
net ad ipſos eſt exiguum, & ideo neq; bonũ dicitur, neq; malum. & hoc eſt, quod
aſſeruimus in ſuperioribns etiam, ad quem locũ me reijcio. ſi igitur interpretamur
ad hunc modum omnia inter ſe conſentiẽt, neq; erit alienum hoc à conſuetudine
Ariſt. & ita nihil ex illo loeo poterit colligi, quod ſentẽriam noſtram infirmet, atq;
labefactet. Iam beneficio Dei optimi maximi, eiusq́; unigeniti filij Chriſti ſeruato
ris noſtri, & ſpiritus ſancti, ac beatæ Mariæ uirginis quæſtioni de animorum no-
ſtrorum immortalitate, & de multiplicatione finem impoſuimus. qua in diſputati
one, ſi quẽadmodũ in animo habuimus, ea dixerimus, quæ fidei noſtræ conſentiãt
(id eſt ueritati) quæ falli non poteſt, neq; fallere, gratias agimus ipſi Deo optimo
maximo, eiusq́; filio, & ſpiritui ſancto, atq; beatæ uirgini Mariæ. ſin uerò aliquid
dixerimus, quod ſanctæ religioni noſtræ uideatur repugnare, rogamus, quicunq;
hos libros legerint, ut putent nos illa non dixiſſe ex animi noſtri ſententia, ſed uel
ex aliorum opinione, uel propter ignorationem. Quare nobis ignoſcendum
eſt. etenim oblata nobis occaſione Singularis certaminis euertendi operam ſtu-
dioſè dedimus: ut & mentem Ariſtotelis naturaliter loquentis explicaremus,
& quid eum putarem præter rationem naturalem credidiſſe de animorum no-
ſtrorum multiplicatione, indicaremus: exiſtimantes, nos non paruam utilita-
tem hominibus, qui Chriſti ſeruatoris noſtri ueram religionem profitentur, alla-
turos eſſe: ſi oſtenderemus rationem naturalem probare animorum noſtrorum im
mortalitatem, eorundemq́; multiplicationem Ariſt. etiã teſtimonio, qui apud om-
nes ſanos homines in tanto honore ubiq; eſt, ſemperq́; fuit, ut in maiori nemo un-
quam fuerit, conſtitueremus. hoc ſanè propoſitum nobis fuit in uniuerſa hac di-
ſputatione: quod, ſi ut uoluimus aſſequuti ſumus, Deo optimo maximo
iterum, ac ſemper gratias agimus, quantas poſſumus ma
ximas: ſin minus, in magnis quidem uo-
luiſſe ſatis erit.

FINIS LIBRI TRIGESIMINONI
Euerſionis Singularis certaminis.

LIBER

LIBER QVADRAGESIMVS.

SECTIO PRIMA.

HIS explicatis,tempus eſt,ut redeamus,unde ob eas,quas diximus cauſas egreſſi ſumus,& dicamus perſpicuè patère omnem noſtram cognitionem,quam naturaliter habemus ex Ariſto.ſententia, ex ipſis ſenſibus, & ſenſibilibus proficiſci,neq; fieri poſſe,ut detur reminiſcẽtia illa,quam Plato poſuit,neq; Ariſto.ei aliqua ex parte conſentire: ſed ipſam putaſſe ſomnium eorum hominum,qui ſibi quiduis cogitatione fingunt.Patère item liquidè arbitramur Ariſto.omnem,quam tradidit doctrinam, ſiue ſpeculatiuam, ſiue practicam ex ipſis ſenſibus, & ſenſibilibus docuiſſe: quandoquidem uoluerit omnia ſua cognoſcendi principia ex ipſis ſenſibus, & ſenſibilibus proficiſci, neq; aliquam concluſionem admiſiſſe, quæ ijs principijs repugnet, licet aliquando aſſumpſerit non nulla in doctrina ſua quæ ex creditis accepta erant,ut nobis innueret, ipſum credere aliqua,quæ non oriebantur ex principijs propoſitis:non tamẽ ea poſuit ut concluſa ex illis principijs, neq; ut ex ipſis aliquid concluderetur, quod exiſtimaretur deduci ex ipſis,tanq; ex eis,quæ ex ſenſu oriuntur. Quare quum omnis doctrina ab ipſo nobis tradita,opportunitate ipſorum ſenſuum fuerit tradita,neceſſitas cogit, ut putemus etiam philoſophiam humanam ab ipſo ex ipſis ſenſibilibus traditam fuiſſe. Cuius philoſophiæ humanæ,quum finis(ut in libro de Honore declarauimus)eſſet reddere ciuitates fœlices,neceſſe fuit,ut declararet,quid eſſet ipſa fœlicitas:aliter enim fieri non potuiſſet, ut hoc præſtaret. quare opus fuit,ut ipſam ex ipſis ſenſibus & ſenſibilibus inueſtigaret:nõ enim aliam fœlicitatẽ potuit ponere. Quod quidẽ(ut perſpicuum ſit)non dubitabimus capitulum 9.primi Ethi. in quo 1. Ethic. cap. 9. definitionem ipſius fœlicitatis collegit, quantum quidem opera noſtra fieri poterit explicare.Eſt enim ſatis obſcurum,preſertim quum nobis propoſitum ſit uerba Ariſt. quæcunque occurrunt explicare,& ea maximè, quæ uario modo ab alijs & perperam explicari iudicauimus.Incipit ergo ſic:

Sed fortaſſe dicere fœlicitatem optimum eſſe confeſſum quoddam apparet,ſed "
deſideratur, ut euidentius,quid ipſa ſit adhuc dicatur. "

Quum oſtẽdiſſet Ariſtoteles in ſuperioribus uerbis fœlicitatem eſſe quoddam 1. Ethic. perfectum, & per ſe ſufficiens,quod quidem eſt dicere, ipſam eſſe optimum, ali- cap. 8. quis potuiſſet uenire in eam opinionem, ut exiſtimaret ex his declaratũ eſſe quidnam eſſet ipſa fœlicitas.

Quare hanc falſam opinionem uellens remouere Ariſtot.inquit: Fortaſſe dicere fœlicitatem eſſe optimum(quod idem eſt,quod perfectum, & per ſe ſufficiens) etenim,quod non eſt perfectum, neq; per ſe ſufficiens, non eſt optimum.& è contrario fortaſſe inquam dicere fœlicitatem eſſe optimum confeſſum quoddam apparet, id eſt dicere fœlicitatem eſſe optimum, eſt id quod confitentur apertè omnes, ut ipſe confirmat.non tamen ex hoc ſupple ſcimus,quid ipſa fœlicitas euidenter ſit, ſicut in principio propoſuimus nos uelle ſcire: ſed deſideratur, ut adhuc dicatur efficacius, & euidentius, quid ipſa ſit. Quibus uerbis reiecit tacitam hominum cognitionem,& indicauit cauſam quare uelit adhuc quidnam ipſa ſit explicare: quia quod dictum erat ipſam eſſe optimum non uerè, & euidenter explicabat quidnam eſſet ipſa fœlicitas,ut fortaſſe nonnulli arbitrabant̃.& quia etiam aliquis potuiſſet quærere quomodo fieri poſſet,ut planius,& perfectius dicat̃,quid ſit ipſa fœlicitas: reſpondere uidetur hoc fieri tum demũ poſſe,ſi opus hominis ſumeretur,id eſt ſtatim fiet euidẽtius, quid ipſa ſit ſi ſumatur opus ipſius hominis,quoniã ex opere ipſius hominis cognoſcetur,quid ipſa ſit. quod quidẽ opus eſt ſenſibile. (quemadmodũ cm̃ tibicini,& ſtatuario)in hac parte incipit argumẽtari,et oſtẽdit, quod ſummũ bonũ hominis eſt in opere ipſius:et arguit ad hũc modum:Quemadmodũ tibicini,& ſtatuario,& omni artifici,& uniuerſaliter omnibus illis,quorũ eſt opus aliq̃d,& actio in ope uidet̃ eſſe bonũ, & q̃d bene ſe habeat, ſic & ipſi homini bonum,

bonum, & quod benè ſe habeat, uidetur eſſe in opere ipſius, ſiquidem ipſius homi
nis eſt aliquod opus (cùm igitur fabri, quidem & ſutoris) quia dixerat eſſe aliquod
opus ipſius hominis, quatenus homo, & aliquis potuiſſet hoc negare, in hac parte
» intendit hoc declarare, & inquit, quaſi indignabundus interrogando, (Vtrum igi
» tur ipſius fabri, & ſutoris eſt aliquod opus, & actio, hominis aũt nullũ erit: ſed erit
» natus natura ocioſus) quaſi dicat artificum, de quibus minus uidetur, ſunt opera:
hominis uerò qui eſt tantæ perfectionis nullum erit opus? hoc enim à ratione ab-
horret. ſed quia iſta erant abſurda manifeſta, omiſit. ea ſubſequutus eſt deinde, an
» quemadmodum oculi, & manus, & pedis, & omnino uniuſcuiuſq; membro appa
» ret aliquod opus, ſic & ipſius hominis, præter omnia hæc quæ dicta ſunt eſſe ope-
» ra ſingulorum membrorum poneret aliquis aliquod opus.

Quibus uerbis apertè oſtendit dari aliquod opus hominis, quatenus homo ex comparatione partium, quarum eſt aliquod opus proprium: licet, uiſus ſit dubitatiue loqui, intelligitur tamen probatum eſſe dari aliquod opus hominis quatenus homo: & illo modo loquutus, & quaſi cum indignatione, quia perſpicuum erat concluſionem illam ſequi ex illo antecedente, quare ſubſequutus eſt.

» Quid igitur hoc erit tandem?)

Quum declaraſſet dari aliquod opus ipſius hominis, in quo continetur ſummum bonum, ſed ignorabatur quidnam iſtud eſſet, incipit quærere quidnam ſit iſtud opus hominis: non enim hoc perſpicuum eſt. unde inquit:

» Quid igitur tandem erit hoc?

Deinde incipit numerare illa opera, quę poſſunt exiſtimari eſſe hominis opera, & ideo inquit:

Non enim uidetur fieri poſſe, ut ſit uiuere, quia uiuere appatet commune cum ipſis plantis: ergo non poteſt eſſe opus hominis, quod quærimus. & probatur conſequentia, nam quærimus opus, quod eſt proprium opus ipſius hominis, uiuere non eſt proprium opus hominis, ergo uiuere non eſt proprium opus, quòd quærimus: reijcienda ergo eſt nutritiua, & augmentatiua uita, inquit Ariſtot. ſed probat minorē. Quod conuenit alijs ab homine, non eſt propriũ hominis: uiuere conuenit alijs ab homine: hãc ponit in tex. quia cõuenit plantis: ergo uiuere nõ eſt proprium hominis, ergo ab opere hominis ſegreganda nutriẽdi & augendi uita, quæ nihil aliud eſt quàm uiuere. neceſſitas enim cogit, ut uerba Ariſtotelis ſi rectè erũt conſiderata redigantur ad formam ſyllogiſticam eo modo, quo diximus, ſequitur.

» Sentiendi uita.)

Cùm poſuiſſet nutriẽdi uitã, & augendi non eſſe propriũ hominis opus, hac in parte intendit etiã ab opere hominis ſegregari ſentiendi uitam. & hoc quia aliquis potuiſſet opinari, eam eſſe propriũ hominis opus, & inquit: ſequitur ſentiendi uitam ſupple, ad hanc, quæ uidetur eſſe opus hominis. ſed reijcit ipſam ea ratione, qua & nutriẽdi, & augendi uitã, quia non eſt propria ipſi homini, propterea quòd & ipſa uidetur communis, & equo, & boui, & omni animali.

» Relinquitur ergo quædam actiua ſupple uita habentis rationem.)

Hac in parte uidetur concludere, in quo opere ſit opus proprium hominis, ſed uidetur argumentari ſic à ſufficienti partium enumeratione.

Si aliquod debet eſſe opus hominis, neceſſe eſt, ut ſit aut uita nutriendi, aut ſentiendi, aut quædam uita actiua habentis rationem: ſed non eſt uita nutriendi, neq; ſentiendi, ut probatum eſt: ergo relinquitur, quod ſit uita quædam actiua haben-
» tis rationem. & ipſe quum uſus ſit hoc uerbo (relinquitur) innuit diuiſionem factam.

» Huius autem aliud quidem, ut obediens rationi, aliud autem, ut eam habens, at-
» que intelligens.) Quia dixerat relinqui quædam uita actiua rationem habentis, quod erat opus hominis: & quia iſta erat bifariam, addidit huius declarationem, dicens:

» Huius autem habentis rationem, alia quidem pars eſt, ut obediens rationi: alia
» autem habens rationem & intelligens) & quum hoc protuliſſet, ſubſequutus eſt hæc uerba:

Quum

Quum autem hæc dupliciter dicatur.) Quibus uerbis propoſitum eſt ei oſtendere utrius harum duarum partium principaliter ponendum ſit opus hominis, & inquit: «

Si ergo, ut apparet iſta uita æſtiua rationem habentis bifariam dicatur, ea uita, quæ eſt rationem habentis, ponenda eſt pro opere hominis, quę quidem eſt illius, quod habet rationem actu, & in ſeipſo, non in alio: & reddit rationem. Nam iſta ipſa uita, quæ actu habet rationem, dicitur eſſe magis propria ipſi homini, ergo eſt magis ponenda in opere proprio ipſius hominis. etenim illud, quod eſt magis proprium hominis, magis eſt ponendum pro opere proprio ipſius: uita, quæ actu habet rationem eſt huiuſmodi, & hanc ponit, & non probat, quia perſpicua eſt: ergo eſt magis ponenda pro opere ipſius hominis, & iſta concluſio ponitur in textu.

Si autem eſt opus ipſius hominis animi operatio ſecundum rationem, uel non ſine ratione.) In hac parte intendit concludere quod opus humanum, quod idem eſt, quod bonum humanū eſt operatio animi non omnis, ſed ea, quæ eſt ſecundum uirtutem, & mea ſententia uerba ſunt ſatis inuoluta, & ſuſpenſiua. Quamobrem uidetur neceſſarium, ſi ea uolumus explicare, in primis redigere rationes ad formam ſyllogiſticam: deinde accommodabimus ipſis uerbis.

Videtur ergo dicendum ſic: Vnumquodq; benè perficitur, quando ſecundum propriam uirtutem perficitur, hæc enim clara eſt. etenim per ſe perſpicuum eſt uirtutem perficere habentem, & Ariſt. inquit:

Virtus enim perfectio quædā eſt, unumquodq; enim tum maximè perfectum eſt, cùm attingat propriam uirtutem, et in eandem ſententiam ſcripſit. 5. Meta. & in 2. Ethic. inquit: *7. Ethic. 5. Meta. & 2. Phyſic. cap. 5.*

Dicendū igitur, quod omnis uirtus, cuius erit uirtus ipſum bene ſe habens perficit, & opus ipſius bene reddit, et uirtus oculi ipſum oculū ſtudioſum facit, & opus ipſius. uirtute enim oculi benè uidemus, propoſitio igitur prima per ſe perſpicua eſt, & eſt in tex. Vnumquodq; enim inquit benè ſecundum propriam uirtutē perficitur. ſed addamus minorem, opus ſtudioſi hominis, eſt id, quod benè perficitur, ergo opus ſtudioſi hominis perficitur ſecundum propriam uirtutē: minorem item ponit in tex. ipſamq; declarat, & incipit ibi declarare. Dicimus autem opus huius, & huius ſtudioſi eſſe idem genere, ut citharedi, & ſtudioſi citharedi, & ſimpliciter hoc in omnibus addito exceſſu, qui eſt ex uirtute ad ipſum opus. « « «

Hoc declarat Ariſto. exemplo, cùm ſubdit:

Etenim citharedi opus eſt, citharam pulſare: ſtudioſi uerò benè pulſare.) Opus ergo ſtudioſi hominis, eſt id, quod benè perficitur: benè enim pulſat. & ſic minor clara eſt: opus ergo ſtudioſi hominis perficitur, ſecundum propriam uirtutem. tacet iſtam concluſionem: ſed apertè ſequitur ex præcedentibus. ſed bonum humanum eſt opus ſtudioſi hominis, igitur bonum humanum perficitur ſecundum propriam uirtutem: minor tacetur, propterea quod per ſe perſpicua eſt: quia bonum humanum debet eſſe opus eius, qui eſt diſpoſitus ſecundum naturam: ut ſunt ſtudioſi homines, & non præter naturā: maior erat concluſio præcedentis ſyllogiſmi. & cōcluſio etiā tacetur: quia ſequitur ex dicto ſyllogiſmo. ex cōcluſione uerò, quā intendit principaliter concludere, hoc cognoſcitur, quæ quidem non poteſt ſequi ex primo ſyllogiſmo: non conuenit enim in ſubiecto, uel in prædicato, unde opus eſt progredi ulterius ad hunc modum.

Quod perficitur ſecundum propriam uirtutem, neceſſariò fit ſecundum propriam uirtutem, aliter enim non perficeretur, niſi faceret ſecundum uirtutem: ſed bonum humanum perficitur ſecundum propriam uirtutem: ergo bonum humanum fit ſecundum propriam uirtutem. & quum ſit etiam operatio animi habentis rationem, uel non ſine ratione, ut probatum eſt, ergo bonum humanum erit operatio animi ſecundum uirtutem. quod eſt illud, quod uolebamus probare: neceſſe enim eſt, ſi benè conſideretur concluſio principalis, & uerba Ariſt. ordinare rationes eo, quo diximus modo. Ariſt. tamē arguit ſatis implicatè meo iudicio ſuſpenſiuè hoc modo innuens: tamē quod diximus hoc modo, quod diximus, et ſuſpēſiuè. ſi opus ipſius hominis eſt operatio animi habentis rationem, uel non ſine ratione,

ſi inquam

ſi inquam ita eſt (ut probatum eſt) & quod dicimus huius opus, & ſtudioſi huius eſſe idem genere, ut citharedi & ſtudioſi citharedi: & hoc ſit uniuerſaliter in omnibus addito exceſſu ſecundum uirtutem ad opus, quia citharedi eſt citharam pulſare, & ſtudioſi citharedi benè pulſare.

Et quia ſuſpenſio nimium à principali concluſione aberat, uidebatur facere ob hoc difficultatem, ſubdit reſumendo, quæ dicta erant.

Si autẽ ſic ſupple ſe habet, quod ponimus opus hominis uitam quãdam, & hãc operationem animi, & actionem eam ratione, & hoc eſt, quod dixit.

» Si autem eſt opus hominis operatio animi ſecundum rationem, uel non ſine ra-
» tione, & hoc iam concluſum erat ex ſuperioribus, & ſtudioſi hominis benè, & pul-
» chrè. & iſta ſunt declarata per illa uerba: Dicimus autem idem eſſe genere opus huius, & ſtudioſi huius & cætera, quæ diximus. ſubiunxit autem, Et unũquodq; perficitur ſecundum propriam uirtutem quæ erat maior præpoſitio: ſi ergo ita eſt, ut diximus, ut bonum humanum fiat operatio animi ſecundum uirturem neceſſe eſt, ſed cum ita ſit, ergo aſſerendum ita eſſe, ſicut diximus. Quare neceſſarium eſſe uidetur, ut uerba dicta ordinentur eo, quo dictũ eſt modo, ſi benè, & rectè perpendantur. concluſit enim, quod bonum humanum erat operatio animi ex eis, quæ dicta ſunt ſupra: deinde, quod eſſer ſecundum uirtutem intulit ex eis, quas ordinauimus rationibus.

Si autem plures ſunt uirtutes ſecundum optimam, & perfectiſsimam, & quia dixerat bonum humanam eſſe operationem animi ſecundum uirtutem: & quia uirtutum, aliæ erant bonæ, ſed imperfectè, & aliæ erant optimæ & perfectiſsimæ, ne aliquis errore caperetur, putans eodem modo in utriſq; uirtutibus reperiri bonũ humanũ, addidit remouẽs hunc errorẽ bonum humanũ debere eſſe ſecundũ optimam, & perfectiſsimam uirtutem principaliter ſupple. loquutus tamen eſt conditionaliter, quia hoc in loco nondum declarauerat, an darentur plures uirtutes, neque declarauit, quomodo hoc ſequeretur, ſi darentur plures uirtutes, tamen. 10. E-
10. Ethic. thic. cap. 8. hæc protulit uerba:
cap. 8 Si eſt fœlicitas ſecundum uirtutem operatio rationabile eſt, ut ſit ſecundum optimam.

SECTIO SECVNDA.

AMplius autem in uita perfecta.) Cùm intuliſſet bonum humanum fieri operationem animi ſecundum uirtutem optimam, ſubiunxit aliam particulam, quæ perficit ipſius facultatis definitionem, & hoc quia aliquis potuiſſet uenire in eam opinionẽ, ut exiſtimarer illam eſſe perfectam ipſius fœlicitatis definitionem, & nihil deeſſe. unde inquit: Quod præter ea, quæ dicta ſunt oportet adhuc addere, & in uita perfecta: ſed quid nam intelligat per uitam perfectam, interpretes in uarias uenerunt ſententias: dicunt enim aliqui in uita perfecta, id eſt quia oportet fœlicem eſſe per totã uitam, quam expoſitionem refellunt ipſi, at illa quæ fieri non poſſunt, ſunt reijcienda. & poſt modum perſpicuum eſt, hanc expoſitionẽ uerba Ariſt. euertere: quæ dicunt ipſam durare paruo tempore. etenim apertè inquit, ipſam durare per totum tempus uitæ: quamobrem coguntur dare aliam expoſitionem, quæ quidem eſt, quod per uitam perfectam intelligat aliquod longum tempus, in quo eluceat fœlicitas, & operationes fœlicis: quam expoſitionem dicunt accommodari uerbis philoſophi de uere, & hirundine. Sed hæc etiam expoſitio non uidetur ferenda, propterea quòd non explicat, quare ipſum longum tempus dicatur perfectum.

Præterea Ariſt. non inquit, quod requiratur ipſum tempus, ut luceat fœlicitas, & operationes fœlicis: ſed inquit, quod requiritur ipſum tempus, ut ſit cõpos magnarum, & honeſtarum actionum: quas quidem non poteſt cõſequi in paruo tempore reijcienda igitur uidetur hoc expoſitio. pręterea quod exemplum item de hirundine, & ueris non conuenit illi uitæ perfectæ: propterea dant aliam expoſitionem, quæ quidem eſt quod per uitam perfectam intelligit reliquum tempus uitæ poſteaquam aliquis adeptus eſt fœlicitatem. quæ expoſitio (meo iudicio) nõ conuenit omnino definitioni fœlicitatis: ſecundum enim hanc expoſitionem ſenſus uidetur eſſe, quod fœlicitas eſt operatio, & cætera, in uita, id eſt in reliquo tempo-

re

re uitæ, poſteaquam aliquis eſt adeptus fœlicitatem. ſenſus igitur eſſet, quod fœlicitas eſſet operatio animi ſecūdum uirtutem, in eo tempore, in quo fœlicitas eſt adepta, non enim eſt fœlicitas, niſi ſit adepta.

Item euertit ſententiam Ariſtot. hæc expoſitio, propterea quòd ipſam uidetur ſequi, quod cùm aliquis adeptus ſit fœlicitatē non poſsit ipſam amittere: quia uult fœlicitatem eſſe in reliquo tempore uitæ, poſteaquam aliquis adeptus eſt ipſam fœlicitatem. ergo cùm quis conſequutus erit fœlicitatem, non poterit ipſam amittere. etenim ſi amitteret ipſam, falſum eſſet, quod in reliquo tempore uitæ eſſet fœlicitas. ſed hoc euertit ſententiam Ariſtot. quippe qui dixit: Quod ſi fœlix caderet in Priami calamitates non amplius eſſet fœlix.

Item exemplum ueris, & hirundinis, nō uidetur poſſe accommodari, propterea quòd loquuntur de tempore quo fit fœlicitas, nō de tempore, poſtquam eſt facta: unde mihi uidetur reſpuenda, ac repudianda hæc ſentētia. Alij uerò, & illi quidem non negligendi philoſophi uoluere Ariſtot. cùm addidit & etiam in uita perfecta, intelligere, quod uſq; ad finem præſentis uitæ hominis, huiuſmodi operatio ſine ulla intermiſsione perduret, quo uerè ei, qui ita uixerit, aſcribi beatitudo poſsit. quæ quidem explicatio omnino Ariſtot. ſententiam labefactat, qui apertè aduerſus Solonem argumentatus eſt dicens: Non oportet fœlicem expectare finem uitæ, & quod in definitione fœlicitatis, non eſt addendum ita uicturus, moriturusq; ſecundum rationem. quoniam futurum nobis incertum eſt, fœlicitatem uerò finem, & perfectum omnino poſuerimus, ſubdit: Si autem ſic beatos dicemus ex uiuentibus eos, quibus exiſtant, exiſtentq; prædicta bona, beatos autem homines, &c.

Non ergo uult intelligere in uita perfecta, id eſt uſq; ad finem uitæ habere illam fœlicitatem: ſed uult, quod ſint beati, quando habent illa, quæ requiruntur ad beatitudinem, licet non durent uſq; in finem uitæ.

Item ſecundum hanc interpretationem fieri non poſſet, ut fœlix, ſi etiam caderet in calamitates Priami, poſſet amittere fœlicitatem: quod quidē ſicut dictum eſt euertit ſententiam Ariſtotelis.

Item exemplum hirundinis, & ueris, non uidetur accommodari tali expoſitioni. quia ſenſus Ariſtot. non eſt, quòd fœlicitas debeat durare longo tempore, ſed dicit, quòd paruo tempore durat, ſed quod non fit fœlicitas, niſi in longo tēpore. & hoc declarauit exemplum de hirundine, & uere, ſcilicet, quod loquatur de tempore, in quo fit fœlicitas, nō de tempore quo durat. inquit enim: Vna ſanè hirundo nō facit uer, neq; una dies: ſic autem neq; beatum, neq; fœlicem una dies, neq; exiguum facit tempus. hanc eandem ſententiam confirmaſſe uidetur his uerbis: Ex talibus autem nequaquam rurſus fieret fœlix in paruo tempore, ſed in longo quodam, & profectò magnorum, & præclariorum in ſeipſo factorum compos. Quibus uerbis apertam nobis ſignificationem tradidiſſe dubitare non poſſumus, ipſum per tempus longum noluiſſe intelligere tempus, in quo fit fœlicitas, non illud, in quo durat. quod quidem conſentit rationi, propterea quod fœlicitas oritur ex operationibus quæ ſunt ſecundum uirtutem, quæ uirtus non fit in nobis, niſi longo tempore, ſunt enim animi habitus: reijcienda igitur uidetur talis interpretatio. Quamobrem mihi uidetur oportere, ut aliam expoſitionem, quæ magis uerbis Ariſtotelis conueniat, perquiramus.

Dicimus igitur nos putare Ariſtotelem per uitam perfectā duo intellexiſſe: quorum unum eſt, quod per uitam intelligat tempus longum: quod quidem tempus circumſcribitur per uitam. etenim uita ſolet eſſe in longo tempore, & eſt modus dicendi, quo utuntur homines, quādo uolunt ſignificare ſe feciſſe aliquid longo tempore. alterum eſt, quod per perfectam intelligat abundantem omnibus bonis, tam intrinſecus exiſtentibus: ut ſunt bona corporis, quæ intrinſecus ſunt, ut bona quæ ſunt extrinſecus, quæ ſunt bona illa, quæ communi omnium conſenſu appellantur bona fortunę. Quod autem per uitam intelligat longum tempus, primum oſtendit exemplis hirundinis, & ueris. quæ quidem exempla in promptu eſt omnibus perſpicere nihil aliud uoluiſſe, quàm longitudinem temporis requiri, ad hoc, quod fiat

1.Ethic. cap.14. fœlicitas. Hanc Ariſtot. quoq; interpretationem corroborare uidetur primo Ethi. cap.14. his uerbis: Ex talibus fieret nequaquam rurſus fœlix non in paruo tempore,
» ſed ſi quidem in multo quodam, & perfecto.

Nam his uerbis ſeparat tempus longum à perfecto, cùm non poſsit intelligere per tempus multum, niſi illud, quod intellexit per uitam. etenim exempla hirundinis, & ueris indicant tale tempus, & ſeparat ipſum à perfecto: dictum igitur rectè à
1.Ethic. cap.8. nobis fuit aliud intellexiſſe per uitam, & aliud per perfectum. & in capite octauo, ubi dixit, quòd fœlicitas erat per ſe ſufficiens; & declarans, quid eſſet per ſe ſufficiens, indicat ipſum uoluiſſe, cùm dixit in uita perfecta intelligere, quod dixit hic in multo tempore, & perfecto. quam rem indicaſſe quoque uiſus eſt, cùm ſtatim
» ſubdit: Quid igitur prohibet dicere fœlicem operantem ſecundum uirtutem per-
» fectã, & bonis externis ſufficienter abundantem, non quocunque tempore, ſed in
» perfecta uita.

Quibus uerbis duo nobis ſignificaſſe apparet: quorum unum eſt, quod ſegregauerat tempus multum, & perfectum hoc in loco, ubi loquebatur de tempore, quo indiget fœlicitas: & in uerbis, quæ ſequuntur coniunxit in perfecta uita, & ita hæc apertè corroborant noſtram interpretationem.

Alterum autem eſt, quod per perfectam uidetur intelligere abundantem ſufficienter bonis, quæ ſunt extra nos, ut ſunt bona, quæ diximus. nam paulo antè protulerat, nihil prohibere dici fœlicem operantem ſecundum uirtutem perfectam bonis, quæ ſunt extra, ſatis ſufficienter abundantem: ſubdit non in quouis tempore, ſed in perfecta uita, id eſt in tempore longo, & abundante bonis, quæ ſunt extra: & quæ res nihil aliud efficit, quàm uitam perfectam, & ita perſpicua ſunt ea, quæ diximus. & alibi uſus eſt ijs uerbis:

4.Ethic. cap.9. Perfecta fœlicitas ipſa erit hominis, accipiens longitudinem uitę perfectam, ubi explicauit, quòd per uitam intelligebat longitudinẽ uitæ, quæ nihil aliud eſt, quàm
1.Pol.fol. 130 longitudo temporis: & perfecta additum eſt ob ea, quæ diximus: alioq; in loco ita ſcriptum reliquit:
» Hæc autem ipſius finis gratia, ciuitas autem, & gens, & uicorum eſt ſocietas gra-
» tia uitæ perfectæ, & per ſe ſufficientis.

Quæ uerba declarare uidẽtur illud perfectæ: nam illud perfectum dicitur, quod nullius indiget, quod quidem nihil aliud eſt, quàm per ſe ſufficiens in fine. tamen ca
1.Ethic. cap.13. pite 13. primi Ethic. coniunxit poſtmodum uitam perfectam ſimul, opus eſt enim inquit, & uirtute perfecta, & uita perfecta: perſpicuũ autem eſſe uidetur, quod per uitam intelligimus tempus longum uitæ. quod autem per perfectum intelligamus abundantem ſaltem pro hoc tempore bonis externis ex multis Ariſtot. locis colligi poteſt: quorum fuit unus, quem iam citauimus.

1.Ethic. cap.14. Quid igitur prohibet dicere fœlicem eum, qui operatur ſecundum uitam perfectam, & ſufficientem abundantem bonis, quæ ſunt extra. ex ipſius igitur Ariſtotelis ſententia, bona quæ ſunt extra, ſunt neceſſaria ipſi fœlicitati, ita ut ſine ipſis non poſsit eſſe fœlicitas, ergo ſunt exprimenda in eius definitione: ſed cùm non poſsimus intelligere, quod ſint poſita in definitione, niſi in illa uoce perfecta, neceſſitas igitur cogit, ut illam ipſam uocem explicemus, ut explicauimus.

Item confirmare & ſtabilire uidetur hanc ſententiam, his uerbis:

5.Ethic. cap.10. Alij autem & abundantiam bonorũ, quæ ſunt extra ſimul accipiunt, ſupple cum fœlicitate. Et Ariſtot. eo in loco intendit, ut ipſe dicit: oſtendere omnia quæſita de fœlicitate ineſſe aliquo modo ipſi definitioni dictæ. & cum probaſſet illos, qui exiſtimarent fœlicitatem eſſe, uel uirtutem, uel cum uirtute: & eos, qui opinarentur beatitudinem eſſe cùm uoluptate, conſentire cum dicta definitione, declarauit ipſam indigere bonis externis. neceſſe eſt igitur, ut uelit bona externa aliquo modo cadere in definitionem fœlicitatis: quia uult hanc opinionem conuenire illi definitioni. inquit enim.

Apparet autem, quæ circa fœlicitatem quæruntur omnia ineſſe dictę ſupple definitioni: ergo neceſſe eſt ut ipſa bona externa contineantur in dicta definitione,

ſed

ſed contineri non poſſunt (ut perſpicuum eſt) niſi in illa uoce perfecta. Cogimur igitur dicere ipſum per illam uocem intellexiſſe præter alia, abundantiã bonorum externorum. de quibus omnibus ſatis erit hoc in loco indicaſſe hanc ſententiam, in alio uerò libro pluribus rationibus, & illis quidem (ut opinor) ualidiſſimis hanc definitionẽ explicauimus: quem ſi uita ſuppeditabit abſolutis ijs libris, quod præ manibus habemus, in lucem edere cogitamus, nunc uerò ipſius definitionis partes, quantum exigit præſens tempus, & opera noſtra fieri poterit, declarabimus.

SECTIO TERTIA.

Dicimus ergo Ariſto. dixiſſe fœlicitatem eſſe operationem, ut oſtẽdere ipſam non poſſe eſſe in habitu neq; in ocio, ſegregat igitur iſta uox, operatio ipſam fœlicitatẽ ab habitu, atq; ocio: quam quidem rẽ uiſus eſt declaraſſe his uerbis cùm loqueretur de uirtute. 1. Ethic. cap. 6.

Videretur autem imperfectior & ipſa, etenim uidetur contingere, & dormienti habenti uirtutem, uel non operanti in uita. ad hæc contingit habentem uirtutem ſupple mala pati, & maximis in calamitatibus degentem, hũc autem uiuentem ſic, nemo diceret fœlicem, niſi poſitionem ſeruare.

Vnde patet fœlicitatem eſſe operationem, non habitum: ponitur ergo ad differentiam habitus, & quietis. ut ipſe idem oſtendit, cùm hæc protulit uerba: Nõ conſentire rationi, ut homo ſit natus ocioſus. Hanc itẽ ſententiam uiſus eſt confirmaſſe, quia dixit: Differre autem fortaſſe nõ parum opinari bonum eſſe in poſſeſsione, uel in uſu, & habitu, uel in operatione, in exiſtentem nihil boni perficere, uel agere, ſeu aliter aliquo modo ocioſo. ſed in operatione nequaquàm hoc fieri poteſt, aget enim ex neceſſitate, & bene aget. Patet igitur fœlicitatem eſſe operationẽ, etenim non poteſt eſſe in habitu neq; in ocio. 1. Ethic. cap. 9. 1. Ethic. cap. 4.

Hanc quoq; interpretationem uiſus eſt perſpicuè ſignificaſſe, cùm inquit:

Quoniam autem ponimus ipſam rerum humanarum finem, accipientibus autem ea, quæ dicta ſunt, breuiter utiq; erit ſermo. Diximus autem quod non eſt habitus, etenim dormienti in uita inexiſtere poſſet uiuenti uitam plantæ, & in calamitatibus maximis conſtituto. Quod ſi iſta non placent ſed magis in operationem quandam ponenda eſt, ut ſupra diximus. his igitur apertè innuit operationem eſſe poſitam in ipſius beatitudinis definitione, ut ipſam ſeiungeret ab habitu, & ocio, eſt ergo operatio. 10. Ethic. cap. 7.

Adiungit poſt modũ animi, ut ſeiungeret ipſam fœlicitatem ab operatione corporis, ſunt enim operationes corporis, ſed in ipſis non poteſt eſſe fœlicitas. quã ſententiam explicaſſe uidetur, cum hęc protulit uerba: Quum ergo tripliciter diuidantur bona, & alia æterna dicãtur, alia animi, & corporis, bona animi principaliſsima, uel proprijſſima, & maximè bona, actiones autem, & operationes animales, circa animam ponimus. quare rectè utiq; diceretur, ſecundum hãc opinionẽ antiquam exiſtentem, & conceſſam à philoſophantibus, rectè autem, & quod actiones quædam dicuntur, & operationes finis, ſic enim fiunt bonorũ, quæ ſunt circa animam, non eorum, quæ ſunt extra. patet igitur his uerbis ipſum uoluiſſe fœlicitatem eſſe operationem animi, non corporis, quia operationes animi ſunt perfectiores, & fœlicitas eſt perfectiſſima. ſubiunxit præterea: 1. Ethic. cap. 10.

Habentis rationem, uel nõ ſine ratione.) quibus uerbis ſegregare uidetur fœlicitatem ab operationibus animi uegetatiui, nutritiui, & ſenſitiui, cuiuſdam uidelicet omnino irrationalis: & quod conſentiat ueritati, ipſemet eo in loco teſtatum reliquit. 1. Ethic. cap. 9.

Sunt enim, inquit, operationes communes tùm plantis, tùm omni animali, & non propriæ ipſi homini. Dixit autem habentis rationem, uel non ſine ratione. etenim in nobis, ut ex uerbis, quæ ibi ſcripta reliquit, colligitur. Sunt duæ animæ partes propriæ, quarum una eſt ſenſitiua quædam, quæ ab Ariſto. phantaſia nuncupatur, altera intellectiua. prima dicitur rationalis, non tamen in ſe rationem propriæ

habet,ſed hoc nomen conſequuta eſt,proprerea quòd obtemperat ipſi rationi, &
ob hanc rem à ſenſitiua brutorum, quæ omnibus modis dicitur irrationalis ſegre-
gatur, nam in ſe rationem minimè continet & non obtemperat ipſi rationi. nullo
igitur modo dicitur, rationem in ſe habens iſta ſenſitiua brutorum: & ideo neq; di
citur non ſine ratione, quandoquidem omnino careat ratione: altera uerò dicitur
propriè rationalis, quod rationem in ſe continet, & intelligit. quia igitur partes
duæ animæ erant, ut oſtenderet fœlicitatem poſſe in utriuſq; operatione reperiri,
inquit, quod erat operatio animi habentis rationem, qui eſt intellectus, uel non ſi-
ne ratione, qui eſt intellectus paſsiuus, ut utamur nomine illo, quo ipſemet non-
nullis in locis uſus eſt, ut dictum eſt in ſuperioribus. ſeiungitur ergo ijs particulis
fœlicitas ab operatione aliarum animi partium, & ſimul docemus fœlicitatem poſ
ſe eſſe, & in operatione animi rationẽ in ſe complectentis, & in operatione animi,
qui non eſt ſine ratione. de quibus tamen partibus animi in ſuperioribus longum
habuimus ſermonem, & utraq; pars eſt ipſi homini propria: quandoquidem non
poſſet in utraq; contineri fœlicitas: quæ quidem, ut dictũ eſt requirit ipſius homi-
nis tantum propriam operationem.

Sequitur illa particula ſecundum uirtutem.

Quæ particula poſita ab ipſo eſſe uidetur, ut ſegregaret ipſam fœlicitatem ab
operationibus, quæ ſunt animi quidem habẽtis rationem, uel non ſine ratione, ſed
ſine uirtute, & ſine ratione, uel cum uitio, reperiuntur enim plurimæ. quam ſenten
tiam uiſus eſt indicaſſe, cùm protulit:

» Opus huius, & huius ſtudioſi eſſe idem genere, ut citharedi, & ſtudioſi citha-
» redi addita ſola differentia exceſſuum ſecundum uirtutem ad opus, & ea, quæ ſe-
» quuntur.

Per opus ergo ſecundum uirtutem exploditur fœlicitas ab ipſis operibus, quæ
ſunt ſine uirtute, quæ uerbi gratia fiunt, uel propter utilitatem propriam, & huiuſ-
modi uel caſu, uel aliquo errore, & uitio. cæterum quoniam uirtus altera eſt corpo
ris, & altera eſt animi, ne aliqui crederẽt fœlicitatem eſſe operationẽ animi haben-
tis rationem, uel non ſine ratione ſecundum uirtutem corporis, quo in genere eſt
ſanitas, robur, magnitudo, ac certandi uis, addidit ſecũdum uirtutem animi. quam
quidem particulam, licet tùm nõ explicauerit, cùm ipſius fœlicitatis definitionem
concluſit: explicauit tamen, ut mos eſt ipſius primo Ethi. cap. 17. his uerbis:

1. Ethic. cap. 17. Etenim bonum humanum quærimus, & fœlicitatem humanam, uirtutem huma
nam, non eam quæ eſt ipſius corporis, ſed eam, quæ eſt ipſius animi. Perſpicuè
igitur patet ipſam induxiſſe, ut ſegregaret fœlicitatem ab illis operationibus ani-
mi, quę fiunt ſecũdum uirtutem corporis. & quia uirtus animi, alia eſt imperfecta,
alia perfecta, imperfecta, eſt, ut muſica facultas, & tibiam pulſandi, & breuiter om-
nes cæteræ facultates, poſt quarum operationem nihil remanet, & perfectæ ſunt,
Fortitudo, Temperãtia, Liberalitas, & Iuſtitia, & breuiter omnes illæ uirtutes mo-
rales, de quibus Ariſto. in libris Ethi. ſermonẽ habuit: ex intellectu uerò, quæ ſunt
quinq;, ars, ſcientia, prudentia, ſapientia, intellectus ars dicitur eſſe ex imperfectis,
propterea quòd eſt habitus factiuus, qui eſt uilis, ut ergo nobis ſignificaret non in
omni operatione animi, ſecundum uirtutem animi eſſe fœlicitatem, quia in imper
fectis non reperitur, dixit:

Si plures erant uirtutes.) non enim tunc erat ei animus rẽ hanc declarare, quòd
fœlicitas erat operatio ſecundum uirtutem animi optimam, & perfectiſſimam, &
hoc modo ſeiungit ipſam ab operationibus, quæ ſunt ſecundum uirtutes imperfe-
ctas. & quia aliquis potuiſſet in eam opinionẽ uenire, ut exiſtimaret fœlicitatem
eſſe operationem animi ſecundum uirtutem perfectam, & quod nihil aliud requi-
ratur, & quod in quocunq; tempore hoc fieri poſſet. & hoc erat falſum, inquit, præ
ter ea, quæ dicta ſunt, in quibus propriè, & per ſe ſtat fœlicitas, requiri uita perfe-
cta. de quibus uerbis, quoniã ſuperius habuimus ſermonem, nihil aliud dicemus,
tantum in præſentia aſſerimus uideri addita eſſe ob imperfectionem humanam, &
eſſe

eſſe per accidens neceſſaria:ſed in dictis propriè fœlicitas non reperitur. concludemus igitur fœlicitatem eſſe operationem animi habentis rationem, uel non ſine ratione, ſecundum uirtutem animi perfectam, & adhuc in uita perfecta.

SECTIO QVARTA.

EX eis ergo, quæ dicta ſunt, manifeſtè arbitramur patêre definitionem fœlicitatis non eſſe deductam ab Ariſtotele, ex eis quæ ex lumine diuino proficiſcuntur. Quare nulla admiratiõe affici debemus, ſi Ariſtoteles in philoſophia humana, & quæ traditur etiam ex ſenſibus, putauerit licere uindictam ſumere de iniurijs nobis à prauis hominibus illatis:& per id, quod neceſſario ſequitur ex eius ſententia loquentes poſuimus ſingulare certamen concedi debere, & iuſtum eſſe naturaliter: etenim ſi nullo alio lumine, quàm naturali eſſemus illuſtrati, nõ ſolum iuſtum, uerùm etiam neceſſarium illud arbitraremur, alioquin ea ſequerentur incommoda, quæ declarauit Ariſtoteles primo Rhet. cap. 12. ſequi, ubi ſermonem habet, quomodo homines affecti iniurijs, & quos iniurijs afficiunt: quæ planè ſunt talia, ut ex ipſis quidem fœlicitas humana in dexterius labi, ac omnino euerti exiſtimari poſſit. quod quidem eſt omnium in philoſophia humana abſurdiſsimum: non eſt tamen putandum Ariſtotelem in hac philoſophia humana concedentem uindictam de iniurijs illatis eſſe ſumendam, iuſtumq́ue, ac honeſtum eſſe, ſingulareq́ue certamen neceſſarium eſſe, uoluerit aſſerere ipſam uindictam, iuſtam, & honeſtam eſſe, omni ex parte: ita de ſingulari certamine, quia in maximo errore uerſaretur. concedet enim Ariſtoteles ipſam eſſe ex ſua natura malum, & ſimpliciter. *1.Rhet. cap.12.*

Ex ſuppoſitione tamen bonum & iuſtum, hoc enim uiſus eſt declarare 7. Polit. quem locum citauimus etiam in ſuperioribus ob alias occaſiones. *7.Polit.*

Dicimus autem & in Ethic. ſi aliqua eſt utilitas illorum ſermonum, operationem eſſe, & uſum uirtutis perfectæ, & hunc non ex ſuppoſitione ſed ſimpliciter: dico autem ſuppoſitione neceſſaria, ſimpliciter autẽ quod honeſtè, ueluti circa iuſtas actiones iuſtæ uindictæ, & pœnæ, à uirtute enim ſunt, neceſſaria autem, & quod honeſtatem neceſſariò habent, eligibilius enim fuiſſet neq; hominem, neq; ciuitatem ijs talibus indigere: illæ autem, quæ ſunt ad honores in abundãtias ſimpliciter ſunt honeſtæ actiones, alterum enim eſt electio alicuius mali. ſed tales actiones contrarij, ſunt enim præparationes bonorum, & generationes.

Ex quibus planè uerbis patêre arbitror ſumere uindictam, & pugnare ſingulari certamine eſſe electionem mali: quod cùm detur, ut non ſint ſimpliciter bona, & honeſta, neceſſe eſt, probatur autem, & quod antecedit. etenim melius eſſet homines, & ciuitatem nõ indigere ijs ipſis, ergo non poſſunt eſſe honeſtè ſimpliciter, habent tamen honeſtatem neceſſariam, & ex ſuppoſitione. fiunt enim ut conſeruetur fœlicitas in ciuitatibus, quam homines praui euerterent, ſi non timerent, ne illi, quos iniuria afficerent, pœnas à ſe repeterent. etenim philoſophiæ humanæ, quæ docet uindictam eſſe ſumendam, accidere uidetur: quod dixit Ariſtoteles accidiſſe illis, qui artem Rhetoricam tradiderunt: quid autem acciderit eis tertio libro Rhetor. declarauit ad hunc modum, quem locum citauimus etiam in ſuperioribus ob uarias occaſiones. *3.Rhet. cap.1.*

Nam de eloquutione tardius acceptum, uideturq́ue parum honeſtum eſſe, ſi rectè examines: ſed tamen cùm uniuerſa Rhetorica ad opinionem ſpectet, non quia rectè ſe habeat: ſed tanquam neceſſarium habenda eſt cura. quoniam iuſtum eſt, nihil plus quærere in oratione, quàm ne aut dolore, aut uoluptate afficias, ita cùm par ſit ipſis rebus certare: quare cæteræ, præter demonſtrationes ſuperuacaneę ſunt: ſed tamen ualdè poſſunt, ut dictum eſt, propter auditorum prauitatem. Perſpicuum eſt igitur oportere Rhetoricam uerba facere de ipſa eloquutione: quia Rhetorica eſt propter opinionem, & eloquutio maximam uidetur habere uim ad opinionem efficiendam propter auditorum prauitatem: & tamẽ malum eſt ac parum honeſtum

eſt, de ipſa in Rhetorica habere ſermonem, quia non eſt iuſtum ipſum Rhetorem dare operam, ut iudices afficiat uel amore, uel dolore. etenim iuſtũ eſt ipſis rebus certare. et quoniam ex rebus fiunt demonſtrationes, in dubium uenire non poteſt, quin omnia præter demonſtrationes ſint ſuperuacanea. Dico ergo philoſophiæ humanæ illud accidere, quod accidit Rhetoricæ. docet enim uindictam eſſe ſumendam: quoniã cùm ipſius finis ſit fœlicitas, quæ euerti poteſt ex iniurijs à prauis hominibus illatis, niſi uindicta ſumatur. concedit uindictam eſſe ſumendam eo modo, quo declarauimus in ſuperioribus libris: & ſi uindicta ſit malum, tamẽ propter prauitatem hominum minus malum eligitur, & ita ſingulare certamen in philoſophia humana, quæ ab Ariſto. traditur, propterea quòd ipſa nititur fundamentis naturę, quæ fundamẽta uera ſunt exiſtimanda, niſi eis repugnet lumẽ diuinum, propterea quòd Deus optimus maximus, ut ſupra dictũ eſt, res quas condidit, ita adminiſtrat, ut eas maiori ex parte proprios motus facere ſinat. Ariſt. ergo propter eam fœlicitatem, quam ipſe in hoc mundo ratione naturali inuenit, (ipſe enim nõ ultra progreſſus eſt, propterea quòd ſolùm ratione naturali uſus eſt) efficiendam, & conſeruandam, atq; amplificandam, conceſſit iuſtum, & honeſtũ eſſe uindictam de iniurijs à prauis hominibus illatis ſumere, & per id, quod neceſſariò ſequitur certandum eſſe certis de cauſis ſingulari certamine, propterea quòd nullo alio medio magis honeſte uindictam ſumere poſſumus. certatur enim paribus conditionibus, ſi rectè (ut exigit eius natura conficiatur) & omnem demum fraudem ab eo abeſſe neceſſe eſt.

SECTIO QVINTA.

QVare nulla admiratione affici debemus, ſi nõ nulla aliquãdo dixerit Ariſto. quæ prima facie uidentur religioni noſtrę repugnare, propterea quòd ex diuerſis principijs, ut diuerſæ concluſiones oriantur neceſſe eſt, ſed nos, qui lumine alio clariori, & firmiori illuſtrati ſumus, & qui non nitimur fundamẽtis naturæ, ſed ipſo DEO Optimo Maximo, ac Chriſto ſeruatore noſtro duce ad ueritatem ducimur ex ſacris literis, opinamur uindictam non eſſe ſumendam, & per id, quod neceſſariò ſequitur non eſſe certandum ſingulari certamine. quandoquidem ſacræ literæ hæc omnino reijcere uidentur, quod planè multis ex locis ſacrarum literarum

Paul. ad Ro. ca. 12. colligi uidetur: etenim Beatus Paulus noſter uas electionis ad Romanos 12. cap. hæc ſcripta reliquit.

„ Non uoſmet ipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ: quia ſcriptum eſt
„ Pſal. 32. Mihi uindictam, & ego retribuam.

Si ergo uindicta eſt relinquenda Deo, non ergo conuenit nobis ſumere ipſam. Etenim quæ ſunt relinquenda Deo, nobis conuenire non poſſunt, uindicta eſt relinquenda Deo, ergo nobis conuenire non poteſt: non ſi liceret nobis uindictam ſumere non relinqueretur Deo optimo Maximo, ut perſpicuum eſt, ſed quia ipſe uult ut ſibi relinquatur, ergo certè, niſi relinquamus, ut contra eius uoluntatem, & præceptum agamus neceſſe eſt. quod quidem agere eſt facinus ex omnibus indigniſſimum. Item Beatus Paulus uoluit dari locum irę, ergo noluit uindictam fieri: quia ſi uoluiſſet uindictam fieri, nollet etiam dari locum iræ, quia ira eſt appetitus uindictæ, ſed uoluit locum dari iræ, igitur noluit uindictã à nobis fieri. Itẽ hanc

Paul. ad Heb. ca. 12. ſententiam uiſus eſt ſtabilire, ac corroborare ad Hebræos. 12. cap. dicens, Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo uidebit Deum.

Si pax eſt ineunda cum omnibus, ergo cum inimicis: non poſſumus igitur facere uindictam, quia ſi poſſemus facere uindictam pax non eſſet ineunda cum omnibus, quia uindicta repugnat paci. Item ſi ſine pace non poſſumus uidere Deum, ergo ineunda eſt pax, ergo non eſt ſumenda uindicta: quia ſi eſſet ſumenda uindicta, pax non eſſet ineunda. ſed conſequens eſt falſum, ergo id, unde fluxit falſum eſſe oportet: probatur, quia ex ipſo ſequitur, quòd non poterimus uidere Deum, quod quidẽ nihil prius poteſt euenire eis, qui Chriſti ſeruatoris noſtri religionem

nem tuentur. Quare ſequitur ſi ſine pace non poſſumus Deum uidere, ut neceſſe ſit nobis pacem cum omnibus inire: & ſi hoc eſt faciendum ergo uindicta non eſt ſumenda, quod eſt id, quod probare uolebamus.

Præterea quid clarius potuit proferre beatus Paulus, q̃ id, quod dixit ad eoſdem Romanos capite duodecimo: Nulli malum pro malo reddentes, prouidentes bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus: ſi ergo nulli eſt reddendũ malum pro malo, ergo non eſt facienda uindicta. probatur conſequentia, quia uindicta, ut ex ſuperioribus perſpicuum fuit, nihil aliud eſt, quàm reddere ex malo malum: non permittit igitur Paulus uindictam, quippè qui nõ potuit fallere, neque falli, afflatus enim fuit numine diuino, nemo eſt (modò ſit ſanus) qui hoc negare poſsit. Paul. ad Ro. ca. 12.

Præterea in eodem loco ſubiunxit:

Si eſurierit inimicus tuus, ciba eum: ſi ſitit, potum da illi. Paulus.

Si ergo ipſe uult nos cibare inimicum, & illi potum dare, non uult profectò uindictam eſſe ſumendam, quia uindicta non cibamus inimicos, ſed interficimus ipſos. hanc etiam diuinam ſententiam corroborare uidemus beatum Petrum apoſtolum Eccleſiæ noſtræ præſidem in ſua prima epiſtola ſecundo capite his uerbis:

Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens exemplum, ut ſequamini ueſtigia eius, quia quum malediceretur non maledicebat, qui quum pateretur non cõminabatur: ſi ergo Chriſtus, quum malediceretur non maledicebat, & oportet ſi beatitudinem eius perfectiſsimam conſequi uolumus, ut nos ſequeremur ueſtigia eius. ergo non eſt ſumenda uindicta: quia ſi ſumamus uindictam, repugnabis ueſtigijs Chriſti, et eius exemplis: quia quum ſumimus uindictam, ſi maledicimur maledicimus, & ſi patimur, cõminabimur, repugnamus ergo Chriſto: ſed nefas eſt homines, qui Chriſti ſeruatoris noſtri piam religionem ſectantur, repugnare ipſi Chriſto, ergo nefas eſt ſumere uindictam de iniurijs nobis illatis. Item primæ Ioan. 3. Omnis inquit, qui odit fratrem ſuum homicida eſt, & ſcitis quoniam omnis homicida non habet uitam æternam in ſe manentem. Ioan. 1. cap. 3.

Si ergo non licet odio perſequi fratrem ſuum, quia qui odit eſt homicida: ergo multo minus non licebit uerberare, & uulnerare fratrem ſuum. probatur conſequentia: quia de quo minus uidetur ineſſe, & ineſt, ergo de quo magis. quod ſi dabitur, ergo non erit facienda uindicta, non ſi ita ſit licebit uerberare fratrem ſuum, & interficere: ſed hoc eſt falſum: ergo eſt uerum, quod diximus. Item primæ Iohannis capite ſecundo: Qui odit fratrem ſuum in tenebris eſt, & in tenebris deambulat, & neſcit quo eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. 1. Ioan. cap. 2.

Si ergo non licet odio perſequi fratrem ſuum, ergo non eſt facienda uindicta: quia ſi eſſet facienda, non poſſet fieri ſine odio. quia quos ulciſcimur odio perſequimur. alioquin eos non offenderemus: non enim offendimus, quos amamus.

Item Matthæi quinto: Ego autem dico uobis non reſiſtere malo: ſed ſi quis percuſſerit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui uult tecum in iudicium contendere, & tunicam tuam dimitte ei, & pallium: & quicunque te anguſtiauerit mille paſſus, uade cum eo alia duo: & idem dicit Lucas 4. Si ergo iſta ſunt uera, ut ſunt, uindicta ergo nõ eſt ſumenda ex religione noſtra: quia ſi uindicta eſſet ſumenda, ergo, ſi aliquis percuſſerit nos in dexteram maxillam non prebe remus alteram. ſed ipſum percuteremus, hoc eſt enim ſumere uindictam reddere malum pro malo: ſed hoc fieri non poteſt: quia repugnat præceptis Chriſti. ergo uindicta non eſt ſumenda. Itẽ ſi oporteret me dare pallium ei, qui uult tollere meã tunicam, ut dicit Chriſtus ſeruator noſter: ergo non eſt facienda uindicta, quia ſi Matth. 5. Luc. 4.

eſſet facienda, ſi aliquis auferret meam tunicam, non darem illi pallium: ſed ab eo meam tunicam auferrẽ, & non darem pallium, hoc enim perſpicuum eſt ex dictis. Cõſequens eſt falſum, euertit enim Chriſti ſeruatoris noſtri uerba: ergo id ex quo emanat falſum eſſe neceſſe eſt. Item paulo pòſt inquit: » Audiſtis, quia dictum » eſt antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego » autem dico uobis, Diligite inimicos ueſtros, & benefacite eis, qui oderunt » uos.

Si oportet diligere inimicos ex præceptis Chriſti ſeruatoris noſtri, & benefacere eis, qui oderunt nos: ergo non eſt ſumenda uindicta. quia ſi uindicta eſſet ſumenda, non teneremur diligere inimicos, & benefacere eis, qui oderunt nos. etenim, qui uindictam ſumit, non amat eos, quos ulciſcitur: quia ſæpe eos interficit. Item non benefacit illis, qui oderunt nos, quia qui interficit, uel percutit aliquem, non ei benefacit: ſed cogimur ex præcepto ipſius Ieſu Chriſti ſeruatoris noſtri diligere inimicos, & benefacere eis, qui oderunt nos: ergo cogimur dicere, uindictam de iniurijs nobis illatis eſſe ſumendam.

1. Petri cap. 3. Præterea prima Petri 3. non reddentes malum pro malo, nec maledictũ pro maledicto; ſed econtrariò benedicentes. quia in hoc uocati eſtis, ut benedictionem » hæreditate poſsideatis.

Si ergo non reddere debemus malum pro malo, neque maledictum pro maledicto: ſed econtrariò, & cætera. ergo non eſt facienda uindicta. quia ſi eſſet facienda, oporteret reddere malum pro malo: propterea quòd, ut diximus uindicta nihil aliud uidetur eſſe, quàm reddere malum pro malo, & maledictum pro maledicto. ſed hoc eſt abſurdum: ergo id unde profectum eſt, abſurdum eſſe neceſſe eſt.

Prouer. 20. Item prouerbiorum 20. ne dicas, Redde malum pro malo: expecta Dominum, » & liberabit te.

Si non eſt dicendum, Redde malum pro malo, ergo non eſt dicendum faciendam eſſe uindictam: conſequentia enim ex eis, quæ dicta ſunt perſpicua eſt. ſi non eſt facienda uindicta de iniurijs nobis illatis ex ſanctiſsima noſtra religione: ergo non eſt ex eiuſdẽ fundamẽtis certandũ ſingulari certamine: quod eſt illud quod in principio polliciti ſumus oſtendere, quicquid ex philoſophia humana dicendũ ſit. nos enim profeſſi non ſumus euertere Singulare certamen ex philoſophia humana, & ex eius fundamentis, quandoquidem hoc fieri nõ poſſe exiſtimemus: ſed ex ueritate ipſa, & ex fundamentis ſanctæ religionis noſtræ. ac licet complures ſint aliæ ſacrarum literarum, & ſanctorum Patrum ſententiæ, ex quibus poſſet Singulare certamen euerti: tamen iudicauimus eas, quas attulimus, quia ſunt ſatis perſpicuæ, idoneas eſſe ad id efficiendum, quod nobis propoſitum fuit: ut ex animis, & cogitationibus hominum hoc Singulare certamen, tanquã repugnans Chriſti ſeruatoris noſtri doctrinæ atq; religioni, penitus extirparemus.

SECTIO SEXTA.

QVare quum perſpicuum ſit, animum noſtrum ex fundamentis etiam naturæ eſſe immortalem, & ex creditis quoq; multiplicatum, uindictamq; ex ſacris literis nullo modo eſſe faciendam, in dubium uenire non poteſt, quia è medio tollendum ſit, ac prorſus abolendum Singulare certamen: quippe quod nos uera æternaq; fœlicitate priuaturum ſit, atque in teterrimas, ac perpetuas pœnas deiecturum. Quod ſi aliquis nos fortè reprehendet, propterea quòd quum propoſita nobis fuerit in his libris Singularis certaminis euerſio, quorum etiã librorum inſcriptionẽ ab illa duximus: tamẽ pauca de ipſo Singulari certamine attigerimus, multa uerò de alijs reb. diximus, quę ꝓpriæ huius diſputationis nõ eſſent: huic ita reſpõdemus, ſatis eſſe, ꝙ omnia, quę diximus, ad eum finẽ in primis ordinata ſint: q nobis ꝓpoſitus fuit, ad ipſumq; tẽdant: uerũ pauca de eo, an multa dicta ſint, nihil

teſer-

referre: modò tot dicantur, quot ſint ad noſtrũ finem cõſequendum idonea. cuius
quidẽ rei quum multa ſint apud Ariſto. exempla multis in locis: tum uerò maximè
in libris Rhet. ubi oſtendit Rhetoricam eſſe facultatem inueniendi probabilia in
unaquaque re, id eſt locos communes probabiles, & tamen eos, qui pauci quidem
ſunt in ſecundo lib. proponit, paucaq́ de ipſis agit, reliquis uerò libris ea ferè per-
tractat, quæ (ut oſtendimus in ſuperioribus) non ſunt Rhetoricæ propriè, ſed tan-
tùm ad finem Rhetoricæ faciunt. Hanc item rem confirmare licet ex eis, quæ
in Poëtica, quum de Epopeia loqueretur dixit de Odyſſea Homeri ad hunc
modum:

Vagante quodam per multos annos, & ſeruato à Neptuno, & ſolo exiſtente, & "
præterea rebus ſuis, quæ erant domi ſic ſe habentibus, ut criminata à procis abſu- "
merentur, & filio inſidias pararentur, ipſe peruenit iactatus ab unda, & recogno- "
ſcens quoſdam ipſos aggreſſus eſt, ipſe autem ſeruatus eſt, inimicos autem inter- "
fecit. Hoc quidem eſt proprium, alia autem ſunt Epiſodia: etenim ſi in tam ma-
gno Odyſſeæ uolumine hæc pauca duntaxat, ſunt propria, reliqua uerò ſunt Epi-
ſodia, id eſt aduentitia, nemini mirum eſſe debet, ſi pars illa noſtrorum librorum,
in qua ex fundamentis ſanctiſsimæ religionis noſtræ ſingulare certamen euerti-
mus, quæ ſola eſt propria, ſit minor pars: reliqua uerò ſunt Epiſodia, id eſt aduenti
tia. eadẽ enim eſt ratio: nam ſicut Homero in Odyſſea unus omnino fuit principa
lis, ac præcipuus finis imitari actionem illam, quam dixit Ariſtoteles, ita nobis u-
nus duntaxat fuit principalis, & præcipuus finis euertere ſingulare certamen, &
ſicut Epiſodiæ omnia Odyſſeæ referuntur ad unam illam actionem, quam dixi-
mus: tanquam ad ſuum ultimum finem, cuius gratia omnia ſunt in futura. ſic E-
piſodia noſtrorum librorum referuntur ad Euerſionem ſingularis certaminis, tan-
quam ad ſuum ultimum finem: cuius gratia omnia ſunt à nobis ſcripta. nihil autem
refert, quod ad hanc rem attinet, utrum ſit poëtis an ſcientia, quum eodem modo
utrobiq; omnia ad ſuum finẽ ſeſe habeant. finis enim eſt ille, ex quo omnia & una-
quæq; facultate, quæcunq; ſit illa diſtribuuntur atq; ordinantur: miſſas etiam facio
eas cauſas, propter quas nos ita feciſſe in ſuperioribus oſtendimus, quas hîc repe
tere ſuperuacaneum eſt.

Habes igitur ampliſsimè Farneſi Singularis certaminis euerſionem ex funda-
mẽtis ſanctiſsimæ religionis noſtræ inſtitutam, in qua nõ alienum exiſtimaui, cùm
omnia ferè iniuriarum genera declarare, tum etiam offenſionum, & contentio-
num, quæ ex illis naſcuntur honeſtè, atque ex uirtute tollendarum rationem
tradere. quum'que eſſent apud Ariſtotelem loci multi, ac ferè infiniti perdiffici-
les, in quibus homines uehementer laborare uiderentur: teneri non potuit pro
mea conſuetudine (ut quicquid declarandi occaſio data eſt) quin eos, quantum
quidem per me fieri potuit, explicare conarer: in his etiam animi immortalitatem
ex ipſius Ariſtot. ſententia oſtendere conati ſumus, & Aſtrologiæ diuinationem
refellere, ita ut (ni fallimur) omni penè auctoritate ſpoliauerimus, & ſic humanam
libertatem ſtabilierimus. quæ omnia ſi uerè à nobis diſputata fuerunt, atque con-
cluſa ſic, ut hominibus aliquam utilitatem ſint allatura (quod unum certè nobis
maximè propoſitum fuit) id in primis Deo optimo maximo acceptum feratur, u-
nigenitoq́ eius filio Ieſu Chriſto, & ſpiritui ſancto, unde omnis emanat ueritas at-
que oritur: deinde tibi uiro ampliſsimo gratia habeatur, qui ea in me pro tua exi-
mia liberalitate beneficia, & cõmoda contuliſti, quibus inſtructus otij facultatem
ad hęc ſtudia tractanda neceſſariã aſſecutus ſum. Itaq; quoniã quod omniũ maxi-
mè optabã, ut literarum ſtudijs uacare omnino poſſem, id tuo beneficio mihi cõti
git: ſanè quicquid in his elaborare pro ingenij mei uiribus, atq; efficere potui, id ti
bi uni uiro optimo debere uideť, idq́ ego ampliſſimo nomini tuo dicare uolo: ut
cui me, plus quàm cæteris hominibus debere intelligo. ac ſi fortè aliquibus minus ſa-
tisfecerit

tisfecerit hæc noſtra diſputatio: mihi tamen ſatis erit, tibi, qui me ad hunc laborem ſuſcipiendum auctoritate tua, quæ apud me maxima eſt, impuliſti, morem geſſiſſe. Illud aũt peto, ut mihi ignoſcatur: ſi quid fortè dixero, quod cum peripateticorum doctrina, quam unam maximè his in rebus me ſectari profiteor, non planè conſentire uideatur: propterea quòd longè difficillimum eſt in tanta rerum multitudine, & difficultate, atq; etiam nouitate (maiori enim ex parte à communi uulgataq; interpretum omnium opinione diſcrepamus) omnino ueritatem in omni re aſſequi. Huc etiam acceſſit non mediocre impedimentum, idq; commune omnibus ijs, qui apud principes, & ampliſsimos homines uiuunt. nam te quidem ita ſequutus ſum per annos uiginti, ut nunquam ferè conſtiterim. non enim ita diu uno in loco manſiſti, quum ſedis Apoſtolicæ, tum domus tuæ, uel augendæ, uel tuendæ cauſa multa itinera, multosq; labores ſuſciperes: quibus tandem ſumma Dei optimi maximi bonitate, ac prudentia tua maxima cum laude es defunctus. Itaque in tanta rerũ difficultate, & in tanta meæ ualetudinis infirmitate, qua quotidie ita uexatus ſum, atque confectus (quod & tibi notiſſimum eſt) ut ſingulis ferè diebus extremũ uitæ meæ diem adueniſſe exiſtimarẽ. Mirum certè mihi uidetur, quo modo aliquid non ſolũ ſcribere, ſed ne cogitare quidẽ potuerim. tanta tamen fuit ueritatis indagãdę, atq; aperiendæ (quantum quidem opera mea fieri potuit) cupiditas, ut eius rei cauſa nullas uigilias, nullos labores quamuis grauiſsimos ſubterfugerim, ac ne ipſi quidem uitæ, quam in manifeſto periculo uerſari intelligebam, pepercerim.

FINIS QVADRAGESIMI ET VLTIMI *libri Euerſionis ſingularis certaminis.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google